MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ SUPPLEMENTI loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt EDITIONIBUS ROMANÆ, & LUGDUNENSI.

Accedunt, prout in Editione Romanâ, eorum Pontificum Vitæ, quorum Bullæ hîc recèns prodeunt; Appendices insuper suis quique locis assignati.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS NONUS.

9/10

CONSTITUTIONES VARIORUM PONTIFICUM in præcedentibus Editionibus desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens.



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ.

LUXEMBURGI,

Sumptibus ANDREÆ CHEVALIER, Bibliopolæ & Typographi.

M D C C X X X.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.



ILLUSTRISSIMO ET SUMMO VIRO

CAROLO

EX

COMITIBUS DE BASCHIO, MILITI,

MARCHIONI DE ALBASSIO,

BARONI DE CASTLARIO, DOMINO JUNACII,

GAVERNARUM, S. NAZARII MARISSANICARUM,

TURRIS DE ANGLARIA, &c. &c. &c.

ANDREAS CHEVALIER, &

MARCUS-MICHAEL BOUSQUET cum SOCIIS.

S. P. D.

Opus istud eximium quam plurima exemplaria complectens Historiæ ornandæ necessaria tanto di-

dicatum oportuit Viro, cujus nec recentis, nec veteris ulla quidem minima Historiæ pars mentem fugit; cujusque fama mori immerita semper in Historiis superstes erit.

Mirabitur forsan popularis aura cùm in prima hujusce Libri fronte, insigne quoddam nomen Ecclesiæ Romanæ Principis non viderit; verùm Mirationi jucundior succedet voluptas, Ecclesiæ Præsuli suffectum cernendo Militarem Virum qui & insigni prosapiâ, & altâ Eruditione, & integrâ morum puritate, Clarioribus Ecclesiæ Principibus, Socius, ne dicam superior exstat.

Tanto igitur fultam patrocinio seriem istam BULLARII ROMANI *proferre in lucem par erat, ut nostri in Te studii, animique devinctissimi perenne testimonium perstaret.*

Communi gloriatur Patriâ cum illustri COMITUM DE BASCHIO *genere, quorum virtutes eximiæ unà cum illorum sanguine æternis TE dignum præconiis Virum efformârunt: Variis prætexitur Summorum Pontificum Scriptis quibus Majores TUI æquè chari ac venerandi fuerunt: Multa in se habet monumenta eadem ac in Historia, quæ TUI acies ingenii lectione assiduâ, nec non labore improbo, licèt antiqua, recentia exhibet.*

Nec ea quæ TE tulit Patria magnis quibus abundat deliciis, nec ea quæ TE educavit Familia segmentatis dormientem cunis, nec ea quæ

TE-

TECUM vixit Sociorum mollities, TUAM Historiæ discendæ tenacem cupidinem quatere valuit.

Domuisti Patriæ delicias Socratis facta legendo, Familiæ fortunas, Catonis facta perpendendo, Sociorum illecebras, TE totum Historiæ totius studio tradendo. Hæc TUA sola fuit cura, hæc TUA sola voluptas fuit.

Inde tantus Historiæ TUUS utilis labor, inde tantum Occitaniæ Historicis opportunum conlatum auxilium. Narrabunt ipsorum Scripta quanta in TE exquisita monumenta Historia habeat, & quantus illorum ergò fuit Magnificus TUUS & mansuetus animus. Nos verò ne Magna exiguis videamur attenuare verbis, quæ de TE fama narrat, & narratura est libenti excipimus animo, felices nimiùm hacce uti occasione, ut cunctis sit notum quantâ cum reverentiâ TIBI simus Devinctissimi.

PRÆFA-



PRÆFATIO

Q. D. B. V.


Uùm diù meditati fuerimus, Lector benevole, quâ methodo prò nostrâ virili novam hanc Bullarii mantissam ordiremur, tùm quod prætèr eas, quas Cherubinus in unum corpus digesserat Constitutiones, aliæ insuper, & propè innumeræ sparsim undique reperirentur, tùm quia permulta omnium retro-Pontificum diplomata parum ad rem nostram, & institutum conducerent, quæque vel temporum injuriâ mutila, immò & vitiata comperiremus; sanè prior ratio eaque præcipua in operis vestibulo nobis restitit, quòd scilicèt penè infinitas oculis lustraremus Romanorum Antistitum Constitutiones, quarum fœcundissima seges ad nostram usque ætatem adeò excrevit, ut nullam quam adoriremur viam invenire datum esset, & veluti ex Labyrintho filo Ariadnes opus erat quod nos inde reduceret.

Hinc mediâ insistere viâ decrevimus, scilicet nec universas Constitutiones cumulatim digerendo, nec quibusdam Rempublicam fraudando; quamobrem quemadmodum Apes variis quidem floribus insidunt, ea tamen decerpunt tantùm, quæ sibi ad opus profutura sunt, cætera prætermittunt, nos ex his aliquas tantùm selegimus, utpotè digniores, quæ hominum singulorum meditationibus subjicerentur, eorum primùm, qui Cancellis circumscripti forensibus ut plurimùm rerum retro-gestarum ignari rudi minervâ, quod aiunt, juri dant operam aliquot legum rubricis contenti. Neque est quod dicamus de hujusce operis utilitate. Nôrunt quippe omnes queis meliore luto finxit præcordia Titan, quantùm Reipublicæ literariæ conducerent illustriora Antiquitatis monumenta tùm profana, tùm sacra, quæ quum sequioribus elapsis sæculis Homines, tanquàm pro derelicto haberent, hinc fœda Barbaries inficetis sæculis oborta, & errorum veluti panspermia. Quamobrem doctissimi viri, ut tantæ fœditati obviam iretur, non renuerunt assiduos labores exantlare, inter quos *Miræus*, *Dacherius*, *Leibnitius*, *Ughellus*, *Martene*, *Rymer*, aliique, qui pro suo quisque ingenio omnibus prodesse conati sunt, & hanc

pro-

provinciam aggredi non renuerunt, estque in iis, cur ei posteritas omnes gratias agat, & porrò aget, dum aliquis honor erit litteris & bonis mentibus.

Multa profectò sunt, fatemur, amice Lector, quæ nobis vitio vertere possis, & primùm, quòd quædam Bullæ supersint adhuc, quas hoc in opere prætermisimus: at si penitiùs consideres, nihil est quod mireris; nam quùm tam vastum sit Litterarum Apostolicarum pelagus, & immane jam ad hæc usque tempora excreverit, haud tam facile foret eas in unum corpus congerere, quin magnam, immò ingentem compositura fuissent Bibliothecam. Secundùm, quòd nullis sint divisæ paragraphis, nullis auctæ notis marginalibus. At neque est heîc in scirpo, ut aiunt, quærendus nodus, neque enim adeò necessaria hæc sunt reputanda, tùm maximè quùm Index in Calce operis quascumque res veluti digito demonstret; atque ut plurimum, quod vide-sis, Ecclesiasticorum monumentorum collectores ea omnia susque deque habuerunt. At si quis hæc nobis objicere jure posse credat, nos tamen non planè lusisse operam existimabimus, si exemplo nostro veluti classico quodam, eruditos ad hæc expolienda, atque amplificanda, Juventutem ad hæc studia vehementiùs capessenda incitaverimus.

Sanè dignius erat notis historicis hasce paginas adornare, quod quidem quùm prolixiorem operam efflagitaret, ardua res erat, & impar viribus nostris: non enim perbreve tempus nobis concessum hoc permiserat. Quippè haud parum utilitatis huic operæ allaturæ erant, & perquàm maximè si præter historias partim quoquè jura gentium attigissent, & jura Ecclesiæ: habes nempè ob oculos quæ gesserant summi Romani Antistites, nedum quibus jura Ecclesiastica sarta-tecta servarent, sed & quibus longiùs Ecclesiæ dilatarent pomœria quâ spiritualia, quâ temporalia, quâ quidem in re, quantum & virium nostrarum modulus potuit, in hoc genere præstitimus.

Hæc ergò sunt, quæ Præfationis loco communicanda tecum, Lector humanissime, arbitrati sumus, ut aliquid de ratione laboris nostri tibi constaret. Tuum nunc est piis votis gnavisque studiis huic nostræ operæ favere, ac optimè de te mereri cupientibus (quod ita esse tu jam judicare poteris) optima quæque vicissim à Deo precari; quô abs te impetrato abundè magnam nobis gratiam profitemur. Fortunet Deus Opt. Max. Vota tua; Vale interim, ac fruere.

INDEX

QUINQUAGINTA QUATUOR ROMANORUM

PONTIFICUM,

Quorum Conſtitutiones juxta temporum ſeriem continentur in hac Continuatione, Parte Tertiâ.





INDEX

INDEX
INITIORUM OMNIUM, ET QUARUMCUMQUE CONSTITUTIONUM,

Quæ in hoc Opere continentur.

A

B

C

D

E

Etsi

Quæ

INDEX
INITIORUM QUARUMCUMQUE CONSTITUTIONUM AC RUBRICARUM PONTIFICUM;

Quæ in hoc Opere continentur.

3. Eccle.

URBANUS IV.

CLEMENS IV.

GREGORIUS X.

MARTINUS II. Dict. IV.

NICOLAUS IV.

CÆLESTINUS V.

BONIFACIUS VIII.

BENEDICTUS X.

CLEMENS V.

JOANNES XXI. DICTUS XXII.

BULLA-

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS NONUS,

SIVE

CONTINUATIO, PARS TERTIA.

HADRIANUS PRIMUS PONTIFEX XCVII.


ANNO DOMINI DCCLXXII.

ANNO 772. ANNO 844.

HADRIANUS PRIMUS, Romanus, qui diuturniorem ceteris Pontificibus tùm Prædecessoribus, tùm Successoribus Papatum tenuit, primus in Occidente Sacrarum Imaginum cultum firmavit Decreto, quô tempore & in Oriente Concilium Nicænum secundum contra Iconomachos Anno DCCLXXXVII. idem sanciverat. Primus item, quod traditur, Pontificias Literas cerâ pridem signari solitas plumbo muniri constituit. Parum abfuit quin annos Petri hic Pontifex attigisset, sedit quippe annis 23. mensibus 10. diebus 18. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 19. App.*)

Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 643.

Carolo Magno Musiva, & Marmora Palatii Ravennatis auferenda concedit: anno 782.



Potentiæ vestræ, per Aruinum Ducem, suscepimus apices: in quibus referebatur, quod Palatii Raventnatis Civitatis musivâ atque marmora, cæteraque exempla, tam in strato, quamque in parietibus sita, vobis tribueremus.

Nos quidem libenti animo & puro corde, cum nimio amore vestræ Excellentiæ tribuimus effectum: & tam marmora, quamque musivum, cæteraque exempla, de eodem Palatio vobis concedimus auferenda: quia per multa vestra laboriosa regalia certamina multis bonis fautoris vestri Beati Petri, Clavigeri regni cœlorum Ecclesia quotidie fruitur, quatenus merces vestra copiosa adscribatur in cœlo.

SERGIUS SECUNDUS, PONTIFEX CIV.

ANNO DOMINI DCCCXLIV.

Sergius hujus nominis secundus. Gregorio IV. successit, quem primum Pontificum fuisse, qui nomen mutarit, utpote qui priùs Petrus Buccaporcius diceretur ab aliquibus est proditum, quamvis alii nominis mutationem Adriano tertio adscribant. Trium annorum fuit Pontifex. Obiit anno 847. cui Leo IV. successit, qui prior, ut aliqui tradunt, Populo pedes præbuit deosculandos. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 19. App.*)

Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 647.

Excerptum ex Epistolâ *Sergii* ad Episcopos Transalpinos, quâ Drogonem Archi-Episcopum Metensem Caroli Magni Imperatoris Filium naturalem designat Vicarium sedis Apostolicæ in Gallia & Germania: an. 844.

FRATRES carissimi, quia Nos cunctarum sollicitudo angit Ecclesiarum, ubi ipsi esse non possumus, more præcedentium nostrorum, moderationis nostræ Vicarios damus. Ad nostræ igitur humilitatis vicem, cunctis provinciis trans Alpes constitutis DROGONEM Archiepiscopum Metensem, gloriosi quondam Caroli Imperatoris filium, cujus beatissimi moderatoris industria Romanorum Francorumque concorporavit Imperium, cautâ deliberatione constituimus: Ut quia Serenissimi atque piissimi filii nostri, magni Imperatoris *Hlotharii*, ejusque Fratrum dilectissimorum Filiorum nostrorum *Hludovvici* & *Caroli* Regum Avunculus est, insuper sanctitate doctrinâque conspicuus, ab hac sede sanctissima Apostolorum Principis auctoritate perceptâ, vestris necessitatibus vice nostrâ, idoneus ubique Minister existat. Et quia omnium vestrorum sollicitudinem illi gerere

ANNO 858.

rere præcepimus, omnium volumus obedientiam comitari.

DECET sanè, Fratres ut qui pro omnibus laborat, cunctorum subsidio fulciatur. Huic ergo in congregandis Genaralibus Synodis, in omnibus supra dictarum Regionum partibus, nostram commodamus auctoritatem: & quidquid Provinciali Synodo fuerit definitum, ad ejus absque dilatione statuimus notitiam perducendum.

SI cui autem ab illis partibus hanc sanctam sedem appellare opus fuerit, & in nostra audientia se audiri poposcerit, hunc commonemus, ut ad ejus primùm audientiam se submittat, & Ecclesiasticorum gestorum in sua Regione rationabili digestione prolatâ, si Episcoporum de eo, qui fortè criminibus impetitur, sententia discordaverit, ut ab aliis reus, innocens judicetur ab aliis; tunc ipsis gestis ad Nos delatis, Litteris etiam præfati Fratris nostri, cui vicem nostram concessimus, commendatus, sive ad Nos, sive ad Beatissimi Petri sedem securus accedat, nullaque eum in veniendo mora præpediat.

Quam etiam condicto Fratri nostro Drogoni Archiepiscopo in examinandis ac perquirendis Episcopis & Abbatibus sub hoc tenore hanc nostram licentiam & auctoritatem concessimus, salvo in omnibus hujus universalis Romanæ sedis Primatu, nostrique Præsulatûs honore, vigoreque & exaltatione carissimi ac spiritualis Filii nostri Domini Hlotharii magni Imperatoris.

NAM nobis valde placuit, propter diversas Ecclesiarum Dei perturbationes hoc necessarium satisque dignum opus explere.....

NICOLAUS PRIMUS MAGNUS PONTIFEX CVII.

ANNO DOMINI DCCCLVIII.

Nicolaus I. cognomento *Magnus* anno 858. sedem Pontificiam ascendit, Bulgarorum Apostolus nuncupatus, Regibus, ac Tyrannis fortiter imperavit, sub ipso Anastasius Bibliothecarius Romanorum Pontificum historiam consarcinavit Pontificiæque censuræ submisit. Mortuus est Pontificatus sui anno nono. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. I. fol. 20. App.*)

Decreta Synodalia Pontificis contrà Lutharium Regem, qui dimissa uxore legitima alteram duxerat, contrà Synodum Mettensem, contrà Episcopos aliosque Luthario adhærentes: anno 863.

NICOLAUS,

Servus Servorum Dei reverendissimis, & sanctissimis fratribus nostris Archiepiscopis in Regno Ludovici Regis Germani constitutis,

SCelus, quod Lutharius Rex, si tamen Rex veraciter dici possit qui nullo salubri regimine corporis appetitus refrenat, sed lubrica enervatione magis ipsius illicitis motibus cedit, in duabus feminis Teudberga scilicet, & Waldrada commisit, omnibus manifestum est. Sed & dudum Episcopos Theutgaudum, & Guntharium in tali facto eum habuisse tutores, atque fautores, penè totus nobis orbis undique ad limina, seu Sedem Apostolicam confluens referebat, absentibus quoque idipsum nostro scribentibus Apostolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quantò de Episcopis tale quid audire nullatenus sperabamus, donec ipsi Romam tempore concilii venientes, coram nobis, & Sanctâ Synodo tales inventi sunt, quales fuerant à multis sæpissimè prædicati, ita ut scriptura, quam suis stipulaverant manibus, quamque volebant ut nostro roboraremus chirographo, caperentur, & dùm muscipulam innocentibus opponere satagerent, insidiis suis illaqueati sunt ipsi, sicque completum est, Deo auctore; quod in proverbiis legitur: Frustra jactatur ante oculos recte pennatorum: si quidem ipsi obligati sunt, & ceciderunt. Nos verò, qui in flagitium falsò cecidisse dicebamur, favente Domino cum justitiæ propugnatoribus resurreximus, & erecti sumus. Igitur decernente nobiscum sancta Synodo in præsentiâ depositi, & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existant. Unde vestra fraternitas Canonum normam custodiens & decretorum sanctiones observans caveat, ne hos, quos nos abjecimus, recipere in Sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia, quam in prædictos Theutgaudum & Guntherium protulimus, cum cæteris Capitulis, quæ sancto Concilio nobiscum sanciente promulgavimus, inferiùs annexa monstrabitur.

De Mettensi Synodo abolenda.

CAP. I.

Synodum, quæ nuper, id est, sub piissimo Imperatore Ludovico per indictionem XI. mense Junio, in Metensium Urbe ab Episcopis, qui nostrum prævenerant judicium, collecta est, quique Apostolicæ sedis instituta temerè violaverunt, ex tunc, & nunc, & in æternum judicamus esse cassatam, & cum Ephesino Latrocinio repudiatam Apostolica auctoritate in perpetuum esse sancimus damnandam, nec vocari Synodum, sed tanquam adulteris faventem prostibulum appellari decernimus.

Depositio Theutgaudi & Guntharii Archiepiscoporum.

CAP. II.

Theutgaudum Treverensem Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Episcopos nunc coram nobis, & sancta Synodo, sub gestorum insinuatione qualiter causam Lotharii Regis, & duarum mulierum ejus Theutbergæ scilicet, & Waltdrudæ se recognoverint, & judicaverint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerentes, nihilque se plus, vel minus aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam, quam à sede Apostolica, in Ingiltrudem uxorem Bosonis sanctissimus Frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Tado, & cæteri Coëpiscopi nostri petierant emittendam, & nos divino succensi zelo sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè vivâ voce se violasse confitentes, in quibus omnibus invenimus eos Apostolicas, atque canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni judicamus Sacerdotii officio permanere penitus alienos, Spiritus sancti judicio, & Beati Petri per nos auctoritate

ANNO 863.

omni Episcopatus exutos regimine consistere definientes. Quod si juxtà præcedentem consuetudinem, tanquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed & communicantes eis omnes abjici de Ecclesia, & maximè si postea quam didicerint adversus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentaverint.

De cæteris Episcopis.

CAP. III.

Cæteri autem Episcopi, qui complices horum Theutgaudi scilicet, & Guntharii, vel sectatores esse feruntur, si cum his conjuncti seditionem, conjurationes, vel conspirationes fecerint, vel si à Capite, id est, à sede Beati Petri illis hærendo dissenserint, pari cum eis damnatione teneantur astricti. Quod si cum sede Apostolica, unde eos principium Episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cætero per semetipsos, vel missos ad nos Legatos cum scriptis suis professi extiterint, noverint sibi à nobis veniam non negandam, nec amissionem honorum suorum pro retrò actis præsumptionibus, aut subscriptionibus, quas pro insanis fecerunt gestis, per nos ullo modo formidandam.

De Engildruda.

CAP. IV.

Engildrudam filiam quondam Mactifredi Comitis, quæ Bosone proprio viro relicto, ecce jam per septem circiter annos hac, atque illac vagabunda nuper cum fautoribus suis regulariter anathematizavimus, sed propter contumaciam, iterato anathematis vinculis duximus innodandam. Sit igitur à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto uno, & vero Deo, ab omnibus sanctis Patribus, & ab universa sancta Dei catholica, & Apostolica Ecclesia, & à nobis penitus anathema cum omnibus complicibus communicatoribus, atque auxiliatoribus suis, ita ut, sicut jam decrevimus, si quis ei communicare, vel favere in aliquo præsumpserit, si quidem Clericus fuerit, in eodem vinculo constrictus, officium Clericatus amittat, Monachi verò, & Laïci si inobedientes decreto præsenti fuerint, similiter anathematizentur. Sanè si eadem mulier ad virum suum reversa fuerit, vel Apostolicam Beati Petri sedem Romam properans, veniam ei post dignam satisfactionem procul dubio non negabimus. Veruntamen sub priori vinculo anathematis, quo illam prius, & nunc obligavimus, interim constricta permaneat. Si quis autem eidem Engildrudæ Apostolicam Beati Petri sedem Romam specialiter properanti, vel occurrenti nescius commmunicaverit, aut sciens opem in veniendo præstiterit nullo pro hoc vinculo teneatur innexus.

De sententiis, atque interdictis sedis Apostolicæ.

CAP. V.

Si quis dogmata, mandata, interdicta, vel decreta pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione Fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à sedis Apostolicæ Præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.

Episcopi supra dicti postquam damnati sunt, hæc ad Pontificem rescripserunt.

NICOLAO Pontifici *Guntharius*, atque *Theutgaudus.*

Patres nostri, & Fratres Coëpiscopi ad te nos direxerunt, & nos spontè ivimus, consulere videlicet, expleta generali legatione tuum magisterium super his specialiter quæ pariter, prout nobis visum fuit, & adjicientibus notum esse potuit, judicavimus, auctoritates, rationesque, quas secuti fuimus scriptis ostendentes, ut tua sapientia perscrutatis omnibus, quid inde sentires, & quid velles, nobis paterno demonstrares affectu, nosque fraterna caritate procurares, & si meliùs illud tua sanctitas inveniret, ut nos instrueres, & doceres, suppliciter obsecravimus, parati, quicquid rectius, & probabilius esset, libenter amplecti.

Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis, nihilque doctrinæ nobis expressisti; tantùm quodam die in publico dixisti, nos excusabiles apparere, & innocentes juxta assertiones nostri libelli.

Ad ultimum autem nos evocati ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil adversitatis suspicantes, ibique obseratis ostiis, facta more latrocinali conspiratione, ex Clericis, & Laïcis turba collecta, & permixta, nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longa scilicet intercapedine à nostris, & Clericis, & Laïcis separatos, atque sine Synodo, & sine Canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nullaque disputationis discretione dirimente, vel auctoritatum probatione convincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis, & Diocesanis Coëpiscopis, & Confratribus nostris, extra omnium omnino consensum tuo solius arbitrio, & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subitò quâdam tibi cartula, & improvisè porrecta Lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim Presbytero, ambitus damnato, & deposito, & anathematizato, cujus scelerato magisterio tuus præcipitatur furor.

Ergo tuam pravam sententiam à zelo rectitudinis alienam, injustam, & irrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus, immò cum omni cœtu fraterno, quasi nefas, atque maledictum frustra prolatum contemnimus, atque abjicimus, tibique anathematorum, & religionis sacræ abjectorum, & contemptorum fautori, & communicatori revera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, teque ab ea elationis tumore indignum faciens segregas.

Igitur ex tua levitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis plagam inflixisti, exclamans, qui Apostolica præcepta non servat, anathema sit, quæ tu multipliciter violare, & violasse dignosceris, divinas leges simul, & sacros canones calcans, & quantum in te est, evacuans prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens. Nunc ergò qui fraudulentiam, & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumque potentatum agnoscimus, nil tibi tuæque superbiæ cedimus, quâ nos ad vota nostrorum, quibus faves, inimicorum obruere festinabas, sciesque nos non tuos esse, ut te jactas, & extollis Clericos, quos ut Fratres, & Coëpiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non inscii, nimium tua improbitate compulsi respondemus, non quasi ad illatam nobis contumeliam provocati, sed contra tuam iniquitatem Ecclesiastico zelo accensi, nec nostræ vilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis universitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

ANNO 939.

LEO SEPTIMUS,

PONTIFEX CXXIX.

ANNO DOMINI CMXXXV.

LEO septimus Romanus trium annorum spatio quô gubernavit Ecclesiam nihil de eô notatu dignum Historici referunt. Obiit anno 939. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I. 1727. fol. 21. App.*)

Ex Spic. Dacherii Tom. 3. pag. 373.

Ne Fœminæ ingrediantur Cœnobium S. Martini Turonensis, nisi orationis caussâ: an......

LEO EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, glorioso Principi Francorum filio nostro, Hugoni videlicet Abbati Beatissimi Martini, & perpetuis Successoribus in perpetuum.

COnditor universitatis, atque dispositor Christus Dominus per sacrosanctum suæ Incarnationis mysterium universalem Ecclesiam sibi copulare dignatus est, diversos verò sanctos in eadem Ecclesia quasi diversa in uno corpore membra disposuit, & unumquemque prout interno ejus consilio placuit in ipsius Ecclesiæ corpore, cujus ipse caput fieri dignatus est, mirabiliter ordinavit. Quosdam excellentiùs decorans, ut sicut membra in corpore quædam honestiora sunt, & suis officiis apta, ità, & in Ecclesia, vel excellentior, vel inferior quisque vices suas ipso auctore disponente convenienter expleat, ut scilicet juxta Apostolum stella differat à stella in claritate. At verò inter eos, quos divina dispensatio sublimiùs evexit, prædictus beatissimus Martinus Turonicæ sedis Archiepiscopus, non mediocriter effulget: Cujus videlicet gloriam universalis Christianitas attestatur, quæ illum divino instinctu quodam speciali affectu communiter amat, ità ut nusquam alio post sanctorum Apostolorum limina, de tam longinguis, ac diversis nationibus confluant Oratores, sicut faciunt ad ipsius venerabile sepulchrum. Nam, & ipse sacer locus, ubi quiescit in magna reverentia specialiter ab antiquis diebus, non solum apud vulgares, sed & apud excellentissimos Reges, ac Principes fuit, sicut nonnulli vestrum videndo sciunt. Ut enim audivimus nulli unquam fæminæ intra ambitum Monasterii etiam sub tempore Paganorum permittebatur accessus. Cum verò necesse fuit, ut propter illorum incursionem in civitate collocaretur, plangebant sui Cultores, quia non valebant eum sic in tanta reverentia, ut olim venerari, nec mulierum prohibere concursum, ob quod etiam juxta ejus Basilicam fundari murum studuistis, ut ita vel ab incendio defendi, vel in pristina honestate posset ipse locus haberi. Sed res in contrarium versa est, quia per occasionem Castelli mulieribus & impudens & libera conversatio est: Cum tamen hoc nil aliud facit, nisi longa negligentia, & tepor Servitorum ejussiquidem veniet dies Judicii, & unusquisque in suo ordine insurget, & manifestum erit, per quos Religio sit erecta, vel per quos neglecta. Dolendum nobis est tempora jam periculosa venisse, & sic apparet caritatem apud multos refrixisse, iniquitatem verò nimium superabundasse. Verùm quia S. Ecclesia Beato Petro Apostolorum Principi specialiter commissa est, & per eum successoribus ejus, necesse est, ut quisque nostrum, prout Deo largiente potuerit, ejusdem Ecclesiæ quousque indiget utilitatem per aliquam auctoritatem sustentet. Et idcircò videtur nobis, ut vestram negligentiam quæ est erga cultum illius loci sanctissimi per nostrum interdictum commoneamus.

Itaque in primis obsecramus in Domino, ut tu Abbas Excellentissimus Hugo, & ipsius Cænobii Præpositi, curam summopere adhibeatis, quatenùs per totum veteris muri ambitum usque ad viam, quæ juxta latus Basilicæ aquilonare vergit, nulla postquam hanc Epistolam videritis fæmina, licentiam habeat commorandi, sed nec intrandi quidem nisi solius causa orationis. Si quis verò de Ministris hoc Apostolicum interdictum neglexerit, aut aliqua fœmina intrare præsumpserit, tàm diù excommunicatus sit, quousque promissa emendatione absolvi mereatur. Sin autem quia per audaciam, & contemptionem ad hoc transgrediendum pertinax exstiterit, illum prorsus, vel illam excommunicamus. Observantibus hæc gratia & pax Christi per suos Apostolos, & Beati Martini preces multiplicetur. Scriptum per manum Theodori Notarii, & Scrinarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario, & Indictione undecima, Ludovico Francorum Rege.

ANNO 969.

JOANNES XIII.

PONTIFEX CXXXV.

ANNO DOMINI CMLXV.

JOannes Romanus, quum per Ottonem primum Imperatorem turbæ Romanæ essent sopitæ, lætitiâ repletus Ottonem juniorem Imperatoriâ coronâ decoravit, & Cohsortem ejus Theophaniam Imperatoris Græcorum filiam, tùm primò sacris ritibus Campanam consecravit, & Joannis nomine nuncupavit, hinc usus Campanas benedicendi, easque aliquo nomine indigitandi. Hic annis ferè septem Petri Cathedram tenuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 22. App.*)

Ex Annal. Trevir. Broweri & Masenii Tom. I. pag. 472.

Theodorico Trevirensi Archiepiscopo Romæ tùm degenti honores ac Privilegia auget, Galliæ, Germaniæque Primas constituitur: an. 969.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus universis Episcopis, ac totius Dignitatis, & Ordinis Catholicis Viris præsentibus scilicet & futuris perpetuam salutem.

QUia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente B. Petri Apostolorum Principis Sacratissimam sedem, universaleque in in toto orbe terrarum ministerium suscepimus; necesse est omnium Ecclesiarum, ut diligentissimam solicitudinem ita continenter habeamus, ne earum jura, auctoritate ejusdem Apostolorum Principis, cæterorumque successorum ejus vene-

rabilium

ANNO 969.

rabilium Patrum inviolabiliter statuta, & confirmata, nostro minuantur ac pereant tempore, sed potius corroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoque omnium vestrum nosse volumus sanctitatem & industriam, quod Theodorico dilectissimo fratre nostro Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo veniente Romam, oratum ad sanctorum Apostolorum limina, audivimus, sicut etiam pridem audiendo, immò & legando, compertum habuimus, eandem ipsam præ cæteris Galliarum Ecclesiis, Christianæ Religionis exordium, Catholicæque Fidei prima rudimenta percepisse, per sanctissimorum virorum Eucharii, Valerii, & Materni, & cæterorum Evangelicam doctrinam, quos tempore suo, prædictus beatissimus Petrus Apostolus ordinavit & instruxit, necnon illuc ad prædicandum direxit. Unde totius Ordinis nostræ sedis Apostolicæ consultu, gratuitoque assensu, jura privilegiorum, quæ à sancta Romana matre Ecclesia præfatis sanctis, eorumque reliquis Successoribus, id est, Agricio, Maximiano, Paulino, Severo almificis & Apostolicis Viris, à primordio hucusque autenticè concessa sunt; quæque etiam ipsius civitatis excidio, incendio, aliove casu consumpta probantur, eidem Trevirensi Ecclesiæ prædictoque fratri nostro Theodorico, & per eum cunctis ipsius successoribus, reconfirmare, recorroborare & omnimodo restituere dignum duximus; decernentes per hujus nostri Apostolici Privilegii validissimam constitutionem; ut quandocunque a nostra principali & Apostolica sede Episcopus Presbyter vel Diaconus, vel Subdiaconus, sive quilibet Ordinarius Legatus rei Ecclesiasticæ seu cogendæ Synodi causa, in Galliam Germaniamve destinatus fuerit, Trevirensis Præsul post quemlibet Ordinarium Legatum à S. primum inter alios Pontifices locum obtineat. Et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, similiter post Imperatorem sive Regem sedendi, sententiam edicendi, & Synodale judicium Canonice promulgandi primatum habeat; utpote in illis partibus Vicarius nostræ sedis Apostolicæ meritò constitutos. Neque enim dignum est ut illius Ecclesiæ Præsul aliquo tempore cæteris non habeatur Prælatus, cujus honor in illis partibus sub ipso Apostolorum Principe extitit primitivus. Pari quoque modo sancimus omnes in Parochiis ejus degentes, sive ordinationem & promotionem cujuslibet Ecclesiastici gradus, à Pontifice ipsius percipientes eidem ipsi matrici Ecclesiæ, Episcopoque illius debere Canonicè placere, obsequi, & Jure obedire. Siquidem decreto B. Clementis Papæ, super hoc ita cautum videtur: Si vobis Episcopis non obedierint omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, ac reliqui Clerici cuncti, omnesque Principes tam majoris ordinis quàm inferioris, atque reliqui populi tribus & linguæ non obtemperaverint, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt, dicente Domino: Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Inter hæc quoque omnia, quæ ad sæpe dictam Trevirensem Ecclesiam intra & extra civitatem pertinere videntur: Id est Ecclesias cum universis rebus sibi attinentibus, seu Monasteria tam Monachorum, quàm Virginum, quæ ex præceptis, sive scriptis Regum seu Imperatorum, sive eorundem fundatorum auctoritate, ad se pertinent, & pertinere debent & quidquid omnino illa ipsa Ecclesia ubique, & quoquo merito possidet, & possidere debet, generaliter & specialiter concedimus; reformamusque præfato Theodorico fratri & Coëpiscopo nostro suisque successoribus ad perpetuam sanctæ Trevirensis Ecclesiæ donationem atque ditionem, per hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem à præsenti XII. Indictione & usque ad finem sæculi valituram. Contra quam si quis quid quolibet modo agere præsumpserit, & quod justè & Canonicè à nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei Omnipotentis & prædicti beatissimi Apostolorum Principis omniumque sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum, & anathematizandum, & cum omnibus impiis æternis suppliciis deputandum. Qui verò hoc privilegium nostrum observare, custodire, adimplere fideliter studuerint, benedictionis gratiam & misericordiæ plenitudinem in cælestibus castris inter Electorum numerum efficaciter à Domino Deo consequi mereantur. Scriptum per manum Stephani Notarii & Regionarii & Scriniarii sanctæ sedis Apostolicæ in mense Januario & Indictione XII. Data XI. Calendas Februarii per manum Sicconis Episcopi sanctæ N. Ecclesiæ ad vicem Guidonis Episcopi & Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, Anno Deo propitio, Pontificatus Domini Joannis Pontificis & universalis XIII. Papæ in sacratissima sede D. Petri Apostoli IV. Imperii autem Domini Ottonis majoris VII. minoris verò II. & Indictione XII.

ANNO 974.

BENEDICTUS VII. DICT. VIII.

PONTIFEX C XLVIII.

ANNO DOMINI MXII.

Benedictus Romanus Comitis Tusculani Filius, à quo S. Stephanus Hungariæ Rex regium nomen, & Diadema obtinuit. Hac tempestate Corpus S. Bartholomæi Apostoli ex urbe Beneventanâ Romæ in Insulâ Tiberinâ collocatum fuit. Novem ferè annorum Pontifex ab anno scilicet 975. ad 984. quô obiit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. fol.* 23. *hujus Edit. Luxemb.* 1727. *App.*)

Theodorico Trevirensi Archiepiscopo, quò ei in posterum honestum Hospitium Romæ sisteret, Cellam quatuor Coronatorum ei, ejusque successoribus utendam perpetuum adscribit: anno 974.

Ex Annal. Trevirensi Brovveri & Masenii Tom. I. p. 476.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus, universis Episcopis, ac totius Dignitatis, & Ordinis Catholicis Viris, præsentibus scilicet & futuris, perpetuam salutem.

Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratia disponente B. Petri Apostolorum Principis sacratissimam sedem, pastoraleque in curam Domini gregis ministerium suscepimus, juxta Apostolicam doctrinam, sicut malis terrori ne desideria pravitatis suæ perficiant, nos oportet existere, ita sanctæ Dei universalis Ecclesiæ filios, in Religionis piæque devotionis profectu, paternæ gratiæ benedictione fovere; maximeque eos, qui in Sanctam Romanam Ecclesiam, beatumque Petrum Apostolorum Principem cæteris devotiores probantur: quatenus eis, pia sui devotio, & in præsenti benignitatis conferat consolationem, & in futuro æternam, ipso intercedente remunerationem. Unde omnium, tam præsentium quàm futurorum sanctitatem & industriam nosse volumus, de Sancta fratris nostri

Theodorici,

ANNO 974.

Theodorici, Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Primatisque, nostra prædecessorumque nostrorum, ab exordio Christianitatis per Beatum Petrum constitutione, totius Galliæ, & Germaniæ in eundem Apostolorum Principem devotione qui in sua Sede, Ecclesiam Christi gloriosus gubernando multa Monasteriorum, quæ usque in sua tempora manserunt deserta, restaurando beatorum Apostolorum limina cæteris sæpiùs nullo longioris viæ periculo seu labore territus, liberalissimè visitando, nobis usque eo complacuit, ut eidem Theodorico & ipsius Ecclesiæ possidenda in perpetuum aliqua, conferre justum duceremus, quatenus ut præfati sumus, pro tanta sui devotione, à nobis gratiam, & benedictionem in præsenti, & in futuro à Deo beatisque Apostolis, centuplicatam in Cœlestibus reciperet gloriam. Quia propter omnium tam præsentium quàm futurorum notum fieri volumus industriæ, nos cum auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, gratuitoque Sacerdotum Clericorum totiusque Romanæ Plebis assensu, eidem Sanctæ Trevirensi Ecclesiæ, cellam quatuor Coronatorum condonasse in perpetuum possidendam cum omnibus appenditiis suis, aquis scilicet aquarumque decursibus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis, & incultis, curtilibus & mansis. Quæ omnia eidem fratri nostro Theodorico Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo Vicarioque nostro carissimo, in partibus totius Galliæ & Germaniæ, ac per eum, cunctis successoribus in perpetuum possidenda, tenenda, ac ordinanda per hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem tribuimus, quæcumque eadem cella ex diversis fidelium donationibus autenticè secundum Legem Romanam possidet, vel jure possidere debet, data videlicet, & usque in finem seculi quoquo pacto danda, seu per violentiam inimicorum eidem cellæ ablata, seu per incuriam commorantium in eadem cella ablata, ex integro, & ad integrum eidem Fratri nostro Theodorico Trevirensis Sanctæ Ecclesiæ Archiepiscopo dignissimoque nostro Vicario in partibus totius Galliæ & Germaniæ Universisque successoribus suis per eum à præsenti die, Indictioneque tertia, Beati Petri Apostolorum Principis nostraque permittimus autoritate. Contra quam, si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, & quod justè, ac Canonicè à nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei Omnipotentis, & prædicti beatissimi Apostolorum Principis, omniumque Sanctorum, ac deinde nostra auctoritate damnandum; anathematizamus, & cum omnibus impiis æterno supplicio deputandum. Qui verò hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere, fideliter studuerit, benedictionis gratiam, & misericordiæ plenitudinem in Cœlestibus Castris, inter electorum numerum efficaciter à Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii & Scriniarii Sanctæ Sedis Apostolicæ mense Januario, Indictione III. Data XV. Calendas Februarii per manum Vidonis Episcopi & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ. Anno Deo propitio. Pontificatus Domini nostri Benedicti Sanctissimi VII. Papæ primo. Imperante domino piissimo Imperatore Augusto Ottone, à Deo coronato, magno anno VIII. Indictione tertia.

ANNO 1054.

LEO NONUS
PONTIFEX CLIV.
ANNO DOMINI MXLIX.

LEO priùs Bruno dictus, Romæ, Remis Moguntiæ Synodos celebravit, contra Clericorum Simoniam, Conjugia, & Concubinatus. Concilium Romæ contrà Berengarium celebravit. Errores Græcorum condemnavit, anno 1053. Legatis Constantinopolim missis. Obiit an. 1054. sepultus in Vaticano; at quod scribit Burius in ejus vitâ *ad ipsius tumulum in Vaticano coruscare miracula* fateor ego ut qui Romæ continuò degam, neque ulla unquàm vidisse, neque alios narrantes audivisse triginta ab hinc annis. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 24. App.*)

Confirmat Privilegia Ecclesiæ Coloniensis, & Hermanno Archiepiscopo, ejusque successoribus concedit titulum Cancellarii S. R. Ecclesiæ, & Cardinalis S. Johannis ad Portam Latinam, in Ecclesiæ verò Coloniensi creat septem Presbyteros Cardinales, totidemque Diaconos, ac Subdiaconos: anno 1054. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1131.

LEO EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Hermanno S. Coloniensis Ecclesiæ Venerabili Archiepiscopo, suisque Successoribus, illuc canonicè intrantibus, salutem in perpetuum.

GRatias agimus Deo, & Domino nostro Jesu Christo, qui nullis nos præcedentibus meritis ad Apostolicæ dignitatis culmen fecit ascendere, & sollicitudinem omnium Ecclesiarum gerere, earumque rectoribus pietatis assensum præbere.

Quia postulasti à Romana Sede confirmari privilegia, quæ ab Antecessoribus nostris sunt tuæ Ecclesiæ concessa, visum nobis fuit honestum, & Ecclesiæ necessarium petitioni tuæ consentire.

Præsertim cum Ecclesia hæc sub nomine Principis Apostolorum Beatissimi Petri sit consecrata, sicut mater sua, cui præsidemus divina clementia, ut quæ matrem imitatur, ex nomine filia, imitetur etiam aliquantisper in dignitate Ecclesiæ, protegaturque sub alis defensionis suæ. Nos igitur tua, sicut & omnium Christi fidelium devotione incitati, nostra & Apostolica auctoritate confirmamus tibi omnia, quemadmodum in privilegiis Patrum nostrorum Apostolicorum virorum sunt scripta: Crucem videlicet, & Pallium suo tempore, suoque loco ferendum, insigne quoque sustivi equi, quem haccum vocant nostri Romani.

Confirmamus quoque tibi per hanc præceptionis nostræ paginam Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cancellaturam, & Ecclesiam S. Joh. Evangelistæ ante Portam Latinam, ut te Petrus Cancellarium habeat, Johannis hospitium præbeat.

Concedimus etiam, atque perpetuò largimur, ut majus altare Ecclesiæ suæ Matris Virginis honori dedicatum, & aliud ibidem Apostolorum Principi B. Petro addictum, veneranter ministrando procurent septem idonei Cardinales Presbyteri Dalmaticis induti, quibus etiam cum totidem Diaconibus, ac Subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis,

ut

ANNO 1061.

ut sandaliis utantur, concedimus, & constituimus.

Postea auctoritatem, & honorem, quem Ecclesia hactenùs habuit tam inter alios, quàm à suis, confirmamus Clypeo Apostolicæ protectionis, ut si quando Synodus infra tuam Diœcesin, aut præsente hujus primæ Sedis Archiepiscopo, aut Legato ab ejus latere directo fuerit aggregata, priorem quidem locum, post ipsum Rector ejus obtineat, in proferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat ita tamen, ut sicut est prior in hac probabili dignitate, ità etiam polleat prior morum probitate, vitæ honestate, ut cujus enunciaverit verba, ejus incitetur exemplo.

Regiam consecrationem infra limites suæ Diœcesis faciendam, potestatis Apostolicæ munimine ei corroboramus. Habendam electionem quoque Archiepiscopi secundum Auctoritatem Canonicam, filiis Ecclesiæ sancimus per hanc præceptionis nostræ paginam.

Bona autem quæ usque modo tenuit, vel in æternum cum justitia acquirere poterit, hoc Apostolico munimine laudamus, & corroboramus, videlicet Monasteria, & Ecclesias Coloniæ positas, Monasterium Sancti Heriberti cum omnibus suis pertinentiis, Ecclesiam Sanctæ Mariæ infra Urbem, Ecclesiam Sancti Gerdonis cum omnibus suis pertinentiis. Cætera verò sacra loca, & infra urbem, & circa confirmamus Tibi auctoritate Apostolica: Monetas vobis, teloneum, & omne Jus Civile sub potestate Archipræsulis.

Abbatias autem per diversa loca, villas, vicos, & castella in omnibus suis pertinentiis, servis, ancillis, terris cultis, & incultis, aquis, pratis, campis, sylvis, Forestis.

Præterea corroboramus Ecclesiæ Prædia, quæ ipse dedisti, videlicet Monasterium Brauwellare, & Castrum nomine Zoneburg cum omnibus suis pertinentiis, ita sicut neminem Co-Archiepiscoporum Tibi subjicimus, ita sub nullo Primate te agi decrevimus, salva nobis in te, sicuti in cæteris Archiepiscopis, quæ jure debentur Apostolicæ subjectionis auctoritate.

Statuentes Apostolica censura, ut nullus Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, & prætereà nullus Archiepiscopus, Episcopus, Præpositus, vel aliqua magna, parvaque persona cujuslibet ordinis, & dignitatis contra hanc nostræ præceptionis, & confirmationis paginam audeat præsentare.

Si quis, quod non optamus, temerario ausu contra hujus Apostolicæ nostræ auctoritatis scriptum piè a nobis pervulgatum tentaverit, anathematis vinculis innodatus à Regno Dei sit alienus donec resipiscat. Qui verò pio intuitu cultor, & observator extiterit, benedictionis gratiam, & cœlestis regni gaudia à misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Data nonis Maji per manus Friderici Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, atque Cancellarii, vice Domini Hermanni, Archi-Cancellarii, & Colon. Archiepiscopi.

Anno Domini millesimo quinquagesimo secundo. Leonis IX. Papæ IV. Indictione quinta.

ALEXANDER SECUNDUS PONTIFEX CLVIII.

ANNO DOMINI MLXI.

Alexander Secundus, antea dictus Anselmus, ex Episcopatu Lucensi, ad Pontificiam evectus sedem anno 1061. quo tempore Schisma in Ecclesia, quippe Cadolus Episcopus Parmensis Henrici Imperat. ope Alexandro se opposuit, inde Bellum obortum. Verum Imperatoris Consilio coactâ Matue Synodo, Cadolo exauctorato Schisma sedatum fuit. Obiit Pontifex anno 12. Pontificatus. (*Magni Bullarii Romani Tom.* I. *hujus Edit. Luxemb.* 1727. *App. fol.* 25.)

ANNO 1061.

Confirmat Harlebecani Collegii Canonicorum Institutionem.

Ex Codice Donationum Piarum *Auberti Miræi*

ALEXANDER EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei*;

Erleboldo *Præposito Herlebecensis Canonicæ S. Salvatoris, sitæ in Episcopatu Noviomensi cunctisque suis successoribus regulariter promovendis in perpetuum.*

Quandoquidem divinæ providentiæ dispensatione universalis administrationis curam suscepimus, ex debito nostri Officii cogimur cunctis Ecclesiis per Orbem terrarum latè diffusis providere & utilitatibus earum ac saluti animarum, quæ in eis sunt, solerti studio invigilare, præsertim his locis, quæ pia religione pollere noscuntur, & nostro munimine specialiter quodammodo se tueri humili placere deposcunt, qui in eis habitat domino servientium chorus quatenus à turbine Sæcularium adversitatum nostra protectione defensi liberius vota sua continuata Domino reddere, & eodem quo cæperunt sancto proposito usque in finem securi perseverare prævaleant.

§. 1. Quare cum interventu præclaræ Comitissæ Adelæ tum tuis devotis precibus flexi, dilecte fili, te ac prænominatam Canonicam, cum omnibus sibi pertinentibus sub tutela Apostolicæ defensionis suscipimus & confirmamus jam dictæ Venerabili Canonicæ quidquid hactenus habuit tam largitione piissimorum Principum quàm oblatione quorumcumque fidelium juxta nobilissimi præceptum Regis Francorum Philippi & præceptum Balduini Noviomensis Episcopi vel deinceps habitura est tam in terris quàm in vineis, & villis & Ecclesiis majoribus, & minoribus omnibusque rebus mobilibus, & immobilibus, ita ut non liceat cuiquam Ecclesiasticarum vel Sæcularium magnæ parvæque personæ prænominatam Canonicam de suis omnibus inquietare, vel quid ab eis jure in alienum transferre, salva in omnibus proprii Episcopi reverentia.

§. 2. De ordinando verò Præposito in eodem loco, hoc Apostolica auctoritate sancimus, ut nullus ibi præsumat quemquam præponere contra Canonicam regulam, sed defuncto Præposito uno congregatio eligat vel de eadem congregatione, si ibi idoneus inventus fuerit, vel de alia, quem potiorem vitæ meritum commendaverit juxta canonicam regulam.

§. 3. Si quis verò hujus nostræ sanctionis privilegium spiritu superbiæ ductus contraierit, & illud in totum partemve infregit nisi admonitus digna satisfactione quod in Venerabilem Locum deliquerat, emendaverit, noverit se Apostolici anathematis vinculo innodandum.

§. 4. At verò qui pio intuitu custos & observator extiterit perpetuæ benedictionis abundantia repleatur.

Datum Laterani quinto Kal. Februarii per manus Petri Clerici fungentis vice Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarii: Anno verò ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo, Pontificatus autem Domini Alexandri Papæ II. Octavo, Indictione VIII.

URBANUS SECUNDUS PONTIFEX CLXI.

ANNO DOMINI MLXXXVIII.

URbanus hujus nominis secundus Gallus anteà dictus *Odo* Victorem III. excepit an. 1088. tempore Schismatis, cui Gilbertus pseudo-Pontifex ansam præbuit, à cujus factione Urbe pulsus in Galliam se recepit, ibique varia celebravit Concilia: Claromente imprimis ad recuperandam Terram sanctam, indè in Italiam reversus obiit Romæ An. 1099. (*Magn. Bullarii Romani Tom. I. hujus Editioni. Luxemb.* 1727. *fol.* 29.)

I. Ex Ughellio Tom. 2. pag. 1047. Editum D. Anno 1091.

Diploma Urbani quo confirmat Largitiones & Donationes quascunque factas à Rogerio Calabriæ Comite & Siciliæ, Ambrosio Abbati Liparitano, scilicet ipsam Insulam Liparensem, Monasterium & omnia bona eidem pertinentia.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Ambrosio Abbati Liparitano ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

CUm universæ Insulæ secundum instituta regulæ juris sint, constat profecto quia Religiosi Imperatoris Constantini privilegio in Jus proprium B. Petro, ejusque successoribus Occidentales omnes Insulæ condonatæ sunt, maximè quæ circa Italiæ oram habentur, quorum multæ peccatis exigentibus accolarum à Saracenis captæ Christiani nominis gloriam amiserunt. Inter quas Liparis B. Bartholomæi Apostoli corpore quondam insignita, Eremi instar redacta cognoscitur, quam multis annorum curriculis evolutis cum Saracenorum vires divinæ misericordiæ potentia repressisset, religiosi fratres divinæ servitutis studio eamdem ingressi Insulam monasteria illi, domicilia construere curaverunt, & plurimos in eandem Insulam colonos sua industria constituerunt.

§. 1. Nos itaque quibus ex divinæ arbitrio voluntatis per Apostolicæ sedis culmen cunctarum solicitudo imminet Ecclesiarum, licet in eadem Insula Episcopatum quondam fuisse in sanctæ Gregorianæ paginæ registris agnoscamus, quia tamen Episcopi dignitatem nunc ipsius loci exiguitas, & accolarum raritas non meretur, Monasterium tamen illi haberi, & totius Insulæ ambitum possidere præsentis paginæ auctoritate sancimus.

§. 2. Ipsum etiam monasterium, cui fraternitas tunc auctore Domino præsidet, in Beati Bartholomæi honore, & nomine consecratum, in sanctæ Romanæ, & Apostolicæ sedis favendum speciali protectione suscipimus.

§. 3. Per præsentem igitur nostri Privilegij paginam Apostolica auctoritate statuimus, ut quæcunque hodiè idem cænobium justè possidet, sive in posterum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium justè, atque canonicè poterit adipisci firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant.

§. 4. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cænobium temere perturbare, aut ei subditas possessiones auferre, vel oblatas retinere, vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Obeunte te nunc ejusdem Loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi favore, vel fratrum pars consilii sanioris eligeretur, electus autem ad Rom. Pon. consecrandus accedat.

§. 5. Vos itaque filii in Christo dilecti oportet regularis disciplinæ institutioni ferventer insistere, & divinæ Legis præcepta studiosius observare; ut quanto à secularibus tumultibus liberiores estis, tanto solertius placere Deo totis mentis, & animæ viribus anheletis. Ad judicium autem perceptæ à Romana Ecclesia libertatis unam auri unciam per annos singulos Lateranensi palatio persolvatis.

§. 6. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus, Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, aut Vicecomes, aut Judex, aut persona quælibet, magna vel parva, potens vel impotens, huius nostri privilegii paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, eum honoris sui, & Officii periculo subjacere decernimus, & à Christi, atque Ecclesiæ corpore auctoritate Apostolica segregamus.

§. 7. Conservantibus autem pax à Deo, & misericordia præsentibus, & futuris seculis conservetur. Amen. Amen. Amen.

Datum Militi per manus Johannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diac. Card. 3. Nonas Junii Indictionis 18. Incarnationis Domini 1091. Pontificatus verò D. Urbani secundi an. 4.

II. Ex Labbe T. 10. pag. 463.

Constitutio ad Raynaldum Archiepiscopum Remensem, & suffraganeos ejus contra Polygamos eosve qui ferarum ritu promiscua haberent connubia.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Confratribus & Coepiscopis Raynaldo Remensi, *& suffraganeis ejus, salutem & Apostolicam benedictionem.*

SI sacerdotale quod geritis Officium consideratione debita pensaretis tanti facinoris infamia ad aures nostras saltem impunita non pervenisset.

§. 1. Cum enim domui Israel speculatores à Deo dati impiis impietates suas annunciare, & pro domo Israel murum opponere deberetis, qualibet ratione vos pati potuisse miramur, ut tam inclyti regni rex humani pudoris oblitus, divini timoris immemor contra jus, contra fas, contra Legum & canonum sanctiones, contra totius catholicæ Ecclesiæ consuetudines, & suam uxorem inordinatè relinqueret, & propinqui sui conjugem amore sibi nefario copularet. Quod factum utique & regni totius confusionem, & Ecclesiarum vestrarum dissipationem portendit, & ad animam vestram redundat infamia. Peccanti enim, cum impedire possis, non contradicere, consentire est.

§. 2. Te autem, carissime confrater Raynaldo

Arguit im-

primis Raynaldum pro eo quod Episcopus Sylvanectensis sibi subjectus benedictionis sacerdotalis manum ipsis imposuit.

naldo, noxa hæc maxime impetit, pro eo quod Sylvanectensis subjectus tibi Episcopus, hoc publici adulterii crimen, suo, ut audivimus, firmavit assensu cum mæchis illis benedictionis sacerdotalis manum imposuit. Quod & si licitè nuberent bigamis tamen impendi secundum canones non liceret:

Hortatur Episcopos ut à tanto facinore Regem desistere compellant.

§. 3. Nunc igitur vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut his visis apicibus, quod etiam non jubentibus nobis jamdudum fecisse vestram prudentiam decuisset, maturè convenire curetis regem, & ex Dei & nostra pariter & vestrâ parte instanter commoneatis, arguatis, obsecretis, increpetis, & à tanto, tamque horrendo facinore desistere compellatis.

Et pro ereptione Carnotensis Episcopi instantiam adhibeant.

§. 4. Quod si contempserit, & nobis, & vobis necessitas imminebit, ut ad ulciscendas divinæ legis injurias pro nostri officii debito accingamur, & Phinees gladio Madianitas adulteras perforemus.

§. 5. Eandem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis Episcopi adhibete.

Excommunicationi subjicit Castella & terram ejus qui eum retinuerit.

§. 6. Quod si monitis vestris, qui eum cæpit, obtemperare contempserit, vos & ipsum excommunicationi subjicite, & Castellis in quibuscumque eum retinuerit, & terræ ejus divinum Officium interdicite, ne similia deinceps in viris hujus ordinis præsumantur.

§. 7. Ut ordinem vestrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis satagetis. Valete.

Data sexto Kalendas Novembris.

Data sexto Kalendas novembris, anno videlicet Dei Christi MXCII.

III. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 443. Edita An. Dom. 1096.

Constitutio ad Richerium Senonensem, & cæteros Francorum Episcopos, quâ Regem excommunicatum absolvi vetat eosque ad Synodum Arelatensem invitat.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

AUditum est apud nos quosdam confratres nostros in tantam audaciam prorupisse, ut afferant se nequaquam à regis societate abstenturos, imò etiam Regem ipsum ab excommunicationis vinculo soluturos, quamquam fœminam illam, pro quâ per nos excommunicatus fuerat, non dereliquit:

Sanctis Patrum institutionibus à quolibet justè excommunicatum Episcopo, alii absolvere ipsi quidem Metropolitani prohibentur.

§. 1. Sed qui hoc loquuntur, aut profecto scripturas nesciunt, aut pertinaciter excedere nequaquam pertimescunt. Sanctorum quippe canonum sanxit auctoritas, & ea passim Ecclesiæ consuetudo servat, ut à quolibet justè excommunicatum Episcopo alius absolvere non præsumatur. Ipsa etiam suffraganeorum ligamenta Metropolitani, qui videlicet eorum majores sunt sanctorum Patrum institutionibus prohibentur absoluere.

Neminem ignorare putat quod sola, non Synodo præcedente, sedes Apostolica valeat suo statui restituere quos Synodus iniquè damnaverit, ipsius verò nemini liceat retrahere judicia.

§. 2. Quod si à quibuscumque id servatur Episcopis, videant venerabiles fratres nostri, quemadmodum Apostolicæ sedis valeant acta dissolvere, cum profecto luce jam clarius constet Apostolicæ sedis Pontifici non solum Episcopos, & Primates, sed ipsos etiam Patriarchas, divina institutione subjectos cum noverint ab omnibus ad ipsum, ab ipso autem ad neminem appellandum, cum sciant ei soli fas esse de omni Ecclesia judicandi, ipsum verò nullorum subjacere judicio. Nec eos illud credimus ignorare, quod sola, nulla Synodo præcedente, sedes Apostolica valeat suo statui restituere quos Synodus iniquè damnaverit, ipsius vero nemini liceat retrahere judicia.

Levit. 13.

§. 3. Certè cum de leprarum, id est de criminum varietatibus ad Moysen Dominus loqueretur, *Considerabit*, inquit, *leprosum Sacerdos, & immundum judicabit*; ac deinde subjungit: *Et clausus tenebitur ad arbitrium Sacerdotis.* Videtis ergo quia ad illius Sacerdotis arbitrium clausus teneri præcipitur; cujus arbitrio judicatus est immundus. Quomodo itaque ad aperiendum manum porrigent, ad quem claudendum os aperire non ausi sunt. Cum quatriduanum Lazarum Dominus suscitasset non leggitur ad absolvendum eum circumstantius aliquis se injecisse; dum ipsius Salvatoris præcepto jam viventem, jam stantem, discipuli absolverunt; ut profectò secuturis daretur exemplum, quia etiam pænitens quis solvendus non est nisi per illius arbitrium; cujus voce, vel gemitu à sepulcro criminosus edicitur. Sed neque illud venerabilibus fratribus arbitramur ignotum; quia Deus superbis resistit; propè est autem obtritis cordę. *Super quem enim respiciam; ait Dominus, nisi super humilem & quietum & trementem verba mea.* Viderint ergo quo pacto peccatorem conentur absolvere, præter illius vel præsentiam, vel præceptum, cujus est Judicio in generali Synodo compeditus. Nobis sanè, & omnibus qui Turonis nobiscum Deo propitiante convenerunt, liquido paruit, & legis, & Evangelii & sanctorum Canonum documentis, nullam solvendi quem nos ligavimus fraternitati vestræ supperere potestatem.

Exemplis sacris sententiam confirmat.

Isai. 66.

Francorum Regem donec Deo in se & sanctæ Romanæ Ecclesiæ satisfaciat, Episcopos alios ve ei communicantes excommunicatos asserit.

§. 4. Unde & Filium nostrum Francorum Regem, donec Deo in nobis & sanctæ Romanæ Ecclesiæ satisfaciat, excommunicatum asserimus, & tam Episcopos, quam alios quoslibet ei pertinaciter communicantes esse sancimus, & privilegium potestatis emittere, si quis in ejus absolutione inconcessa abuti præsumpserit potestate.

Universos Galliæ Episcopos ad Concilium Arelatensem invitat.

§. 5. De cœtero universos vos Arelatem in octavis Apostolorum Petri & Pauli ad Concilium omni seposita occasione invitamus.

IV. Ex Labbe Tom. 10 Concil. pag. 444. Edita An. Dom. 1096. Hanc descripserat P. Jacobus Sirmondus ex Codice Atrebatensi.

Constitutio ad Guichardum Episcopum Constantiensem quâ excommunicationem in Henricum Regem & Ravennatem Hæresiarcham à Gregorio VII. latam confirmat, & in eorum sectarios, indè quæ agenda in Clericos ab Episcopis excommunicatis ordinatos constituit.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Guichardo Constantiensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Guichardo opem pollicetur.

QUia te speciale post Deum mantuum nostrarum opus esse perpendimus, & quia specialem in te Religionis gratiam esse cognoscimus, idcirco te specialiter adiuvare, tuisque necessitatibus specialiter subvenire Domino annuente satagimus.

Propter quæstiones in partibus Guichardi agitatas, excommunicationis Prædecessoris Gregoriam sententiam confirmatum est.

§. 1. Questiones autem quas tuis literis significasti vestris in partibus agitari apud nos satis frequenter noveris commoveri. Fratrum itaque nostrorum communicato consilio diuque excommunicationis questione tractata sancti prædecessoris nostri Gregorii sententiam confirmantes ita eam Deo inspirante determinavimus.

Ravennatem Hæresiarcham cum Henrico Rege excommunicat.

§. 2. Primo siquidem gradu Ravennatem Hæresiarcham Romanæ Ecclesiæ invasorem cum Henrico Rege ejusdem perversitatis Capite, ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ membris alienum & excommunicatum esse censemus.

Eorumque fautores.

§. 3. Secundo eos qui armis, pecunia, concilio aut obedientia Ecclesiasticos maxime honores ab eis aut eorum fautoribus acccipiendo eorum nequitiæ adminiculum subministrant.

Eis verò communicantes non excommunicat, & in suam communionem nequaquam sine pænitentiæ ultione recipit.

§. 4. Hos igitur principaliter anathematis vinculis adstringentes, in tertio gradu communicantes eis nos quidem non excommunicamus. Sed quia ipsi se eorum communione commaculant, in nostram eos societatem nequaquam sine pænitentiæ ultione & absolutione recipimus. Sanctis quippe canonibus cautum constat, ut qui excommunicatis communicaverit excommunicetur.

Quicumque ignorantia, timore, negotii-ve necessitate se convictû, salutatione, oratione osculo-ve contaminaverit cum minoris pœnitentiæ medicina, societatis participio admittitur.

§. 5. Ipsius tamen pænitentiæ atque absolutionis modos ea moderatione discrevimus, ut quicumque seu ignorantia, seu timore, seu necessitate negocii cujusque maximi, & maximè necessarii eorum se convictû; salutatione, oratione, osculove contaminaverit, cum minoris pœnitentiæ absolutionisque medicina societatis nostræ participium sortiatur.

Eos qui spontaneè aut negligenter inciderunt sub disciplinæ cohercione sucipi jubet, ut cæteris metus incutiatur.

§. 6. Eos verò qui aut spontaneè aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ cohercione suscipi, ut cæteris metus incutiatur cujus disciplinæ moderamina, quod ad tuam curam spectat nos tuæ providentiæ prout oportere videris pro temporis & personarum competentia servanda committimus.

Clericos ab excommunicatis Episcopis ordinatos religiosè viventes in ordinibus quos acceperunt manere permittit.

§. 7. Porrò de clericis qui ab excommunicatis sunt Episcopis ordinati, necdum quidem sententiam ferimus quia generalis mali contagium generalis Synodi est cauterio comburendum, tuæ tamen fraternitati hoc respondemus ad præsens, ut ab excommunicatis quondam tamen catholicis Episcopis ordinatos, si quidem non simoniacè ordines ipsos acceperint, & si Episcopos ipsos non simoniacos esse constiterit, ad hoc si Religiosior eorum vita, & doctrinæ prærogativa visa fuerit promereri, pænitentia indicta quam congruam duxeris, in ipsis, quos acceperint ordinibus manere permittas.

Ad superioresque ordines ascendere non concedit, sine urgente necessitate.

§. 8. Ad superiores autem ascendere non concedimus nisi necessitas, & utilitas maxima flagitaverit, & ipsorum sancta conversatio promeruerit, & hoc tamen ipsum rarius cum cautela est præcipua concedendum.

Presbyteros Diaconos ac Subdiaconos in crimine lapsos, canonum censuræ submittit.

§. 9. De presbyteris, diaconis ac subdiaconis, qui post acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint sive palam sive clam constat quidem canonum censura ab Ecclesiasticis eos officiis inhiberi.

Guichardi providentiæ committit utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerunt aspersi in suis gradibus recuperari debeant, salva communi auctoritate patrumque decretis.

§. 10. Tuæ tamen providentiæ discretionique committimus utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ notis non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente in suis gradibus recuperari debeant.

§. 11. Hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum Imperium, ut vestra major vestris in partibus contra hæreticos habeatur auctoritas.

§. 12. Salva tamen auctoritate communi, & sanctorum patrum decretalibus institutis.

Quæ in Lege morte multantur occupatos criminibus ab omni altaris ministerio sequestrat.

§. 13. Si quem verò quod absit aut, acceptum aut ante acceptum officium contigerit peremptorio quolibet eorum quæ in Lege morte multantur, sive clam sive palam occupatum crimine inveniri, eos maximè qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos altaris ministerio sequestramus.

Post pænitudinem nulli unquã laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores ordines promoveri.

§. 14. Sicut enim pænitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pænitudinem, ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci, vel Clerico ad altiores ordines promoveri, quia quamvis sint omnis peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

In Clerum & Populum (præter Monachos) in Insulam Augiam habitantem omnem concedit Episcopalis regiminis potestatem salva eorum privilegii autoritate.

§. 15. Sanè Insulam Augiam sub Jure ditionis B. Petri ac Romanæ Ecclesiæ constat specialiter contineri. Sed quia eorum privilegium, quod à Romana Ecclesia obtinent, non satis meminimus causam facilé determinare non possumus. Salva tamen ejusdem privilegii auctoritate, tibi singulariter in Clerum & Populum illic habitantem (præter monachos) omnem concedimus Episcopalis regiminis potestatem.

In eodem cœnobio Abbatem regulariter præstitui imperat.

§. 16. Cæterum ut in eodem cœnobio abbatem catholicum regulariter vice nostra præstituere studeas tuæ obedientiæ imperamus.

§. 17. Nec solum in eo, sed ut in S. Galli cœnobio, & in cæteris si quæ sunt propriis Abbatibus destituta, nostra fretus auctoritate cum consilio quorum interesse cognoveris abbates eligere, atque electos consecrare procura.

Idem etiam de Augustinensi & Curiensi Episcopatu aliisque vicinis regionibus studendum injungit.

§. 18. Idem etiam tibi studendum de Augustinensi & Curiensi Episcopatu injungimus, nec non & de cæteris ad quæ Pataviensis Episcopus advocari vel adesse nequiverit, & ipsi enim quemadmodum & tibi Saxonæ Alemanniæ, ac cæterorum quæ propè sunt regionum vice nostra procurationem injunximus, ut ordinationes improbandas improbetis, roborandas roboretis, & quicquid Ecclesiastici negotii disponendum fuerit communicato religiosorum virorum consilio disponatis, quo ad usque privatiorem annuente domino Legatum sedis Apostolicæ suscipere valeatis.

Hortatio Pastoralis.

§. 19. Vos quia Dei zelo fervetis & scientia præcellitis atque doctrina, omni cura atque sollicitudine utilitatibus Ecclesiasticis insudate. Scientes quoniam, & nos in hoc tempore vestris libentissimè utilitatibus annuemus, & operam dabimus. Laboribus autem Romanæ Ecclesiæ communicare, opis nostræ auxilio sublevare nullo modo pigri sitis.

Benedictio Apostolica.

§. 20. Benedictionum suarum vos omnipotens Deus ubertate perfundat, incolumem custodiat & ad vitam perducat æternam.

Data Romæ. XIV. Kal. Maij.

Data Romæ 14. Kal. Maij.

V.

Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 436. Edita An. Dom. 1097.

Constitutio ad Canonicos Sancti Martini Ecclesiæ Turonensis contrà simoniacos ne præbendæ vel alia beneficia in posterum vendantur emantur. Posteà ejusdem Ecclesiæ jura ac Privilegia quæquæ confirmat.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Deo gratias agit quod Beati Martini tumulum visitaverit.

Bonorum omnium Largitori Deo gratias agimus, qui devotionem nostram ad Beati Martini tumulum visitandum sua miseratione perduxit.

In Ecclesia Beati Martini religiosos viros ad præmonitionem suam decernit præmittendos.

§. 1. Quia verò in ejusdem Beati confessoris Ecclesia consuetudo pravitatis ejusmodi inoleverat, ut honores seu præbendæ omnes precio acquirerentur nos locum sanctum emundare ab hac peste execrabili cupientes, religiosos viros ad præmonitionem nostram decrevimus præmittendos.

§. 2. Qui-

Canonicos gaudet in suæ manu firmasse nihil honorum ac præbendarum venditUros aut empturos nec ut vendantur aut emantur aliquando consensuros, nullumque in canonicorum numerum admittendos nisi eandem sponsionem jurejurando firmaverit.

§. 2. Quibus estis fideliter domino inspirante, polliciti, & præceptis nostris omnimodis obedire, & simoniacæ pravitatis inquinamenta deserere.

§. 3. Quod & præsentibus nobis per Dei gratiam perfecistis, in nostram tanquam beati Petri manu firmantes, nihil vos ulterius honorum, nihil præbendarum vendituros aut empturos, nec ut vendantur, aut emantur aliquando consensuros. Adjicientes etiam nullum deinceps in canonicorum numerum admittendum, nisi eamdem sponsionem jurejurando firmaverit.

Hujus-ce Constitutionis violatores anathematis mucrone confodit.

§. 4. Quæ videlicet universa nos sanctorum Apostolorum auctoritate firmavimus, & violatores omnes anathematis, mucrone confodimus. Et præteritorum igitur gratiæ respondentes; & futurorum spem longè meliorem gerentes; secundum prædecessorum nostrorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum privilegia, vos in spirituales filios Apostolicæ sedis assumpsimus, & eadem auctoritate statuimus, nullum Pontificum, nullum Regum, nullum cujusque dignitatis aut ordinis præter præpositos, in vestra Ecclesia, vel ejus pertinentiis potestatem aut dominium exercere ut Romanæ Ecclesiæ præcepta servantes Romanæ Ecclesiæ libertate perpetua gaudeatis, salvo nimirum jure seu consuetudine quam hactenus erga vos Turonensis noscitur Archiepiscopus habuisse.

Canonicos in spirituales filios Apostolicæ sedis assumit & ab aliena cujuscumque authoritate solvit, salvo tamen jure Turonensis Archiepiscopi.

Possessiones confirmat.

§. 5. Quæcumque igitur venerabilis illa beati Martini Ecclesia legitimo jure, vel Pontificum collatione, vel Regum, & Principum liberalitate, vel fidelium oblatione possidet, seu in futurum præstante domino justè poterit, & Canonicè adipisci, firma vobis semper, & illibata permaneant.

Qualemcunque sæculari potestate constringi vetat, nec teloneum aut naulum exigi permittit.

§. 6. Nullus in villis, aut mansionibus, sive territoriis, sive Ecclesiis aut pagis ad vestram Ecclesiam pertinentibus, invitis vobis judicia agere, ingenuos servosve sæculari potestate constringere, nec teloneum aut naulum præsumat exigere.

Decimas in pauperum usus omninò proficeri jubet.

§. 7. Possessionum verò vestrarum decimæ seu nonæ in pauperum usus omninò proficiant: Episcopus autem, in cujus diæcesi eædem Possessiones sunt, ordinandorum Clericorum tantum curam gerat nihil de cætero gravaminis Clericis inferat, nec Ecclesiarum altaria, vel alia bona per regum præcepta vobis antiquitùs data, & Pontificum Romanorum privilegiis confirmata, vel aliis dare, vel venalitate distrahere, vel modo quolibet alienare præsumat.

Ecclesiæ altaria aliaque bona venalitate distrahi vel modo quolibet alienari vetat.

Eorumlibertates, immunitates que confirmat eosque Romano specialiter adhærere Pontifici & graviores eorum causas ex ejus pendere judicio decernit.

§. 8. Quidquid præterea libertatis, quidquid immunitatis vel prædecessores nostri Romani Pontifices, vel Turonenses Archiepiscopi, vel Gallicanarum Ecclesiarum apud Tussiacum in Tullensi parochia generalis Synodus congregata pro beati Apostolici Confessoris Martini reverentia vestræ Ecclesiæ vestrisque prædecessoribus contulerunt, nos præsentis decreti pagina confirmamus, & quia in quibusdam vestræ Ecclesiæ privilegiis proprium vobis habere Episcopum concessum est, nos ejus vice Romano vos sancimus specialiter adhærere Pontifici, & graviores vestri causas ex ejus pendere judicio.

Pœna contraventium.

§. 9. Si quis sanè in crastinum Archiepiscopus, aut Episcopus, Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, aut Ecclesiastica quælibet secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, rerumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat:

Pax & benedictio fautoribus.

§. 10. Cunctis autem eidem Ecclesiæ juxta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtorum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen, Amen, Amen.

Data quarto Kalendas, Aprilis Pontificatus anno IX.

§. 11. Datum Pictavis pex manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis quarto Kalendas Aprilis, indictione quarta, anno dominicæ incarnationis MXCVII. Pontificatus autem domini Urbani secundi Papæ nono.

VI. Ex Labbe Tom. 10 p. 437. & Leibnitio Tom. I. Cod. Diplom. prodrom. p. 1.

Diploma ad Rogerium Siciliæ Comitem; vi cujus Siciliæ Reges in suo Regno intendunt repræsentare speciatim Pontificem Romanum.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, carissimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ Salutem & Apostolicam benedictionem.

Rogerium in specialem atque universalis Ecclesiæ filium charissimum assumit.

QUia prudentiam tuam supernæ Majestatis dignatio multis triumphis, & honoribus exaltavit, & probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimùm dilatavit, & sanctæ sedi Apostolicæ devotam se multimodis semper exhibuit, nos in specialem atque carissimum filium ejusdem universalis Ecclesiæ te assumpsimus.

Nullum vitæ suæ tempore vel filii simonis vel alterius legitimi hæredis, in Terra potestatis, præter voluntatem aut consilium Romanæ Ecclesiæ Legatum mittendum statuit.

§. 1. Idcirco de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita literarum auctoritate firmamus; quod omni vitæ tuæ tempore, vel filii tui Simonis, vel alterius qui legitimus hæres extiterit, nullum in Terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimo quæ per Legatum acturi sumus, vel vestram industriam Legati vice cohiberi volumus. Quando ad vos ex Latere nostro mitteremus ad salutem sanctarum Ecclesiarum quæ sub vestra potestate consistunt ad honorem beati Petri sanctæque ejus Apostolicæ sedis; cui devotè hactenus obedisti, quamque in necessitatibus suis strenuè fideliter adjuvisti.

Si celebratur Concilium quos voluerint terræ suæ Episcopos & Abbates mittant.

§. 2. Si verò celebratur Concilium, & tibi mandavero; quatenùs Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas; quos & quos volueris mittes alios verò ad servitium Ecclesiarum tuarum retineas.

Pax & Benedictio Apostolica.

§. 3. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te à peccatis absolutum in vitam æternam perducat.

Datum Salerni 3. nonas Julii anno Pontificatus IX.

§. 4. Datum Salerni per manus Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi tertio nonas Julii indictionis septimæ, anno Pontificatus nostri undecimo.

VII. Ex Synodo Salernit. Marci Antonii Marsilii Columna pag. 375. Editum An. Dom. 1099.

Diploma quo conlatum Archiepiscopo Salernitano privilegium continetur videlicet, ut Primatum super Consanam & Acheruntinam Archiepiscopales sedes, earumque suffraganeos gerat.

URBANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Fratri Alfonso Salernitano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum.

Exordium.

SIngulare semper sedis Apostolicæ privilegium claruit subiectas sibi per orbem terrarum ec-

Gratulatur Alfonso de eo quod Salernitanam Ecclesiam Beati Matthæi gloriosorumque Fortunati Gaji & Anthes corporibus honoraverit Gregoriique septimi Papæ tam exilio quam tamulo illustraverit. Eandem Ecclesiam laudat quod gloriosissimorum Roberti & filii ejus Rogerii pietate nonnumquam Pontificum ipsius & Urbani requies & portus fuerit.

clesias, & auctoritate disponere, & benignitate clementiùs confovere: Quibus autem supernæ majestatis dignatio gratiæ suæ pleniorem contulit largitatem, ipsa etiam consuevit excellentiorem contribuere dignitatem. Undè non immerito æstimamus Salernitanam amplioribus nostræ benignitatis muneribus honorandam, quam Omnipotens Dominus eximia suæ donationis prærogativa per misericordiam gratuitam sublimavit. Ex novissimis nag. Terrarum finibus Beati Matthæi Apostoli, & Evangelistæ corpus ad hanc deferri, apud hanc haberi clementissima suæ dispositionis dignatione permisit. Cujus scilicet Apostoli quanta sit in Deo, & Ecclesia gloriæ excellentia collatorum divinitus munerum gratia cumulata demonstrat. Hic enim primus inter cæteros Evangelii seriem scribere inspiratione divina exorsus est. Hic in divini seminis fructu trium ordinum coronam centesimam singulariter reportavit, ut simul Apostolus, Evangelista, & Martyr existeret. Adjecit ad hæc Omnipotens Dominus, ut eandem Ecclesiam gloriosorum Martyrum, Fortunati, Gaii & Anthes, triumphis simul, & corporibus honoraret. Apposuit etiam tertii muneris claritatem, ut eam nostris temporibus Gregorii Apostolicæ memoriæ septimi Papæ tam exilio, quam tumulo illustraret. Cujus quam egregia vita, quam præclara doctrina, quam miranda constantia fuerit Romana Ecclesia prædicat Occidens universus agnoscit, Tyrannorum pertinacia tolerata, & conculcata, testatur. Nec illud tanquam ingrati præterimus quod inter multimodas sedis Apostolicæ persecutiones quas nostris temporibus pertulit Ecclesia eadem gloriosissimorum Ducum Roberti, & filii ejus Rogerii devotione, ac studio filiorum sedis Apostolicæ nonnunquam etiam nostri ipsius requies & portus fuit.

Alfonso, suisque successoribus super Consanam & Acherontinam Ecclesias, & earum suffraganeos primatum gerere ex Apostolicæ sedis liberalite concedit.

§. 1. Cum igitur per omnipotentis Dei gratiam sedis Apostolicæ, licet indigni, moderamina teneamus tantis divinæ gratiæ beneficiis & vestræ devotionis Officiis per sententiæ Romanæ Ecclesiæ liberalitatem concurrendum, ac respondendum arbitrati sumus ob reverentiam siquidem sanctæ, & gloriosæ, semperque Virginis Dei genitricis Mariæ, & Beati Apostoli, Evangelistæ, ac Martyris Matthæi, ob devotionem Reverentissimi Patris, ac prædecessoris nostri Gregorii. Ob petitionem nihilominus tam tuam quam Carissimi filii nostri Ducis Rogerii, qui semper Apostolicæ sedi fideliter obsecutus est, veterum etiam Ecclesiæ vestræ privilegiorum rationibus informati; Tibi deinceps, tuisque successoribus super Consanam, & Acherontinam Ecclesias, & earum suffraganeos primatum gerere ex Apostolicæ sedis liberalitate concedimus.

§. 2. Has nimirùm Ecclesias sive Civitates Ecclesiæ vestræ privilegia continent, tanquam vestræ Metropoli olim ex Apostolicæ sedis concessione subjectas. Verum, & ipsæ quâ nescimus ratione, & pallei dignitatem, & privilegiorum auctoritatem præteritis temporibus à sede Apostolica meruerint.

Sed ut prædecessorum statuta inconvulsa, & intemerata maneant, eis propriæ dignitatis gratiam conservat, ut Archiepiscopali nomine ac honore potiantur, Salernitanæ verò Ecclesiæ privilegiorum integritatem hoc ordine restituit.

§. 3. Verum quia prædecessorum nostrorum statuta inconvulsà, & intemerata manere cupimus, eis quidem propriæ dignitatis gratiam conservamus, ut Archiepiscopali honore, ac nomine potiantur. Vestræ vero Ecclesiæ suorum privilegiorum integritatem hoc ordine restituimus.

§. 4. Quidquid igitur reverentiæ quidquid subjectionis primatibus persolvendum sacrorum canonum decreta constituunt, tibi deinceps, tuisque legitimis successoribus à Consano, & Acherontino Archiepiscopo persolvatur.

In supradictis Metropolitanis Urbibus cum suo aut successorum consilio Archiepiscopi in posterum eligentur. Ipsi verò ad successorum primàtis electionem advocari debent & ab eis obedientia promittenda est & exhibenda.

§. 5. Quin etiam ex abundantia gratiæ plenioris adjicimus, ut etiam præsente Romanæ Legato Ecclesiæ in supradictis duabus Metropolitanis urbibus cum tuo semper, aut successorum tuorum consilio Archiepiscopi eligantur. Cum vestris etiam litteris aut nuntiis consecrandi ad sedem Apostolicam dirigantur. Et item ipsi ad successorum tuorum electionem nihilominus advocentur. Post consecrationem verò, vel palleum ab Apostolica sede perceptum, tibi tuisque successoribus tanquam primati obedientiam promittant, & exhibeant.

§. 6. Salva in omnibus secundum canonicas Sanctiones Romanæ auctoritate Ecclesiæ; ipsarum etiam urbium privelegiis robur proprium obtinentibus.

Hortat.o Pastoralis.

§. 7. Oportet igitur & vos propensiorem deinceps Apostolicæ Sedi devotionem, & obedientiam exhibere, ejus in omnibus decreta efficacius observare, ut quanto per eam altius supra cæteros sublimamini tanto in humilius, & cordis affectione, & operis exhibitione subjiciamini. Vitam etiam vestram, & mores sollicitiori expedit custodia moderari, ut qui aliorum judices eligimini, vos-met-ipsos prius secundum Apostoli sententiam districtius judicetis. Mandatum Domini sine macula & irreprehensibile conservate, ut cum apparuerit princeps pastorum percipiatis immarcessibilem gloriæ coronam. Fraternitatem vestram superna dignatio per tempora multa conservare dignetur incolumem.

Pœna contraventium.

§. 8. Si quis autem hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque in extremo examine districtæ, ultioni subjaceat.

Pax & benedictio fautoribus.

§. 9. Conservantibus autem hæc pax Domini nostri Jesu Christi, & misericordia conservetur, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Datum Salerni 13 Kal. lendas Augusti Anno Pontificatus XI.

Datum Salerni manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis XIII. Kal. Augusti indic. vi. incar. Dominicæ anno M.XC. VIIII. Pontificatus autem Domini Urbani Secundi P. P. XI.

PASCHALIS SECUNDUS
PONT. CLXII.
ANNO DOMINI MXCIX. 1099.

PAschalis in Tuscia, Patre Crescentio Alsatia Matre natus antea Rainerius invitus est Pontificatum adeptus anno D. MXCIX. idibus Augusti. Henrico IV. & V. Impp., sedit in Pontificatû annos duodeviginti, menses quinque, dies quatuor. Initiò Pontificatus sui Obiit Romæ Guibertus pseudo-Pontifex cui nomen Clemens III. qui Ravennæ sepultus tandem Concilii Moguntini decreto exhumatum indè Cadaver combustum fuit, Lege Lata ut Episcopi qui Henricianas partes propugnassent sedibus deponerentur si viverent, si verò mortui propriis extracti sepulcris comburerentur. Verùm diù non stetit quominùs alia pseudo-Pontificùm capita subindè orirentur quippè Albertus Atellanus,

Theo-

Theodoricus Romanus, & Silvester quartus seditiosi homines contra electum Pontificem recalcitrarunt, & suam quisque agebat causam Obijt Paschalis XV. Kal. Februarii anni MCXVIII. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. Append. fol.* 30.)

I. Ex Labbe T. I. Concil. pag. 622. Edita An. Do. 1100.

Gratulatur Paschalis exercitui in Palestina militanti ob obtentam victoriam, & ad prosequendum cœpta adhortatur.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, sive filiis Episcopis, Clericis, Proceribus, militibus & omni populo militiæ Christianæ in Asia triumphantis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

QUod per prophetam populo suo Dominus pollicetur, impletum in vobis cognoscimus. Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo cum eis, quia per fidem in vestris pectoribus habitat, & per operationem ita inambulat, ut patenter in vobis inimicos suos expugnasse videatur. Renovavit enim Dominus antiqua miracula, ut in uno mille, & in duobus decem millia persequeretur, & his Ecclesiæ armis, sacerdotalium precum tubis, inimicarum urbium mœnia aperiret.

Gaudet exercitum Omnipotentis dignatione sacrosancti Lateris sanguine cruentam lanceam & vivificæ Crucis partem ipsorum manibus tractandas obtulisse, eique ob obtentas victorias gratulatur.

§. 1. Illud vero quanti gaudii, quam potentis miraculi æstimatis, quod sacrosancti Lateris sanguine cruentam Lanceam, & vivificæ crucis partem vestris oculis revelavit, vestris tractandam manibus obtulit; Quantas super his redemptori nostro gratias debeamus, nec humanus animus opinatur, nec lingua prævalet enarrare. Videmus enim Christianæ fidei hostes, Christiani populi oppressores, per divinam misericordiam manu vestra partim contritos, partim e diù possessis regionibus effugatos videmus Orientalem Ecclesiam, post longa captivitatis tempora, magna ex parte ad antiquam libertatis gloriam rediisse. Dicendum igitur ore; dicendum corde: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Orationi etiam, & vigiliis insistendum; ut quod cæpit adimpleat & manus vestras, quas hostium suorum sanguine consecravit, immaculatas usque ad finem, affluentes firma pietate, custodiat. Quapropter agite, filii in Christo desideratissimi rememoramini, quanta pro amore Domini reliqueritis, quanta pro fratrum salute & ereptione pericula subieritis: patriam, domos, parentes posthabuistis, vosmet ipsos exilio addixistis, morti opposuistis: curate nunc ad meliora semper tendere: pacem cum omnibus conservare, ut possitis ad æternam pacem, Domini misericordia pervenire.

Hortatio Pastoralis.

Plurima significare supersedet quoniam Mauritium Portuensem Episcopum ad eum missurus est.

§. 2. Plurima vobis significare per chartam & atramentum supersedemus, quoniam ex Apostolicæ sedis gremio carissimum fratrem Mauritium Portuensem Episcopum destinamus: ut qui per beati Petri Vicarium, sanctæ in Christo memoriæ prædecessorem nostrum Urbanum, tanti peregrinationem itineris assumpsistis, beati Petri solatiis semper abundetis, & quem fundamentum tanti operis habuistis, ipsum quoque ad finem caput in fide & obedientia teneatis. Vices etiam nostras eidem fratri Mauritio & Episcopo commisimus, ut cum in omnibus reverenter excipere, audire, & per ipsum nobis immò beato Petro, obsequi debeatis. Cui nimirum in præceptis dedimus, ut Ecclesiæ quam per vos Dominus liberavit, seu liberaturus est, ordinationi vigilanter immineat; si quæ minus canonicis regulis apta repererit, corrigat; & in eisdem cum vestro auxilio plantanda plantet, ædificanda ædificet.

Hortantes præcipit ut ei in omnibus obedire curent.

§. 3. Hortamur itaque, hortantesque: præcipimus, ut ei tanquam personam nostram præferenti, in omnibus obedire curetis.

Pax & benedictio Apostolica.

§. 4. Omnipotens Dominus & velle & posse in vobis tribuat, ut quæ eo autore facienda cognoscitis, ipso adjuvante impleatis. Ipse vos ab omnibus peccatis absoluat, & exilio vestro patriam æternam tribuat.

§. 5. Datum Romæ quarto Nonas Maij, Indictionis octavæ per manum Joannis Diaconi.

II. Ex Labbe T. 10. Concil. pag. 660. Edita A. D. 1100.

Confirmatio electionis Norigaudi Episcopi Augustodunensis, ejusque Ecclesiæ jurium.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Fratri Norigaudo Eduensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

QUum divini dispensatione judicis ad hujus officii gradum licet indigni, promoti simus, ut Apostolorum principis vices in Ecclesiæ regimine teneamus: elaborandum nobis est, & annitendum omnino, ut in constituendis Ecclesiasticis negotiis, ejus monita, & institutiones devotione fidelissima, & fide devotissima æmulemur, cujus fides præcipua, & dilectio spectata domino extitit adeo, ut in ejus singulariter fidei stabilitate immobili pretioso sanguine redemptam suam Dei filius statuere, & confirmare voluerit Ecclesiam dicens. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Cui etiam tantam potestatis prærogativam concessit, ut ejus arbitrio in cælo, & in terra vel liganda ligarentur, vel solvenda solverentur. Quam potestatis suæ successionem ipse beato Clementi, & per eum omnibus concessit, qui ejus sedi justè præsidere, & Ecclesiam Dei canonica studuerint ordinatione disponere.

Omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam pertinere videntur Norigaudo omnibusque canonicè successuris confirmat.

§. 1. Cujus non fidei auctoritate muniti, tibi, dilecte frater Norigaude, omnibusque tibi canonicè successuris, confirmamus omnia quæ ad Eduensem Ecclesiam in qua te Canonicè credimus ordinatum pertinere videntur: tam in Ecclesiis, parochiis, cimiteriis, presbyteriis, cunctisque Ecclesiasticis ordinibus, quam etiam prædiis aliisque omnibus possessionibus, mobilibus, & immobilibus, quæ acquisita sunt, vel justè acquiri poterunt. Ut hæc omnia tibi, tuisque successoribus, ita liberè possidere liceat, sicut antecessor tuus in uno die ante suum obitum quiete & justè possidisse probatur.

Res quas à die ordinationis presbyter conquirere potest in Ecclesia in qua est ordinatus auferri vel minui prohibendum statuit.

§. 2. Illud autem Apostolica autoritate statuimus ut nulli presbytero, vel viventi, vel morienti, seu ad aliam religionem, vel ad quietam vitam transeunti, liceat, res quas à die ordinationis suæ in Ecclesia in qua est ordinatus, conquirere poterit, auferre, vel minuere sed intactata ea & illibata in ipsa in qua conquisita sunt permittat Ecclesia remanere.

A Pontifice excommunicatos in communionem recipi vetat.

§. 3. Illos etiam qui à nobis excommunicati vel ab officiis divinis pro suis fuerint excessibus remoti, ne aliquis in communionem recipere vel in Officium præsumat restituire, eadem auctoritate prohibemus.

§. 4. Sta-

Pro sepulturæ loco nullum penitus ab aliquo pretium exigendum statuit.

§. 4. Statuimus quoque ut pro sepulturæ quidem loco, vel spatio, nullum penitus ab aliquo pretium exigatur: pro redemptione vero peccatorum, morientes, in Ecclesia, in qua fidei sacramenta acceperint, eleemosynam dare secundum Apostolica decreta statuimus omnino, & confirmamus.

Si quis ad aliam Ecclesiam se conferre voluerit de eo quod pro salute dare dispofuerit partem Ecclesiæ matrici relinquat.

§. 5. Si quis autem ad aliam vivens sive moriens se conferre voluerit, de eo quod pro salute animæ suæ dare dispofuerit, secundum Apostolica decreta matrici Ecclesiæ partem relinquat.

Sanctio poenalis.

§. 6. Si quæ sane Ecclesiastica sæcularisve persona contra hanc nostræ constitutionis paginam præsumptuose venire tentaverit, hujusmodi ut sacrilegii reum à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ arcendum judicamus & confirmamus.

Pax & benedictio observantibus.

§. 7. Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud bonorum retributorem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Scriptum per manum Joannis Scriniarii sacri Lateranensis Palatii.

Ego Paschalis Episcopus Catholicæ Ecclesiæ subscripsi. Et ego.

Data Laterani 18. Kal. Maij Anno Pontificatus. 1.

§. 8. Datum Laterani per manum Leonis scriptoris XVIII. Kal: Maii, indictione VIII. Anno dominicæ incarnationis MC. Pontificatus autem domini Paschalis secundi Papæ primo.

III. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 644. Edita An. Dom. 1104.

De reformandis moribus Compostellanæ Ecclesiæ deformibus, qui per bella in eam irrepserant.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Didaco Compostellano Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Hortatur Didacum ut in Ecclesia tales Diaconos Presbiteros-ve constituat qui dignè commissa sibi onera sustinere valeant.

Ecclesia quam regendam, disponente domino, suscepisti, jamdiu, etiam cum pastorem habere videretur pastoris solatiis caret. Idcirco strenuitati tuæ vigilantius insistendum est, ut in ea ritè omnia juxta normam sedis Apostolicæ disponantur. Cardinales in Ecclesia tua Presbyteros seu Diaconos tales constitue, qui dignè valeant commissa sibi Ecclesiastici regiminis onera sustinere. Porro quæ Presbyterorum intersunt, presbyteris; quæ Diaconorum diaconibus committantur; ut in aliena dispendia nullus obrepat.

Filios ex presbyteris ante legis susceptionem natos neque à dignitate Ecclesiastica neque à Sæculari repellit.

§. 1. Si qui sanè ante Romanæ Legis susceptionem secundum communem patriæ consuetudinem conjugia contraxerunt, natos ex eis filios neque à Sæculari neque à dignitate Ecclesiastica repellimus. Illud omnino incongruum est, quod per regionem vestram monachos cum sanctimonialibus habitare audimus, ad quod resecandum experientia tua immineat: ut & qui impræsentiarum simul sunt divisis longè habitaculis separentur, prout arbitrio & religiosorum virorum consilio melius visum fuerit; neque imposterum consuetudo hujusmodi præsumatur.

eos qui impræsentiarum simul sunt divisis longè habitaculis separari jubet.

Data Laterani Anno Pontificatus IV.

§. 2. Datum Laterani incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo tertio, nostri Pontificatus quarto.

IV. Ex Labbe T. 10 Conc. p. 658. Edita An. D. 1104.

Mandat Archiepiscopis & Episcopis Provinciarum Remensis, Senonensis ac Turonensis, ut Philippum Regem ejusque pellicem à vinculo excommunicationis absolvant; mox sequitur ejusdem Regis juramentum.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, per Remensem, Senonensem ac Turonensem Provincias, salutem & Apostolicam benedictionem.

Francorum Regem ejusque pellicem mutuum contubernium colloquiumque abjuraturos exultat.

Significatum nobis est quorumdam vestrum Litteris, qui filius noster Francorum Rex feminam illam pro quâ totiens commonitus, immo excommunicatus fuit, juxta præceptum nostrum abjurare decreverit: ipsa etiam mulier regem abjurare parata sit: super quarum conversione personarum non minimum exultavimus quia super uno peccatore pænitentiam agente, gaudium esse Angelis Dei ipso Domino testante didicimus.

Lamberto Atrebatensi Episcopo supradictisque Archiepiscopis eos excommunicationis vinculo absolvendi causam committit.

§. 1. Quam nimirum causam fratri nostro Richardo Albanensi Episcopo reminiscimini à nobis fuisse commissam. Si ergo idem frater, Franciæ jam fines egressus est, non eamdem causam, aspirante Domino una vobiscum peragendam venerabili Fratri Lamberto Atrebatensi Episcopo committimus. Convenientibus itaque nobis in unum, si communis filius Francorum Rex, & illa ejus Lateralis tactis Sacrosanctis Evangeliis omnem carnalis copulæ consuetudinem abjuraverint, mutuum quoque colloquium, & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, numquam videlicet ad idem flagitium redituri, sicut quorundam vestrum litteris significatum est: satisfactionem eorum vice nostra vobiscum Atrebatensis Episcopus suscipiat, & à vinculo excommunicationis absolvat quatinus Largiente Domino, & filium Ecclesia, & Regem sibi Francia reconciliatum Episcopali Ministerio gratuletur.

Data Laterani tertio Nonas Octobris.

Data Laterani per manum Joannis, III. Nonas Octobris

JURAMENTUM PHILIPPI REGIS FRANCORUM. Audias, tu Lamberte Atrebatensis Episcope, qui hic Apostolica vice fungeris: audiant Archiepiscopi, & præsentes Episcopi, quod ego Philippus Rex Francorum, peccatum, & consuetudinem carnalis & illicitæ copulæ quam hactenus cum Bertrada exercui, ulterius non exercebo sed peccatum istud & flagitium penitus, & sine omni retractatione abjuro. Cum eadem quoque femina mutuum colloquium & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, non habebo. Hæc omnia sicut Litteræ Papæ dicunt, & vos intelligitis, sine omni malo ingenio observabo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sacrosancta Jesu Christi Evangilia.

Similiter & BERTRADA cum excommunicationis vinculo solveretur, tactis sacrosanctis Evangeliis in persona sua hoc idem juravit sacramentum. Actum Parisiis in præsentia domini Daimberti Senonensis, & Radulfi Turonensis, Archiepiscoporum; domini quoque Tuonis Carnotensis Episcopi. Humbaldi Autisiodorensis Episcopi, Joannis Aurelianensis Episcopi, Gualonis Parisiensis Episcopi, Manasse Meldensis Episcopi, Baldrici Noviomensis Episcopi,

Lamberti Atrebatensis Episcopi, Humberti Silvanectensis Episcopi; Abbatum quoque, Adæ Parisiensis, Olrici similiter Parisiensis, Rainaldi de Prato sancti Germani Parisiensis, Rainoldi nihilominus Stampensis, Archidiaconorum etiam qaamplurimum, & honorabilium Clericorum, & Laicorum, non parva multitudine inibi consistentium. Talitar itaque ex Apostolicæ sedis auctoritate reincorporatus est Philippus Rex Francorum Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ matri suæ IV. Nonas Decembris indictione XIII. Anno autem Dei Christi MCIV. Pontificante vero in sede Romana Paschalis Papa II. anno sexto.

V. Ex Marcâ Hisp. Petri de Marcâ Col. 1243. Edita An. Dom. 1115.

Berengardo Gerundensis Episcopo privilegia quæque confirmat.

PASCHALIS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Berengario Gerundensi Episcopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perperpetuum.

Exordium.

SIcut injusta poscentibus nullus tribuendus est effectus sic legitima desiderantium non est differenda petitio.

Privilegia possessiones que confirmat.

§. 1. Tuis itaque, frater in Christo carissime Berengari, precibus annuentes, ad perpetuam sanctæ Gerundensis Ecclesiæ pacem ac stabilitatem præsentis decreti auctoritate sancimus ut universi parrochiæ tuæ fines, sicut à tuis antecessoribus usque hodie possessi sunt, ita omnino integri tam tibi quam tuis successoribus in perpetuum conserventur qui videlicet fines à meridie Barchinonensis, ab oriente Ausonensis, ab Aquilone Urgellensis & Helenensis parrochiæ limites tangunt, ab occidente in mare pertingunt. Confirmamus etiam eidem Gerundensi Ecclesiæ universa quæ ad eam in præsenti indictione VIII. videntur legitimè pertinere, & quæcunque in futurum justè atque canonicè poterit adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerarijs vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur tam tuis quam Clericorum, & pauperum usibus profutura.

Perturbari vexationibusque fatigari vetat.

§. 2. Illud autem omnino interdicimus, ne liceat ejusdem Ecclesiæ Clericis præbendas aut possessiones ejusdem Ecclesiæ retinere, & suis usibus vendicare postquam eos ad Episcopatum vel Abbatiam vel alias præposituras aliarum Ecclesiarum transire contigerit.

Interdicit ne liceat Clericis præbendas possessionesve retinere usibusque suis vendicare postquam eos ad alias præposituras transire contigerit.

§. 3. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve personna hac nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiovè commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi quatinus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Sanctio pœnalis.

Pax Servantibus.

Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

§. 4. Data Laterani per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii XI. Kal: Februarii Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ Anno MCXV. Pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ anno XVI.

Data XV. Kalend. Februarii Anno Pontificatus XVI.

VI. Et Labbe T.X. Concil. pag. 662. Edita A.D. 1116.

Confirmat Stephano Episcopo Augustodunensi universa privilegia Norigaudo pridem concessa.

PASCHALIS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Stephano Augustodunensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

JUstis votis assensum præbere, justisque petionibus aures accommodare nos convenit, qui licet indigni, justitiæ custodes atque præcones in excelsa Apostolorum principum Petri, & Pauli specula positi, Domino disponente conspicimur.

Augustodunensem Ecclesiam sedis Apostolicæ auctoritate munit.

§. 1. Tuis igitur, frater in Christo carissime Stephane, justis petitionibus annuentes, Sanctam Augustodunensem Ecclesiam, cui Domino autore præsides, Apostolicæ sedis autoritate munimus.

Possessiones confirmat.

§. 2. Statuimus enim, ut oppida, villæ, seu Ecclesiæ possessionesve, quas prædecessoris tui Aganonis temporibus, Augustodunensis Ecclesia tenuit, tibi quoque ac successoribus tuis quietæ, firmæ, & integræ conserventur. Cætera etiam quæ eidem Augustodunensi Ecclesiæ per tuam industriam recuperata vel adquisita sunt, videlicet Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Sancti Lazari de Avalone, & Castrum Toilonum cum eorum pertinentijs, vel in futurum per Dei gratiam recuperari vel adquiri justè legitimèque contigerit, quieta semper integra in ejusdem Ecclesiæ jure ac possessione permaneant.

Possessores que perturbari vetat.

§. 3. Decernimus ergo ut nulli omnino liceat eamdem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur tam tuis quam Clericorum & pauperum usibus profutura.

Pœna contraventium.

§. 4. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita; si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat: reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, & sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat, Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Pax & benedictio observantibus.

Ego Paschalis Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Datum Laterani per manum Joannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij II. Idus Martij Indictionis IX. Incarnationis Dominicæ Anno MCXVI. Pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ Anno XVII.

Data 2. Idus Martii Pontificatus Anno. XVII.

GELASIUS SECUNDUS.
PONTIFEX CLXIII.
ANNO DOMINI MCXVIII.

GElasius Cajeta oriundus Paschali secundo successit anno Christi 1118. A Cincio Francipani mox pulsus, dein ab Henrico V. surrogato Gregorio VIII. depositus. Cæsarem in Germaniam redeuntem diris est persecutus, unde Schisma recruduit. Ipse in Galliam profugus obiit anno 1119. post Synodum Viennæ habitam. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe Tom. 10. Concil. Edita An. Dom. 1119.

Confirmatio Gualterii in Archiepiscopum Ravennatem post Schisma ejuratum, eique pallium cùm aliis juribus concedit.

GELASIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Gualterio Ravennatium Archiepiscopo Salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

UNitati Divinæ Trinitatis gratiæ agendæ sunt, quæ per suæ caritatis Spiritum divisa conjungit, & multos in se animos unum facit: Ecclesia siquidem Ravennatium per multa jam tempora ab Apostolicæ Sedis unitate discissa, multas eidem Sedi Apostolicæ persecutiones intulit, & Ecclesiis multis perversi Schismatis fomite ministravit. Qua propter ad ejus nequitiam deprimendam, subjectarum in Ecclesiarum quasdam sibi Apostolica sedes assumpsit, ut vel sic eam ad humilitatis & unitatis tramitem revocaret. Sed cum tandem Divinæ majestati placitum fuit eamdem Ravennatium Ecclesiam misericordiæ suæ gratia ad unitatem, & obedientiam Matris suæ Romanæ Ecclesiæ revocavit. Iniquitatem namque suam illius filii recognoscentes, delicta patrum corrigere probaverunt: ut qui præteritis temporibus per tyrannidem regiam præsules regibus placentes accipiebant, nunc demum secundum Canonicas Sanctiones Episcopum Deo placentem eligerent, & Schismate abdicato in catholicæ congregationis gremium repedarent. Te siquidem, Reverendissime Frater Gualtere a disciplina fratrum regularium violenter assumptum, pro religionis ac sapientiæ prærogativa, in Beati Appollinaris cathedra communi voto ac desiderio posuerunt, & in Apostolicæ sedis obedientiam unanimiter redierunt.

Quas Ravennatium Ecclesiæ subjectas ut ad unitatis tramitem revocaret sibi sedes Apostolica assumpserat Ecclesias restituit.

§. 1. Unde nos Divinæ Trinitatis unitati gratias agentes, personam tuam pro jure nostræ Ecclesiæ, ad Episcopale ministerium cooperante Domino consecrantes, tibi, & per te Ravennatium Ecclesiæ dignitatem omnem, quam ante illius divisionis tempora per Romanam Ecclesiam possederat, restituimus: & per præsentem privilegii paginam salvo in omnibus jure atque autoritate sedis Apostolicæ concedimus tibi, tuisque successoribus in ejusdem sedis Apostolicæ fide, atque obedientia permanentibus, Episcopatus Aemiliæ Provinciæ, id est Placentiæ, Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Adriæ, Comacli, Tmolæ Faventiæ, Fori Livii, Fori Pompoli, Bobii, Cæsennæ, Ficoclæ. Confirmamus etiam vobis ducatum Ravennæ, & Monasteria sancti Adalberti, & sancti Hilarii, Galliata seu cætera Monasteria & possessiones, per authentica privilegia ab antecessoribus nostris, & a Catholicis regibus tradita.

Monasteria possessionesque ab antecessoribus suis tradita confirmat.

Pomposiani Monasterii curam salvo Ecclesiæ jure committit palliumque liberaliter concedit.

§. 2. Pomposiani quoque Monasterii curam religioni tuæ salvo Ecclesiæ nostræ jure committimus: ut Regularis disciplinæ per tuam industriam, largiente Domino, reformetur. Præterea fraternitati tuæ pallium, Pontificalis videlicet officii plenitudinem, liberaliter concedimus quo fraternitas tua secundum Ecclesiæ tuæ morem ex Apostolicæ sedis concessione permissum se noverit induendum, cujus inimicum pallii volumus te per omnia genium vendicare. Hujus siquidem indumenti honor, humilitas, atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in properis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectam amicam bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, tum operibus juxta virtutem constantiæ insistens, tum insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, de alienis tanquam de propriis exultans gaudiis, & vitiis corrigendis piè sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justæ censuram non deserens. Hæc est frater carissime, pallii accepti dignitas: qua si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Hortatio Pastoralis.

Ego Gelasius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus.

Signum manus meæ Gelasi, Deus in loco sancto suo.

Data Kal. Septembris Pontificatus Anno I.

§. 3. Datum Romæ per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, Kalendas Septembris, Indictione duodecima, Anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. Pontificatus autem domini Gellasij II. Papæ Anno I.

CALIXTUS SECUNDUS.
PONTIFEX CLXIV.
ANNO DOMINI MCXIX.

CAlixtus II. Guido anteà dictus in Cluniacensi Cœnobio Romanus Pontifex fuit electus Calendis Februariis anni 1119. sub Henrico V. Johanne Comneno Imperatoribus & Ludovico VI. tum in Galliis regnante. Ad celebrandum Concilium Lateranense generale primum adjecit animum quo præprimis Ecclesiam inter & Imperium discordia ob beneficiorum collatione orta in universum tolleretur dein subsidia contra Sarracenas pro Christianis decreta. Sedit annos V. menses X. dies XIII. obiit die XIII. Decembris anni 1124. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 32.)

I. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 845. Editum An. Dom. 1120.

Privilegium Monasterii Cluniacensis.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Pontio Cluniacensis Abbati ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Religio-

Exordium.

Religionis Monasticæ modernis temporibus speculum, & in Galliarum partibus documentum B. Petri Cluniacense Monasterium, ab ipso suæ fundationis exordio sedi Apostolicæ in jus proprium est oblatum. Proinde Patres nostri sanctæ recordationis Joannes XI. item Benedictus VII. Joannes XII. Agapitus II. item Benedictus VI. Leo VII. item Leo IX. Gregorius. VI. item Gregorius VII. Alexander II. Stephanus. Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Ecclesiæ Romanæ Pontifices, Locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis prærogativa donarunt, & universa ei pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus muniverunt.

A Prædecessoribus statutum est ut Monachi Laicive, Ecclesiæ aliaque sub Apostolicæ tantum sedis tuitione ac jure permaneant.

§. 1. Statutum est enim, ut omnes Ecclesiæ, Cimiteria, Monachi, & Laici universi infra terminos habitantes qui sunt à rivo de Salnai, & ab Ecclesia Rusiaci, & Cruce de Lornant: à termino quoque molendini de Tornasach, per villam quæ dicetur Varentia, cum nemore Bursejo à termino etiam qui dicitur Perois ad rivum usque de Salnai: sub Apostolicæ tantum sedis jure, ac tuitione permaneant. Neque ipsi Cluniacensis loci Presbyteri, aut etiam Parochiani ad cujuslibet nisi Romani Pontificis, & Cluniacensis Abbatis cogantur ire Synodum vel conventum.

Nec ad cujuslibet Synodum vel conventum nisi Pontificis Romani, Abbatisque Cluniacensis Presbyteri cogantur ire.

Pro Abbatis ordinatione rerumque Ecclesiasticarum consecratione à Monasterio quem maluerit antistitem convocari potest.

§. 2. Sane pro Abbatis, Monachorum, seu Clericorum, infra prædictos terminos habitantium ordinatione, pro Chrismatis confectione, pro sacri Olei, Ecclesiarum, Altarium, & Cimiteriorum consecratione, Cluniacense Monasterium, quem maluerit, antistitem convocet.

Cluniacences Monachi à nemine nisi à Romano Pontifice ejusque legato excommunicaturi sunt.

§. 3. Cluniacenses Monachos ubilibet habitantes, nulla omnimodo persona, præter Romanum Pontificem, & Legatum qui ad hoc missus fuerit excommunicet aut interdicat. Porrò si Monachus, Clericus aut Laicus, sive cujuslibet ordinis professionisve persona, nisi fortè certa de causa excommunicata sit, Cluniacensium claustrorum mansiones elegerit; absque contradictione alicujus suscipiatur, & quæ de suo jure attulerit, liberè à Monasterio habeantur.

Quæcumque eorum juris sunt à nemine minuantur.

§. 4. Altaria, Cimiteria, & decimæ Cluniacensium Monachorum, & quæcumque juris eorum sunt, à nemine auferantur, vel minuantur.

Ab Abbate Cluniacensi aut à sede Apostolica si apud eum invenire nequiverit justitia requiratur.

§. 5. De Monachis aut monasteriis Cluniacensibus nulli Episcoporum, salvo jure canonico, si quod in eis habent liceat judicare: Sed ab Abbate Cluniacensi justitia requiratur. Quam si apud eum invenire nequiverit ad sedem Apostolicam recurratur.

In Abbatis Cluniacensi Monasterio subditis sine Abbatis præcepto nullatenus eligantur.

§. 6. In Abbatiis, quæ cum suis Abbatibus ordinationi Cluniacensis Monasterii datæ sunt videlicet S. Martialis Lemovicensis S Eparchi Angolismensis Monasterii novi Pictavis, S. Joannis Angeliacensis, Monasterii Lasatensis, Moysiacensis, Figiacensis, & S. Egidii Nemausensis; in Arvernia, Mausiacensis, Tiarnensis, Menacensis, in Episcopatu Eduensi, Vixeliacensis in Autissiodorensi, S. Germani; in Cameracensi, Hunoldi Curtis in Rotomagense, abbatia apud Pontisaram in Tarvanensi S. Bertini, & S. Vulmari; in Italia S. Benedicti super Padum: Sine Cluniacensis abbatis præcepto nullatenus eligantur.

de decimis, Presbiterorum electione, alisque privilegiis à prædecessoribus constitutis.

§. 7. Pro altaribus, & Ecclesiis sive decimis vestris, nulli Episcoporum facultas sit, gravamen aliquod vobis aut molestias irrogare. Sed sicut eorum promissione quædam ex parte, quædam ex integro habuistis, ita, & in futurum habeatis. Ecclesiarum vestrarum decimas, quæ à Laicis obtinentur, si secundum Deum eorum potestati subtrahere vestræ Religionis reverentia poterit: ad vestram, & pauperum gubernationem vobis liceat possidere. Decimas Laborum vestrorum, pro quibus tam vos, quam alios monasticæ religionis viros inquietare Episcopi consueverunt, illorum videlicet quos dominacaturas appellant, qui vestro sumptu à monasteriis, & cellæ vestræ clientibus excoluntur, sine omni Episcoporum & Episcopalium Ministrorum contradictione deinceps quietius habeatis, qui vestra peregrinis fratribus & pauperibus erogatis. Ecclesiæ omnes quæ ubilibet positæ sunt, seu Capellæ vestræ, & Cimiteria libera sint, & omnis exactionis immunia præter consuetam Episcopi paratam & justitiam in Presbyteros, si adversus sui ordinis dignatatem offenderint. Licetque vobis, seu fratribus vestris in Ecclesiis vestris presbyteros eligere. Ita tamen ut ab Episcopis, vel ab Episcoporum Vicariis animarum curam absque venalitatè suscipiant. Quam si commitere illi, quod absit ex pravitate voluerint: tunc Presbyteri, ex Apostolicæ sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur. Ecclesiarum vestrarum consecrationes si Diæcesani Episcopi gratis noluerint exhibere, à quolibet catholico suscipietis Episcopo. Nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres, pro qualibet interdictione vel excommunicatione, Divinorum Officiorum suspensionem patiantur: sed tam Monachi ipsi, quam famuli eorum, & qui se professioni monasticæ devoverunt, clausis Ecclesiarum januis, non admissis Diæcesanis. Divinæ servitutis officia celebrent, & sepulturæ officia peragant. Percussuram quoque proprii numismatis, vel monetæ quandocumque vel quandiu vobis placuerit, habeatis.

Privilegia quæque confirmat.

§. 8. Hæc igitur omnia sicut à nostris prædecessoribus constituta sunt: ita & nos autoritate Apostolica constituimus, & præsentis privilegii decreto confirmamus.

Sine commendatitiis Cluniacensis Abbatis litteris quempiam eligi vetat talemque ordinationem irritam esse decernit.

§. 9. Præterea fili in Christo Ponti, quem nos in Viennensis Ecclesiæ positi regimine, nostris per Dei gratiam manibus in Abbatem consecravimus: & personam tuam, & Locum cui Deo autore præsides totis dilectionis visceribus amplectentes, & quieti vestræ attentius providentes hæc adjicienda censuimus: ut abbatiarum vestrarum electis, nullus Episcoporum sine commendatitiis Cluniacensis abbatis litteris consecrationis, vel ordinationis manus imponat. Alioquin & consecrator, tanquam constitutionis Apostolicæ prævaricator, graviori subjaceat ultioni, & consecrati electio, sive ordinatio donec Apostolicæ sedi, & ejus Cluniacensi monasterio satisfiat, irrita habeatur.

Ecclesiarum S. Mariæ & S. Odonis antiquam consuetudinem excipit. Matisconensem Episcopum aliosque molestias, irrogare vetat.

§. 10. Porro presbyteris parochialium Ecclesiarum S. Mariæ, & S. Odonis Cluniacensium ejiciendi & suscipiendi in Ecclesiam ex antiqua consuetudine pænitentes & nuptiales chartas faciendi licentiam indulgemus. Prohibentes, tam Matisconensem Episcopum, quam & alios super hoc, vel super aliis, quæ statuta sunt, vobis molestia irrogare. Si quis igitur ausu temerario ut in epistola superiore.

Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Datum VIII. Kalend. Martii. anno Pontificatus 2.

§. 11. Datum Valentiæ per manus Chrisogoni S.R.E. diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, VIII. Kalend: martij, Indict: XIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ Anno II.

II. Ex Anecd. Martene T. 1. Col. 350. Anno circiter 1120.

Berardo Episcopo Matisconensi Episcopale munus interdicit, donec satisfaciat de illatis Monasterio Cluniacensi injuriis.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri B. Matisconensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

QUæ B. Petri Clunianensi monasterio à te illata sunt, & nos & fratres nostros vehementer gravant. Post nostras enim commonitiones post scripta frequenter missa manum tuam quod hactenus inauditum est, super ipsam parochiam extendisti, clericos & laicos excommunicasti, & in B. Odonis Ecclesia divina penitùs celebrare officia prohibuisti; Monachis etiam graves prout asserunt injurias intulisti, & nonnulla eis pertinentia abstulisti. In his tamen omnibus paterna tibi benignitate pepercimus correctionem tuam, sicut venerabilis frater noster Hu: Lugdunensis Archiepiscopus ad nos veniens promiserat, expectantes. Tu autem, ut prius, sic & posteà pertinaciter restitisti. Hanc ergo præsumptionem & tantum Apostolicæ sedis contemtum ferre diutius non valentes, licet inviti propter præteritæ dilectionis & familiaritatis gratiam, ex rationabili fratrum nostrorum sententia, Episcopale tibi officium auctoritate sedis Apostolicæ interdicimus, donec à Cluniacensis Monasterii, & Clericorum, seu Laicorum, & ipsius Capellæ infestatione desistas, & nobis de contemtu tuo satisfacias.

Datum Laterani V. Idus Januarii.

III. Ex op. diplom. Miræi T. 1. p. 171. Editum A. D. 1121.

Confirmat regimen Ecclesiæ Bornhemiensis commissum Affligemiensibus precibus Clementiæ sororis suæ Flandriæ Comitissæ.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; dilecto filio Fulgentio Abbati, Affligimensis Monasterii, quod ad honorem B. Petri Apostolorum Principis in Cameracensi Diœcesi situm est, ejusque successoribus, regulariter substituendis in perpetuum.

Burgardus Cameracensis Episcopus Affligimensi Monasterio commisit Ecclesiam Bornhemensem ut in ea Monastici ordinis disciplina deinceps habeatur.

QUæ religionis intuitu statuuntur inconvulsa debent stabilitate servari. Siquidem venerabilis Frater noster Burgardus Cameracensis Episcopus, Consilio & assensu Archidiaconorum, ac reliquorum Clericorum Ecclesiæ suæ, consilio etiam, & hortatu Venerabilis Fratris nostri Rodulphi Remensis Archiepiscopi, sicut in eorum missis ad nos Litteris continetur necnon & rogatu & supplicatione Sifridi Bornhemiensis Abbatis & Fratrum suorum Affligimensi Monasterio Bornhemensem commisit Ecclesiam, ut in ea deinceps Monastici ordinis disciplina per Dei gratiam, habeatur.

§. 1. Olim quidem in loco eodem Ordo fuerat Canonicus institutus; sed guerris supervenientibus, tanta paupertatis inopia coarctatus est ut neque Ordinem Canonicum conservare, neque per se in Ecclesiastica quoque posset honestate persistere.

§. 2. Nos itaque tam prædictorum Fratrum quam & Sororis nostra (1) Clementiæ, Flandriensium Comitissæ, quæ ipsius loci dispensatrix est, petitionibus annuentes, & de religione vestra plurimum confidentes, prædictæ Bornhemensis Ecclesiæ commissionem præsentis privilegij pagina confirmamus.

§. 3. Statuentes, ut auctore Deo in Affligimensis monasterii unitate ac subjectione, sub regula monasticæ disciplinæ in perpetuum perseveret ita nimirum libera, & quieta sicut antea in Ordine Canonico fuerat, cum Altaribus de (*a*) Havesdunc, Hingem, (*b*) Kereberga, (2) (*c*) Rimenham, (*d*) Merchecloa, & cum omnibus quæ in præsenti legitimè possidet, vel in futurum Largiente Deo, justè atque canonicè poterit adipisci.

(a) Haesdonck. (b) Keerberge. (c) Rymenan. (d) Meerbeke.

Sanctio Pœnalis.

§. 4. Nulli ergo omnino hominum facultas sit præfatam Bornhemensem Ecclesiam à dispositione vel subjectione vestri monasterij removere, seu qualibet occasione subtrahere, possessiones ejus auferre, vel temerariis vexationibus fatigare, sed ita sub vestro monasterio maneat, sicut à prædicto Fratre nostro Burgardo, Diæcesano Episcopo, constitutum, & ipsius chirographo confirmatum est.

Pax & benedictio observantibus.

§. 5. Si quæ igitur in futurum cujuslibet dignitatis ordinisve persona, nostræ hujus Confirmationis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, honoris, & officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

§. 6. Qui verò conservator extiterit, Dei omnipotentis, & Apostolorum ejus Petri & Pauli benedictionem, & gratiam consequatur, Amen, Amen, Amen.

Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus laudavi.

Datum 3. Februarii Pontificatus Anno III.

Datum apud S. Petrum per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Bibliothecarij III. Februarii Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno millesimo, centesimo vigesimo primo Pontificatus autem Calixti II. Papæ, tertio.

IV. Ex Labbe Tom. 10. Concil. pag. 836. Ex Chifflezii Historia Trenorciana Editum A. D. 1122.

Privilegium Maternitatis, quam vocat, Ecclesiæ S. Joannis Provinciæ Bisuntinæ in Ecclesiam S. Stephani ejusdem Provinciæ.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Anserico, Manasse Decano, Stephano Archidiacono, Stephano Thesaurario, Hugoni Archidiacono, & cæteris Bisuntinæ Ecclesiæ B. Joannis Apostoli, & Evangelistæ Canonicis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

DEcessorum statuta, sicut legitima & justa, successorem convenit custodire ita debet etiam male facta salubri provisione corrigere. Ea propter nos surrectionem illam quæ domino prædecessori nostro sanctæ memoriæ Paschali

(1) CLEMENTIA Guilielmi Burgundiæ Comitis filia, Calixti II. Pontificis Romani Soror, primum Roberto II. Hierosolymitano, Flandriæ Comiti, post Godefrido Barbato, Lotharingiæ Brabantiæque Duci, nupta fuit.

(2) RIMENHAM, nunc *Rymenham*, Pagus est sub præfectura arculæa ad Diliam fluvium, primo lapide à Mechlinia, cui vicinus est Pagus de Keeberghe.

Papæ

De discordia inter Canonicos B. Joannis Apostoli Ecclesiæ & S. Stephani pro Episcopali Cathedra, Ecclesiasticaque Maternitate agitata.

Papæ à Clericis S. Stephani de Maternitatis judicio facta est ad veritatis & justitiæ curavimus ordinem revocare.

§. 1. Inter vos enim & Canonicos S. Staphani super Episcopali Cathedra, & Ecclesiastica Maternitate, longo jam fuerat tempore agitata discordia. Siquidem Canonici S. Stephani, Ecclesiam suam Matricem antiquitus extitisse, sed propter ejus destructionem Episcopos ad Beati Joannis Ecclesiam secessisse, prout poterant allegabant. E contra vos Ecclesiam vestram per longa temporum spatia Episcopalem sedem sine interruptione legitima possedisse, scriptorum memoria, & veterum virorum attestationibus firmabatis. Hæc profecto discordia cum ad prædicti domini nostri audientiam pervenisset, nostro eam commisit examini finiendam eo quod ipsius vices illis in partibus gereremus: ita videlicet ut si Canonici S. Stephani quinque idoneis probare testibus possent quod post redintegrationem Ecclesiæ suæ infra annos triginta super querela hac quæstionem fecissent, per quam illorum videretur interrupta retentio, scilicet vel ante antistitem suum, vel ante Romanæ Legatum Ecclesiæ; in communi audientia hac probatione perfecta, privilegia eorum jus proprium obtinerent Episcopalis sedis apud B. Stephani Ecclesiam haberetur: alioquin vos à querela hac liberi maneretis, & Episcopalem teneretis sedem sicut prius tenueratis. Eandem quoque ipsius negotij decisionem, usque ad tunc proximam B. Mariæ assumptionem, idem dominus à nobis perfici, consummarique præcepit. Nos ejus obedientes mandatis adhibitis fratribus nostris, & Coepiscopis Gauceranno Lugdunensi, Hugone Gratianopolitano, Leodegario Vivariensi, Berardo Matisconensi, Stephano Eduensi, Galtero Cabilonensi, Gauceranno Lingonensi, Pontione Bellicensi, Guidone Gebennensi, Gulinco Sedunensi & Pontio Abbate Cluniacensi, & decem & septem abbatibus, atque aliis religiosis viris apud Trenorcium utramque partem convenimus. Ubi cum pars vestra justitiæ suæ allegationes ostenderet nos probationis executionem à prædicto domino constitutam à S. Stephani Canonicis requisivimus qui vix tandem testes aliquot non tamen idoneos produxerunt. Alius enim pro commisso perjurio, sive turpi nativitate, alius pro sacrilegio, alius pro pretii conductione, alius pro excommunicatione quâ diu alligatus fuerat, reprobatus est. Sic præfati Beati Stephani Canonici, jam suæ partis causam defendere non valentes à probatione proposita in conspectu omnium defecerunt. Tunc ex communi fratrum judicio definitum est vestram Beati Joannis Ecclesiam debere Maternitatis prærogativam in perpetuum obtinere. Unde nos una cum eis, eandem vestram Ecclesiam ex tunc à querela illa liberam fore decrevimus Episcopalem in ea sedem permanere irrefragabiliter statuentes. Auctoritate insuper Apostolica in cujus vocati partes solicitudis fueramus sub anathematis obligatione præcipimus, ut nullus eam ulterius Clericus, sive Laicus inde inquietare, aut inquietanti favorem præsumeret ministrare. Hac promulgata ex communi deliberatione sententia Canonici Sancti Stephani ad nos secretius accesserunt, ut constituendæ inter vos, & illos pacis diem præfigeremus suppliciter postulantes. In quorum vobis non nihil doli, nihil prorsus versutiæ opinantes, supplicationi eorumdem annuimus, & diem eis, uti postulaverant, constituimus. Mox ipsi à nobis fraudis inito consilio discedentes unum ex fratribus suis, Petrum scilicet de Moneta, ad prædictum prædecessorem nostrum furtim, & nobis nihil omnino tale opinantibus direxerunt. Is postquam Curiæ se præsentavit multa ferens, & nonnulla confingens mendacia, inter cætera suggerere domino ausus est nos de prædicto negotio nihil fecisse, neque in ejus executionem obedire mandato sedis Apostolicæ voluisse. In hæc figmenta discedens & rursus ad curiam rediens, reliquos secum deceptores adduxit: congregatisque eis discussio quasi à principio facta est. Nouissime quædam illarum personarum quæ tam celebri, ut prædictum est, judicio reprobatæ fuerant, immo & aliæ nequaquam idoneæ, ad præfatam probationem admissæ sunt. Duo ex Clericis nostris, quos pro jam dicti confirmatione judicii miseramus advenerant: sed cum omnia quæ acta fuerant, diligenter exponerent proficere nullatenus potuerent. Canonici quippe S. Stephani ita jam Curiam totam figmentorum suorum fallacii & assentationum blandimentimentis asperserant: ut aliis nullum in ea locum habentibus, ipsi scriptum Maternitatis acceperint. Post aliquantum temporis illorum fraudem idem dominus & recognovisse asseritur, & super ea vehementius doluisse. Unde etiam tibi, carissime frater Archiepiscope Anserice per sui autoritatem scripti liberam contulit facultatem, Episcopalia in qua velles Ecclesia peragendi.

Ad Pontificatum evectus utramque partem ad suam secundò præsentiam convocat.

§. 2. Postea vero quam nos in Apostolicæ sedis Administrationem Divina fuimus gratia constituti, vos aures nostras super eadem querimonia iterum atque iterum propulsastis. Nos autem supradictam deceptionem, necnon & causam omnem plenius cognoscentes, utpote qui ab ipso pueritiæ nostræ tempore in illis educati partibus fuimus, & nostris totius rei veritatem oculis vidimus: utramque partem ad nostram secundo præsentiam convocavimus. Vos, ut mandatum fuerat, convenistis, sed illi se nullis præmissis excusationibus subtraxerunt. Tertia tandem terminum tam eis, quam vobis in B. Lucæ festivitate præfiximus: sed in parte altera, etiam hac vice contempti sumus. Cum enim vos præsentes fueritis, & quindecim dies in curia permanentes, terminum transieritis: illi nec venerunt nec responsales aliquos transmiserunt. Quamobrem fratribus nostris Episcopis, & Cardinalibus, necnon & Archiepiscopis, Episcopis & Abbatibus qui nobiscum aderant visum est B. Stephani Canonicos diffugium petiisse, ne coram nobis negotium tractaretur, qui & ipsorum dolositatem, & justitiæ vestræ puritatem certissime sciebamus.

B. Joannis Ecclesiæ Canonicis Episcopatum Maternitatis que dignatatem adjudicat, & scriptum aliorum fraudis versutia à Prædecessore surreptum discissum decernit.

§. 3. Ex communi ergo eorumdem fratrum nostrorum consilio, illud Maternitatis scriptum quod per tantæ fraudis versutiam sæpedicto domino nostro surreptum est, apostolica autoritate cassamus: Statuentes ut nullum robur, nullam in posterum vim prorsus obtineat; sed in tota Bisuntinæ Civitatis parochia sola B. Joannis Ecclesia omnem Episcopalis sedis, & matricis Ecclesiæ possideat futuris temporibus dignitatem, quam priscis cognoscitur temporibus possedisse.

Omnes consuetudines Ecclesia S. Stephani B. Joannis Ecclesiæ persolutas deinceps eidem Ecclesiæ persolvi jubet.

§. 4. Porro consuetudines omnes, quas Ecclesia S. Sephani à tempore Hugonis Salinensis bonæ memoriæ Bisuntini Archiepiscopi, usque ad tempora fratris nostri Hugonis, qui in Jerosolymitana peregrinatione defunctus est, tam in spiritualibus, quam in temporalibus Ecclesiæ vestræ persolvit, quietè vobis deinceps, & eidem vestræ Ecclesiæ persolvantur.

Absolutionem super juramento ab utriusque

§. 5. Ad hæc absolutionem, quæ tam à te carissime in Christo frater, & Episcope Anserice, quam & ab Humbaldo Lugdunensi Ar-

Eccleſiæ Clericis factam confirmatamque roborat.

chiepiſcopo, ſuper juramento illo Clericis utriuſque Eccleſiæ facta, & à nobis dum adhuc in partibus ultramontanis eſſemus confirmata eſt, præſentis quoque decreti pagina roboramus, & ratam perpetuo manere decernimus: auctoritate ſedis Apoſtolicæ ſtatuentes, & omnimodis præcipientes, ut neque vos S. Stephani Canonicos, neque ipſi, aut quælibet perſona vos ulterius ſuper juramento illo præſumat impetere. Si noſtræ igitur ſanctioni huic B. Stephani Canonici audaci præſumptione contraire tentaverint: tibi dilecte in Chriſto frater Anſerice Biſuntinæ Archiepiſcope, tuiſque ſucceſſoribus licentiam damus de perſonis eorum, & de ipſa etiam Eccleſia cooperante Deo, donec ſatisfecerint juſtitiam exigendi.

Canonicos B. Stephani huic ſanctioni contraire vetat ſi verò tentaverint licentiam dat de perſonis, eorumque Eccleſia juſtitiam exequendi.

§. 6. Si qua etiam in futurum Eccleſiaſtica Sæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam venire tentaverit: ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Sanctio Pœnalis.

§. 7. Cunctis autem eidem B. Joannnis Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen, Amen.

Pax & benedictio ſervantibus.

Scriptum per manus Gervaſij Scriniarii regionarii & notarii Sacri Palatii.

Datum Laterani, XIV. Kal. aprilis, Indict. XV. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXII. Pontificatus autem Domini Calixti II. Papæ Anno IV.

Datum XIV. Kal. Aprilis Pontificatus anno IV.

Ego Calixtus, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

V.
Ex Labbe T. 10. Conc. pag. 852. Edita An. Do. 1122.

Confirmatio jurium Primatus Toletanæ Eccleſiæ.

CALIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bernardo Toletano Primàti, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum.

Exordium.

POſtquam ſupernæ miſerationis dignatio inſignem quondam & inter Hiſpaniarum urbes magni nominis civitatem Toletanam ſtudio & labore glorioſæ memoriæ Regis Idelfonſi de Sarracenorum tyrannide liberaverunt: Domini Prædeceſſores noſtri Sanctæ Recordationis Urbanus & Paſchalis Eccleſiæ Romanæ Pontifices ejuſdem civitatis Eccleſiam priſtinæ ſtuduerunt reſtituere dignitati. Undè, reverendiſſime frater, & Coepiſcope Bernarde, pallium tibi, pontificalis videlicet officii plenitudinem, conferentes, in totis Hiſpaniarum regnis primatem te privilegiorum ſuorum ſanctionibus ſtatuerunt ſicut Prædeceſſores tuos prædictæ urbis Pontifices, conſtat antiquitus extitiſſe. Quorum nimirum patrum noſtrorum veſtigiis inſiſtentes, tam tuis, quam & Reverendiſſimi nepotis noſtri Idelfonſi Regis precibus duximus annuendum: ut autore domino, eundem tibi tuiſque ſucceſſoribus honorem, & per vos, Toletanæ Eccleſiæ confirmemus.

Pallium primatumque à Prædeceſſoribus in totis Hiſpaniarum regnis Bernardo conceſſis confirmat.

§. 1. Apoſtolica igitur autoritate ſtatuimus, ut per univerſa Hiſpaniarum Regna Primatus obtineas dignitatem. Verum perſonam tuam in manu noſtra propenſiori gratia retinentes, cenſemus, ut ſolius Romani Pontificis judicio ejus cauſa, ſi qua fuerit decidatur.

Solius Romani Pontificis judicio cauſas ſi quæ fuerint decidendas ſtatuit.

§. 2. Te itaque univerſi Hiſpaniarum Præſules Primatem reſpicient; & ad te ſi quid inter eos quæſtione dignum exortum fuerit, referent: ſalva tamen in omnibus Romanæ Eccleſiæ autoritate, & ſalvis Metropolitanorum privilegiis ſingulorum.

Quæſtiones inter Hiſpaniarum Præſules agitatas ad Primàtum referendas ſalvis Pontificis autoritate Metropolitanorumque privilegiis decernit.

§. Sane Toletanam Eccleſiam præſentis privilegii ſtabilitate munimus, Complutenſem ei Parochiam cum terminis ſuis, nec non, & Eccleſias omnes, atque Diæceſes, quas jure proprio antiquitus poſſediſſe cognoſcitur, confirmantes.

Complutenſem Parochiam cum terminis ſuis ToletanæEccleſiæ confirmat.

§. 4. Epiſcopales præterea ſedes Ovetum, Regionem, Palentiam, eidem Toletanæ Eccleſiæ, tanquam Metropoli ſubditas eſſe decernimus. Reliquas vero, quæ antiquis ei temporibus ſubjacebant cùm dominus omnipotens Chriſtianorum reſtituerit poteſtati ſuæ dignatione miſericordiæ: ad caput proprium referendas decreti hujus autoritate ſancimus. Porro illarum Diæceſes civitatum, quæ Sarracenis invadentibus Metropolitanos proprios amiſerunt, eo tenore veſtræ ſubjicimus ditioni: ut quoad ſine propriis extiterint Metropolitanis, tibi ut proprio, debeant ſubjacere: ſalvo tenore privilegii, quod à nobis Compoſtellanæ Eccleſiæ Pontifici eſt collatum. Si quæ autem Metropoles in ſtatum fuerint proprium reſtitutæ, ſuo quæque Diæceſis Metropolitano reſtituatur: ut ſub proprii paſtoris regimine ſuper divini collatione beneficii glorietur.

Ovetum Regionem & Palentiam ToletanæEccleſiæ ſubditas eſſe decernit.

Diæcæſes Civitatam quæ Sarracenis invadentibus Metropolitanos proprios amiſerunt ejuſdem Eccleſiæ ſubjicit ditioni.

§. 5. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit: ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Pæna contraventium.

§. 6. Cunctis autem eiſdem Monaſteriis juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant.

Pax obſecrantibus.

Datum Mantiæ per manus Chryſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii III. Nonas Novembris Indictione XV. Incarnationis Dominicæ Anno MCXXII. Pontific. autem Calixti II. Papæ, Anno III.

Data 3. Nonas Novembris Pontificatus Anno III.

VI.
Ex Leibnitii Cod. Dipl. jur. gent. p. 2. p. 1. An. Dom. 1122.

Concordatum Nationis Germanicæ antiquiſſimum circa electiones & Inveſtituras Epiſcoporum & Abbatum inter Imp. Henricum V. & Papam Calixtum II. factum Vormatiæ in conventu Imperii, Præſente Legato ſedis Romanæ Lamberto Cardinali Epiſcopo Oſtienſi, cum aliis duobus Cardinalibus.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

Ego HENRICUS Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus pro amore Dei & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Callixti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo, & Sanctis Dei Apoſtolis Petro & Paulo, ſanctæque; Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis quæ in Regno vel Imperio meo ſunt, fieri electionem, & liberam Conſecrationem.

Poſſeſſio-

Possessiones & Regalia Beati Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tempore Patris mei, sive etiam meo ablatæ sunt, & habeo, eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo, quæ autem non habeo; ut restituantur, fideliter adjuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum, tam Clericorum, quam Laicorum, consilio Principum, & justitia, quæ habeo, reddam, quæ non habeo, ut reddantur fideliter adjuvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callisto Sanctæque Romanæ Ecclesiæ & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus Sancta Romana Ecclesia auxilium postulaverit fideliter juvabo, & in quibus mihi querimoniam fecerit debitam sibi justitiam faciam.

Ego CALIXTUS Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Dei Gratia Romanorum Imperatori Augusto concedo Electiones Episcoporum & Abbatum Toutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia Tua fieri absque simonia, & aliqua violentia, ut si quæ inter partes discordia emerserit, Metropolitani & Provincialium consilio vel judicio seniori parti consensum, vel auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur, & quæ ex his jure Tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris secundum officii mei debitum auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt, tempore hujus discordiæ. Anno millesimo centesimo vigesimo secundo, nono Calendas Octobris.

HONORIUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXV.

ANNO DOMINI MCXXIV.

HOnorius II. cui prius nomen Lambertus Bononiensis ex Episcopo Ostiensi Pontificatu maximo donatus XIX. Kal. Januarii anni 1124. Verùm non sine Schismate quod Theobaldus sibi Pontificatus maximi partes usurpaverat. Ea tempestate Tanchelinus Adamitarum præsultor suam condidit hæresim; & Rex Gothorum Christianæ Religioni nomen dedit. Obiit Honorius XVI. Kal. Martij anno 1130. & in Basilica Salvatoris sepultus fuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. Append. fol. 32.*)

I. Ex Labbe T. I. pag. 910. Edita A. D. 1125.

Confirmatio excommunicationis latæ in Fulconem Comitem Andegavensem.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clericis Turonensibus Matris Ecclesiæ S. Mauricii, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Procemium. SIcut boni & humiles filij sunt paternæ dilectionis nexibus arctius adstringendi, ita ingrati & inobedientes sunt rigore justitiæ coercendi.

Fulconem miratur divortium illiciti matrimonii filiæ suæ à Legato judicatum servare contempsisse.

§. 1. Siquidem compertum habuimus quod Fulco Andegavensis Comes divortium illiciti matrimonij filiæ suæ & Guillelmi filij Roberti Comitis à dilecto filio nostro J. Cardinali Presbytero Apostolicæ sedis Legato, & ab illis fratribus nostris Coepiscopis, & sapientibus viris accepta idoneorum probatione testium judicatum servare contemsit.

Eumque Legati nuntios duriùs accepisse.

§. 2. Præterea quod gravius est, uti accepimus, ad B. Petri sanctæ atque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ injuriam prædicti Legati Nuntios ad eum directos capiens, & in arcta custodia per duas septimanas retinens, barbas eorum & capillos flammis exurere, & Literas in conspectu hominum sub dio cremare præsumpsit.

Sententiam excommunicationis in terram Comitisque personam promulgatam confirmat.

§. 3. Unde Legatus idem in propriam Comitis terram interdictionis, & in personam ejus excommunicationis sententiam promulgavit. Nos ergo habito fratrum consilio, eamdem usque ad condignam satisfactionem sententiam ratam habemus. Interdictum autem præcipimus observari.

Datum Laterani pridie Idus Aprilis.

II. Ex spicil. Dacher. T. 8. nov. edit. pag. 479. Edita An. Dom. 1128.

Damnatio parvæ consuetudinis exigendi pecunias ab his qui recipiuntur in Canonicos.

HONORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; Alexandro. Episcopo & Clero Leodiensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

RElatione Fratrum vestrorum ad nos venientium comperimus hanc in vestra Leodiensi Ecclesia detestabilem ex antiquo fieri consuetudinem, ut quicumque ibi Canonicus fieri voluerit, opórteat eum Præposito & Decano determinatam pecuniam exhibere, & ad hoc de investituris Ecclesiarum, & Altarium Archidiaconos & Decanos facere accepimus. Scriptum est in Evangelio quia Dominus Noster vendentes & ementes ejecit de templo. Ideoque per præsentia scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatinùs tam prava consuetudo de cætero apud vos nullatenus conservetur, sed modis omnibus annihiletur Quod si quis deinceps præsumserit agere, nos & dantem & accipientem jubemus locum in Ecclesia ulterius nòn habere. Datum Laterani VII. Idus Novembris I.

INNOCENTIUS II.

PONTIFEX CLXVI.

ANNO DOMINI MCXXX.

DIe eodem quo Honorius vita functus Innocentius hujus hominis secundus, Cardinalium unius partis, & quidem potissimæ suffragio fuit electus anno MCXXX. cum altera pars Petrum Leonis Schismaticum eligeret; At Innocentius celebratis Claromontano, & Pisano Concilijs hunc & fautores anathemate feriit. Lotharium Imperij diademate donavit. A

Rogerio bello captus, quum eum Regem Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ creasset dimissus est. Petrus Abailardus, Arnaldus Brixiensis, & Petrus de Bruis nova, & impia dogmata spargunt. Demum his in Concilio Senonensi damnatis Innocentius obijt anno 1143. Octavo Kal. Octobris, cum Romanæ sedi præfuisset annos 13. Menses Septem. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. Append. fol. 32.*)

I. Ex Labbe T. 10. Col. 946.

Lothario Imperatori concedit allodium Terrarum Comitissæ Mathildæ.

INNOCENTIUS PAPA SECUNDUS.

Lothario Imperatori Augusto & Riget Imperatrici.

SI autoritas Sacra Pontificum & potestas Imperialis vere glutino caritatis ad invicem complentur: omnipotenti debitus famulatus liberè poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquilitate gaudebit. Nihil enim in præsenti sæculo est Pontifice clarius, nihil rege sublimius: nihil est quod lumine clariore præfulgeat quam recta fides in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera Religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor justitiæ extitisse cognosceris, & novissimè diebus istis, nec personæ tuæ nec propriæ parcendo pecuniæ, pro beati servitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire, dignum profecto est ut nos, qui disponente Domino, universis catholicæ Ecclesiæ filijs debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus & tanquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum Imperij in suo robore conservandum & utilitatem ac liberationem catholicæ Ecclesiæ spectare noscuntur, tam Secundum Ecclesiasticum officium, quam temporaliter, imperatoriam potentiam augeamus.

Allodium à Comitissa Mathilda B. Petro collatum committit per annulumque investit modò per singulos annos centum argenti libras sibi suisque successoribus exolvat & proprietas ad jus S.R.E. post obitum revertatur.

§. 1. Hoc nimirum intuitu allodium bonæ memoriæ Comitissæ Mathildæ, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum; vobis committimus, & ex apostolicæ sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non Principum & Baronum, per annulum investimus: ita videlicet ut centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exolvas, & post tuum obitum proprietas ad jus & dominium sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum integritate absque diminutione & molestia revertatur.

Se successoresque honorandos si in hanc terram venerint prout Apost. Sedes decreverit à Pontif. sancitum est

§. 2. Quod si nos, vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transire oportuerit: tam in susceptione quam in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica sedes decreverit, honoremur.

Hujusque terræ rectores R. P. fidelitatem faciendos.

§. 3. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit Beato Petro & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant.

Cum præfato censu Henrico Bavariæ Duci Imp. genero, ejusque uxori concedit ita tamen ut hominium faciant & B. Petro fidelitatem jurent.

§. 4. Cæterum pro caritate vestra, nobili viro Henrico Bavariæ duci genero vestro, & filiæ vestræ uxoris ejus, eandem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus Apostolica benignitate concedimus: ita tamen ut idem Dux hominium faciat, & fidelitatem Beato Petro ac nobis nostrisque successoribus juret.

Post eorum obitum prædictum allodium S.R.E. reducendum statuit.

§. 5. Post quorum obitum, prædictum Comitissæ Mathildæ allodium & jus & dominium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: salvo tamen semper in omnibus ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ jure ac proprietate.

Datum Laterani Sexto Idus Junij.

II. Ex Ughell. Ital. Sac. T. 4. Col. 1185. Vet. Edit. An.Do.1133.

Erectio Ecclesiæ Januensis in Metropolim.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Syro Januensi, Archiepiscopo ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum.

Exordium.

JUstus Dominus, & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. Si pro homine perdito humanatus est Dei filius & pro ejus redemptione, atque salute mortem ignominiosam pertulit. Catholica igitur, & Sancta Dei mater Ecclesia ne filij sui damnentur perpetuo, bona sua hilari vultu, & mente jucunda, quoniam id ipsum æquitatis, & justitiæ ratio postulat debet impendere. Quocirca sacrosancta sedes Apostolica animarum saluti providens, quoniam pro discordia, & guerra, quæ inter dictam Januensem Civitatem & Pisas olim argutissimo id favente inimico humani generis orta est, incomparabiles hominum clades Christianorum captivitates, & Ecclesiarum destructiones innumeræ provenerunt, ut de cætero tam detestabilis lis, & dissensio conquiescat personam tuam, & per te Januensem Ecclesiam à præfata civitate, quæ Beato Petro ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis, & ad serviendum prompta extitit, & de cætero se id facturam propensius pollicetur decorem & exaltationem, prærogativa gloriosa sublimat.

In Archiepiscopum Syrum promovet eumque Pallii genio decorat, & tres Episcopatus ei successoribusque subjicit.

§. 1. Te igitur frater charissime Syre Archiepiscope Pallii genio decorantes, & gratia ampliori donantes. In Archiepiscopum promovemus, & tres Episcopatus in Corsica; Moranen, videlicet Nebolensem, & tertium, cujus sedem constituimus Ecclesiam Sancti Petri de Acci, qui habeat unam plebem de Marana & aliam de Meria, atque Vobzensem & illum de Brunate, quem modo novum statuimus tibi, tuisque successoribus Metropolitico jure subjicimus.

Januenses Archiepiscopos & Pisanos à solo R. P. consecrandos statuit.

§. 2. Verum tamen Episcopatum Januensem, & te videlicet, ac posteros tuos ab omni emancipatos subjectione in manu propria liberè retinemus, statuentes, ut Januensis Archiepiscopus eo ordine, quo & Pisanus à solo Romano Pontifice consecretur.

Si unus eorum à suffraganeis consecratus fuerit alter verò similiter consecretur.

§. 3. Quod si forte Pisanus Archiepiscopus à suis suffraganeis fuerit consecratus, Januensis quoque à suis nihilominus similiter consecretur.

Abbatiam quoque de Tyro salva S.R.E. proprietate Syro committit.

§. 4. Deindè vero infra Ecclesiam præferens, videlicet diebus Cæna Domini & Pascha, Ascensione Domini Pentecoste, in festivitate Apostolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, tribus festivitatibus S. Mariæ Natali Domini Epiphania, & in die anniversarij consecrationis tuæ. In consecrationibus, quoque Episcoporum, Basilicarum, & Ordinationibus Clericorum, Abbatiam quoque de Tyro ad meliorationem, salva Sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprietate ac consensu

tibi

tibi Venerabilis Frater Archiepiscope Syre committimus.

Pœna contraventium.

§. 5. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non satisfactione congrua emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Pax servantibus.

§. 6. Cunctis autem hæc nostra statuta servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Guillelmus Prænestinus Episcopus.

Ego Joannes Ostiensis Episcopus.

Ego Rudolphus Ortanus Episcopus.

Ego Joannes tit. S. Chysogoni Presbyter Cardinalis.

Ego Anselmus Presb. Card. tit. S. Laurentii in Lucina.

Ego Lucas Presb. Card. tit. SS. Joannis, & Pauli.

Ego Martinus Presb. Card. tit. S. Stephani in Cælio Monte.

Ego Rainerius Senensis Episcopus.

Ego Rolandus Rossellanus Episcopus.

Ego Ildizo Saonensis Episcopus.

Ego Romanus Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.

Ego Gregorius Diaconus Card. SS. Sergij, & Bachi.

Ego Guido Diac. Card. S. Mariæ in via Lata.

Ego Oddo Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum.

Ego Guido Diac. Card. SS. Cosmæ, & Damiani.

Datum 14. Kal. Aprilis Anno Pontificatus IV.

Datum Grosseti per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij 14. Kal. Aprilis Indic. II. Incarnationis dominicæ Anno 1133. Pontif. vero D. Innocentij PP. Secundi anno quarto.

III. Ex op. dipl. Miræi T. 1. p. 385.

Confirmat immunitatem Ecclesiæ Marsnensis & substitutionem Monachorum loco Canonicorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; dilecto filio Oddoni, Abbati Monasterij Sancti Remigii, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Exordium.

LOcorum venerabilium curam nos admonet, de eorum quiete atque utilitate sollicite cogitare. Nec dubium quod si servorum Dei petitionibus benigne concurrimus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperimus.

Oddonis postulationibus annuens, libertatem Ecclesiæ de Marsna ab Alexandro quondam Leodiensi Episcopo ei concessam & ejus Archidiacono firmatam roborat, Clericisque decedentibus beneficia possidentibus Monachos substitui jubet.

§. 1. Ideoque dilecte in domino fili, Oddo Abbas tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus atque libertatem Ecclesiæ de Marsna ad Monasterium Beati Remigii pertinentis ab Alexandro quondam Leodiensi Episcopo tibi concessam & ab Hermanno ejus Archidiacono & Fratribus suis laudatam atque firmatam præsentis scripti pagina roboramus, & futuris temporibus inconvulsam manere decernimus, ut videlicet, tam in præpositura, quam etiam in Canoniis decedentibus Clericis, qui præfatæ Ecclesiæ Beneficia possident juxta prudentiam & dispositionem tuam & successorum tuorum, loco eorum, Monachi substituantur.

Præpositus qui eidem loco præfuerit, sacerdotem sub præbenda qualem ipse providerit Leodiensi Archidiacono præsentabit.

§. 2. Præpositus verò qui ex parte tua vel successorum tuorum, eidem loco præfuerit, Sacerdotem sub tali præbenda, qualem ipse Præpositus, consensu Abbatis & Fratrum Cænobij Sancti Remigii, qui pro tempore fuerit, providerit, constituto Leodiensi Archidiacono præsentabit; à quo nimirum animarum sibi cura committetur, & ipse Sacerdos de omni Episcopali & Synodali jure, secundum Leodiensis Episcopatus consuetudinem respondebit.

Concessionem infringi aut qualibet occasione convelli vetat.

§. 3. Nulli ergo hominum liceat eamdem concessionem, Monasterio Beati Remigii factam, infringere vel mutare, aut qualibet occasione convellere; sed omnia tibi tuisque successoribus integra conserventur; quemadmodum præsentis scripti sanctione præfati Alexandri quondam Episcopi concessione noscitur institutum.

Sanctio pœnalis.

§. 4. Si qua sanè Ecclesiastica Sæcularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore & sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Pax observantibus.

§. 5. Cunctis autem hanc nostram confirmationem servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant, Amen, Amen, Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis tit. S. Joannis & Pauli.

Ego Theodorus S. Ruffinæ Episcopus.

Ego Guidus Diaconis Cardinalis Sancti Adriani.

Ego Chrysogonus Diaconus Card. S. Mariæ in Porticu.

Datum IIX. Kal. Decembris Anno Pontificatus VII.

Datum Pisis per manum Aimerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Cancellarii IX. Kal. Decembris, Indictione XIV. Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo trigesimo sexto. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ II. anno septimo.

IV. Ex Labbe Tom. 10. Col. 951. An. Dom. 1139.

Regium titulum Rogerio Siciliæ Regi ab Honorio concessum confirmat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Rogerio illustri & glorioso Siciliæ Regi, ejusque hæredibus in perpetuum.

Procœmium.

QUos dispensatio Divini consilij ad regimen & salutem populi ab alto elegit, & prudentia, justitia, aliarumque virtutum decore decenter ornavit dignum & rationabile est, ut Sponsa Christi, Sancta & Apostolica Romana mater Ecclesia, affectione sincera diligat, & de sublimi ad sublimiora promoveat. Manifestis siquidem probatum est argumentis quod egregiæ memoriæ strenuus & fidelis miles Beati

Petri Robertus Guiscardus prædecessor tuus Dux Apuliæ, magnificos & potentes hostes Ecclesiæ viriliter expugnavit, & posteritati suæ dignum memoria nomen & imitabile probitatis exemplum reliquit. Pater quoque tuus illustris recordationis Rogerius, per bellicos sudores, & militaria certamina, inimicorum Chistiani nominis intrepidus extirpator, & Christianæ Religionis diligens propagator, utpote bonus & devotus filius, multimoda obsequia matri Suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ impertivit. Unde & prædecessor noster Religiosus & prudens Papa Honorius nobilitatem tuam de prædicta generositate descendentem intuitus, plurimum de te sperans, & prudentia ornatum, justitia monitum, atque ad regimen populi te idoneum esse credens, valde dilexit, & ad altiora provexit.

Siciliæ Regnum ab Honorio antecessore suo concessum, confirmat.

§. 1. Nos ergo ejus vestigiis inhærentes & de potentia tua ad decorem & utilitatem Sanctæ Dei Ecclesiæ spem atque fiduciam obtinentes, Regnum Siciliæ, quod utique prout in antiquis refertur historiis, Regnum fuisse non dubium est, tibi ab eodem antecessore nostro concessum cum integritate honoris Regij & dignitate regibus pertinente, excellentiæ tuæ concedimus, & Apostolica autoritate confirmamus.

Ducatum Apuliæ ab eodem collatum confirmat, Principatumque Capuanum insuper concedit.

§. 2. Ducatum quoque Apuliæ tibi ab eodem collatum & insuper Principatum Capuanum integre nihilominus nostri favoris robore communimus, tibique concedimus.

De his tamen P.R. ab hæredibus ligium homagium faciendum, & fidelitas juranda,

§. 3. Et ut ad amorem atque obsequium B. Petri Apostolorum Principis, & nostrum ac successorum nostrorum, vehementius astringaris: hæc ipsa, id est Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, heredibus tuis, qui nobis & successoribus nostris, nisi per nos & successores nostros remanserit, ligium homagium fecerint, & fidelitatem quam tu jurasti juraverint, tempore videlicet competenti, & loco non suspecto, sed tuto nobis & ipsis, atque salubri, duximus concedenda: eosque super his quæ concessa sunt, Deo propitio, manutenebimus.

Censusque sexcentorum scifatorum per singulos Annos persolvendus.

§. 4. Quod si per eos forte remanserit, ijdem heredes tui nihilominus teneant quod tenebant sine diminutione. Census, autem sicut statutum est, id est sexcentorum scifatorum, à te tuisque heredibus nobis nostrisque successoribus singulis annis reddatur, nisi forte impedimentum interveniat removente vero te impedimentum, nihilominus persolvetur.

Hortatio Pastoralis.

§. 5. Tua ergo, filii carissime, interest, ita te erga honorem atque servitium Matris tuæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ devotum & humilem exhibere, ita temet ipsum in ejus opportunitatibus exercere ut de tam devoto & glorioso filio sedes Apostolica gaudeat, & in ejus amore quiescat.

Pœna contraventium.

§. 6. Si qua sive Ecclesiastica Sæcularisve potentia huic nostræ concessioni temere contraire tentaverit, donec præsumptionem suam satisfactione coerceat, indignationem Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus incurrat & quousque resipuerit anathematis sententia percellatur. Amen.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Albericus Ostiensis Episcopus.

Haimericus S. Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis.

Datum VI. Kal. Augusti Anno Pontificatus 10.

Datum in territorio Mamanensi per manum Haimerici Cancellarij, VI. Kal: Augusti, Indictione Secunda, Incarnationis Dominicæ Anno millesimo centesimo trigesimo nono, Pontificatus vero, Anno decimo Domini Innocentij Papæ Secundi.

CÆLESTINUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXVII.

ANNO DOMINI MCXLIII.

CÆlestinus II. Tuscus, Guido antea vocatus, primus sine populi suffragio, quod Romani prisca jura Senatus in integrum restituere satagerent, Pontifex fuit renunciatus Anno 1143. die quo Innocentius decesserat. Willielmum Eboracensem improbum hominem, & ab Innocentio prædecessore damnatum Eboracensi præfecit Episcopatui, eumque à S. Bernardi criminationibus acriter defendit. Menses quinque & dies tredecim Pontificatum obtinuit. Obiit Anno 1144. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

ANNO 1144.

LUCIUS SECUNDUS.

PONTIFEX CLXVIII.

ANNO DOMINO MCXLIV.

LUcius II. Anno eodem quò Cælestinus decessit S. Romanæ Sedi est suffectus, Gerardus anteà dictus, Civis Bononiensis. Alphonsus Portugalliæ Dux pietatis ergo Ducatum suum constituit Romanæ Ecclesiæ vectigalem. Arnoldus dignitatem Senatoriam, & equestrem ordinem revocare quum studuisset, Romanos in Pontificem conscitavit, quibus obsistens Pontifex incerto lapidis ictù percussus diem obiit extremum Anno altero ex quo ad Pontificatum fuit assumptus. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

ANNO 1145.

EUGENIUS TERTIUS.

PONTIFEX CLXIX.

ANNO DOMINI MCXLV.

EUgenius prius Bernardus Pisanus vocatus: S. Bernardi discipulus post Lucii mortem Pontificatum obtinuit anno 1145. Hic metù Romanorum in Galliam profugus ibi resedit, cui corpus Decretorum à Gratiano Monacho fertur esse traditum. Mox in Italiam reversus obiit Tibure anno 1153. suæ sedis octavo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 34.)

Mandat

I. Ex Anecd. Martene T. V. Col. 412. An Dom. circiter 1150 Ex Schedis Colbertinis.

Mandat ad Bermundum Biterrensem antistitem, ut Trencavello Vicecomiti Biterrensi permittat Capellam suo in Palatio construere.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bermundo Biterris Episcopo S. & A. B.

NObilis vir Trencavellus à Jerosolymis rediens, & per nos transitum faciens, à nobis suppliciter postulavit, quatenus Capellam in suo Palatio strui eo tenore concederemus, ubi ipse Capellanum idoneum debeat invenire, & tibi post-modum ut ei animarum curam tribuas repræsentet, & in vita sua non interdicatur à divinis Officiis, nisi fortè ipse, vel aliquis de familia ejus culpam commiserit. Et quoniam petitio ejus toleranda est, ut Ecclesiæ tuæ, propter hoc detrimentum non possit in posterum provenire, per præsentia tibi scripta mandamus, quatenus Capellam eo tenore quo diximus ædificare permittas; & cùm ab eodem Trencavello invitatus fueris, ipsam Capellam consecrare non renuas, salvâ nimirùm in aliis tuâ, & Ecclesiæ tuæ integrâ justitiâ.

Datum Tusculani VI. Idus Octobris.

II. Ex Labbe Tom. 10. An. Dom. 1153.

Canonicis S. Petri Romanæ quartam oblationum partem concedit.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Bernardo Presbytero Cardinali Sancti Clementis, & Ecclesiæ Beati Petri Archipresbytero, atque cæteris ejusdem Ecclesiæ Canonicis, tam præsentibus quam futuris canonicè substituendis in perpetuum.

Procemium.

BEatorum Petri & Pauli tam eminens & tam gloriosa societas, ut & ambo sint Doctores Gentium, auctores Martyrum, Principes Sacerdotum: & cum inter universos Apostolos peculiari quadam prærogativa præcellant, æqualitatis in cælo meritis disparitatem non sentiunt. Petro ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu Christo claves regni cælorum sunt commissæ: Paulus à Deo electus est, ut de multitudine gentium regnum cælorum impleat sua prædicatione. Petrus, petra est & fundamentum fidei, & ne metuamus in soliditate nos firma sustentat: Paulus ne pravo hæreticorum dogmate vulneremur, mortalitatis honestate & invincibili ratione fidei nos armat. Petrus Principatum tenens, ex potestate ligat & solvit: Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile vel ligatione dignum in nobis appareat, mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum nostrum est ac domus fortitudinis & in fide ejus plantati & radicati sumus: Paulus vas electionis prædestinatos à Deo & electos cælestis tubæ sonoritate vocavit; & pro nobis sine intermissione orans, ne à fide & veritate deviemus, apud Deum interveniendo nos protegit. Cum igitur ij duo maxima Seminaria Dei Ecclesiam illustrantia, pari & amicabili splendore & fraterno amore præfulgeant: æquitatis & justitiæ persuadet ratio, ut nos, qui licet indigni Christi vices in terris agimus, & in ejusdem Apostolorum principis cathedra residere conspicimur, domesticam beati Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia eam provisione in suis necessitatibus adiuvemus.

Quartam oblationum partem quæ de Altari, de arca, omnibusque Ministeriis proveniunt Canonicis concedit & confirmat.

§. 1. Hujus itaque rationis debito provocati, dilecti in Domino filij, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari ejusdem beati Petri Apostoli, & tam de arca, quam de omnibus Ministeriis ipsius Ecclesiæ, præterquam de Ministerio beati Leonis proveniunt, vobis, ex consensu fratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium, sedis Apostolicæ auctoritate concedimus, & præsentis scripti pagina confirmamus. Ita videlicet, ut semper, cum volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in vestris manibus retinendi atque custodiendi: seu aliis quibus volueritis cum nostrorum successorum consensu vendendi: Salva in omnibus aliis & retenta in nostris & successorum nostrorum manibus ipsius ecclesiæ libera dispositione atque custodia.

Hortatio Pastoralis.

§. 2. Hoc autem ideo facere dignum diximus, ut vos die ac nocte studiosè in Dei laudibus desudantes, tam in Missarum celebratione quam in Matutinis est aliis horis, pro vivorum ac defunctorum salute, attenta diligentia & honeste decantandis, prædictam Beati Petri Ecclesiam obsequio debito veneremini: & Dei fideles apostolorum limina devotione debita visitantes, locum ipsum in majori devotione ac veneratione semper habeant.

Poena contraventium.

§. 3. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit hujus nostræ concessionis paginam temerario ausu infringere, seu quibuslibet modis perturbare. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Secularisve persona id attentare præsumpserit secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque dignitate careat reamque se divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Pax servantibus.

§. 4 Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco Servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant & in futurum præmia æternæ pacis Inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Ymarus Tusculanus Episcopus subscripsi.

Datum IV. Idus Aprilis, Pontificatus Anno IX.

Datum Romæ apud S. Petrum per manum Bosonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scriptoris, quarto Idus Aprilis, Indictione prima, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo tertio, pontificatus vero domini Eugenii III. Papæ Anno nono. Locus plumbi.

ANASTASIUS IV.

PONTIFEX CLXX.

ANNO DOMINI MCLIII.

ANastasius, Conradus antea vocatus, Civis Romanus anno 1153. Pontifex eligitur Pauperum amantissimus. Palatium apud S. Mariæ Rotundæ Templum magni-

ficentissimum erexit: annonæ penuriæ, nedum Urbem tunc temporis premente, sed Europam penè universam etiam extra Urbis mænia degentibus alimenta largitus est. Gratianus decreti compilator, Petrus Lombardus, & Petrus Comestor Scholasticæ Theologiæ antesignani ea tempestate floruerunt. Obiit Pontifex anno 1154. Pontificatum tenuit anno uno mensibus quatuor diebus 24. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 38.)

HADRIANUS IV.

PONTIFEX CLXXI.

ANNO DOMINI MCLIV.

Anno 1154. Hadrianus IV. Anastasium excepit natione Anglus anno 1154. qui sede Pontificia conscensa Romanos primo, quod S. P. Q. jura restituere conabantur, mox Willelmum Siciliæ Regem diris est persequutus. Cum Friderico Enobarbo non unam ob causam contendit. Tandem Romani Senatus metù Ananiam se contulit, ibique muscâ suffocatum obiisse tradunt anno 1159. sedis 4. Mense decimo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Append. fol.* 40.)

I. Ex Miscell. Balutii T. 2. pag 224. Edita An. Do. 1156.

Excommunicatio Gaufredi Comitis Ruscinonensis, qui legitimâ uxore dimissâ adulteram sibi copulaverat.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Berengario Narbonensi Archiepiscopo & Apostolicæ sedis Legato & Artaldo Helenensi Episcopo, & universis Baronibus per Helenensem Episcopatum constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Procemium. QUæ à prædecessoribus nostris rationabiliter sunt statuta, nullius temeritate volumus perturbari, sed inconvulsa ea mandamus & illæsa ab omnibus observari. Prædecessor autem noster felicis memoriæ Papa Eugenius Comitem Gaufredum & eam quam tenet adulteram excommunicationis vinculo innodavit, pro eo videlicet quod legitima uxore dimissa, non est veritus adulteram sibi matrimonio copulare.

Legitimâ etiam Comitis uxore defunctâ nunquam ei sit liberum pellicem sibi matrimonio copulare. §. 1. Et quia ut nobis dicitur pertinaciter adhuc in sua iniquitate perdurat, eandem sententiam ratam habentes, mandamus eam ab omnibus inviolabiliter observari, statuentes ut eidem Comiti nunquam sit liberum, legitima etiam uxore defuncta, tam sibi matrimonio copulare, quam non est dubium manifesto adulterio polluisse.

Filios in adulterio procreatos spurios perpetuòque paterna hereditate excludos decernit. §. 2. Filios autem quos ex adultera in adulterio procreauit, qui spurii à jure censentur, decernimus perpetuò paterna hereditate carere, nec eis liceat ullo tempore aliquid hereditatis ipsius Comitis jure successionis patere vel habere. Si verò ab eis hoc fuerit aliquando attentatum excommunicationis vinculo se noverint innodandos.

II. Anno 1157.

Bulla Hadriani Papæ quarti, Confirmationis compositionem inter Episcopum & Comitem Gebennensem.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri, Arducio Gebennensi Episcopo Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Arducium eique commissam Ecclesiam sub B. Petri ipsiusque protectione suscipit. QUotiens (1) a fratribus nostris Episcopus talia postulantur, que & equitati conveniant & a rationis tramite non recedant, decet nos animo libenti concedere, & eorum vota oportet nos, effectu operis prosequente complere. Ea propter Venerabilis in Christo, Frater Episcope, justis postulationibus tuis, grato concurrentes assensu, personam tuam, & commissam tibi Ecclesiam sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus.

Compositionem inter Episcopum Comitemque Gebennensem confirmat. §. 1. Compositionem vero que inter te & dilectum filium nostrum, nobilem virum Amedeum Gebennensem Comitem in presentia Venerabilium fratrum nostrorum S. Viennensis, E. Lugdunensis & P. Tarentasiensis Archiepiscoporum, J. Gratianopolitani, & Guillelmi Belicensis Episcoporum, & quorundam religiosorum Abbatum, super quibusdam controversiis que inter vos agebantur, utriusque partis assensu rationabiliter facta est, juxta tue postulationis instantiam, tibi & per te Ecclesie tue auctoritate Apostolica confirmamus cujus videlicet compositionis tenor sicut in Instrumento exinde facto continetur, in subsequentibus invenitur annexus.

De sacerdotibus feudum terramve Comitis tenentibus. §. 2. Predictus si quidem Frater noster Petrus Tarentasiensis Archiepiscopus, & dilecti filii nostri Almadricus Precentor Gebennensis Ecclesie, & Willelmus Alberici Decanus, Lambertus de Anassiaco Decanus, & Artoldus Decanus, Gualterius Canonicus & Capellanus, Pontius de Filingio Canonicus, Magister Petrus de Tolno Canonicus, Aymo Vicedominus Gebennensis, Amedeus de Nangiaco, Petrus de Nangiaco, Aymericus de Nangiaco, Falco Turumbertus, Conọ de Ruppe: a gravaminibus Sacerdotum & Diaconorum tibi à Comite illatis incipientes, quoniam tu exinde querimoniam feceras, ita inter vos composuerunt, ut si fundum vel terram Comitis Sacerdotes vel Diacones tenerent, eidem ex equo servirent; si vero terram ejus dimittere vellent, investituram dimitterent, & secundum quod ab eo tenuerant, usamentum facerent, & sic Episcopo & Ecclesie Gebennensi, in pace per omnia remanerent.

De Comitis suorumve servis nisi eorum assensu nullatenus ab Episcopo Ordinandum. §. 3. Quia etiam Comes adversus te querimoniam fecerat, quod eos qui servili conditione sui erant ordinaveras, super hoc ita est difinitum, ut qui ante Sacerdotes vel Diacones ordinati erant, in pace tibi dimitterentur, & deinceps servos Comitis, vel suorum, nisi eorum assensu nullatenus ordinares.

De feudo Decimarum. §. 4. De feudo quoque Decimarum conquestus est Comes, sed quia pretendebas difinitionem per compositionem super ipsas decimas à Comite tibi factam esse, ita positum

(1) Hanc Bullam cum Originali contulimus ejusque Orthographiam intactam reddidimus.

est

est, ut compositionem esse factam ostenderes, & teneretur; sin autem feudum Decimarum Comiti dimitteres, salvo quidem Episcopali jure & Apostolice sedis mandato.

De Castris super Ecclesia à Comite nuper constructis & de Willelmo Mavallensi cujus hominium indebitè Comes acceperat.

§. 5. Tu vero post hec aliam proposuisti querimoniam de Castris super Ecclesia a Comite nuper constructis, & de Willelmo de Marvallo cujus hominium Comes indebite acceperat, & proinde ab Ecclesia Gebennensi cujus per omnia esse debuerat, alienaverat; inde nimirum prefati concordatores sic de Castris composuerunt, ut quecunque super terram Ecclesie per Comitem constructa fuerant, si probari posset, omnino destruerentur: alioquin si super terram Comitis erecta essent, integra remanerent, ita sane quod rebus Ecclesie in aliquo non nocerent.

§. 6. Preterea de Willelmo Mavallensi ita est ordinatum, ut quia vir nobilis est, si vellet feudum Comitis dimitteret, & hominio Comitis irrito facto ad Gebennensis Ecclesie dominium & Episcopi rediret; si mallet feudum Comitis & ejus dominium tenere feudum Ecclesie in pace dimitterent, & exinde nullam exactionem Comes Ecclesie faceret.

De filio Maynerii ab Episcopo Comiti ablato.

§. 7. De cetero querimonia Comitis fuit de filio Maynerii quem tu ei abstuleras, super quo satis ad plenum a te responsum est habitum, videlicet quod mater ad dominium Ecclesiæ Gebennensis attinebat, & propter hoc filio Maynerii feudum Ecclesie dederat, quia ex parte matris quesierat & ad ipsum spectabat. Quocirca positum est, si Comes ipsum filium Maynerii habere vellet, ille feudum Ecclesie ad pacem dimitteret, &, a Comite vel ab aliquo nulla ex hoc gravamina Ecclesie inferrentur.

De hominibus & terris à Comite suisque Ecclesiæ interceptis.

§. 8. Porro de hominibus & terris Ecclesie a Comite & a suis interceptis & superceptis à te querimonia deposita fuit, super communi consilio compositorum dictum fuit, ut in quibus partibus Gebennensis Episcopatus hujusmodi controversia habebatur, pro examinanda veritate circa locorum affinitates quatuor ex parte tua & quatuor ex parte Comitis homines boni testimonii & indigene, ad jusjurandum censura Ecclesiastica cogerentur, & quod ipsos constaret tactis sacro sanctis reliquiis de justa possessione Ecclesie vel Comitis profiteri, ab utroque vestrum firmiter imposterum teneretur.

In compositione hac apud Saysel, facta, quid Episcopo, quid Comiti in dominio & justicia Gebennensis Civitatis attineret continetur.

§. 9. Inter cetera verò, que continentur in compositione apud Saysel facta, continerentur & hec, ut recordationes facte post jusjurandum per homines Episcopi & Comitis Amaldricum videlicet Gebennensem Cantorem & Canonicum, Wilelmum Borsi. Decanum, Richardum Vicedonnum, Willelmum de Bosco, sicut recitate fuerant communi assensu tui scilicet & Comitis in presentia memorati Petri Tarentasiensis Archiepiscopi & Amedei Lausannensis Episcopi, atque Abbatum totius Gebennensis Episcopatus, Rodulphi de Alta-comba, Stephani Chisiriacensis, Moysi de Bonomonte, Borch. de Habundantia, Pontij de Six, nec non Rodulphi Agaunensis Abbatis, & multorum religiosorum & honestorum virorum assistentium in Episcopali domo apud Gebennas, quid Episcopo, quid Comiti in dominio & justicia Gebennensis Civitatis attineret firmiter ab utriusque tenerentur.

De his quæ ad Episcopum pertinent.

§. 10. Recordationes sunt iste; Bannum totius Geneve, in omnibus & per omnia, tuum solummodo esse; Justiciam & dominium cujusque sit homo ad te tantummodo pertinere; Adventicios quoque ex quo per annum & diem Gebennis moram fecerint tuos solummodo esse, Comes vero in tota Geneva nullos homines capere debet; Hospitalitatem, placitum generale, foraciones vini, coroadam & mutationes domorum, si dominus mortuus fuerit, debes ut dominus possidere; Forum totius Ville, & Justiciam fori, ad te solummodo pertinere; Pedagium, ripale & pascua similiter. Comes quoque per se vel aliquem de suis in pascuis Gebennensibus, nullas equitaturas capere debet; Monetam in manus tuas tantummodo esse; si quis vero latro captus fuerit, ipsum & omnia ejus, tu habere debes; statio Comitis Gebennis in cognitione tua sit, ita tamen ut Comes & familia ejus Ecclesie & civibus & Ecclesiasticis rebus non noceat; Comes etiam aut aliqui de suis vadimonia sua per vim alicui & nisi eque valent minime ponant, & non aliter quam ad pacem creditoris eadem dimittant; Hactenus Episcopalia.

Et de his quæ ad Comitem spectare videntur.

§. 11. De his vero que ad Comitem spectare videntur sunt hec; Comes est, & bonus Advocatus sub Episcopo esse debet; Tantam denique familiaritatem, ex dilectione in domo Episcopali habere debet, quod in mutationibus officiorum ejusdem domus, si tu inde questionem habueris druuliam ibi ad modum habere debet. Tu quoque si adversus aliquem de familia sua commotus vel iratus fueris, ad Comitem refugium habebit, & donec tibi congruè satisfaciat, Comiti eundem tenere licebit: simili modo de familia Comitis a te per omnia tenebitur.

De peragenda justicia.

§. 12. Quamvis vero de Latrone sicut superius continetur fiat, si ad dampnamdum, vel aliquam inde justiciam faciendam fuerit deputatus, Comiti tamen properagenda justicia reddetur; Consequenter & de monetariis si falsam aliquando monetam fecerint, jussu tuo Comes justiciam faciet.

Quadraginta libræ à Comite Episcopo pro restauratione damni sunt persolvendæ, Canonicis vero damnum ad eorum libitum Comes emendaturus est.

§. 13. Quoniam igitur Comes modum excedento multa & maxima dampna tibi intulerat & Canonicis similiter domosque hominum tuorum diruendo destruxerat, dixerunt Compositores, ut quadraginta libras pro restauratione dampni Comes tibi persolveret; Canonicis vero dampnum suum ad eorum libitum & misericordiam emendaret; In redintegratione quoque domorum hominibus quorum fuerant ad eorum pacem emendationem Comes faceret. Dictum & autem ut omnibus hominibus tuis quos Comes pro malivolentia inter se & te habita odio habuerat, pacem redderet, Similiter & tu ipse hominibus Comitis pacem faceres, exceptis illis qui tua abstulerant, illa videlicet, que Comes minime habuerat, de quibus dictum est, ut Comes tibi super ipsis justiciam donec ablata juxta bene placitum tuum redderentur, faceret; sin autem tu ipse justitiam tuam proinde faceres, Comes vero in nullo tibi contradiceret.

De piscatione.

§. 14. De piscatione vero unde tu querimoniam feceras; ita positum est ut bonas consuetudines quas homines tui ab antiquo per lacum habuerant semper in pace haberent.

Et de Rodulpho sancti Gervasii.

§. 15. Fuit & querimonia tua te die piscationis in Venna quam Comes abstulerat, super quo a compositoribus dictum est, ut quando Comitem vocare velles, in Curiam tuam veniret, ac per cognitionem Curie in pace remaneret; De Rodulpho quidem Sancti Gervasii, quia Comes inde conquestus fuerat, sic positum est ut investitura Ecclesie remaneret, & si Comes vellet super hoc in Curiam tuam veniret, & secundum quod dictum erat

vel adhuc diceretur, jus suum uterque possideret.

Hanc-ce compositionem inviolabiliter observandam statuit eamque præsenti privilegio munivit.


§. 16. Si quis vero pacem hanc vel concordiam temerario ausu infringere temptaverit, dictum est ab ipsis Compositoribus, ut tu inde justiciam facias, & Comes infra quadraginta dies & tua pro facta justicia non offendat. Ut igitur compositio ipsa futuris semper temporibus inviolabiliter observetur eam Apostolice sedis auctoritate duximus confirmandam, & presenti privilegio muniendam.

Sanctio Pœnalis.

§. 17. Decernimus itaque, ut nulli omnino hominum liceat, hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, secundo tertiove commonitus, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, atque in extremo examine districte subjaceat ultioni.

Pax & benedictio servantibus.

§. 18. Cunctis verò eam servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant & apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Ad te Amen.





✝ Ego ADRIANUS Catholice Ecclesie Episcopus.

† Ego Gregorius Sabinensis Ecclesie Episcopus.

† Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Savine.

† Ego Girardus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio monte.

† Ego Henricus Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei.

† Ego Otto Diaconus Cardinalis tituli Sancti Georgii ad velum aureum.

† Ego Rodulphus Diaconus Cardinalis Sanctę Lucie in Scepta....

† Ego Guydo Diaconus Cardinalis Sancte Marie in porticu.

† Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicholai in Carcere Tuliano.

† Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.

† Ego Boso Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosme & Damiani.

† Ego Albertus Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.

Data XII. Kalend. Junii, Pontificatus Anno 3.

Datum Lat. per manum Rolandi Sancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XII. Kal. Junii, indictione quinta, Incarnationis Dominice, anno millesimo quinquagesimo, septimo, Pontificatus verò Domini Adriani Pape quarti, anno tertio.

Sigilli Originali Bullæ pendentis ex Archivis Reipub. Genevensis expromptæ similitudinem ex vero effinximus.

III. Ex Archivis Reipublicæ Genevensis expromptæ. ANNO 1157.

Alia Bulla ejusdem Papæ, per quam confirmat quascunque Largitionis factas Ecclesie Gebennensi per Serenissimum D. Fredericum Imperatorem, & possessiones & bona quecunque, quæ Geb. Ecclesia habebat, vel haberet in futurum, usibus illius perpetuis corroborat.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; venerabili Fratri Arducio Gebennensis Ecclesie Episcopo, ejusque successoribus, Canonice substituendis, in perpetuum.

CUm (1) ex injuncto nobis à Deo Apostolatus officio, quo cunctis Christi fidelibus authore Domino preminemus, singulorum Paci & tranquillitati debeamus intendere, Presertim pro illorum quiete; oportet nos esse sollicitos, qui Pastorali dignitate sunt prediti, & ad officium Pontificale promoti. Nisi enim nos eorum utilitatibus intendentes, ipsorum jura, in quantum Deo permittente possumus, integra conservemus, & auctoritate Apostolica, eos a pravorum incursibus defendamus, de illorum salute non vere poterunt esse solliciti, qui sibi ad regendum, Domino sunt disponente, commissi.

Ecclesiam Gebennensem sub B. Petri ipsiusque protec-

§. 1. Eapropter, venerabilis in Christo frater Gebennensis Episcope, tuis justis postulationibus gratum impertimur assensum, & prefa-

(1) Collatam cum originali & intactam reddidimus.

tione suscipit, & largitiones ab Imperatore Episcopo & Ecclesiæ factas confirmat & roborat.

tam Gebennensem Ecclesiam, cui, Deo autore, preesse dinosceris, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut ea que charissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum Imperator, ad Regale jus pertinentia, tibi, & Ecclesie tue, intra Civitatem Gebennensem & extra, pietatis intuitu noscitur legitime contulisse, & scripti sui pagina roborasse, sicut in ipso scripto continetur, tibi tuisque successoribus, auctoritate sedis Apostolice integre confirmamus, & hujus privilegii munimine, roboramus.

Possessiones quascunque illibatas conservari jubet,

§. 2. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem Ecclesia impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant.

Vexationibusque fatigari vetat.


§. 3. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, supradictam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva nimirum in omnibus, Apostolicæ sedis auctoritate:


Pœna contraventium.

§. 4. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam, sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque, se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi, aliena fiat; atque in extremo examine, districte ultioni subjaceat.

Pax jura servantibus.

§. 5. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini Jesus Christi. Quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum Judicem, premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen.





✠ Ego Adrianus Catholice Ecclesie Episcopus.

† Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tituli Sancte Savine.

† Ego Gregorius Sabinensis Ecclesie Episcopus.

† Ego Girardus Cardinalis tituli Sancti Stephani in Celio monte.

† Ego Almricus Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Nerei & Achillei.

† Ego Otto Diaconus Cardinalis tituli Sancti Getorri ad velum aureum.

† Ego Rodulphus Diaconus Cardinalis in Septa Sancte Lucie.

† Ego Guido Diaconus Cardinalis Sancte Marie in Porticu.

† Ego Odo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tuliano.

† Ego Arditio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.

† Ego Boso Diaconus Cardinalis Sanctorum Cosme & Damiani.

† Ego Albertus Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.

Data XII. Kal. Junij Pontificatus anno 3.

Datum Lat. per manum Rolandi Sancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis & Cancellarii XII. Kal. Junii, Indictione quinta, Incarnationis Dominice, anno millesimo quinquagesimo, septimo, Pontificatus verò Domini Adriani Pape quarti, anno tertio.

Sigilli originalis effigta similitudo.





tam

ALEXANDER TERTIUS. PONTIFEX CLXXII.

ANNO DOMINI MCLIX.

Adriano successit Alexander cui oppositus à Friderico Imp. Victor IV. & hoc mortuo Paschalis III. & Calixtus III. Post triennalem absentiam à Romanis Alexander fuit revocatus. Fridericum Imperatorem Venetiis pede cervici ejus imposito calcavit usus verbis illis Psalmi: super aspidem & Basiliscum ambulabis. Obiit anno 1182. Pontificatus vigesimo secundo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 40.

I. Dacher. Spicil. T. 3. nov. Edit. pag. 538. An. Dom. 1165.

Enarrat quomodo à Romanis sit exceptus.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Henrico Remensi, Archiepiscopo ejusque suffraganeis Salutem & Apostolicam benedictionem.

A Nostra vel successorum nostrorum memoria nullo tempore elabetur, quomodo vos in devotione B. Petri & nostra constanter & semper & firmiter persistere, & nobis non modicum honoris & reverentiæ curaveritis & larga obsequia exhibere. Unde nos id præ oculis semper habentes firmum propositum & promptam gerimus voluntatem, vos sicut honorabiles Fratres, & immobiles columnas Ecclesiæ arctiori caritate diligere, & ad honorem & profectum vestrum & Ecclesiarum vestrarum ferventiori desiderio aspirare. Quia vero vos prosperitatibus Ecclesiæ congaudere & plurimum congratulari cognoscimus, præsentium significatione Fraternitates vestræ cognoscatn, quod nos diversa maris pericula, & graves hostium & iniquorum incursus, divina potentia, & Apostolorum meritis evadentes, tandem ad portum salutis pervenimus, & à Senatoribus populoque Romano devotissime invitati, nono Calendas Decembris Urbem intravimus in omni pace & tranquillite suscepti, & illam nobis, & Fratribus nostris reverentiam honorem & devotionem prædicti Senatores, Nobiles Civitatis, Clerus Populusque Romanus exhibuerunt, qua nulla major alicui antecessorum nostrorum, sicut omnia ora testantur, aliquando exhibita fuisse probatur. Unde & credimus, & de misericordia Dei speramus, quod in proximo Ecclesia Dei plena pace & prosperitate gaudebit. Rogamus autem Fraternitatem vestram, monemus, & exhortamur in Domino quatenus sicut devotissimi viri ad augmentum & exaltationem Ecclesiæ solita devotione intendatis & alios in B. Petri & nostra reverentia exemplo vestro studeatis propensius solidare. Data Laterani VIII. Calendas Decembris.

Dat. VIII. Kal. Decembris.

II. Ex Arch. Angl. Rymer T. I. pag. 30.

Templum quod situm est Jerosolymis, variis communit Privilegiis, prohibens ne quis temere prædictum locum perturbet.

Edit. An. Dom. 1172.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Oddoni Magistro Religiosæ Militiæ Templi quod Jerosolymis situm est, ejusque successoribus & Fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam Professis in perpetuum.

Exordium.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio; Proinde dilecti in domino filii, de nobis & pro vobis omnipotentem Dominum collaudamus, quoniam in universo mundo vestra Religio & veneranda institutio nuntiatur. Cum enim natura essetis filii iræ, & seculi voluptatibus dediti, nunc per aspirantem gratiam, Evangelii non surdi auditores effecti, relictis pompis secularibus & rebus propriis, dimissa etiam spatiosa via quæ ducit ad mortem, arduum iter, quod ducit ad vitam, humiliter eligistis, atque ad comprobandum quod in Dei militia specialiter computemini, signum vivificæ crucis in vestro pectore assidue circumfertis.

Laudat eos quod ab incursibus Paganorum fratres defensare minimè formidant.

§. 1. Accedit ad hoc quod, tanquam viri Israelitæ atque instructissimi divini prælii bellatores, veræ Karitatis Flamma succensi, dictum Evangelium operibus adimpletis, quo dicitur, Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde etiam juxta summi Pastoris vocem, animas vestras pro fratribus ponere, eosque ab incursibus Paganorum defensare minime formidatis; & cum nomine censeamini milites Templi, constituti estis à Domino Catholicæ Ecclesiæ defensores, & inimicorum Christi impugnatores.

Hortaturque ut pro Pagan rum spurcitia eruenda expugnando intrepidè laborent.

§. 2. Licet autem vestrum studium & laudanda devotio in tam sacro opere, toto corde & tota mente desudet, nihilominus tamen universitatem vestram exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem, auctoritate Dei & Beati Petri Apostolorum Principis, tam vobis, quam servitoribus vestris injungimus ut pro tuenda Catholica Ecclesia, & ea, quæ est sub Paganorum tirannide, de ipsorum spurcitia eruenda expugnando inimicos crucis, invocato Christi nomine, intrepide laboretis.

Spoliarum portionem alicui dare cogi prohibet, eosque cum omnibus possessionibus sub Apost. sedis tutela suscipit.

§. 3. Ea etiam quæ de eorum spoliis ceperitis, fidenter inusus vestros convertatis &, ne de his contra velle vestrum, portionem alicui dare cogamini, prohibemus. Statuentes ut Domus seu Templum, in quo estis ad Dei laudem & gloriam, atque defensionem suorum fidelium & liberandam Dei Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus, & bonis suis quæ inpræsentiarum legitime habere cognoscitur, aut in futurum concessione Pontificum liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, perpetuis futuris temporibus sub Apostolicæ sedis tutela, & protectione consistat.

Fratres inibi Dom. servientes castè & sine proprio vivendos Magistroque suo in omnibus odebiendos statuit.

§. 4. Præsenti quoque decreto sancimus ut vita religiosa, quæ in domo vestra est, divina inspirante gratia instituta, ibidem inviolabiliter observetur; & fratres inibi, omnipotenti Domino servientes castè & sine proprio vivant, & professionem suam dictis & moribus comprobantes Magistro suo, aut quibus ipse præceperit in omnibus, & per omnia subjecti & obedientes existant.

Domus om-

§. 5. Præterea quemadmodum domus ipsa

hujus

hujus sacræ institutionis vestræ, & ordinis fons & origo esse promeruit; ita nichilominus omnium locorum, ad eam pertinentium, caput & magistra in perpetuum habeatur.

§. 6. Ad hæc adjicientes præcipimus ut obeunte te, dilecte in domino fili Oddo, vel tuorum quolibet successorum, nullus ejusdem domus fratribus præponatur, nisi militaris & religiosa persona quæ vestræ conversationis habitum sit professa, nec ab aliis, nisi ab omnibus fratribus insimul, vel à saniori parte, qui præponendus fuerit, eligatur.

§. 7. Porro consuetudines, ad vestræ Religionis & officii observantiam à Magistro & fratribus communiter institutas, nulli Ecclesiasticæ secularive personæ infringere vel minuere sit licitum; easdem quoque consuetudines à vobis aliquanto tempore observatas & scripto firmatas, non nisi ab eo qui Magister est consentiente tamen saniori parte capituli, liceat immutari.

§. 8. Prohibemus siquidem & omnimodis interdicimus, ut fidelitates, hominia, sive juramenta, vel reliquas securitates, quæ à secularibus frequentantur, nulla Ecclesiastica secularisve persona à Magistro & Fratribus ejusdem domus exigere audeat.

§. 9. Illud autem scitote quoniam sicut vestra sacra institutio & religiosa militia divina est providentia stabilita, ita nichilominus, nullius vitæ religiosioris obtentu, ad locum alium vos convenit transvolare; Deus enim, qui est incommutabilis & æternus, mutabilia corda non approbat, sed potius sacrum propositum semel, inceptum, perduci vult usque in finem debitæ actionis.

§. 10. Quot & quanti sub militari cingulo & clamide terreni Imperij Domino placuerunt, sibique memoriale perpetuum reliquerunt? Quot & quanti in armis bellicis constituti pro Testamento Dei, & paternarum legum defensione, suis temporibus fortiter dimicarunt, atque, manus suas in sanguine infidelium domino consecrantes, post bellicos sudores æternæ vitæ bravium sunt adepti? Videte itaque vocationem, vestram tam milites, quam servientes, atque juxta Apostolum unusquisque vestrum, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Ideoque fratres vestros semel devotos, atque in sacro collegio vestro receptos, post factam in vestra militia professionem, & habitum religionis assumptum revertendi ad sæculum nullam habere præcipimus facultatem, nec aliqui eos fas sit, post factam professionem, semel assumptam crucem dominicam, & habitum vestræ Religionis abjicere, vel ad alium locum, seu etiam Monasterium, majoris sive minoris religionis obtentu, invitis sive inconsultis fratribus aut eo, qui Magister extiterit, liceat transmigrare, nullique Ecclesiasticæ secularive personæ ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat.

§. 11. Et quoniam, qui sunt Ecclesiæ defensores de bonis Ecclesiæ debent vivere ac sustentari, de rebus mobilibus, vel se moventibus, seu de quibuslibet, quæ ad vestram venerabilem domum pertinent, à vobis decimas exigi, contra voluntatem vestram, omnimodis prohibemus.

§. 12. Ut autem ad plenitudinem salutis, & curam animarum vestrarum nichil vobis desit, & Ecclesiastica sacramenta, & divina Officia vestro sacro Collegio commodiùs exhibeantur, simili modo sancimus, ut liceat vobis honestos Clericos, & sacerdotes, secundum Deum, quantum ad vestram conscientiam, ordinatos, undecumque ad vos venientes suscipere, & tàm in principali domo vestrâ, quàm etiam in obedientiis & locis sibi subditis, vobiscum habere, dummodò, si è vicino sunt, eos à propriis Episcopis expectatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini teneantur obnoxii: quod si Episcopi eosdem vobis fortè concedere noluerint, nichilominùs tamen eos suscipiendi & retinendis auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, licentiam habeatis.

§. 13. Si verò aliqui horum, post factam professionem, turbatores religionis vestræ, aut domus, vel etiam inutiles apparuerint, liceat vobis eos, cum saniori parte capituli, amovere eisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere voluerint, licentiam dare, & loco ipsorum alios idoneos substituere, qui etiam unius Anni spatio in vestrâ Societate probentur: Quo peracto, si mores eorum hoc exegerint, & ad vestrum servitium utiles inventi fuerint, tunc demùm professionem faciant regulariter vivendi & Magistro suo obediendi: Ita tamen ut eundem victum & vestitum vobiscum habeant, nec non lectisternia; excepto eo quòd clausa vestiamenta portabunt.

§. 14. Set nec ipsis liceat de capitulo, vel curâ domû, vestræ se temerè intromittere, nisi quantùm à vobis fuerit injunctum. Curam quoque animarum tantùm habeant, quantùm à vobis fuerint requisiti.

§. 15. Præterea nulli personæ, extra vestrum Capitulum, sint subjecti; tibique dilecte in domino Fili Oddo, tuisque successoribus, tanquam Magistro & Prælato suo in omnibus & per omnia obedientiam deferant.

§. 16. Præcipimus insuper ordinationes eorundem Clericorum, qui ad sacros gradus fuerint promovendi à quocumque malueritis Catholico suscipiatis Episcopo, siquidem gratiam & communionem Apostolicæ sedis habuerit, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat.

§. 17. Eosdem autem pro pecunia prædicare aut lucro, vosque pro ejusmodi causa, eos ad prædicandum mittere prohibemus; nisi forte Magister Templi, qui pro tempore fuerit, certis ex causis id faciendum esse providerit.

§. 18. Quicumque sane ex his in vestro collegio suscipientur, stabilitatem loci, conversionem morum, seque militaturos Domino diebus vitæ suæ, sub obedientia Magistri Templi, posito scripto super altare, in quo contineantur ista, promittant; salvo quoque Episcopis jure Episcopali tam in decimis, quam in oblationibus & sepulturis.

§. 19. Nichilominus vobis concedimus facultatem, in locis sacro Templo collatis, ubi familia vestra habitat oratoria construere, in quibus utique ipsa familia divina Officia audiat; ibique si quis ex vobis, vel ex eadem familia mortuus fuerit, tumuletur; indecens enim est, & animarum periculo proximum religiosos fratres, occasione adeundæ Ecclesiæ, se virorum turbis & Mulierum frequentiæ immiscere.

§. 20. Cæterum decimas, quas consilio & consensu Episcoporum, de manu Clericorum, vel laicorum studio vestro extrahere poteritis, illas etiam, quas consentientibus Episcopis & eorum Clericis acquiretis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus.

§. 21. Decernimus insuper, auctoritate Apostolica, ut ad quemcumque locum vos venire contigerit, ab honestis atque catholicis sacerdotibus penitentiam, unctiones, seu alia quælibet sacramenta ecclesiastica vobis suscipere liceat, ne forte, ad perceptionem spiritualium bonorum vobis quippiam de esse valeat.

ANNO 1172.

§. 22. Quia vero in Christo omnes unus sumus, & non est personarum differentia apud Deum, tam remissionis peccatorum quam alterius beneficentiæ, atque Apostolicæ benedictionis, quæ vobis indulta est, etiam familiam vestram, & servientes vestros volumus esse participes.

§. 23. Cum autem fratres vestri, qui ad suscipiendas collectas destinati fuerint, in Civitatem Castellum, vel vicum advenerint, si forte locus ille interdictus sit, in jocundo eorum adventu, pro Templi honore, & eorumdem Militum reverentia, semel in anno aperiantur Ecclesiæ, &, exclusis excommunicatis divina Officia celebrentur.

§. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat prædictum locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur vestris & aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura.

§. 25. Si quis igitur hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

§. 26. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus benedictionem & gratiam consequantur Amen. Amen. Amen.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 569.

Epistola Alexandri Papæ III. ad Joscium Archiepiscopum Turonensem & ejus suffraganeos Confirmat sententiam interdicti latam in Cismarinam terram regis Angliæ propter vim illatam S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Jo. Turonensi Archiepiscopo & universis suffraganeis ejus & Ecclesiasticis personis in sua provincia constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.

IN Apostolicæ sedis specula licet immeriti constituti, universorum excessus per nos aut per eos qui sunt in partem sollicitudinis nobis commissæ assumti, provida debemus circumspectione corrigere, & singulorum erratibus pontificali moderantia obviare: ne nobis dissimulantibus, vitia videantur virtutibus prævalere.

§. 1. A memoria siquidem nostra non excidit, qualiter pro pace Sanctæ recordationis Thomæ Cantuariæ Archiepiscopi, cujus anima Deo, sicut credimus prætioso Martyrio dedicata in Cœlis cum sanctis habitat, juxta Officij nostri debitum solliciti & vigiles existentes, venerabilibus fratribus nostris Willelmo Senonensi Apostolicæ sedis legato & Ro. Rothomagensi Archiepiscopis mandaverimus, ut si Rex Anglorum ei Ecclesiam suam in omni pace & libertate non dimitteret, & ablata non restitueret, nec pacem quam secum fecerat firmiter conservaret, terram ejus Cismarinam interdicto subjicerent: & si uterque aliquo casu interesse non posset, vel nollet, alter nihilominus mandatum nostrum studiosius adimpleret.

§. 2. Quia vero prænominato Ro. Rotomagensi nolente mandatum nostrum exequi, id per jam dictum Senonensem est adimpletum, nos de communi fratrum nostrorum consilio, sententiam quam idem Archiepiscopus de mandato & auctoritate nostra in totam terram Cismarinam prædicti regis Angliæ protulisse dinoscitur, ratam & firmam habentes, & eam auctoritate Apostolica confirmantes, universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, & in virtute obedientiæ sub periculo ordinis & Officij vestri præcipimus, quatinus eamdem sententiam in terra quæ est in ditione memorati Regis, usque ad dignam satisfactionem firmiter, & inviolabiliter observetis, & ab aliis faciatis inviolabiter observari: nec aliquis vestrum eam relaxare, vel contra ipsam sine mandato Romani Pontificis vel legati ab eo destinati divina officia celebrare præsumat. Data Tuscul. II. Idus Maij.

IV. Ex Labbe Tom. X. Col. 1263.

De matribus quæ prolis suæ procurant interitum: de incestis, & alia fœda libidine: de iis qui cum sicca fæce vini, & micis panis vino intinctis, Missam faciunt: de matrimoniis sine sacerdotali benedictione factis.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Upsellensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus.

VICE beati Petri Apostolorum principis, largiente Deo & Domino nostro, qui ait, *Speculatorem te dedi domui Israël*, super gentes & regna, licet immeriti, in Apostolicæ sedis specula constituti: pontificalis officii debito pro universis compellimur solicitudinem gerere, & antiquo hosti, qui tanquam sævissimus leo circuit quærens quem devoret, pastorali providentia obviare, ne gregem Dominicum invadat, & diversis eum vitiorum morsibus laceret. Inde est, quod vehementi cor nostrum doloris pulsatur stimulo, audito quod in partibus vestris in tantum libido crudelis & turpis excreverit, ut quædam mulieres prolis suæ procurent interitum, earumque corruptores tam horrendo & detestabili facinori, non solum consentire, verum etiam persuadere præsumant: & alii incestuosa conjunctione, plerique cum jumentis abominanda se pollutione commaculent. Quæ quantum sint gravia, & creatori nostro penitus inimica, ipsa sceleris atrocitas satis demonstrat; quam nec audientium aures sine ingenti possunt horrore percipere.

Si enim qui jactato in terram semine prolem nolebat ex uxore suscipere, percussus à Domino testamenti veteris serie dinoscitur: qua pœna feriendus esse monstratur, qui natum proprium non abhorret occidere, & mavult interire quam vivere? Cujus utique criminis pœna, illud etiam persuadentes vel consentientes involui, beatus Augustinus ostendit dicens: « se periculose decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas existere, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos per quorum consilium & fraudem & exhortationem, homines extinguntur. Nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est: *Nobis non licet interficere quemquam.* Sed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipsi eum lingua interfecerunt dicentes: *Crucifige, crucifige eum.* «

Incestum vero quantum sacri abhorreant cano-

ANNO 1181.

„ nes, concilium Ilerdense demonstrat: Cum „ his, inquit, qui incestus se pollutione commaculant: quamdiu in ipso detestando & illicito „ carnis contubernio perseverant, nec sumere „ cibum ulli Christianorum, sicut Apostolus „ jussit, licebit. „ Porro scelus cum jumentis coëuntium quanta sit animadversione plectendum, legislator Moyses declarat, cum etiam ipsa interfici animalia jubeat, quæ tali contaminata flagitio indignam refricant acti memoriam.

Quia igitur abominabilem horum excessuum præsumptionem severa satis districtione congruit insequi: prædictos propriæ prolis necatores, & tam ipsum facinus persuadentes, quam consentientes, seu quoslibet parricidas, aut cum matre, filia, consobrina, vel nepte agentes, quam cum jumentis coeuntes, artiori pœnitentiæ jugo curetis compescere: & nisi senio confecti, vel corporis fuerint debilitate seu egestate oppressi, eos ad sedem apostolicam compellatis venire, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina visitare ut in sudore vultus sui, & viarum labore, superni judicis iram evadere, & ipsius misericordiam valeant invenire.

Ad hæc qui dormiendo, non voluntate, sed casu filios suos oppressisse inveniuntur: triennio si iidem filii fuerint baptizati; si vero absque sacro baptismate decesserint, quinquennio pœnitentiæ disciplinis subjaceant. Sacerdotes, quos ab his studiosius præcavere convenit, officii sui perpetua executione priventur. Verum si qui parentum absentes fuerint quando eorum filii suffocantur, aut si id sub aliena custodia contigerit: extra culpam erunt: si tamen eos non furiosæ, sed congruenti custodiæ ipsos se crediderint tradidisse.

Præterea non sine cordis amaritudine quosdam sacerdotes contra apostolicas institutiones, cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis, Missam celebrare audivimus: & fideles laïcos non Christiano more, absque sacerdotali benedictione & Missa, matrimonium contrahere. Unde sæpe illicita contingit fieri conjugia, & inter legitimas personas divortium intervenire Sane cum omne crimen, atque omne peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur: quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Cum enim magister veritatis, discipulis suis sacramentum commendaret nostræ salutis: non siccam fæcem vini, non micas panis vino intinctas accepit, sed panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis. Quia igitur secus agere, evangelicæ & apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ penitus est adversum: apostolica prohibemus autoritate, ut cum sicca fæce vini, vel cum micis panis vino intinctis, vel alio modo quam Dominus instituit, nullus de cætero sacrificare attentet: sed secundum formam sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem & vinum aqua mixtum in sacrificio corporis & sanguinis Christi offeratis.

Cæterum clandestina, & absque sacerdotali benedictione non debere contrahi conjugia, aut nisi inter legitimas personas, quæ infra septimum gradum nulla consanguinitatis linea conjungantur: nec contracta, nisi canonice & consensu Episcopi dissolvi: multorum sanctorum Patrum declarat auctoritas. Vos itaque muniti sanctorum Patrum sanctionibus & ecclesiasticis institutis, hæc quæ dicta sunt, diligenter servate, & ab aliis præcipite inviolabiliter observari: dispensationis moderamine utentes, ut qui in quinto vel quarto gradu conjuncti sunt, eos non separetis, sed ne amplius taliter conjungantur, pontificali autoritate & districtione prohibeatis. Datum Tuscul. v. Idus Septembris.

LUCIUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXIII.

ANNO DOMINI MCLXXXI.

Lucius III. Lucensis, Hetruscus, Ubaldus Allucingolus Bonagiuntæ Mordi filius, ex Canonico Lucensi, Presbiter Cardinalis tit. S. Praxedis ab Innocentio II. & Episcopus Ostiensis, & Veliternus ab Hadriano IV. factus, creatus Romæ quarto Kal. Septembris, & coronatus 3. Kal. anno 1181. sedit annos 4. menses 2. dies 28. Creavit Cardinales 15. Obiit Veronæ 7. Kal. Decembris 1185. Corpus ejus in Cathedrali Ecclesia sepultum. Non vacavit sedes. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 47.)

Templariis Privilegia ab Alexandro concessa confirmat.

I. Ex Archiv. Angl. Rymer. Tom. I. pag. 54.

LUCIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilectis filiis Arnaldo Magistro religiosæ militiæ Templi, quod Jerosolimis situm est, ejusque fratribus tàm præsentibus quàm futuris in perpetuum.*

OMNE datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Proindè, dilecti in Domino filii de vobis & pro vobis omnipotentem Dominum collaudamus, quoniam in universo mundo vestra religio & veneranda institutio nuntiatur.

Cum enim natura effetis filii iræ & sæculi voluptatibus dediti, nunc per aspirantem gratiam Evangelii non surdi auditores effecti, relictis Pompis sæcularibus, & rebus propriis, dimissa etiam spatiosa via, quæ ducit ad mortem, ardum iter, quod ducit ad vitam, humiliter elegistis, atque ad comprobandum quod in Dei militia specialiter computemini, signum vivificè crucis in vestro pectore assiduè circum fertis.

Accedit ad hoc quod tanquam veri Israëlitæ, atque instructissimi divini prælii bellatores, verè charitatis flamma succensi dictum Evangelicum operibus adimpletis, quo dicitur, majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Unde cum summi Pastoris vocem juxta, animas vestras pro fratribus ponere, eosque ab incursibus Paganorum defensare minimè formidetis, & cum nomine censeamini milites constituti estis à Domino Catholicæ Ecclesiæ defensores, & inimicorum Christi impugnatores.

Licet autem vestrum studium & laudanda devotio in tam sacro opere toto corde, & totâ mente desudet nichilominus tamen universitatem vestram exhortamur in Domino, atque in peccatorum remissionem auctoritate Dei, & Beati Petri Apostolorum Principis, tàm vobis quàm servitoribus vestris injungimus, ut pro tuenda Catholica Ecclesia & ea, quæ est sub Paganorum tirannidè, de ipsorum spurcitia eruenda, expugnando inimicos crucis invocato Christi nomine intrepidè laboretis.

Ea etiam, quæ de ipsorum spoliis ceperitis, fidenter in usus vestros convertatis, & ne de his, contra velle vestrum, portionem alicui dare cogamini prohibemus.

Statuentes ut domus seu Templum, in quo estis ad Dei laudem & gloriam atque defensionem suorum fidelium, & liberandam Dei Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus & bonis suis, quæ in præsentiarum legitimè habere cognoscitur, aut in futurum concessione Pontificum liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, perpetuis futuris temporibus sub Apostolicæ sedis tutela & protectione consistat.

Præsenti quoque Decreto sanccimus, ut vita religiosa quæ in vestra domo est divina inspirante gratia, instituta ibidem inviolabiliter observetur, & fratres, inibi omnipotenti Domino servientes, castè & sine proprio vivant, & professionem suam dictis & moribus comprobantes, magistro suo, aut quibus ipse præcepit in omnibus, & per omnia subjecti & obedientes existant. Prætereà quemadmodum domus ipsa hujus sacræ vestræ institutionis & ordinis, fons & origo esse promeruit; ita nichilominus omnium locorum ad eam pertinentium caput & magistra in perpetuum habeatur.

Ad hæc adicientes præcipimus, ut obeunte te, dilecte in Domino fili Arnalde, vel tuorum quolibet successorum, nullus ejusdem domus fratribus præponatur, nisi militaris & religiosa persona, quæ vestræ conversationis habitum sit professa; nec ab aliis, nisi ab omnibus fratribus insimul, vel à saniori, ac puriori eorum parte, qui præponendus fuerit, eligatur.

Porrò consuetudines ad vestræ religionis & officii observantiam à magistro & fratribus communiter, institutas nulli Ecclesiasticæ secularisve personæ infringere vel minuere sit licitum. Easdem quoque consuetudines à vobis aliquanto tempore observatas, & scripto firmatas, non nisi ab eo qui magister est consentiente tamen saniori parte capituli, liceat immutari.

Prohibemus autem & omnimodis interdicimus ut fidelitates hominia, sive juramenta, vel reliquas securitates, quæ à secularibus frequentantur, nulla Ecclesiastica secularisve persona à magistro, & fratribus ejusdem domûs exigere audeat.

Illud autem scitote quum sicut vestra sacra institutio & religionis militia divina est providentia stabilita, ita nichilominus, nullius vitæ religiosoris optentu, ad locum alium vos convenit transvolare. Deus enim qui est incommutabilis & æternus mutabilia corda non approbat, sed potiùs sacrum propositum semel inceptum, perduci vult usque in finem debitæ actionis. Quot & quanti sub militari cingulo & clamide terreni Imperii Domino placuerunt sibique memoriale perpetuam reliquerunt? Quot & quanti in armis bellicis constituti pro Testamento Dei & paternarum legum defensione suis temporibus fortiter dimicarunt, atque manus suas in sanguinem infidelium Domino consecrantes post bellicos sudores eternæ vitæ bravium sunt adepti? Videte itaque vocationem vestram fratres tàm milites quàm servientes, atque juxta Apostolum unusquisque vestrum in qua vocatione vocatus est in ea permaneat. Ideòque fratres vestros semel devotos, atque in sacro Collegio vestro receptos, post factam in vestra militia professionem & habitum religionis assumptum revertendi ad sæculum nullam habere præcipimus facultatem. Nec alicui eorum fas sit, post factam professionem semel assumptam crucem Dominicam, & habitum vestræ professionis abjicere, vel ad alium locum, seu etiam monasterium, majoris, sive minoris religionis optentu invitis, sive inconsultis fratribus, aut eo qui magister extiterit liceat transmigrare. Nullique Ecclesiasticæ secularive personæ ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat.

Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Cæterum decimas, quas Consilio & consensu Episcoporum, de manu Clericorum vel Laicorum habere poteritis: illas etiam quas consentientibus Episcopis & eorum Clericis acquiretis, vobis auctoritate Apostolica confirmamus.

Ut autem ad plenitudinem salutis & curam animarum vestrarum nichil vobis desit, & Ecclesiastica sacramenta & divina officia vestro sacro Collegio exhibeantur commodiùs, simili modo sanccimus, ut liceat vobis honestos Clericos, & Sacerdotes, secundum Deum, quantum ad vestram scientiam, ordinatos, undecumque ad vos venientes suscipere, & tàm in principali domo vestra, quàm etiam in obedientiis, & locis sibi subditis vobiscum habere, dummodò, si è vicino sunt eos à propriis Episcopis expetatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini teneantur obnoxii. Quod si Episcopi eosdem vobis concedere forte noluerint, nichilominus tamen eos suscipiendi & retinendi auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ licentiam habeatis.

Si verò aliqui horum, post factam professionem, turbatores religionis vestræ, aut domus, vel etiam inutiles apparuerint, liceat vobis eos cum saniori parte capituli amovere, eisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere voluerint, licentiam dare, & loco ipsorum alios idoneos substituere, qui etiam unius anni spatio in vestra Societate probentur. Quo pacto, si mores eorum hoc exigerint & ad vestrum servitium utiles inventi fuerint, tunc demùm professionem faciant regulariter vivendi, & magistro suo obediendi; ita tamen ut eundem victum, & vestitum vobiscum habeant, nec non lectisternia, excepto eo quòd clausa vestimenta portabunt. Set nec ipsis liceat de capitulo, vel cura domus vestræ se temerè intromittere, nisi quantum à vobis eis fuerit injunctum. Curam quoque animarum tantùm habeant, quantùm à vobis fuerint requisiti.

Præterea nulli personæ extra vestrum capitulum, sint subjecti, tibique dilecte in Domino fili Arnalde, tuisque successoribus, tanquam magistro & Prælato suo, secundum statuta ordinis vestri obedientiam deferant. Consecrationes vero altarium, seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta à Diœcesanis suscipiatis Episcopis, siquidem Catholici fuerint, & gratiam atque Communionem Apostolicæ sedis habuerint, & ea gratis & absque pravitate aliqua vobis voluerint exhibere, alioquin liceat vobis Catholicos, quoscumque malueritis, adire antistites, qui, nimirùm nostra fultus auctoritate, quæ postulantur indulgeant.

Clericos autem pro pecunia prædicare aut lucro, vosque pro ejusmodi causa eos ad prædicandum mittere prohibemus, nisi forte magister Templi, qui pro tempore fuerit, certis ex causis id faciendum esse decreverit.

Si quando verò loca deserta fuerint eidem venerabili domui ab aliquo pia devotione collata, liceat vobis ibidem Villas ædificare, Ecclesias & Cimiteria ad opus hominum ibidem

ma-

ANNO 1181.

manentium fabricare : ita tamen ut in vicinia illa Abbatia vel Religiosorum virorum Collegium non existat : quæ ob hoc valeat perturbari.

Cum autem terræ cultæ vobis quolibet justo titulo conferuntur, facultatem & licentiam habeatis ibidem oratoria construendi Cimiteria faciendi, ad opus transeuntium, & eorum tantummodo qui de vestra fuerint mensa. Indecens enim est, & animarum periculo proximum, Religiosos fratres, occasione adeundæ Ecclesiæ, se virorum turbis & mulierum frequentiæ inmiscere.

Quicunque sanè in vestro Collegio suscipientur, stabilitatem loci conversionem morum, seque militaturos Domino diebus vitæ suæ sub obedientia magistri Templi, posito scripto super Altare, in quo contineantur ista promittent.

Decernimus ergo ut receptores fraternitatum vestrarum sive collectarum, salvo jure Dominorum suorum, in Beati Petri & nostra protectione consistant, & per terras, in quibus fuerint pacem habeant.

Simili modo sanccimus ut quicumque in vestra fraternitate fuerit receptus, si forte Ecclesia, ad quam pertinet, à divinis officiis erit prohibita eumque mori contigerit, eidem sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus vel nominatim fuerit interdictus.

Præterea si quis fratrum vestrorum, qui ad recipiendas easdem fraternitates vel collectas à vobis fuerint missi, in quamlibet Civitatem, Castellum, vel Vicum advenerint si forte locus ipse à divinis officiis sit interdictus, pro omnipotentis Dei reverentia, & eorum jocundo adventu semel in anno aperiantur Ecclesiæ, & exclusis excommunicatis, divina ibi officia celebrentur.

Statuimus etiam ut nulli Episcopo in Ecclesiis, vobis utroque jure subditis, interdicti vel excommunicationis sententiam liceat promulgare. Verumtamen, si generale interdictum fuerit in locis illis prolatum exclusis excommunicatis & nominatim interdictis, clausis janu is, absque signorum pulsatione, planè divina officia celebretis.

Decernimus insuper auctoritate Apostolica ut apud quemcumque locum vos venire contigerit, ab honestis atque Catholicis Sacerdotibus pœnitentiam, unctionem, seu alia quælibet sacramenta Ecclesiastica suscipere liceat, ne forte ad perceptionem spiritualium bonorum vobis quippiam deesse valeat.

Quia vero omnes in Christo unus sumus, & non est personarum differentia apud Dominum, tàm remissionis peccatorum, quàm alterius benificientiæ, atque Apostolicæ benedictionis quæ vobis indulta est, etiam familiam & servientes vestros volumus esse participes.

Nulli ergo omnino hominum liceat prædictum locum temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, vestris atque aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura. Salva in omnibus Apostolicæ sedis auctoritate.

Si quis igitur hujus nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Conservantes autem hæc omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus benedictionem & gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen.

ANNO 1181.

II.

De quibusdam abusibus in Diœcesi Pictavensi corrigendis.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo Pictavensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Anecd. Martene Tom. I. pag. 620.

CUm sit in Lateranensi concilio constitutum ad immoderatam quorumdam avaritiam coërcendam, & tollendam materiam jurgiorum, ne beneficia Ecclesiastica, donec vacaverint, promittantur : grave nobis est & molestum, quòd in diœcesi tua Abbates & priores instituta salubria surdâ aure transire, & hujusmodi promissiones illicitas facere perhibentur. Unde ne hæc enormitas quæ salubri fuerat constitutione præcisa, vires ex dissimulatione resumens perniciosa licentia denuo inolescat ; fraternitati tuæ præsentibus litteris indulgemus, ut hujusmodi promissionibus irritatis, si occasione dissentionum quæ exinde frequenter emergunt, culpa illorum qui præsentationem habere noscuntur, ultra sex menses Ecclesias vacare contingerit, liceat tibi de auctoritate Apostolicæ sedis, omni contradictione, vel appellatione cessante, de personis idoneis sine præjudicio tamen eorumdem imposterùm ordinare. Nolumus autem ut ex hoc majoribus Ecclesiis vel debita reverentia minuatur. Ut etiam injunctum tibi officium tantò liberiùs exequaris, quantò apostolicum tibi videris adesse præsidium, sollicitudini tuæ præsenti auctoritate concedimus, ut Abbatissas & alias mulieres, quæ in Episcopatu tuo domibus religiosis præesse noscuntur, per quarum insufficientiam & negligentiam Deo devotæ fœminæ observantiam Religionis exorbitant, cum consilio dilectorum filiorum nostrorum sancti Cypriani & de Pinu Abbatum corrigere valeas ; & si inventæ fuerint contumaces, absque appellationis diffugio disciplina Ecclesiastica coercere : ut quæ remediorum fomenta non sentiunt, putrida ferro vulnera resecentur : salvis Ecclesiis quæ nullo mediante Romano Pontifici sunt subjectæ. Ad hæc autem præposituram Ecclesiæ tuæ cum vacaret, idoneæ assignandi personæ cum assensu majoris & sanioris partis capituli liberam tibi tribuimus facultatem. Quod si super ea, vel super alio Ecclesiæ tuæ beneficio cuilibet conferendo tuæ devotioni scripsimus, arctari te nolumus mandatum apostolicum adimplere, sed nisi honesta persona & beneficio digna extiterit pro qua litteras Apostolicas contigerit emanare. Hoc autem propter futuram Ecclesiæ tuæ quæ vacaret proponitur . . . idonei assignandi tuis nobis litteris intimetur, ne fortè per ignorantiam veritatis denuò tibi scribere compellamur. Cùm verò de jure & consuetudine ad Episcopum Pictavensem qui pro tempore fuerit pertinere dicitur in conventualibus Ecclesiis Clericorum in diœcesi Pictavensi, & nihilominus in Ecclesia Dauracensi unum canonicum facere præsenti paginâ prohibemus, ne quis, appellationis pretextu, quod tibi competit in hac parte debeat impedire. Sanè cùm quidam viri religiosi qui ad unum prioratum regendum vix sufficiunt, plerumque duos ambitione damnabili appetant, & detinere præsumant ; discretioni tuæ præcipimus, ut hanc præsumptionem compescas, & tàm Abbates, quàm Archipresbyteros, decanos per tuam diœcesim constitutos

ANNO 1181.

ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remotâ, compellas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & prohibitionis infringere. vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Veronæ III. Idus Martii.

III. Ex opt. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1189.

Donationes Godefridi I. Henrici I. & Godefridi II. Brabantiæ Ducum, in favorem equitum Templariorum confirmat.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: dilectis filiis magistro & fratribus domus militiæ Templi salutem & Apostolicam benedictionem.

JUSTIS petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu piam concessionem bonæ memoriæ Godefridi, quondam Ducis Lotharingiæ vobis & domui vestræ rationabiliter factam, ratam esse decernimus, eamque, ut indissolubilem obtineat firmitatem, præsentibus litteris duximus inserendam.

Statuit namque divinitus inspiratus, ut quindecim mansos & Maresium & prata usque ad flumen Lane, in loco ubi sylva fuit, & vadit secùs terram Monachorum Sanctæ Mariæ & terram viri nobilis Gosowini, ex dono suo, propria consentiente uxore sua, habeatis in posterùm & ad utilitatem domus vestræ utiliter teneatis.

Præterea nepos ejus Godefridus Dux Lotharingiæ, cum propriæ uxoris assensu donum à prædicto Godefrido Avo suo factum recognovit & ratum habuit, & ad exemplar ipsius relevamentum hominum suorum, tàm in Ducatu de Brabantia, quàm in Comitatu de Arescot: & in tota terra, & in Ducatu suo, sicut ex Autentico scripto ejus agnovimus, vos habere concessit.

Adjiciens, ut quicumque de fratribus vestris in Curia ejus pro reditu illo colligendo morabitur, pro se & duobus scuteriis & tribus equitaturis fœnum & avænam habehat, & candelas, & ferraturas equorum de Curia ipsa percipiat.

Quæ utique omnia, sicut piæ & rationabiliter data sunt & concessa, rata esse decernimus, & eavo bis & domui vestræ auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere & ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Arimini x. Kal. Julii.

ANNO 1184.

IV. Ex spicil. Dacher. Tom. III. pag. .....

Canonicis Carnotensibus prohibet pluralitatem beneficiorum & residentiam præscribit.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Episcopo, & dilectis filiis G. Decano & capitulo Carnotensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM ab eo cui plus committitur, ampliùs exigatur, dignum est & consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra præ aliis honorantur studiosius illi deserviant, & utilitati ipsius intendant.

Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus Apostolica statuendum, ut honores Carnotensis Ecclesiæ aliis de cætero minimè concedantur, nisi qui secundum antiquam & rationabilem consuetudinem residentiam se promisserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur honoribus alieni.

Ad hæc auctoritate Apostolica inhibemus, ne quis in alia Ecclesia beneficium habens, in Canonicum Ecclesiæ vestræ, aut Plebanum Presbyterum admittatur, nisi Priori cesserit beneficio, & ab proprio fuerit Episcopo absolutus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Velletr. XVI. Calendas Februarii.

V. Ex Archivis Reipublicæ Genevensis exprompta collataque cum originali.

Confirmatio Sententiæ contra Comitem Gebennensem.

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Viennensi Archiepiscopo & Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUOCIENS in malefactores Ecclesiarum Ecclesiastice districtionis, Sententia pro eorum excessibus canonice promulgatur, tamdiu in sua debet firmitate consistere, donec malefactores ipsi cogantur cum satisfactione condigna, quæ perperam gesserant emendare. Hinc est quod Sententiam quam in Comitem Gebennensem & terram ejus pro dampnis & injuriis Gebennensis Ecclesiæ canonice promulgatis auctoritate Apostolica confirmamus, & usque ad satisfactionem debitam præcipimus inviolabiliter observari. Dat. Velletr. Kal. Julii.

ANNO 1185.

URBANUS TERTIUS,

PONTIFEX CLXXIV.

ANNO DOMINI MCLXXXV.

URbanus III. Mediolanensis, Lambertus Cribellus anteà vocatus, Joannis Cribelli filius, Ecclesiæ Mediolanensis Archidiaconus, mox Presbyter Cardinalis ab Alexandro III. factus, creatus Veronæ 7. Kal. Decembris, & coronatus 8. Kalend. Jan. 1185. Sedit annum 1. menses 10.

dies

dies 25. Creavit Cardinales duos. Obiit Ferrariæ 14. Kalend. Novembris, anno 1187. cujus corpus in Cathedrali Ecclesia Ferrariensi sepultum est. Vacavit sedes diem unum. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 47.*)

I. Ex Archiv. Reipublicæ Genevensis exprompta collataque cum originali.

Bulla Papæ Urbani III. quæ confirmat Sententiam latam per Robertum Archiepiscopum Viennensem & Hugonem Abbatem Bonævallis super Controversiis existentibus inter Arducium Episcopum & Willelmum Comitem.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Nantellino Gebennensi Episcopo Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EX tenore autentici Scripti nobis innotuit, quod cum discordia que super bannis & justiciis Ecclesiæ tuæ & hominibus adventiciis vel aliis ad Civitatem pertinentibus inter bonæ memoriæ Arducium Antecessorem tuum & Willelmum Comitem Gebennensem emerserat, Venerabilis Frater noster Robertus Archiepiscopus Viennensis & dilectus filius Hugo Abbas Bone Vallis suscepissent de assensu partium terminandam. Comes jurejurando & in verbo veritatis Episcopus promiserunt eorum arbitrium inviolabiliter observare. Multi etiam obsides de recipiendo & servando arbitrio juraverunt. Veritate itaque diligentiùs inquisita decreverunt ut recordationes olim factè per homines Ecclesiæ atque Comitis, & eorundem juramento firmate perpetuo inviolabiliter observentur.

Unde quoniam, ut majorem habeat firmitatem arbitrium ipsum, scripto nostro postulas roborari, tuis justis postulationibus annuentes, illud sicut in scripto autentico continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Ejus vero talis est tenor. In nomine Domini nostri Jesu Christi. *Ego Robertus, &c.*

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Veronæ II. Id. Decembr.

II. Approbatio ordinem Fratrum Cruciferorum, Hospitalis Bononiensis.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ben. magistro & Fratribus cruciferis Hospitalis domus Bononiensi, tàm præsentibus quàm futuris communem vitam ducentibus in perpetuum.

Ex Labbe Tom. X. Conc. Col. 1745.

CUM Antecessor tuus, fili Prior, à prædecessore nostro Fel. mem. Alexandro Papa lapidem primarium ad Ecclesiam construendam acceperit, in territorio Bononiensi, ubi domus vestra, nunc constructa dignoscitur: nos vestris postulationibus inducti, eandem Ecclesiam in quâ divino estis & pauperum obsequio mancipati, in jus & proprietatem Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus.

Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia vestrâ cum Hospitali in præsentiarum, justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Hospitale & Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, &c.

Sanè novalium vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas, è sæculo fugientes ad conversionem & pauperum Christi servitium recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere.

Inhibemus autem ne aliqua Ecclesiastica, sæcularisve persona, in domum vestram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum vestrorum de ipsa domo audeat ejicere violenter.

Clerici etiam, qui ad domos vestras ordinati fuerint, & assumpti, nulli alii quam tibi fili Prior, præstare obedientiam compellantur.

Prohibemus insuper ne cui liceat vos, aut domos vestras, interdicto, vel excommunicationi, sine manifesta & rationabili causa, & legitima citatione subjicere.

Præsenti pagina decernentes, ut nullus Ecclesiarum Prælatus à domibus vestris quicquam exigere, præter libram ceræ, audeat, vel etiam extorquere. Salvis censibus illis, qui nunc in quibusdam domibus vestris constituti sunt de consensu Episcoporum annuatim percipiendi.

Nihilominùs etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus vestris, ubi tot Fratres assiduè commorantur, quibus sit Ecclesia necessaria, liceat vobis oratoria erigere, & Cæmeteria fabricare.

Quorum sepulturam liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepiliri deliberaverint, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Chrisma quoque Oleum Sanctum, dedicationes Ecclesiarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros fuerint ordinationes promovendi, & cætera Ecclesiastica sacramenta, à quocumque malueritis Ca holico recipiatis Episcopo, qui nostra fultus authoritate, quod postulatur impendat.

Ad indicium autem quod eâdem domus vestra specialiter Beati Petri existat, duodecim imperiales nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis.

Decernimus ergo ut nulli omninò hominum liceat præfatam Ecclesiam & Hospitale temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit. Secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemptoris Nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

ANNO 1187.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem præmia pacis inveniant Amen.

Ad te Domine levavi animam meam.

✝ Ego URBANUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

† Ego Henricus Albanensis Episcopus.
† Ego Paulus Prænestinus Episcopus.
† Ego Theobaldus Hostiensis, & Velletrensis Episcopus.
† Ego Petrus Presbit. Card. tit. S. Susannæ.
† Ego Laborans Presbit. Card. S. Mariæ Transtiberim tit. S. Callisti.
† Ego Pandulphus Prebist. Card. tit. XII. Apostolorum.
† Ego Melior Presbit. Card. SS. Joannis & Pauli, tit. Pammachii.
† Ego Adælardus tit. S. Marcelli, Presbit. Card.
† Ego Jac. Diac. Card. S. Mariæ in Cosmedin.
† Ego Gratianus SS. Cosmæ & Damiani Diac. Card.
† Ego Roland. S. Mariæ in Porticu, Diac. Card.
† Ego Petrus S. Nicolai in carcere Tullian. Diac. Card.
† Ego Rad. S. Georgii ad velum aureum, Diac. Card.

Datum Veronæ, per manum Moysi Lateranensis Canonici, viceagentis Cancellariæ VII. Kal. Aprilis Indict. V. Incarnationis Dominicæ, anno MCLXXXVII. Pontificatus vero D. Urbani Papæ III. anno 2..

Ne Domus Claustrales Laïcis dentur aut locentur.

III.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri R. Episcopo, & dilectis filiis Decano, & capitulo Carnotensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex Dacher. T. III. Spic. pag. 550.

AUDIVIMUS & audientes nequivimus non mirari, quod Laïci quidam in Claustro vestro domos jure hæreditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas Clericorum quies in honesto strepitu sæpè turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis præpeditur. Joculatoribus quidem aleatoribus, cauponibus & mulieribus turpibus præscriptæ domus de consuetudine prava locantur.

Volentes igitur communi Ecclesiæ honestati consulere, auctoritate Apostolica prohibemus, ne domos Canonicales ulterius Laicis, per quos honestati Ecclesiasticæ derogetur, vel gratis dentur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constituimus etiam de domibus, quas Laïci in Claustro jure hæreditario tenent, si eas in personis propriis cum honestâ familiâ, exclusis mulieribus turpibus inhabitare noluerint, ut non nisi Clericis, vel personis regularem vitam professis gratis, vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Ven. XII. Kal. Martii.

ANNO 1187.

GREGORIUS VIII.

PONTIFEX CLXXV.

ANNO DOMINI MCLXXXVII.

GRegorius Beneventanus, priùs vocatus Albertus omnium suffragio electus est anno 1187. tempore Friderici Imperatoris. Post dies quinquaginta septem Pontificatus sui obiit. (*Magni Bullarii Rom. Tom. I. hujus Edition. Luxemb.* 1727. *fol.* 48.)

Pro justitiâ faciendâ & litibus componendis.

I.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Labb. T. X. Concil. Col. 1752.

Servus Servorum Dei, omnibus Prælatis Ecclesiarum ad quos litteræ istæ pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUONIAM ad Episcoporum maximè spectat officium afflictis & laborantibus subvenire, unumque illorum licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit: prospicere tenemur & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem Ecclesiæ laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & allevare labores, de consueta sedis Apostolicæ misericordia duximus statuendum, ut litteræ prædecessoris nostri Domini Urbani à tribus mensibus ante ipsius obitum destinatæ pro facienda justitia & litigiis dirimendis, quæ tamen manifestum alicujus præjudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eumdem habeant tempore nostræ administrationis effectum quem habere, si adhuc viveret debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite, quod mandavit agendum; ut nemo ad nos pro excusatione hujusmodi, accepta per illum justitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare. Datum Ferrariæ sexto Kalendas Novembris.

CLEMENS III.

PONTIFEX CLXXVI.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII.

ANNO 1188.

CLemens Romanus priùs Paulinus anno 1188. Gregorio successit. Bellum contra Saracenos decrevit, cùm Philippo Galliæ Rege hinc tributa, seu decimas Saladinas quas vocant exigens. Siciliæ turbas post Guillelmi Regis obitum sedare conatus est. Obiit anno 1191. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 49.)

Privilegium concessum Scotorum Ecclesiæ & Regi quod à nullo possint excommunicari nisi à Papa, vel ab ejus Legato à latere anno 1188.

I.

Baron. Tom. XII. pag. 809.

Clemens

ANNO 1188.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Willelmo illuſtri Scotorum Regi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUM univerſi Chriſti jugo ſubjecti, ad ſedem Apoſtolicam patrocinium invenire debeant & favorem: illos tamen ſpecialius convenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem, ac devotionem in pluribus eſt experta, ut ad ipſius electionis favorem tantò amplius provocetur, & ejus reverentiæ devotiori affectione ſubdantur, quantò benevolentiæ ipſius & gratiæ pignus ſe noverint certiùs aſſecutos.

Ea propter chariſſime in Chriſto fili reverentiam, ac devotionem, quam ad Romanam te habuiſſe a longis retrò temporibus Eccleſiam novimus, attendentes præſentis ſcripti pagina duximus ſtatuendum, ut Scoticana Eccleſia Apoſtolicæ ſedi, cujus filia ſpecialis exiſtit, nullo, mediante debeat ſubjacere. In qua hæ ſedes Epiſcopales eſſe noſcuntur: Eccleſiæ videlicet Sancti Andreæ, Glaſcuenſis, Dunkeldenſis, Dublinenſis, Brehinenſis, Aberdonenſis, Moravienſis, Reſenſenſis, Katinenſis, & nemini liceat niſi Romano Pontifici, vel Legato ab ipſius latere deſtinato in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit decernimus non valere. Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de Regnó Scotiæ non fuerit, niſi quem Apoſtolica ſedes propter hoc de corpore ſuo ſpecialiter deſtinaverit, licitum fit in eo legationis officium exercere.

Prohibemus autem, ut controverſiæ, quæ fuerint in Regno illo de poſſeſſionibus ejus exortæ ad examen extra Regnum poſitorum judicium non trahantur, niſi ad Romanam Eccleſiam fuerit appellatum. Si qua vero ſcripta contra hujus libertatis ſtatuta apparuerint impetrata, vel impoſterùm iſtius conceſſionis mentione non habita, contigerit impetrari nullum tibi, vel ipſi Regno circa hujus prærogativæ conceſſionem præjudicium generetur. Præterea libertates, & immunitates tibi, vel eidem Regno vel Eccleſiis in eo conſtitutis à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus obſervatas, ratas habemus & illibatas futuris temporibus ſtatuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam noſtræ conſtitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani tertio Idus Martii Pontificatus noſtri, Anno primo.

II. Ex Anecd. Martene Tom. I. pag. 631.

Quod Monachi & Canonici Regulares per oppida ſoli non morentur.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Henrico Bituricenſi Archiepiſcopo Aquitaniæ Primati, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUM in Lateranenſi concilio fuerit generaliter interdictum, ne Monachi aut etiam Canonici Regulares ſinguli in oppidis, vel aliis locis popularibus habitent: ſunt nonnulli qui capellanorum vices agentes in parochialibus Eccleſiis ſoli morantur, & ſuæ profeſſionis immemores converſari ſæculariter nan formidant. Nos itaque providere volentes, ne quód provida fuit in concilio deliberatione ſtatutum, pro privato aliquorum commodo irritetur, præſenti fraternitati tuæ ſcripto concedimus; ut Abbates eorum de illis reducendis ad clauſtrum, aut adimplendo quod in Decreto exprimitur, non differas diligentiùs commonere. Si verò Abbates commonitionem tuam fortaſſe contempſerint; tu quod ſcribimus auctoritate noſtra remoto appellationis obſtaculo exequaris. Ad hoc nihilominùs tibi auctoritate Apoſtolica indulgemus, ut ſi Monachi vel Canonici in tua diœceſi conſtituti infra tres menſes ad Eccleſias in quibus illis præſentatio competit, & ad te inſtitutio pertinet, non præſentaverint idoneos capellanos, tu non expectata diutiùs præſentatione illorum eaſdem Eccleſias appellatione remotâ canonicè ordinandi liberam habeas facultatem. Sic tamen ut ex hoc illis in poſterum nullum debeat præjudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lateranis v. Idus Julii Pontificatus noſtri anno I.

ANNO 1191.

CÆLESTINUS III. PONTIFEX CLXXVII.

ANNO DOMINI MCXCI.

CÆleſtinus priùs, Hyacinthus dictus ſucceſſit Clementi anno 1191. Henricum VI. Germaniæ Regem, una cum uxore ejus conſtantia Imperiali conſecratione Romæ donavit. Richardo Anglo cum illo in Oriente abſente magnates, quidam Regni turbas darent auxilio fuit. Imperatorem & Leopoldum Auſtriæ Ducem cenſuræ ſubjecit, prioreque mortuo, Friderico filio ejus Siciliam dedit. Epiſcopi Belluacenſis captivi Loricam videns reſpondit Richardo: *Non eſt filius meus, vel Eccleſiæ, potiùs Martis quàm Chriſti miles:* obiit anno 1198. ſedis anno VI. menſibus circiter novem. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 49)

I. Baron. Tom. XII. pag. 852.

Privilegium Eccleſiæ Scotorum: Anno 1192.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Willelmo illuſtri Scotorum Regi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUM univerſi Chriſti jugo, ſubjecti apud ſedem Apoſtolicam patrocinium invenire debeant & favorem; illos tamen ſpecialius convenit promotionis munimine confoveri, quorum fidem & devotionem in pluribus eſt experta, ut ad ipſius dilectionis favorem tantò amplius provocentur, & ejus reverentiæ devotiori effectione ſubdantur, quantò benevolentiæ ipſius & gratiæ pignus ſe noverint certiùs aſſecutos. Ea propter, chariſſime in Chriſto fili, reverentiam ac devotionem quam ad Romanam te abuiſſe à longis retrò temporibus Eccleſiam novimus, attendentes, præſentis ſcripti paginam duximus ſtatuendum, ut Scoticana Eccle-

ANNO 1192.

sia Apostolica sedis, cujus filia specialius existit nullo mediante, debeat subjacere. In qua hæ sedes Episcopales esse noscuntur: Ecclesiæ, videlicet, sancti Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinnensis, Aberdonensis, Moraviensis, Rosænensis, Cathinensis. Et nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ipsius latere destinato in Regnum Scotiæ interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, & si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adjicimus, ut nulli de cætero, qui de Regno Scotiæ non fuerit, nisi quem Apostolica sede propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversiæ quæ fuerint in Regno illo de possessionibus ejus exortæ, ad examen extra Regnum positorum judicum non trahantur nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua verò scripta contra hoc libertatis statutum apparuerint impetrata, vel imposterùm, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari: nullum tibi, vel ipsi Regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Prætereà libertates & immunitates, tibi, vel ei Regno, vel Ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas, & hactenus observatas ratas habemus, & illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis & prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum. Datum Laterani tertio Idus Martii Pontificatus nostri: anno primo.

II. Ex Archivis Fiscannensis monasterii.

Ne interdicto subjiciantur Ecclesiæ monasterio Fiscannensi subjectæ.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, in quorum parochiis Ecclesiæ monasterii Fiscannensis existunt, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM Fiscannense monasterium specialiter beati Petri juris existat, nec dubium vobis debet existere, nec incertum, quin injuriæ fratrum in eo Domino famulantium specialiter videantur ad Romanam Ecclesiam reddundare: ideòque universitati vestræ auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne Ecclesias prædictorum fratrum diœcesana vobis lege subjectas sine manifesta & rationabili causa ullus vestrum interdicto supponat, & occasione unius Ecclesiæ à qua nonnumquam aliquid forte delinqueretur, aliæ ejusdem diœcesis, sicut à quibusdam vestrum hactenus perpetratum esse accepimus, ulla sententia prægraventur. Ad hæc si aliquis parochianus cujusquam Ecclesiarum vestrarum animadversione fuerit canonica percellendus, nequaquam pro unius culpa tota parochia divinorum celebratione fraudetur, nisi dominus loci fuerit qui peccavit, vel in culpa sua favorem habuerit aliorum. In Monachos autem ejusdem Ecclesiæ nullus contra privilegia sedis Apostolicæ excommunicationis & interdicti sententiam audeat promulgare: scituri quod si contra hujus prohibitionis tenorem quisquam vestrum venire præsumpserit, factum ejus impunitum nequaquam auctore Deo relinquemus, & quod in fratrum prædictorum gravamen fuerit perpetratum, firmitatem aliquam non habebit. Datum Lateranis Kalendis Aprilis Pontificatus nostri: anno secundo.

ANNO 1197.

III. Archiv. Ang. Rymer. Tom. I. pag. 93.

De non solvendis pensionibus, & non promitendis Ecclesiis antequam vacent.

CÆLESTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Monachis sancti Pancratii de Levves, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUÆ in præjudicium Ecclesiarum, præter juris ordinem, perperam attemptantur auctoritate sunt Apostolica corrigenda, & cum nobis immineat, ex injunctè servitutis officio, de singulis Ecclesiis per universum orbem diffusis, paterna sollicitudine cogitare, ipsarum debemus utilitati consulere, & onera sublevare tenemur.

Accepimus siquidem quod ad instantiam quorumdam nobilium, quibus favorem vestrum non poteratis de facili denegare, primas, secundas, & tertias vacantes Ecclesias quibusdam Clericis promisistis, quibus interim certas solvitis pensiones, ex quarum solutione Ecclesia vestra non modicum aggravatur; ea propter vestris postulationibus favorem Apostolicam impendentes, vos & Ecclesiam vestram, ab hujusmodi promissionibus, Apostolicæ sedis auctoritate, absolvimus, & ad talium pensionum solutionem decernimus non teneri; districtiùs inhibentes ne Ecclesias, antequam vacent, alicui promittere præsumatis, vel de ipsis aliquem investire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis v. Kalendas Maii Pontificatus nostri: Anno sexto.

ANNO 1198.

INNOCENTIUS TERTIUS.

PONTIFEX CLXXVIII.

ANNO DOMINI MCXCVIII.

INnocentius Anagnia oriundus, priùs Lotharius dictus anno 1198. Cœlestinum excepit. Concilium Lateranense anno 1215. Hierosolimæ recuperandæ ergò celebravit, ubi varia fidei dogmata statuit. Sancti Dominicus & Franciscus hac tempestate suos ordines instituere Prædicatorum primus, Minorum alter. Almaricus de erroribus convictus post obitum exhumatus combustus est. Joannem Angliæ Regem quod minùs jure Archiepiscopum creasset Innocentius excommunicavit, qui resipiscens Regna sua Apostolicæ sedi subjiecit. In Oriente tùm Balduinus Græcam Ecclesiam Romanæ junxit. Obiit Pontifex Perusiæ anno 1216. Pontificatum tenuit annos 18. menses 5. dies aliquot. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 52.)

ANNO 1199.

ANNO 1204.

I. Ex Arch. Reipublicæ Genevensis exprompta.

Papæ Innocentii III. Bulla, quâ Episcopo Genevensi potestatem concedit, Censuris Ecclesiasticis ejus Ecclesiæ Clericos cogendi ut sacris ordinibus initientur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Gebennensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUI ad recipienda Ecclesiastica beneficia libenter accedunt, ad suscipiendos ipsis beneficiis annexos ordines, cum pro officiis beneficia conferantur, non debent difficiles inveniri, sed ad exhibenda ipsis Ecclesiis servitia per que beneficia recipere dinoscuntur, se promptos exhibere pariter & paratos.

Ad audientiam siquidem nostram te significante pervenit, quod quidam Clericorum Ecclesiæ tuæ sacros ordines recipere negligunt & recusant; licet pro ordinatorum defectu eadem Ecclesia in divinis officiis non modicum sustineat detrimentum.

Volentes igitur sicut officii nostri sollicitudo exposcit Ecclesiarum utilitatibus imminere, fraternitati tuæ auctoritate duximus præsentium indulgendum, ut Clericos Ecclesiæ tuæ quos ad hoc idoneos esse cognoveris, ad suscipiendos sacros ordines per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compellendi liberam habeas facultatem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranis, x. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno secundo.

II. Ex Collect. Martene Tom. I. Col. 793.

Ad Episcopos provinciæ Turonensis, ut suos hortentur ad ferendas suppetias Balduino Imperatori Constantinopolitano.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, Turonensi Archiepiscopo, & suffraganeis ejus, salutem & Apostolicam benedictionem.

VIR unus de Ramatha duas sibi copulavit uxores, Annam videlicet & Fenennam; sed quæ priùs fuit prolis gloriâ decorata, quoniam superbivit, ubi altera cœpit fœcunditate sobolis in Domino exultare, meruit infirmari, sicut ipsius canticum manifestat. Ea siquidem quæ sub umbra legis historialiter leguntur accidisse, cùm secundum Apostolum omnia illis contingerent in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiæ revelatæ, ut à Moysi facie sublato velamine, per Evangelicæ doctrinæ fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aëris elucescat, & significatum pro significatis appareat evidenter. Mediator etenim Dei & hominum CHRISTUS JESUS, unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ duas convocans ad se gentes, Græcum videlicet & Latinum, ipsas sibi conjunxit per fidei sacramenta; sed & alter eorum, videlicet Græcus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus & eorum Angelis mentionem facit in Apocalypsi Joannes, ubi Latinorum Ecclesiæ vidit funiculos dilatari, quasi stimulis invidiæ agitatus, ab unitate discessit, non attendens quòd cum Sponsus præmisisset in Canticis: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; statim subjunxit: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, reginæ & concubinæ laudaverunt eam; nam multæ filiæ congregaverunt divitias, hæc autem supergressa est universas.* Postquam autem Græcorum populus, rupto vinculo pacis, ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem, renuens confiteri quòd Spiritus sanctus qui est unitatis æqualitatisque connexio, procedat à Filio, sicut à Patre procedit. Quia igitur circa processionem Spiritus Sancti profiteri tenuit veritatem, merito tenebras mentis incurrit, cum ipse Spiritus omnem doceat veritatem, sicut Filius in Evangelio protestatur; spirituali etenim intellectu privatus, quia in Spiritum peccavit, fermentum non ejecit à domo, ubi epulantur in azimis sinceritatis & veritatis; sed veteri fermento retento, CORPUS CHRISTI; quantum in ipso comedit fermentatum. Benedictus autem Deus & Pater Domine nostri JESU CHRISTI, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui volens Ecclesiam suam consolari, ut Effraim convertatur ad Judam, & ad Jerusalem Samaria revertatur; super eumdem populum quasi montem caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac ejus portas sanctificati Domini sunt ingressi. Græcorum imperium à superbis ad humiles, à superstitiosis ad religiosos, à Schismaticis, ad Catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cum enim Christianus exercitus illuc cum Alexio filio Isacii advenisset, & capta urbe Constantinopoli, idem fuisset Alexius coronatus, dictus exercitus ibidem proposuit hyemare: sed quæ novus Imperator pro beneficiis ab eo collatis retribuere studuerit longum esset præsenti paginâ enarrare. Verùm ut multa breviter perstringamus, eorum malitia quasi Amorræorum iniquitate completa, dextera Domini fecit virtutem, & exaltavit exercitum Christianorum, illos dignâ ultione percutiens, atque eorum terram auro & argento gemmisque refertam, frumento, vino & oleo stabilitam, & bonorum omnium copiis affluentem exercitui tribuens memorato. Expulsis igitur de Constantinopoli Græcis, & eorum terrâ pariter subjugata, carissimum in CHRISTO filium B. comitem Flandriæ & Hasnoniæ ad Imperii regimen voluntate Domini & unanimi sublimarunt, ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro prædictum: *Subjiciam*, inquit, *ante faciem ejus gentes; & dorsa regum vertam, aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur, ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo ei thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit, ut Apostolicæ sedis devotos Clericos, simul & laicos, nobiles & ignobiles cujuslibet conditionis & sexus dignaremur exhortationibus invitare, ut ad ipsius accedant imperium, ab eo secundum qualitates & merita personarum gratas divitias accepturi. Attendentes igitur quòd mutatio hujus imperii, dexteræ mutatio sit excelsi; & ab eo factum sit istud, qui tempora mutat, & transfert regna, cùm per illud imperium Terræ sanctæ possit utiliùs subveniri: quin potiùs per illud ista credantur posse recuperari de levi; fraternitatem vestram monemus & exhortamur in Domino per Apostolica scripta mandantes, quatenus tàm Clericos, quàm

ANNO 1204.

Laïcos efficaciter inducatis, ut ad capeſcendas ſpirituales, & pariter temporales divitias ad præfatum Imperatorem accedant, qui ut verbis ejus utamur, cùm ſufficiat univerſis: quos ad eum Chriſtianæ Religionis zelus adduxerit, ſingulos vult & poteſt, ſecundum ſtatus ſuos varietatemque natalium & augere divitiis, & honoribus ampliare, ut Conſtantinopolitano Imperio roborato, & in devotione Apoſtolicæ ſedis ibidem Eccleſia ſtabilita idem Imperator ad expugnandas barbaras nationes, quæ terram in qua Deus Rex noſter ante ſæcula noſtram dignatus eſt ſalutem operari, peccatis exigentibus detinent occupatam in manu forti & brachio extenſo valeat properare, ſperantes in Domino JESU CHRISTO, quòd ipſe qui per eum incœpit mirabiliter operari, opus incœptum ad laudem & gloriam nominis mirabiliùs conſummabit.

III. Ex Anecdot. Martene Tom. I. Col. 795.

Ad priorem de Charitate, approbat conſuetudinem orandi pro malefactoribus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis priori & conventui de Charitate, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SI juſta filii hominum judicarent, & animadverterent diligenter impenſam ſibi gratiam Redemptoris, qui pro nobis tradidit ſemetipſum, uſque ad mortem factus obediens, ut nos de inimici faucibus liberaret, ſanctam Eccleſiam, ſponſam ejus, quam ipſe proprio ſanguine dedicavit, & in ea famulantes ſtuderent propenſiùs honorare, atque à læſione ipſorum ſuas retraherent penitùs voluntates. Verùm quod dolentes referimus; tanta eſt peccatis exigentibus, nunc malitia hominum ſuper terram, & in tantum excrevit audacia malignantium, quòd non ſolùm ad res Eccleſiaſticas avidas manus extendunt, & pro ſuo diripiunt arbitrio voluntatis, immò etiam eccleſias & poſſeſſiones earum quaſi ſignum ad ſagittam ponentes, viros religioſos odio execrabili proſequuntur, ſanctum eorum otium nequiter perturbantes. Et quoniam hujuſmodi homines, licèt cenſeantur nominis chriſtiani, à CHRISTI tamen operibus ſunt alieni, lætantes cum male fecerint, & in rebus peſſimis exultantes, & admoniti ſæpius, à ſua nolunt deſiſtere pravitate, nolentes intelligere ut bene agant; ſed iniquitatem in ſuis cubilibus meditantes, cum malefactoribus ipſis, ſicut veſtrâ relatione didicimus, per vos reſiſtere non poſſitis; mos in veſtra Eccleſia inolevit, ut cum aliquis malefactor res monaſterii veſtri occupat per violentiam, vel diripit per rapinam, & monitus vobis ſatisfacere non procurat, vos in miſſarum ſolemniis, cùm Patri Filius pro mundi reatibus immolatur, Eccleſiæ pavimento proſ[illegible]tis, & pro perſequentibus exoratis; oculos levantes ad Dominum, & humiliter ſupplicantes, ut veſtri miſereri dignetur, qui prope eſt invocantibus ipſum in veritate, timentium ſe peragit voluntates, & orationes exaudit eorum, faciens eos ſalvos. Cum igitur orare pro perſequentibus non ſolum præcepto, verum etiam exemplo Dominico inſtruamur, nos præmiſſam conſuetudinem piam eſſe credentes, præſentium vobis auctoritate concedimus, quatenus eam minimè deſeratis, ſed ipſam humiliter ac devotè ſervetis: ita quòd orationibus veſtris à malo revocentur iniqui, voſque optatâ pace fruamini ac quiete.

Datum Lateranis II. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri, anno VII.

ANNO 1210.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 817.

Ad Epiſcopos Galliæ, de vitanda ſimonia in receptione Monachorum aut ſanctimonialium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis in Regno Franciæ conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

MULTOTIENS audivimus & à multis quod in quibuſdam Monachorum monialium & aliorum religioſorum Monaſteriis per veſtras diœceſes conſtitutis conſuetudo damnabilis, immò damnatus & damnandus abuſus uſque adeò inolevit, ut penè penitùs nulla perſona recipiatur in ipſis abſque labe ſimoniacæ pravitatis. Ne igitur clamorem totiens iteratum videamur, quod abſit, ſimulando fovere, univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus ſemel in anno hujuſmodi monaſteria ſinguli per veſtras diœceſes viſitantes, ſub anathematis interminatione veteris, ne qua perſona de cætero recipiatur in eis per hujuſmodi pravitatem, ſemper in veſtris ſynodis denunciantes hoc ipſum, & circa eas quas ſic receptas invenietis auctoritate Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo, ſtatuatis quod ſaluti & honeſtati videritis expedire. Datum Lateranis xv. Kal. Maii, Pontificatus noſtri, anno XIII.

V. Ex Dacher. T. III. Spic. pag. 578.

Joannem Anglorum Regem, qui Regnum Angliæ Romanæ Eccleſiæ donaverat in Apoſtolicam protectionem admittit: Anno 1214. Legitur hic Regium Diploma Joannis, quamvis Matthæus Paris, ut teſtatur Dacherius aliud Diploma ad annum 1213. referat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Joanni illuſtri Anglorum Regi, ejuſque de ſua uxore liberis hæredibus in perpetuum.

REX Regum, & Dominus dominantium Jeſus Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ita Regnum & Sacerdotium in Eccleſia ſtabilivit, ut ſacerdotale ſit Regnum & ſacerdotium ſit regale, ſicut in Epiſtola Petrus & Moyſes in lege teſtantur; unum præficiens univerſis, quem ſuum in terris Vicarius ordinavit; ut ſicut ei flectitur omne genu cœleſtium; terreſtrium, & etiam infernorum, ita illi omnes obediant & intendant, ut ſit unum ovile & unus Paſtor. Hunc itaque Reges ſæculi propter Deum adeò venerantur, ut non reputent ſe ritè regnare, niſi ſtudeant ei devotè ſervire. Quod tu, fili chariſſime, prudenter attendens, illo miſericorditer inſpirante in cujus manu ſunt corda Regum, & quo voluerit vertit illa, teipſum, & Regna tua etiam temporaliter ei ſubjicere decreviſti, cui noveras ſpiritualiter eſſe ſubjecta; ut in unam Vicarii Chriſti perſonam, quaſi corpus & anima, Regnum & ſacerdotium uniantur ad magnum utriuſque commodum & augmentum. Ille utique hoc dignatus eſt operari, qui cum ſit alpha & omega, finem retulit ad principium, & principium protraxit ad finem, ut ille Provinciæ, quæ olim ſacroſanctam Eccleſiam Romanam propriam in ſpiritualibus habuere magiſtram, nunc etiam in tem-

temporalibus dominam habeant ſpecialem. Tu quippe quem Deus ad hoc idoneum miniſtrum elegit, tàm te etiam quàm Regna tua, Angliæ videlicet, & Hiberniæ, cum omni jure, ac pertinentiis ſuis devota & ſpontanea voluntate, ac communi conſilio Baronum tuorum, Deo & ſanctis Apoſtolis ejus Petro & Paulo, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, nobiſque ac ſucceſſoribus noſtris in jus & proprietatem ſub annuo mille Marcharum cenſu offerens conceſſiſti, ſicut in tuo continetur authentico ſcripto aurea Bulla munito, cujus de verbo ad verbum talis tenor exiſtit.

Joannes Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, Comes Andegaviæ, omnibus Chriſti fidelibus præſentem chartam inſpecturis, ſalutem in Domino. Univerſitati veſtræ per hanc chartam aurea Bulla munitam volumus eſſe notum, quia cum Deum & matrem noſtram, ſanctam Eccleſiam offenderimus in multis, & proindè divina miſericordia plurimum indigere noſcamur, nec quid quod dignè offerre poſſimus pro ſatisfactione Deo & Eccleſiæ debita facienda, niſi nos ipſos habeamus & Regna noſtra. Volentes nos ipſos humiliare pro illo, qui ſe pro nobis humiliavit uſque ad mortem, gratia Sancti Spiritûs inſpirante non vi inducti, nec timore coacti; ſed noſtra bona ſpontaneaque voluntate, ac communi conſilio Baronum noſtrorum offerimus, & liberè concedimus Deo, & ſanctis Apoſtolis ejus Petro & Paulo, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matri noſtræ, ac Domino noſtro Papæ Innocentio III. ejuſque Catholicis ſucceſſoribus totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ, cum omni jure & pertinentiis ſuis pro remiſſione peccatorum noſtrorum, & totius generis noſtri tàm pro vivis quàm pro defunctis. Et amodo illa à Deo & Eccleſiâ Romanâ tamquam feudarius recipientes & tenentes in præſentia venerabilis Patris noſtri Domini Nicolai Tuſculani Epiſcopi Apoſtolicæ ſedis Legati, & Pandulphi Domini Papæ, Subdiaconi & familiaris, fidelitatem exinde prædicto Domino noſtro Papæ Innocentio, ejuſque Catholicis ſucceſſoribus & Eccleſiæ Romanæ, ſecundum ſubſcriptam formam fecimus & juravimus, & hommagium etiam legium, pro prædictis Regnis Deo, & SS. Apoſtolis Petro & Paulo, & Romanæ Eccleſiæ, & eidem Domino noſtro Papæ Innocentio, per manus prædicti Legati, loco & vice ipſius Domini Papæ recipientis, publicè fecimus; ſucceſſores & hæredes noſtros de uxore noſtra in perpetuum obligantes, ut ſimili modo Summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Eccleſiæ Romanæ ſine contradictione debeant fidelitatem præſtare, & homagium recognoſcere.

Ad indicium autem hujus noſtræ perpetuæ oblationis & conceſſionis volumus & ſtabilimus, ut de propriis & ſpecialibus reditibus prædictorum Regnorum noſtrorum pro omni ſervitio & conſuetudine, quod pro ipſis facere deberemus, ſalvo per omnia denario Beati Petri, Eccleſia Romana mille Marchas ſterlingorum percipiat annuatim, ſcilicet in feſto S. Michaëlis quingentas Marchas, & in Paſcha quingentas Marchas; ſeptingentas ſcilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro Regno Hiberniæ, ſalvis nobis & hæredibus noſtris juſtitus, libertatibus, & regalibus noſtris. Quæ omnia ſicut ſupradicta ſunt, rata eſſe volentes perpetuò atque firma, obligamus nos & ſucceſſores noſtros contra non venire. Et ſi nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum hoc attentare præſumpſerit, quicumque fuerit ille, niſi ritè commonitus reſipuerit, cadat à jure Regni, & hæc charta oblationis & conceſſionis noſtræ ſemper firma permaneat.

Ego Joannes Dei gratia Rex Angliæ & Dominus Hiberniæ, ab hac horâ in antea fidelis ero Deo, & Beato Petro, & Eccleſiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocentio III. ejuſque ſucceſſoribus Catholicè intrantibus; non ero infacto, dicto, conſenſu, vel conſilio, ut vitam perdant, vel membra, vel mala captione capiantur. Eorum damnum ſi ſcivero impediam & remanere faciam ſi potero. Alioquin eis quàm citiùs potero intimabo, vel tali perſonæ dicam quàm eis credam pro certo dicturam. Conſilium quod mihi crediderit per ſe, vel per nuncios ſeu litteras ſuas ſecretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam me ſciente. Patrimonium Beati Petri, & ſpecialiter Regnum Angliæ, & Regnum Hiberniæ adjutor ero ad tenendum, & defendendum contra omnes homines pro poſſe meo. Sic Deus me adjuvet & hæc ſancta Evangelia.

De quibus ne poſſit in poſterùm dubitari, ad majorem ſecuritatem prædictæ oblationis & conceſſionis noſtræ præſentem chartam fieri fecimus, & aurea Bulla noſtra ſignari, ac pro cenſu hujus præſentis, & primi anni mille Marchas ſterlingorum per manum prædicti Legati Eccleſiæ Romanæ perſolvimus. Teſtibus D. Stephano Cantuarienſi Archiepiſcopo. DD. Wilelmo Londonienſi, Petro Vintonienſi, Herveo Elienſi, Ugone Lincolnienſi, W. de Gran-Cancellario noſtro; W. Comite Sarr. fratre noſtro Comite Ceſtrenſi; W. Mareſcallo Comite Pembroc; W. Comite de Ferrariis, S. Comite de Winton. Roberto de Ros; W. Brillier, Petro filio Hereberti, Mathæo filio Heremberti, & Brien...... de Inſula Dapifero noſtro. Datum per manum magiſtri Ric....... de Manſto Archid. Ricemundiæ, & Northumbel apud S. Paulum Londoniæ 3 die Octobris anno ab Incarnatione Domini 1213 Regni verò noſtri 15. Nos autem oblationem & conceſſionem hujuſmodi piè ac providè factas, gratas & ratas habentes perſonam tuam & perſonas hæredum tuorum cum prædictis Regnis & pertinentiis eorumdem, & omnibus bonis aliis rationabiliter nunc poſſeſſis, & in poſterùm poſſidendis, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, tibi & ipſis ſecundùm præſcriptam formam de communi conſilio Fratrum noſtrorum ſupraſcripta Regna concedentes in feudum, & præſenti Privilegio confirmantes, ita quòd quilibet hæredum tuorum cum Regni coronam acceperit, feudum hujuſmodi ſummo Pontifici & Romanæ Eccleſiæ publicè recognoſcat, & fidelitatis eis exhibeat juramentum. Nulli ergo, &c.

✝ Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

† Ego Joannes Sabinenſis Epiſcopus.
† Ego Hugo Velletrenſis & Hoſtienſis Epiſcopus.
† Ego Ben.... Portuenſis & S. Rufinæ Epiſcopus.
† Ego Cinthius tituli S. Laurentii in Lucina Presbiter Cardinalis.
† Ego Cinthius SS. Joannis & Pauli Presbit. Cardin. tituli Pammachii.
† Ego Petrus tituli Sancti Marcelli Presbiter Cardinalis.
† Ego Leo tituli S. Crucis in Hieruſalem Presbiter Cardinalis.
† Ego Pet. S. Pudentianæ tituli Paſtoris Presbiter Cardinalis.
† Ego Guala S. Martini Presbiter Cardinalis tituli Equicii.

ANNO 1214.

† Ego Joannes tituli S. Praxedis Presbit. Cardinalis.
† Ego Guido . S. . . in carcere Tullano Diaconus Cardinalis.
† Ego Victorianus SS. Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis.
† Ego SS. Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis.

Datum Romæ, apud S. Petrum per manus Raynaldi Domini Innocentii Acolyti, & Capellani XI. Kal. Maii Indict. II. Incarnationis Domini, anno M. CC. XIV. ejusdem Domini Innocentii, anno XVII.

VI. Ex Spicil. Dacher. Tom III. pag. 577.

Ad Philippum Francorum Regem, ne imposterùm usuras in suo Regno patiatur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio nostro Philippo Regis Franciæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUANTO melior est anima corpore, tanto spiritualia sunt temporalibus præferenda; unde commodum temporale non est cum spirituali damno quærendum, ne unde lucrum quæritur temporale, inde spirituale periculum oriatur, teste veritate quæ dicit: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.*

Auditis itaque literis, quas tu & quidam Barones tui contrà dilectum filium R. tituli Sancti Stephani in Cælio-monte Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, super variis articulis destinastis diversas querimonias continentes: protinùs nobis & querelas contrà eumdem Legatum propositas, & responsiones ipsius fecimus explicari, easque tibi probabiliter moderatas præsentibus literis mittimus interclusas, hoc tuæ Serenitati breviter respondentes: quòd licet idem Legatus à nobis super usurariis non acceperit speciale mandatum, quia tamen in Regno tuo plùs solito usuraria pestis increverit; in tantum facultates Ecclesiarum, Militum, aliorumque multorum devorans & consumens, quòd nisi tanto langori adhiberetur efficax medicina, intendere non sufficerent ad subsidium Terræ Sanctæ, propter quod ipsum duximus specialiter destinandum; unde ipse tamquam spiritualis medicus adversùs hanc mortiferam pestem, de consilio virorum prudentum in diversis Conciliis ad curandas animas salubre remedium adinvenit; quo circà non decet tuam Regalem prudentiam, quæ inter cæteros Principes sæculares Christianitatis titulo est insignis, pro aliquo temporali commodo spiritualem impedire profectum, sicut per quasdam literas ad diversas communias destinatas te fecisse dolemus, quas ut prudentiori retractes consilio, præsenti paginæ fecimus intercludi: Serenitatem Regiam exhortantes, quatenùs nec impedias nec facias impediri quominùs in regno tuo Ecclesiastica jurisdictio valeat exerceri. Nos enim prædicto Legato præcipimus, ut ad huc super his, quantum cum Deo potest, necessarium adhibeat moderamen, ne in aliquo modo excedat, honestas consuetudines & usus rationabiles non immutans, limam omnium generali Concilio reservando; unde volumus & mandamus, ut interim idem negotium hinc inde modestè procedat, quia tunc super his & aliis cum sacri approbatione Concilii statuemus, quod spiritualiter & temporaliter videbimus expedire. Datum Romæ apud sanctum Petrum II. Idus Maii, Pontificatûs nostri anno septimo decimo.

ANNO 1215.

VII. Archiv. Anglic. T. I. pag. 197.

De electione libera universis & singulis Ecclesiis Angliæ Regni concessa: anno 1215.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, & dilectis filiis universis Ecclesiarum Prælatis, per Angliam constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

DIGNIS laudibus attollimus magnificentiam Creatoris quòd, postquam idem qui est mirabilis & terribilis in consiliis super filios hominum, aliquamdiù toleravit, ut perflando discurreret per Areolam horti sui spiritus tempestatis, quasi ludens taliter in orbe terrarum ut sic ostenderet infirmitatem & insufficientiam nostram nobis, statim, cùm voluit, Aquiloni dixit Fla, & Austro noli prohibere imperansque ventis & mari; statuit procellam in auram, ut nautæ portum quietis inveniant peroptatum.

Cùm enim inter Regnum & sacerdotium Anglicanum, non sine magno periculo, atque dampno, super electionibus Prælatorum gravis fuerit controversia diutiùs agitata, illo tandem, cui nichil est impossibile, quique, ubi vult, spirat mirabiliter, ex mera & spontea voluntate, de consensu communi suorum Baronum, pro salute animæ suæ ac prædecessorum, & successorum suorum, vobis concessit, & suis litteris confirmavit ut de cætero in universis & singulis Ecclesiis, ac Monasteriis, Cathedralibus, & Conventualibus totius Regni Angliæ in perpetuum liberè fiant electiones quorumcumque Prælatorum, majorum etiam & minorum.

Nos igitur, hoc gratum & ratum habentes, concessionem hujusmodi vobis, & per vos Ecclesiis & successoribus vestris, prout in ejusdem Regis, litteris perspeximus contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Ad majorem autem firmitatem & perpetuam memoriam hujus rei præfatas Regis litteras, super hoc confectas, præsentibus inseri fecimus; quarum tenor est talis.

Joannes, Dei gratiâ, Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normaniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, Militibus, Ballivis, & omnibus, has litteras visuris, salutem.

Quoniam inter nos & venerabiles Patres nostros Stephanum Cantuariensem Archiepiscopum totius Angliæ Primatem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Willelmum Londoniensem, Eustachium Elyensem, Egidium Herefordensem, Jocellinum Bathoniensem, & Glastoniensem, & Hugonem Lincolniensem, Episcopos, super dampnis & ablatis eorum, tempore interdicti, per Dei gratiam, de mera & libera voluntate utriusque partis, plenè convenit, volumus non solùm eis quantum secundùm Deum possumus satisfacere, verùm etiam toti Ecclesiæ Anglicanæ salubriter & utiliter in perpetuum providere.

Inde est quod, qualiscumque consuetudo temporibus nostris, & prædecessorum nostrorum hactenus in Ecclesia Anglicana fuerit observata,

ANNO 1215.

& quicquid juris nobis hactenus vendicaverimusqu n electionibus quorumcumque Prælatorum, nos ad ipsorum petitionem pro salute animæ nostræ, & prædecessorum, ac successorum nostrorum Regum Angliæ, liberaliter mera & spontanea voluntate, de communi assensu Baronum nostrorum concessimus & constituimus, & hac præsenti charta nostra confirmavimus ut de cætero, universis & singulis Ecclesiis Monasteriis, Cathedralibus, & Conventualibus, totius Regni nostri Angliæ, liberè sint in perpetuum electiones quorumcumque Prælatorum majorum & minorum; salva nobis & hæredibus nostris custodia Ecclesiarum & Monasteriorum vacantium quæ ad nos pertinent.

Promittimus etiam quod nec impediemus, nec impediri permittemus per nostros, nec procurabimus quin, in singulis & universis Ecclesiis & Monasteriis memoratis, postquam vacaverint Prælaturæ, quemcumque voluerint liberè sibi præficiant electores Pastorem; petita tamen priùs à nobis & hæredibus nostris licentia eligendi, quam non denegabimus nec differemus.

Et, si fortè, quod absit, denegaremus vel differemus, nichilominus procedent electores ad electionem Canonicam faciendam, & similiter post celebratam electionem noster requiratur assensus, quem non denegabimus nisi aliquid rationabile proposuerimus, & legitimè probaverimus propter quod non debeamus consentire.

Quare volumus & firmiter jubemus nequis, vacantibus Ecclesiis vel Monasteriis contra hanc nostram concessionem & constitutionem in aliquo veniat, vel venire præsumat: siquis verò contra hoc aliquo unquam tempore venerit maledictionem omnipotentis Dei, & nostram incurrat.

Testibus.

P. Wintoniensi Episcopo,
W. Comite Warennæ,
R. Comite Cæstriæ,
S. Comite Wintoniæ,
G. de Mandevilla Comite Gloucestriæ & Essexie,
W. Comite de Ferrariis,
W. Briwer,
W. Filio Geroldi,
W. de Cantilupo,
H. de Neivillis,
Roberto de Vere,
W. de Hunteingefeld.

Datum per manus magistri Ricardi de Mariscis Cancellarii nostri, decimo quinto die Januarii, apud novum Templum London, anno Regni nostri decimo sexto.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostram confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lateran. tertio Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri, anno decimo octavo.

ANNO 1215.

VIII. Archiv. Anglic. T. I. pag 203.

Pacta inter Regem Angliæ, & Barones ejusdem Regni damnantur: anno 1215.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis Christifidelibus hanc paginam inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Et si charissimus in Christo filius noster Joannes Rex Anglorum illustris, Deum & Ecclesiam vehementer offenderit; unde nos eum vinculo excommunicationis innodavimus, & Regnum ejus Ecclesiastico subjecimus interdicto; ipse tamen (illo misericorditer inspirante qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat) tandem conversus ad cor, Deo & Ecclesiæ humiliter satisfecit; in tantùm quod non solùm recompensationem pro damnis, & restitutionem exhibuit pro ablatis, verùm etiam plenariam libertatem contulit Ecclesiæ Anglicanæ.

Quinimò utraque sententia relaxata, Regnum suum tàm Angliæ quàm Hiberniæ, Beato Petro & Ecclesiæ Romanæ concessit.

Recipiens illud à nobis in feudum sub annuo censu mille Marcharum, fidelitatis nobis indè præstito juramento; sicut per privilegium ejus apparet aurea Bulla munitum.

Adhuc etiam omnipotenti Deo ampliùs placere desiderans, signum vivificæ Crucis reverenter accepit, profecturus in subsidium Terræ Sanctæ; ad quod se magnificè præparabat: sed humani generis inimicus, qui semper consuerit bonis actibus invidere, suis callidis artibus adversus eum Barones Angliæ concitavit; ita ut ordine perverso in illum insurgerent, postquam conversus Ecclesiæ satisfecit, qui assistebant eidem quando Ecclesiam offendebat.

Orta siquidem inter eos dissentionis materia, cum plures dies statuti fuissent ad tractandum de pace; utrumque interim solennes nuncii ad nostram fuerunt præsentiam destinati.

Cùm quibus habito diligenti tractatu, post plenam deliberationem scripsimus per eosdem Stephano Cantuariensi Archiepiscopo & Episcopis Anglicanis; præcipiendo mandantes, ut ad reformandam inter utrosque veram & plenam concordiam diligens impenderent studium & operam efficacem, omnes conjurationes & conspirationes, si quæ fuerant fortè præsumptæ à tempore subortæ discordiæ inter Regnum & Sacerdotium, Apostolica denunciantes auctoritate cassatas, & per excommunicationis sententiam inhibentes, ne talia de cætero præsumerentur à quoquam. Magnates & nobiles Angliæ monendo prudenter, & efficaciter injungendo, ut per manifesta devotionis & humilitatis indicia, ipsum Regem sibi placare studerent: Ac deinde si quid ab eo ducerent postulandum, non insolenter sed humiliter implorarent; regalem conservantes ei honorem & exhibentes servitia consueta, quæ ipsi & prædecessores eorum sibi & prædecessoribus suis impenderunt, cùm ab eis, ipse Rex non debet absque judicio spoliari ut sic quod intenderent possent faciliùs obtinere.

Nos enim eundem Regem, per litteras nostras rogavimus & monuimus, & per præfatos Archiepiscopum, & Episcopos nihilominus rogari & moneri mandavimus, in remissionem sibi peccaminum injungentes; quatenus prædictos magnates & nobiles benignè tractaret, & justas eorum petitiones clementer admitteret, ut & ipsi congaudendo cognoscerent, eum in me-

ANNO 1215.

liorem statum divina gratia esse mutatum, ac per hoc ipsi & hæredes eorum sibi & hæredibus suis deberent promptiùs & devotiùs famulari: plena eis in veniendo, morando & recedendo securitate concessa; ita quod si fortè nequiret inter eos concordia provenire, in curia sua per pares eorum, secundùm leges & consuetudines Regni suborta dissentio sopiretur.

Verùm antequam nuncii cùm hoc provido & justo mandato rediissent, illi juramento fidelitatis omnino contempto, (cùm etsi Rex eos injustè gravasset, ipsi tamen non debuissent sic agere contra eum: ut in causa sua iidem judices & executores existerent) vassalli contra dominum, & milites contra Regem publicè conjurantes, non solùm cum aliis, sed cum ejus manifestissimis inimicis præsumpserunt contra eum arma movere; occupantes & devastantes terras illius, ita quoque quod civitatem Londinensem, quæ sedes est Regni, proditione sibi traditam invaserunt.

Interim autem præfatis nunciis revertentibus, Rex obtulit eis secundùm formam mandati nostri justitiæ plenitudinem exhibere; quam ipsi omnino spernentes, cœperunt manus extendere ad pejora. Undè Rex ipse ad audientiam nostram appellans eis exhibere justitiam coram nobis, ad quem hujus causæ judicium ratione Dominii pertinebat, quod ipsi sunt penitùs aspernati.

Deinde obtulit illis ut tàm ab ipso, quàm ab illis quatuor viri eligerentur prudentes, qui una nobiscum subortam inter eos discordiam terminarent; promittens quod ante omnia revocaret universos abusus, quicumque fuissent in Anglia suo tempore introducti: sed nec hoc illi dignati sunt acceptare.

Tandem illis Rex proposuit, quod cum Regni Dominium ad Romanam Ecclesiam pertineret, ipse non poterat, nec debebat, absque nostro speciali mandato, quicquam de illo in nostrum præjudicium immutare: Unde rursus ad nostram audientiam appellavit; seipsum ac Regnum cum omni honore ac jure suo Apostolicæ protectioni supponens.

Sed, cum nullo modo proficeret, postulavit ab Archiepiscopo & Episcopis ut nostrum exequerentur mandatum: Jus Ecclesiæ Romanæ defenderent ac tuerentur eundem secundùm formam privilegii Cruce signatis indulti.

Porrò cum ipsi nihil horum facere voluissent; videns se omni auxilio & consilio destitutum; quicquid illi ausi sunt petere, non est ausus ipse negare. Unde compulsus est per vim & metum, qui cadere poterat in virum etiam constantissimum compositionem inire cum ipsis, non solùm vilem & turpem; verùm etiam illicitam & iniquam, in nimiam derogationem ac diminutionem sui juris pariter & honoris.

Quia vero nobis à Domino dictum est in Propheta, constitui te super gentes & Regna ut evellas & destrues, ædifices & plantes: Itemque per alium Prophetam, dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes: Nos, tantæ malignitatis audaciam dissimulare nolentes, in Apostolicæ sedis contemptum; Regalis juris dispendium, Anglicanæ gentis opprobrium & grave periculum totius negotii crucifixi (quod utique immineret, nisi per authoritatem nostram revocarentur omnia quæ à tanto principe Cruce signato taliter sunt extorta, & ipso volente ea servare) ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, auctoritate quoque Apostolorum ejus Petri & Pauli, ac nostra, de communi fratrum nostrorum consilio, compositionem hujusmodi reprobamus penitùs & damnamus; sub interminatione Anathematis prohibentes, ne dictus Rex eam observare præsumat, aut Barones cum complicibus suis ipsam exigant observari: tàm chartam, quàm obligationes, seu cautiones, quæcumque pro ipsa, vel de ipsa, sunt factæ irritantes penitùs & cassantes; ut nullo unquam tempore aliquam habeant firmitatem.

Datum Anagniæ, nono Kalendas Septembris, Pontificatus nostri, decimo octavo.

ANNO 1215.

Excommunicatio Generalis Baronum Angliæ.

IX. Rymer. Archiv. Angl. Tom. I. pag 208.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Vvintoniensi Episcopo, Abbati de Redinge, & Pandulpho Ecclesiæ Romanæ Subdiacono, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

MIRAMUR plurimum & movemur quod cum charissimus in Christo filius noster, Joannes illustris Rex Angliæ, supra spem Domino & Ecclesiæ satisfecerit, & præsertim fratri nostro Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, & Episcopis ejus quidam eorum, minus quàm oportuerit & decuerit, ad sanctæ Crucis negotium, Apostolicæ sedis mandatum & fidelitatis præstitæ juramentum debitum imò nullum habentes respectum; ei contra perturbatores Regni, quod ad Romanam Ecclesiam ratione dominii pertinere dinoscitur, auxilium non præstiterint vel favorem, quasi conscii, ne dicamus socii conjurationis iniquæ: quia non caret scrupulo societatis iniquæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Ecce qualiter patrimonium Romanæ Ecclesiæ Pontifices præfati defendunt? Qualiter cruce signatos tuentur? Imò qualiter se opponunt his, qui destruere molliuntur negotium crucifixi? Pejores proculdubio Saracenis existentes; cum illum conantur à Regno depellere, de quo potiùs sperebatur quod deberet succurrere Terræ Sanctæ.

Unde ne talium insolentia, non solùm in periculum Regni Angliæ, verùm etiam in perniciem aliorum Regnorum, & maxime in subversionem totius negotii crucifixi valeat prævalere; nos ex parte Dei omnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Apostolorum ejus Petri & Pauli, ac nostra, omnes hujusmodi perturbatores Regis ac Regni Angliæ, cum complicibus & fautoribus suis excommunicationis vinculo innodamus, & terras eorum Ecclesiastico subjicimus interdicto.

Præfato Archiepiscopo, & Coepiscopis suis in virtute obedientiæ districtissimæ injungentes, quatenus nostram sententiam singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis & candellis accensis, solenniter per totam Angliam publicare procurent; donec satisfecerint Domino Regi de damnis & injuriis irrogatis, & ad ejus obsequium fideliter revertantur.

Universis insuper ejusdem Regis Vassallis in remissionem peccatorum ex parte nostra injungentes, ut contra perversores hujusmodi præfato Regi tribuant consilium & juvamen.

Siquis autem Episcoporum hoc nostrum præceptum neglexerit adimplere, sciat se ab Episcopali officio suspensum & subjectorum obedientiam esse subtractam, quia justum est ut eis inferiores non obediant, qui suo superiori obedire contemnunt.

Ne igitur mandatum alicujus tergiversatione valeat impediri, excommunicationis causam prædictorum, cum cæteris quæ ad hoc negotium

per-

ANNO 1215.

pertinuerint, vobis duximus committendam: per Apostolica vobis scripta mandantes; quatenus protinùs omni appellatione posposita, procedatis sicut videretis expedire.

Excommunicatio specialis in Barones Angliæ.

X. Ex Archiv. Angl. Rym. Tom. I. pag. 211.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Abbati de Albendune, Archidiacono Pictaviensi, & magistro Roberto Officiali Norwicensis Ecclesiæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

AD vestram volumus pervenire notitiam, quod nos nuper in generali Concilio constituti, excommunicavimus & anathematisavimus ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, Barones Angliæ cum adjutoribus & fautoribus suis, qui Joannem illustrem Regem Anglorum Cruce signatum & vassallum Romanæ Ecclesiæ persequuntur; mollientes ei Regnum auferre, quod ad Romanam Ecclesiam dignoscitur pertinere.

Insuper excommunicamus, & anathematisamus omnes illos qui ad occupandum, vel invadendum Regnum ipsum, aut impediendum euntes in ejusdem Regis succursum, operam vel opem impenderunt.

Et terras eorumdem Baronum Ecclesiastico subjicimus interdicto.

Aggravamus etiam in eosdem fortius manus nostras, si nec sic à suo destiterint iniquo proposito, cum in hac parte pejores sint Saracenis: decernentes, ut si quis Clericus cujuscumque dignitatis, aut ordinis prædictas excommunicationis aut interdicti sententias violare præsumpserit, anathematis se sciat mucrone percussum: & ni quantocius resipuerit, ab omni officio & beneficio deponendum.

Quo circa discretioni vestræ, per Apostolica scripta præcipiendo, mandamus quatenus per totam Angliam publicare faciatis præscripta: eademque faciatis auctoritate nostra, sublato cujuslibet conditionis & appellationis obstaculo, inviolabiliter observari.

Volumus etiam nihilominùs & mandamus, ut quosdam Barones Angliæ, quos venerabilis frater noster Wintoniensis Episcopus, & dilecti filii Abbas de Reding, & magister Pandulphus Subdiaconus & familiaris noster, delegati à nobis, excommunicatos personaliter nominaverunt, quia ipsos in præscriptis culpabiles invenerunt, videlicet, cives illos Londinenses, qui fuerunt principales prænominate perversitatis auctores; & Robertum filium Walteri, S. Comitem Wintoniensem, R. filium ejus, G. de Mandevilla, & Willelmum fratrem ejus, Comitem de Clare, & G. filium ejus, H. Comitem de Hereford, R. de Percy, E. de Vesci, J. Constabularium Cestriæ, Willelmum de Mumbray, Willelmum de Albineto, W. filium ejus, R. de Ros, & W. filium ejus, P. de Brus, R. de Cresci, Joannem filium ejus, Ranulphum filium Roberti, R. Comitem Bigod; H. filium ejus; R. de Ver, Fulconem filium Warini, W. Malet, W. de Monte acuto, W. filium Marescalli, W. de Bello campo, S. de Kime, R. de Monte Begonis, Nicolaum de Stutevilla: nec non & alios in prædictorum judicum sententia nominatim expressos, cum complicibus & fautoribus eorumdem auctoritate Apostolica excommunicatos per totam Angliam publicè denunciari faciatis: & ab omnibus arctiùs evitari, singulis diebus Dominicis & Festivis solemniter innovari, hujusmodi sententiam facientes ac denunciantes inviolabiliter observari: Civitatemque Londinensem Ecclesiastico suppositam interdicto; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, magistrum etiam Gervasium Londinensem Cancellarium, qui sicut à judicibus præfatis accepimus, dicti Regis, & suorum manifestissimus extitit persecutor, excommunicatum publicè denuncietis ac suspensum, graviori etiam pœna, nisi congruè satisfecerit, puniendum.

Quod si vos omnes, &c.

Datum Laterani, decimo septimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri: Anno decimo octavo.

ANNO 1216.

HONORIUS III.

PONTIFEX CLXXIX.

ANNO DOMINI MCCXVI.

ANNO 1216.

HOnorius Romanus anteà dictus Censius Sabellus, Innocentio successit anno 1216. A Scotis Anglis, & Francis haud pauca tributa exegit: S. Dominici ordinem Pontificiâ firmavit auctoritate, mox magistri sacri Palatii munus fundavit: Petrum Cortenæum Imperatorem Constantinopolitanam coronavit. Obiit anno 1227. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 63.)

Prælatos Hiberniæ arguit, quod pullulantem inter subditos hæresim tolerarent: anno 1219.

I. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 875.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis & dilectis filiis cæteris Ecclesiarum Prælatis, & capitulis per Hiberniam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

EXPECTAVIMUS hactenus, expectantes si monitis & statutis concilii generalis, exculta Domini Sabaoth vinea floruisset, si Aaron virga turgentibus gemmis erupisset in flores & dilatatis foliis amigdala produxisset, si geminassent mala punica, & ficus produceret grossos suos: quia ficus præcoquas anima Sponsi desiderat & sponsa diligit botros cypri. Sed ecce dolentes dicimus ante messem seges effloruit, & vinea ferè tota & ficus ac virga magis aruit, & vindemiator manum ad carcallum non revocat: sed sic semper vindemiat, quod post vindemiatores racemos aliquos colligere vix valemus. Nam unusquisque ferè in viam suam abiit, & ad suam negotiationem revolat à regiis nuntiis damnabiliter se excusans. Jam quidam ministri Altaris sicut jumenta non solùm in stercore computrescunt; sed peccatum suum velut Sodoma prædicant, nec abscondunt, facti ruina & laqueus populorum. Quidam etiam Ecclesiarum Prælati, qui gladios ancipites in suis manibus acceperunt, ad faciendam vindictam & increpationes in populis, errantes non cor-

corrigunt, membra putrida non excidunt, à caulis oves contagiosas & morbidas non excludunt, vulnus, livorem & plagam tumentem non ligant, nec curant, neque fovent oleo vel amplastro: propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaad non censetur esse medicus vel resina. Proinde in consilium subditorum venire anima prælatorum convincitur, dum iidem proximorum vitiis non resistunt: sicque manus mulierum misericordium parvulos suos coquunt. Hi etiam bona sibi commissa dissipant & consumunt, dispergunt sanctuarii lapides in capite omnium platearum, indignos promovent, perniciosis stipendia Ecclesiastica largiuntur, in suis Ecclesiis conventicula de sanguinibus congregantes. Tales utique non attendunt quod Eli filios suos palpans de cella retrorsum cecidit, & principes populorum, quia non cohibebant Hebræos initiantes Beelphegor, & cum Madianitis in eorum oculis coëuntes præcepto Domini suspensi sunt in patibulo contra solem. Quia cum de manibus Prælatorum negligentium sanguis requiratur pereuntium subditorum, dùm fortioribus instat fortior cruciatus, fit durum judicium eis qui præsunt. Claustrales quam plurimi qui fregerunt jugum, ruperunt vincula, quin etiam sicut stercus terræ jam contemtibiles sunt effecti, se non corrigunt, subditos non castigant, capitula juxta concilii generalis statutum, non celebrant, ne in lucem prodeant opera tenebrarum & à lumine arguantur. Propter hæc siquidem hæreses invalescunt: quia cum perpauci hodie murus æneus vel columna ferrea sint Prælati, vix est qui se opponat murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso: eo quod conscientia remordente, dùm canes muti projectum in terra ramunculum in os habent, & sint quasi baculus arundineus jam confractus; nec latratu nec baculo arceat lupos dilacerantes Ecclesiam, & in ipsam ululatus validos emittentes. Cùm igitur non possimus dissimulare de cætero vel conniventibus oculis pertransire tantum Cleri contagium & populi Christiani discrimen, quod procedit & proficit ex negligentia Prælatorum evacuantium per incuriam & torporem sanctiones canonicas, & statuta salubria Concilii generalis, increpationis securim comminantem excidium nunc radicibus infructuosæ arboris applicamus; confossæ ficulneæ conphinum stercoris apponentes antequam maledictionis gladio feriatur, & arceat, si fructum non fecerit in futurum quem jam diutiùs expectat. Quo circa universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus, quatenus præteritam negligentiam novo studio redimentes, per sollicitudinem geminatam sic præfati statuta concilii, & illa præsertim quæ salutem respiciunt animarum, deinceps conservetis, & faciatis à vestris subditis inviolabiliter observari, quod possitis exinde laudem consequi, & æterna præmia promereri, nec quemquam vestrum pœnam oporteat formidare, ad quam ex nunc potenter accingimur, contra desides & remissos. Invigiletis autem propensius ad hæreticam pravitatem è vestris finibus, si forsan irrepserit, penitùs extirpandam: quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, & ut draco stellas de cælo detrahit, & mulieri tendit insidias, cupiens filium quem concepit devorare. Ponat etiam unusquisque gladium super femur per medium castrorum transiens de porta in portam, nec parcat fratri proximo vel amico, qui statutis concilii vilipensis morum vel vitæ abjicit honestatem, vel non observat in tonsura, vestibus, & aliis modestiam Clericalem. Præcaventes sollicitè ne beneficia conferatis indignis, nec quemquam permittatis habere plures personatus, seu parochiales Ecclesias habitas post Concilium generale quibus cura sit animarum annexa, nisi forsan super hoc habeat indulgentiam sedis Apostolicæ specialem. Abbates vero Nigri ordinis celebrare hoc anno provincialia concilia non obmittant, prout existit in præscripto Concilio stabilitum, & ut bonorum studium commendare possimus, & punire negligentiam perversorum, super hoc ab illis certiorari volumus & mandamus. Sanè cum olim vas aureum manna plenum Christi Corpus deitatem continens præfigurans, in arca fœderis auro tecta infra Sancta sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur; dolemus plurimum, & tristamur quod in provinciis sacerdotes sanctiones canonicas immò divinum judicium contemnentes, sanctam Eucharistiam incautè custodiunt & immundè & indevotè contrectant, quasi nec creatorem timeant vel recreatorem diligant, aut judicem omnium expavescant: quamquam Apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quam transgressores legis Mosaïcæ, qui mortis sententia plectebantur. Ne igitur de cætero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio graviùs exardescat, districtè præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam & signato semper honorificè collocata devotè ac fideliter conservetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, quilibet reverenter inclinet, idem faciens cum ipsam portat Presbyter ad infirmum; quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat & referat manifestè & honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati graviter punire non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram volunt effugere ultionem. Attendat igitur unusquisque ut sic mandatum nostrum juxta susceptum officium exequatur, quod nemo coronam ejus accipiat, vel de suo loco ejus candelabrum amoveri contingat, sed potiùs coronari gloria & honore.

Datum Viterbii XIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri: Anno IV.

Ad Archiepiscopum Bituricensem, contra Judæos in Bituriâ novas synagogas constituentes. II. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 878.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Bituricensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PERVENIT ad audientiam nostram, quod Judæi in tua diœcesi habitantes, synagogas de novo contra sanctiones canonicas construere præsumpserint; ideò fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, synagogas ipsas facias demoliri, fideles si qui se opposuerint; per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo.

Datum Lateranis XIV. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno IV.

ANNO 1223. | ANNO 1225.

III. Ex Saracini noticie Istoriche d'Ancona.

Numerum Canonicorum Anconitanæ Ecclesiæ, duodenarium decernit.

HONORIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilectis filiis capitulo Anconitano, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

ECCLESIARUM utilitati, tranquillitati consulitur, cum numerus personarum Domino famulantium, cum eisdem facultatibus provide coaptatur: cum ergo venerabilis Frater noster Anconitanus Episcopus Ecclesiæ nostræ facultatibus provida consideratione pensatis duodenarium Canonicorum, numerum in eadem Ecclesia; Nos præcibus vestris benignum impendentes assensum, statutum, quod super hoc idem Episcopus fecit, providè factum esse, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communivimus; statuentes, ut salvo Apostolicæ sedis mandato, nullus ad minorem numerum compellere.

Vos possit invitos, nisi ut excrescerent ipsius Ecclesiæ facultates, quod in eâ personarum numerus videretur merito ampliandus; Nulli ergo hanc paginam nostræ confirmationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani, prima Julii Pontificatus nostri: Anno octavo.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 929.

Petit ab Episcopis Galliæ unam præbendam in singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis & dilectis filiis universis Ecclesiarum Prælatis per Regnum Franciæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

SUPER muros Jerusalem custodes positi, quanto eminentiorem speculam dignitatis attendimus, tantò in eminentiori debito sollicitamur officii, ut vigilanti custodia nobis & aliis vigilemus, nobis quoque per meritum, aliis per exemplum, quatenus in conspectu Altissimi conscientiæ puritas conservetur, & in facie propriæ famæ integritas non lædatur. Multum enim cedit ad commodum, ut & conscientiam fama non deserat & famam conscientia contemni non exponat. Sed potiùs mutuis promoveantur suffragiis & mutuis sibi promotionibus suffragentur: propter quod in vestibus Aaron mala punica cum tintinnabulis dependebant. Porrò dum attendimus, quid onus honoris exposcat, quid sarcina dignitatum desideret, multa nos cura sollicitat, multæ nos sollicitudinis urgemur instantia, qualiter Deo satisfaciamus & homini, & si non ut volumus & debemus, saltem prout permittimur & valemus. Sanè multos multotiens & audivimus & vidimus murmurantes propter expensas, quas venientes ad sedem Apostolicam faciebant. Scimus autem quid ex talibus inferebat præsumtio detractorum, quid labia dolosa, quid lingua magniloqua præsumebant, cum nonulli sermones in publico monstrantes, & mittentes periculosius jacula in occulto, Romanam niterentur mordere Ecclesiam, parari non solùm ea quæ vigor justitiæ, sed etiam quæ judicium æquitatis, nec non benignitatis gratia consummabat suis loquutionibus depravare, præsertim apud eos, qui aures prurientes habebant & graves & erectas ad malum. Illos quoque in talibus frequenter experti sumus ostendere, qui missi procurare negotia, dum ea quæ illis ad necessarias deputabantur expensas, suis voluptatibus applicabant, ad miserabile subsidium mendacii recurrentes, alienis moribus impingebant quod propriè defraudaverant. Quia verò in iis contra sedem Apostolicam detractionis obrepebat occasio; & Ecclesiis, & Ecclesiarum Prælatis, nec non & aliis videbatur imminere gravamen; cum fratribus nostris diligenter curavimus habere tractatum, quo studio, qua cautelá, secundum Deum & hominem inveniremus in talibus salubrem provisionis effectum; & tandem, prout Domino placuit; communi, & unanimi deliberatione consilii rem non novam, nec inexcogitatam à prædecessoribus nostris sumus aggressi, volentes quod illi salubri consilio providerent efficaci opere consummaré, videlicet ut ad opus sedis Apostolicæ in singulis Cathedralibus Ecclesiis & aliis præbendalibus singulæ præbendæ reserventur, & interim donec id fiat competentes in eis reditus assignentur. In monasteriis verò; & cæteris domibus regularibus, ac aliis collegiatis Ecclesiis, nec non de bonis Episcoporum secundùm facultates suas constituantur certi reditus præbendas æquantes, quorum proventus in commune recepti, tàm in nostras quàm fratrum nostrorum necessitates, capellanorum, necnon cancellariæ, ostiariorum aliorumque sedis Apostolicæ officialium convertantur, ut sic & provideantur nostris in vitæ necessariis & gratis omnibus omnia pro quibuscumque venientibus negotiis ministrentur, nec sit qui per se, vel per alium, expressè, vel tacitè, aliquid exigat, vel etiam sponte oblata recipiat, præter villæ reditum consuetum. Quod si quis Gieziacus tantæ cupiditati animam audebit exponere, tantæ pœnæ duritiæ subjacebit, quod præter publicæ confusionis opprobrium, culpam in pœna cognoscet. Quis igitur frater gratiæ, quis devotionis filius, quis sponsi & sponsæ dilectus, ad hujusmodi stratum Ecclesiæ consilio & auxilio non assurget? An non licet, non decet, non expedit, ut sic filiæ dextram porrigant ad subsidia matris, quæ occupationibus multis & magnis involvitur pro necessitatibus filiorum? Nonne id quam plures Ecclesiarum Prælati magnique testimonii viri tempore generalis Concilii sua dabant? Nonne ad id toto videbantur desiderio aspirare? Tunc tamen sedes Apostolica distulit, ne videretur ad hoc Concilium evocasse. Ne igitur tàm pii, tàm sancti propositi consummatio retardetur, per quod crescere poterit decor Ecclesiæ Dei, multaque subtrahi occasio detrahendi: universitatem vestram monemus, rogamus, & exhortamur in Domino per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus ad executionem provisionis hujusmodi tàm in Cathedralibus, quàm in aliis Ecclesiis, ut dictum est, impendentes sic opere ut operam efficacem, quod interprete facto monstretur quantum Domûs Dei vos decor alliciat, quantum sponsi & sponsæ amor accendat, quantum multorum relevatio moneat, quantumque utilitas generalis inducat. Cæterùm cùm ad relevanda Ecclesiarum onera, & gravamina Prælatorum, prout possumus, intendamus, de præ-

ANNO 1226.

præbendis Clericis Romanis, vel aliis, à sede Apostolica concessa duximus providendum, ut postquam fuerint supradicta completa, cùm eos vacare contigerit, ad proprias Ecclesias revertantur, ne si successivè conferantur extraneis, sicut aliquando consuevit, filiis Ecclesiarum, qui continuo servitio resident, redderentur inutiles, & voluntate quodammodo fierent alienæ.

Datum Lateranis v. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri: Anno IX.

V. Ex Archivis Ang. Rymer. Tom. I. pag. 285.

Ad Episcopos Angliæ, quod pecunias pro expensis Regis colligant.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Prælatis ac Rectoribus Ecclesiarum, in Hibernia constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

NON leditur libertas Ecclesiastica set defenditur, si inde defenssori ejus, statu rerum & temporum exigente, subsidium liberale exhibetur.

Cùm ergo charissimo in Christo filio nostro, Henrico Regi Angliæ illustri, multa immineant necessariarum onera expensarum, ac propter hoc sibi mandaverimus à Clero Angliæ subsidium exhiberi, universitatem vestram sollicitandam duximus & hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes quatenus, cum Regnum Hiberniæ ad ipsum pertinere noscatur, ac per hoc eidem incumbat defendere Ecclesiarum vestrarum libertates & jura, vosque deceat, sibi tamen exposcere videtur necessitas, liberaliter subvenire, collectam, pensatis singularum Ecclesiarum facultatibus, faciatis ad expensarum ipsius Regis onera supportanda, cum venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Dublini, voce aliquos vestros, prudentiæ ac probatæ fidei eligentes, qui pecuniam recipiant pro subventione hujusmodi colligendam, eamque assignent, ipsi Archiepiscopo & duobus aliis qui ad hoc idonei videbuntur; per eos ad expensas ipsius Regis, quæ videbuntur ei & Regno suo magis necessariæ ministrandam.

Mandatum nostrum taliter impleturi, quod ipsum Regem ad vestram, & Ecclesiarum vestrarum favorem per hoc specialiter inclinetis, gratamque vicissitudinem ab eo expectare possitis tempore oportuno.

Nolumus autem quod exhibitio subventionis hujusmodi trahatur, ad consequentiam, vel præjudicium generet Ecclesiasticæ liberati.

Datum IV. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri: Anno decimo.

VI. Has ex Archivis Casinensi habet R. P. Bernardus Montfaucon in Diario Italico pag. 329.

Bullæ ubi Monasterium quoddam Constantinopolitanum ad tribuit Monasterio Casinensi.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati & Conventui Casinensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUM à nobis petitur quod justum est, & honestum, tàm vigor æquitatis quàm ordo exigit rationis, ut id per sollecitudinem officii nostri ad debitum producatur effectum. Cùm igitur bonæ memoriæ Benedictus tituli sanctæ Susannæ, Presbyter Cardinalis, legationis exercens officium in partibus Romaniæ, Monasterium Sanctæ Mariæ de Virgioti extra civitatem Constantinopolitanam infrà duo milliaria situm, cùm universis pertinentiis suis rationibus & proprietatibus auctoritate legationis ejusdem vobis, & per vos Monasterio concesserit Casinensi; ita tamen quod Monachi Græci commorantes ibidem per vos inde nullatenus expellantur; sicut in ejusdem authentico perspeximus pleniùs contineri; Nos vestris justis præcibus inclinati concessionem ipsam, sicut proindè facta est, ratam habentes auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Anagnæ XIII. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno primo.

GREGORIUS IX.

PONTIFEX CLXXX.

ANNO DOMINI MCCXXVII.

ANNO 1227.

GRegorius priùs Ugolinus appellatus, anno 1227. ad Pontificiam sedem est assumtus. Fridericum II. Imperatorem quod juramentum ab Italis posceret sacris dimovit, à Romanis Civibus Duce Hanibaldo Româ pulsus Regum Galliæ opem imploravit. Ejus jussu Raymundus Decretalium libros quinque ex prioribus compilationibus collegit anno 1230. vulgatos. Obiit anno 1240.

I. Ex Anecdot. Martene Tom. I. Col. 947

Mandat confirmari sententiam excommunicationis in ducem Britanniæ, & interdicti in terras ejus latam, & si non resipuerit vasallos ejus ab obedientia illi debita absolvi.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri M. Episcopo, & magistris de la Valle & R. de Danfront Canonicis Cenomanensibus, salutem & Apostolicam benedictionem.

SI nobilis vir Comes Britanniæ potentiam recognosceret à Domino sæculorum, studeret utique ipsam in ejus beneplacitis exercere, diligendo justitiam, quæ diligit diligentes se, & sectando quæ ad omnia valet pietatem. Sed quod dolentes referimus, gratiæ gratis ingratus, quasi de industria recessit à Deo, nec attendens quod sit malum & amarum Dominum reliquisse, nec ejus apud ipsum esse timorem, cor suum contra ipsum pertinaciter elevavit, & spiritu ad superbiam obfirmato, se contra Omnipotentem patenter erexit, eique manifestè rebellans, non solùm tetendit contra eum damnabiliter manum suam, verùm etiam alios ad rebellandum iniquis conjurationibus sibi colligans animavit. Cùm enim sciat, vel scire debeat, quod unica CHRISTI sponsa cum sponso unum est corpus, nec alteri sine altero

in-

ANNO 1228.

injuria vel molestia valeat irrogari: dictus comes, ut sponsam provocet Ecclesiam liberam utique: utpote sanguine CHRISTI redemptam, nititur de terra sua damnabiliter ancillare, non attendens quod non est dignus cum filiis liberæ testamento patris hæres adscribi, qui matrem gestit subjicere servituti; alias quasi filius degenerans in privignum, matrem multipliciter tribulat & affligit. Præcisos siquidem ab Ecclesiæ corpore per excommunicationis sententiam sibi quasi gratanter incorporans: non solùm eis gratanter communicat, sed alios communicare compellit, quia in curia sua illos ad agendum admittit, nec patitur ut eis excommunicationis sententia opponatur. Quin etiam quemcumque in excommunicatione perdurantem, monitum ab Ecclesia redire ad unitatem Ecclesiæ compellere parvipendit, nec à ballivis, vel subditis suis, compelli permittit. Et sic contemptis Ecclesiæ clavibus, enervatur in partibus illis vigor Ecclesiasticæ disciplinæ in enorme dispendium fidei, & grave scandalum Ecclesiæ generalis. Cùm autem venerabiles fratres nostri, Rhedonensis, Macloviensis, Dolensis, Briocensis, & Trecorensis Episcopi, proinde attendentes quod si non annunciarent impietatem suam impio, ille quidem in impietate sua moreretur; sanguis autem ejus requireretur de manu eorumdem; ipsum monuerunt diligenter, ut ad Ecclesiæ rediens unitatem, ab hujusmodi ejus præsumptionibus abstineret: ille renuens accipere disciplinam eligensque perire potiùs quàm parere; non solùm monitis nullatenus acquievit, sed exinde graviùs indignatus novas nocendi maneries adinvenit. Ut enim alios in errorem suum alliceret multos complices, cum Baronibus & aliis militibus apud Rothonense Monasterium colloquium celebravit, multis iniquè suggessit, quod Ecclesia gravabat eumdem, excommunicans ferè ne faveat prohibendo, astruens quoque fallaciter omnes laïcos ab Ecclesia multipliciter aggravari, & specialiter in tertia parte judicii defunctorum, nec non in decimis subtrahendis de manibus laïcorum, sophisticum, impium, & nequissimum juramentum præstitit, & recepit ab eis, quod servabunt sessivas suas, nec de cætero Ecclesiasticorum soprisas tolerabunt: ut sic sub velamento justitiæ quod de bonis Ecclesiasticorum habent, iniquè retinerent, & qui tenentur reddere non persolvant. Conjuratores autem hujusmodi se reputant obligatos ad excommunicatos minimè devitandos, nec compellendos quantocumque tempore in excommunicatione perstiterint, indurati & ad tertiam partem judicii defunctorum Ecclesiis parochialibus non reddendam, laudabilem consuetudinem pietate fidelium nequiter infringendo, & ad alia multa teneri se credunt quæ vergunt in periculum animarum. Baillivi verò & senescalli comitis supradicti juramentum prænotatum à militibus & aliis hominibus ejus, qui apud Rothonense Monasterium non convenerant, extorquentes, eos expresse ad prædictos articulos obligarunt. Quare prædicti Episcopi nolentes, sicut nec debebant, tantam nequitiam contra Deum & Ecclesiam concinnatam æquanimiter comportare, in omnes illos qui præstiterant, vel præstarent hujusmodi sacramentum, seu præstitutum in Ecclesiarum præjudicium observarent, generalem excommunicationis sententiam pertulerunt: excommunicantes nihilominus comitem nominatum pro eo quod quasi contemnens claves Ecclesiæ, excommunicatos non solùm non vitat, sed nec evitari permittit, eos passim ad agendum & alios actus . . . . admittendo compellit ut tenetur, vel compelli permittit redire ad Ecclesiæ unitatem. Licet prædictus Redonensis Episcopus in personam ejusdem comitis excommunicationis & interdicti in terram, quam tenet de demanio in diœcesi Redonensi, sententias promulgasset, pro damnis & injustitiis, quas sibi & capitulo Redonensi super hominibus & possessionibus suis temerè irrogarat: propter quod etiam idem Episcopus ad vos nostras litteras impetravit, ut easdem sententias facientes firmitus observari, illos, qui eidem comiti faverent in crimine, censura percellatis eadem: nec permitterentur prædictos Episcopum & capitulum ab eodem comite vel fautoribus suis temerè molestari: molestatores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo: contestaturi nihilominus quod nisi comes ad cor rediens mala attentata celeriter revocaret, & Deo & hominibus satisfaceret competenter, nos absolveremus à fidelitate vassallos ipsius. Cæterum quamvis mandatum Apostolicum fideliter exsequentes, sæpe dictum comitem super hiis monueritis diligenter; ipse tamen nolens intelligere ut bene agat, non solùm memoratis Episcopis & capitulo satisfacere, & alia revocare, quæ contra Ecclesiam egerat, non curavit: verùm etiam factus de protervo protervior, eosdem Redonensem, Briocensem, Trecorensem Episcopos suis redditibus spoliatos ab Ecclesiis suis exsulare compellis, propter quod exsules ipsi in prædictum comitem excommunicationis sententiam promulgantes, singuli diœceses suas supposuerunt Ecclesiastico interdicto. At dictus comes percussus non dolens, immo malleum velut stipulam reputans, Ecclesias & Ecclesiasticas personas odio prosequitur nequiori; quia si qui de terra sua injuriantur eiisdem, quod frequentius & tutius faciunt, scientes se inde illi placere, non solùm injuriam passis defensionis auxilium denegat requisitus: verùm etiam faciens injuriantibus non patitur decimas trahi de manibus laïcorum, nec permittit eos in foro Ecclesiastico super decimis conveniri: & pietatis invisor terrarum eleemosynas Ecclesiis non sustinet fieri consuetas, Ecclesias modis omnibus quibus potest evacuat & enervat. Clericorum autem parentes & alios consanguineos, si laïcos super aliquibus injuriis auctoritate Apostolicâ, seu Metropolitanicâ extra suam diœcesim trahunt in causam, comes & baillivi ejus capi faciunt, & à subditis ejus capi permittunt, & tamdiu detineri captivos, donec renuntient quæstioni: alias Ecclesias, breviter, intolerabilibus cruciat injuriis & jacturis, sicut nobis prædictorum Episcoporum lacrymosa querela, & aliorum Prælatorum fide dignorum solemnis insinuatio patefecit. Cùm igitur tanta sævitia vel perfidia non sit ulterius toleranda, cùm etsi ex se minus sit enormis, multo tamen propter exempli perniciem existens enormior, facilè posset in subversionem fidei & Ecclesiasticæ libertatis exterminium redundare: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictas & excommunicationis & interdicti sententias solemniter publicantes, & facientes per partes publicari vicinas, renovetis easdem singulis Dominicis diebus & festivis, & faciatis auctoritate nostrâ, submoto appellationis obstaculo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, totamque terram ejus, necnon loca ad quæ idem comes pervenerit superponentes Ecclesiastico interdicto: ita quod ibi nullum divinum officium celebretur, præter pœnitentiam morientium & bap-

ANNO 1228.

baptismata parvulorum, donec idem comes super præmissis omnibus satisfaciat competenter. Prænotatum autem juramentum apud Rothonense monasterium celebratum, quod præsumptum illicitè, licitè servari non potest, mutantes, juratores ut id abjurent, appellatione remotâ, per censuram Ecclesiasticam compellatis. Clericos quoque in ejus servitio familiariter commorantes, ut ab ipso recedant, monitione præmissâ, per subtractionem beneficiorum & excommunicationis sententiam, appellatione remotâ, cogatis. Alios quoque complices & fautores, nisi moniti resipuerint, sententiâ simili percellatis. Quod si fortè dictus comes nec sic ad cor redierit, ut Deo & Ecclesiæ, & injuriam passis super præmissis omnibus intra quatuor menses postquam à vobis monitus fuerit, satisfactionem exhibeat competentem; vassos & confœderatos ejus à fidelitatis & confœderationis ipsius juramentis penitùs absolvatis. Quod si non omnes hiis exsequendis potestis interesse: tu ea, frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exsequaris. Verùm quia qui medicinalem Petri gladium non formidant, sæculari sunt gladio comprimendi, ne de sua malitia glorientur; Serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur attentè, quatenùs prudenter attendens, quod nisi præfatus comes in hujusmodi protervia confundantur, gravia inde pericula possent formidari, fidei zelo succensus, & parentum suorum exemplis inhærens, illum ut ad Ecclesiæ redeat unitatem traditâ tibi cœlitus potestate compellat, ita prosecuturus com..... CHRISTI, quod exinde propitiationem divinam uberiùs merearis, & nos sinceritatem tuam debeamus meritò commendare.

Datum Assisii IV. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno II.

II. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 954.

Ad universos Episcopos & Ecclesiæ Prælatos, ut fratres Prædicatores ad officium prædicationis, & confessiones audiendas benignè recipiant.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & aliis Ecclesiarum Prælatis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QUONIAM abundavit iniquitas & refriguit charitas plurimorum, ecce ordinem dilectorum filiorum Prædicatorum Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærentes, tàm contra promulgatas hæreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicaverat in evangelizatione verbi Dei, in abjectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum fratrum propositum & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos. Caritatem vestram rogantes & exhortantes in Domino, ac per Apostolica scripta mandantes, quatinus dilectos filios fratres ordinis memorati pro reverentia divina & nostra ad officium prædicandi ad quod sunt ex professione sui ordinis deputati recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum verbi dei semen devotè suscipiant, & confiteantur eisdem, cum ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire & pœnitentias injungere, sedulò ammonentes pro vestra & Apostolicæ sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati tamquam bona ac fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum feliciùs consummando, optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum. Quia verò sæpe vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & angelus satanæ in angelum lucis se plerumque simulate transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus si qui de Prædicatorum fratrum ordine se dicentes in vestris partibus prædicaverint, ad questum se pecuniæ convertendo, per quod religionem eorum qui paupertatem professi sunt contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem.

Datum Lateranis XVII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri: Anno III.

III. Saracini notizie Istoriche d'Ancona.

Anconitanos arguit ob commissa scelera in Episcopum Belluacensem, & nî obediant mandatis sedis Apostolicæ, eis excommunicationis sententiam minatur.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, potestati & populo Anconitano.

VESTRIS excessibus imputandum quod nostræ salutationes alloquium nos, vobis cogitis denegare, cùm exigentibus culpis vestris, & reddideritis vos indignos; dum enim rebellionis vestræ protervitas, dum enormitas vestrorum excessuum diversorum ad memoriam reducuntur, non ad præmia conferenda; sed ad pœnam inferendam potiùs provocamur; vos autem divinæ patientiæ improvidi abusores gratiæ nostræ, & obliti beneficiorum à sede Apostolica perceptorum non attendentes qualiter, monetam comitatum Portum, & alia jura, quæ nullis de Marchia sunt concessa ad nostram curiam pertinentia; Ecclesia Romana vos substinuit hactenus habuisse, olim Othoni tunc excommunicato ab alienati, retrorsum matris vestræ dulcedine abutentes; necnon ut comiti Celenensi & aliis Ecclesiæ inimicis, violata religione fidei adhæsistis, ac cæteris redeuntibus in pertinacia vestra persistitis diutiùs nimium impudenter, & quia non ista sufficerent, conversâ dexterâ in viscera matris vestræ conspirantes, conjurationes cùm quibusdam sequacibus vestris, contra Ven. Fratrem nostrum Belluacensem Episcopum, tunc Marchiæ Rectorem damnabiliter inistis, non absque nostra injuria manifesta; & quia Romana Ecclesia hæc hactenus per patientiam toleravit, ut vos ad pœnitentiam revocaret; propter quod pœnitentes excessum commissorum à committendis debueratis causis abstinere; vos peccata peccatis addentes proterviores effecti, nec (per sicut accepimus) & non utique acceptamus; immò grave gerimus, & molestum, cùm Auximatis excommunicatis conjurationes denuò, & conspirationes alias facere præsumpsistis contra constitutiones, & pœnas super hoc æditas & excommunicationis sententiam dilecti filii nostri &c. Tituli Sancte Praxedis Præsbyteri Cardinalis Rectoris Marchiæ temerè, veniendo in nostram & Apostolicæ sedis injuriam & contemptum,

quia verò nil infelicius fœlicitate peccantium, quàm penalis impunitas sustinetur, & frequenter misericordia est invicta; quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, cùm non attendatis obducti cœca caligine prærogativam honoris, & gratia, quam vos sæpiùs à sede Apostolica præcepistis, & dignum sit, ut qui ex prosperis insanivit; vos adversa prosternant. Universitati vestræ per Apostolica scripta, ob debito fidelitatis, & pœna mille Marcharum, districtè præcipiendo mandamus, quatenus præter juratoriam idoneam, & sufficientissimam cautionem de stando præcisè mandatis nostris; Vicariis, Rectoribus ejusdem, infra unius mensis spatium à præsentium receptione præsentis; & tu Potestas cum Sindico, & sex de majoribus Civitatis nostræ plenè à communi mandatum habentibus, ad præsentiam nostram accedas; mandatum Apostolicum recepturus, alioquin cum privilegium mercatur amittere, qui præmissa sibi abutitur potestate, omnibus præmissis beneficiis, & privilegiis, seu concessionibus super hoc obtentis à sede Apostolica; Vos privamus, dantes venerabili Fratri nostro Auximano Episcopo, & dilecto filio nostro magistro Cæsario Vicario Lectoris ejusdem, nostris litteris in mandatis. Ut vos privatos hujusmodi beneficiis, seu concessionibus, juxta mandatum nostrum, ac de potestate, & consilium excommunicatos per totam diœcesim Aconitanam, & partes vicinas publicè nuntient, & faciant ab omnibus tanquam excommunicatos artiùs evictari, & vicinarum interdici vobis commercia civitatum, & civitatem ipsam Ecclesiastico interdicto supponat contradicentes, &c.

Datum Laterani, x. Kalendas Decembris: Anno septimo.

IV. Ex Anecd Martene Tom. I. Col. 993.

Quod Theobaldus Navarræ, Rex revocet statuta contra libertatem Ecclesiæ: Anno 1236.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo filio illustri Regi Navarræ & comiti Campaniæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

REX qui Regni regit æterni dominium, qui erexit Ecclesiam super Catholicæ fidei fundamentum, Reges terrarum ad ipsius Ecclesiæ obsequium suis monitis excitans, & orbis principes multis ad ejus devotionem exemplis invitans, illam præcipit a mortalibus honorari, pro qua ipse immortalis formam servi accipiens, crucis patibulum & mortis non expavit subire tormentum, exaltans illum qui ministris ipsius præstat obsequium, & Regnum ei suâ miseratione perpetuans, qui ad tempus sponsæ suæ votis favorabiliter obsecundat. Porrò, fili carissimè, in progenitoribus carissimi in CHRISTO filii nostri Franciæ Regis illustris, & præsertim inclytæ recordationis CAROLO-MAGNO colligere poteris evidenter, diligenter attendens qualiter idem CAROLUS Romano Pontifici Vicario JESU-CHRISTI & successori Beati PETRI, cui Dominus terreni simul & cœlestis Imperii jura commisit, obediens pro defensione Ecclesiæ, se laboribus & angustiis multis exposuit, quantum exinde honoris, laudis & gloriæ reportavit. Sed forsan ad tuam notitiam non pervenit quod idem contra persecutores ipsius Ecclesiæ regium pluries congregans exercitum bellatorum, de ipsis magnificè triumphavit; & Imperatore Constantinopolitano Ecclesiasticam negligente, defendere libertatem, Ecclesia gladii spiritualis & materialis optinens à Domino potestatem, ut alterum ipsa exerceat; & ut alterum indicet, Imperium eidem CAROLO; qui non solùm violatores libertatis Ecclesiasticæ, sed & rerum Ecclesiasticarum suâ virtute compescuit turbatores, contulit, & ipsum alias immensis gloriæ titulis insignivit, in personam ejus continuans gratiam, quam retroactis temporibus ZACHARIAS Papa PIPINO patri suo fecerat, quem ad Regni Francorum solium exaltarat. Propter quod ipse CAROLUS Ecclesiam à qua omnem honorem susceperat; cupiens honorare, perpetua lege decrevit, ut omnes ipsius jurisdictioni subjecti, statutum à Theodosio Imperatore pro Ecclesiæ libertate editum inviolabiliter observarent; videlicet ut quicumque litem habens, sive petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi sententia, si judicium elegerit sacrosanctæ sedis antistis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi pars altera refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur, & omnes causæ quæ prætorio, & etiam civili jure tractantur, Episcoporum terminatæ sententiis perpetuæ robur obtineant firmitatis, & negotium quod judicio ipsorum deciditur, nequaquam ulterius ab aliquo retractetur. Ex quo manifestâ potes ratione perpendere, quantùm iniquum videatur & absonum, si honor Ecclesiæ, quæ tam grandis libertatis privilegio donata cognoscitur, in illis immunitatibus, quæ multò prædictis noscuntur esse minores, tuo & tempore decurtetur. Cæterum non solùm reliqui ejusdem Regis prædecessores, sed & progenitores tui exaltationem Ecclesiarum propriam exemplo simili reputantes, se Christianæ fidei, se matris constituerunt Ecclesiæ defensores; & studiosius attendentes, quod Deo, qui eos multæ potentiæ gloria sublimarat, nihil rependere poterant simile; ut tamen ostenderent ingratitudinis vitio se carere, Ecclesias multis dotarunt facultatibus immensis, donaverunt libertatibus, vel etiam potiùs à qua ipsi omnem potestatem acceperant, in libertate debita servaverunt, reputantes indignum, ut locus ubi divinum nomen excollitur, ubi CHRISTUS in altaris hostia in nostrorum redemptionem criminum immolatur, alicujus subjiciatur oneribus, cum sit supra intellectum hominis honorandus. Si ergo propriæ servat propago vitis originem, si succus idem ramos vivificat & radicem, vix creditur, ut eisdem progenitoribus tuis, quibus parificaris honore dominii, patiaris te contrarium moribus & inferiorem virtutum actibus inveniri. Quin imò speramus quod gratia bonitatis quæ eisdem progenitoribus tuis quasi erat innata, ad tuam derivata personam, te nihil permittat efficere quod libertati & honori Romanæ Ecclesiæ & membrorum ejus possit in aliquo derogare; cum sapor fontium concessus origini fluentibus in ipso rivulis non valeat abnegari. Sed ecce audivimus & dolemus, quod carissimus in CHRISTO filius noster Franciæ Rex illustris, tu, & alii Barones malorum usi consilio Ecclesiam, quæ vos ex utero sanctificationis regeneravit in filios, ac pro salute vestra immaculatum Agnum offert jugiter Deo Patri, in servitutem cupientes redigere, ut jam non liberæ velitis vocari filii, sed ancillæ; immò sponsam Regis æterni, qui eos suo sanguine à servitute perpetua liberavit, conantes miserabiliter ancillare, communi statu-

to, vel potiùs destitutione contra libertatem ipsius, sicut dicitur, firmavistis, ut homines vestri viris Ecclesiasticis, vel Ecclesiarum hominibus in foro non teneantur Ecclesiastico respondere : quin immò si judex Ecclesiasticus in eos ob contumaciam excommunicationis sententiam tulerit, hujusmodi sententiam rerum occupatione suarum, vel eorum ad quorum instantiam excommunicati fuerant, in contemptum clavium Ecclesiæ, adversus quas non possunt portæ inferi prævalere, relaxare cogatur : & quod deterius est, Archiepiscopos, Episcopos & alias personas Ecclesiasticas, & eorum homines super quibuscumque causis civilibus, ordinem juris scripti & antiquæ consuetudinis pervertentes, vestro parere judicio coartatis, licèt ab antiquis temporibus ea libertate usque ad hæc tempora in Regno Franciæ observata, usa fuerit Ecclesia Gallicana, ut laici personis Ecclesiasticis & Ecclesiarum hominibus in judicio Ecclesiastico responderent. Sed ecce convenit, immò ad tui honoris incrementum accedet, quod frequenter infra pectoris tui arcana revolvens, quod non solum prædecessores tui, quibus ex honore impenso Ecclesiæ multiplicis laudis titulus & honoris accrevit, totis eam studuerunt viribus honorare; sed & multis retroactis temporibus Valentianus Imperator suffraganeis „ Mediolanensis dixit Ecclesiæ : Talem in Pon„ tificali constituite sede, cui & nos qui guber„ namus Imperium sincerè nostra summitamus „ capita, & ad ejus monita, dum tamquam ho„ mines delinquimus, necessario veluti ad curan„ tis medicamina recurramus, aures tuas illis si qui te ad afflictionem Ecclsfiarum pravis seductionibus nitantur inducere, minimè præbeas, & ea tibi suggerentibus quibus animæ detrimentum incurris auditum penitùs interdicas. Hinc est quod excellentiam regiam rogandam duximus & monendam, quatenus cum signaculum crucis profecturus in subsidium Terræ sanctæ susceperis, & personam tuam pro Dei & Ecclesiæ servitio multis laboribus & periculis deputaveris, ac ob id te oporteat summa providere cautela, ne quid à tua serenitate contingat fieri, propter quod vas tanti possit meriti vacuari, ob divinæ reverentiam majestatis & Apostolicæ sedis honorem, statutum prædictum & alia Ecclesiasticæ contraria libertati, quantum in te est revocans, & procurans ab eisdem Rege & baronibus revocari, ac Ecclesiam Gallicanam in pristino statu & honore conservans, eam non molestes, nec patiaris ab aliis molestari; quin immò viros Ecclesiasticos indulta tibi cœlitus potestate protegens, & defendens, rebelles Ecclesiæ ad ipsius mandatum & unitatem redire compellas : ita quod ex hoc Deum aliquatenus non offendas. Cæterum cum olim felicis recordationis Honorius Papa prædecessor noster in omnes aliqua statuta contra Ecclesiæ libertatem edentes, nisi infra duos menses statuta ipsa revocent, excommunicationis sententiam tulerit; & super hoc canonem latæ sententiæ promulgarit, nos ipsius tenorem tibi ne id tuam serenitatem lateat duximus transmittendum. Qui talis est. *Noveritis quod nos nuper in Basilica principis Apostolorum, præsente carissimo in Christo filio nostro F. illustri Romanorum Imperatore & semper Augusto, in celebratione Missarum, postquam capiti suo imposuimus imperii diadema, de consilio fratrum nostrorum, accensis candelis, excommunicavimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & fautores, receptatores & defensores eorum, necnon & qui de cætero servari fecerint statuta, edita, consuetudines vel potiùs abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem, nisi ea capitularibus suis infra duos menses post hujusmodi sententiæ publicationem, fecerint amoveri. Item excommunicamus statuarios & scriptores statutorum, necnon potestates, consules, rectores, consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta vel consuetudines editæ fuerint vel servatæ, necnon & illos qui secundum ea præsumserint judicare, vel publicam formam scribere judicata.*

Datum Viterbii xii. Kalendas Martii, Pontificatus nostri : Anno ix.

INNOCENTIUS IV.

PONTIFEX CLXXXII.

ANNO DOMINI MCCXLIII. Anno 1243.

INnocentius IV. Genuensis Sinibaldus Filiscus, priùs appellatus anno 1243. Pontifex est electus. Patris Juris elogium ob ejus singulariter peritiam obtinuit. Commentarios scripsit in libros Decretalium Gregorii IX. Celebravit Concilium Lugdunense primum adversùs Imperatorem Fridericum. Purpureum Galerum Cardinalibus S. R. E. concessit. Obiit anno 1254. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 82.)

Quod Auximani teneantur reficere damna illata, per exercitum Friderici Imperatoris populo Anconitano : Anno 1246.

I. Saracini notizie Istoriche d'Ancona. pag. . . .

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Episcopo Anconitano, indevoti Deo & Ecclesiæ.

NOnnulli de Civitate Auximana, postquam Friderico quondam Imperatori damnabiliter adhæserunt, tùm in hoc potissimum moliti experiri sævitiam, quod Anconitanam Ecclesiam ex diris injuriis affecerint, & jacturis enormibus deformarent; cùm autem propter hoc ipsa Ecclesia, quasi ad nichilum sicut accepimus sit redacta; nos eam debita consolationis volentes delinere remediis, & ejusdem persecutoribus condignè merita compensare mercedis præsentium auctoritate statuimus, ut dicti Auximani omniaque per se ipsos : vel eorum procuratores per exercitum præfati Friderici à tempore; quo ipse occupavit Marchiam, de jam dictis bonis Ecclesiæ sunt comsumpta restaurare teneantur; nulli ergo constitutionis, &c. dat. . . . Non : Idus Maii : Anno quarto.

Facultatem dat Episcopo Anconitano revocandi quæcumque bona in feudum tenerent Alsini, Auximani, &c.

II. Saracini notizie Istoriche d'Ancona. pag.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Episcopo Anconitano.

NE glorientur reprobi suæ perversitatis opera, sive condignis meritorum stipendiis præteritis gementibus filiis Ecclesiæ, quod multis per illos gravati fuerint detrimentis, deceat

pro-

providentiâ sedis Apostolicæ super hoc ad consolationem mentium salubriter providere; sanè tua insinuatione percepimus, quod nonnulli Aesini, Senogallienses, & Auximanæ civitatum & diæcesum prædictarum Ecclesiarum Frederico quondam Imperatori damnabiliter adhærentes, Anconitanam Ecclesiam, cujus quidam ex ejus feudatariisque, alii verò censuales existunt, turbare diversis injuriis, & pravis præsumpserunt afficere nocumentis, ut autem eis digni sint in dispendium, quod ab iniquitate ipsorum taliter esse præsumptum Fraternitati tuæ per tenorem præsentium concedimus facultatem, ut terras, possessiones, & alia quæ in feudum, seu sub annuo censu ipsi ab Anconitana Ecclesia tenerent ad manus, liberè revocare valeas, & aliis personis conferre Apostolicæ sedis devotis auctoritate præsentium concedimus facultatem.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1029.

Quod Fratres Prædicatores obsequiis Prælatorum, ac Principum immorantes suis superioribus devotè obediant.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Ordinis fratrum Prædicatorum in Alemannia constitutis, qui Prælatorum aut Principum obsequiis immorantur, vel eidem sunt modo aliquo deputati, salutem & Apostolicam benedictionem.

IN conspectu Dei & hominum decens & expediens esse dignoscitur, ut præclara religio, quam fratres vestri Ordinis prætendunt habitu ostendatur effectu: in eo præcipuè qui se, suos, & sua reliquerunt, obtentu divini nominis, nihil sibi retineant propriæ voluntatis, sed obedientiæ jugum cum districtione pertrahant, ut sic divina propitiante clementia perennis vitæ bravium comprehendant. Cum itaque Apostolici dignitas deposcit officii personas divinis adscriptas laudibus specialiter ad ea quæ salutis existunt opportunis temporibus exhortari; universitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino Jesu Christo per Apostolica vobis scripta firmiter præcipiendo mandantes, quatenus præ oculis diligenter habito quid professi fueritis, quando Religionis habitum assumsistis, omni occasione postposita dilectis filiis magistro & priori provinciali vestris, ac eorum vicariis ordinis memorati sic studeatis reverenter intendere, ac humiliter obedire, quod eis & ceteris fratribus ipsius ordinis vertatur in gaudium & vobis redundet ad cumulum meritorum; alioquin ne vestræ inconsultæ voluntatis arbitrium fit vobis in perniciem, & pacem præfati ordinis scandalo damnoso perturbet, prædictis magistro & priori, ac vicariis eorum damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id per censuram Ecclesiasticam & sublationem habitus, ac per translationem ad alium ordinem congruentem, monitione præmissa, cessante appellatione, compellant; Non obstante aliquo privilegio vel indulgentia, vobis seu quibuslibet aliis ab Apostolica sede concessis, de quibus in litteris nostris plenam, aut expressam oporteat fieri mentionem. Datum Lugduni II. Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno VII.

IV. Ex Spicil. Dacheri Tom. 3. nov. edit. pag. 629.

Privilegium Civibus Insulæ Majoricarum, ne in posterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo, ac dilectis Filiis Clero, Consulibus, Juratis, & universitati Insulæ Majoricarum, salutem & Apostolicam Benedictionem.

PRopter maris pericula Insulam vestram undique circumdantis, ac frequentes piratarum, ac paganorum incursus ad Terram firmam distantem ab Insula ipsa fieri per ducenta milliaria, prout asseritis, pervenire sinè gravi dispendio non potestis. Cum itaque nonnulli, sicùt accepimus ad loca remota, sæpe vos citari procurent, & propter impedimenta præmissa litibus cedere, seù cum Adversariis damnosas inire cogamini pactiones. Nos obtentu Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Aragonum, qui favente divinæ virtutis auxilio dictam insulam de manibus Paganorum eripuit, & pro vobis Apostolicam gratiam per speciales Litteras imploravit, dispendiis vestris in hac parte occurrere sollicitudine paterna, volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut per litteras Apostolicæ Sedis aut Legatorum ejus, quæ de ipsa Insulâ, & Indulgentia hujusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem extra eandem Insulam, super bonis, quæ infra ipsam habebitis vos, vel aliquis vestrum non possitis de cætero ab aliquibus conveniri dummodò parati sitis ibidem coràm competenti Judice de vobis conquerentibus Justitiæ plenitudinem exhibere. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni prid. Idus Maii Pontificatus nostri anno septimo.

V. Ex Archivis Reipub. Genevensis extrompta.

Quâ Episcopo Genevensi permittit omnibus illis qui eum vel ejus Diœcesis Ecclesias mœrore afficiunt, sacris mysteriis interdicere.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Gebennensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitio tua nobis exhibita continebat quod nonnulli Nobiles & Barones tuæ diœcesis ad bona Ecclesiarum ipsius diœcesis manus avidas extendentes, bona ipsa frequenter diripiunt ac Ecclesias ipsas & personas ecclesiasticas ac te etiam gravibus afficiunt injuriis & jacturis.

Quare nobis humiliter supplicasti, ut super hoc adhibere salubre remedium curaremus. Tuis igitur supplicationibus inclinati, præsentium tibi auctoritate concedimus, ut tales quod ab hujusmodi desistant injuriis per excommunicationis in personas & in terras eorum interdicti sententias mediante justicia valeas cohercere.

Non obstante si aliquibus à sede Apostolica sit indultum quod interdici vel excommuni

ANNO 1243.

cari non possint, vel terræ eorum supponi ecclesiastico interdicto, seu quod non possint conveniri coram ordinario vel alio quocunque judice per litteras sedis ipsius quandiu parati fuerint coram deputatis eis ab eadem sede judicibus respondere absque speciali dictæ sedis mandato faciente plenam de indulto hujus-modi mentionem, sive aliqua alia indulgentia prædictæ sedis generali vel speciali de qua vel cujus toto tenore oporteat in nostris litteris mentionem fieri & per quam effectus præsentium impediri valeat vel differri.

Datum Lugduni, III. Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo.

Johannes Pann.

VI. Ex MSS. P. P. Prædicat. Rothomagensium.

Quod nulli ex Fratribus Prædicatoribus liceat in electionem vel postulationem de se factam ad Episcopatum, vel alias dignitates invitis superioribus, consentire. Quodque nullus Archiepiscopus nec Apostolicæ sedis Legatus, aliquem de fratribus ad Episcopatum vel alias dignitates assumere præsumat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro ordinis Fratrum Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitio tua nobis exhibita continebat, quod cum aliqui fratres tui ordinis in aliquibus Ecclesiis in Episcopos eliguntur vel postulantur : iidem fratres, licet proprium velle non habebant aut nolle propter hoc quod renunciaverunt mundo & propriæ voluntati, & per se nequeant consentire, tamen irrequisitis prioribus suis provincialibus, quorum licentia & Testimonium essent in talibus requirenda, dum electionibus, sive postulationibus de se factis temere consentiunt, & locorum Archiepiscopi fratres ipsos in Episcopos assumere ac ordinare præsumunt : propter quod plerumque in eodem ordine scandalum generatur, super quo provideri per sedem Apostolicam humiliter postulatis.

Cum autem prædictum ordinem, cum sit rectæ vitæ speculum, salutiferæ conversationis exemplar, velimus semper de bono in melius, Deo propitio, prosperari: auctoritate præsentium de speciali gratia districtius inhibemus, ut nulli præfati ordinis fratres, si eos in Episcopos eligi, aut postulari forte contigerit electioni sive postulationi de se factæ audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicumque alius prælatus, vel etiam Legatus sedis ipsius dictos fratres, nisi de tua, vel ipsorum priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia & consensu, aut sedis ejusdem speciali mandato ad Episcopatus & alias dignitates extra dictum ordinem assumere vel ordinare præsumat.

Nos enim decernimus irritum & inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi à quibuscumque contigerit attentari auctoritate Sedis Apostolicæ semper salva. Nulli ergo &c. Datum Perusii III. Id. Julii, Pontificatus nostri anno IV.

Similes postmodum Litteras dedit Clemens Papa IV. Viterbii III. Calendas Junii Pontificatus sui anno IV.

ANNO 1243.

VII. Extracta ex Manusc. parvo Bullario Conventus S. Crucis Parisiensis.

Ordo sanctæ Crucis Huyensis Leodiensis Diœcesis, approbatus & confirmatus per Innocentium IV. sub Regula S. Augustini & Constitutionibus Fratrum Prædicatorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Dilecto filio Electo Leodiensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm dilecti filii prior & fratres Sanctæ crucis Leodiensis Dioecesis supradictæ secundum Regulam sancti Augustini & quasdam Institutiones fratrum prædicatorum, sicut asserunt, Domino famulari nobis humiliter supplicaverint, ut ipsis utendi Divinis officiis & institutionibus eorundem licentiam largiremur, ita tamen quod alium habitum deferre valeant, ac possessiones recipere, si eis pietatis intuitu à Christi fidelibus conferantur. Volentes igitur in hac parte tibi deferre, qui eorum Dioecesanus existis, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus eisdem authoritate nostra postulata concedas, si videris expedire. Datum Lugduni decimo Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Sequitur Littera executoria Electi Leodiensis super commissione sibi facta.

HEnricus Dei gratia Leodiensis Ecclesiæ Electus Dilectis filiis priori & fratribus Sanctæ Crucis extra muros oppidi Huyensis nostræ Dioecesis salutem in Domino. Noveritis, quod cum in anno à Nativitate Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo ultima die mensis Novembris recepimus per manus vestras quasdam Litteras Apostolicas à Sanctissimo in Christo Innocentio quarto Divina providentia nobis specialiter directas quarum tenor de verbo ad verbum noscitur esse talis : Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei etc. ut proximè suprà. Super quod mandatum Apostolicum nos qui de approbatione & confirmatione ordinis *Cruciferorum sub titulo Sanctæ Crucis* per certa indulta Apostolica verissimè sumus informati, vosque fons, & tanquam Caput totius ordinis memorati in Loco vestro propè Huyum nostræ Leodiensis Diœcesis per Sedem Apostolicam instituti, & quia Ecclesiam Christi fidelibus temporibus nostris diligenter affectamus augmentare, ac etiam vos Crucis servitores ob reverentiam cruciferi, in cujus titulo & passione estis vos reverenter signati, in vestris bonis affectionibus & contemplationibus conservare Divinis per nostrum consilium cum matura & discreta deliberatione, visa & considerata supplicatione vestra in litteris Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Papæ, nostræ consensu & specialiter ad experientiam nostram commissa, etiamque Beati Augustini Regula approbata, visisque Institutionibus fratrum Prædicatorum, inter quos prædictas institutiones plurima Capitula cum prologo præcedenti, videlicet, *Quoniam ex præcepto Regulæ iubemur habere* cor unum, & *animam unam in Domino* etc. ad usum vestrum,(prout nobis promisistis) in eodem libro compilantur, qui Liber Institutionum, seu statutorum nuncupatur, in quo primo determinat de officio Ecclesiæ, & Inclinationibus, de suffragiis mortuorum, de jejuniis, de cibo & colatione, de Inclinationibus, de infirmis & minutione, de Lectis & vestitu, de rasura & silentio, de

reci-

recipiendis novitiis & eorum instructione, de professione quæ primò debet fieri ab omnibus profitentibus in quibuscumque Domibus existentibus Priori Huyensi, prout in dicta Constitutione plenius continetur de levi culpâ, de gravi culpa, de graviori, & gravissima culpa, de apostatis, de Domibus concedendis & construendis, de electione priorum, qui omnes per Priorem Huyensem tenentur confirmari & institui, de electione Definitorum Capituli generalis, de Capitulo quotidiano, de Capitulo generali quod quolibet anno in Huyense celebratur, ad quod Capitulum omnes priores . . . . vel procuratores Domus suæ, sive Conventus convenire sunt astricti. De visitatoribus qui per priorem Huyensem committuntur nisi de se voluerit visitare, & priores exules super filias domus, secundum quod in dicta Constitutione continetur. De Itinerantibus, de Conversis, sub quibus Institutionibus, seu Constitutionibus præmissis vobis & successoribus vestris, omnibusque aliis fratribus habitum deferentibus sanctæ Crucis, & à Domo vestra dependentibus, in quibuscumque locis existentibus tam præsentibus quàm futuris utendi de Divinis officiis & Institutionibus præmissis, ac etiam tenentur si possessiones in communi si à Christi fidelibus vobis, & omnibus membris vestris intuitu pietatis conferantur, authoritate Domini nostri Papæ in hac parte nobis commissa concedimus facultatem, atque pro temporibus futuris vos, & successores vestros in perpetuum secundum Constitutiones, seu Institutiones præmissas & Regulam B. Augustini memoratam regulariter vivere autoritate præmissa per præsentes concedimus, in cujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro fecimus insigniri. Datum in Castro nostro Huyensi Anno gratiæ millesimo ducentesimo quadragesimo octavo, ultima die mensis Decembris.

ALEXANDER QUARTUS PONTIFEX CLXXXIII.

Anno 1254.

ANNO DOMINI MCCLIV.

ALexander Anagninus, antea Raynaldus, vel Rolandus nuncupatus Innocentium excepit, sub quô Guelphorum, & Gibelinorum turbis Italia æstuabat. Obiit anno 1261. Pontificatus Sexto. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 106.)

I. *Ex Anecd.* Martene Tom. I. Col. 1059.

Revocatio quarundam literarum, & sententiæ ab Innocentio IV. latæ in Regulares: anno 1254.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Venerabilibus universis Archiepiscopis & Episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & cæteris personis Ecclesiasticis tam sæcularibus quàm regularibus, cujuscumque ordinis & professionis existant, salutem & Apostolicam benedictionem.

NOn insolitum est neque novum, ut ea quæ per occupationem vel in festinantia fiunt, pro eo quod congruè lineam deliberationis prætereunt, in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora & elimatiora per attentionem plenioris discussionis emanent. Sanè quædam ab Apostolica Sede tempore felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri litteræ processerunt; in quibus ipse universis religiosis cujuscumque professionis vel ordinis existant, districtè in virtute sanctæ obedientiæ injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis & festivis non reciperent de cetero in suis Ecclesiis seu Oratoriis temerè ad divina, nec ipsos ullatenus ad pœnitentiam admitterent, sine suorum Licentia Sacerdotum: nec eis in suis prædicarent Ecclesiis ante Missarum Solemnia, pro quibus audiendis prima diei parte iidem parochiani consueverunt, & debent in suis Ecclesiis convenire: nec sermones etiam solemnes facerent illa hora, sed nec ad prædicandum solemniter ad Parochias alienas accederent nisi essent ab earum sacerdotibus invitati; vel saltem nisi se ad id humiliter paterent & obtinerent admitti; nec ea die qua Diocesanus Episcopus vel alius loco ejus prædicaret solemniter maximè in Ecclesia cathedrali, aliquis fratrum in eadem civitate vel loco præsumeret prædicare. Si verò in casu licito Parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omniumque obtentu consequerentur hujusmodi sepulturæ portionem canonicam vel non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum Episcopo vel Sacerdoti de cujus Parochia mortuus est assumptus exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum hujusmodi transgressor contra prædicta vel aliqua prædictorum venire præsumeret, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subjaceret, & nihilominus à Diocesano ad præmissa & singula observanda per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra hujusmodi indulgentiis & privilegiis Apostolicis valituris. Verum quia super præmissis Litteris cogitare attentius & studiosius deliberare proponimus pacis commodum, & quietis solatium Ecclesiis & personis Ecclesiasticis potissimè cupientes præfatas litteras & si quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo contra præfatos religiosos & aliquos ex ipsis, generaliter & specialiter, præter formam communem & solitam processere, ac mandata seu præcepta facta in eis, vel earum auctoritate duximus penitus revocanda. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus per hujusmodi litteras vel occasione mandatorum seu præceptorum aut sententiæ quam continent, nihil prorsus agatis cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem.

Datum Neapoli XI. Calendas Januarii Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1060.

Quod nullus fratrum Prædicatorum alii possit peccata confiteri, quàm suis Prælatis, nisi urgente necessitate: anno 1254.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm magister & Priores Ordinis vestri more periti medici vinum & oleum sciant infundere vulneribus sauciati, auctoritate vobis præsentium inhibemus, ne aliquis vestrum aliis quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat nisi necessitatis urgente periculo, vel nisi forsan dictus magister vel Prior proprius alicui fratri licentiam dede-

ANNO 1255.

dederit fratri alteri ejusdem Ordinis confitendi. Nulli ergo &c.

Datum Neapoli VIII. Calendas Martii Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1061.

Quod Fratres Prædicatores & Minores in Diœcesibus eorum constituti, vel qui ad præsentiam Prælatorum pervenerint permittantur uti liberè suis observantiis, statutis & Indulgentiis Apostolicæ Sedis: anno 1255.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus prioribus, decanis, Archidiaconis, præpositis, archipresbyteris & aliis Ecclesiarum prælatis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PAtris æterni benignitas pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute inter personas plurimas divinis obsequiis deputatas viros in Ecclesia sua sancta constituit conversationis & vitæ honestate conspicuos, ac scientiæ titulis insignitos. Hi sunt dilecti Deo & hominibus fratres ordinis Prædicatorum & minorum, qui suum semper affectum ad amorem cœlestium dirigentes, virtutem nominis divini per orbem terræ publicant, & pro christianæ religionis ampliando cultu vigili attentione desudant. Hi sunt qui vitam & merita Beatissimi Pauli Apostoli contemplantes gloriantur in sola cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis Paradisi. Hi sunt qui hostes animæ per scutum fidei & loricam justitiæ & gladium Spiritus, salutis galeam & hastam perseverantiæ debellantes, obtinere satagunt, ut catholicis universis fidei, spei & charitatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat, & hæreticæ pravitatis insania evanescat.

De tantorum siquidem meritorum provenit claritate, quod vos fratres eosdem effectu sincerissimo in Christo diligimus, & ipsos ubique terrarum statu gaudere pacifico affectamus, pro re indigna & nimis amara ducentes, si quis de numero fidelium, & potissimè prælatorum, eos aliquibus turbat injuriis vel offensis. Rogamus itaque devotionem vestram, & per Dei misericordiam obsecramus, per Apostolica Scripta vobis mandantes, ac in remissione peccaminum injungentes, quatenus illos qui sunt in vestris civitatibus & diocesibus constituti, seu qui in præsentiam vestram quandocumque pervenerint pro divina & nostra reverentia affabiliter ac benigne recipere, ac eos vestræ caritatis studeatis affluentia confovere permittendo ipsos uti liberè regularibus eorum observantiis & statutis per Sedem Apostolicam approbatis, ac etiam indulgentiis & litteris quas circumspecta pietas sedis ejusdem eis olim concessisse dignoscitur de gratia speciali. Ceterum prædictos fratres de favoris vestri plenitudine plenius honorantes, eis liberaliter concedatis, ut quæ sunt opportuna pro animarum salute ab eis auctoritate nostra liberè valeant exerceri, præsertim cum ipsi cordi habebant ministerium suum ita laudabiliter & prudenter exsequi, quod exinde apud vos possint sinceram & stabilem benevolentiam promereri. Preces autem nostras quas vobis ex intimo cordis affectu dirigimus, sic adimpleat vestra sinceritas quod propter hoc vobis gratiosi favoris præmia opportuno tempore compensemus.

Datum Neapoli V. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno I.

ANNO 1256.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1066.

Quod Minister Generalis Fratrum Minorum, Obligatos Ordini Fratrum Prædicatorum non recipiat: anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis generali Ministro & fratribus ordinis minorum salutem & Apostolicam benedictionem.

QUo vos in Christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius ut in cunctis providi sitis & vigiles affectamus, turbationis non modicæ spiritum assumentes, sed de vobis quandoque contrarium ad nos relatu perveniat aliquorum. Sane ammirantes accepimus quod vos non absque offensa rectitudinis, quæ in vestris dicitur actibus haberi continuè specialis, fratres Prædicatores & eorum ordini obligatos frequenter ad vestrum recipiatis ordinem, unitatem spiritus in pacis vinculo non servantes. Verum cum ex hoc scissuræ possint & scandali oriri materia, quæ solatium pacis æternæ quærentibus debet omnimodis existere peregrina, universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus tam fratres eosdem, quàm eorum ordini voto vel juramento etiam obligatos nullatenus de cetero prætextu indulgentiæ alicujus seu aliquarum Litterarum obtentarum à sede Apostolica vel etiam obtinendarum in posterum, quæ de præsentibus expressam non fecerint mentionem, nisi prioris sui petita & obtenta licentia, recipere præsumatis: Alioquin decernentes irritum & inane quidquid per vos in hac parte contra præceptum nostrum contigerit attentari, præsentium auctoritate statuimus, ut hujusmodi præsumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, à qua nunquam absolvi valeant, nisi se apud Sedem Apostolicam personaliter repræsentent, ab ea sicut sibi visum fuerit absolvendi. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji, Pontificatûs nostri anno II.

Similes dedit idem Pontifex Litteras ad Fratres Eremitas Ordinis S. Augustini & sancti Guillelmi Viterbii III. Nonas Martii Pontificatus sui anno IV.

V. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1067.

Ne quis apud Fratres Minores recipiatur ad professionem ante annuam probationem, anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis generali Ministro & fratribus ordinis fratrum minorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

NOn solum in favorem conversi, sed etiam monasterii probationis tempus à Sanctis patribus est indultum, ut ille asperitates istius & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati Benedicti præcipitur ut ad conversionem noviter venienti non facilis tribuatur ingressus: Sed sicut docet Apostolus num sit ex Deo Spiritus comprobetur; & dura & aspera per quæ itur ad Deum exponantur. Præterea in eadem regula subjungitur; & dicatur ei; Ecce lex sub qua militare desideras, si eam observare (Reg. Sancti Bened. cap. 58.)

re potes, ingredere; alioquin liber venisti, liber discede. Insuper felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster statuit, ut positi in probatione novitii ante susceptum religionis habitum qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam ad statum pristinum redire possint liberè infra annum & ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam Locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, pro fessionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum, ac professorum habitus discernatur. Licet igitur Zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicitè cupiatis, quia tamen decet & expedit, ut conscientiæ puritatis non desit judicium rationis ne unde spiritualis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quem quam ad professionem vestri Ordinis, seu renunciationem seculi faciendam recipere præsumatis, nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quominus infra eumdem annum probationis, ad aliam religionem quam maluerit transeat sicut de sua processerit liberè voluntate. Non obstantibus statuto contrario, si quod à vobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris à sede Apostolica impetratis seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra hujusmodi nostram inhibitionem quemquam recipere præsumeritis decernimus eum qui taliter receptus fuerit nullatenus esse vestro ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjiciendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consueveterit. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis III. Nonas Maji Pontificatus nostri anno II.

VI. Ex Anecd. Martene Tom. I Col. 1068.

Quod nullus Prælatus possit Fratres Prædicatores ad secum manendum, & sua negotia procuranda assumere: anno 1256.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro & fratribus Ordinis Prædicatorum Salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitionibus vestris tam piis quam providis paternæ benignitatis gratia, quæ filiis utiliora prospicit, assensum benivolum impendentes, ut nullus legatus nisi de latere nostro missus auctoritate litterarum sedis Apostolicæ specialem de præsentibus non facientium mentionem, aut Prælatus aliquis de fratribus vestri ordinis ad sua seu Ecclesiæ suæ negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos prior provincialis ipsorum tamquam idoneos & discretos sibi duxerit, quosque subjacere volumus ordinis disciplinæ auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo &c.

Datum Lateranis II. Idus Maji Pontificatus nostri anno II.

URBANUS QUARTUS PONTIFEX CLXXXIV.

ANNO DOMINI MCCLXI.

URbanus Trecensis, nomine Jacobus Pantaleo, obscuro genere ortus, successit Alexandro IV. anno 1261. Crucem contrà Manfredum, qui se Siciliæ Regem fecerat Pontificibus infestum, sumi jussit. Dein Orvetum secedens Carolum Comitem Andegavensem in Italiam vocavit, utriusque siciliæ Regem illum facturus. Festum posteà Corporis Christi, quia in Longobardiâ sacrificio incredulo sacris operante sanguis ex Hostia profluxerat, instituit. Obiit anno 1264. (*Magni Bullarii Romani*, *Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 120.

I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. Pag. 429.

Collegia Begghinarum, & Reclusarum Diœcesis Leodiensis in suam potestatem suscipit: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis Collegiis Begghinarum, & Reclusarum Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

SEdes Apostolica devotas, & humiles filias ex assuetæ pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eas tamquam pia mater suæ protectionis munimine confavere.

Ea propter dilectæ in Christo filiæ vestris postulationibus annuentes, personas vestras, & Loca, in quibus sub communi vita degistis, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, Domino dante, poteritis adipisci, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præstatis scripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum hanc paginam nostræ protectionis liceat infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Viterbii nonis Julii Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. Pag. 430.

Alterum in favorem Begghinarum Leodiensium: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Decano Leodiensi salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PIum esse dignoscitur, ut gloriantibus in malitia per nos taliter obsistatur, quòd repressis eorum insultibus vacantes Divino cultui liberiùs possint in observantia mandatorum

ANNO 1265.

Domini delectari. Cum itaquè dilectæ Filiæ Beghinæ & Reclusæ Leodiensis Diocesis à nonnullis, qui nomen Dei recipere in vacuum non formidant, prout accepimus, diversis affligantur molestiis, ea pressuris, nos earum providere quieti, & malignorum malitiis obviare volentes, discretionibus per Apostolica scripta mandamus, quatenùs præfatis Beghinis adversus raptorum, prædonum, & invasorum audaciam efficaci præsidio defensionis assistens, non permittas ipsas in personis, & Bonis suis, ac litibus molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo, præsentibus post triennium minimè valituris.

Datum Viterbii quinto Idus Julii Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1265.

CLEMENS QUARTUS, PONTIFEX CLXXXV.

ANNO DOMINI MCCLXV.

Clemens Gallus anno 1265. priùs Guido Grossus vocatus, arma tractaverat, dein juri operam dedit: Uxore mortuâ, Cardinalis in Angliam missus, absens Papa electus, & Viterbii coronatus est. Trium annorum, & decem mensium fuit Pontifex. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 133.*)

I. Ex Spicil. d'Acheri Tom. 3. Pag. 648. nova edit.

Declarat ac decernit Angliæ Regem, ac Filium ejus Edmundum Regni Siciliæ veros nunquàm fuisse possessores: anno 1265.

Litteræ CLEMENTIS Papæ IV.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Olim Regno Siciliæ ad dispositionem & ordinationem Apostolicæ Sedis, ad quam specialiter pertinet cum juribus, districtibus & pertinentiis suis plenè, ac liberè devolato, ac Sede ipsa circa statum ipsius Regni sollicitè cogitante, illiusque Regimen alicui Catholico, & devoto Principi capiente committere, qui ad laudem Dei honorem, & pacem Ecclesiæ, ac tranquillitatem, & profectum fidelium ipsius Regni ejus solio præsideret, tandem inter Sedem ipsam, & Clarissimum in Christo filium nostrum Henricum Illustrem Regem Angliæ, de Regno ipso in feudum dilecto filio nobili viro Eadmundo ejusdem Regis nato, sub certis conditionibus concedendo habitus est tractatus. Et quia Rex ipse multa ergà Romanam Ecclesiam devotione refulget, suumque genus fidei semper claruit puritate, providit tunc Sedes ipsa, cum eodem Rege tractatum hujusmodi consummare, undè relato, & exposito ex parte ipsius Eadmundi felicis Recordationis Alexandro Papæ quarto prædecessori nostro, quod dilectus filius Magister Albertus, Notarius noster tunc Apostolicæ Sedis Legatus eidem Eadmundo & hæredibus suis prædictum Regnum Siciliæ, ac totam terram quæ est citra Farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ Romanæ cum omnibus juribus, honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (exceptis civitate Beneventana, cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis) in feudum de speciali auctoritate, & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quasi prædecessoris nostri concesserat, salvis Libertatibus, & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni, & terræ, tam in electionibus, quàm in aliis spectantibus ad easdem.

Quodque idem Innocentius Prædecessor concessionem hujusmodi supplendo defectum si quis in eą fuerit de plenitudine potestatis authoritate Apostolica confirmarat, eidem Eadmundo Regnum, & terram prædicta in feudum de novo concedens, prout in suis Litteris dicebatur pleniùs contineri: Præfatus Alexander prædecessor, concessionem, & confirmationem hujusmodi sub conditionibus in Privilegio Apostolico indè confecto expressis, ratas & gratas habeas, ipsas de Fratrum suorum approbavit consilio, & assensu, & sub eisdem conditionibus, illas auctoritate Apostolica innovans, Regnum, & Terram prædicta cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, de Fratrum ipsorum consensu dicto Eadmundo ac ejus hæredibus utriusque sexus, in feudum sub eisdem conditionibus perpetuò concessit, & etiam confirmavit. Reservavit autem expressè in eodem privilegio sibi, & in sua voluntate, & potestate remansit, dicere, pronunciare vel proferre in scriptis, vel sinè scriptis, de consilio vel sine consilio Fratrum suorum prædictis Rege, & Eadmundo, ac alio etiam quocumque, cujus forsitan interesset, nequaquam vocatis, & absque omni Juris solemnitate, approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem hujusmodi, quas præfatis Eadmundo, & heredibus, sub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino esse nullumque robur, vel valorem habere, aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas, & irritas nuntiare, si memoratus Rex, quasdam ex dictis conditionibus, statutis, terminis non impleret, ita quòd post hujusmodi pronuntiationem, seu irritationem, vel dictum præfatæ approbationis innovatio, concessio & confirmatio, nullius essent, vel haberentur efficaciæ, vel momenti.

Et licèt prædicta sedes plurimum affectaverit, adhibendo quam potuit diligentiam, quod ipsius Regni negotium pietatis Rege ac Eadmundo prosequentibus illud, laudabilitèr proficeret, & per illorum studia, & auxilia successibus convalesceret prosperis, & processibus promoveretur optatis, idque diutius exuberantè, circa ipsos Apostolica gratia, non sinè innumeris, & magnis dispendiis, gravibusque periculis, & dolenda jactura ejusdem negotii exspectarit, eis tamen omnino deficientibus, nec opem, aut operam promotioni dicti negotii præbentibus opportuna, neque conditiones adimplentibus supra dictas, ipsum negotium speratis suffragiis, non adjutum, & continuis impugnatum adversis, profectum non habuit, sed multis debilitatum defectibus periculosè languit, Ecclesia incurrente ac sustinente per hoc maxima detrimenta.

Quia igitur manifestum est, & notorium, prædictas non fuisse conditiones impletas, & liberum est nobis, & in nostra voluntate, ac potestate consistit, eisdem conditionibus non impletis, dicere pronuntiare in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio fratrum nostrorum, prædicto Rege, ac Eadmundo, & quocumque alio non vocatis, & absque omni Juris solemnitate, præfatas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem vacuas prorsùs esse, aut revocare

ipsas

ipsas, & irritas nuntiare, sicut in ipso Privilegio est expressum: Nos habito nihilominus fratrum nostrorum consilio, & assensu auctoritate Apostolica sententialitèr dicimus, pronuntiamus, & proferimus, prædictas approbationem, innovationem, concessionem, & confirmationem vacuas esse omninò, nullumque robur, vel valorem habere, ac revocamus, cassamus, & irritamus easdem & cassas, & irritas nuntiamus, ita quod deinceps, nullius sint, vel habeantur efficaciæ, seu momenti.

Memorata verò concessio, quæ de Regno, & Terra præfatis à prædicto Notario & ejusdem concessionis confirmatio, ac nova de illis concessio, quæ à dicto Innocentio Papa de Fratrum suorum consilio, nominato Eadmundo, & ejus hæredibus, factæ fuisse dicantur, in nullo sibi prodesse, ac nullum conferre Jus, nullamque utilitatem eidem præstare possunt, nec ullum commodum, aut adminiculum, vel favorem, cum ab eodem Notario talis concessio nunquam processerit, & constet ipsum concessionem hujusmodi non fecisse. Nec prodest, nec juvat, si forsan hujus concessionis tenor ejusdem Innocentii Papæ Literis ostendatur insertus, qui facti non continet veritatem; insertione hujusmodi, quæ non ad publicationem, sed ad confirmationem facta exstitit, ad probationem minimè suffragante. Nec confirmatio, & suppletio ipsius Innocentii Papæ, si sequutæ fuerunt, potuerunt præbere concessioni, quæ reverà nequaquam præcesserat, nec facta fuerat, vim aliquam, seù efficaciam, vel vigorem. Nec suo interventu efficere, quod falsum foret verum, vel id quod verè non erat, haberet essentiæ veritatem: ipsaque confirmatio, & suppletio, ac prædicta ejusdem Innocentii Papæ, nova concessio invalidæ sunt penitùs, & inanes, ut potè nullam omninò habentes radicem, nec aliquod fundamentum. In iis enim hoc intendebat, & agebat idem Innocentius, ut hujusmodi processum memorati Notarii firmiter roboraret, cui (cum nullatenùs intervenisset) nullum profectò poterat dari robur, & quod fabricatur, cum struitur, vel componitur super eo, quod existentiam nullam habet, solidum quidem, & stabile non est, sed instabile, totaliter, & infirmum. At etsi hujusmodi prædicti Notarii concessio, ad quam de speciali auctoritate, ac mandato ejusdem Innocentis præcessisse asseritur, facta fuisset, nihilominus tamen vacua, & inefficax prorsùs esset, cum conditiones apponendæ, quarum expressionem, & declarationem idem Notarius in ipsa concessione reservasse arbitrio certarum dicitur personarum expressæ, vel declaratæ per ipsas Personas non fuerint, nec possint amodò declarari, aliquibus Personarum ipsarum, de medio jam sublatis, quibus, & reliquis superstitibus, quod simul id facerent, fuerat reservatum, & hoc ipsum de præfata nova concessione ipsius Innocentii, meritò dici potest, cum idem innovando præmissam ejusdem Notarii concessionem, seù quæ priùs ille concessisse dicebatur, noviter concedendo, ab ipsius intentione Notarii, quoad conditiones inferendas minimè recesserit, sed fuerit eam potiùs prosequutus; quamvis, & aliàs rationabiliter impugnetur, cum sedes Apostolica in agendis tàm arduis, multam servare consueverit gravitatem, & ad concessiones rerum sic grandium & sublimium sinè maturo consilio & deliberatione solemni, ac expresso consensu Cardinalium non procedat.

Illa denique collatio, sivè concessio, quam dictus Notarius quibusdam à præfato Rege constitutis Procuratoribus fecisse dicitur, de jam dicto Regno tenendo in feudum à memorato Eadmundo sub conditionibus per ipsum Notarium, & quosdam alios ordinandis, de quibus conditum exstiterat, quorumque jam aliqui sunt defuncti; adjecto in ipsa quod si prædictus Innocentius Papa eam gratam, & ratam haberet, & ex certa scientia, literarum ipsius Notarii, super illa confectarum, tenorem de verbo ad verbum suis litteris insereret, valida esset, & firma, alioquin cassa, & irrita haberetur, & nullius esset omninò momenti, valorem non habet aliquem, vel vigorem; præsertim quia conditiones ipsæ, nec ordinatæ postea fuerunt, nec possunt ulteriùs ordinari, sicut ad irritationem alteriùs concessionis superiùs est expositum. Nec apparet, neque ostenditur hujusmodi collatio, seù concessio per eumdem Innocentium confirmata: quare præmissa, etiam si fortè ipsa, vel aliqua ex eis apparere, vel ostendi contingeret, nullum prorsùs valorem, nullamque firmitatem haberent, nec possent Ecclesiæ Romanæ, circa liberam ipsius Regni dispositionem inferre alicujus obstaculi nocumentum.

Et quamquam felicis Recordationis Urbanus Papa quartus prædecessor noster reservata sibi tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno cum quovis alio Principe, vel cum quacumque alia Persona mallet sua, & ejusdem Ecclesiæ libertate, præfatos Regem, & Eadmundum de Fratrum suorum Consilio, Authoritate Apostolica per suas citaverit litteras, ut si forsan in prædicto Regno, per quamcumque concessionem, sive collationem eis, vel ipsorum alteri de prædicto Regno ab Apostolica sede, vel ejus Nuntiis, seù Legatis factam, vel ex quacumque alia causa crederent se aliquod Jus habere infrà quatuor menses à die receptionis litterarum ipsarum, quos eis pro peremptorio assignavit termino; per se, vel Personas idoneas de toto negotio sufficienter instructas, cum omnibus Juribus, & monimentis suis, Apostolico se conspectui præsentarent, propositiri jus suum si quod se in prædicto Regno Siciliæ habere confiderent, ac facturi de illo fidem plenariam, & justam sententiam recepturi. Hujusmodi tamen citatio, & talis causæ, vel quæstionis suspicio nequaquam impedire possunt super ejusdem Regni, ordinatione ipsius Ecclesiæ libertatem; cum nec litigiosum factum sit ipsum Regnum de cujus profecto Dominio inter petitorem, & possessorem quæstio non movetur, nec etiam rèbus sic se habentibus, ut nunc sunt inter eamdem Ecclesiam, & præfatum Regem Angliæ, vel dictum Eadmundum super ipsius Regni Dominio lis posset institui, ejusdem Regni possessione, nec apud Nos, nec apud ipsos, vel eorum alterum existente, quæ sicut Jure cavetur, reali parit, & parat adversarium actioni: præsertim cum idem Urbanus, qui securus, & certus erat, quod de prædicto Regno liberè disponere poterat, in hujusmodi citatione quæ de ipsius affluente gratia, & benignitate processit libertatem tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno sibi expressè curaverit reservare.

Consideratis itaque præmissis omnibus diligenter, & attenta examinatione discussis, ac vigilanti studio comprehensis, nec non solerter Ecclesiæ Romanæ perquisitis, & inspectis regestis, & ipsius Innocentii Papæ, ac prædicti Notarii processibus, super eodem Regno, circa prædictum Eadmundum habitis perfectè visis, & examinatis, & intentè auditis dictis, & assertionibus antiquorum ipsius Ecclesiæ Cardinalium, nec non, & ipsius Notarii, ac aliorum fide dignorum de ipsa Ecclesia, qui de toto negotio, & processibus hujusmodi plenam

no-

ANNO 1265.

notitiam habuerunt; ac plenariè intellectis ipsius Ecclesiæ super hoc validis munimentis, & pensatis vigilanter omnibus, quæ in iis attendenda forent, & cognita pleniùs veritate, Authoritate Apostolica de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu declaramus, manifestamus, notificamus, & denuntiamus, quod licitum, & liberum omnino est nobis, & Ecclesiæ Romanæ de præfatis Regno Siciliæ, & Terra, omnibusque suis Juribus, districtibus, & pertinentiis, quæ quidem ad Nos, & eamdem Ecclesiam specialiter, & plenariè spectant disponere, providere, statuere, & ordinare, quodque liberè, ac plenè, absque omni ambiguitate, secura conscientia possumus ipsa in feudum concedere, ac eorum regimen, & gubernationem committere prout nobis, & ipsi Ecclesiæ placuerit, & viderimus expedire.

Et quod supra dictus Eadmundus, & præfatus Rex Angliæ, cui nulla tamquam à sede Apostolica, vel de ipsius mandato, aut Authoritate de ipsius Regno collatio, vel concessio facta fuit, seù quævis alia Persona, præter ipsam Ecclesiam in eisdem Regno, & Terra nihil pænitùs juris habet. Nec ipse Eadmundus, nec memoratus Rex Pater ejus, nec aliquis alius possunt Nos, & eamdem Ecclesiam quomodolibet impedire, nec aliquod umquam interponere obstaculum, quin de ipsis Regno, & Terra prò nostro beneplacito liberè ordinemus.

Ut autem hæc nostra pronuntiatio, prolatio, revocatio, cassatio, irritatio, & nuntiatio, ac declaratio, manifestatio, notificatio, & denuntiatio illibatæ perpetuò maneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem, eas in præsenti conscribi, & annotari pagina fecimus, nostrâ, & Fratrum nostrorum subscriptionibus ad perpetuam memoriam roborare. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ pronuntiationis, prolationis, revocationis, cassationis, irritationis, & nuntiationis, ac declarationis, manifestationis, notificationis, ac denunciationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Odo Tusculanus Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Ego Frater Joannes Portuensis Episcopus.

Ego Rodulphus Albanensis Episcopus.

Ego Anderus Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Guido tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego Guillelmus Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Anibaldus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Ottavianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Ottobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmydin Diaconus Cardinalis.

Ego Gottifridus S. Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Jordanus S. S. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Actum Perusii quarto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1265.

II. Ex Spicil. Dacheri Tom. 3. nov. edit. pag. 650.

Suo & Apostolicæ sedis nomine Regnum Siciliæ Carolo Andegavensi Comiti confert: anno 1265.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam.

CUm jam dudum tractatum fuisset de Regno Siciliæ dilecto filio Nobili Viro Carolo Comiti Andegaviæ, & Provinciæ, sub certis conditionibus concedendo felicis Recordationis Urbanus Papa quartus prædecessor noster tractatum hujusmodi plena voluntate resumens dilectum filium, Magistrum Albertum Notarium nostrum ad eumdem Comitem destinavit certis conditionibus eidem notario traditis sub quibus si Comes ipse acceptaret, easdem Regni collatio fieret, prout idem prædecessor de suorum Fratrum consilio duceret ordinandum. Cumque ipse Notarius ad eumdem perveniens Comitem, & super ipsis conditionibus sollicitè, ac prudenter conferens cum eidem Domino prædecessori, quid ipse Comes addi, quid minui, quid omninò tolli, quidque immutari vellet, & peteret fideliter retulisset, idem prædecessor deliberatione cum fratribus suis habita, quasdam super eisdem conditionibus modificationes edidit, intendens per hoc ejusdem Comitis satisfacere voluntati.

Sed hujusmodi tractatu præcedente contigit ipsum Comitem in senatorem Urbis eligi, & ad illius regimen revocari, & licet in eisdem conditionibus contineretur expressè, quod sibi non liceret, vel quod non posset in Urbe ipsa senatoriam recipere dignitatem, & præfatus prædecessor diligenter attendens, quod, si prædictus Comes regimen ipsum taliter susciperet, Jus Ecclesiæ Romanæ ad cujus Dominium dicta Urbs plenè pertinet, graviter læderetur, & volens indemnitati ejusdem Ecclesiæ præcavere, ipsi Comiti speciales super has Literas direxisset, idem Comes tamen senatum ipsius Urbis, seu dictum regimen recepit, contra formam in ejusdem litteris deprehensam. Quod cum postmodum ad eorumdem prædecessoris, & Fratrum notitiam pervenisset, ipsi congruos exquisivere modos, certasque perscrutati sunt vias, quibus idem Comes posset saltem ad tempus eodem uti Senatu, vel dictum regimen exercere: quod ad promotionem negotii præfati Regni multum sibi valere poterat, & prodesse, ita quod ipso finito tempore dictum senatum, vel regimen dimittere teneretur, & generaretur præjudicium eidem Romanæ Ecclesiæ, quæ sola in solidum dictæ Urbis Dominium sibi justissimè vendicans, & non fortis impatiens in hac parte sustinere non posset sine gravissimo præjudicio, & enormi jactura, sive in perpetuum, sivè ad longum tempus quemquam inibi dominare.

Undè idem prædecessor dilectum filium nostrum S. tituli S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem pro prædicto ipsius Regni negotio in Franciam, commisso sibi plenæ legationis officio dirigens, & duas sibi formas super ejusdem Senatus articulo exprimens, & exhibens, ut si prima dicto Comiti non placeret saltem sisteret, & quiesceret in secunda, inter alia continentia totum ipsum negotium præfato Cardinali imposita, & injuncta, commisit eidem,

quod

quod postquam tam super dicti Senatus Capitulo, quàm super quibusdam conditionibus, & modificationibus, ac ceteris aliis cum ipso Comite concordasset, conscriptis, vel lectis omnibus in præsentia carissimi in Christo Filii nostri Regis Franciæ illustris posset idem Cardinalis dicto Comiti promittere ipsius prædecessoris, & Ecclesiæ Romanæ nomine, quod postquam sine gravi scandalo Ecclesiæ Gallicane de exhibenda ipsi Comiti decima Ecclesiasticorum proventuum, quam petierat ordinatum existeret, & concessum, & negotium pro quo carissimus in Christo filius noster Rex Anglorum illustris, & Eadmundus natus ejus erant ipsius prædecessoris authoritate citati, foret per Apostolicam sedem decisum, & pax inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam illustrem Reginam Francorum, & ipsius comitem existeret reformata, vel saltem per eumdem Cardinalem, vel per alius, seù alios, quos idem Rex Franciæ duceret deputandos talis super pace hujusmodi tractatus procederet, quo esset idem Rex Franciæ contentus, daretur ipsi Comiti ab eadem Sede præfatum Regnum Siciliæ, cum Juribus, & pertinentiis suis, sub conditionibus tractatis, & hinc inde firmatis, seù acceptatis, non mutatis, nec augendis seù minuendis in totum, vel aliquam sui partem, & de sic dando ipso Regno, daret idem Cardinalis dicto Comiti suas litteras; ejusdem Comitis litteris de sic recipiendo præfato Regno ab eodem Cardinal. versa vice receptis. Finalem autem concessionem, & investituram ejusdem Regni sibi dictus prædecessor specialiter reservavit.

Præfatus verò Cardinalis tàm super dicto senatûs Articulo, quàm super condictionibus, & omnibus aliis cum ipso Comite conveniens, & concordans, fecit eidem Comiti de conferendo sibi prædicto Regno Siciliæ promissionem nomine ipsius prædecessoris, & ejusdem Ecclesiæ Romanæ juxtà præmissam ab eodem prædecessore traditam sibi formam, eodem Comite promissionem de illo sic recipiendo similiter faciente, datis, & receptis super hoc litteris hinc inde, proùt in ipsis litteris dicitur contineri.

Porro dicto Prædecessore interim viam universæ carnis ingresso, & nobis licèt immeritis in Apostolatûs officio substitutis eidem, præfati Cardinalis, & Comes transmissis propter hoc solemnibus nuntiis nobis humiliter supplicarunt, ut cum de prædicta decima exhibenda in subsidium jàm juxtà ipsius prædecessoris intentionem, & votum ordinatum existeret, & circa præfatæ pacis tractatum idem Cardinalis juxtà beneplacitum ejusdem Regis Franciæ processerit, cujus in hoc dictus voluit prædecessor considerari, & inspici voluntatem: præmissum negocium prò quo jam dictus Rex Angliæ, & Eadmundus citati fuerant per definitivam sententiam decidere, ac ad perfectionem, & consummationem præfati negotii Regni Siciliæ procedere curaremus.

Nos autem, & Fratres Nostri super iis attentè pensantes, & sollicitè conferentes, comperimus eumdem prædecessorem prædictis Regi Angliæ, & Eadmundo suas litteras destinasse, per quas inter alia ipsos, reservata sibi tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso negotio cum quovis alio Principe, vel cum quacumque alia persona mallet sua, & Romanæ Ecclesiæ libertate, de Fratrum suorum consilio, Apostolica Authoritate citavit, ut si forsan in prædicto Regno Siciliæ per concessionem factam eidem Eadmundo à felicis recordationis Alexandro Papa IV. prædecessore nostro, seù prò quacumque alia collatione, seù concessione, si quam ipsis, vel earum alteri de ipso regno ab Apostolica Sede vel ejus Nuntiis, seù legatis factam fore assererent, vel ex quacumque alia causa crederent se aliquod jus habere, quatuor Menses, à die receptionis litterarum ipsorum computandos, quos eis prò peremptorio assignavit termino, per se vel personas idoneas de toto negotio sufficienter instructas cum omnibus Juribus, & munimentis eorum Apostolico sè conspectui præsentarent propositurì jus suum, si quod se in prædicto Regno Siciliæ habere confiderent, ac facturi de ipso fidem plenariam, & justam sententiam recepturi. Expresè prædicens, & apertè pronuncians, quod sive comparerent, sive non, ipse ex tum ad jus prædecessor Ecclesiæ declarandum, & perpetuum silentium iis, quos in eodem Regno Siciliæ jus non habere constaret imponendum, & pronunciandum, discernendum, & statuendum quidquid super hoc eidem Ecclesiæ, ipsiusque honori, ac libertati suadente Justitia expedire videret, constanter procederet eorum absentia non obstante.

Comperimus insuper præfatas litteras fuisse præfatis Regis Angliæ, & Eadmundo per Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Cuentinum, quem idem Urbanus prædecessor propter hoc specialiter ad ipsos direxerat, presentatas. Constitit etiam Nobis, quod ipsi nec intra Terminos, nec in Termino, nec etiam post Terminum comparuerunt apud Sedem Apostolicam per idoneos Procuratores, seù personas sufficienter instructas, propter quod forsitan videbatur, quod contumaces existerent, nosque procedere in negotio eis sic absentibus sine juris offensione possemus.

Sed ad defensionem ipsorum non inconvenienter dici poterat, quod etiamsi nullam habebant excusationem absentiæ, debebat tamen à Nobis propter subsequutum dicti prædecessoris qui eos citaverat obitum novum emanare citationis Edictum, cum jure civili sit cautum, quod licèt ab Antecessore impletus sit numerus Edictorum, solet tamen unus dare successor. Quod si jure urgente Judices alii observant, multo magis Romanum decet observare Pontificem; cujus extentior debet esse humanitas, sicut liberior est potestas; ut in quo est plenitudo Authoritatis, sit & mansuetudinis amplitudo. Id quoque eorum munimen non incongrue veniebat, quod hujusmodè peremptorii dilatione pendente, cum adhuc tantùm restaret de tempore, quod citatis ad veniendum sufficere fortè poterat, vel mittendum, gravis, & amara turbatio in Anglia supervenit prædicto Rege Angliæ, ac dilecto filio, nobili Viro Eduardo ejus primogenito à subditis suis hostiliter subactis, & miserabiliter, ac ignominiosè tractis. Et licet dictus Eadmundus citrà mare in potestatem hostium non devenerit, tamen filius familias, & minor annis personam non habuit in judicio existendi, nec eidem suus Pater assistere potuit sua per suos libertate privatus, quare non immeritò videbatur, quod neutiquam posset de Jure contumax judicari.

Super iis igitur plena discussione præmissa, & habito Fratrum nostrorum consilio ad hujus decisionem negotii per prolationem definitivæ sententiæ, cum id fieri non valeret considerato statu in quo est manifesta justitiæ læsione non duximus procedendum. Sanè nobis, & eisdem Fratribus circa præfati Regni Siciliæ negotium instanter vigilantibus, & anxiè cogitantibus super ipso, cum promissio à præfato Cardinali memorato Comiti de illo sibi conferendo facta, nobis ad præmissam decisionem, ut dictum est non procedentibus minimè posset inspecta forma quam prædicto eidem

ANNO 1265.

Cardinali Urbanus Papa super hoc dederat adimpleri, & si contingeret præfatum Regem Angliæ de novo, vel iteratè citari multæ confusioni ex eadem dilatione subderetur negotium, magnaque ipsi Comiti, & Ecclesiæ Romanæ in tantam expectationem dispendia,& gravia ipsius Ecclesiæ fidelibus pericula imminerent; Viam aliam breviorem & expeditam provida deliberatione præelegimus, per quam facilius, & melius ad complementum eodem negotio procedente ipsius Ecclesiæ, ac dicti Comitis honori, & commodo, & bono fidelium ipsorum statui provideretur efficacius, & utilius & ingruentia damna & discrimina plenius, & salubri s vitarentur. Recensentes itaque, ac relegentes tractatus multiplices inter ipsam Ecclesiam, & prædictos Regem Angliæ, & Eadmundum super eodem Regno habitis, & processus ejusdem Ecclesiæ circa illos plenè invenimus & apertè vidimus, & cognovimus, quod ipsa Ecclesia ejusdem Regis fide sincera, & clara devotione pensata, volentes ipsum in suo Filio magnificè honorare, ac in ejusdem Regni negotio aliis Catholicis Principibus anteferre supradictus Alexander Papa relato, & exposito sibi ex parte præfati Eadmundi, quod prædictus Notarius tunc Apostolicæ sedis legatus ipsi Eadmundo, & Hæredibus suis Regnum dictum Siciliæ in feudum de speciali authoritate, & mandato felicis recordationis Innocentii Papæ quarti prædecessor noster concesserat; quodque idem Innocentius concessiones hujusmodi supplendo defectum, si quis in eà fuerat authoritate Apostolica confirmavit, eidem EadmundoRegnum prædictum inFeudum de novo concedens, prout in suis dicebatur litteris contineri, concessionem & confirmationem hujusmodi sub conditionibus in privilegio Apostolico indè confecto expressis, approbavit de Fratrum suorum Consilio, & assensu, & sub eisdem considerationibus perpetuò concessis innovans Regnum prædictum dare Fratrum ipsorum consensu dicto Eadmundo & ejus hæredibus sub eisdem condictionibus perpetuò concessit, & etiam confirmavit. Reservavit autem expressè in eodem privilegio sibi, ac in sua voluntate, & potestate remansit dicere, pronunciare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio Fratrum suorum prædictis Rege, & Eadmundo, ac alio etiam quocumque cujus forsitan interesset nequaquam vocatis, & absque omni Juris solemnitate approbatione, innovatione, concessione, & confirmatione hujusmodi, quas præfatis Eadmundo, & hæredibus sub certis condictionibus faciebat, vacuas omnino esse; nullumque robur, vel valorem habere; aut revocare, cassare, & irritare ipsas, & cassas, & irritas nuntiare, si memoratus Rex quasdam ex dictis condictionibus statutis terminis non impleret. Ita quod post hujusmodi pronuntiationem, sui irritationem vel dictum præfatæ approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio nullius essent, vel haberentur efficaciæ, vel momenti.

Unde nos quia manifestum est, & notorium prædictas non fuisse condictiones impletas, utentes libertate, ac potestate in ipso Privilegio per dictum Alexandrum Papam eidem Romanæ Ecclesiæ reservata, sententialiter pronuntiavimus, habito nihilominus Fratrum nostrorum consilio, & assensu prædictas approbationem, innovationem, concessionem & confirmationem, vacuas esse omnino nullumque robur, & valorem habere, ac revocavimus, cassavimus, & irritavimus illas, & cassas, & irritas nuntiavimus, ita quod nullius de cætero efficaciæ haberentur.

Advertimus insuper, & liquidò novimus, quod hujusmodi concessio, quæ de Regno ipso à prædicto Notario, & ejusdem concessionis confirmatio, ac nova de illis collatio, quæ à dicto Innocentio Papa de Fratrum suorum consilio nominato Eadmundo, & hæredibus factæ fuisse dicuntur nullum omnino valorem, nullamque firmitatem habeant, cum Ecclesiæ Romanæ diligenter perquisitis; & inspectis regestis, & ipsius Innocentii Papæ, ac prædicti Notarii processibus super eodem Regno circa prædictum Eadmundum habitis perfectè visis, & examinatis, & intentè auditis, & comprehensis dictis, & assertionibus antiquorum ipsius Ecclesiæ Cardinalium, nec non & ipsius Notarii, ac aliorum fide dignorum de ipsa Ecclesia, qui de toto negotio, & processibus hujusmodi plenam notitiam habuerunt, ac plenariè intellectis ipsius Ecclesiæ super hoc validis monimentis, ac consideratis, & discussis vigilanter omnibus, quæ in iis attendenda, & discutienda forent, clarè patuerit; & constiterit manifestè, certis, vivis, & efficacibus rationibus, quod hujusmodi concessio, confirmatio, & collatio, etiamsi forte ipsas, vel aliquas, seu aliquas ex eis apparere, vel ostendi contingeret in nullo ipsi Eadmundo prodesse, ac nullum conferre Jus, nullamque utilitatem eidem præstare possent; nec ullum commodum, aut adminiculum, vel favorem, tamquam vacuæ penitus, & inanes, nec possent eidem Ecclesiæ circa liberam ipsius Regni dispositionem inferre alicujus obstaculi nocumentum. Sed neque prædicta, quæ à præfato Urbano Papa emanavit citatio, nec illius causæ, vel quæstionis suspicio cujus fuit decisio postulata impedire possunt super hoc ipsius Ecclesiæ libertatem, cum nec litigiosum factum sit ipsum Regnum de cujus profecto Dominio inter petitorem, & possessorem quæstio non movetur, nec etiam rebus sic se habentibus ut nunc sunt inter eamdem Ecclesiam, & præfatum Regem Angliæ, vel dictum Eadmundum super ipsius Regni Dominio lis posset institui, de ejusdem Regni possessione, nec apud nos, nec apud ipsos, vel eorum alterum existente, quæ sicut Jure cavetur, reali parat, & parit Adversarium actioni: Præsertim cum idem Urbanus, qui securus, & certus erat, quod de prædicto Regno liberè disponere poterat in hujusmodi citatione, quæ de ipsius affluente gratia, & benignitate præcessit, libertatem tractandi, disponendi, & ordinandi de ipso Regno sibi expressè curaverit reservare. Propter quod nos consideratis præmissis omnibus diligenter, & præcognita veritate plenius, Authoritate Apostolica de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu declaravimus, quod licitum & liberum omnino erat nobis, & Ecclesiæ Romanæ, de præfato Regno Siciliæ, omnibusque suis Juribus, districtibus, & pertinentiis quæ quidem ad nos, & eamdem Ecclesiam specialiter, & plenariè spectant disponere, providere, statuere, ac ordinare, quodque liberè, ac plenè absque omni ambiguitate, secura conscientia poteramus illud in feudum concedere, ac ejus regimen, & gubernationem committere, prout nobis & ipsi Ecclesiæ placeret, & expediens videretur, & quod supra dictus Eadmundus, & præfatus Rex Angliæ, cui missa, unquam à sede Apostolica, vel de ipsius mandato, aut authoritate de ipso Regno collatio, vel concessio facta fuit, seu quævis alia persona, præter prædictam Ecclesiam in eodem Regno nihil penitus Juris habebat; nec prædictus Eadmundus, nec memoratus Rex Pater ejus, nec aliquis alius poterant nos, & eamdem Ecclesiam quomodo libet impedire, nec aliquod umquam

inter

interponere obstaculum, quin de ipso Regno liberè ordinaremus pro nostræ beneplacito voluntatis.

Eu ergo diuturni tractatus inter eamdem Ecclesiam, & præfatum Comitem super memorato Regno Siciliæ habiti fine laudabili concludantur dilatione, ac tarditate repulsis, quæ suspensionis dispendio damnificantes negotia eorum effectum subvertere, ac evacuare profectum, ad salutarem consummationem eorumdem tractuum nostrorum animum firmiter dirigentes, de fratrum nostrorum consilio & assensu dicimus, diffinimus, & ordinamus, præfati Regni Siciliæ negotium in persona ejusdem Comitis, ut infra dicitur fore complendum, & acceptata ab ipso ordinatione à nobis facta super senatus Articulo, quæ inferius inseritur, & factis, & impletis per eum, quæ habentur in illam; nec non, & acceptatis aliis, quæ in hac paginâ continentur, & super acceptatione ejusmodi exhibitis ab eodem Comite suis patentibus, & authenticis literis totum tenorem ipsius paginæ continentibus præfato Cardinali, vel alii Personæ, quam ad hoc duxerimus deputandam, dictum Regnum esse concedendum eidem sub conditionibus inferius annotatis, ipsumque vocandum, & certum sibi terminum fore præfigendum à nobis, quem ex nunc ei assignamus, videlicet festum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli primo venturum, ut ipse infra eumdem terminum personaliter ad Apostolicam Sedem perveniens, de manibus nostris, si nos propitiante Deo vivos invenerit, alioquin de manu illius, quem nobis in Apostolatus Officio invenerit substitutum, aut à Collegio Cardinalium prædictæ Romanæ Ecclesiæ, si, quod absit forte vacaret, recipiat sub ipsis conditionibus dictum Regnum, ut sic in omni eventu, sive videlicèt tunc, proùt Domino placuerit viximus, sive non, perficiatur in persona ejus præfatum negotium, & ipsius Regni concessio sibi fiat, obtineatque in hoc sui desiderii complementum.

Super prædicto ejus Senatus Articulo plurimum meditantes, & quid supra dicto Comiti, quid ipsi Ecclesiæ, quidque præfati Regni negotio circa illum potiùs expedire satagentes discernere, ac quid utiliùs cuique foret eligere cupientes in eo considerationis nostræ defiximus oculum, & Judicium deliberationis firmavimus, quod decentius, & melius pro singulis Apostolica providentia suadente cognovimus, & illud tamquam convenientius duximus ordinandum. Consulentes, & providentes per hoc saluti, & honori ejusdem Comitis, & in nullo ipsius profectibus, & utilitatibus detrahentes, ac ipsum perfectiùs dirigentes negotium, & firmiùs solidantes. Ceterum volumus, & decernimus, quod eodem Comite acceptante prædicta, & sicut præmissum est, suas super hoc litteras concedente, ac veniendi ad prædictam sedem iter arripiente præfatus Cardinalis de Proventibus quos collegit, vel colliget, congruum ei subsidium tribuat, & contrà Manfredum quondam Principem Tarentinum, & Saracenos Luceriæ per Terras suæ Regionis verbum Crucis prædicet, & faciat prædicari. Ut autem hæc nostra definitio, & ordinatio, & hoc nostrum Decretum, & alia præmissa illibata perpetuò maneant, & inconcussam semper obtineant firmitatem ea in præsenti conscribi, & annotari pagina fecimus, nostrâ, & Fratrum nostrorum subscriptionibus, nostraque Bulla, & eorumdem Fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roborata.

Conditiones autem sunt hæ: Civitas Beneventana quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit, & in suum domanium, & dominium cum omnibus Juribus, & pertinentiis retulit, & totum tenementum Civitatis ejusdem, cum finibus ejus antiquis eidem Ecclesiæ, & in ejus proprietate liberè remanebit, nullo Jure ipsi Comiti, vel cuicumque alii de Regno prædicto, ibi retento, seù quomodolibet reservato. Fines autem, seù Termini Territorii, seu districtus, aut tenimenti Civitatis ejusdem, cum de illis ad præsens constare non posset, tempore, quo tractatus, sive negotium consummandum erit per aliquas deputandas ad hoc Personas idoneas distinguentur.

Idem autem Comes, & sui in Regno Siciliæ hæredes in dictâ Civitate, & ejus Territorio ac pertinentiis suis, quæ ipsi remanebunt Ecclesiæ, vel in Urbe, seù in Campania, vel Maritima, sive in Ducatu Spoletano, aut in Marchia Anconitanâ, vel in Patrimonio Beati Petri in Tusciâ, seù in aliis quibuscumque terris, aut Domaniis, sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex subcessione, vel legato, aut venditione, sive donatione, aut alio quocumque Jure, vel titulo, seù contractu, nihil umquam sibi acquirent, vel vindicabunt, seù poterunt acquirere, vel quomodolibet vindicare: & nihil umquam recipient, habebunt, vel retinebunt, seù poterunt recipere, habere, vel etiam retinere, ac nullam potestariam, seù Capitaniam, vel Rectoriam, nullumque alium honorem, nullamque dignitatem, seù potestatem senatoriam, vel quamcumque aliam, aut administrationem, vel commendam, nec quodcumque aliud officium recipient, seù recipere poterunt, habebunt, seù retinebunt, vel habere, seù retinere poterunt in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis hæredibus ipsius Comitis, qui eidem Comiti in dicto Siciliæ Regno succedent. Nolumus enim, quod delictum aliorum hæredum qui succedent ei in Comitatibus, & aliis terris suis, in pœnam hæredis, qui est ei successurus in dicto Regno, aliquatenùs extendatur. Nè vero hujusmodi alii hæredes ipsius Comitis, contra ea, quæ in isto continentur Articulo, aliquo forsan tempore venire præsumant, acquirendo, vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo, seù retinendo sibi aliquid in terris in Articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo, seù retinendo in eisdem terris potestariam, seù Capitaniam, vel aliquid aliud de iis, quæ in articulo continentur eodem, sic super hoc duximus providendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum hæredum ejusdem Comitis ullo umquam tempore liceat sibi quidquam in eisdem Terris, acquirere, seù vindicare, recipere, habere, vel etiam retinere, aut recipere, vel habere potestariam, seù Capitaniam, vel Rectoriam, aut aliquid aliud ex iis, quæ prout dictum est in eodem Articulo pleniùs exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secum præsumpserit eo ipso excomunicatus existat; nec ipse, nec ejus Posteri in perpetuum possint in eodem Regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio deferretur, sed ab illa repellatur omninò, & nihilominùs ille, qui tunc ejusdem Regni Gubernaculis præsidebit, Romano Pontifici contrà eum potenter assistere tenentur.

Item prò prædicta Civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos exponet per septennium prò lignaminibus omnia nemora, ipsius Regni, & Terræ quæ est citrà Farum, usque ad confinia Terrarum Romanæ Ecclesiæ, & omnem materiam ad ædificia opportunam, puta lapides arenam, quæ pateolana vocatur, cementum, & similia, sinè præjudicio jurium singularium Personarum ad unam dictam prope

ANNO 1265.

Beneventum. Præstabit quoque ipsis Beneventanis securitatem per totum Regnum, & Terram prædictam, nisi in Terra sua de novo delinquant, quod propter ad ipsum de jure justitia pertinebit. Privilegia etiam dictæ Civitati à Regibus, & Principibus concessa, illibata servabit. Omnia statuta per quemdam Federicum olim Romanum Imperatorem, seù quoscumque alios Reges Siciliæ facta contrà libertatem Civitatis ejusdem revocabit, & in omnibus, & per omnia, quæ libertatis fuerint cæteris Regnicolis parificabit eamdem, nec aliqua statuta, seù aliquas leges condet in posterum, per quæ dictæ Civitati directè, vel indirectè possint præjudicia generari; & prò Apostolicæ sedis, & Beati Bartholomæi Patroni Civitatis ejusdem reverentia fidantias ab omnibus remitti faciat, & remittet eisdem. Fidantiarum autem remissio, est concessio libertatis, ut Cives Beneventani possint liberè proprias Vineas, & Terras excolere, ipsarumque fruges, & fructus recolligere, ac easdem Vineas, & Terras vendere, & de ipsis prò sua voluntate disponere sine aliqua exactione, vel munere, vel etiam datione.

Item totum ejusdem Regni residuum perpetuò concedetur in fædum eidem Comiti, & hæredibus suis ex eo legitimè, sicùt infrà dicitur, descendentibus sub infrascriptis, & suprà scriptis conditionibus, quæ proùt competet in concessioni Privilegio exprimentur; ità videlicet, quod si in ejus, vel hæredum ipsorum obitu legitimum, prout subsequitur hæredem, ipsos, quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè revertatur. Si enim Comes ipse Regnum à Nobis receperit, descendentes per rectam lineam, ex eodem, & ipsius hæredibus Siciliæ Regibus mares, & Feminæ in eodem Regno succedent; sic tamen, quod de liberis duobus Maribus in eodem gradu, per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, & de duabus feminis primogenita, & de mare, & femina in eodem gradu similiter concurrentibus masculis omnibus aliis præferatur.

Si verò eumdem Comitem, quod absit sinè liberis ex eo legitimè descendentibus mori contigerit, possit ei in Regno, & Terra prædictis succedere dumtaxat nobilis Vir Alphonsus Comes Pictavensis germanus ejusdem. Et si dictus Alphonsus eidem Carolo non superviveret, possit ei succedere unus ex filiis Ludovici illustris Regis Franciæ, videlicèt major natu post illum, qui succedet in Regno Francorum, & hæc gratia, vel successio tam ex parte ipsius Caroli; quàm ex parte illorum erit tantummodo personalis, ita scilicèt, quod ad alterum filiorum, vel heredum ipsius Alphonsi, si Alphonsum ipsum præmori Carolo prædicto contigerit hujusmodi successio se extendet. Sed hujusmodi major natu succedet in Regno Siciliæ, & Terra prædictis. Similiter etiam nullus filiorum, vel hæredum ipsius majoris natu, si idem major natu præfato Carolo non supervixerit, hujusmodi successionem habebit; sed Regnum Siciliæ, ac Terra prædicta, ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè devolventur. Si verò Alphonsum, & majorem natu prædictos præmori Carolo præfato contigerit, nullus alius ipsi Carolo sinè liberis ex ipso legitimè descendentibus decedenti in eisdem Regno & Terra succedet, sed liberum erit eidem Romanæ Ecclesiæ de ipsis Regno Siciliæ, & Terra disponere juxta suæ beneplacitum voluntatis. Si autem prædictos Alphonsum, & majorem natu post successionem hujusmodi, aut eorum hæredes, sine liberis ex ipsis legitimè descendentibus mori contigerit, Regnum Siciliæ, & Terra prædicta similiter ad eamdem Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè revertentur. Sed si aliquem de aliis successoribus ejusdem Comitis Regem, vel Reginam Siciliæ sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, hæ personæ, videlicèt Regis, vel Reginæ sine prole legitima sui Corporis decedentis Frater, vel soror, ac Collaterales superiores, mares, & feminæ ut puta patrui, & Avunculi, Amitæ, & Materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat illis collateralibus, quos prædictus Comes habet ad præsens, & habebit dum vixerit, & qui post ejus obitum ex eisdem forsitan orientur exceptis: Collaterales etiam inferiores succedent similiter Mares, & feminæ, ut puta Nepos, vel Neptis ex Fratre, vel sorore, & inferiùs usque ad eumdem tantummodo quartum gradum. Quod autem de Feminæ, rectæ lineæ, ac collateralium superiùs est expressum, intelligendum est tàm de nuptis, quàm etiam de innuptis, dummodo nuptæ sint Fidelibus, & Ecclesiæ devotis, & sicut inter has personas gradus servari volumus, ut scilicèt prior gradus posteriori præferatur, sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, & Marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem hujusmodi nulla superstite Regnum ipsum sicut prædicitur ad Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem liberè revertatur.

Item prò toto generali Censu ipsorum Regni, & Terræ, octo millia unciarum auri ad pondus ipsius Regni in Festo Beati Petri ubicúmque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur; Si verò idem Comes, vel ejus in dicto Regno hæredes, quocumque termino non solverint integrè censum ipsum, & expectati per duos Menses terminum ipsum immediatè sequentes de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino, & infrà subsequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolverint; totum Regnum Siciliæ, ac tota Terra prædicta, Ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si verò nec in tertio termino, nec infrà duos Menses proximos plenam satisfactionem illius ejusdem census sibi duxerint consulendum, ita quod transactis eodem tertio terminò, & duobus proximè sequentibus Mensibus, non sit de octo millibus hujusmodi primi termini ipsi Ecclesiæ integrè satisfactum ab eisdem Regno, & Terra ipsorumque jure cadant ex toto, & Regnum, & Terra ad Romanam Ecclesiam integrè, ac liberè revertentur. Si autem de Censu octo millium unciarum hujusmodi primi termini infrà dictos tertium Annum, & duos subsequentes Menses plenariè satisfecerint, nihilominùs semper prò singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint; vel illa non solverint similes penas incurrent, salvis aliis penis, & Processibus, quæ, vel qui de Jure inferri, & haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

Item post quam dictus Comes, præfatum Regnum, vel tantùm de ipso acquisiverit, & habuerit, quod etiam si aliquæ Civitates, vel munitiones, aut aliqua alia Loca ipsius Regni adhuc ei rebellia fuerint, reputetur, & possit ipsius Regni Rex, & Dominus reputari, solvet Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcarum sterlingorum per certos, & diversos Terminos ad hoc statuendos, tempore,

ANNO 1265.

quo

quo erit tractatus, vel negotium consummandum. Quod si dictus Comes in hujusmodi Terminis illa non solverit, liberum erit Romano Pontifici contrà ipsum Comitem prò singulis Terminis ad pænas spirituales procedere, proùt sibi videbitur expedire, cum tamen negotium, quod agitur Deo dante feliciter consummari contigerit, Nos petitionem Comitis super remittendis sibi eisdem quinquaginta Millibus Marcarum factam ex parte saltem aliqua de qua Comes ipse Nobis ad gratias teneri debeat audiemus.

Item in quolibet triennio dabit Rex Romano Pontifici unum Palafridum album, & pulcrum, & bonum in recognitionem veri dominii eorumdem Regni, & Terræ.

Item quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit, vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, idem Comes, vel ejus in dicto Regno hæredes requisiti ab eo ad Urbem, in Campagniam, in Maritimam, in Patrimonium Beati Petri, in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmissam Civitatem Beneventanam, ac ejus territorium, & pertinentias, quæ remanebunt Ecclesiæ, & in omnes alias Terras ipsius Ecclesiæ per Italiam trecentos milites equis, & armis benè, ac decenter munitos, & paratos, ità quod unus quisque habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minùs in obsequium, & subsidium Ecclesiæ prædictæ transmittent, per tres menses integros ipsius, vel dictorum in Regno hæredum sumptibus, & stipendiis, semel tamen in anno in servitio eidem Ecclesiæ moraturos. Mensibus ipsis à die quo iidem milites Terram sui Dominii vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares dictas, & solitas computandis. Quod si maluerit Ecclesia eadem ingruenti necessitate, super quâ stetur verbo Romani Pontificis, ut est dictum, navali juvari exercitu prædicti Milites debita taxatione, ac recompensatione præhabita in navale stolium commutentur.

Item tàm ipse, quàm sui in Regno hæredes nobis, nostrisque successoribus, canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & juramentum fidelitatis præstabunt ac hujusmodi homagium facere, & Juramentum fidelitatis præstare secundum formam inferiùs annotatam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit infrà sex Menses, si verò eum extrà Italiam esse contigerit infrà annum, postquam Regni Dominium adepti fuerint teneantur; & singulis ipsis successoribus, & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabunt tàm ipsum homagium, quàm hujusmodi juramentum. In optione autem, & beneplacitum erit Romanæ Ecclesiæ ipsum, & hæredes suos vocare ad præstandum personaliter Juramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc sibi totum locum statuant, & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seù alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxtà eamdem formam, & homagium recipiat, destinare.

Item dictus Comes, & ejus in Regno hæredes Regnum, & Terram præfata nullatenùs divident, sed semper illa unus tantùm sub ipsis conditionibus immediatè, ac in Capite à Romana tenebit Ecclesia, & tàm idem Comes, quàm ipsius in dicto Regno hæredes, Nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ ligium homagium facient, & fidelitatis Juramentum præstabunt in hunc modum.

Ego . . . . plenum, & ligium Vassallagium faciens Ecclesiæ prò Regno Siciliæ, & tota Terra, quæ est citrà Farum usque ad Confinia Terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta Civitate Beneventana, cum toto Territorio, & omnibus soli strictibus, & pertinentiis suis (& exprimentur limites Territorii, pertinentiarum, & districtuum Civitatis Beneventanæ) ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, & Domino meo Pontifici, suisque successoribus Canonicè intrantibus, sanctæque Romanæ Ecclesiæ non ero in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdant, vel membrum, aut capiantur mala captione consilium quod mihi credituri sunt per se aut Nuntios suos, sive per literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam, & si scivero fieri, vel procurari, sivè tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud prò posse impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, tàm in Regno Siciliæ, & Terra prædictis, quàm alibi existentia adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contrà omnem Hominem. Universas, & singulas con dictiones contentas, in Apostolico Privilegio super ipsorum Regni, & Terræ concessione confecto, ac omnia, & singula, quæ continentur in eodem privilegio plenariè adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tempore veniam contrà illam, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Item, ipsi, ac singuli sui in dicto Regno hæredes Romano Pontifici, & singulis successoribus homagium præstabunt, Juramentum fidelitatis jurabunt, se ad hoc specialiter obligantes, quod numquam per se, vel alios, seù quocumque modo procurabunt ut eligantur, vel nominentur in Regem, vel Imperatorem Romanum, vel Regem Teutoniæ, seù Dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, vel majoris partis earumdem Lombardiæ, vel Tusciæ, & si electionem vel nominationem ad Imperium, vel ad Regnum Romanum, seù ad Regnum Teutoniæ, aut ad Dominium Lombardiæ, vel Tusciæ, seù majoris partis eorum, de ipsis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni, vel nominationi assensum præstabunt, nec intromittent sè ullo modo de Regimine ipsius Imperii, vel Regni Romani, seù Regni Theutoniæ, aut Lombardiæ, seù Tusciæ, vel majoris partis earum, à quocumque horum nominati fuerint, vel electi. Quod si ipse, vel aliquis suorum in Regno hæredum studentibus, & procurantibus eis ad Imperium ipsum, sive ad dictum Regnum Romanum, seù Regnum Theutoniæ, aut Dominium Lombardiæ, seù Tusciæ, vel majoris eorum partis electi, vel nominati fuerint, si hoc verum, & manifestum fuerit, aut si post talem electionem, vel nominationem de Imperii, vel Regni Romani, seù Regni Theutoniæ, aut Lombardiæ, seù Tusciæ, vel majoris ipsarum partis regimine se manifestè intromiserint, eo ipso à Jure prædictorum Regni Siciliæ, & Terræ cadant ex toto, ipsaque prorsùs amittant, & eadem Regnum, & terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur. Si autem electioni, vel nominationi factæ non procurantibus ipsis, aut procurantibus consenserint, & ut huic electioni, seù nominationi, vel Juri omnino renuntient, & quod de Imperio, seù aliquo præmissorum ad quod electi, vel nominati fuerint se nullatenùs intromittant, moniti infrà quatuor mensium spatium post monitionem hujusmodi tali electioni, seù nominationi, vel Juri non renuntiaverint, vel de ipso Imperio, seù aliquo præmissorum ad quod electi, vel no-

ANNO 1265.

minati fuerint se intromiserint quoquomodo ex hoc sint eisdem Regno Siciliæ ac Terra & eorum omni prorsus Jure privati, & ut dictum est eadem Regnum & Terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si verò ad ipsum Comitem, vel ejus in eodem Regno Hæredes, non poterit commodè talis monitio pervenire super quo utique impedimento, videlicèt, quod moneri commodè nequeant, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, sivè dicto: sufficiet prævia super hoc ipsius Romani Pontificis monitio publica, & solemnis, ita quod si infrà sex menses post illam renuntiaverint, aut de Imperio, seù prædictorum de aliquo alio ad quod electi, seù nominati fuerint, se quomodolibet intromiserint, cadant ex hoc omni Jure ipsorum Regni, & Terræ, & Regnum, & Terra ipsa ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur.

Cæterum si contigerit aliquem de suis hæredibus, qui deberet in prædictis Regno Siciliæ, & Terra succedere in Regem, vel Imperatorem Romanum, seù Regem Teutoniæ, vel dominum Lombardiæ, aut Tusciæ, seù majoris partis eorum nominari, seù eligi, vel assumi nullatenùs possessionem eorumdem Regni Siciliæ, ac Terræ nanciscatur, vel habeat, nec se de illorum cura, seù dominio, & regimine per se, vel per alios aliquatenùs intromittat, nisi priùs Imperio, vel Regno Romano, seù Regno Theutoniæ, aut Dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, seù majoris earum partis ad quodcumque horum electus nominatus fuerit, vel assumptus, & omni Juri competenti sibi in illis omnino renuntiet, & illorum regimen, nec de Jure, nec de facto illud gerens, vel retinens omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus, alioquin cadat ab omni successione, ac Jure, quæ in Regno Siciliæ, ac Terra prædictis, sibi competerent ipso facto, ita quod eadem Regnum Siciliæ, ac Terra ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plenè, ac liberè devolvantur.

Quod si non exstantibus masculis, femina in eisdem Regno, & Terra successerit, illa Regi, vel Imperatori Romano, seù in Regem, vel Imperatorem Romanum electo, aut Regi, vel electo in Regem Teutoniæ, seù Dominio Lombardiæ, vel Tusciæ, aut majoris Partis earum, seù electo ad eorum dominium numquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit eo ipso cadat à Siciliæ Regno & Terra prædictis, maneatque prorsùs ipsorum Jure privata, ipsis Regno, & Terra ad eamdem Ecclesiam devolutis. Si autem ipse, vel aliquis suorum in Regno hæredum contrà hæc venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe, ac reatu periurii respersi, & notati existant.

In ejusmodi quoque juramento addetur expressè, quod nullo umquam tempore Regnum, seù Imperium Romanum, aut Regnum Theutoniæ, vel Dominium Lombardiæ, sive Tusciæ, vel majoris earum partis, aut easdem Lombardiam, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum per se, vel per alios, seù alium occupabunt, capient, vel acquirent, aut sibi aliàs quomodolibet vindicabunt, & si secùs fecerint, similes, secundum præscriptam formam pænas incurrant.

Quod autem dicitur de majori parte dominii Lombardiæ sive Tusciæ, intelligitur scienter; si verò ignoranter eam ad mandatum Ecclesiæ dimittere teneantur, & si eam Ecclesia mandante dimittant, non incidant in pænam in isto articulo, & consimilibus constitutam. Si verò moniti non dimittant remaneat pæna prout est in hoc articulo, & aliis consimilibus constituta.

Quod si forte in posterum Regem Siciliæ contingat in Imperatorem eligi, postquam Regni fuerit possessionem adeptus, non transeat ad Imperium, alioquin in pœnas incidat in hoc articulo, & aliis similibus comprehensas. Quod si Regni possessione prædicti nondum agnita, seù obtenta in Imperatorem electus transire voluerit ad Imperium, prius in manu Pontificis, vel illius, quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in Regno cujuscumque fuerit ætatis emancipet, & Regna renuntiet nihil Juris in eo retinens clàm, vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium ad subsidium, vel servitium aliquod faciendum Juramento, vel voto, stipulatione, vel pacto sibi successoribus suis adstringat; Sicque factus filius sui Juris ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinùs investiatur de Regno, ad cujus Regni successionem, si fortè decederet sine liberis nullo umquam tempore Pater veniat, Imperator existens; Sed si Imperio, & omnibus, quæ ad Imperium pertinent idem Pater renuntiare voluerit, & Regno tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi, ad illius successionem liberè admittatur, & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio destinato ab eo, investituram recipiat Regni illius. Quod si dictus filius sic ad Regnum assumptus, major decem, & octo annis fuerit, liberè administret, sed quamdiù minor extiterit tàm ipse, quàm Regnum ipsius in Custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse impleverit supra dictam ætatem, fructibus, & obventionibus Regni ex quibus sumptus necessarii faciendi, pro ejusdem Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem, & lucro alterius, ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ verò de Filio dicuntur, ut ei videlicet Regnum possit sub observatione prædicta à patre ad Imperium transeunte dimitti, de filia etiam duximus concedendum. Et si Rex non habens filios in Imperatorem electus ad Imperium transire voluerit, & de Personis, quas suprà diximus liberis non extantibus in Regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio, & filia præordinavimus, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis illis procedere poterit, quæ capaces emancipationis existent ratione patriæ Potestatis.

Declaramus etiam quod si Regi Siciliæ sine filio decedenti superstes sit filia, vel mulier alia, quæ juxta præfatam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ Imperatori dum ipse Rex viveret fuerat desponsata, vel nupta, non succedat in Regno, & si Regno sibi delato Imperatori nupserit cadat protinus ab eodem, nisi Vir ejus Imperio prorsùs renuntians Regno solummodo sit contentus. In primo autem casu repulsis filia, & alia prædicta, ad personas illas servatis gradibus, Regnum perveniat, quas prænotavimus in Regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non supersint. In secundo autem casu, Regnum prædictum ad Romanam Ecclesiam devolvatur.

Item si fortè deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam in Regno succedere, illa maritabitur Personæ, quæ ad illius Regni Regimen, & defensionem existat idonea, Romani Pontificis priùs super hoc consilio requisito, nec nubat, nisi Viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto, & si contra hoc fieret, licebit Romano Pontifici contrà ipsam, ad privationem prædictorum Regni, & Terræ; sinè figura Judicis, & absque omni Juris solemnitate, in quacumque ætate filia ipsa consistet procedere, si hoc ei videbitur expedire.

Item in Regnum, & Terram prædicta nullus succedat, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Item Regnum Siciliæ & Terra prædicta Imperio nullo modo subdetur, seù sibi ullo umquam tempore in eadem persona quomodolibet unietur; & præcisè super hoc articulo tàm per pœnas spirituales, quàm alias cautiones cavebitur, juxtà Ecclesiæ voluntatem, cum prorsùs intentionem sit Romanæ Ecclesiæ ut Regnum, & Terra prædicta nullo umquam tempore Imperio uniatur, ut scilicèt unus Romanorum Imperator; & Siciliæ Rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum Regni, & Terræ cum Imperio dicimus, hoc ipsum circà unionem eorumdem Regni, & Terræ cum Regno Romano, aut Regno Teutoniæ, seù cum Lombardia, vel Tuscia, sivè cum majori parte ipsarum Lombardiæ, vel Tusciæ intelligimus, & volumus esse dictum.

Item si ipse, vel sui in Regno hæredes, prædictam Civitatem Beneventanam, Territorium, & pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam, vel Maritimam, seù Urbem, vel Ducatum Spoletanum, aut Marchiam Anconitanam sive Patrimonium Beati Petri in Tuscia, aut alias quascumque Terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas occupaverint, vel occupari fecerint, aut super iis offenderint, vel molestaverint Ecclesiam, seù fecerint molestari, & postquam super hoc à Romano Pontifice moniti, & requisiti fuerint, vel si commodè moneri, aut requiri nequiverint, juxtà ipsius Romani Pontificis assertionem, vel dictum, post quàm de hoc ipse publicè, ac solemniter eos monuerit, infrà tres menses non restituerint integrè omnia occupata, eo ipso ab eorumdem Regni Siciliæ, & Terræ Jure cadant totaliter, ipsaque Regnum, & Terram prorsùs amittant, & hæc ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur. Quod si etiam restituerint occupata, nihilominùs ad plenum de universis injuriis, & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneantur. Alii quoque hæredes ipsius Comitis, videlicèt qui in Regno succedent eidem occupare, vel facere occupare easdem Terras Romanæ Ecclesiæ, seù molestare, aut molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent, quodque illi, qui secùs attentaverint præmissas pœnas (ut videlicèt eo ipso sint excommunicati, & tàm ipsi, quàm eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti Regni, si in aliquo fortè casu eadem successio devolveretur ad illos nullatenùs admittantur) incurrent. Et quod Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contrà ipsos, proùt superiùs est expressum.

Item omnibus Ecclesiis tàm cathedralibus, quàm aliis Regularibus, & secularibus, nec non & omnibus Prælatis, & Clericis, ac universis Personis Ecclesiasticis, secularibus, & Religiosis & quibuslibet Religionis Locis plenariè dimittentur, & restituentur integrè omnia bona eorum immobilia à quibuscumque ablata, vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Mobilia verò, quæ extant, & poterunt inveniri, simili modo restituentur eisdem: hæc autem restitutio fiet absque contradictione seù difficultate qualibet, sicut nanciscentur prædictorum Regni Siciliæ, ac Terræ possessionem: hoc modo scilicet, quod statim in illa parte ipsorum Regni, & Terræ, quæ sibi obediet, restitutio ipsa fiat, ipsaque postmodum successivè consummabitur, sicùt eidem Regnum habebuntur, & Terra. Nè autem super iis rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à Romano Pontifice aliqui Viri discreti, ad quorum mandatum, & arbitrium Jurium, & rerum immobilium, & mobilium; quæ extant restitutio plena fiat; ità quod ea de quorum dominio, vel proprietate; seù possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum, & arbitrium mox reddentur. In dubiis verò per ipsos de plano, & absque Judicis strepitu veritas diligentiùs inquiretur. Sufficiet autem vocari Camerarium; vel Procuratorem, seù Ballivum, in cujus Jurisdictione, vel Ballivia, seù Territorio Bona, de quibus agetur consistent, ad videndum jurare Testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent.

Item omnes Ecclesiæ tam Cathedrales, quàm aliæ Regulares, & Seculares, nec non & omnes Prælati, & Clerici, ac universæ personæ Ecclesiasticæ seculares, & Religiosæ ac quæcumque Religionis loca, cum omnibus Bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus; & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec antè electionem, sive in electione, vel post regius assensus, vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem ipse, & sui in Regno hæredes semper manutenebunt, & conservabunt, & manuteneri, & conservari facient ab omnibus subditis suis. Dictæque Ecclesiæ, & Personæ utentur liberè omnibus bonis, & Juribus suis, salvo ei, & suis in Regno heredibus Jure patronatus in Ecclesiis, in tantum, quantum in hac parte Patronis Ecclesiarum Canonica Instituta concedunt, ubi antiqui Reges Siciliæ hujusmodi Jus Patronatus in ipsis Ecclesiis habuerunt. Omnes etiam causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes liberè, & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinariis, & Ecclesiasticis aliis Judicibus, & terminabuntur per eos, & si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tàm Appellantes, quàm Appellati ad eamdem venire sedem prò Appellationum prosecutionibus liberè, & absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta verò fidelitatis præstabuntur secundum antiquam, & rationabilem consuetudinem, proùt canonica Instituta permittunt ab illis Ecclesiarum Prælatis, quorum prædecessores Antiquis illa Siciliæ Regibus præstiterunt; ab illis autem Prælatis, & Ecclesiis, qui Regalia, sive temporalia Bona tenent, si qui tamen sunt qui hujusmodi bona teneant à Domino Regni, & aliis Dominiis Temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus, & ipsis Dominis temporalibus, servitia exhibere; hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem, & antiquam consuetudinem, & sicut Instituta patiuntur Canonica impendentur, salva semper circà Ecclesias Cathedrales, & alias Regulares, & Seculares, ac Personas, & Loca Ecclesiastica, tàm in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quàm in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ Jurisdictione, ac Authoritate plenaria, & libera potestate.

Item revocabit omnes constitutiones, seù leges per prædictum Frid. vel per Reges Siciliæ, sive per Conradum ipsius Frid. filium, aut Manfredum quondam Principem Tarentinum, qui de facto Regnum ipsum detinet occupatum, editas contrà Ecclesiasticam libertatem: nec statuta, vel constitutiones aliquas edet, aut etiam promulgabit, per quæ Juri, vel libertati Ecclesiæ derogetur.

Item Comes promittet, quod nullus Clericus, vel Persona Ecclesiastica, eorumdem

Re-

Regni Terræ in civili, vel criminali causa convenietur coràm Judice seculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes Ecclesiæ, ac Personæ Ecclesiasticæ omnimodè erunt liberæ, & in nullo Regi, vel Principi subjacebunt.

Item nullas tallias, vel Collectas imponet Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, & viris Ecclesiasticis, vel rebus eorum.

Item, in Ecclesiis vacantibus Rex nulla habebit Regalia, nullosque fructus, reditus, & proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsùs alia percipiet & ex eisdem, custodia earumdem Ecclesiarum interim libera remanente penes personas Ecclesiasticas, juxtà Canonicas sanctiones.

Item Comites, Barones, milites, & universi Homines totius Regni, & Terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi secundi Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

Item omnes exules Regni Siciliæ, & Terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant ad mandatum Ecclesiæ reducentur in Regnum, & Terram prædictam, ipsisque de Bonis, & juribus eis debitis restitutio plena fiet. In hujusmodi autem restitutione secundum præscriptam formam in Capitulo de Bonis Ecclesiarum restituendis contentam, tàm in notoriis, quàm in dubiis procedetur.

Item nullam confederationem, seù portionem, vel societatem cum aliquo Imperatore, vel Rege, seù Principe, vel Barone, Saraceno, christiano, vel Græco, aut cum aliqua Provincia, seù Civitate, aut Communitate, vel loco aliquo contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ scienter faciet, & si etiam faceret ignoranter teneatur ad mandatum Ecclesiæ revocare.

Item omnes captivos, & obsides, qui tenentur in Regno & Terra prædictis, Romanos, Regnicolas & alios de Terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de Marchia Tervisina prò posse suo bona fide restituet libertati. Hæredibus verò per Riccardi Comitis Sorani germani felicis recordationis Innocentii Papæ III. Jus quod in comitatu Sorani, & aliis Ecclesiæ Romanæ Fidelibus, illud quod in aliis comitatibus, & bonis, si quæ eis in Regno, & Terra prædictis à Regibus, & Principibus sunt concessa, obtinent, penitus erit salvum, nec per ipsorum Regni, & Terræ concessionem Comitatuum, seu concessiorum eorumdem cuiquam quo ad proprietatem, seù possessionem præjudicium generabitur; Regio in iis omnibus Jure salvo: secundùm enim supra dictas, & infra scriptas conditiones Regnum Siciliæ, excepta Civitate Beneventana, & omnibus districtibus, & pertinentiis suis, Comiti concedetur eidem, & revocabuntur omnes concessiones comitatuum, Baroniarum, Feudorum, & aliorum quorumcumque bonorum, & jurium factæ in prædicto Regno Siciliæ per Federicum Conradum, & Manfredum prædictos, & Officiales, familiares, & fautores post depositionis sententiam in ipsum Fr. per felicis recordationis Innocentium Papam IV. in Lugdunensi concilio promulgatam.

Item idem Comes veniet cùm mille ad minùs Ultramontanorum Militum comitiva, quorum quilibet equitaturas quatuor secum ducet; Habebit quoque dictus Comes trecentos balistarios, & tot alios bellatores, quot ad prosequutionem negotii sufficere videbuntur.

Item dictus Comes usque ad annum à die, quo ei fiet Collatio de Regno Siciliæ computandum, sic munitus cum tota sua comitiva hujusmodi fines Comitatus Provinciæ, versùs Italiam sic egressus, & extimo infrà tres menses immediatè sequentes fit in Terris conterminis Regni Siciliæ, nisi forsan in Italia hostium impediatur obstaculo, vel occursu, quorum impugnationi, vel debellationi, quamdiù taliter munitus perseveranter insteterit, intelligatur negotium prosequi, nec tempus prædictorum trium mensium ei currat. Quod si dictus Comes sic munitus usque ad annum, hujusmodi non fuerit fines prædicti Comitatus egressus, vel infrà eosdem tres menses tali non præpeditus obstaculo non fuerit in Terris eidem Siciliæ Regno conterminis cum comitiva hujusmodi constitutus, vel in quocumque casu eo prosequutioni negotii, opportunam non impendente operam, ad easdem Terras conterminas dicto Regno infrà tres menses ipsos non venerit sic munitus, liberum erit ipsi Romano Pontifici, ac in ipsius potestate remanebit dicere, pronuntiare, vel proferre in scriptis, vel sine scriptis, de consilio, vel sine consilio Fratrum suorum, eodem Comite, vel alio etiam quocumque, cujus forsan interesset non vocatis, & absque omni Juris solemnitate concessionem eidem Comiti, & Jus hæredibus de Regno, & terra prædictis factam, vacuam omnino esse, nullumque robur, vel valorem habere, ac eam revocare, cassare, irritare, ac ipsam cassam, & irritam nuntiare. Liberum quoque est eidem Romano Pontifici hoc facere, si, quod absit, dictus Comes longa præpeditus valetudine, vel morte præventus, dictum negotium juxtà eamdem formam non assumserit, vel assumtum non fuerit prosecutus, nisi forte talis persona, & tàm idonea juxtà formam eamdem vices ejus, vel suorum hæredum in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficiens possit, & debeat Romanæ Ecclesiæ reputari. Quod si dictus Comes alio forsan impedimento legitimo fuerit irretitus, & hoc significaverit Romano Pontifici, tunc liberum erit eidem Romano Pontifici, & in potestate remanebit ipsius, vel dicere, pronuntiare, ac proferre juxtà formam in Capitulo ipso contentam, concessionem eidem Comiti, & ejus hæredibus factam de Regno, & terra prædictis vacuam omnino esse, nullumque valorem, vel robur habere, ac eam revocare, cassare, & irritare, & ipsam cassam, & irritam nuntiare, vel talem personam, & tam idoneam assumere, vel admittere ad dictum negotium, quæ meritò ad hoc ab ipso sufficiens reputetur.

Item omnes præmissas conditiones quæ in persona Comitis apponentur circa etiam ipsius Comitis in Regno hæredes intelligimus, & volumus esse dictas, salvis omnibus, quæ circà alios hæredes ipsius Comitis ordinata consistunt, prout superiùs est expressum.

Item postquam tractatus hujusmodi negotii fuerit concorditer consummatus, fiet super hoc privilegium Concessionis à Domino Papa subscriptionibus Cardinalium Romanæ Ecclesiæ roboratum, & Comes dabit Privilegium suum eidem Domino Papæ, ac Romanæ Ecclesiæ, aurea bulla bullatum, in quo proprio Juramento fatebitur, & recognoscet expressè Regnum Siciliæ, ac totam Terram, quæ est citra Farum usque ad confinia Terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum territorio, & pertinentiis ejus, quæ Ecclesiæ remanebit, eidem ex sola gratia, & mera liberalitate sedis Apostolicæ sibi, suisque hæredibus de novo fore concessa, seque recipere, ac tenere Regnum, & Terram hujusmodi à dicta Romana Ecclesia sub conditionibus, & pactis hinc indè tractatis. Ordinatio

verò super senatus Articulo hæc est. Nobilis Vir Carolus Andegaviæ, ac Provincæ Comes præstito Juramento promittat quod dabit operam bona fide, ut Romanis juret non regere urbem ad vitam. Item quod finito triennio à die quo fiet ei Regni Siciliæ concessio computando, vel si infra triennium ipsum totum prædictum Regnum, vel majorem ejus partem, cui minor non possit resistere acquisierit, vel si fortè quod absit, illud acquirere non poterit, & hoc liquido constiterit, senatum omnino dimittet, & illum ex tunc per se, vel per alium nullatenus resumpturus, nec procuraturus quomodo libet quod senatum ipsum quivis alius perpetuo ad vitam habeat, ut quod ad illum aliquis etiam ad certum tempus absque licentia Romani Pontificis assumatur. Item quod dabit operam bona fide, ut idem senatus ad dispositionem, & ordinationem Romanæ Ecclesiæ revertatur, Cives scilicet Romanos ad hoc sicut meliùs, & honestiùs poterit inducendo. Item quod dum Senatum tenuerit, nihil scienter in cæteris ipsius Ecclesiæ domaniis scilicet, & feudis in ejusdem Ecclesiæ, vel suorum præjudicium faciet contrà Ecclesiam, ipsam, & Ecclesiasticam libertatem, & si ipse, vel sui quidquam tale fecerint id sine mora dispendio revocabit.

Hujusmodi autem juramentum præstabit idem Comes in præsentia fide dignarum personarum, quarum tres, vel duæ ad minus sint pontificali præditæ dignitate, dabitque super iis, videlicèt super Juramento, & promissione hujusmodi suas patentes litteras sigillis tam suo, quàm hujusmodi trium vel duorum Pontificum sigillatas: in quibus utique litteris nomina personarum coram quibus hujusmodi Juramentum præstabitur exprimentur; ac se nihilominùs per easdem litteras obligabit ad infra scriptas pœnas, quas incurrat si contrà præmissam, vel eorum aliquid fecerit, videlicèt quod præter reatum perjurii, quod incurret, eo ipso idem excommunicationis, & terra sua ubilibet constituta interdicti sententiis subiaceant. Quas itaque sententias si dictus Comes per mensem substinuerit, eo ipso cadat à Jure senatus, & si postea de facto senatum tenere contenderit, seù intromiserit se de illo, cadat similiter eo ipso ab omni Jure, quod erit ei in Regno Siciliæ acquisitum. Duplicentur autem hujusmodi litteræ ad cautelam propter viarum discrimina, & sic duplicatæ assignentur dilecto filio nostro Tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato; si presens fuerit, vel alii personæ, quam ad hoc duxerimus deputandam, ita quod earumdem litterarum aliæ deferantur, vel mittantur ad nos, & reliquæ nostro, & Ecclesiæ Romanæ nomine in aliquo tuto loco fideliter deponantur, inibi ad opus nostrum, & ipsius Ecclesiæ conservandæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis, & ordinationis, nostrique decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Ego CLEMENS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Odo Tusculanus Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Ego Frater Joannes Portuensis Episcopus.

Ego Rodulphus Albanensis Episcopus.

Ego Anderus Tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Guido tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego Guillelmus Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis.

Ego Frater Anibaldus Basilicæ XII. Apostolorum Presbyter Cardinalis.

Ego Riccardus S. Angeli Diaconus Cardinalis.

Ego Ottavianus S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Joannes S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

Ego Ottobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis.

Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis.

Ego Gottfridus S. Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis.

Ego Jordanus S. S. Cosmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis.

Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis.

Actum Perusii quarto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Anecd. Martene Tom. 2. pag. 220.

CAroli Regni Siciliæ illustri, Infeudatio Regni Siciliæ per Dominum Papam CLEMENTEM IV. Domino Carolo S. Ludovici Regis Franciæ Fratri: anno 1265.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio CAROLO *Regi Siciliæ illustri Salutem & Apostolicam benedictionem.*

COnstituti ab eo per quem reges regnant & principes imperant, & qui solum habet in regno hominum potestatem super gentes & regna, necesse habemus interdum regnis ipsis, & specialiter quæ Romanæ Ecclesiæ juris & potestatis existunt, cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere, ac in eorum solis ad regimen gentium subjectarum quos dignos credimus sublimare, & quià instructi ab eo, qui spiritus angelos suos facit, super hujusmodi dispositione regnorum nonnumquam aliquibus ex fratribus ipsis aliqua committimus peragenda, ut ea quæ ab ipsis fratribus super illis cum maturitate debita rite ac providè ordinantur, eo ipso quod constat ipsa de nostra fieri jussione, robur obtineant firmitatis; nè tamen vacillent in posterum vel cavillationi subjaceant, eò sunt fortius apostolico munimine roboranda. Quocirca majora, in quibus majus periculum formidatur, major est cautelæ discretio adhibenda. Sanè porrecta nobis tuæ filialis devotionis petitio continebat, quod cum regno Siciliæ & tota terra citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, quæ de prædicto Siciliæ regno esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem sedis apostolicæ, ad quam specialiter pertinet, plene ac liberè devolutis, sedes ipsa obtentu devotionis, qua persona tua erga prædictam Romanam fulget Ecclesiam, & pro fidei puritate, qua Christianissimum genus tuum semper noscitur claruisse; perpenso consilio disposuerit ad laudem Dei & honorem & pacem ipsius Ecclesiæ & tranquillitatem & profectum fidelium regni ejusdem de regno ipso personam ac domum tuam regiam honorare, habitis diligentibus & diutinis inter te & sedem eamdem tractatibus de prædictis regno & terra in feudum tibi & tuis heredibus concedendis, nos ad finalem consummationem eorundem tractatuum & negotii regni prædicti nostrum animum firmiter dirigentes, dilectis filiis nostris

Anno 1265.

AMBALDO basilicæ duodecim Apostolorum presbytero, RICHARDO S. Angeli, JOHANNI S. Nicolaï in carcere Tulliano & JACOBO S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus dedimus litteris in mandatis, ut juxta conditiones & formam tibi per venerabilem fratrem nostrum B. Archiepiscopum Cusentinum & dilectum filium magistrum PETRUM notarium nostrum præsentatas, (quas conditiones & formam & nostram super dicto negotio diffinitionem, aliaque ipsi opportuna negotio sub bulla nostra eisdem cardinalibus miseramus), ad plenariam executionem ejus negotii, & ad collationem & investituram tibi de prædicto regno auctoritate nostra faciendam efficaciter procedere procurarent, concessa eisdem per dictas litteras à nobis de ipsorum fratrum consilio & assensu procedendi ad consummationem, collationem, investituram hujusmodi plena & libera potestate. Qui considerantes ad diffinitionem prædictam à nobis super dicti regni negotio editam nostra & fratrum nostrorum subscriptionibus & bulla, nec non eorumdem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam, & etiam prædictas conditiones & formam per prædictos archiepiscopum & notarium tibi ex parte nostra novissimè præsentatas, ac diligentius attendentes, quod ea quæ ante consummationem prædicti negotii tibi facienda & implenda incumbebant, & forma prædicta per te facta fuerant & etiam adimpleta, ad plenariam consummationem ejusdem negotii collationem & investituram faciendam tibi de regno & terris prædictis juxta præstitas conditiones & mandato nostro & potestate tibi super hoc tradita processerunt, tibique totum regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terræ prædictæ Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtionibus & pertinentiis suis per Romanum Pontificem distractis, vel in posterum distrahendis, quam sibi Ecclesia Romana usque ad tempus istud retinuisse & reservasse dignoscitur, & tunc etiam expresse retinuit, & ad suum dominium reservavit in feudum; perpetuo tuisque heredibus ex te legitimè descendentibus; prædictum cōsummando negotium, sub prædictis conditionibus tibi plenius expressis & expositis conferentes etiam & cōcedentes investierunt, & per vexillum ecclesiæ præsentialiter de eisdem à te vice nostra & prædictæ Romanæ Ecclesiæ fidelitatis juramento recepto, juxta formam in eisdem conditionibus comprehensam receptione homagii, quod teneris nobis & dictæ Ecclesiæ reddere, nobis specialiter reservata, prout patentibus litteris dictorum cardinalium inde confectis & ipsorum sigillis pendentibus communitis plenius continetur. Ut autem collatio seu concessio & investitura prædictæ sub prædictis forma & conditionibus expressis & appositis robur obtineant firmitatis perpetuæ, humiliter supplicasti, eas sub ipsis forma & conditionibus apostolicæ confirmationis munimine roborari. Nos igitur volentes tibi & heredibus tuis in posterum super his salubriter providere, tuis supplicationibus inclinati, collationem, concessionem, investituram prædictorum regni & terræ sub conditionibus & forma prædictis à prænominatis cardinalibus tibi & heredibus tuis factas, ac regnum ipsum ac totam terram prædictam tibi & prædictis heredibus ex certa scientia & fratrum nostrorum consilio & assensu auctoritate apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus. Ceterum quia in quibusdam articulis seu capitulis conditionum ipsarum expressius continetur, quod in certis casibus tu & tui heredes excommunicationum sententias incurratis, & dictum regnum & tuæ ac ipsorum heredum terræ sint ecclesiastico suppositæ interdicto: nos & nunc hujusmodi sententias videlicet excommunicationis in te ac eosdem heredes & interdicti in prædictum regnum, ac terras prædictas, si tui vel ipsorum culpa hujusmodi casus emerserint, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica promulgamus, tenorem prædictarum litterarum cardinalium eorumdem de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est.

Illustri & magnifico principi Domino CAROLO illustri regi Siciliæ, nato claræ memoriæ LUDOVICI regis Franciæ, miseratione divina fratres AMBALDUS Basilicæ XII. apostolorum presbyter, RICHARDUS S. Angeli, JOHANNES S. Nicolaï in carcere Tulliano, & JACOBUS S. Mariæ in Cosmedim diaconi cardinales ad perpetuam rei memoriam. Quoniam ad subsistentiam multorum & regimen præesse oportuit unum singulare principium, pro eo quod pluralitas in præsidentia scissuram induceret & solidam gubernaculi dirumperet firmitatem, præeminent singulis regnis & mundi provinciis singula regnantium solia, & singulæ principantium potestates: quia dum reges regnant, prospere imperant & populi regibus reverenter intendunt, hi humiliter subsunt, & illi benigne præsunt, dum congruis præerunt jussibus & devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium animorum unitas, misericordia & veritas sibi obviant, ac justitia & pax se invicem amplectuntur. Ideo namque ex summo illo cælesti Rege, per quem singuli reges regnant & principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum regibus terrenis attributa est potestas, ut ipsi assumto dominandi officio judicent in æquitate populos & dirigant in teris subjectas sibi gentium nationes, quatinus sit voluntas eorum in executione justitiæ, ac meditatio in lege rectitudinis, & ob reverentiam sanctæ pacis. Sane regno Siciliæ & tota terra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, quæ de prædicto regno Siciliæ esse dignoscitur, ad dispositionem & ordinationem sedis apostolicæ, ad quam specialiter pertinent, plene & libere devolutis, sede ipsa circa statum ejusdem regni sollicitè cogitante, illiusque regimen alicui catholico & devoto principi cupiente committere, qui ad laudem Dei, honorem & pacem Ecclesiæ, & tranquillitatem fidelium ipsius regni ejus solio præsideret, tandem quia persona vestra multa erga Romanam Ecclesiam devotione refulget, vestrumque christianissimum genus præcipuæ semper fidei claruit puritate, sedes ipsa consilio perpetuo disposuerit vos de regno ipso domumque vestram honorare, habitis igitur diligentibus diutinisque tractatibus inter eamdem sedem de prædictis regno & terra in feudum vobis vestrisque heredibus concedendis, demùm Sanctissimus Pater & Dominus noster, Dominus CLEMENS Sacro-sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontifex ad salutarem consummationem eorumdem tractatuum & negotii regni Siciliæ suum animum firmiter dirigens, suas transmisit nobis litteras in hac forma.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis AMBALDO Basilicæ XII. apostolorum presbytero, RICHARDO S. Angeli, JOHANNI S. Nicolaï in carcere Tulliano, & JACOBO S. Mariæ in Cosmedim diaconis cardinalibus salutem & Apostolicam benedictionem. Plene vos scire credimus conditiones & formam dilecto filio nostro CAROLO Andegavensi & Provinciæ comiti per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Cusentinum & dilectum filium magistrum PETRUM notarium

nostrum

nostrum super negotio regni Siciliæ ex parte nostra vobis novissimè præsentatas, cum & nos illas necnon & nostram super negotio ipso definitionem & alia eidem opportuna negotio nuper vobis sub bulla nostra duxerimus destinanda. Volumus igitur, & de fratrum nostrorum consilio & assensu vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus ad plenariam consummationem ipsius negotii, & ad collationem & investituram de prædicto regno ipsi comiti faciendam auctoritate nostra juxta easdem conditiones & formam efficaciter procedatis. Nos enim procedendi ad consummationem, collationem, & investituram hujusmodi plenam & liberam de ipsorum fratrum consilio & assensu vobis concedimus auctoritatem: nobis tamen receptione homagii, quod per ipsum comitem sine interpretatione ministri volumus nobis opportuno tempore præsentialiter exhiberi, specialiter reservata non obstante quod dictus comes ex forma diffinitionis hujusmodi tenebatur infra festum B. Apostolorum Petri & Pauli ad nostram venire præsentiam, collationem & investituram easdem, & etiam ipsius consummationem negotii de nostris manibus recepturus. Datum Perusii XI. calenda Julii Pontificatus nostri anno I.

Nos itaque considerantes diffinitionem ab ipso summo pontifice editam super dicti regni negotio, & ejusdem Domini papæ & fratrum suorum subscriptionibus, ejusque bulla, & eorumden fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam ac formam & conditiones & per venerabilem patrem B. Archiepiscopum Cusentinum & discretum virum magistrum PETRUM notarium ipsius summi pontificis super ipso negotio nobis ex parte ipsius summi pontificis novissime præsentatas, ac diligentius attendentes ea quæ ante consummationem prædicti negotii vobis facienda & implenda incumbebant ex forma prædicta per vos facta sunt & etiam adimpleta, ad plenariam consummationem ejusdem negotii, & ad collationem & investituram faciendam vobis de regno & terra prædictis, juxta prædictas conditiones & formam, ex mandato ipsius summi pontificis, & potestate tradita nobis, per supra dictas litteras duximus procedendum.

Ad honorem igitur Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti, & B. & gloriosæ semperque Virginis MARIÆ, Beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, nec non prædicti D. CLEMENTIS papæ IV. & sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ totum regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis, quam Romana Ecclesia hactenus sibi reservat; in feudum vobis vestrisque heredibus ex vobis legitimè, sicut infrà dicitur, descendentibus sub infra scriptis conditionibus auctoritate & potestate nobis in hac parte concessa, dictum ejusdem regni negotium consummando concedimus atque conferimus, vosque de ipsis regno & terra per vexillum Ecclesiæ præsentialiter investimus, non obstante quod ex forma dictæ diffinitionis tenebamini infra instans Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ad ipsius summi pontificis personaliter præsentiam collationem & investituram easdem & totam ipsius negotii consummationem de suis manibus recepturi. Recipimus etiam vice ipsius summi pontificis & Ecclesiæ Romanæ juramentum fidelitatis à vobis secundum formam in eisdem contentam conditionibus & inferius annotatam, nec non & aliorum super quibus secundum tenorem conditionum ipsarum Romano Pontifici & prædictæ Ecclesiæ præstare tenemini juramenta, receptione homagii prædicto summo pontifici generaliter reservata. Omnes quoque concessiones communitatum, baroniarum, feudorum, & aliorum quorumcumque bonorum & jurium factas in prædicto regno Siciliæ per quemdam FREDERICUM, olim Romanorum imperatorem, & CONRADUM, & MANFREDUM natos ejus, ipsorum officiales, familiares, fautores, post depositionis sententiam in ipsum Fridericum per felicis recordationis dominum INNOCENTIUM papam IV. promulgatam in Lugdunensi concilio revocamus. Conditiones autem sunt hæ:

Conditiones novo regi Siciliæ impositæ.

I. Si in vestro & heredum vestrorum obitu legitimum, prout sequitur, heredem vos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit; regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè revertatur. Descendentes autem ex vobis & vestris heredibus Siciliæ regibus mares & feminæ in eodem regno succedent: sic tamen quod de liberis duobus maribus eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus, primogenitus; & de duabus feminis primogenita; & de mari & femina in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur. Si verò vos, quod absit, sine liberis ex vobis legitimè descendentibus mori contigerit; possit vobis in regno & terra prædictis succedere dumtaxat nobilis vir ALPHONSUS comes Pictavensis germanus vester. Et si dictus ALPHONSUS vobis non supervixerit, possit vobis succedere unus ex filiis Domini LUDOVICI illustris regis Francorum, videlicet major natu post illum, qui succedit in regno Francorum. Et hæc gratia vel successio tam ex parte vestra, quàm ex parte illorum erit tantummodo personalis: ita scilicet quod ad nullum filiorum vel heredum ipsius ALPHONSI; si Alphonsum ipsum præmori vobis contigerit, hujusmodi successio se extendet; sed hujus major natu succedat in regno Siciliæ & terra prædictis; similiter & nullus filiorum vel heredum ipsius majoris natu, si idem major natu vobis non supervixerit, hujusmodi successionem habebit, sed regnum Siciliæ & terra prædicta ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem liberè devolventur. Si verò ALPHONSUM & majorem natu prædictos præmori vobis contigerit; nullus alius vobis sive liberis ex vobis legitimè descendentibus in eisdem regno & terra succedit; sed liberum erit eidem Romanæ Ecclesiæ de ipsis regno & terra disponere, juxta suæ beneplacitum voluntatis. Si autem prædictos ALPHONSUM & majorem natu post successionem hujusmodi, aut eorum heredes, sine liberis ex ipsis legitimè descendentibus mori contigerit, regnum Siciliæ & terra prædicta similiter ad eamnem Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertentur. Sed si aliquem de aliis successoribus vestris regem vel reginam Siciliæ sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, hæ personæ, videlicet regis vel reginæ sine prole legitima sui corporis descendentes, frater vel soror ac collaterales superiores, mares & feminæ, utpote patrui & avunculi, amitæ & materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus, quos vos habebitis ad præsens dum vixeritis, & qui post obitum forsitan ex eisdem orientur exceptis, collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & feminæ, utpote nepos & neptis ex fratre vel sorore & inferius usque ad eumdem tantummodo quartum gradum. Quod autem de feminabus rectæ lineæ & collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis,

ANNO 1265.

quam de innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus & Romanæ Ecclesiæ devotis. Et sicut inter eas personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; sic in eodem gradu pluribus concurrentibus, priorem natu posteriori & marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem hujusmodi nulla superstite, regnum ipsum, ut præfertur, ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem liberè revertatur. Quod si forte deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam in regno succedere; illa maritabitur personæ quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea; Romani tamen pontificis super hoc consilio requisito. Nec nubat nisi viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto. Et si contra hoc fecerit; licebit eidem Romano pontifici contra ipsam ad privationem regni & terræ prædictorum, sine figura judicii, & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate femina ipsa constet, procedere, sic hoc videbitur expedire. In regnum verò & terram prædictam nullus succedet qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

2. Adhuc tam vos quàm viri in regno heredes regnum & terram prædictam nullatenus dividatis, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus in membris ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit.

3. Vos autem, nobis recipientibus vice prædicti Romani summi pontificis & Ecclesiæ Romanæ, præstabitis ad præsens juramentum fidelitatis reservata receptione homagii eidem summo pontifici juxta ipsius mandatum; & tam vos sibi, quàm ejus successoribus canonicè intrantibus expressis eorum nominibus & ipsi Ecclesiæ, quam vestri in prædicto regno heredes sub propriis nominibus ligium homagium facietis, & dictum juramentum fidelitatis faciendo mentionem de præsenti instrumento seu litteris præstabitis in hunc modum: *Ego* CAROLUS *Dei gratia rex Siciliæ plenum & legium homagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & tota terra quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum & districtus civitatis ejusdem per Romanum Pontificem distinctos vel in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis ero & obediens B. Petro & Domino meo Domino* CLEMENTI *Papæ* IV. *suisque successoribus canonicè intrantibus & Sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ: non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se aut nuncios suos sive per litteras ad eorum damnum illud pro posse impediam, & si impedire non possum illud, eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in regno Siciliæ & terra prædictis, quàm alibi existentia, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones contentas in præsenti instrumento seu litteris plenarie super ipsorum regni & terræ concessionem confectis, & omnia & singula quæ continentur in eodem instrumento, seu litteris adimplebo & inviolabiliter observabo, nec umquam tempore ullo veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.*

Hujusmodi autem homagia vos & dicti heredes facere & juramentum fidelitatis præstare secundum formam præscriptam; si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses; si verò eum extra Italiam esse contigerit, infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini, & singulis ipsis successionibus & eidem Ecclesiæ Romanæ renovabitis tam ipsum homagium, quàm hujusmodi juramentum. In optione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ vos vel heredes vestros vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & ligium homagium Romano Pontifici & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hæc vobis locum tutum statuant & assignent; vel aliquem cardinalem ipsius ecclesiæ alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat destinare, vosque prædicto Summo Pontifici & Ecclesiæ in vestris nominibus manibus junctis ad præsens vos ad hæc specialiter obligantes, & tam vos singulis ejus successoribus quàm vestri in dicto regno heredes præfato summo Pontifici & singulis ejus successoribus ac prædictæ Ecclesiæ, quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis, jurabitis vos ad hæc specialiter obligantes, quod numquam per vos vel alios seu quocumque modo perjurabitis, ut eligamini vel nominemini in regem vel imperium Romanum, vel regem Teutoniæ, seu dominum Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis earundem Lombardiæ vel Tusciæ. Et si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum; seu regnum Teutoniæ, aut ad dominium Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris partis earumdem de vobis celebrari contigerit; nullum hujusmodi electioni vel nominationi assensum præstabitis, nec intromittetis vos ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romanorum, seu regni Teutoniæ aut Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis ipsarum, ad quodcumque horum nominati fueritis vel electi. Quod si vos vel aliqui vestrorum in regno sedentium heredum eodem, procurantibus vobis aut eis ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanorum, sive regnum Theutoniæ, aut dominium Lombardiæ seu Tusciæ vel majoris partis earum electi vel nominati fueritis vel fuerint; si hoc verum & manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii regni Romanorum seu regni Teutoniæ aut Lombardiæ seu Tusciæ seu majoris ipsarum partis regimine vos manifestè intromiseritis, vel intromiserint; eo ipso à jure regni Siciliæ & terræ prædictæ cadatis vel cadant ex toto, ipsaque prorsus amittatis & amittant, & eadem regnum & terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Si autem vos aut aliquis ex prædictis heredibus electioni vel nominationi factæ seu juri omnino renuncietis & renuncient, & quod de imperio, seu aliquo alio præmissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos nullatenus intromittatis & intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium post nominationem hujusmodi, tali electioni vel nominationi seu juri non renunciaveritis vel renunciaverint; vel de ipso imperio vel de aliquo præmissorum ad quod electi seu nominati fueritis, vel fuerint, vos intromiseritis vel intromiserint quoquo modo, ex hoc sitis & sint eisdem regno Siciliæ & terra & omni prorsus jure eorumdem privati; &, ut dictum est, eadem regnum & terra ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Si verò ad vos vel in dicto regno heredes vestros non poterit commodè talis monitio provenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commodè nequeatis vel nequeant, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, monitio publica & solemnis: ita quod si infra VI. menses post illam non renunciaveritis seu renunciaverint, aut de imperio seu de aliquo alio prædictorum ad quæ vos vel dicti heredes electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos quolibet modo intromiseritis, vel intromiserint; ex hoc cadatis vel cadant omni jure ipsorum regni & terræ, & regnum & terra ipsa ad Ro-

manam

manam Ecclesiam liberè devolvatur. Ceterum si contigerit aliquem ex vestris heredibus, qui deberent in prædictis regno Siciliæ & terra succedere, in regem vel imperium Romanorum seu in regem Teutoniæ vel dominium Lombardiæ seu Tusciæ sive majoris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorum regni Siciliæ & terræ nanciscatur & habeat, nec se de illorum cura seu dominio & regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Teutonico, aut dominio Lombardiæ vel Tusciæ, seu majoris earum partis, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit vel assumptus; & omni juri sibi in illo competenti omnino renunciet, & illorum regimen nec de jure; nec de facto illud gerens, vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus: alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in regno Siciliæ & terra prædictis sibi competerent ipso facto, ita quod eadem regnum Siciliæ & terra ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè devolvatur. Quod si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno & terra successerit, illa regi vel imperatori Romanorum seu in regnum & imperium electo, aut regi vel electo Teutoniæ aut domino Lombardiæ seu Tusciæ aut majoris partis earum seu electo ad earum dominium, numquam matrimonialiter copuletur; & si contrarium fecerit, eo ipso cadat à Siciliæ regno & terra prædictis, maneatque prorsus ipsorum jure privata, ipsis regno & terra Siciliæ ad eamdem Ecclesiam devolutis. Si autem vos vel aliquis vestrum in regno heredes contra hoc veneritis vel venerint, eo ipso excommunicati, & insuper labe & reatu perjurii respersi & noti existatis vel existant. In hujusmodi quoque juramento vos adderis, & tam per vos quàm vestros in dicto regno heredes addetur expressè, quod nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanorum, aut regnum Teutoniæ vel dominium Lombardiæ, vel Tusciam, vel majorem partem ipsarum, per vos vel per alium aut alios occupabitis, capietis vel acquiretis, aut vobis alias quolibet modo vindicaveritis; & si secus feceritis secundum præscriptam formam pœnas similes incurratis. Quod autem dicitur de majori parte Lombardiæ sive Tusciæ, intelligitur scienter; si verò ignoranter, eam ad mandatum ecclesiæ, dimittere teneamini, & si eam ad mandatum dimittatis, non incidatis in pœnam in isto articulo & in consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittatis, remaneat pœna prout est in hoc articulo & in similibus constituta. Quod si forte in posterum regem Siciliæ contingat in imperatorem eligi, postquam fuerit regni Siciliæ possessionem adeptus, non transeat ad imperium; alioquin in pœnas incidat in hoc articulo vel aliis similibus comprehensas. Quod si regni possessione prædicti nondum habita seu obtentà, in imperatorem electus, transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem pontifex duxerit destinandum filium suum successurum in regno cujuscumque fuerit ætatis emancipet, & regno renunciet, nihil juris in eo retinens clam vel palam, nec cujuslibet etiam potestatis nec ipsum filium ad servitium seu subsidium aliquod faciendum juramento vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel successoribus suis astringat, sicque factus filius sui juris, ab eodem Romano Pontifice vel alio destinato ab ipso protinus investiatur in regno, ad cujus regni successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat imperator existens. Sed si imperio & omnibus quæ pertinent ad imperium idem pater renunciare voluerit, & regno tantum esse contentus, post renunciationem hujusmodi ad illius successionem liberè admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice vel alio destinato ab eodem investituram recipiat regni ejusdem.

4. Quod si dictus filius ad regnum assumtus major annis XVIII. fuerit, liberè administret: sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quàm regnum ipsius in custodia Romanæ Ecclesiæ remaneat, donec ipse impleverit supra dictam ætatem, fructibus & obventionibus regni, ex quibus sumtus necessarii faciendi pro ejusdem regni custodia deducantur regni conservandis eidem, & lucro alterius ratione ipsius custodiæ non cessuris. Quæ verò de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum possit sub observatione præmissa à patre ad imperium transeunte dimiti, de filia etiam diximus concedendum. Et si rex non habens filium in imperatorem electus, ad imperium transire voluerit, & de personnis, quas supra duximus, liberis non extantibus, in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quæ de filio & filia præordinavimus observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quæ in solis ipsis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patriæ potestatis.

5. Declaramus etiam, si illi regi Siciliæ sive filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, quæ juxta prædictam formam debeat ad hujusmodi successionem admitti, quæ imperatori, dum ipse rex viveret, fuerat desponsata vel nupta succedat in regno, & si regno sibi delato imperatori nupserit, cadat protinus ab eo, nisi vir ejus imperio prorsus renuntians, regno solummodo sit contentus, imperio autem casu repulsis filia & alia prædicta, ad personas ipsas servatis gradibus regnum perveniat, quas prænotavimus in regno posse succedere, si rege præmortuo filii non supersint. In secundo autem casu regnum ad Romanam Ecclesiam devolvatur, regnum quoque Siciliæ & terra prædicta imperio nullo modo subdentur, seu sibi nullo unquam tempore in eadem persona quolibet modo venient, & præcise super articulo, tam per pœnas spirituales, quàm alias cautiones, cavebitur juxta Ecclesiæ voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex duxerit requirendum; cum intentionis sit Romanæ Ecclesiæ, ut regnum & terra prædicta nullo unquam tempore imperio uniatur, ut scilicet Romanus imperator & Siciliæ rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni & terræ cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem regni & terræ cum regno Romano, aut regno Theutoniæ, seu cum Lombardia, seu Tuscia, seu cum majori parte ipsarum Lombardiæ vel Tusciæ intelligimus, & volumus esse dictum.

6. Pro toto verò generali censu octo millia unciarum auri ad pondus ipsius regni in festo S. Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsi Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ annis singulis persolventur. Si verò vos vel vestri in dicto regno heredes quocumque termino non solveritis integrè ipsum censum, & expectato per duos menses terminum ipsum immediatè sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra sequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totum regnum Siciliæ ac tota terra prædicta erunt supposita interdicto. Si verò nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius ejusdem census vobis duxeritis consulendum; ita ut transactis eodem

ANNO 1265.

termino tertio & duobus mensibus proximè sequentibus, non sit de octo millibus hujusmodi prædicti termini ipsi Ecclesiæ integrè satisfactum; ab ipsis regno & terra ipsorumque jure cadatis ex toto, & regnum ipsum & terra ad Romanam Ecclesiam integrè & liberè revertatur. Si autem de censu octo millium unciarum hujusmodi prædicti termini inter dictos tertium terminum & sequentes duos menses plenariè satisfeceritis, nihilominus semper pro singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si solummodo in eorum solutione cessaveritis, vel ipsas non solveritis, pœnas similes incurretis, salvis aliis pœnis & processibus, quæ vel qui de jure inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

7. In quolibet etiam triennio dabitis vos & vestri in dicto regno heredes Romano Pontifici unum palefridum album pulcrum & bonum in recognitionem veri domini eorumdem regni & terræ.

8. Adhuc priusquam prædictum regnum vel tantum de ipso acquisiveritis, vel adhibueritis quod etiamsi aliquæ ipsius regni civitates vel munitiones aut aliqua alia loca adhuc vobis rebellia fuerint, reputemini & possitis ipsius regni rex vel dominus reputari, solvetis Romanæ Ecclesiæ quinquaginta millia marcarum sterlingorum per infra scriptos terminos, scilicet quod infra sex menses postquam dictum regnum acquisiveritis, prout dictum est, solvetis eidem Ecclesiæ x. millia marcarum sterlingorum, & infra singulos sex menses successivè sequentes solvetis singula x. millia; donec tota prædicta quinquaginta millium summa fuerit integrè persoluta. Quod si vos in hujusmodi terminis illa non solveritis; liberum erit Romano Pontifici contra vos pro singulis terminis ad pœnas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire. Quia verò, sicut in tractatu negotii actum extitit, tempore quo esset tractatus sive negotium consummandum, dominus Papa petitionem super remittendis vobis eisdem x. millibus marcarum factam crederet ex parte saltem aliqua, de qua vos teneri sibi ad gratiam deberetis, nolimus quod per præfixionem hujusmodi alioquod in hoc vobis faciet vobis per gratiam de prædicta summa x. millium marcarum deducatur.

9. Quandocumque autem Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, asseruerit, vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, vos vel vestri in dicto regno heredes requisiti ab eo, in Urbem, in Campagniam, in Maritimam, in patrimonium B. Petri, Tusciam, ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam, & in præmissam civitatem Beneventanam, ac ejus territorium & pertinentias, quæ remanebunt Ecclesiæ, & omnes terras alias ipsius Ecclesiæ per Italiam trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas vel tres ad minus in Ecclesiæ prædictæ obsequium & subsidium transmittetis, per tres menses integros in vestris vel dictorum in regno heredum sumtibus & stipendiis semel tantum in anno in servitio ejusdem Ecclesiæ maturaturos, mensibus ipsis à die quo iidem milites terram vestri dominii vel fines vestri districtus egressi fuerint, per vulgatas dietas & solitas computandis. Quod si maluerit Ecclesia eadem ingruenti necessitate, qua stetur verbo Romani Pontificis, ut dictum est navali in mari exercitu prædicti milites, debita taxatione & recompensatione præhabita, in navale stolium commutetur.

10. Verum prædicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana Eclesia sibi retinuit, & in suum domanium & dominium cum omnibus juribus & pertinentiis reservavit, & totum tenementum civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, quos Romanus Pontifex quandocumque semel, cum sibi placuerit, bona fide distinguet, eidem Ecclesiæ & in ejus proprietate liberè remanebit, nullo jure nobis, vel cujuscumque cuicumque alii de regno prædicto seu quolibet reservato. Distinctioni quoque per Romanum Pontificem semel faciendæ, ut dictum est, stabitis absque contradictione seu refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per apostolicas litteras apparebit.

11. Pro prædicta quoque civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponetis per septennium pro lignaminibus omnia nemora ipsorum regni & terræ, & omnem materiam ad ædificia opportuna; putà lapides, arenam quæ Puteolana vocatur, cæmentum & similia, sine præjudicio juris singularum personarum ad unam dietam prope Beneventum.

12. Præstabitis etiam ipsis securitatem per totum regnum & terram prædictam, nisi in terra vestra de novo delinquant, propter quod ad vos de jure justitia pertinebit.

13. Privilegia insuper dictæ civitatis à regibus & principibus concessa illibata servabitis. Omnia statuta per FRIDERICUM olim Romanum imperatorem, seu quoscumque alios reges Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejusdem revocabitis in omnibus, & per omnia quæ libertatis fuerint ceteris regnicolis purificabitis illa, nec aliqua statuta seu aliquas leges condetis in posterum, per quæ dictæ civitati directè vel indirectè possit præjudicium generari, ac pro apostolicæ sedis & B. Bartholomæi patroni civitatis ejusdem reverentia, fidancias ab omnibus remitti facietis & remittetis eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint liberè proprias vineas & terras excolere, ipsarumque fruges & fructum colligere, & easdem vineas ac terram vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione vel munere vel etiam datione. Vos autem & vestri in regno Siciliæ heredes in dicta civitate ac ejus territorio & pertinentiis quæ remanebunt in Ecclesia vel Urbe, Seu Campania vel Maritima, seu in ducatu Spoletano aut Marchia Anconitana, aut in Patrimonio B. Petri in Tuscia sive aliquibuscumque terris aut dominiis sive feudis ipsius Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex successione vel legato aut conditione sive donatione, aut alio quocumque jure, vel titulo, seu contractu, nihil umquam vobis acquiretis vel vindicabitis, seu poteritis acquirere vel quolibet modo vindicare; & nihil umquam recipietis, habebitis, & retinebitis; seu poteritis recipere habere vel retinere, ac nullam potestariam, capitaneam vel rectoriam; nullum alium honorem, dignitatem, seu potestatem senatoriam, aliam administrationem vel commendam, nec quodcumque officium recipietis, seu recipere poteritis, habebitis, vel retinebitis, seu habere vel retinere poteritis in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis heredibus vestris qui vobis in eodem Siciliæ regno succedent. Nolumus enim quod delictum vobis in comitatibus & aliis terris vestris in pœnam heredis, qui est vobis successurus in regno aliquatenus extendatur. Ne verò hujusmodi alii heredes vestri contra ea, quæ continentur in isto articulo, forsan aliquo tempore venire præsumant, acquirendo vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo seu retinendo aliquid in terris in articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo, seu retinen-

do in eisdem terris potestariam seu capitaniam, vel aliquid aliud de his quæ articulo continentur eodem sic semper hoc duximus concedendum, ut videlicet nulli etiam hujusmodi aliorum heredum vestrorum nullo umquam tempore liceat sibi quicquam in eisdem terris acquirere vel vindicare, recipere, habere vel retinere potestariam, sive capitaniam vel rectoriam aut aliquid aliud ex his quæ, prout dictum est, in eodem articulo pleniùs exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus præsumserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio devolveretur; sed ab illo repellatur omnino, & nihilominus ille cui hujusmodi regni gubernacula possidet, Romano Pontifici contra eum patenter assistere teneatur. Si vero vos vel vestri in regno heredes prædictam Beneventanam civitatem, territorium, vel pertinentias ejus, quæ remanebunt Ecclesiæ, vel aliquam partem earum, aut Campaniam, aut Maritimam, seu urbem aut ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, sive patrimonium B. Petri in Tuscia, aut alias quascumque terras Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutas occupaveritis, vel occupari feceritis, aut molestari; & postquam super hoc à Romano Pontifice moniti vel requisiti fueritis, vel commodè moneri aut requiri nequiveritis juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc tempore publicè aut solemniter vos monuerit infra tres menses non restitueritis integrè omnia occupata, eo ipso ab ejusdem regni Siciliæ & terræ jure cadatis totaliter. Ipsaque regnum & terram prorsus amittatis, & hæc ad Romanam Ecclesiam liberè devolvantur.

Quod si etiam restitueritis occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneamini, alii quoque hæredes vestri, videlicet qui vobis non succedent in regno, occupare vel facere occupari easdem terras Romanæ Ecclesiæ, vel molestare & molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent. Illi verò qui secus attentaverint, præmissas pœnas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipsi quàm eorum posteritas in perpetuum ad successionem prædicti regni, si aliquando forte casu ejusdem successio devolvetur ad illas, nullatenus admittantur, incurrant; & rex Siciliæ qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

14. Sanè omnibus ecclesiis tam cathedralibus quàm aliis regularibus & quibuslibet religiosis sæcularibus, nec non omnibus prælatis & clericis, ac universis personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, & quibuslibet religionis locis plenariè dimittentur & restituentur integre omnia bona eorum immobilia à quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscumque detineantur. Mobilia verò quæ extant & poterunt inveniri simili modo restituentur eisdem. Hæc autem restitutio fiet absque contradictione vel difficultate qualibet, sicut nanciscemini prædictorum regni Siciliæ & terræ possessionem, hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni & terræ quæ vobis obediet restitutio ipsa fiet, ipsaque successive consummabitur, sicut eadem regnum & terra habebuntur. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur à Romano Pontifice aliqui juris discreti, ad quorum mandatum & arbitrium jurium & rerum immobilium & mobilium quæ extant restitutio plenè fiat: ita quod de his de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano & absque strepitu judicii veritas diligentius inquiretur. Sufficit enim vocari Cam. seu Bailium, in cujus jurisdictione vel ballivia seu territorio bona, de quibus agetur, consistant, ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent.

15. Omnes insuper ecclesiæ tam cathedrales quàm aliæ regulares & sæculares, nec non & omnes prælati & clerici, & omnes personæ ecclesiasticæ sæculares & religiosæ, & quæcumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus & omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post, assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in prædicto regno heredes semper manutenebitis & conservabitis & manuteneri facietis, quod in omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post, regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos & vestri in prædicto regno heredes semper manutenebitis & manuteneri facietis ab omnibus subditis vestris, dictæque ecclesiæ ac personæ utentur liberè omnibus bonis & juribus suis, salvo vobis & vestris in regno heredibus jure patronatus in ecclesiis in tantum quantum vel antiqui reges Siciliæ hujusmodi jus patronatus in ipsis ecclesiis habuerint.

16. Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur coram ordinariis & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quàm appellati ad eamdem venire sedem pro appellationum exequutionibus libere & absque aliqua inhibitione permittantur.

17. Sacramenta verò fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica statuta permittunt, ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores antiquis illa Siciliæ regibus præstiterunt. Ab illis autem prælatis ecclesiasticis, qui temporalia sive regalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona tenent à Domino rege vel aliis dominis temporalibus, & qui hujusmodi ratione bonorum ab antiquo consueverunt regibus & ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut antiqua patiuntur canonica statuta impendantur, salva semper circa ecclesias cathedrales & alias regulares & sæculares, ac personas & loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quàm in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis & ecclesiæ Romanæ jurisdictionibus ac auctoritate plenaria & libera potestate revocabitis, quæque omnes constitutiones seu leges per dictum FRIDERICUM vel per reges Siciliæ, seu per CONRADUM ipsius Friderici filium, aut MANFREDUM principem Tarentinum, qui de facto retinet ipsum regnum occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel conditiones aliquas edetis, aut etiam promulgabitis, per quæ juri aut ecclesiasticæ libertati derogetis.

18. Pro-

ANNO 1265.

18. Promittetis etiam quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorumdem regni & terræ in civili vel criminali causâ convenietur coram judice sæculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes personæ ecclesiasticæ omnimodè erunt liberæ, & in nullo regi vel principi subjacebunt.

19. Nullas insuper tallias vel collectas imponetis ecclesiis, monasteriis, clericis & nostris ecclesiis vel rebus eorum, & in ecclesiis vacantibus, vos vel vestri in regno heredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, redditus & proventus, nullas obventiones, ac nulla prorsus alia percipietis ex iisdem, custodia earumdem ecclesiarum interim liberè remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

20. Comites verò, barones, milites, & universi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ GUILLELMI II. Siciliæ regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt.

21. Omnes exsules regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducantur in regnum & prædictam terram. Ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutio plena fiet, in hujusmodi autem restitutione secundum prædictam formam in capite de bonis Ecclesiasticis tuendis contentam tam in notoriis quàm in dubiis procedetur; omnesque captivos & obsides, qui tenentur in regno & terra prædictis, Romanos regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos & Lombardos, & illos de Marchia Tarvisina bona fide restituetis libertati pro posse.

22. Hæredibus verò quondam RICARDI comitis Sorani germani felicis recordationis INNOCENTII papæ IV. jus quod in comitatu Sorano & aliis Ecclesiæ Romanæ fidelibus illud in aliis comitatibus & bonis, si qua eis in regno & terra prædictis à regibus & principibus concessa obtinent, erit salvum, nec per præsentem ipsorum regni & terræ cessionem comitatuum sic concessorum eorumdem cuique ad proprietatem seu possessionem præjudicium generetur, regio in his omnibus jure salvo.

23. Nullam etiam confœderationem vel pactionem, seu societatem cum aliquo imperatore, vel rege vel principe, seu barone Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ facietis, & si feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Ecclesiæ revocare.

24. Habeatis autem mille ad minus Ultramontanorum militum comitativam quorum quilibet equitaturas quatuor secum habebit. Habebitis etiam trecentos balistarios & tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii fidei sufficere videtur, & usque ad annum à præsenti die computandum sic muniti cum tota vestra hujusmodi comitativa esse teneamini, & sitis extra fines comitatus Provinciæ versus Italiam vel in Italia, & ex tunc infra tres menses immediatè sequentes esse teneamini, & sitis in terris contiguis regno Siciliæ, nisi forsitam in Italia hostium obstaculo impediamini vel occursu, quorum impugnationem & debellationem quamdiu taliter muniti perseveranter institeritis, intelligamini negotium prosequi, nec vobis tempus prædictum trium mensium currat. Quod si vos sic muniti usque ad hujusmodi annum non fueritis extra fines prædicti comitatus; vel si infra eosdem tres menses tali non præpediti obstaculo non fueritis in terris eisdem Siciliæ regno conterminis cum comitativa hujusmodi constituti, vel in quocumque casu prosecutionem negotii opportunam non impendentibus operam in eisdem terris conterminis dicto regno infra ipsos tres menses non fueritis sic muniti, liberum erit Romano Pontifici ac in potestate remanebit ipsius; dicere, pronunciare, vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum, vobis aut alio etiam quocumque cujus forsitan interesset non vocatis, & absque omni juris solemnitate, collationem, concessionem, investituram, vobis & heredibus vestris de regno & terra prædictis factas vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eas revocare; cassare, irritare, ac ipsas cassas & irritas nunciare.

25. Liberum quoque erit eidem Romano Pontifici hoc idem facere, si, quod absit, vel longa præpediti valetudine vel morte præventi dignum negotium juxta eamdem formam non assumseritis, vel assumtum non fueritis prosecuti, nisi forte talis persona & tam idonea juxta formam eamdem vices vestras vel vestrorum heredum in hac parte suppleverit, quæ merito ad hoc sufficere & possit & debeat à Romana Ecclesia reputari. Quod si forte vos aliquo impedimento fueritis irretiti, & hoc significaveritis Romano Pontifici, in potestate remanebit ipsius dicere, pronunciare & approbare & proferre juxta formam in capitulo ipso contentam collationem, concessionem & investituram hujusmodi vobis & heredibus vestris factas de regno & terra prædictis vacuas omnino esse, nullumque valorem & robur habere ac eas revocare; cassare & irritare, & ipsas cassas & irritas nunciare, vel talem personam & totam idoneam assumere vel admittere ad dictum negotium; quæ meritò ab ipso sufficiens reputetur. Deinde omnes præmissas conditiones quæ in persona vestra apponuntur, circa vestros etiam in dicto regno heredes & successores intelligimus & volumus esse dictas, salvis omnibus quæ circa alios heredes ordinata consistunt, prout superius est expressum.

26. Vos etiam dabitis privilegium vestrum domino Papæ ac Romanæ Ecclesiæ, ac bulla aurea bullatum, in quo proprio juramento fatebimini & cognoscetis expressè regnum Siciliæ & totam terram quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanæ Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis ejus quæ Ecclesiæ remanebit eidem ex sola gratia & mera liberalitate sedis apostolicæ vobis vestrisque heredibus de novo fore concessa, vosque recepisse ac tenere regnum & terram hujusmodi à dicta Romana Ecclesia sub pactis & conditionibus supra dictis. Ut autem prædicti negotii consummatio, & hæc nostra collatio, concessio & investitura, ac revocatio, ac alia præmissa illibata perpetuo maneant & inconcussam semper obtineant firmitatem, præsens instrumentum, seu præsentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas vobis duximus concedendas. Actum Romæ apud Lateranum in basilica S. Salvatoris, quæ appellatur Constantinaria, ante sacratissimum altare ipsius basilicæ IV. calendas Julii anno Domini MCCLXV. Pontificatus verò prædicti CLEMENTIS papæ IV. anno primo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii per manum magistri Michaëlis de Tholosa

S. R.

ANNO 1265.

S. R. E. vice-cancellarii II. nonas Novembris indictione nona, Incarnationis Dominicæ MCCLXV. Pontificatus verò Domini Clementis papæ IV. anno primo.

IV. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 1812.

Ad Hugonem comitem Ruthenensem. Permittit ei habere altare portatile anno: 1266.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio nobili viro HUGONI *comiti Ruthenensi, salutem & apostolicam benedictionem.*

QUia Deo & apostolicæ sedi devotus & ecclesiæ Romanæ specialis vassallus esse dignosceris, te libenter prosequimur favoris gratia specialis. Cum itaque te, sicut asseris, frequenter ad loca, in quibus non sunt ecclesiæ vel capellæ, devenire contingat, timeasque propter hoc interdum divinis officiis defraudari. Nos tuis devotis supplicationibus inclinati, apostolica tibi auctoritate concedimus, ut capellanus tuus, qui pro tempore fuerit, secum possit habere altare portatile cum debita reverentia & honore, in quo tibi & familiæ tuæ, cum ad hujusmodi loca perveneris, vel aliàs evidens necessitas imminebit, missarum solemnia celebrare valeat, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Perusii XII. calendas Martii, Pontificatus nostri anno II.

V. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 476.

Statuta pro Ecclesia Aniciensi: anno 1267.

CLEMENS EPISCOPUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

INter ceteras sollicitudines quibus animus noster jugiter ad diversa trahitur, frequenter ad statum Aniciensis ecclesiæ vertimus apostolicæ considerationis intuitum, & multiplex ratio nos invitat, ut ad ipsam specialis affectionis animum habeamus. Non enim sumus, nec esse debemus immemores, quòd in illa dudum honoris incrementa suscepimus, in ea promoti fuimus ad episcopalis (*a*) apicem dignitatis, apud illam aliquâ tempora ætatis nostræ percurrimus, ut inde faciente Domino, cùm gradatim habuerimus ad altiora progressum, respiciamus eamdem ecclesiam more patris ut filiam, & in mente nostra ferventi desiderio geritur, ut Ecclesia ipsa spiritualiter & temporaliter augmentetur, ac in omnibus prosperè dirigatur. Porrò quia consuetudines & conditiones ejus agnovimus, & ibidem aliqua vidimus, quæ decentiorem modum in observantiis exigebant, cordi nobis admodum extitit, ut utile &..... consilium apponere curaremus. Verùm cùm dilecti filii capitulum ejusdem ecclesiæ venerabili fratri nostro Aniciensi episcopo commisissent, ut vice ipsorum statueret, ordinaret & faceret, quæ ad conservandum & reformandum prosperum & honestum ipsius ecclesiæ statum competerent, & cognosceret perti nere; ac idem episcopus & tres ecclesiæ præfatæ canonici, quos ipsi sibi super hoc adjunxit, de ipsius capituli voluntate, prout eis visum extitit, super aliquibus providissent, nos illa quæ sub certis videbantur ordinasse capitulis præsentata nobis diligenti examinatione discussimus, & eis juxta studium apostolicæ providentiæ limæ correctionis expositis quamplura solerter adjecimus, & quædam exinde jussimus resecanda. Consideratis autem omnibus quæ circa præmissa fore prævidimus attendenda, statuta quædam & ordinationes edidimus in forma annotatas, quæ in prædicta ecclesia jubemus & volumus perpetuis temporibus observari.

I. Quare de apostolicæ plenitudine potestatis statuimus & ordinamus quod quilibet canonicus Aniciensis ecclesiæ, & in dignitate seu personatu quolibet constitutus, chorum ipsius ecclesiæ semel ad minus in die ingredi teneatur, & ibidem alicui horæ canonicæ interesse diei & quod de cetero de illis quatuor solidis Podiensis monetæ, qui pro libratione claustri consueverant singulis canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo; reliqui verò duo solidi ratione illius horæ cui interfuerit, librentur unicuique. Quod si non interfuerit, nequaquam percipiat, & loco quotidianarum distributionum, quæ dari solent in horis, in posterum habeantur. Hoc autem salvo quod in theologia nunc & in posterum studentibus, quantum ad hos duos solidos, nullum præjudicium generetur: quos etiam percipiat qui præsens in civitate Aniciensi aliqua hora diei per absentiam, vel per aliam justam causam forsitan impeditus, ipsum chorum ingredi non valebit. *Canonici uni saltem horæ in choro intersint quotidie.*

II. *Item*, Quòd quilibet clericus ejusdem ecclesiæ semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare, & aliqui horæ canonicæ, in qua etiam distributiones infra scriptæ non fient, & bis in hebdomada matutinis officiis interesse; alias ipsa die qua defecerit; vel proxima qua post defectum hujusmodi clericis primum librabitur, superpellicii ipso facto sit liberatione privatus. Eo salvo, quòd vicariis canonicis pauperibus & clericulis inferius est statutum. *Similiter & clerici, & bis in hebdomada matutinis.*

III. *Item*, Quod omnes vicarii & capellani capellarum & canonici pauperes ejusdem ecclesiæ singulis horis diurnis intersint, cùm ad hoc sint specialiter deputati, præsertim toti missæ horæ primæ, & ipsi * primæ horæ nonæ & vesperis & completorio, & ter ad minus in hebdomada intersint matutinis. Et si defuerint in una horarum prædictarum, in media liberatione superpellicii ipso facto; in duabus vel pluribus, tota liberatione diei ejusdem vel proximæ, in qua post defectum hujusmodi primum librabitur priventur, nisi infirmitate impediti fuerint, vel alia justa causa. Omnes etiam prædicti teneantur ibidem ad residentiam personalem. *Vicarii & capellani & pauperes canonici singulis horis diurnis. * f. tertiæ. * f. sextæ.*

IV. *Item*, Clericuli omnibus horis intersint; & si duabus horis diurnis vel nocturnis defecerint, priventur libratione superpellicii ipsa die. Et si succentor negligens fuerit circa correctionem eorum, die illa qua ipsos non correxerit negligentes, claustri libratione puniatur. Et si legitimè monitus in negligentia hujusmodi perseveraverit; amoveatur ab officio succentoris per capitulum memoratum. *Clericuli horis omnibus intersint.*

V. *Item*, Quod canonici pauperes circa officiandam ecclesiam & sepulturam canonicorum majorum ipsius ecclesiæ se habeant ex antiqua observantia sicut debent: si defecerint per se vel per vicarium minimè serviendo, amittant duodecim denarios Viennenses, quos recipiat departiendos eis qui hujusmodi *Canonici pauperes.*

(a) Ex Archidiacono Aniciensi episcopus electus est anno 1259. factus anno sequenti Archiepiscopus Narbonensis, postea Cardinalis, ac tandem summus Pontifex.

officium pro eis fecerint illa die, nisi justa & necessaria causa extiterint impediti.

Officiatores ante finem classichorum intrent.

VI. *Item*, Quod officiatores, quibus officium chori injungitur in principio matutinarum & vesperarum ante finem classi, & in principio introïtus missæ, chorum ipsum teneantur intrare: ita ut illi cui officium committeretur nisi tunc intraverit, vel in officio hujusmodi defecerit, si præsens est canonicus in medio claustri, libratione superpellicii puniatur diei ejusdem, vel illius in qua librari contigerit; quæ librationes supplenti officium hujusmodi deputentur.

VII. *Item*, Quod in missa majori clerici vel canonici existentes in choro sedere minimè incipiant ante epistolam, nisi ultima ipsius missæ oratione completa.

Canonici bis in hebdomada matutinis intersint.

VIII. *Item*, Quod quilibet sive canonicus, sive clericus vel in dignitate qualibet constitutus, bis in septimana ad minus teneatur in esse scilicèt matutinis, processioni, & missæ defunctorum: alias in libratione superpellicii diei sabbati septimanæ ejusdem vel sequentis diei, in qua primum librabitur, si fortè ipsa die sabbati librari non contigerit, puniatur; nisi absentia, infirmitate, vel alia justa causa valeat excusari.

Clerici sint in ecclesia decem.

IX. *Item*, Quòd sit certus numerus clericorum in ipsa ecclesia, scilicèt decem ultra quem numerum præcentor sine consensu capituli à modo nullum ponat sive introducat in ecclesia memorata.

Clericuli ante annum xx. non admittendi.

X. *Item*, Quòd item præcentor aliquem clericulum non possit facere, seu clergastrum donec vigesimum annum attingat, nisi alias talis arbitrio capituli appareret, quod merito deberet fieri ante tempus prædictum, nec etiam aliquem clericulum faciat seu introducat de novo post quam tempus attigerit memoratum, & nisi sufficiens idoneus examinatus prius in officio ecclesiæ sit inventus.

Distributiones.

XI. *Item*, Quòd ad distributiones: illis omnibus portantibus in dicta ecclesia superpellicium, qui horis canonicis in præfato choro interessent faciendas assignet episcopus ipsius ecclesiæ centum libras Viennenses censuales, vel semel centum libras Viennenses pro se & successoribus suis solvere teneatur.

Potationes & arca clericorum.

XII. *Item*, Quòd potationes & archa clericorum chori servitio deputentur, prout alias cùm fiebant distributiones hujusmodi factum fuit: ita quòd capitulum ipsius ecclesiæ faciat valere dictas potationes seu beuvendas quinquaginta libras Viennenses: Clerici verò alias quinquaginta libras Viennenses archam prædictam supplendo, si quid defuerit de summis præfatis.

Clerici portantes superpellicium.

XIII. *Item*, Quod quilibet clericus portans nunc & etiam in futurum superpellicium in ecclesia memorata, non habens aliud officium vel beneficium ibidem præter superpellicium, teneatur assignare infra sex annos decem solidos Podiales debitales, vel solvere decem libras Podienses pro emendis reditibus ad servitium dicti chori, & interim donec assignaverit, solvat quindecim solidos Podienses annuatim.

Dignitates seu personatus.

XIV. *Item*, Quòd tam in dignitatibus seu personatibus constituti, quàm canonici & alii clerici, qui ultra superpellicium aliquod officium seu beneficium in ipsa habent ecclesia, viginti solidos Podienses infra sex annos singuli teneantur in reditibus assignare, vel solvere viginti libras Podienses pro reditibus emendis exinde, & interim donec assignaverint vel solverint dictos viginti solidos annuatim persolvant. Quæ omnia tam de his qui nunc sunt, quàm de his qui in posterum fuerint canonici vel clerici in ipsa ecclesia, vel etiam dignitates inibi seu personatus habentes volumus observari.

Magister hospitalis.

XV. *Item*, Quod magister hospitalis ejusdem loci qui nunc est, & quilibet qui in posterum pro tempore fuerit, ultra id quod ut simplex clericus dare tenetur ratione magisterii, decem solidos Podienses det ad idem servitium annuatim.

XVI. *Item*, Quod quilibet clericus seu clericulus, qui ex nunc seu in futurum superpellicium de novo portabit, & quilibet qui in canonicum ejusdem ecclesiæ fuerit receptus, vel dignitatem seu personatum adeptus, nihil percipiat de librationibus superpellicii vel præbendæ, prima libratione dumtaxat excepta, donec ad idem servitium centum solidos Viennenses clericus, canonicus verò sive fuerit dignitatem seu personatum adeptus, solverit decem libras: quas summas prædictorum quilibet solvere sit adstrictus.

Duodenarii his qui missæ matutinis & vesperis interfuerint distribuendi.

XVII. *Item*, Quòd de præfata pecunia ad ipsius chori servitium deputata singulis canonicis, clericis, clericulis, ac in dignitate seu personatu quolibet constitutis, qui in ipso choro singulis interessent officiis matutinis dentur duodenarii Podienses, & tantumdem his qui interessent missæ majori: illis etiam qui vesperis interessent distribuatur tantumdem.

Distributionum cura duobus assignanda.

XVIII. *Item*, Quòd annuatim tempore quo creantur bajuli clericorum, recipiendi & distribuendi dictos denarios, & rationem reddendi cura duobus viris idoneis à capitulo & ipsis clericis committatur, præstito ab eis personaliter juramento, prout ab aliis clericorum bajulis fieri consuevit, de prædictis fideliter adimplendis.

XIX. Quòd ad distributiones solis canonicis & constitutis in dignitate seu personatu etiam faciendas, ipsorum cuilibet, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, ratione præbendæ, necnon & succentori ejusdem ecclesiæ infra quinque annos assignent viginti solidos Podienses censuales, vel viginti libras Podienses pro reditibus emendis persolvant, interim nihilominus donec assignaverint vel solverint, ipsos viginti solidos annis singulis soluturi.

XX. *Item*, Quòd tertia pars eorum omnium, quæ absentes & residentiam minimè facientes de ecclesia seu bonis ipsius ecclesiæ qualiacumque annuatim, percipiunt, servitio, chori pro emendis reditibus ad dictas distributiones faciendas canonicis deputetur: absens verò quantum ad hoc intelligitur, qui per sex menses continuos in dicta ecclesia minimè residebit, nisi studii peregrinationis, infirmitatis, vel alia justa causa fuerit impeditus: & hæc etiam omnia intelligantur tam de canonicis, quàm de aliis, dignitates, personatus, officia, pensiones, terras, vel ecclesias in ipsa ecclesia, vel ejus ratione habentibus ubicumque, & tam de præsentibus quàm futuris.

Dignationes quid solvere debeant ad faciendas distributiones.

XXI. *Item*, Quòd dignitates seu personatus, officia, terras, seu pensiones habentes in ipsa ecclesia, vel ratione ejusdem, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, in sui ratione ultra ea quæ ut canonici & clerici tenentur facere, prout superius continetur, decanus scilicèt præpositus, & abbas seu ipsorum quilibet ad faciendas distributiones easdem, solvant viginti libras Viennenses, & in posterum solvere teneantur. Abbas verò S. Petri de Turre quindecim, abbas S. Evodii decem, præcentor decem, thesaurarius decem libras, foris decanus major centum solidos: minor verò foris decanus quinquaginta solidos, cellararius quinquaginta solidos, Seneschalcus quinquaginta so-

(b) Classus est signum ad officium, quod cum omnibus campanis pullatur.

solidos, punctuarius quindecim solidos, magister scholarum quinquaginta solidos, marglarius decem solidos, thuribularius decem solidos, sacrista altaris crucis decem solidos, sacrista altaris Dei & S. Jacobi viginti solidos. Terrarii autem ipsius ecclesiæ seu pensiones habentes, quicumque sint vel fuerint in futurum, sive canonici simplices, sive personatus & officia obtinentes, dent annuatim centesimam partem omnium redituum, quos ratione ipsius ecclesiæ percipiunt, hoc salvo nihilominus, quod de absentibus superius est statutum.

Fructus vacantium beneficiorum chori servitio assignandi.

XXII. *Item*, Quòd fructus præbendarum, dignitatum & personatuum, abbatiis dumtaxat exceptis, beneficiorum & officiorum quorumlibet ejusdem ecclesiæ, nec non ecclesiarum & terrarum, ad cujuscumque collationem pertineant, ex quo vacaverint, scilicèt primi anni à vacationis tempore computandi, & quamdiu vacaverint, si ultra annum vacare contigerit, chori servitio pro emendis reditibus deputentur, ad distributiones faciendas eisdem: ita quod ipsorum canonicorum bajulus, vel quem ipsum capitulum ad hoc elegerit, recipiendi & distribuendi canonicis dictos denarios curam gerat, & rationem reddendi, ut superius est expressum, hoc salvo quod in eo quod de ipsarum præbendarum vacantium fructibus consuevit ab antiquo recipere, ex hoc nullum præjudicium generetur.

Distributiones faciendæ his qui matutinis, ac fis & vesperis intersunt.

XXIII. *Item*, Quòd de dicta pecunia distributionibus faciendis canonicis, & in dignitatibus seu personatibus constitutis, ut dictum est superius, deputata, singulis canonicis & in dignitatibus seu personatibus constitutis, qui interesserint matutinis officiis singulis diebus Dominicis, Mercurii & Veneris, dentur ultra prædicta sex denarii Podienses: his verò qui majori missæ interesserint quatuor, illis etiam qui vesperis interesserint tantumdem, illi insuper tantumdem habeant, qui quandocumque toti missæ B. Virginis interesserint horæ primæ.

Distributio quando facienda.

XXIV. *Item*, Quòd eædem distributiones dandæ in missa, prout superius continetur, nec canonicis nec clericis dentur, nec aliis quibuslibet, donec ipsius missæ *Agnus Dei* fuerit decantatum. Et si antea inde exierit aliquis ex eisdem absque causa rationabili, nec postea ad eamdem missam redierit, de distributionibus missæ ejusdem aliquam non recipiat portionem.

Distributiones augendæ si reditus augeatur.

XXV. *Item*, Quòd si pecunias dictarum distributionum faciendarum vel solis canonicis & in dignitate seu personatu constitutis, vel etiam clericis in ipsa ecclesia superpellicium portantibus universis, ut suprà dictum est, aut etiam reditus contingeret in posterum augmentari, distributiones etiam prout commodius fieri poterit augmententur.

Distributio officium facientis.

XXVI. *Item*, Quòd canonicus officians in choro prædicto qualibet vice percipiat sex denarios Podienses, clericus verò canonici supplens defectum, vel etiam aliàs officians, quatuor habeat de communibus distributionibus supra dictis.

Præbendæ sacerdotales diaconales & subdiaconales.

XXVII. *Item*, Quòd in ipsa ecclesia duæ præbendæ proximè inibi vacaturæ, postquam illi qui jam in canonicos recepti ibidem præbendas fuerint assecuti, sint sacerdotales & hebdomadales, ultra illas quatuor quæ sunt & esse debent sacerdotales in ea, & præbendam etiam, quam tenebat ibidem jamdudum Guillelmus de Monte revello senior, quæ sacerdotalis extitit ab antiquo, sive etiam sex diaconales præbendæ, illa quam tenet ibidem Petrus Aspasii, quæ diaconalis extitit inclusa, & sex subdiaconales, quas habentes officium per se vel per concanonicum diebus solemnibus & IX. lectionum festis serviendo majori altari adimpleant, prout à succentore ordinabitur juxta ordinem vicis suæ, & ibidem residentiam faciant personalem.

XXVIII. *Item*, Quòd subdiaconis & diaconis canonicis prædictis ipsi altari majori servientibus, clericuli subdiaconi, & clerici diaconi, qui assistere in ipso officio tenentur eisdem, recipiant quod consueverunt recipere ab antiquo.

XXIX. *Item*, Quod ipsi diaconi & subdiaconi canonici supra dicti de dictis distributionibus duodecim denarios Podienses percipiant diebus singulis quibus dictum exercebunt officium, præter alias distributiones præfatas.

Diaconi & subdiaconi in suo officio non servientes puniendi.

XXX. *Item*, Quòd ipsi diaconi & subdiaconi canonici qui in officio suo prædicto per se vel concanonicum non deservierint, illa die in media libratione claustri, vel quàm primum librabitur puniantur: quæ libratio supplenti defectum ejus in officio hujusmodi deputetur.

Capitulum ad campanæ pulsum.

XXXI. *Item*, Quòd quandocumque canonicos dictæ ecclesiæ & dignitates seu personatus habentes super capituli tractatibus contigerit in ipso capitulo convenire in unum, pulsetur tribus vicibus campana ad hæc specialiter ab ipso capitulo deputanda, prout in aliis Gallæ ecclesiis observatur. Post cujus pulsationem tertiam, in his quæ præsentes expediri consueverunt, vel possunt ab illis qui convenerint, procedatur, aliorum absentia non obstante, & valeant quæ facta fuerint ab eisdem.

Ter in hebdomada congregandum.

XXXII. *Item*, Quòd ter ad minus in hebdomada, diebus scilicèt Lunæ Mercurii & Veneris, ipsi canonici & dignitates seu personatus habentes in capitulo conveniant, de negotiis ac de utilitate ecclesiæ tractaturi: ita quòd post horæ primæ exitum ter vel quater tantummodo pulsetur ad januam, post cujus tertiam pulsationem vel quartam, succentore sine dilatione ad eam, sicut moris est, cum processione eunte, ipsa campana tunc in continenti pulsetur, & ab illis, sicut dictum est, qui venient procedatur.

In quo prævaleat major & sanior pars.

XXXIII. *Item*, Quòd in ipsis tractatibus & negotiis, sicut juris communis esse dignoscitur, stetur majori & saniori parti ipsius capituli, partis non obstante minus rationabili contradictione minoris, seu quod contrarium ibidem servatum est hactenus per abusum: ita tamen quòd voluntas canonicorum ipsorum non singulariter extra capitulum, sed in capitulo ipso communiter saltem, & officiorum quorumlibet collatio à modo palam & non occultè in ipso fiat capitulo ab his ad quos spectat ordinatio eorumdem.

De residentia & hospitiis.

XXXIV. *Item*, Quòd dignitates seu personatus, officia, terras, vel pensiones habentes nunc, vel etiam in posterum habituri, teneantur ibidem residentiam facere personalem, & tenere hospitia, scilicèt decanus, præpositus & abbas, seu ipsorum quilibet ad minus cum sex clericis superpellicium portantibus, vel canonicis ecclesiæ memoratæ, quorum librationes percipiant sicut hactenus fieri consuevit. Abbas autem S. Petri de Turre cum quatuor, Abbas S. Evodii cum tribus; thesaurarius verò & præcentor, unusquisque eorum cum tribus; quilibet verò canonicus habens quadraginta libras Viennenses in reditibus qualitercumque ab ipsa ecclesia, vel de bonis ejusdem ultra suam præbendam cum duobus, nisi absens fuerit idem canonicus causa studiorum. Quod si quis in dignitate vel personatu constitutus

ANNO 1265.

* F. earum.

de terris ipsius ecclesiæ dictas quadraginta libras haberet, ratione * eorum, clericorum etiam numerum teneatur augere, ultra illum quem tenebantur habere ratione dignitatis ipsius.

Beneficiorum pluralitas damnata.

XXXV. *Item*, Quòd si quis canonicus habens nunc vel habiturus in posterum terras ejusdem ecclesiæ, dignitatem ibidem adeptus fuerit vel personatum, ipso jure vacent terræ ipsæ prædictæ.

XXXVI. *Item*, Quòd nullus clericus in civitate Aniciensi præfata duas possit canonicas seu præbendas habere, scilicèt in majori ecclesia & in collegiatarum aliqua aliarum; sed vacet ipso jure prima postquam secundam fuerit assecutus: his tamen exceptis qui jam sunt in utraque recepti.

Capellani.

XXXVII. *Item*, Quòd nullus à modo constituatur ad serviendum capellæ vel altaribus ejusdem ecclesiæ, nisi sit ipsius ecclesiæ clericus, qui teneatur chori servitio interesse.

Superpellicium quibus non concedendum.

XXXVIII. *Item*, Quòd nulli in ipsa ecclesiâ superpellicium concedatur, nisi de legitimo matrimonio, bonæ famæ, sanus corpore, videlicet membrorum non patiens maculam, vel læsionem enormem, vel aliàs morbo incurabili non laborans, & conversationis existat honestæ, nec aliquam religionem ingressus, habens etiam unde possit commodè sustentari; alias dum residens fuerit, providere qui ipsum introduxerit egenium teneatur eidem.

Quibus datur fidei juramentum præstent.

XXXIX. *Item*, Quòd quilibet clericus cui à modo superpellicium concedetur, juret capitulo ipsius ecclesiæ fidelitatem servare, & tam jura ipsius ecclesiæ bona fide defendere, quàm universitatem etiam clericorum ipsorum.

XL. *Item*, Quòd quilibet clericus ipsius ecclesiæ bona ejusdem ecclesiæ & clericorum ipsius pro posse defendere teneatur, nec contra eam consilium vel auxilium audeat impertiri. Quòd si legitimè monitus contra fecerit, superpellicio spolietur.

XLI. *Item*, Quòd nullus canonicus vel clericus quicumque ipsius ecclesiæ contra concanonicum vel conclericum pro extraneis præstet publicè consilium vel juvamen.

Magister scholarum sit canonicus.

XLII. *Item*, Quòd Magister scholarum ejusdem ecclesiæ quicumque pro tempore fuerit, à modo sit ejusdem ecclesiæ canonicus, & quòd præbendam percipiat, juxta suæ receptionis ordinem sibi debitum, sine tamen eorum præjudicio, qui jam recepti expectant præbendas vacaturas ibidem, qui legere in facultate theologica, & facere personalem continuam residentiam, necnon tenere hospitium ad minus cum tribus clericis ipsius ecclesiæ inibi teneatur: ita quod interim etiam antequam præbendam fuerit assecutus, distributiones chori, sicut unus ex aliis canonicis habeat: quindecim tamen denariis Podiensibus, quos de libratione claustri ab antiquo consuevit recipere computatis, ad quas distributiones sicut & alii canonici teneantur conferre, ut superius est expressum. Si verò idem magister absque præfati licentia capituli se voluntariè absentavit, fructus scholastriæ amittat; quamdiu absens fuerit, qui tunc & etiam cùm ipsam scholastriam vacare contigerit, & cum ceteris bonis ipsius successori debeant fideliter & absque diminutione qualibet conservari. Quod si per capitulum legitimè monitus, absens non redierit; per ipsum capitulum amoveatur omnino, & alii idoneo conferatur. Eidem autem scholastriæ de terris ipsius ecclesiæ ad collationem decani spectantibus usque ad annuum valorem quinquaginta librarum Viennensium consuetis canonicis ejusdem conferri, si vacaret ad præsens, vel quàm primum ad id offerret se facultas, non obstante si pro aliis superassignandis seu conferendis * terras hujusmodi direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate præsentium præjudicium generari, per episcopum ejusdem ecclesiæ volumus & præcipimus auctoritate apostolica assignari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: ita quòd collatio scholastriæ ejusdem, quæ nunc ad decanum Aniciensis ecclesiæ cum certo canonicorum numero pertinet, concedi cum consensu ipsius capituli vel majoris vel sanioris partis in ipso facienda capitulo, prout in ipsorum canonicorum creationibus consuevit fieri, pertineat ad eamdem.

ANNO 1265.

* F. terris.

Clerici recipiendi examinandi.

XLIII. *Item*, Quòd clerici, qui à modo portabunt superpellicium in ecclesiâ memorata, examinentur prius an sint idonei in legendo & cantando officio ecclesiæ per aliquem virum discretum ad hoc per ipsum capitulum deputandum. Aliter non introducantur, illis tamen exceptis, de quibus ipsi capitulo aliàs videbitur expedire.

Canonici cum celebratur officium extra chorum non sint.

XLIV. *Item*, Quòd nullus canonicus clericus vel etiam in dignitate seu personatu quolibet constitutus; cùm divina officia in choro ipsius ecclesiæ cantabuntur, in plano seu platea ejusdem ecclesiæ extra chorum ipsius, à choro scilicèt seu altari crucis versus majus altare, nisi fortè transeundi necessitate vel peregrinorum occasione, stare, ire audeat, vel sedere, vel nisi in capellis vel subtus altare Dei ecclesiæ memoratæ.

Diffamati ab altaris officio expellendi.

XLV. *Item*, Quòd si qui publici concubinarii, vel lucra exercentes inventi fuerint inhonesta, vel si qui servitio altaris seu custodiæ deputati, prædicti de incontinentiæ vitio fuerint diffamati ab altaris servitio & ecclesiæ expellantur.

Modestia in choro.

XLVI. *Item*, Quòd omnes tam canonici quàm clerici quicumque prædictæ ecclesiæ in choro, cùm divina officia celebrabuntur, in stando & sedendo honestè se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem & corpus honestum ostendant.

Et extra chorum.

XLVII. *Item*, Quòd extra chorum infra ipsam ecclesiam nullus clamare, rixari, seu inverecundè ad invicem vel cum mulieribus, seu aliis inhonestis personis confabulari audeat, nec per viam currere, seu currendo transire.

Stabularii & albergarii.

XLVIII. *Item*, Quòd stabularii seu albergarii ejusdem loci nihil à modo percipiant in his quæ altaribus ecclesiæ offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos ducant, nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando maximè inducant, seu attrahant ad ipsius ecclesiæ altaria vel capellas.

Cum ecclesiæ habitu extra ecclesiam non standum.

XLIX. *Item*, Quòd nec canonici nec clerici quilibet cum habitu ecclesiæ claustri limites transgredi præsumant, nec per claustrum seu villam sine cappa vel mantello extra hospitium incedant, nec publicè per villam canonicus sine clerico, vel alia honesta persona, nec clericus sine socio, nec ibi in carreria seu platea publica, sine competenti habitu stare seu sedere præsumat.

De habitu canonicorum.

L. *Item*, Quòd nullus canonicus vel clericus quilibet sine cappa vel mantello argando seu tabardo per civitatem Aniciensem audeat equitare, nec manticam seu torseriam post se deferre.

LI. *Item*, Quòd portantes de novo à modo superpellicium in ipsa ecclesia habeant raubam novam ad minus, scilicèt superpellicium & cappam ecclesiæ, si ibidem voluerint residere.

LII. *Item*. Quòd ipsi clerici vel canonici cum habitu ecclesiæ palam non deferant chirothecas, nec caligis albis utantur, nec supertunicalia scissa seu partita à latere deferant, nec cappas quarum capucia alterius coloris existat, nec cum capellis seu coffiis lineis apparentibus incedant ibidem.

Tabernas non frequentent.

LIII. *Item*, Quòd à modo canonicus, vel clericus aliquis ipsius ecclesiæ Aniciensis tabernas non intret, nec domos eis contiguas, causa in eis potandi seu comedendi, & maximè mense Augusti juxta abusum antiquum.

Nec choreas.

LIV. *Item*, Caligis rubeis maximè tempore paschali pannis de serico transgulatis seu reatis à modo non utantur, nec annulos publicè deferant, nec choreas cum laïcis aut mulieribus intrare præsumant.

LV. *Item*, Quòd ille qui institutus est ad pulsandas campanas campanilis majoris ecclesiæ memoratæ, novas etiam teneatur pulsare campanas horis debitis & diebus, juxta ipsius ecclesiæ observantiam & arbitrium duorum honestorum virorum, quos ad hoc dictum capitulum duxerit deputandos, ipsorum nihilominus arbitrio, si circa hoc negligens aut rebellis extiterit, puniendus.

LVI. *Item*, Quòd librationes superpellicii ipsius ecclesiæ quas amittent canonici vel clerici, quilibet ejusdem, vel alii in dignitatibus constituti incidentes in pœnam, juxta ordinationem præmissam, chori servitio deputentur, recipiendæ per illos quibus cura recipiendi denarios dictis deputatis distributionibus committetur. Librationes verò claustri quas amittent canonici, vel in personatibus constituti, ipsorum specialibus distributionibus applicentur.

LVII. *Item*, Quòd quicumque sive canonicus, sive clericus, vel in dignitate seu personatu quolibet constitutus in pœnam amissionis librationis claustri, vel superpellicii in toto vel in parte incidens juxta ordinationem præsentem, eam ex certa scientia receperit, seu recipi fecerit, vel recepto pro ipso ab alio libratoribus non restituerit quàm primùm, habebit certificatus super hoc facultatem, ex tunc per mensem ab ingressu ecclesiæ & perceptione librationis superpellicii, sit ipso facto suspensus; nisi legitimè monitus restituerit, omni beneficio ipsius ecclesiæ spolietur.

Decanus eligendus sit in sacris.

LVIII. Præterea statuimus & auctoritate apostolica ordinamus, quod nullus nisi constitutus in sacris in decanum dictæ ecclesiæ possit à modo eligi seu assumi, nec aliter alicui de ipso decanatu apostolica seu quavis auctoritate alia valeat provideri, decernentes quod secus actum fuerit non valere.

Dignitates ad sacros ordines promoveantur.

LIX. *Item*, Quòd tam idem decanus quàm præpositus ejusdem ecclesiæ in sacerdotes: abbates verò sæculares in diaconos; habentes officia scilicèt præcentor, & thesaurarius, foris decani in subdiaconos, qui nunc sunt & pro tempore fuerint, sine dilationis medio statutis temporibus se faciant promoveri, alioquin quo usque adimpleverint, dignitatibus, officiis, & beneficiis hujusmodi, eo ipso, penitus sint suspensi. Quod si suspensionem hujusmodi per sex menses sustinuerint, ipsis eos esse privatos volumus, ea ex tunc vacare decernentes omnino per eos, ad quos spectat illorum ordinatio seu collatio liberè ordinanda aut etiam conferenda.

Ad electionem episcopi non vocandi in sacris non constituti.

LX. *Item*, Quòd nullus canonicus major viginti quinque annis, postquam per quinquennium canonicus extiterit ecclesiæ supra dictæ, sede Aniciensi vacante, ab ipso capitulo ubicumque fuerit, ad electionem vocetur episcopi, nisi ad sacros ordines promotus, nec ex hoc possit dicere se contemtum. Ad eam tamen veniens admittatur.

Cura canonicorum quibus commissa.

LXI. *Item*, Sanè cùm super cura canonicorum ipsorum ac constitutorum in personatibus seu dignitatibus quibuscumque, nec non clericorum quorumlibet & familiarum ipsorum orta fuerat dubitatio longis temporibus retroactis: adeo ut ex hoc error quidam non absque animarum ipsorum periculo procedere videretur; statuimus ut decanus ipsius ecclesiæ, qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum omnium, nec non aliorum quæ ad hospitale B. MARIÆ ejusdem loci prædiorum pertinent habeat, quam per se & alios, quos ad hæc idoneos noverit, & illa tantummodo quæ ad forum pœnitentiale pertinent exerceat; videlicet confessiones audiendo, & pœnitentias injungendo, ad ea quæ judicialem indaginem, jurisdictionem seu correctionem alias exigunt, potestatem suam minimè extensurus. Episcopus verò Aniciensis ipsius decani curam juxta hunc modum, qui eidem decano circa prædictos traditur, gerere debet & habere. Magister verò hospitalis pauperum prædictorum qui nunc est & pro tempore fuerit, curam ipsorum pauperum ac donatorum hospitalis ejusdem & aliorum habeat, quam à decano recipiendam prædicto per se & alios idoneos, de quibus secundùm Deum viderit expedire, valeat exercere.

Magister scholarum & abbas Casæ-Dei statuta faciant observare.

LXII. Ceterum quia parum prodesset statuisse præmissa, nisi conatibus contrariis præsumentium obvietur; ordinamus & volumus, quod magister scholarum præfatus, & dilectus filius abbas monasterii Casæ Dei ordinis S. Benedicti Claromontensis diœcesis, qui pro tempore fuerint, vel alter eorum per se vel alios seu alium requisiti super hoc, possint & debeant ad prædicta omnia & singula inviolabiliter observanda per censuram ecclesiasticam, & pœnas etiam alias moderatas auctoritate nostra contradictores cogere quoslibet ac rebelles, quod fideliter exsequendum eisdem in virtute obedientiæ injungimus, & districtè præcipimus & mandamus.

Cura temporalium vacantis episcopatus duobus committenda.

LXIII. Ordinamus insuper, quod quandocumque in posterum sedem contigerit Aniciensem vacare, dictum Aniciense capitulum duos vel tres de ipso collegio viros idoneos & omni suspicione carentes sine moræ dispendio assumere teneatur, quibus ab ipso cura administrandi bona universa episcopatus ipsius quamdiu vacaverit committatur: ita tamen quod illi, qui ad onus hujusmodi assumentur, sine dilatione qualibet de bonis ipsis mobilibus inventarium facere teneantur, ac interdicto eis cujuslibet alienationis genere, de conservando & defendendo fideliter bona & jura episcopatus; & etiam de tenendo seu exercendo justitiam per se vel per alios, nec non de reddenda administrationis suæ futuro episcopo ratione, cum restitutione bonorum, quæ deductis necessariis expensis ad eos pervenerint, sub obligatione bonorum suorum promittant eidem capitulo recipienti pro eodem episcopo, præstito super hoc ab eis ad sancta Dei evangelia corporaliter juramento: super quibus omnibus confici volumus publicum instrumentum. Quam etiam rationem, si ipsam sedem diutius vacare forsitan, quod absit, contigerit; teneantur ipsi capitulo reddere de sex mensibus in sex menses. Ad suscipiendum autem officium hujusmodi per subtractionem beneficiorum, quæ ab ipsa obtinebunt ecclesia, possit & debeat idem capitulum compellere quoslibet refractores.

Prædicta autem omnia statuimus observanda, non obstantibus aliquibus aliis consuetudinibus vel statutis ejusdem ecclesiæ hactenus observatis, seu quibuscumque privilegiis vel indulgentiis ab apostolica sede quibuscumque personis, locis, dignitatibus, vel ordinibus generaliter

ANNO 1265.

vel specialiter, sub quacumque verborum forma concessis, aut etiam concedendis, per quæ nullum contra præmissa volumus obstaculum interponi, seu si aliquibus communiter & divisim ab eadem sede indultum existat, vel contingat in posterum indulgeri, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia dictæ sedis generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam effectus præsentium possit quomodolibet impediri, & de qua in eis fieri debeat mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat ordinationes & statuta prædicta seu eorum aliquod infringere, vel ipsis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii IV. nonas Junii, Pontificatus nostri anno III.

VI. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 1316.

Henrico Hugonis Filio Comiti Ruthenensi concedit, ut à nullo Judice sedis Apostolicæ Legato aut subdelegato, possit excommunicari: anno 1268.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro HENRICO *nato dilecti filii nobilis viri* HUGONIS *Comitis Ruthenensis, salutem & Apostolicam benedictionem.*

INtendentes quieti tuæ, paterna qua te nostrum & Ecclesiæ Romanæ devotum prosequimur, benevolentia providere, tuis supplicationibus inclinati, ut nullus judex à sede Apostolica delegatus, vel subdelegatus ab ipso, executor, aut etiam conservator à sede deputatus eadem, in te possit excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare sine speciali mandato sedis prædictæ faciente plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem, auctoritate tibi præsentium indulgemus, præsentibus post triennium minimè valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Viterbii Decimo Secundo Calendas Februarii, Pontificatus nostri anno III.

ANNO 1271.

GREGORIUS DECIMUS,

PONTIFEX CLXXXVI.

ANNO DOMINI MCCLXXI.

VIde Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 152.

I. Ex Archiv. Ang Rimer Tom. 2. pag. 10.

Bulla de Generali Concilio ad Lugdunum assignato: anno 1273.

ANNO 1271.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

IN litteris, quas per universos Orbis Principes & Prælatos super generalis convocatione Concilii destinanimus, locum in quo idem Concilium convenire deberet, ex causa duximus subticendum, prædiximus tamen in illis, quod locum eumdem ipsis Principibus & Prælatis intimare competenti tempore curaremus.

Nobis igitur cum fratribus nostris, hujusmodi loci electionem deducentibus in exactæ discussionis examen, occurrebant hinc inde diversa, quæ discutientium videbantur judicium alternare.

Nec enim præterit nostræ considerationis indaginem, quàm grave, quam durum est locum, Sedis Apostolicæ proprium, in quo præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere, tanto locorum intervallo à peculiari nostrorum populo urbis abesse, convicinis partibus, quæ Sedi eidem non solum spiritualiter, sed & temporaliter subesse noscuntur, commoditatem vicinitatis nostræ subtrahere.

Quanta ex absentia Nostra diversis Italiæ partibus possent imminere discrimina? Quantum partium earumdem inveterata scissura, pro redintegrandæ unitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebat? Quantis denique oneribus quantisque laboribus nos, & fratres nostros (quorum aliquos ætas, quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hoc desuetudo reddit inhabiles) exponimus non sine rerum dispendiis quæ quasi pro nihilo ducimus, non sine discriminibus corporum, quæ non facile contemnuntur: Hæc & alia quæ non posset succinctus sermo percurrere in partibus istis locum hujusmodi eligendum concludere videbantur.

Verum ea quæ in eodem sunt agenda Concilio, contrarium suadebant & specialiter negotium Terræ Sanctæ; quam dum creatori omnium cariorem omnibus scriptura describit, satis apertè indicat carissimam procul dubio à nobis habendam; cum soleat, quod est in superioris conspectu præstantius, in subditorum extimatione præstare.

Accedit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano generi dè divinæ superabundantia gratiæ obvenerunt; Siquidem salvator hominum operatus est in medio illius Terræ salutem: Ibi sumpsit temporalis nativitatis initium. Ibi conversationis humanæ deduxit tempora: Ibi post probrosa Passionis opprobria, pro redemptione nostra, mortem subiit temporalem, & sui pretiosi effusione cruoris vetus piaculum expiavit.

Numquid igitur non contingent Redemptorum corda, immensa & innumerabilia beneficia Redemptoris? Numquid non accendent cujusque præcordia, ut ipsi pro tot, quæ nobis tribuit, hoc saltem necessitatis tempore, aliquid rependamus, dum Crucis hostes Crucifixum habentes obstentui, cultores ipsius Christiani nominis Professores, ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant & conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipsosque diversis confusionibus saturantes?

Ad

ANNO 1271.

Ad vindicandas itaque Redemptoris injurias, ad redimenda ignominiosæ conculcationis opprobria in redemptis, nostrum, circa terram eandem Creatoris conformantes affectui, ac debita meditatione pensantes, quod ejusdem Terræ subsidium, præcipuè de Principum & Prælatorum pendet auxilio, quos ultrà mentes credimus convenire posse commodius exinanivimus nosmetipsos, & sub spe illius qui dat lapso virtutem, debilitatem nostram contempsimus, sub ipsius fiducia, qui de sua misericordia nos confortat, quod intendimus, in eo posse sperantes, parvi pendimus onera, labores consideratione calcavimus, & cæteris nostris ac fratrum nostrorum incommoditatibus in ejusdem considerationis examinatione postpositis, ut Principum & Prælatorum eorundem faciliùs possimus habere præsentiam, ac terræ prædictæ subventionem efficaciùs promovere, Civitatem Lugdunensem, quo inibi Concilium cum majore commoditate conveniat, de ipsorum fratrum Consilio duximus eligendam.

Quod Celsitudini tuæ, tenore præsentium, nunciantes, serenitatem Regiam rogamus, & hortamur in illo qui Regibus dat salutem, in remissionem tibi peccaminum suadentes, ut te illi gratificans, qui tot gratiis te prævenit, & laborem voluntarium, ad tam sancti, tam utilis negotii promotionem assumens, præfixo per easdem litteras termino, interim ad hoc opportunitate captata, in Civitate prædictâ, una cum aliis Principibus & Prælatis, quorum super hoc Dominus corda tetigerit, tuam velis præsentiam exhibere.

Datum apud Urbem veterem, Id. Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

ANNO 1273. II. Ex Archiv. Ang. Rimer. Tom. 2. pag. 4.

Processus Gregorii Papæ contra Guidonem de Monteforti, super morte Henrici de Alamania: anno 1273.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

NEphandum scelus, scelesté nephas piaculare flagitium per flagitiosas impiorum dexteras, innocentis sanguinis avidas, innoxii cruoris effusione cruentas, & detestandis in commissione horum noxiis invalutas in quondam Henricum de Alamania claræ memoriæ Riccardi in Romanorum Regem electi, primogenitum horribili severitate commissa, quamquam & cominus evidentia sui notoria, & eminus per diversa mundi climata jam notoriè divulgata, non sine multa mentis amaritudine recensere compellimur, ut horrenda eorum series cunctis seriosiùs reserata, quæ non solum ad extinctum crudeliter, sed & ad crudeles, tam gravia proinde dilapsos in scelera, extinctionis actores paternæ compassionis affectum excitavit in patre, justæ prosecutionis motum manifestat in Judice, hoc indicatura præsentibus, hoc fideli testimonio commemoratura futuris.

Ut enim illius vices, quas licet immeriti gerimus, implere pro viribus satagamus, qui quanquam misericordiarum Pater & totius consolationis Deus veridice describatur, nihilominus tamen legitur justus Judex, Deus zelotes, & Dominus ultionum, decet ut & paternam misericordiam devotos prosequamur ad filios, & debitam justitiam obstinatos non omittamus in reos, parati & redeuntibus de longinquo apertis occurrere brachiis in amplexum, & in pertinaces, sui perversi prosecutores arbitrii, justè vindicare contemptum.

ANNO 1273.

Recenseatur itaque in auribus omnium omnibus ferè nota severitas, immane spectaculum in conspectu cunctorum, repetitio fidelis & sincera commemoretur.

In cujus consideratione Sanctæ Matris Ecclesiæ grandis admodum contumelia filiorum corda conturbat: Cultus Divini contemptus fidelium zelum accendit; Inclitorum Principum contemptibiliter spreta præsentia devotorum vota provocat ad vindictam. Jura sanguinis confusa queritur propinqua cognatio, & mirando in stuporem deducitur, ac stupendo miratur naturalia humanæ societatis immutabilia vincula viliter violata.

Divulgatus fore in omnem terram jam sonus exivit, & in remotos orbis angulos vulgaris fama deduxit qualiter in memoratum Henricum, cruce signatum, de Tunitii partibus in quibus Jesu Christi servitio cum Christiano vacaret exercitu, ad Sedem Apostolicam in Comitiva Carissimorum in Christo filiorum nostrorum Franciæ ac Siciliæ Regum illustrium ad Civitatem Viterbiensem, ubi tunc Romana residebat Curia, venientem; & tandem in quadam Parochiali Ecclesiam civitatis ejusdem, pro missarum solemniis, Sacro quadragesimali tempore constitutum, eisdem Regibus in civitate ipsa præsentibus, quondam Symon, & Guido de Monteforti, Germani, ac ejusdem H. amitini fratres, ad quos restituendos ad carissimi in Christo filii nostri E. Regis Angliæ illustris gratiam, qua ipsos fertur eorum gravis culpa privasse, idem H. de voluntate memorati Siciliæ, ac cum mandato ejusdem Angliæ Regum venerat, associatis sibi aliis, Belial filiis, cum armis, diabolico incitati spiritu, irruentes ipsum manibus inhumanis, immo prorsus immanibus trucidarunt.

Hæc mundus clamat, hæc communis assertio publicat; hujus immanitatis ordinem, vel inordinationem potius sic multiloqua vulgi lingua describit.

Memoratus siquidem Guido, in ipso ingressu prædictæ Parochialis Ecclesiæ, voce terribili comminans, dentibus suis infremuit contra eum exclamans, Proditor Henrice de Alamania non evades.

Et subsequenter in ipsum ad hujusmodi subitum clamorem & fremitum omnino impræmeditatum & inscium, paventem non immerito, & propinquantem Altari, ac illi hærentem manibus, tàm ipse Guido, quàm memoratus Symon, cæterique ipsorum satellites, evaginatis gladiis, & clavis elevatis aggressi, talibus circundantes eundem saturaverunt se pœnis illius, ac ponentes ipsum sibi quasi in signum, exciderunt cum vulnere super vulnus, latusque ipsius, femur, vultum convulnerentes & lumbos, præcisis sibi nihilominus quasi totaliter quatuor sinistræ manus digitis, qua, ut præmittitur, eidem adhærebat Altari, & quibusdam Clericis in prædictis solemnibus, eidem H. assistentibus, altero viz. letaliter, reliquo vero satis graviter vulneratis, nec mortuo pepercerunt, sed & post mortem illatam, vulnera inferentes eidem, ipsum traxerunt ad Ostia dictæ Parochialis Ecclesiæ jam extinctum.

Per hæc nimis procul dubio divinum irreverentes in cultum: Graviter in eandem sedem & Ecclesiam Romanam injurii: Sacrilegi dictæ immunitatis Ecclesiasticæ infractores: temerarii contemptores celsitudinis Regiæ: Ac fædi humani fæderis subversores; in sobrinum Fratricidii rei, in hominem homicidæ ac sicarii nimium inhumani.

Ubi

ANNO 1273.

Ubi tunc igitur ad Matrem Ecclesiam filialis affectus? Ubi reverentia temporis? Quis talia præterire monstravit? O furor? O rabies! Immo procul dubio rabiosi furoris excessus, qui adeo in rationali Creatura judicium rationis absorbet, ut cognationem, quam inter homines generaliter natura constituit, ipsi singulariter sic inhumanè prætereant, sic quasi prorsus abjurent, quod more ferino, efferis animis alterutrum & sæviant in se ipsos.

O quantum hic excessus exceditur, cum in conjunctos sanguine desævitur! O quantum excessui hujusmodi culpæ pondus additur, cum innocens lacessitur! Profecto præmissa in eumdem H. cum talium & aliarum gravium circumstantiarum aggravatione commissa, non solum ejus innocentia, & mutua ipsius ad committentes cognatio aggravant, sed & ejusdem H. beneficia, in eo saltem quod ad reformationem status ipsorum taliter insistebat, reddunt procul dubio longe amplius graviora.

Illorum igitur atrocitate commoniti eorum evidentia excitati, dicto Simone fatali sorte rebus humanis exempto, memoratum Guidonem, suosque in iis complices & fautores de fratrum nostrorum Consilio, in Palatio Urbeveran. peremptoriè præsente multitudine copiosa, in forma citavimus infra scripta. Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei: Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Quondam Henrici de Alamania claræ memoriæ, Ricardi in Romanorum Regem electi Primogeniti sanguis effusus immaniter, & prout in T. 1°. pag. 890. usque hæc quæ sequuntur.

Præmissæ quoque peremptoriæ citationis Edictum in variis locis insignibus solitæ ipsius Guidonis habitationi vicinis, per diversos capellanos nostros, ad hoc specialiter destinatos, fecimus solemniter publicari.

Et licet illud ad ejusdem G. pervenisse notitiam diversarum litterarum clausarum & patentum nobis ab ipso missarum, quarum aliquæ ad nos infra præfixum sibi terminum, aliquæ in eodem termino, reliquæ verò post eundem terminum pervenerunt, tenor apertius manifestet; ipse tamen prædictique complices, & fautores, tantis excessibus contumaciæ contemptum addentes, comparere in eodem termino, & postmodum expectati diutiùs contempserunt.

In primis quidem literis clausis, nobis, ut prædicitur, ante dictum terminum præsentatis, petiit idem G. Fratri suo Amaurico de conductu & securitate idonea provideri, nostram, ut ejus verbis utamur, intrandi curiam, & revertendi, cum expediret, ab ea, ut idem frater suus A. cautè discuteret, & attentè perquireret per quem modum ipse Guido, si ad nostram eum præsentiam venire contingeret, mortalium inimicorum suorum insidias declinare valeret.

In oblatis autem, in termino supradicto, patentibus litteris delictum nobis esse notorium, immo etiam à se comissum inficians; & allegans pro eo probabiliter posse negari quod actus transeuntis notorium diceretur.

Adiecit quod, dato quod dictum Henricum reciderit, causam justissimam habuit, quæ ipsum ab homicidio, sacrilegio, & fratricidio, vel in totum excusat, vel saltem in parte maxima temperat, & remittit pœnam facinorum prædictorum.

Et deinde, conquestus petitam securitatem dicto A. fratri suo fuisse negatam; ac petens differri judicium idonec dictus Rex Angliæ Italiam exivisset, & suis nunciis ad proponendas suæ causas absentiæ, ad quod tamen nullus sufficienter comparuit, audientiam indulgeri subjunxit se paratum ad nostram venire curiam suo loco & tempore, ad Principalem causam justis defensionibus subeundam, dum tamen sibi de intrando, morando, & libere recedendo de ipsa Curia securitas plena daretur.

Ac insuper propositis aliquibus in derogationem Apostolicæ potestatis, quæ quatenus personam nostram contingunt, benigna dissimulatione transimus, adjecit quod causam suam ad futurum Concilium deferret.

In subsequentibus autem litteris nobis ex parte ipsius G. post dictum terminum assignatis, constituit quendam Clericum Procuratorem ad tria viz. ut securitatem plenam, & liberam facultatem omnibus & singulis, qui defensionem Causæ suæ tunc, vel in futurum susciperent postularet: Et citationem à nobis emissam peteret revocari. Ac absentiæ suæ causas exponeret & probaret, si foret forsitan opportunum.

Sed dictus Clericus, in quorumdam Fratrum nostrorum, quos ad id deputavimus, præsentia constitutus, patenter asseruit prædictum mandatum se nolle suscipere securitate pro se, ac universis, & singulis memoratum G. defendere quandocumque volentibus quorum neminem nominare voluit non concessa; quam licet sic vagam non concessserimus sicut ne fuerat concedenda, obtulimus tamen sibi, & publicè fecimus proclamari, quod si vellet ipse, vel quivis alius pro dicto Guidone aliquid allegare, benignam audientiam præstaremus.

In reliquis verò & ultimis litteris inficiatione delicti, petitione securitatis pro dicto fratre suo, querela de ipsa petitione primitus non admissa, & delatione causæ ad futurum Concilium similibus repetitis, se in denegatione petitionis ipsius in eo quod falso notorium in eadem curia esse dicebat; quod ad voluntatem & consilium dicti Regis Angliæ in causa sua proceditur, & quod prima citatione vocatus extitit ad sententiam audiendam, quodque nimis brevis terminus fuerat assignatus; & illis qui vellent eum defendere, securitas denegata; Nec non & quia tempore feriato processit Citatio, in quo, dicebat sanguinis & atrocium criminum causas non debere tractari se asserens esse gravatum, infra scriptas causas absentiæ allegavit.

Primò quia, ut dicebat, citatus fuit ad locum non tutum.

Secundò quia dictus Rex Angliæ ausus fuit aliquos inducere, ut eum occiderent in nostra Curia constitutum.

Tertiò quia idem Rex publicè se jactavit, quod ipse Guido nunquam effugeret manus suas, si terram soceri sui exiret, & dixit publicè coram multis, quod omnem securitatem, ad hoc quod ipsum occideret violaret.

Quartò quod Rex ipse per se, ac suos fautores, ipsius Guidonis inimicos pendente Citatione hostiliter invasit eundem.

Quintò quia evidenter se comperisse dicebat, quod præfatus Rex quosdam familiares suos corruperat, ut ipsum occiderent, & si progrederetur ad Curiam, castra, quæ idem G. tenet, promiserunt, eidem Regi tradere, vel suo nomine detinere.

Sextò quia memoratus Rex Angliæ citatione pendente, exercitum, cum quo ipsum Guidonem proponit invadere, præparavit.

Septimò quia idem Guido à sæpe fato Rege Angliæ, ac aliis, tota sua substantia spoliatus, compellitur nudus congredi cum armatis; de causis autem hujusmodi, dictus G. eas, quæ defensioni suæ sufficerent, se obstulit probaturum.

Sanè petitiones, excusationes, obligationes, & allegationes hujusmodi multiplex ratio dissuadebat admittere: Nec enim post oblatas, & concessas, ut in serie citationis nostræ præmittitur

ANNO 1273.

titur eidem G. tam evidentes securitates per nos, de fratrum ipsorum Consilio approbatas, & sufficientes ac idoneas, cum multa examinatione decretas, locum sibi, circa securitates alias fratris prædicti discussio, aut ipsius G. de deferendo judicio, quousque Italiam Rex Angliæ prædictus exiret petitio vel de loco non tuto allegato contra decretum nostrum, cum tam exacta maturitate interpositum, vindicabat.

Nec petitiones prædictas justificat aut colorat, quod idem G. se verbaliter seu literaliter obtulit ad nostram, suo loco & tempore, venire Curiam, & principalem causam subire paratum, cum non sit partis, locum Judicii, aut tempus eligere, sed Judicis diffinire; nec dici possit suo, i. e. debito venire loco vel tempore, qui contemnit, statuto sibi per Judicem loco & tempore comparere: Præsertim hoc casu, cum dictus G. ita demum se compariturum obtulerit, si sibi securitas indistinctè ad recedendum de dicta curia præberetur, quæ saltem in illum eventum concedenda non foret, si recessum ipsius Justitia impediret.

Non igitur se gravatum asserere justè potest, si concessum non extitit, quod fuit injustè petitum: Præfato nec ex eo, quod ad sententiam audiendam prima Citatio, brevi etiam concesso termino, & in tali negotio tempore quadragesimali processit; cum enim de notoriis agatur excessibus, ad quid aliud, nisi ad sententiam procederet citatio? Aut quare tempus vel temporis indulgeretur diffusio, quam locus aut locorum propinquitas non requirit, cum in notoriis facti examinatio necessario non procedat? Ad quid temporis beneficium maleficus invocat, qui tam graviter commisit in illud, tanta & talia in eo maleficia committendo, maximè cum ad sanguinis pœnam agatur: Hoc casu de crimine, & sententia communis, scripta & solemnis id habeat, quod legi, quæ dicto tempore cognitionem inhibet criminalium quæstionum, sit per consuetudinem derogatum.

Causas quidem absentiæ, in prædictis ultimis litteris allegatas, etiam, si aliquæ ipsarum veritatem haberent, præmissarum securitatum consideratio, & ipsarum causarum inspectio manifestè confutant.

Quæ namque absentiæ causa, quod Conatus Regis Angliæ ad inducendum aliquos, ut dictum G. in prædicta Curia occiderent? vel jactantia Regis ejusdem, quod idem G. ipsius manus non evaderet, si soceri sui terram exiret? Cum ad tuitionem suam, post iter arreptum, ex securitatibus prædictis, in via ei Comitiva militaris accresceret, & tam inibi, quàm in præfata Curia nostræ sibi protectionis auxilium adderetur.

Quæ insuper absentiæ causa, quod idem Rex Angliæ per se, quod notoriè noscitur esse falsum, ac suos fautores, de quo non est aliquid auditum in Patria, eumdem G. fingitur invasisse? nunquid talis insultus occultò fieri potuisset? Nunquid etiam, si ad eum fuisset in veritate processum, eumdem G a judicio eximeret, aut citationi ritè factæ talibus sibi oblatis securitatibus, propterea non parentem à contumacia excusaret?

Quæ iterum absentiæ causæ ex eo quod dictus Rex quosdam familiares memorati Guidonis, ut eum occiderent, & castra ipsius sibi redderent, aut ejus nomine detinerent, asseritur corrupisse? nonne si hoc etiam verum esset eo magis hujusmodi concinnatione comperta, dictus G. sibi consulere potuit, eo consultius procedere, Terram suam aliis fidelibus, & non facile corruptibilibus committendo? nunquid ejusdem G. culpas, & tam gravia facinora hujusmodi concinnatio expiasset. Aut Judici in facinorosum secundum exigentiam Justitiæ procedendi arbitrium ademisset.

Nec sufficit, immo nec proficit ad ejusdem absentiam excusandam, quod idem Rex exercitum, cum quo memoratum Guid. proponit invadere, dicitur præparasse: cum sicut præmittitur G. præfato, inter cætera, obtulimus, non sine derogatione forsan aliqua Regiæ dignitatis, quod memoratum Regem curiam supra dictam faceremus exire, sibique loca deputaremus de quibus idem G. ejus timere non posset offensam.

Nec etiam spoliationis exceptio in aliquo absentiam excusat eandem, si enim ad bona, quæ sui Parentes in Anglia obtinuerunt, & Francia excipientis feratur intentio quæ spoliatio dici potest in illis quæ ipse nunquam obtinuit, & in quibus nullum unquam jus habuit cum in successione, quoad illa ipsum duo præcesserunt fratres ejus?

Si verò ad ea, quæ idem G. in regno Siciliæ, tempore patrati sceleris, obtinebat, exceptio referatur. Consultius excipiens substitisset ut eis se spoliatum non diceret, quæ dictus Rex Siciliæ, cujus quoad prædicta bona, judicio suberat, ad manus suas propter prædicti sceleris evidentiam eodem Rege, ut prædicitur, in dicta Civitate præsente commissi non violenter, sed justè potiùs revocavit, ipsum à Vicaria Tusciæ, quam ei commiserat, nihilominus amovendo.

Ex quo etiam satis evidenter apparet, quantum idem Guido flagitium, de quo agitur, fore notorium negare sufficiat, de quo in ipsum per suum ordinarium jam pœna processit. Quod manifesta, & plurimis nota facti qualitas publicat, & celari tergiversatione aliqua non permittit. Quod etiam ipse, post patrationem illius, subito de ipsa Curia recedendo, pleniù sua manifestavit absentia, & manifestè sua fuga detexit: Quod insuper tempore vacantis Ecclesiæ, variis ad fratres nostros destinatis litteris non negavit, sed ejus reum se potius esse confessus. Quod dictus Frater ipsius St. super eodem flagitio, ejus nomine misericordiam postulans, licet sub quibusdam injustis conditionibus, quas nec decebat recipi, nec justitia suadebat, similiter fatebatur. Quod singulorum vox, continuæ, quasi accusationis instantia non cessat incessere: Quod communis assertio sic incessanter accusat, ut effusum sanguinem innocentem per cujusquam inficiationem operire terra non valeat, nec profundus clamor illius latendi locum inveniat in eadem.

Licet igitur tantæ temeritatis audacia omnem ferè acerbitatem pœnæ videatur excedere, ne tamen omnino impunita remaneat, cum soleat ausum impunitas parere ausus, excessum præsumptionis tantæ sævitiam mitissima severitate, quantum nostri partes Officii patiuntur, decrevimus persequendam.

Ideoque, cum eisdem fratribus nostri deliberatione præhabita, de ipsorum consilio, auctoritate Apostolica diffiniendo, pronunciantes, & pronunciando diffinientes memoratum G. de Monteforti manifestum tanti flagitii patratorem & notorium tantorum criminum reum extimationis ademptione damnamus; Decernentes ut perpetua uratur infamia, perpetuo sit infamis. Sit prorsus intestabilis, ut nec testari, nec ex testamento, seu ab intestato succedere, vel aliquid ex cujusquam successione percipere valeat: nec ad reddendum Testimonium admittatur; Bona quoque ipsius, ubilibet constituta, sententialiter publicamus per eos, sub quorum consistunt Dominio, fisci eorum juribus, sine juris alieni præjudicio, applicanda:

Revocationem etiam & amotionem à memorato Rege Siciliæ ut prædicitur, factas, ratas habemus & eàs volumus perpetuis temporibus observari: In terris quoque, ac aliis bonis Uxoris suæ, ipsi G. omnem jurisdictionem administrationem, & potestatem interdicimus, districtè mandantes, quod in illis, vel quibuscumque aliis terris, in nullo penitus obediatur eidem; & si secus fiat, obedientes excommunicationis sententia innodamus: Terram verò quæ sibi obediet, Ecclesiastico supponimus interdicto, ita quod in illa nullum Ecclesiasticum sacramentum, nisi forsan Baptisma parvulis, ac Pœnitentia, & Eucharistia laborantibus in extremis alicui valeat exhiberi. Omnibus, quæ ab Ecclesiis quibuscumque tenebat, vel tenet in feudum, seu alio quocunque modo, ipsum omnino privamus ita quod in Ecclesias, ad quas spectant, illa libere sine contradictione aliqua revertantur.

Et ut facinoris hujusmodi per infamiam toto fere Orbe diffusi, pœna in ipsius G. diffundenda & duratura posteros, in omnium notitiam futuris temporibus diffundatur, eadem auctoritate statuimus, ut ipsi G. ac descendentibus usque ad quartum gradum ab ipso nisi descendentes iidem super his, vel eorum aliquo ejusdem sedis gratiam meruerint obtinere, nunquam dignitatis portæ pateant, nec ad dignitatem aliquam, ipsis, vel eorum alicui pandatur aditus seu ad impetrationem illius, eis vel supplicantibus pro eisdem præstetur auditus: Ad honorem aliquem Ecclesiasticum, seu mundanum; vel quodcumque Officium publicum aut Clericatum seu Clericorum Collegium, Ministerium vel beneficium Ecclesiasticum, seu in regularibus domibus ad eminentiam prælationis cujuslibet nullo umquam tempore ipsorum aliquis assumatur.

Memoratum præterea G. citra mortis & mutilationis periculum diffidamus, & etiam forbannimus: personam nihilominus ipsius citra idem periculum exponentes, ita quod ab omnibus liberè capi possit.

Quin etiam omnibus Provinciarum præsidibus, quocunque nomine censeantur, nec non potestatibus, consulibus, aliisque Rectoribus Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum districtè præcipimus, ut ipsum G. capiant & ad curiam nostram ducant deputandum carceri, vel alias, prout nobis videbitur castigandum.

Ipsum quoque sacrilegum & contumacem excommunicationis sententia innodamus; decernentes ut omnia loca, ad quæ pervenerit, donec ibi præsens fuerit nisi capiatur, vel captus teneatur in eis, ad nos, ut prædicitur deducendus, Ecclesiastico sint supposita interdicto.

Ad hæc universis & singulis Civitatibus, Communitatibus, Universitatibus quibuslibet, & personis singularibus Ecclesiasticis & mundanis cujuscunque conditionis aut status existant, etiam si Imperiali vel regali, aut alia quacunque dignitate perfulgeant, hoc generali mandamus edicto, ut nullus dictum Guidonem receptet, vel quantum in eo fuerit, receptari permittat.

Nulla eum Universitas in Potestatem, Consulem, recipiat aut Rectorem, vel ad quodlibet aliud Officium, quocumque nomine censeatur, admittat.

Nullus commercium aliquod, aut Communionem aliquam, nisi forsan in illis, quæ ad salutem animæ ipsius respiciunt habeat cum eodem.

Nullus ei præstet auxilium, consilium, vel favorem publicum, vel occultum.

Nullus cum ipso Guidone, sub quovis ingenio, colore, machinatione, vel arte, societatem, seu confœderationem aliquam inire præsumat; & si secus scienter præsumptum fuerit, omnes singulares Personas contrarium præsumentes, non obstante qualibet indulgentia, sub quacunque forma, vel expressione verborum, ipsis ab eadem sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incurrere volumus ipso facto.

Universitatem autem, quæ secus scienter fecerit, & Terras illorum, qui eum receptaverint, aut societatem, vel confæderationem cum eo inierint, Ecclesiastico supponimus interdicto.

Et nihilominus societatem & confœderationem initas, & in posterum ineundas, etiamsi pœnarum, & juramenti adjectione vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, quatenus in illis ejus commodum vertitur, omnino viribus vacuamus, & esse decernimus vacuas, irritas, & inanes.

Vassallos quoque & subditos si quos habet idem G. absolvimus à fidelitate, qua tenentur eidem, juramenta super hoc præstita de potestatis plenitudine relaxantes.

Memoratos verò ejusdem Guidonis in præmissis commissione flagitii complices & fautores excommunicationis & anathematis sententia innodamus, contra eos gravius spiritualiter & temporaliter processuri, prout viderimus expedire.

Cæterum prædictas omnes Excommunicationum sententias sic firmiter, sic inviolabiliter volumus observari, quod absolvendi ab eis, vel relaxandi easdem, nisi tantum in mortis articulo, tam omnibus Pœnitentiariis nostris, quàm quibuslibet aliis Confessoribus generalibus, vel specialibus, seu familiaribus quarumcumque, vel quantarumcumque sublimium Personarum ubilibet consistentium, etiamsi eis à nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum sub quacunque verborum forma, absolvendi à sententiis fulminis vel Canonis, seu eas relaxandi generalis, vel specialis sit vel fuerit concessa facultas adimimus potestatem.

Ab iis verò mulieres in hoc tantum excipi volumus, ut si solum ratione præstiti favoris in hujusmodi sententias forsan inciderint, possint per suos Diocesanos juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere.

Actum Palatio nostro Urbe Veteri Calendas Aprilis Pontificatus nostri Anno secundo.

Bulla, de Insigni pœnitentia Guidonis de Monteforti, pro cæde Henr. de Alemania, & de traditione Guidonis in Carcerem: anno 1273. III. Ex Arch. Rimer Tom. 2, pag. 17.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

PRinceps inclite, novit excellentia Regia, quàm dirè, quàm durè Guidonis de Monteforte malitiam non omittendo tamen justitiæ semitas, sed exquisitos etiam sequendo juris tramites, fuerimus prosecuti; & ideo non est opus habitum contra ipsum repetitione ali-

qua commemorare processum : Sed sufficit quæ sunt postmodum exinde subsecuta tuæ Celsitudini nuntiare.

Et quidem memoratus Guido magnæ pœnitentiæ signa prætendens, postquam Florentiam venimus, uxoris suæ præsentia, & multiplicatis aliis nunciis institit, multaque, ac longa instantia supplicavit, ut ad nostram permitteretur venire præsentiam; paratus simpliciter ut dicebat, nostris obedire mandatis.

Sed multiplici ejus instantiæ multiplicem opposuit non solum qualitas offensæ, saltem in magni temporis dilatione, repulsam, verum etiam cujusdam nostræ deliberationis examen, quo investigandum fore providimus an contriti & humiliati cordis indicia, quæ tanta tamque assidua ejusdem Guidonis instantia verisimiliter arguebat, veritatis munimine fulcirentur, an essent velamine simulationis obducta.

Cumque post modum nos contingeret civitatem Florentinensem exire, idem Guido quasi ad duo milliaria, extra Civitatem eandem, nec non & quidam alii, quos ad hoc sibi Comites habuit, depositis omnibus calciamentis & vestibus, præter camisias & femoralia, cum cordis ad colla, prostratique in terram, se nobis in via exhibuere cum lacrimis; & subsistentibus quampluribus, qui erant in nostro, tunc temporis, comitatu, memoratus Guido cum ejulatu non modico, profusis lacrimis, instantis supplicationis verbis effusis, se *alt* & *bas*, sine tenore, modo vel conditione aliqua, nostris mandatis exponens, petebat humiliter, supplicabat instanter saltem, ubicumque nobis placeret in carcerem se detrudi, & in absolutionis beneficio misericordiæ sibi januam aperiri; nullo penitus adjecto in suis supplicationibus, mediatè vel immediatè, porrectis, per quod aliàs derogari posset in aliquo prædicto processui, habito contra ipsum.

Sed nec tunc hujusmodi supplicationem ipsius duximus admittendam nec responsum ipse à nobis habuit aliquod, immo redarguimus potius alios assistentes eidem; quod in talibus nec loci nec temporis competentiam observarant : Verum urgente tandem conscientia ne deesse justitiæ videremur & contra ipsius debitum Ecclesiæ claudere gremium redeunti, de fratrum nostrorum Consilio, in hoc condescendimus instantiæ supplicantis.

Mandavimus quidem, per dilectos filios nostros R. S. Angeli, & J. S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconos Cardinales, in Urbe morantes, Guidoni præfato in Terra Ecclesiæ Romanæ, in aliqua arce tuta, locum carceris assignari; & propter nostram de partibus illis absentiam, ipsum Guidonem per Carissimum in Christo filium nostrum Siciliæ Regem illustrem & alias personas idoneas inibi cum diligentia custodiri, sicut dilectus filius Gerardus de Roscillone, noster familiaris & Clericus, cui super his, quæ tibi ex parte nostra duxerit exponenda, fidem indubitatam habere poteris, plenius oraculo vivæ vocis exponet.

Quid autem circa hoc postmodum actum sit nondum ad nos relatio certa produxit : hoc tamen ideo tibi sic seriosè intimanda decrevimus, né nostrum processum puritatem tertiæ linguæ malitia in tuæ Celsitudinis auribus fermentaret. Datum Lugdun. tertio Calendas Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

IV. Ex Angl. Arch. Rimer Tom. 2. pag. 20.

Bulla Regi, de Coronatione proroganda; ne vel suus, vel suorum Prælatorum adventus ad generale Concilium impediretur: anno 1273.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio . . . . Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

Celsitudini Regiæ, fili carissime confidenter exponimus, quod cum non solum noverimus, sed & palpaverimus zelum tuum, quem etiam prætendentia opera manifestant ad negotium Terræ Sanctæ, non sine admiratione audivimus te coronationi tuæ terminum indixisse, qui cum tempore, quod est indictum generali Concilio congregando, in quo debet specialiter dictum negotium promoveri concurrit.

Propter quod & tua subtraheretur eidem Concilio tanto magis necessaria & grata præsentia, quanto ex eo esse potest utilior in promotione negotii supra dicti quod de necessitatibus terræ illius tibi magis, tamquam experto, credetur, plus consilio Principis tanti favebitur, plures sequaces inveniet benignitas & liberalitas consulentis; & Prælatis Regni tui, vel ab ejusdem coronationis solemniis, quam tamen desideramus cum solemnitate debita & optata prosperitate procedere, vel ab ipso Concilio, quod dispendiosum foret admodum & absurdum, necessitas absentiæ immineret.

Ideoque serenitatem Regiam & paterna sollicitamus fiducia, & intenso rogamus ac hortamur affectu, quatinus benigna meditatione pensabis discriminibus, quæ de tali concursu temporum imminent, illis Sanctis & piis operibus, quæ sunt in dicto Concilio promovenda, & specialiter Terræ negotio memoratæ, sic per accelerationem, vel prorogationem dictæ coronationis illis occurras, quod nullo modo propter hoc tuus vel eorumdem Prælatorum ad idem Concilium impediri possit adventus; sed prædictorum negotiorum efficax tua, & eorumdem Prælatorum promotio, tibi apud Deum æternæ retributionis cedat ad meritum, & apud homines ad laudis titulum sempiternum.

Datum Lugdun. Calendas Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

V. Ex Archiv. Rimer Tom. 2. pag. 36.

Bulla Regi Angliæ, se non intromittendo Rebus Ecclesiasticis in Vasconia tempore vacationis Ecclesiarum : anno 1274.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ut Rex qui te ad Regni solium sublimavit, dirigat prosperè gressus tuos Jura Ecclesiastica, immo sua debes tuis temporibus illibata facere conservari, & Ecclesias, ac personas Ecclesiasticas à suis oppressoribus regalis potentiæ brachio defensare. Sanè ad audientiam nostram venerabili fratre nostro Auxitanensi Archiepiscopo referente pervenit, quod

ANNO 1273.

si aliquam ex Ecclesiis Cathedralibus Provinciæ Auxitanensis vacare contingat; Nobilis Vir.... Senescallus tuus in Vasconia administrationem bonorum temporalium ipsius Ecclesiæ vacantis quamdiu eam vacare contingit, contra justitiam occupare, ac detinere occupatam pro sua voluntate præsumit, quanquam nulla ex eisdem Ecclesiis à te Regalia teneat, idque tibi, vel dicto Senescallo non competat de consuetudine vel de Jure.

Cum igitur laicis disponendi de rebus Ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, serenitatem Regiam rogamus & hortamur attentè, quatenus talia, quæ redundant in tui derogationem honoris per eundem Senescallum fieri nullatenus patiaris; Sed Ecclesias ipsas, pro divina & nostra reverentia, habens propensius commendatas, eas & bona ipsarum in suis juribus & libertatibus favore Regio prosequaris; ita quod præter divinæ retributionis præmium condigna tibi à nobis proveniat actio gratiarum. Datum Lugduni decimo Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno tertio.

VI. Ex Archiv. Ang Rimer. Tom. 2. pag. 36.

Bulla Levellino Principi Valliæ, de quadam compositione, per Prælatos inter dictum Levellinum & Davidem Fratrem suum: anno 1274.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro, Levelino Principi Valliæ salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum à nobis petitur quod justum est, & honestum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Sanè petitio tua, nobis exhibita continebat, quod dudum inter te, & nobilem virum David Fratrem tuum, super quibusdam Terris, Possessionibus & Rebus aliis, materia quæstionis exorta; tandem mediantibus venerabilibus fratribus nostris ...... Bangoren. & ..... Assaphen Episcopis, Amicabilis super his inter partes compositio intervenit, de observanda compositione hujusmodi hinc inde corporali præstiti juramento: Et nihilominus jurisdictioni eorumdem Episcoporum super hoc eo modo vos submittere curavistis, videlicet ut dicti Episcopi in partem, contra compositionem prædictam venientem, possent censuram Ecclesiasticam exercere, ac obscuritates ipsius compositionis, si fortassis emergerent interpretari, & etiam declarare, prout secundum Deum viderent qualitati negotii, & quieti earumdem partium expedire.

Postmodum verò, super quibusdam articulis, in compositione ipsa contentis, qui in aliqua parte sui debitum & obscuritatem habebant inter prædictas partes quæstione suborta iidem Episcopi prout ex forma hujusmodi submissionis poterant, in præfatis articulis circa dubium & obscuritatem prædictam quandam interpretationem & declarationem fecerunt providam & salubrem; prout in litteris inde confectis eorundem Episcoporum Sigillis munitis pleniùs dicitur continere.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, interpretationem & declarationem prædictas, sicut providè factæ sunt, ratas & gratas habentes, illas auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

ANNO 1274.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni 15. Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno tertio.

ANNO 1281.

MARTINUS II. DICTUS IV.

Vide Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 157.

I. Ex Spicil. Dacheri Tom. 3. n. ed. pag. 684.

Processus habitus contra PETRUM Regem Aragonum, anno 1282. Indictione undecima.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Longa retrò series, ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora multa sufficerent, tædio grandi nimirum audientes afficeret, si quondam Friderici olim Romanorum Imperatoris, posterorumque suorum culpas horrendas, & excessus infandos, ab ipsis contrà Deum, & contrà Romanam Ecclesiam comissos, ac processus perinde per Romanos Pontifices prædecessores nostros ritè habitos contrà ipsos, pœnasque justè illis indictas repetitio seriosa narraret. Ideoque summa rerum fastigia, prout imminentium casuum necessitas exigit, absque seductionis injuriâ materia patitur, decrevimus prosequenda. Et quidem communem non credimus latere notitiam, qualiter felicis recordationis Innocentius Papa quartus prædecessor noster, memoratum Fridericum, qui se per eosdem suos excessus & culpas innumeras indignum Imperio & Regnis, omnique honore ac dignitate reddiderat, in Concilio Lugdunensi, eodem approbante Concilio, propter suas iniquitates à Deo ne regnaret vel imperaret, abjectum ostendit, & denuntiavit omni honore ac dignitate privatum à Domino, & nihilominùs sententiando privavit, ut in ejusdem prædecessoris sententiâ contrà ipsum Fridericum latâ pleniùs continetur.

In Concilio Lugdun. Fridericus Imperio spoliatus.

Qualiter etiam post ejusdem Friderici obitum licet Regnum Siciliæ ad dispositionem Ecclesiæ Romanæ, cujus Juris & proprietatis existit, esset liberè devolutum, idemque prædecessor de illo se provisurum in eodem Concilio publicè prædixisset, quondam Conradus dicti Friderici natus, quamquam in eodem Regno ex ipsius sui primogenitoris successione nullum penitùs jus haberet, tamen sicut ex præmissis apparet, nec ille mortis suæ tempore habuisset, nec aliàs eidem Conrado jus competeret in eodem, ipsum Regnum temerariâ præsumptione occupavit, nec illius recentioris facti memoriam obliteravit oblivio, videlicet quòd ipso Conrado subtracto de medio, quidam Manfredus tunc Princeps Tarentinus, quem velut de copulâ damnatâ susceptum, à dicti Regni successione non solùm præmissa ejusdem Friderici privatio, sed etiam macula illegitimæ nativitatis arcebat, contrà juramentum fidelitatis, quod dicto prædecessori præstiterat, temerè veniens sub quondam Conradini nati dicti Conradi, suique nepotis, simulatâ protectione tutoriâ ad

Manfredi Gesta.

quas-

ANNO 1282.

quasdam Civitates, Castra, & alia loca Regni ejusdem manus occupatrices extendit. Propter quod & alios suos actus nefarios, & graves offensas, piæ memoriæ prædecessor noster Alexander Papa quartus ipsum ex causis variis excommunicationis vinculo innodatum, Tarentino Principatu, honore Montis sancti Angeli, omnibus Comitatibus, terris, feudis, dignitatibus, & aliis honoribus, ac bonis & juribus, quæ in præfato Regno, & quæ alibi etiam ab Ecclesiis & personis Ecclesiasticis obtinebat; necnon & Vicariâ in quâdam ipsius Regni parte sibi ab Apostolicâ sede concessa; & etiam omnibus concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus, & privilegiis; sive à prædictis Frederico patre, vel Conrado fratre suis, sive à sede Apostolicâ in Regno sibi factis eodem, vel alibi etiam ab Ecclesiis quibuscumque, vel personis Ecclesiasticis, tanquam rebellem & hostem Ecclesiæ Romanæ, ac violatorem fidelitatis sibi præstitæ manifestum, suorumque jurium invasorem, occupatorem, & detentorem sacrilegum, & tamquam sociatum nefando fœdere Sarracenis, eorumque complicem, ductorem & protectorem publicum, Apostolicâ authoritate privavit.

Cumque idem Manfredus nec iis aliisve remediis contrà malitiam ejus adhibitis in suâ iniquitate remissior; sed in committendo quotidie prioribus deteriora ferventior, postmodum fraudulenter præfati nepotis sui morte confictâ, idem Regnum proprio nomine occupans, & Regium in illo titulum & nomen usurpans, se, ortus sui non erubescens primordia, in illius Regem inungi, & coronari fecisset; idem prædecessor noster Alexander ejus iniquitates & fraudes abominans & detestans, cassavit & irritavit, cassum & irritum nuntiavit quidquid circà ipsum Manfredum per unctionem, seu potiùs execrationem, & coronationem quas excipere de facto præsumferat, quasque nullas esse constabat, exstitit tam temerariè, quàm dolosè præsumptum. Eisdem verò Manfredo, & demùm Conradino, qui ætatem præveniendo malitiâ à dictorum prædecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem Imperium & Regnum aspirans, præfatam Ecclesiam & Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem insidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infestavit. Propter quod contrà eum & fautores suos per recolendæ memoriæ Clementem Papam prædecessorem nostrum varii habiti sunt processus, suâ sorte succisis nobis, & Regni, ac Regno prædictis, pacis & quietis serenitas arrideret, in subitas tempestates acta est æstiva tranquillitas, bellum in mediâ pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis, & qui eidem Regi Siciliæ ad fidelitatis debitum tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solùm hostilia, sed tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamat infamia, processit adeo Panormitana civitas, & civium præsumptuosa rebellio, quòd rebellandi audaciâ, & jurium interversione Regalium, suique quantum in eis fuit abjectione dominii non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit, dum eorum exitialis iniquitas, non solùm quos ex devotis Regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia, sine sexûs ætatisve delectu inhumaniter cecidit: verùm etiam partus quos adhuc viscerum portionem claustra materna celabant, illis sævè defectis, sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quòd eis nimirum procul dubio naturaliter lucis usum antequàm concederet natura, subtraxit, ipsis adeo prærnaturâ & impiissimâ cæde cæsis, quòd ortûs eorum principia vitæ prævenit occasus. Quia verò, sicut ex tunc multorum habebat assertio, & jam probat exitus evidenter, hæc in nostram & ejusdem Ecclesiæ turbationem & dispendium tentabantur, & plurium ad hoc intentio laborabat & studium, ut fornacis quasi extinctæ recenter nos Ecclesia & Rex idem renovata eo graviora sentiremus incendia, quo solent nocere graviùs pericula recidiva.

Nos tantorum malorum cupientes obstare principiis, ne serò medicina ipsis jam procedentibus pararetur, in festo Ascensionis Domini præterito, nuper apud Urbem veterem præsente multitudine copiosâ fidelium, de Fratrum nostrorum consilio, universos & singulos cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut statûs, attentè monuimus, eisque districtè præcepimus, ne in prædicto Regno, vel ejus parte nos, & eamdem Ecclesiam, aut præfatum Siciliæ Regem, qui Regnum Siciliæ tenet ab ipsâ, per se, vel per alium molestarent, impeterent, vel etiam perturbarent, occupando, invadendo, seu occupari aut invadi faciendo Regnum ipsum, vel aliquam partem ejus. Præcepimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, & specialiter Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Civitatibus, Communitatibus, & Universitatibus Castrorum, Villarum, & quorumcumque locorum Italiæ, maximè ipsius Romanæ Ecclesiæ temporali Jurisdictioni subjectis, ne prædictis molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invasoribus, seu occupari vel invadi facientibus dictum Regnum, vel aliquam partem ipsius in præmissis intenderent; & ne cum armis, vel sine armis, ad turbandam in eodem Regno pacem, præfatorum Ecclesiæ ac Regis Siciliæ, præstarent illis consilium, auxilium, vel favorem publicè vel occultè; neve super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus aliquod cum ipsis inirent. Si quis autem contrà nostram monitionem, & præcepta præmissa, per se, vel per alium quibuscumque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cujuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut statûs, excommunicationis sententiâ, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos. Civitates quoque, & Communitates quaslibet, quæ contrà monitionem & præcepta eadem quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumerent, interdicti Ecclesiastici sententiæ, quam ex tunc in illos promulgavimus, voluimus subjacere. Ad hæc prædiximus Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, & aliis inferioris gradûs Prælatis, quòd si contrà monitionem & præcepta præmissa, vel eorum aliqua venire tentarent, nos eos omni Ecclesiæ dignitatis honore; cæteros autem Clericos non prælationis officium, sed dignitates forsitan, vel Prioratus, seu alia beneficia obtinentes, & privare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas suaderet. Laïcis verò cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis aut statûs, & præcipuè temporaliter ipsis Romanæ Ecclesiæ subjectis expressè denuntiavimus, quòd si monitionem & præcepta hujusmodi, contrà ea per se, vel per alium veniendo temerè non servarent; Nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipsos feudis, & aliis omnibus, quæ à prædictâ vel aliis tenerent Ecclesiis, privare; Vasallos eorum, si quos habent, à fidelitatis juramento quo tenerentur, eisdem reddere penitùs absolutos, & personis eorum citrà mortis periculum & mutilationis expositis, ad expositionem bonorum procedere illorum, prout culpæ ipsorum exigerent, & videretur expediens, curaremus.

Summus Pontif. excommunicationis sent. profert in Manfredi fautores, ac regni Siciliæ perturbatores.

Et licet Panormitanæ civitatis, & civium, nonnullorumque Castrorum illarum partium, quæ contrà eumdem Regem Siciliæ rebellarant,

culpa gravis acerbiorem processum exigeret: Nos tamen desiderantes quòd civitatem, cives, & loca prædicta mansuetudo corriperet, & à tanti terroris invio revocaret, erga eos non rigorem, sed mansuetudinem votis nostris accommodam prosequentes, Universitatibus prædictorum civitatis, & Castrorum, aliorumque locorum districtè præcepimus, ut cujuslibet difficultatis & dilationis objectu sublato ad nostra, Ecclesiæ, ac Regis eorumdem mandata redirent: quodque prædictos molestatores, turbatores, occupatores, invasores, aut dantes eis in hoc auxilium, consilium, vel favorem in dictis civitate, Castris, villis, seu districtibus eorumdem nullo modo receptare, vel recipere attentarent, nec ipsorum aut alicujus eorum dominio, vel regimini se quoquo modo submitterent, neve ipsis, vel eorum alicui contrà Ecclesiam vel Regem prædictos impenderent in prædictis auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum; & nihilominùs confœderationes, seu obligationes quaslibet, si quæ inter universitates easdem, vel inter ipsas, & quoscumque alios initas, sive factas super occupatione, ac invasione prædictis; & juramenta de illis servandis, vel aliàs pro prædictis hinc inde præstita relaxantes omninò, Universitatibus ipsis apertè prædiximus; quòd nisi præmissa celeriter adimplerent, contrà Civitatem, Castra, & villas eorum spiritualiter & temporaliter sic procedere, authore Domino, curaremus, quòd pœnâ decente suæ temeritatis & superbiæ recognoscerent qualitatem. Cæterùm licet dum iis & aliis modis, & viis, filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquarum Civitatum, Castrorum, Villarum, cæterorumque locorum, civium & incolarum Siciliæ in nostram notitiam perlata rebellio, & præcipuè Messanensium, qui eorumdem Panormitanorum imitati sævitiam, quàm plures ex ministris & devotis Regis ipsius post securitatem eis præstitam crudeliter trucidasse dicuntur; Castrum Regium loci ejusdem temerariis ausibus occupantes, causam multæ commotionis inducentes.

Itidem Messanenses.

Nos tamen propterea non desistentes à cœptis, Venerabili fratri nostro G. Episcopo Sabinensi ad partes alias cum plenæ Legationis officio, tamquam pacis Angelo destinato, bona in illis & pro illis partibus quæsivimus, nec venerunt; pacem exspectavimus, & turbinis gravioris tempestas apparuit, machinatis jamdudum, ut communis quasi fert opinio, & subsequutorum consideratio satis indicat, evidenter dolis & insidiis revelatis. Si quidem Petrus Rex Aragonum, quem carum filium nominari non patitur exprimendus inferiùs status ejus, de procedendo adversùs Africam quæsito colore, Insulam Siciliæ, terram peculiarem ipsius Ecclesiæ, militum & peditum catervâ stipatus, invadens, occupans, & in illâ ejusdem Ecclesiæ pacem turbans, gravem contra eam seditionem excitans, graviterque populum concitans, in eam temeritatis prorupit audaciam, quòd cum Civitatibus, aliisque locis, Universitatibus, civibus, & Incolis ejusdem Insulæ, quibus ratione uxoris, filiæ scilicet memorati Manfredi, natorumque suorum se teneri prætendit, confœderationibus, pactis, & conventionibus, ut fertur, quin potiùs conspirationibus, & scelestis factionibus initis, Regium in Regno prædicto nomen usurpat, se Regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ Rege præsumit; in majoris præsumptionis argumentum præfato Regi Carolo in suis litteris Regni Siciliæ titulum subtrahendo. Sicque non solum dictos Panormitanos, quos aliàs pluries per Nuntios ad hoc sollicitasse dicitur, in incœptæ contrà dictum Regem Carolum seditionis & rebellionis contumaciâ confirmavit, eos per se ac gentem suam fovens, ipsisque favens in illa, & tam ipsos, quàm cæteros Insulæ memoratæ rebelles adeo contrà eamdem Ecclesiam eorum matrem & dominam concitavit, quòd nonnulli ex eis, & specialiter Messanenses, qui ante ipsius in Insulâ memoratâ præsentiam dicti Legati Nuntios humiliter admittebant, dominium ejusdem recognoscentes Ecclesiæ, nomenque publicè invocantes; eos postea contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eidem scilicet Regi Aragonensi prætextu dictorum uxoris & filiorum ipsius, ut dicitur, innitentes. Quos tamen uxorem, filios, sive Regem per eos, seu ipsorum ratione in eâdem Insulâ, vel aliquâ dicti Siciliæ Regni parte jus aliquod non habere præmissa declarant, & nos nihilominùs decernimus & etiam declaramus. In quæ autem crimina falsæ regiæ dignitatis, imò & simplicis magistratûs assumptio, seditio, violentiæque cum armis commissio incidant, quibus addicendi sint pœnis talium patratores, non est opus exprimere; quia id nota & vetustissima decreta sanxerunt. Nec leve his pondus adjicitur, si ejusdem Regis & Regni Aragonum conditio explicitè describatur.

Petrus Rex Arag. regni Siciliæ usurpator.

De Archivo namque ipsius Ecclesiæ munimenta prodeunt, manifestè testantia qualiter piæ memoriæ Innocentius Papa tertius prædecessor noster, quondam Petrum Regem Aragonum, dicti Petri Aragonensis Regis avum, Arelatensi ejus temporis Archiepiscopo, & aliis personis Ecclesiasticis, necnon & quàm pluribus suis associatum proceribus per mare ad Sedem Apostolicam accedentem, ut inibi ab eodem prædecessore Innocentio militare cingulum, & Regium acciperet diadema, honoravit multipliciter honorificè, ac benignè recipit, & in Ecclesiâ sancti Pancratii Martyris trans Tiberim per bonæ memoriæ Petrum, Portuensem Episcopum faciens in Regem inungi. Deinde propriis manibus coronavit, & Regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum, & pomum, coronam, & mitram, quæ ad opus ipsius non solùm speciosa, sed etiam pretiosa parari fecerat, ex more in Regum coronationibus observando largitus eidem, ab ipso corporale juramentum recepit. Per cujus religionem memoratus Rex inter cætera fidelitatem & obedientiam ipsi summo Pontifici ejusque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, Regnumque suum in ipsius obedientiâ fideliter conservare promisit: ac demùm idem Rex cum multo tripudio & applausu coronatus, juxtà ipsum prædecessorem nostrum Innocentium ad Basilicam sancti Petri Apostoli rediens, super illius Altare sceptrum & diadema deposuit, & militarem ensem de manu ejusdem prædecessoris accepit; dictumque suum Regnum antea censuale à Suis prædecessoribus eidem Ecclesiæ constitutum, cupiens principali post Deum, ejusdem beati Petri & Apostolicæ Sedis protectione muniri, prædecessori eidem Innocentio, & per eum ipsi Sacrosanctæ Apostolicæ Sedi obtulit, illudque sibi & ejus successoribus in perpetuum divini amoris intuitu, & pro remedio animæ suæ, & progenitorum suorum, novo adjecto censu constituit censuale, pollicendo adjiciens, & adjiciendo pollicens, quòd ipse ac successores sui specialiter eidem Sedi fideles & obnoxii teneantur. Hæc autem perpetuâ lege fore servanda decernens, ut hujusmodi Regalis concessio firmitatem inviolabilem obtineret, ipsam in scriptis redactam de Procerum Curiæ suæ consilio, præsente dicto Arelatense Archiepiscopo, Sancio patruo suo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Faciano, suis Baronibus, sigilli sui munimine roboratam eidem Innocentio prædecessori concessit.

Idem Regnū Petro non competere, sed Ecclesiæ Romanæ probatur.

Numquid igitur præmissa collata pariter & solerti examinatione discussa, dictum Regem Ara-

goniæ

goniæ nepotem fidelitatis, ad quam memoratus avus suus, cujus est in eodem Aragoniæ Regno hæres, ipsum sicut & successores suos cæteros tam publicè, tam solemniter obligarat, eidem Ecclesiæ debitorem, & violatorem publicum, reum grandis infidelitatis & damnabilis non accusant? Profectò fidei debitæ violatio, violantem procul dubio arguit infidelem; præsertim cum præmissa non leviter aggravet fraudulenta confictio, quâ idem Rex Aragoniæ nepos non absque fraudis commento notabilis finxisse detegitur, & apud nos etiam per solemnes nuntios affirmasse, quòd cum sumptuoso & sollicito apparatu ad Dei & Ecclesiæ servitium, & exaltationem Catholicæ fidei, potentiæ suæ brachium dirigebat. Quod tamen contrà fidei ejusdem utilitatem, dictum Regem Carolum, Cruce signatum in terræ sanctæ subsidium, & publicè ad Dei jusdemque fidei obsequia prosequenda dispositum, nullâ diffidatione præmissâ, quod multorum judicio proditionis notam non effugit, hostiliter impetendo, necnon & contrà ipsam matrem Ecclesiam, ejus, ut prædicitur, terram invadendo, & occupando direxit. Nec eum excusat, sed accusat potiùs, quòd ad partes Africæ, Insulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinavit. Id enim ipsum adeo consignasse probat, imò & convincit eventus, ut opportunitate captatâ commodiùs iniquitatem quam conceperat, perpetraret; maxime cum per suos nuntios missos exinde pluries dictos Panormitanos sollicitasse, ipsis in præsumptâ malitiâ consilium, & auxilium attulisse dicatur. Nec sit verisimile quòd eamdem Africam, terram quippe diffuso vastam ambitu, refertam incolis non prorsùs imbellibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam, cujus invasionem vix multorum Regum Principumve quorumcumque potentia coacervata præsumeret; ipse ad hoc procul dubio divitiis impar & viribus, cum commitivâ tam modicâ bellatorum solus assumeret invadendam. Numquid & iterum hæc non patenter ostendunt, quòd sæpefatus Rex Aragoniæ nepos, tamquam insulæ memoratæ dicti Regni Siciliæ partis non modicæ manifestus invasor & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & seditionis, commotionis, seu concitationis pacisque turbationis contrà præfatum Regem Carolum motæ notorius factor, & fautor, & adversùs ipsam Ecclesiam actor & factor, suique complices, comites, satellites, & ministri præmissam per nos in festo prædicto latam in nostris monitionibus, præceptis, & prohibitionibus non parentes, excommunicationis sententiam incurrerunt, nec absolutionis Vassallorum suorum à juramento fidelitatis, si quo tenentur, eisdem, privationis feudorum, quæ ipsi à Romanâ, vel quibuscumque aliis tenent Ecclesiis, & expositionis personarum citrà mortem, & mutilationem, bonorumque suorum comminatum in eodem festo periculum evitarunt? Universos autem sæpefatæ rebelles Insulæ, scilicet Messanenses, Agrigemnenses, & cæteros civitatum, Castrorum, Villarum, aliorumque locorum ejusdem Insulæ cives, habitatores, & incolas, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, qui dictis Panormitanis in pertinaciâ rebellionis assumptæ saltem se illis simili audacia sociando, & eos proinde validiores & firmiores in illâ reddendo; necnon societatibus, confœderationibus, pactionibus pœnarum, & juramenti adjectione firmatis, ut dicitur, uniendo faverunt, & tam alios, quàm Panormitanos eosdem, qui præfato Regi Aragonum nepoti contrà prohibitiones & monita nostra præmissa intendere in invasione ac occupatione prædictis, ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibive contrà Ecclesiam, vel Regem Carolum prædictos, favorem, & auxilium impendere præsumserunt, eidem sententiæ subjectos, & periculo esse procul dubio liquet expositos. Civitates verò, Castra, Villas, & alia loca prædicta; nec non & Universitates ipsorum, Ecclesiastico suppositas interdicto.

Hæc sunt igitur quæ per eumdem Regem Aragoniæ nepotem Deo & Ecclesiæ servitio offerebantur. Hæc sunt quæ ipsius Ecclesiæ prosequi se jactabat obsequia. Hæc fidei Catholicæ incrementa, sic exaltationem Religionis Christianæ prosequitur, sic procurat, sic Dei, fidei, Ecclesiæ, & Religionis earumdem hostes prosequitur, sic impugnat; talibus in se Regalem dignitatem intitulat, talibus titulis vitam suam, famam genusque decorat? Licet itaque tantis excessibus, excedentiumque demeritis processus gravior deberetur; & ad exequutionem præmissarum comminationum procedere non injustè possemus, imò etiam sicut prædictorum consideratio perhibet, deberemus; quia tamen nescit à caris caritas etiam læsa recedere, inductu paternæ caritatis inducimur, ut cum simus licet insufficientibus meritis illius Vicarii, qui non mortem peccatorum, sed ut convertantur, & vivant, se velle fatetur; Regem Aragoniæ, & alios præfatos, denuntiationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus & comminationibus, ad conversionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus, & sententiarum laqueis quibus se, ut præmissa docent, apertius involverunt, in morte obdormiant, excitemus. Ideoque præsente hac multitudine copiosâ fidelium de Fratrum nostrorum consilio denuntiamus eosdem Petrum Regem Aragoniæ nepotem, suos comites, complices, satellites, & ministros, ac Insulæ memoratæ rebelles ex supra dictis causis excommunicationis; Civitates, Castra, Villas, & alia loca præfata, nec non & Universitates ipsorum, interdicti præmissis sententiis latis per nos subjacere de novo, tam in Regem, & alios sæpefatos, quàm Universitates, Castra, Villas, & loca prædicta ex causis eisdem, & propter auctam eorum contumaciam in non parendo nostris monitis & præceptis, & à nobis prohibita pertinaciter prosequendo diutius, similes sententias promulgantes. Ipsum autem Regem & cæteros universos & singulos, qui cum eo seu aliàs, in auxilium præsentis turbationis, seu rebellionis, dictam Insulam intraverunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quocumque modo faverunt, attentè monemus, eisque districtè præcipimus, ut ab hujusmodi suis excessibus & offensis desistentes, omninò Insulam eandem penitùs exeant, nunquam illuc, in nostrum, Ecclesiæ, vel Regis Caroli quo ad præmissa qualecumque præjudicium, redituri. Adjicientes, ne quis de novo ad id eamdem Insulam intret, vel aliquam ejusdem Regni partem publicè vel occultè impetat, turbet aliquatenùs, vel molestet. Universis quoque civibus, incolis, habitatoribus, & universitatibus civitatum, & aliorum locorum ipsius Insulæ cum similibus monitione ac districtione jubemus, ut Regem Aragonum, & excommunicatos memoratos de ipsâ Insulâ prorsus expellant, nunquam eos vel alio ad præmissa, vel similia inibi recepturi.

Interdicto ferit Petrum Arag. ac fautores, &c.

Districtiùs insuper inhibemus, ne idem Rex Aragoniæ se Regem Siciliæ nominet, sigillum Regium sub intitulatione Regni Siciliæ assumat, vel utatur assumpto, neque privilegia, immunitates, feuda, dominationes, bona, vel jura quæcumque in eo, aut aliquâ ejus parte concedat; vel tamquam Rex Siciliæ quidquam agat, neque dominium vel subjectionem aliquam in quascumque singulares personas, aut terras ipsarum, seu potestatem, vel quamlibet

Petrum jure omni in toto Siciliæ regno privatum decernit Pontifex.

ANNO 1281.

rectoriam, sive officium quocumque nomine censeantur, in civitate, vel quovis alio loco, maxime ipsius Regni Siciliæ, aut alicujus partis Italiæ in nostrum, Ecclesiæ, ac Regis Caroli eorumdem quodcumque, vel qualecumque gravamen, vel per se, vel per alium recipiat, vel acceptet; aut cum eis, vel eorum aliquo in præfatorum Ecclesiæ ac Regis gravamen, ut prædicitur, societatem, sive aliam confœderationem contrahat, vel conservet qualitercumque contractam: neque singulares personæ prænuntiatæ, vel aliæ undecumque civitates, vel alia loca, eidem in Ecclesiæ, ac Regis Caroli prædictorum persequutione hujusmodi persistenti, vel alii pro eo, seu in favorem ipsius præmissa concedant; vel aliquem præmissorum, aut alium pro eo, vel in favorem ipsius, ad prædicta, vel eorum aliquod eligant, nominent, recipiant, vel assumant: nec ipse Rex Aragoniæ, vel quivis alius easdem singulares personas, civitates, & loca, vel universitates ipsorum specialiter, aut cujuscumque partis Regni Siciliæ ut se vel terras suas ejusdem Regis Aragoniæ domino, vel obedientiæ cuicumque supponant, aut eum, vel alium pro eo, seu in favorem ipsius in potestatem, rectorem, vel ad aliud quodcumque officium, ut prædicitur, eligant, nominent, vel admittant, sive cum eo societatem vel confœderationem aliquam contrahant, vel qualitercumque contractam observent: aut quod cives, incolæ, habitatores, civitates, vel alia loca prædicta, seu universitates ipsorum, præsertim cujuscumque partis ejusdem Regni Siciliæ a nostrâ, Ecclesiæ, Regis Caroli prædictorum fidelitate, seu devotione, quomodolibet avertantur, vel aversa etiam in hujusmodi aversione persistant: per se nuntium, vel litteras inducere, aut donis, promissionibus, seu alio modo quovis allicere, vel sollicitare præsumant: neve singulares personæ, Civitates, Castra, Villæ, aut loca præfata se dicti Regis Aragonum hujusmodi Ecclesiæ, ac Regis Caroli persequutioni quomodolibet insistentis dominio, regimini, vel obedientiæ qualicumque subjiciant; sive in nostrum, Ecclesiæ, seu regis Siciliæ præjudicium, vel gravamen, ut prædicitur, ipsum Regem Aragonum, litteras, vel Nuntios suos, vasa quævis apta cuicumque navigio, gentemve recipiant, vel receperint, vel ad ipsum vadant, sive litteras mittant, aut sibi, genti, vel nuntiis suis, aut aliis pro eis, maximè in aliquâ parte ipsius Regni Siciliæ obediant, vel intendant, fodrum ministrent, equos, arma, vel vasa hujusmodi sub venditionis titulo, aut aliter quomodocumque concedant, seu ab ipso Rege Aragonum, vel alio pro eo privilegia, immunitates, feuda vel largitiones quaslibet in eodem Regno Siciliæ, quas constat, & nos nihilominùs declaramus & decernimus non tenere, vel alibi occasione instantis negotii ejusdem Regni Siciliæ, aut stipendia ubicumque contrà nos, Ecclesiam, vel Regem Carolum prædictos recipiant, vel pro receptis promissum audeant servitium exhibere, aut alias præstare consilium, vel favorem publicum, vel occultum, nec cum ipso Rege Aragonum, vel alio pro ipso, seu in favorem ipsius societatem, colligationem, vel quascumque conventiones in nostrum, Ecclesiæ, aut Regis Caroli eorumdem qualecumque dispendium contrahant, aut contractas etiam sub vinculo juramenti vel quarumlibet adjectione pœnarum, sive pactorum, audeant observare.

Michaëlem Palæologum mulctat.

Singulariter autem Michaëlem Palæologum, qui se Imperatorem nominat, quemque super his, & præcipuè super impenso in prædictis memorato Regi Aragonum nepoti contrà nos, eosdem Ecclesiam & Regem Carolum, consilio, auxilio, vel favore, necnon pactis, conventionibus & confœderationibus initis cum eodem argumenta verisimilia deferunt; vox præterea publica & communis quasi assertationis incessat: omnesque sibi de facto vel quomodocumque subjectos attentè monemus, eisque districtè præcipimus, ut omnia, monitiones præcepta, inhibitionesque præmissa, quæ ipsos Michaëlem & subditos contingunt, vel possunt quoquomodo contingere, vel in eis, seu quæ ad eos qualitercumque locum habere: quæ omnia & singula volumus pro nominatis singulariter & expressè repetitis haberi, & velut taliter repetita robur efficaciamque sortiri, diligenter observent, eisque studeant in omnibus & per omnia humiliter obedire; alioquin tam ipsos Regem Aragonum nepotem, & Michaëlem Palæologum, quàm alios universos singulos dictis nostris monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus non parentes, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut statûs Ecclesiastici, vel mundani, excommunicationis sententiâ, quam in eos de ipsorum fratrum consilio ex nunc ferimus, perinde innodatos esse decernimus ipso facto, ac si expressè fuissent in hujusmodi processus nostri serie nominati. Civitates verò, Castra, & alia loca quælibet, necnon Universitates, quæ ipsis monitionibus, præceptis, & inhibitionibus non parebunt, Ecclesiastico interdicto, quod ex nunc promulgamus, in illa esse volumus eodem modo subjecta. Interdicta verò præmissa sic arctè præcipimus observari, ut in locis quæ inciderunt in ea, vel in futurum inciderint, nulla Ecclesiastica Sacramenta; exceptis dumtaxat baptismate parvulorum, & pœnitentiis morientium, ministrentur. Nulla divina celebrentur officia, nisi solùm Missarum solemnia, quæ in Cathedralibus, ac aliis Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis ad conficiendum Corpus Christi morientibus ministrandum submissâ voce, clausis januis, interdictis & excommunicatis prorsùs exclusis, semel tantùm in septimanâ permittimus celebrari: non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, vel aliis Religiosis, aut sæcularibus personis, dignitatibus, Civitatibus, Castris, locis, vel Universitatibus quibuscumque, sub quâvis forma vel expressione verborum ab eadem Sede concessis. Quæ omnia quoad hoc omninò viribus vacuamus. Et nihilominùs societates, colligationes, conventiones hujusmodi, & quaslibet alias factas, & etiam faciendas in favorem dicti Regis Aragonum, quæ ad instans negotium ejusdem Regni Siciliæ, aut in Ecclesiæ seu Regis Caroli prædictorum qualecumque dispendium vel gravamen, etiamsi fuerint juramentorum, pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roboratæ, de potestatis plenitudine dissolventes, & carere decernentes omni robore firmitatis; universos & singulos qui se ad eorum observationem quomodocumque seu quantumcumque solemniter adstrinxerunt, ad eas observandas decernimus non teneri, nec pro eo quod ipsas de cætero non servaverint, de reatu perjurii, ac ratione pœnarum, vel conventionum quarumlibet adjectarum, in illis posse in judicio, vel extrà judicium impeti, seu aliquatenùs molestari: quinimò eos ab illarum observatione sub pœnâ excommunicationis, quam ex nunc ferimus, & ipsos si secùs fecerint, incurrere volumus ipso facto, præcipimus penitùs abstinere.

Excommunicatos decernit qui monitionibus hisce non obtemperarent.

Civitatibus, &c. usum interdicit Sacramentorû, &c.

Sanè omnibus tam personis Ecclesiasticis, & sæcularibus, quàm Civitatibus, locisque aliis, & Universitatibus supra dictis, quæ hujusmodi mandatis nostris, præceptis, & inhibitionibus

contu-

contumaciter non parebunt, apertè prædicimus, quòd non solùm ad exequendum comminationes præmissas, sed & aliàs graviùs spiritualiter & temporaliter contrà eos, & specialiter contrà Civitates quas contigerit in hujusmodi contumaciâ deprehendi: ad privandum eos Archiepiscopali vel Episcopali dignitate. Contrà memoratos verò rebelles dictæ Insulæ ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis, & aliis quibuscumque cum eis omne commercium, quando & prout facti suaserit qualitas, & expediens fore viderimus, procedemus.

Ad hæc præfatis Regi Aragonum, Michaëli Palæologo, & cæteris universis, qui contrà præmissa nostra monita, præcepta, vel inhibitiones, prædictum Regnum Siciliæ in præfata Insulâ, sive in reliquis ejusdem Regni partibus invadere, turbare, impetere, seu molestare quomodolibet præsumserint, publicè, vel occultè, hoc generali & publico denuntiamus Edicto, quod nisi dictus Rex Aragonum, & alii prædicti, in eisdem Insulâ & Regno Siciliæ, ac vicinis, seu totius Italiæ partibus commorantes, infrà instans festum Purificationis Beatæ Virginis, alii verò magis remoti infrà Calendas mensis aprilis; dictus Palæologus infrà Calendas mensis Maii proximè futuras: quod tempus eis ad hoc pro peremptorio termino assignamus, humiliter ad nostra & Ecclesiæ mandata redierunt, præcisè nostris pariturì beneplacitis, & tam nobis & Ecclesiæ, quàm memorato Regi Carolo, de contumaciâ & contemptu, damnis & injuriis, omnique interesse satisfactionem plenariam competenti tempore, quod eis ad id præfiximus, impensuri ex nunc personas eorum, citrà mortis & mutilationis periculum, & omnia bona mobilia exponimus à quibuslibet fidelibus liberè occupanda, ipsosque feudis, bonis & juribus quæ à Romanâ, vel à quibuslibet tenent Ecclesiis, privilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuslibet ipsis ab eadem Sede sub quâvis forma concessis, Apostolicâ authoritate privamus, Vasallos eorum juramento fidelitatis, quo forsan tenentur eisdem, penitus absolventes. Lapso verò dicto termino, quandocumque nobis visum fuerit ad privandum eumdem Regem Aragonum, ipsius etiam absentiâ non obstante, præfato Regno Aragonum, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa Regnum & terras similiter exponenda, quoad ipsum Regnum, & terras præfatas semper nostro & ejusdem Romanæ Ecclesiæ jure salvo, & nihilominus contrà eum pro qualitate criminum, quibus, ut præfatum est, eum obnoxium superiora prætendunt, quantum nostrum patietur officium, facti qualitas suggeret, & nobis expedire videbitur, authore Domino procedemus.

Omnibus bonis & ditionibus expoliantur.

Prædictas verò excommunicationis sententias prohibemus absque speciali mandato Sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, relaxari: quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes infrà tres menses postquàm restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan ibi fuerint, recedentes, Apostolico se conspectui curaverint præsentare, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus hujusmodi sententias incurrerunt, & ipsius Sedis beneplacitis pariturì, eo ipso in easdem sententias relabantur. Ipsas quoque sententias sic firmiter & inviolabiliter volumus observari, quòd absolvendi ab eisdem vel relaxandi easdem, nisi forsam in mortis articulo, ut dictum est, tàm omnibus nostris Pœnitentiariis, quàm aliis quibuslibet Confessoribus, sive generalibus, sive specialibus, seu familaribus quarumcumque, vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium adimimus potestatem, etiamsi à nobis, vel aliquo prædecessorum nostrorum, sub quâcumque verborum formâ generalem vel specialem, aut liberam absolvendi aliquem, vel aliquos à sententiis hominis, vel Canonis, seu aliàs eas quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Si quis autem sine dictæ sanctæ Sedis speciali mandato obtinendo deinceps contrarium fortè præsumpserit, tam absolventem à prædictis sententiis, seu relaxantem easdem, quàm hujusmodi absolutionem, vel relaxationem recipientem in quâcumque dignitate, præeminentiâ, statu vel ordine fuerint constituti, ex hac causâ excommunicationis vinculo innodamus: relaxationem etiam hujusmodi sententiæ Sedi præfatæ similiter reservantes, mortis articulo duntaxat excepto, & tunc nisi sanitate receptâ infrà tempus competens juxtà locorum distantiam ad eamdem Sedem venerint suum humiliter recogniturì reatum, & ipsius Sedis beneplacitis pariturì, relabantur in easdem sententias ipso facto. Ab iis verò mulieres in hoc tantùm excipi volumus, ut si solùm ratione præstiti favoris in hujusmodi sententias forsan inciderint, possint per suos Diœcesanos juxtà Formam Ecclesiæ absolutionis beneficium obtinere.

Pœnitentiariis & aliis, absolvendi ab interdicto potestas prohibetur.

Mulieres à Diœcesanis possunt absolvi.

Ut autem hujusmodi noster Processus ad communem omnium notitiam dedúcatur, cartas, sive membranas, processum continentes eumdem, in præsentis Ecclesiæ sancti Flaviani Martyris appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus, faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicto publicabunt. Ita quòd dicti Petrus Rex Aragonum & Palæologus, ac alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quòd ad eos talis processus non pervenerit, vel quòd ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Montem Falconem ante prædictam Ecclesiam sancti Flaviani, in festo dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum: Pontificatûs nostri anno secundo, sub anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo, Indictione undecimâ.

Processus depositionis habitus contrà PETRUM *Regem quondam Aragonum.*

Iterata in Petrum Aragoniæ Regem sententiâ.

MARTINUS Episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum. De insurgentis in Regno Siciliæ fremitu tempestatis, quam execrânda Panormitanorum rebellionis audacia inchoavit, & reliquorum Siculorum malitia, Panormitanos imitata, prosequitur, ad Sedem Apostolicam infausto rumore perlato: Nos post processum in hac Urbe-Vetanâ civitate in festo Ascensionis Domini transacto novissimè habitum, ad compescendam tempestatem eamdem, quia procellarum illius spiritus non cessabat, sed per insidias Petri Regis Aragonum, quem stilo circà Reges solito non describi, subscriptâ ejus demerita meruerunt, invalescere potiùs videbatur, ut ejusdem Regis, qui Regiæ dignitati non deferens, & generis sui claritati non parcens, dictorum rebellium se ducem constituit & aurigam, nequitia revelaretur apertiùs, & Ecclesiæ Romanæ justitia contrà eum evidentiùs appareret, pridem in festo dedicationis Basilicæ Principis Apostolorum præterito, nuper in pateâ Ecclesiæ sancti Flaviani Montisfalconis Balneoregensis Diœcesis, præsente tunc multitudine numerosâ fidelium, duximus recensendum; qualiter fœlicis recordationis Innocentius Papa quartus, &c. *ut in superiori processu usque ad illa* beneficium obtineret.

Tantis itaque ac talibus per præmissas monitiones, prohibitiones, & pœnarum commina-

tiones memoratis Petro Regi Aragoniæ nepoti, rebellibusque siculis ministris, complicibus, satellitibus, & fautoribus eorumdem, tamquam apertis datis significationibus ut à facie arcûs fugerent, & se ab instantia recti judicii meritâ duritiâ liberarent, non humiliatum, sed obduratum est in suis perversitatibus insipiens cor eorum. Nec enim acquieverunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere sævitiam, nec ab earum instantiâ expaverunt, sed eis contemptis omnimodis suas non solùm continuatione aggravavere nequitias, verùm etiam multiplicationibus variis ampliarunt, ad alias partes Regni Siciliæ extrà sæpe fatam Insulam constitutas hostiliter impetendas suos, sicut fertur, conatus nefarios extendentes. Ne igitur tam justæ comminationes fiant injustè ludibrio, si eorum justitiâ prosecutione debitâ fraudaretur, neve sine vindictâ gravis adeò crescat insania, dignum putavimus, ut memoratum Petrum nepotem Regem Aragonum, tantamque ipsius pertinaciam ultrix sententia prosequatur. Et ideo Regnum Aragonum, cæterasque terras Regis ipsius, de Fratrum nostrorum consilio exponentes ut sequitur, ipsum Petrum Regem Aragoniæ, eisdem Regno & terris, regioque honore, sententialiter, justitiâ exigente privamus, & privantes exponimus eadem Regnum & terras occupanda Catholicis, de quibus & prout Sedes Apostolica duxerit providendum, in dictis Regno & terris ejusdem Ecclesiæ Romanæ, ut præmittitur, jure salvo, Vasallos ipsius quos prout præmissa declarant à juramento fidelitatis, quo tenebantur, eidem jam absolvimus, denuntiantes penitus absolutos, & denuò ab eodem, & à quolibet fidelitatis vinculo, & homagio expressiùs absolventes, ac eumdem Petrum quondam Regem, Siculos complices, & fautores, omnesque alios singulares, qui prædictas inhibitiones, monitiones, & comminationes damnabiliter contempserunt, præmissis excommunicationis, Universitates verò, Civitates, castra, & loca cætera denuntiavimus interdicti sententiis subjacere, ipsos & ipsa ex causis legitimis, & propter continuatam, auctamque ipsorum contumaciam similibus sententiis supponentes. Universis præterea Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, sive status, etiamsi dignitate Pontificali, sive regiâ forsitan decorentur, & specialiter Archiepiscopis, Episcopis, aliisque inferioris gradûs Prælatis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis cujuscumque Religionis aut ordinis; & sæcularibus, ipsique Petro quondam Regi Aragoniæ, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, Universitatibus Civitatum, Castrorum, cæterorumque locorum, ac universis incolis, & habitatoribus eorumdem Regni & terrarum, quibus dictum Petrum tunc Aragoniæ Regem privavimus, districtè inhibemus, ne idem Petrus de dictis Regno & terris se de cætero aliquatenus intromittat: neve cæteri supradicti eidem Petro dudum Regi, vel aliis quibuscumque contra dictas privationem, expositionem, aut prosequentes easdem, per quos dictum Regnum & terras occupandas, Sedes eadem providebit, tentantibus se opponere, sed qualitercumque faveant sive præstent in hoc consilium, auxilium, seu favorem publicum vel occultum, quâcumque occasione quæsitâ vel prætextu alicujus homagii, vel cujuscumque colligationis, confœderationis, societatis, seu cujusvis conventionis, aut contractæ hactenùs sive in posterum contrahendæ, etiamsi colligationes, confœderationes, societates, conventiones, & alia supra dicta pœnarum adjectionis, literarum, vel juramenti, seu cujuslibet alterius, sint vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, societates, conventiones, cæteraque hujusmodi præmissa, quoad hoc, de potestatis plenitudine dissolvimus. Juramenta super illis præstita, pœnasque propter ea promissas penitus relaxantes. Universos & singulos qui eas contraxerant se ad eorum observantiam quantumcumque solemniter adstringendo, ab ipsorum in præmissis observatione penitùs absolventes.

Petrus Regno Aragoniæ, omnique ditione spoliatum declarat Summus Pontif.

Specialiter autem Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris personis Ecclesiasticis, Comitibus, Vicecomitibus, Baronibus, incolis, & habitatoribus supra dictis eorumdem Regni Aragoniæ & terrarum, prohibemus expressè, ne dictum Petrum olim Regem Aragoniæ pro Rege, vel pro Domino recipiant, vel habeant, neve sibi obediant, vel intendant aut ipsi, vel alii pro eo de reditibus vel obventionibus, sive juribus Regalibus, seu ratione dominii debitis respondeant, vel aliquam satisfactionem impendere sub velamine quocumque præsumant. Alioquin memoratum Petrum quondam Regem, & omnes singulares personas cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, Ecclesiastici, vel mundani, etiamsi dignitatis Regalis honore præfulgeant, excommunicationis: Civitates verò, Castra, Villas, & loca cætera, necnon Universitates ipsarum, quæ dictas inhibitiones, vel earum aliquam præterire, propriâ temeritate præsumpserint, interdicti sententiis, quas ex nunc ferimus, decernimus subjacere, non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel Indulgentiis, quibuscumque, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Archiepiscopis, seu quibuslibet Prælatis aliis; Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hospitalariis, templariis seu Religiosis aliis, aut sæcularibus personis, etiam in dignitate qualibet constitutis; civitatibus, Castris, Locis, Communitatibus, Collegiis, vel quibusvis universitatibus, sub quâcumque verborum formâ vel expressione, ab eâdem Sede concessis & quibuslibet aliis Indulgentiis ejusdem Sedis, per quas præsentis processus effectus impediri valeat, vel differri. Quæ quidem omnia privilegia & Indulgentias, quoad hoc, omninò viribus vacuamus; & nihilominùs contrà hujusmodi præsumptores, & specialiter contrà dictos Prælatos, Religiosos, comites, Vicecomites, Barones, Incolas, habitatores Civitates, Castra, Villas & alia loca, & Universitates ipsorum, ad privandum eos, & ea quibuslibet privilegiis, & Indulgentiis, immunitatibus, sive gratiis ipsis ab eâdem Sede concessis, necnon terris, feudis, & juribus, quæ à præfatâ Romanâ, vel aliis quibuscumque tenent Ecclesiis seu personis Ecclesiasticis, aut aliàs graviùs spiritualiter & temporaliter, quando, & sicut facti suaserit qualitas, & expedire viderimus, præviâ divinâ gratiâ procedemus.

Interdicto subjicit Papa Prælatos, ac Religiosos, (licet privilegiis muniti os) si Petro Aragon. & aliis excommunicatis faveant.

Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, sive membranas, processum continentes eumdem, in majoris Urbe-Vetanæ Ecclesiæ appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt. Ita quòd idem Petrus, vel alii quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem prætendere, quòd ad eos talis processus non pervenerit, vel quòd ignoraverint eumdem, cum non sit versimile remanere quoad ipsos incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud urbem veterem in plateâ dictæ majoris Ecclesiæ, duodecimo Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo, anno millesimo ducentisimo octuagesimo tertio, Indictione undecimâ.

ANNO 1282.

Ad superiores Ordinis Prædicatorum, tribuit eis facultatem aliquos ex fratribus suis designandi ad audiendas confessiones.

II. Ex Anecd. Martene Tom I. Col. 1172.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro, & Provincialibus Prioribus Fratrum Prædicatorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

ADfructus uberes, quos in agro dominico, verbo pariter, & exemplo, confessiones audiendo, & per alia virtutum exercitia sacer ordo vester, & humiles ipsius professores produxerunt hactenùs, & in futurum sperantur, Deo auspice, producturi, attentæ considerationis aciem convertentes, ut fratres ejusdem Ordinis prædicationis, & audiendi confessiones, officia eò liberiùs & efficacius exequi valeant, quò certiùs de ipsorum curâ circà eadem auctoritate constabit: tibi, Fili magister per te, vobis verò Prioribus Provincialibus cum diffinitoribus in provinciis vestris, capitulis congregatis committendi auctoritate Apostolica fratribus ejusdem ordinis in sacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis a vobis prædicationis officium, audiendi confessiones, absolvendi pœnitentes, & injungendi eisdem pœnitentias salutares, etiam fratribus aliàs idoneis concedendi eisdem, quos sæpe fati ordinis fratribus, quibus dicta officia taliter per nos commissa, sive concessa fuerint, quod eadem liberè valeant exercere, plenam damus, & concedimus auctoritate præsentium facultatem, districtiùs inhibentes, ne quis fratres ipsius Ordinis, quibus dicta officia taliter committenda duxeritis, ut præmittitur, seu etiam concedenda, in exercitio, aut executione officiorum ipsorum audeat quomodolibet impedire. Volumus autem, quod hi, qui Fratribus confitebuntur eisdem, suis parochialibus presbyteris confiteri (a) saltem semel in anno, proùt generale Concilium statuit, nihilominùs teneantur, quodque iidem Fratres eos ad hoc diligenter, & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo omninò hominum &c.

(a) nota

Datum apud urbem veterem 4. Idus Januarii Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Ang. Archiv. Rimer Tom. 2. pag. 252.

Aragoniæ Regnum ad Filium secundo-genitum Regis Franciæ transferri præcipit: anno 1283

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Johanni tituli sanctæ Ceciliæ Presbitero Cardinali, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUi Regna transfert atque constituit ipse scripturæ sacræ docet eloquio Regnum à gente transferendum in gentem propter injustitias, injurias, contumelias, dolosque diversos.

Sanè injustitiam manifestam Petri quondam Regis Aragonum circa occupationem Insulæ Siciliæ; variosque conatus, & insidias ad alias partes Regni Siciliæ occupandas; seditionem in eadem Insula motam; commotionem & concitationem populi factam inibi contra nos, rempublicam Ecclesiamve instar illius, probat aperte defectus evidens, immo potius nullitas ut ita dixerimus, juris sui; cum sit evidenter notorium sibi uxori, natisve suis, vel ei per ipsos, aut alias nullum jus competere, in Insula memorata, vel parte aliqua dicti Regni.

ANNO 1283.

Ex quo ipsius injuriæ, nec non & contumeliæ, quas in præmissis nobis & Ecclesiæ Romanæ, quibus ratione Regni Aragonum, eidem Ecclesiæ à claræ memoriæ avo ipsius Petri, oblati & censualis tam ab illo, quàm ab aliis ejus prædecessoribus constituti, ad fidelitatem debitam tenebatur, nec non carissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Siciliæ illustri, non absque occasione ac strage multorum, irrogavit hactenus, nec adhuc irrogare desistit manifestius convincuntur, nec latendi locum inveniunt doli ejus, in suæ malitiæ prosecutione commissi, aut ipsius possunt insidiæ occultari; quos & quas communis jam notio publicat, & fama, quin potius infamia publica manifestat.

Præmissam itaque illius secuti non indignè doctrinam, cujus licet insufficientibus meritis, exequimur vices in terris post varias monitiones, prohibitiones, sententiarum excommunicationis & interdicti prolationes pœnarum indictiones & comminationes expressas, de dicti Regni Aragoniæ ac terrarum, quondam ipsius Petri, expositione, ac privatione factas, & præcepta diversa, quorum omnium idem Petrus se contumacem exhibuit contemptorem, Regnum Angliæ, terrasque prædictas exponentes modo subscripto ipsum Petrum, tunc Regem Aragoniæ, Regno & terris eisdem Regioque honore sententialiter, justitia exigente privavimus, & privantes exposuimus eadem Regnum & terras occupanda Catholicis de quibus, & prout sedes Apostolica duceret providendum quoad eadem Regnum & terras Romanæ semper Ecclesiæ jure salvo, sicut hæc omnia lata per nos, de fratrum nostrorum consilio, super hujusmodi privatione expositione & occupatione, sententia seriosè declarat.

Quia verò ubi non est Gubernator populus corruit, ne ipsorum Aragoniæ Regnum & terrarum populus, factus absque Gubernatore diutiùs veniat in ruinam dictam provisionem sedi reservatam, eidem deliberavimus exequendam; & idcirco ad carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciæ illustris genus clarissimum, illibatam ejusdem generis fidem ad Deum, devotionem ad ipsum, & eandem Ecclesiam indefessam; fervidum zelum ad exaltationem fidei Orthodoxæ cujus idem genus contra hostes ejusdem fidei semper extitit singularis athleta; & ingentem illius potentiam, in obsequiis earumdem fidei & Ecclesiæ feliciter temporibus retroactis expertam; considerationis sollicitæ oculos convertentes, ad executionem provisionis ejusdem aliquem de ipso genere, sub Dei fiducia, quem semper illius generis clara progenies & Regnum Franciæ inclitum firmissimè credidit, devotissime honoravit & coluit, de fratrum ipsorum Consilio delibeavimus eligendum.

In electione verò hujusmodi, aliquem de ipsius Regis Filiis præferendum multiplex ratio persuasit; ideoque tuæ circumspectionis industriam prolatam frequenter in arduis, fidum pectus, providumque Consilium nobis nota familiaritate diutina, debita meditatione pensantes, te ad hoc Ministrum idoneum, de fratrum eorumdem Consilio, assumentes, ad occupandum idem Aragoniæ Regnum & Comitatum Barchinoniæ, qui est de Terris expositis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex ejusdem Regis Franciæ filiis, quem ad hoc ipse Rex elegerit, alio tamen ab eo, qui sibi est in dicto Regno Franciæ successurus sub lege, conventionibus, pactisve subscriptis, ab eodem Rege Franciæ, ac ipso filio, ad id electo per eum, solemniter promittendis, ut eorum quemque

contingunt, & inviolabiliter observandis, per te auctoritate Apostolica, quam in hac parte tibi plene committimus, de ipsorum fratrum Consilio volumus provideri, & ipsum ad faciendum singulariter deputari.

Statuentes & declarantes quod, postquam ipsi Rex Franciæ & filius suus, ad hoc electus ab illo, & à te, ut prædicitur deputandus, eandem legem, conventiones & pacta expresse acceptaverint, & promiserint contenta in eis se inviolabiliter servaturos, tuque ipsum ejusdem Regis Franciæ Filium ad id deputaveris, idem filio in præfato Regno Aragoniæ nomen & titulum Regium, in Comitatu quoque prædicto dignitatem omnem, quam dictus Petrus quondam Rex Aragonum in illis obtinuit, sortiatur, & tam per se, quàm per alios eadem Aragoniæ Regnum, & Comitatum liberè occupet & faciat suo nomine occupari, eaque tàm ipse, quàm sui perpetuò successores in illis, infrascripto ad illa ordine admittendi, absque ulla contradictione possideant, & in ipsis tamquam veri Reges, Comites, & Domini, legitimè administrent; plenè in eis jus Regis, Comitis & Domini habituri; in Terraconen. Civitate, ipsius territorio, districtibus, & pertinentiis, sæpefatæ Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum per omnia jure salvo.

Quod si dicti Rex Franciæ & filius legem, conventiones, & pacta eadem non acceptaverint, vel contenta in eis, ut prædicitur non promiserint, ut ad provisionem & deputationem hujusmodi non procedas.

Lex autem, conventiones & pacta, sub quibus dictas provisionem & deputationem, & non aliter procedere velimus hæc sunt, videlicet.

Ut eadem Regnum & Comitatum præfatus ejusdem Regis Franciæ filius ab eo electus, & à te ut præmittitur deputatus, ejusve successores in illis, nullo umquam tempore separent, nec ipsorum alterutrum dividant, sed in eandem personam semper cum sua integritate concurrant.

Ad eorum successionem nullus umquam, qui non sit de matrimonio natus legitimo, sed tantum legitimi admittantur.

Ita ut, si eidem filio dicti Francorum Regis, suisve in perpetuum successoribus, in Regno & Comitatu ejusdem, mortis tempore, liberi sexus utriusque supersint, ex suo, vel successorum suorum corporibus legitimè descendentes primogenitus masculus succedat in illis.

Si verò solum fæminini sexus liberos superesse contingat, succedat primogenita in eisdem.

Quæ, si tempore devolutæ hujusmodi successionis ad eam, fuerit innupta & nubere voluerit; personæ, quæ ad ipsius Regni regimen & defensionem existat idonea nubere teneatur.

Nunc nubat nisi Viro Catholico, & Ecclesiæ Romanæ devoto.

Sed si scienter jam nupserat, vel postea nubat alicui non catholico, vel ipsi Ecclesiæ non devoto, donec ille vixerit & indeviatione à fide, seu in ipsius Ecclesiæ indevotione perstiterit, eadem Ecclesia ipsorum Regni & Comitatus administrationem liberam obtinebit, ita quod nihil exinde perveniat ad eam, vel ejus virum non Catholicum seù etiam indevotum.

Illo verò non Catholico seù indevoto defuncto, ipsa, in viduitate persistens, seu nupta viro Catholico, devoto, & idoneo, ut est dictum, habeat, sicut ei competit, eadem Regnum & Comitatum, nec non & administrationem ipsorum, nihil tamen de perceptis ex illis hoc casu, restituetur eidem.

Si verò ignoranter non Catholico vel indevoto jam nupserit, vel ille, cui jam nupta erat, vel postea nupserit, post contractum cum ea matrimonium talis fiat, nec ipsa ejus errori aut indevotioni consenserit, seu favorem exhibuerit, Ecclesia nihilominus eorumdem Regni & Comitatus administrationem habebit, illo vivente; ne ad ipsum ex dictis Regno & Comitatu aliquid velat pervenire; sed illo defuncto, eidem filiæ, in viduitate manenti, vel nubenti Catholico, devoto, & idoneo, ut superius est expressum restituetur, hoc casu prout ei competit administratio cum perceptis ex ea: deductis tamen exinde omnibus expensis, factis ratione, seu occasione administrationis ipsius, & cæteris, quæ fuerint deducenda, super quibus Romani Pontificis ejus temporis dicto stetur.

Sed & ipso viro vivente, si eum ad fidei veritatem seu ipsius devotionem Ecclesiæ, non simulatè, sed in veritate manifeste redire contigerit, filiä eadem administrationem ipsam, prout debebitur ei, rehabebit.

Quod si forsan ipsum filium dicti Franciæ Regis ab eo sic electum, & à te deputatum, vel aliquem suorum hujusmodi successorum, eodem Philippo suo genitore superstite, contigerit absque liberis fati munus implere, idem suus genitor non succedat in Regno, & Comitatu prædictis.

Sed, si plures habeat filios, unum ex eis, non tamen primogenitus, qui debet in Franciæ Regnum succedere, infra tres menses, à tempore quo sibi defuncti mors innotuerit, numerandos, ad successionem hujusmodi poterit nominare.

Si verò unum solum filium, vel nullum, quod absit, idem Rex Franciæ haberet, liceat ei aliquem de sua progenie, qui dicto filio electo, & ut præmittitur, deputato, defuncto sine liberis fuerat quarto saltem consanguinitatis gradu conjunctus, eligere, seù nominare ad successionem eandem.

Ipso autem, infra dictum tempus neminem nominante, habebit Ecclesia eligendi, seu nominandi aliquem de ipsius Regis Franciæ Filiis, seu conjunctis etiam supra dictis, si superstites fuerint, liberam potestatem, quibus non superstitibus, eliget eadem Ecclesia liberè undecumque.

Quod si memorato Franciæ Rege defuncto contingat, eundem filium suum, electum & deputatum sine liberis ab hac luce migrare, similem per omnia suus primogenitus nominandi, hac prima vice tantummodo, habeat potestatem, deinceps verò succedat taliter decedenti is, de Regum Francorum genere, saltem conjunctus ei similiter quarto gradu, quem Ordo legitimæ successionis admittet.

In quolibet autem prædictorum casuum electus, seu nominatus ex ipsa electione, sive nominatione, jus habeat in præmissis Regno & Comitatu servatis in omnibus prædictis, & subsequentibus legibus, pactis, & conventionibus liberè succedendi.

Eadem insuper Regnum & Comitatus in eadem Persona, cum Franciæ, vel Castellæ, seu religionis, aut Angliæ Regnis, aliquo unquam tempore non concurrant, neque ipsa Regnum Aragoniæ, seu Comitatus, ulli unquam alii Regno subdantur.

Et si forte contingeret aliquod de prædictis, Franciæ, Castellæ, Legionis, vel Angliæ Regnis, vel aliquem Regem, vel Reginam Aragoniæ pervenire, ipse vel ipsa Rex Aragoniæ seu Regina, si Regnum sibi obveniens maluerint obtinere, cadant, eo ipso, quod illud acceptaverint, ab omni dominio, atque jure, quæ in Aragoniæ Regno & Comitatu prædictis habebant,

bebant, eaque libera, & expedita ipsi Ecclesiæ Romanæ dimittere teneantur.

Ad successionem eorum autem, in Regno ipso cum Comitatu prædicto, veniant ipsorum filii sive conjuncti, aut alii, secundum modum & ordinem supra dictos.

Et quia nostræ intentionis extitit, prospero statui dictorum Aragoniæ Regni & Comitatus Ecclesiis & incolis, eorumdem utiliter & efficaciter providere volumus, quod omnes Ecclesiæ prædictorum Regni & Comitatus, tam Cathedrales, quàm aliæ, Regulares, seu sæculares omnesque Ecclesiasticæ personæ, illis libertatibus & immunitatibus, & specialiter in electionibus, provisionibus & juribus aliis, eisdem competentibus omnino gaudeant, quæ ipsis competunt secundum Canonicas sanctiones; & tam ab ipsis quàm filio ejusdem Regis, sic ab eo electo, & à te deputato, suisque successoribus, & aliis etiam personis secularibus, antiquæ consuetudinis approbatæ bonaque usagia Regni & Comitatus eorumdem, quæ sacris Canonibus non repugnant illibata serventur.

Quæ verò, contra sanctiones Canonicas statuta, seu aliàs introducta fuerint, omnino viribus careant, & quatenus de facto processerant revocentur.

Ecclesiis ipsis, & personis Ecclesiasticis, omnia bona immobilia sive jura, quæ summarie ipsas possedisse, vel quasi possedisse constiterit, eis ablata præcipue per memoratum Petrum, quondam Regem Aragonum de plano restituantur eisdem; de illis verò, de quorum possessione taliter constare non potest, fiat eis justitiæ complementum.

Super prædictis Comitatu & Regno, cum memorato Petro, quondam Rege Aragonum aut ejus filiis, seu cum aliis quibuscumque, pro eis nullam societatem dictus Regis Franciæ filius, vel iidem successores inibunt, nec conventionem aliquam facient de reddendo illis, vel eorum alicui dicta Regnum, vel Comitatum, seu aliquam partem ipsorum, absque sedis Apostolicæ beneplacito & expresso consensu; nec aliquam aliam societatem seu conventionem, hujusmodi negotii prosecutioni nocivam.

Pro eisdem quoque Regno & Comitatu tam idem Regis Franciæ filius, quàm sui singuli successores in Regno & Comitatu prædictis, nobis nostrisque successoribus singulis, & Ecclesiæ Romanæ, fidelitatis præstabunt publicè juramentum, & homagium facient, per se ipsos, quum præsentes erunt, ubi nos vel successores nostros præsentes esse continget; si verò absentes fuerint, tunc per idoneam interpositam personam, ad hoc specialiter destinandam, homagium facere, ac fidelitatis juramentum eis præstare licebit; nisi forte in hujusmodi absentiæ ipsorum casu, nos aut successores nostri ad hoc nuntium elegerimus destinare, tunc enim destinato ad hoc nostro, eorumdem successorum, & Ecclesiæ nomine, tam ipse, quàm prædicti successores ipsius in personis propriis idem juramentum præstare, hoc homagium facere tenebuntur.

Eadem propterea juramentum & homagium, tàm ipse dictæ Franciæ Regis filius nobis, & nostris successoribus singulis, infra annum, postquam quivis eorumdem successorum in summum Pontificem assumptus fuerit, quàm sui successores infra simile tempus, postquam in eisdem Regno & Comitatu successerint renovare tenebuntur modo præscripto.

Et nihilominus pro Regno & Comitatu prædictis solvent idem filius & prædicti sui singuli successores, nobis nostrisque singulis successoribus, & ipsi Ecclesiæ Romanæ, annis singulis, in festo beatorum Apostolorum Petri & Pauli, census nomine, quingentas libras parvorum Turonen. ubicumque Romana Curia contigerit residere.

Incipient autem teneri ad censum hujusmodi exolvendum, postquam tres partes eorumdem Regni & Comitatus obtinuerint, licet alia quarta pars in ipsius filii, vel eorumdem successorum suorum adhuc rebellione persistat.

Quod si forte idem Regis Franciæ filius, vel dicti successores quocumque termino non solverint integrè censum ipsum, & expectati per quatuor menses terminum ipsum immediatè sequentes, de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt, taliter in dicti census solutione cessantes, excommunicationis vinculo innodati.

Quod si, in secundo anno in prædicto solutionis termino, vel infra subsequentes quatuor menses eundem Censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum ipsum Regnum, cum prædicto Comitatu, Ecclesiastico erit suppositum interdicto.

Si verò, non in tertio anno, eodem termino, nec infrà quatuor menses proximos, sibi, per satisfactionem census ipsius, duxerint consulendum habeant adhuc, ad satisfaciendum alios duos menses.

Sed, si nec in eodem tertii anni termino, nec infra sex prædictos subsequentes menses, fit de censu eodem plenariè satisfactum, ex tunc tàm idem sæpefati Regis Franciæ filius, quàm successores ejus, ab ipsis Regno & Comitatu, omnique jure, quod in eis habebant, eo ipso cadunt ex toto, & Regnum ipsum, cum Comitatu prædicto, ad Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem, seu ordinationem, plenè ac liberè devolvatur.

Si autem, de ipso primi termini censu infra dictos tertium terminum, & sex subsequentes menses plenariè satisfacerent, nihilominus semper, pro singulis censibus singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint, vel illos non solverint, similes pœnas incurrant.

Cæterum cum idem Regis Franciæ filius, vel dicti successores ejus in Regem decreverunt coronari, quilibet in ordine vicis suæ, coronam ab eadem sede Apostolica requiret; ut de speciali mandato nostro, vel successorum nostrorum, possit, per Terraconensem Archiepiscopum, apud Cæsar Augustam solemniter coronari.

Hæc enim inter felicis recordationis Innocentium Papam tertium prædecessorem nostrum, & memoratum Avum ejusdem P. tempore, quo idem Avus dictum Regnum Aragon. ipsi Ecclesiæ Romanæ, ut prætactum est, obtulit extitit ordinatum.

Concedimus tamen quod sæpefati Regis Franciæ filius, ad prædicta electus & deputatus, possit per te coronari, si velit; & sine alia nostra requisitione & mandato, per quem maluerit consecrari.

Singuli verò sui successores in Aragoniæ Regno & Comitatu prædictis, prius petita super hoc ab Apostolica sede licentia, de speciali mandato sedis ipsius, ut in coronatione prædicitur, per eundem Terraconen. Archiepiscopum consecrentur.

Hæc omnia & singula memoratus filius, ab eodem genitore suo ad prædicta electus, & à te, ut præmisimus, deputatus, se ac eosdem successores suos inviolabiliter servaturos, & hujusmodi negotium sollicite prosecuturos, tibi, nostro, successorum nostrorum, & ipsius Ecclesiæ Romanæ nomine, præfato Rege Franciæ genitore suo eadem universa & singula specialiter approbante, & consuetudine in ipsis ex-

presse pro se ac ipsis successoribus suis eos ad eadem obligando promittet, & proprio juramento firmabit; in eisdem promissione ac juramento adjiciens; quod hæc omnia cum ad legitimam ætatem pervenerit, non differat, sine difficultate aliqua illi, ejusdem Ecclesiæ Romanæ nomine, renovare, quem ad hoc ipsa Ecclesia duxerit deputandum.

Quod, si filius dicti Regis Franciæ quem ipse ad præmissa elegerit ejus sit forsan ætatis quod ad juramenti præstationem inhabilis habeatur, promittet idem Rex suas super hoc litteras concedendo, se ac suum in Franciæ Regnum hæredem, curaturum & facturum, bona fide, quod idem suus filius, cum ad ætatem, ad hoc aptam pervenerit, præmissa omnia & singula similiter promittet & præstabit, sine contradictione qualibet hujusmodi juramentum tibi vel alii, qui ad id fuerit per eandem Ecclesiam deputatus.

Promittet præterea idem Rex, sub similium testimonio litterarum, quod tàm ipse, quàm post ejus obitum, suus in Franciæ Regnum successor, hujusmodi negotium, bona fide, potenter & sollicitè prosequentur absque dilatione, seu intermissione, quas facti qualitas seu emergentium casuum necessitas non inducet; quodque tam ipse, quàm dictus ejus in Franciæ Regno hæres, eundem filium suum, ab eo, ut diximus electum, & à te deputatum, ac successores ipsius efficaciter in hujusmodi prosecutione juvabunt, & curabunt, & facient, bona fide, quod illi similiter negotium ipsum efficaci sollicitudine, ac sollicita efficacia pro viribus prosequentur.

Quod si dictus ejusdem Regis Franciæ filius, ad præmissa electus & deputatus, & ipse Rex aut eo non superstite, suus in eodem Regno successor, hujusmodi negotium prosequi neglexerint, nec post monitionem sedis ejusdem infra tempus competens, quod ad hoc sedes eadem, ipsius negotii circumstantiis & qualitate pensatis, duxerit præfigendum, debitæ prosecutionis instantiam reassumant, eo ipso cadant à Regno & comitatu prædictis; & libera & plena eorumdem Regni & Comitatus dispositio sive ordinatio, ad Romanam Ecclesiam, absque contradictione aliqua devolvantur.

Nec idem Rex Franciæ, aut successor ejus in Franciæ Regno, ex præmissis lege conventionibus, sive pactis, ad aliquod aliud teneantur, dummodo tantum de suo expenderint in hujusmodi prosecutione negotii, quantum per Romanam Ecclesiam pro ejusdem prosecutionis subventione receperint.

Si verò non tantum de suo expenderent, totum id, in quo summa taliter perceptorum expensas per eosdem Regem & successorem de suo factas, excedat, ipsi Rex sive successor eidem Ecclesiæ restituere tenebuntur.

Forma verò juramenti fidelitatis & homagii, faciendi à sæpefato ejusdem Franciæ Regis filio, ad præmissa electo & deputato, suisque successoribus pro Regno & Comitatu prædictis, hæc est.

Ego Dei gratia, Rex Aragoniæ & Comes Barchinoniæ, plenum & ligium vassalagium & homagium faciens Ecclesiæ Romanæ, pro Regno Aragoniæ & Comitatu Barchinoniæ in Terraconen. Civitate, ipsius Territorio, districtibus, & pertinentiis, præfatæ Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum, per omnia jure salvo, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, & Domino meo Domino Martino Papæ quarto, suisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios suos, sive per litteras ad eorum damnum me sciente nemini pandam, & si scivero fieri vel procurari sive tractari aliquid, quod sit in eorum damnum illud pro posse impediam; & si impedire non possem, illud eis significare curabo; Papatum Romanum & jura Sancti Petri in Regno Aragoniæ & Comitatu prædictis, adjutor eis ero, ad retinendum & defendendum, ad recuperandum, & recuperata manutenendum, contra omnem hominem; universa & singula legem, conventiones & pacta contenta in Papalibus litteris suprascriptis, plenariè adimplebo, & inviolabiliter observabo nec ullo unquam tempore veniam contra illa; sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia. Datum apud urbem Veterem sexto Calendas Septembris Pontificatus nostri anno tertio.

IV. Ex Arch. Aug. Rimer. Tom. 2. pag. 242.

Regi Angliæ mandat, ne Siciliæ & Aragoniæ Reges singulari pugnaturos certamine Wasconiæ Fines ingredi patiatur, nêve præsentiæ suæ copiam faceret, locumve duello designaret: anno 1283.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Eduardo Regi Angliæ illustri.

DEcet Excellentiam Regiam, & saluti tuæ nihilominus congruit, quod in te semper vigeat sic ordinatus affectus, ut animum libenter ad promovenda Christi negotia dirigas, tranquillitatem publicam votive promoveas, desideranter horum impedimenta præpedias, & prout ex alto conceditur, incrementa procures.

Ideoque conventiones, multa indecentia plenas, & temeritate non vacuas, reprobas quidem & merito reprobandas, inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum illustrem Siciliæ Regem & Petrum exigentibus suis excessibus, per sedem Apostolicam vinculo excommunicationis astrictum, quondam Aragonum Regem, non absque nimiæ animositatis inordinatione habitus circa quod ambo, cuilibet eorum comitiva centum militum assistente, ad illud concurrant, altrinsecus insimul confligant, Celsitudini Regiæ confidenter exponimus.

Et, ut tibi earum qualitas pleniùs pateat, sub bulla nostra ipsarum de verbo ad verbum seriem, prout eam, à memorato Siciliæ Rege recepimus, destinamus.

Ex quarum circumspectione manifestè circumspectio regalis advertet, quantum sint conventiones eædem obviæ crucifixi negotiis, & præcipue Terræ sanctæ, quantumque toti Christianitati damnosæ: cum illarum persecutio, non solum memoratum Regem ab eisdem negotiis, & ipsius Christianitatis promovendis utilitatibus abstrahat, sed & alios Principes & magnates, cæterosque fideles, qui circa prosecutionem eandem in se, vel in suis occupantur, avertat; & proindè manifesto exponatur terra præfata discrimini, dum ejus subsidium, multis excogitatum vigiliis multisque sumptibus & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur.

Nec minus attendere poterit eisdem tuæ circumspectionis industria, quàm periculosa potest inter christicolas ex prosecutione hujusmodi, excitari commotio: quantaque illis corporum & animarum pericula ingeri; ac quantum nobis Ecclesiæ, tibi cunctisque Catholicis, quibus

est

ANNO 1283.

est eis quomodolibet obviare possibile, posset à Deo & hominibus negligentia imputari ad quantam notam adscribi, si talia procedere pateremur.

Propter quæ, nec non & alia non facile numeranda discrimina, quæ dictarum conventionum executio Christiani procul dubio prodiga sanguinis, animarum inimica saluti publicæque pacis æmula & quietis verisimiliter comminatur; nos, illis promptis remediis obstare volentes, promissionem factam à memorato Rege Siciliæ, super dictis conventionibus observandis prorsus illicitam, ut potè rem prohibitam expressius continentem, cum non solum in Principibus, similibusque personis, sed etiam in privatis decelum non sit ab Ecclesia tolerandum, reprobandam, irritamque duximus, & penitus vacuandam; & juramentum super eis præstitum, non solum temerarium declarantes, sed & carere viribus; ipsumque Regem Siciliæ ad illorum decernentes observantiam non teneri; absolvendo eum nihilominus ab eisdem, quatenus processerant de facto, sibi districtè præcipimus, ut à prosecutione promissorum, & juratorum taliter, prorsus abstineat, & omnino desistat: eidem nihilominus sub pœna excommunicationis, & comminationis processus cujuslibet, quem contra eum quomodolibet habere posset Ecclesia, ne ad executionem tam damnati certaminis, tam nefandi procedat; universis & singulis Christi fidelibus, ne illa sibi prosequenda suadeant, neve consilio, auxilium, vel favorem in illis prosequendis assistant, districtiùs inhibendo.

Cumque itaque impediendi tam detestabilia, tam nociva tibi sit in promptu facultas, pro eo, quod, sicut earumdem conventionum docet inspectio, loci determinatio, ad hujusmodi conflictus exercitium deputandi, de arbitrio tuo dependet; & secundum earum conventionum tenorem, idem conflictus, novo eorumdem Siciliæ & olim Aragon. Regum non interveniente consensu, absque tua præsentia non procedit; expedit ut ad id te promptum exhibeas solers & operosus occurras, ne si, quod absit, perturbare tam perversa negligeres ea fovere non immerito censereris, sicque pœnæ & comminationis adjectæ in præmissa nostra prohibitione periculum, ut decet tam Catholicum Principem, non vitares.

Quo circa serenitatem Regiam monentes, rogantes, & hortantes, ac obsecrantes in Domino Jesu Christo, & per aspersionem sui pretiosi sanguinis obtestantes, & nihilominus in remissionem tibi peccatorum injungentes, mandamus quatenus conflictum hujusmodi tam detestabilem, tam horrendum, ejusque præparatoria, omni studio, quo potes impedias.

Dictorum Siciliæ & quondam Aragonum Regum adventum ad Civitatem Burdegalensem, ejusque territorium, quin etiam ad quamcumque partem Vasconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias, apertiùs interdicas.

Tuam nihilominùs in his præsentiam denegando, & tuis insuper in partibus illis, vicariis & Officialibus acriùs injungendo, ne prædictorum Regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamen, aut aliquid aliud in his ministerium exhibere præsumas: super quibus eis omnem penitùs adimas potestatem.

Nos enim ad tam perniciosa, tam noxia omnimodis evitanda, ne dictos Siciliæ, ac dudum Aragonum Reges Civitatem eandem, seu quamvis, ut prædicitur, Vasconiæ partem, ad hæc agenda pararis, neve in his præsentiæ tuæ copiam facias, aut promittas, seu locum sæpefato certamini deputes, aut dictos tuos in eisdem partibus Vicarios sive Officiales in his aliquod ministerium exhibere permittas, districtè subjicimus prohibitionis edicto; ac illa omnia & singula quantumcunque in aliis regio intendimus honori deferre, tibi & eis, sub pœna excommunicationis expressius inhibemus; sub eadem pœna mandantes, ut si ad aliquid horum est processum, illud studeas cum celeritate, qua poteris revocare.

Et nihilominus dilectum filium nostrum, tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyterum Cardinalem virum utique grandi scientia præditum, prudentia & morum honestate decorum, quem, suæ probitatis obtentu grandi affectione prosequimur, cujusque consiliis te in his acquiescere rogamus & petimus, ad id inter cætera destinamus, ut tam te, quàm prædictos vicarios, & Officiales tuos, per se, si facultas adfuerit, vel per suos nuncios, vel literas efficaciter moneat, & inducat ad parendum præmissis Apostolicis monitionibus, inhibitionibus & mandatis.

Alioquin per excommunicationis in personas, & interdicti sententias, si opus fuerit, in Regnum tuum & alias tuas, ac eorumdem Vicariorum & Officialium terras, Apostolica, prout expedire viderit auctoritate compellat.

Non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, tibi vel eisdem Vicariis, sive Officialibus, sub quacumque verborum forma seu expressione concessis, quod tu, vel iidem Vicarii & Officiales excommunicari, vel interdici non possitis, aut eadem Regnum & terra nequeant Ecclesiastico Interdicto supponi, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, seu de verbo ad verbum de privilegiis & indulgentiis hujusmodi, sive obtinentium eadem nominibus mentionem: & qualibet alia ejusdem Sedis Indulgentia cujuscumque formæ vel tenoris existat, per quam, præsentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri.

Datum apud Urbem veterem nonis Calendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno tertio.

Bulla super pecunia in subsidium Terræ sanctæ collecta, & in sacris locis deposita, per Regem Angliæ occupatâ, objurgatoria: anno 1283.

V. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 250.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUm Regalis prudentiæ magnitudo, quæ non sine laudum præconio, rerum exitus metiens, in suis actibus non inconsultè procedere consuevit, nostræ dudum considerationis intuitu lustrabatur; dum summæ devotionis zelus, quo erga Romanam Ecclesiam matrem tuam Regia semper celsitudo resplenduit mentis proprie subjiciebat aspectui, digne utique sperabamus nostri pectoris archivo recondita firma credulitas permanebat, ut sic prudenter tua limitares opera, sic tuorum processuum studia discretè dirigeres, sic sapienter incederes in omnibus viis tuis, ut nullius exinde turbationis materiam eidem Ecclesiæ contingeret exoriri, ut reprehensionis cujuslibet vitatis aculeis apud Regis æterni filium, per quem regnans meritorum cumulo redderis acceptior, penes nos

&

& prædictam Ecclesiam, quæ te gerit in visceribus caritatis, magis ac magis gratiosus occurreres, & apud gentium populos famæ claritate splendidior haberetis.

Sed, si vera fateri liceat, si fas sit exprimi veritatem, tu pridem, indignis tui cordis affectibus nimis favens, & voluntatis arbitrium minus providè præferens judicio rationis, laudis Regiæ titulis, cura tibi vigili conservandis, quam plurimum derogasti, non attendens, neque considerans quam crudelis fore dignoscitur, qui negligit damnum famæ.

Nuper etenim, noc solum, divulgatis è longinquo rumoribus, sed etiam assertione veridica, mirantes accepimus & intelleximus perturbati, quod laudabili temperantiæ Regiæ more postposito, extendens ad illicita manus tuas, pecuniam decimæ in Regno tuo, per Lugdunen. Concilii providentiam Terræ sanctæ concessæ subsidio, quæ per collectores, à sede Apostolica deputatos in sacris tuisque locis deposita sub fida jugique custodia servabatur; de locis ipsis sigillis serisque violenter effractis, quibus loca eadem firmabantur, motu proprio, ne dicamus temerario, pecuniæ præfatæ custodibus renitentibus & invitis, totaliter amoveri, & ad certum locum pro tuæ libito voluntatis, non absque magna divinæ majestatis offensa, multoque dictæ Sedis contemptu, ac ejusdem Terræ gravi dispendio, asportari fecisti.

Sed numquid, hoc prædictæ sedis non interveniente licentia, Regiæ magnitudini licuit? Numquid ejus deducit honestatem? Numquid expedivit honori quamquam id quarumdam excusationum, sive rationum velamine, quas in tuis, super hoc nobis directis expressas litteris, non immerito frivolas recti judicii censura dijudicat, duxeris palliandum, profecto agi cautius contigisset si tuæ circumspectionis industria prorsus à talibus abstinuisset, si per te ad ea processus habitus non fuisset.

Nam quod exemplum ad cæteros Reges Catholicus, & de Rege Catholico procreatus, in tali putas actione transmiseris? Quam grandem quoque, quàm uberem, credis in hoc, contra te materiam æmulis dederis obloquendi. Quot & quantas in tui derogationem nominis linguas acueris. Quantumve scandali & turbationis intuleris fidelium cordibus, ad liberationem aspirantium dictæ Terræ, dum fideles ipsi te, qui dudum pro ea non parcens sumptibus laborum, onera non abhorrens, exercuisti sollicitus athletæ fortis officium, qui tuam inibi præsentiam impendisti, ejus prægravibus, quibus indesinenter affligitur, compassus angustiis & pressuris, talia peregisse conspiciunt, talia perpetrasse mirantur? At utinam sensibus Regiis eorum, quorum consilio uteris, studiosa solertia demonstrasset, quantus error, quamque gravis ex præmissis infamia quasi necessario sequebantur: Non enim venit nobis in dubium, quod si hujusmodi tam illicitæ asportationis effectum discretio Regia diligentius attendisset, ad eam non extendisses ullatenus desiderium mentis tuæ.

Cum igitur ad liberandum de hostis immanis manibus terram ipsam fervens nostra dirigatur intentio, & propterea illius non minui, sed potius augmentari subsidium cupiamus; nec velimus sicuti nec debemus, tantum ejusdem terræ præjudicium æquanimiter tolerare; serenitatem Regiam monemus, rogamus & hortamur attentè quatinus sedula meditatione recogitans quantum in hac parte tuum offenderis creatorem, cujus in hoc negotium agitur, quantum prædictum perturbaris Ecclesiam, quantumvè læseris, de quibus extitit imperio tuæ jussionis, amota, facias, sublata difficultate qualibet, excusationibus seu rationibus non obstantibus supra dictis, quas omnino frivolas reputamus cum integritate restitui seu reponi; ulterius à similibus abstinendo; ac etiam Ecclesiasticas, & alias quascumque personas, penès quas dicta pecunia est deposita, vel eam deponi contigerit per Apostolicam Sedem pro terræ memoratæ commodis disponendam, per te, vel alium, seu alios nullis impetendo molestiis, nullis vexationibus perturbando; illam in hoc efficaciam & sollicitudinem impensurus, ut debitæ restitutionis celeritas asportationis indebitæ ausum redimat, & Sedis præfatæ gratia, quam libenter ad filios devotos extendimus, circa te non immeritò augeatur.

Nec latere te volumus quod quantumcumque personam tuam sinceris affectibus prosequamur Regioque libenter deferamus honori, nequaquam pati poterimus, cùm non sit deferendum homini, plusquam Deo, quin super hoc si opus extiterit aliud remedium apponamus.

Datum apud Urbem Veterem tertio non. Julii Pontificatus nostri Anno tertio.

De his quæ acta sunt inter Philippum Regem Franciæ & Carolum ejus filium secundo-genitum ex unâ parte, & Johannem S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem ex alterâ super negocio Regni Siciliæ: anno 1284. VI. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 267.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio, Carolo Regi Aragonum illustri, nato carissimi in Christo filii nostri PHILIPPI *Regis Franciæ illustris, salutem & Apostolicam benedictionem.*

DUdum, propter injustitias, injurias, contumelias, dolosque diversos à Petro, quondam Rege Aragonum, circa occupationem Insulæ Siciliæ, vanosque conatus & insidias, ad alias partes Regni Siciliæ occupandas, seditionem in eadem Insula motam: commotionem & concitationem populi factam inibi adversus nos, rempublicam & Ecclesiam: contra nos & eandem Ecclesiam, quibus dictus Petrus, ratione Regni Aragoniæ, ipsi Ecclesiæ à claræ memoriæ P. avo ipsius Petri oblati & censualis, tàm ab illo, quàm ab aliis ejus prædecessoribus constituti, ad fidelitatis debitum tenebatur; nec non & carissimum in Christo filium nostrum Carolum illustrem Regem Siciliæ non sine multa temeritate commissos.

Post varias monitiones, prohibitiones, & sententiarum excommunicationis & interdicti prolationes, pœnarum indictiones & comminationes expressas de dicti Regni Aragon. ac terrarum, tunc ipsius Petri, expositione ac privatione factas, & præcepta diversa quorum omnium idem Petrus se contumacem exhibuit contemptorem.

Regnum Aragoniæ terrasque prædicta, certo modo, de fratrum nostrorum Consilio, exponentes, ipsum Petrum, tunc Regem Aragonum, Regno, & terris eisdem regioque honore sententialiter, justitia exigente privavimus; & privantes exposuimus Regnum & terras eadem occupanda Catholicis, de quibus, & prout Sedes Apostolica duceret providendum, quoad ipsa Regnum & terras, Romanæ semper Ecclesiæ jure salvo, sicut hæc omnia lata per nos, de ipsorum fratrum Consilio, super hujusmodi privatione, expositione, ac occupatione, sententia seriosè declarat.

Et

Et quia, ubi non est Gubernator, populus corruit, ne ipsorum Aragoniæ Regni & terrarum populus, factus absque Gubernatore diutius vergeret in ruinam, dictam provisionem, Sedi reservatam eidem, deliberavimus exequendam.

Et ideo ad carissimum genus tuum, illibatam ejusdem generis fidem, ad Domini devotionem, ad ipsum & eandem Ecclesiam indefessam, fervidum zelum ad exaltationem fidei orthodoxæ, cujus idem genus contra hostes ipsius fidei semper extitit singularis athleta & ingentem illius potentiam in obsequiis earumdem fidei & Ecclesiæ, feliciter temporibus retroactis expertam, considerationis solicitæ oculos convertentes, ad executionem provisionis ipsius aliquem de ipso genere, sub Dei fiducia, quem semper ejusdem generis clara progenies, & Regnum Franciæ inclitum, firmissime credidit devotissime honoravit & coluit, de fratrum eorumdem consilio deliberavimus eligendum.

In electione verò hujusmodi, aliquem de carissimi in Christo filii nostri, Philippi Regis Franciæ illustri Patris tui Filiis præferendum multiplex ratio persuasit.

Ideoque dilectum filium nostrum Johannem tituli sanctæ Ceciliæ Presbyterum Cardinalem, ad hoc ministrum idoneum, de fratrum eorumdem consilio assumentes, ad occupandum idem Aragon. Regnum & Comitatum Barchinoniæ, quæ est de terris expositis, quæ olim fuerant dicti Petri, de illo ex ejusdem Regis Franciæ filiis, quem ad hoc ipse Rex elegerit, alio tum ab eo, qui sibi est in dicto Regno Franciæ successurus; sub certis lege conventionibus, & pactis, expressis in litteris nostris, super hoc Cardinali directis eidem, ab ipso Rege Franciæ, ac eodem filio, ad id electo, per eum solemniter promittendis, ut eorum quemque contingerent & inviolabiliter observandis per dictum Cardinalem auctoritate Apostolica, quam in hac parte plene sibi commisimus, de ipsorum fratrum Consilio, volumus provideri, & ipsum ad id faciendum singulariter deputari.

Statuentes & decernentes quod, postquam ipsi Rex Franciæ, & filius suus, ad hoc electus ab illo, & à præfato Cardinali ut prædicitur, deputatus, eandem legem, conventiones & pacta expresse acceptarent & promitterent contenta in eis se inviolabiliter servaturos, dictusque Cardinalis ipsum, ejusdem Regis Franciæ filium, ad id deputaret, idem filius in præfato Regno Aragon. nomen & titulum Regium, in Comitatu quoque prædicto dignitatem omnem, quam dictus Petrus quondam Rex Aragon. in illo obtinuit, sortiretur, & tam per se, quàm per alios eadem Regnum & Comitatum libere occuparet, & faceret suo nomine occupari, eaque tam ipse, quàm sui perpetuo successores in illis certo ad illa ordine contento in eisdem litteris, admittendis absque contradictione aliqua, possiderent, & in ipsis, tanquam veri Reges, Comites, & Domini administrarent legitime & plene in eis jus Regis, Comitis & Domini habituri in Terraconen. Civitate, ipsius territorio, districtibus & pertinentibus, sæpefatæ Romanæ ac Terraconen. Civitate, ipsius territorio, districtibus & pertinentibus sæpefatæ Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum per omnia jure salvo.

Dictus autem Cardinalis hujusmodi negotium, juxta formam sibi à nobis traditam, exequens diligenter auctoritate Apostolica, eidem in hac parte commissa, de te quem præfatus Rex Franciæ Pater tuus nominavit ad id ac elegit, sub lege, conventionibus atque pactis prædictis juxta quasdam moderationes declarationes & detractiones, super hoc per alias litteras nostras quarum tenor inferius annotatur adhibitas, tam à te quàm à præfato Rege Franciæ Patre tuo solemniter, juxta quod eidem Cardinali facta commissio exigebat, promissis prout quemque vestrum contingunt ad occupandum Regnum Aragoniæ ac Comitatum Barchinoniæ prædicta, providit teque ad id faciendum singulariter deputavit ad Terraconen. Civitate ipsius Territorio districtibus & pertinentiis memoratis, dictarum Romanæ ac Terraconen. Ecclesiarum, per omnia jure salvo.

Tu vero hujusmodi provisionem & deputationem taliter ab eodem Cardinale factas, prædicto Rege Franciæ genitore tuo approbante, ac in his expresse consentiente acceptasti, & etiam recepisti, prout in litteris, inde confectis, ipsius Cardinalis sigillo munitis plenius continetur.

Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quæ in præmissis ab eodem Cardinali taliter facta sunt rata & grata habentes, illa ex certa scientia de ipsorum fratrum nostrorum Consilio auctoritate Apostolica, confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, defectum, si quis in eis, vel eorum aliquo, ex quacumque causa extitit supplentes de plenitudine potestatis; & tenores litterarum ipsius Cardinalis, nec non moderationum declarationum & detractionum prædictarum, de verbo ad verbum, præsentibus inserri facientes, qui tales sunt.

Sanctissimo Patri ac Domino suo reverendissimo, Domino Martino Divina providentia sacro sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Johannes, Dei permissione tituli sanctæ Ceciliæ Presbiter Cardinalis, devotus servus ejus, & filius, cum humili recommendatione sui, devotissima pedum oscula beatorum.

Reverendissimæ sanctitatis vestræ litteras, ad me directas, recepi tenorem, qui sequitur, continentes.

MARTINUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni titulo sanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinali salutem & Apostolicam benedictionem.*

Qui Regna transfert atque constituit ipse Scripturæ sacræ docet eloquio Regnum à gente transferendum in gentem, propter injustitias, injurias, contumelias, dolosque diversos.

Sanè injustitiam manifestam Petri &c. *prout in anno superiore die 27. Aug.* Quæ autem inter Philippum Dei gratia Regem Francorum Illustrem, & Carolum ejus secundo genitum ex una parte, & me S. tituli sanctæ Ceciliæ Presbiterum Cardinalem, vestro & Ecclesiæ Romanæ nomine ex altera, acta sunt, præscriptarum auctoritate litterarum, juxta mandatum vestrum, tenore præsentium ad vestræ deduco notitiam sanctitatis.

Sunt autem acta hujusmodi quæ sequuntur.

Anno Domini 1284. mensis Februarii die vigesima, indictione 12. Pontificatus vestri anno tertio, memoratus Rex coram Prælatis & Baronibus Regni Franciæ, propter hoc Parisiis evocatis, lectis prius suprascriptis litteris, ac petitionibus ipsius Regis, nobis per Bajocen, & Sibytonen. in Aurelialen. Ecclesia Archidiaconos, ejusdem Regis nuncios, oblatis, & responsionibus ad easdem, prout hæc in litteris vestris Patentibus inclusis tamen in quodam pargameni Bullato, ad eundem Regem, nec non & quibusdam aliis ad me directis, & tam eidem Regi quàm mihi per venerabilem virum & discretum Magistrum Egidium de Castelleto notarium nostrum traditis & expositis in vul-

ANNO 1284.

gari, plenius continentur, ab eisdem Prælatis & Baronibus requisivit & petiit fidele Consilium sibi dare, utrum sibi expediret ac deceret idem negotium Regni Aragoniæ & Comitatus Barchinoniæ assumere, & etiam acceptare, sub lege, conventionibus, pactisve in vestris contentis litteris super hoc confectis, juxta moderationes declarationes, & concessiones de novo per memoratum notarium allatas & oblatas.

Qui quidem Prælati & Barones vicesimam primam Februarii ad tractandum & conferendum super hoc & deliberandum & vicesimam tertiam diem ejusdem mensis ad respondendum & dandum super hoc suà consilia, statuerunt.

Ipsa vero vigesima prima die, summo mane, ipsi Prælati & Barones, convenientes ad Palatium Regis, lectis iterum præfatis literis, & expositis in vulgari in partes altrinsecus successerunt, qui cum in principio suæ deliberationis, sicut antea, semper in varias traherentur sententias, tandem illo, ut piè credendum est, cujus agebatur negotium inspirante, cujus etiam, cum voluerit operatio non non novit molimina tarditatis repentè, & quasi sub eadem horá, in indemnitate consilii ac sententiæ resederunt licet ipsos segregaret locorum distantia, & in quo concordaret una partium, altera penitus ignoraret, videlicet; quod consideratis omnibus, Regi Franciæ expediebat & Regno ipsumque Regem decebat, prædictum negotium assumere, & etiam acceptare.

Quod cum Barones Prælatis per nobilem Virum Simonem Dominum deNigella militem nuntiassent, ego & dictus notarius, non expectata die crastina, ad danda consilia assignata significabamus Regi ut ad Palatium suum accederet responsionem, & Concilium à Prælatis & Baronibus auditurus.

Quibus idem Rex acquiescens, statim, duobus filiis suis Philippo & Carolo, secum adductis, venit ad Palatium, & adunatis invicem Prælatis & Baronibus præsente ibidem toto ipsius Regis consilio generali, aliorumque multitudine numerosá, Bituricensis Archiepiscopus, & voluntate & mandato Prælatorum proposuit pro ipsis, & respondit ipsi Regi, quod considerato honore Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac ipsius Regis & Regni Franciæ, nec non & utilitate fidei Catholicæ, expediens erat Regi, ipsumque decebat, juxta moderationes, declarationes & concessiones, allatas & oblatas per memoratum notarium, hujusmodi negotium acceptare, et in hoc omnes & singuli consentiebant, & hoc etiam consulebant.

Mox verò prædictus Dominus de Nigalla, pro Baronibus, de mandato eorum & expresso consensu, proposuit, quod in eandem sententiam & consilium concordarant, & concordabant, & etiam consulebant.

Rex verò continuo respondit, grates vobis omnibus refero quod bonum & fidele consilium præbuistis, & adjunxit, ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ, sub forma prædicta assumimus hujusmodi negotium, & etiam acceptamus.

Et ut hæc omnia de consilio Prælatorum & Baronum procederent, injunxit eisdem Prælatis & Baronibus, ut in crastino ad Palatium redirent, ut de ipsorum consilio unum de Filiis suis, excepto Primogenito ad hoc eligeret, & etiam nominaret.

Quod, dicta die crastina, præfatis Prælatis & Baronibus convenientibus & consentientibus, de Carolo secundo genito dicti Regis extitit adimpletū.

Sanè, diebus aliquot intermissis ex causa tertio Kal. Martii, ego & Notarius supradictus accedentes ad Regem, petimus, quod agendum supererat in negotio Regni Aragonum, & Comitatus Barchinoniæ, adimpleri.

Statimque duobus Filiis suis memoratis, Philippo & Carolo, una cum consilio suo vocatis & præsentibus, lectis coram ipsis suprascriptis litteris, & per me Cardinalem distinctè & per articulos expositis in vulgari. Idem Rex genitor, & præfatus Carolus, ipso genitore approbante, & in his expresse consentiente, universa & singula, in suprascriptis litteris contenta, quæ memoratus Carolus filius à me sigillatim, super uno quoque interrogatus, se inseruit intellexisse, mihi vestro & Ecclesiæ Romanæ nomine solemniter stipulanti, eadem universa & singula, prout unumquodque ipsorum contingunt, juxta quasdam detractiones, declarationes, & concessiones, factas & facienda, acceptato negotio, prout ista in quibusdam vestris litteris ad ipsum Regem, & aliis ad me directis, & per ipsum notarium ipsi Regi & mihi traditis, plenius continentur. Se inviolabiliter servaturos, & negotium hujusmodi prosecuturos solemniter promiserunt, se ad hoc, & successores suos, prout quemque eorum contingunt specialiter obligando.

Quibus actis ego J. Cardinalis de memorato C. Regis Franciæ Filio, ad occupandum idem Aragoniæ Regnum & Comitatum Barchinoniæ providi, & ipsum ad id faciendum singulariter deputavi sub modo qui sequitur infra scriptus.

Ego J. tituli sanctæ Ceciliæ Presbiter Cardinalis, auctoritate Apostolica, mihi in hac parte plenè commissa, de vobis Domine C. quem Pater vester Philippus, Dei gratia, Rex Franciæ illustris, ad id nominavit, & elegit, sub lege conventionibus, pactisve, ab eodem genitore vestro, ac vobis mihi sanctissimi Patris, ac Domini, Domini Martini Divina Providentia, summi Pontificis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ nomine, sub forma præscripta solemniter promissis prout quemque vestrum contingunt, ad occupandum Regnum Aragonum & Comitatum Barchinoniæ provideo, & vos ad id faciendum singulariter deputato, in Terraconen. Civitate, ipsius Territorio, districtibus, & pertinentiis memoratæ Romanæ, ac Terraconen. Ecclesiarum per omnia Jure salvo, cujusmodi provisionem & deputationem taliter à me factas, idem Carolus memorato Rege Franciæ genitore suo approbante, & in his expresse consentiente acceptavit & recepit. Philippo Fratre suo primogenito præsente, & in his eidem Carolo congaudente, homagium autem & juramentum, prout in nostris litteris continetur ab eodem Carolo eximiam & recipiam, cum ad ætatem, ad hoc aptam, pervenerit, quam implere creditur idem Carolus infra mensem à tempore confectionis præsentium numerandum.

In cujus rei Testimonium sigillum meum duxi præsentibus appendendum.

Datum Anno prædicto Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno tertio.

ANNO 1288.

NICOLAUS QUARTUS, PONTIFEX CXCIII.

ANNO DOMINI MCCLXXXVIII.

Vide Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 159.

I. Ex Arch. Angliæ Rimer Tom. 2. pag. 358.

Bullà Regi Angliæ directa, monitoria ut inducat ALFONSUM Regem Aragoniæ, quod intendat liberationi Caroli primo geniti Regis Siciliæ, quem carceri detinuit mancipatum: Anno 1288.

NICO-

ANNO 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

AD liberationem carissimi in Christo filii nostri Caroli primogeniti claræ memoriæ C. Regis Siciliæ, paternæ sollicitudinis studio intendentes, Nobilem virum Alphonsum, natum quondam Petri, olim Regis Aragonum, qui primogenitum ipsum detinet carceri mancipatum, per nostras monemus Litteras speciales, ut eundem primogenitum sublato difficultatis obstaculo plenæ restituat libertati.

Venerabilibus quoque fratribus nostris B. Ravennat. & P. montis Regalis Archiepiscopis, ac dilecto filio fratri Raynono de Viterbio, Ordinis Prædicatorum, sedis Apostolicæ nunciis, per alias litteras nostras injungimus, ut eumdem Nobilem personaliter adeuntes, ei prædictas, quas sibi, sicut præmittitur, dirigimus litteras repræsentent; ipsum, quod hujusmodi apostolicis monitis & beneplacitis humiliter, & efficaciter acquiescat, sollicitè inducendo.

Rogamus itaque celsitudinem Regiam & hortamur attentè, quatinus, pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia eundem Alfonsum efficaciter & diligenter inducas, ut monitis & beneplacitis supra dictis humiliter & efficaciter acquiescere non postponat; ita quod exinde Regiæ devotionis promptitudinem non immerito commendemus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Id. Martii Pontificatus nostri Anno primo.

II. Ex Arch. Angl Rimer Tom. 2. pag. 358.

Pactis, sive conditionibus pro liberatione Caroli Principis Salernitani conventis assensum se præbere nullo modo denunciat: anno 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, Regi Anglorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum ad procurandam liberationem carissimi in Christo filii nostri Caroli, Primogeniti, claræ memoriæ C. Regis Siciliæ, qui contra Deum & justitiam, contra fas & licitum carceralibus vinculis detinetur, pio & laudabili concepto proposito Regalis benignitatis felicis recordationis, Honorium Papam, Prædecessorem nostrum, dum adhuc viveret, per litteras & nuncios requisivit, ut ad partes illas aliquos probos viros, ad procurandum unà tecum, liberationem hujusmodi duceret transmittendos.

Qui, Regiæ requisitionis instantiæ benignus annuens, dictumque prosequens uberi favore negotium, Venerabiles Fratres nostros B. Ravennat. & P. Montis Regalis Archiepiscopos, propter hoc ad partes ipsas, certis datis eis informationibus, destinavit.

Postmodum autem ad prædecessoris notitiam prælibati pervenit, quod nonnullis pacis tractatibus inter eundem Primogenitum & Alfonsum ac Jacobum, quondam Petri, olim Regis Aragon. filios, hactenus habitis dictus Alfonsus sibi per Ecclesiæ Salsen. Præpositum intimavit, quod idem Jacobus & Constantia, mater ejus per certos nuncios duxerant requirendum, ut ipse à compositione sive concordia, pridem inter eum illosque tractata, dum adhuc in Siciliæ partibus Primogenitus ipse esset, recedere non deberet, quodque dictus Alfonsus intendebat omnino eorum in hac parte prosequi voluntatem.

Verumtamen procuraret, eosque compelleret quod contenti existerent ut, absque conditione, vel retentione aliqua, Siciliæ insulam, cum Insulis omnibus quæ sibi adjacere noscuntur, terramque totam infra Reg: Archiepiscopatus limites consistentem Tunitiique tributum, Regi Siciliæ debitum eidem Jacobo & Hæredibus suis in perpetuum Primogenitus ipse duceret concedenda.

Et quod insuper procuraret & faceret, ut concessionem, seu donationem hujusmodi Sedes Apostolica confirmaret, ac processus contrà eundem Petrum, super privatione Regni Aragon. & alios quoslibet contra præfatos Alfonsum; Jacobum & Constantiam, eorumque vassallos per sedem ipsam habitos; nec non & concessionem de prædicto Aragon. Regno factam, totaliter revocaret.

Quodque præfatus Alfonsus adjecerat per Salsen. Præpositum supra dictum, quod nec per obsides, neque per securitates illas, poterat dictus Primogenitus quomodolibet liberari, donec prædicta per ipsa existerent ad effectum.

Ac etiam eundem Jacobum & ipsius Primogeniti natam, ætate majorem, ac Primogenitum ejus, & Isalandam, Alfonsi & Jacobi prædictorum sororem, contingeret matrimonialiter copulari.

Et ut prædicta possent melius perfici efficaciusque compleri, Treugæ, quæ Romanam Ecclesiam, & ejus valitores, ut Patriæ verbis utamur, includerent, inirentur à medietate mensis Maii, tunc venturi proximo, inchoandæ, ac ex tunc per biennium duraturæ; ita tamen quod idem Jacobus præfato Alfonso in guerra qualibet posset auxilium impertiri.

Quare præfatus Prædecessor, præmissa diligenter attendens, eaque ferens, non indigne, moleste, cum illa in derogationem grandem honoris Ecclesiæ, ac ejus, & ipsius Primogeniti Hæredumque suorum grave præjudicium opprobrium plurimum, & læsionem multiplicem redundarent, tractatum hujusmodi, de fratrum suorum Consilio reprobavit expresse: Et si forte de facto processerat, cassavit & penitus vacuavit, ipsum omnemque illi similem præsumi ulterius districtius inhibendo; & si quis ex tunc foret quoquomodo præsumptus, eum decrevit irritum & inanem, ac nullius existeret firmitatis.

Præfato verò Prædecessore naturæ debitum persolvente, à nobis & fratribus nostris, quorum nos tunc numerus includebat, per litteras speciales & nuncias celsitudo Regia postulavit, ut pro liberatione Primogeniti supra dicti complenda, quæ prout ipsarum innuebat series litterarum, sub certis conditionibus; quarum nobis & fratribus ipsis certitudo non aderat, præventura in proximo sperabatur ad prorogationem Treuguarum, per carissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum Illustrem, cum Alfonso faciendam prædicto, à Festo Beati Michaelis, tunc proximo secuturo, usque ad annum, opem daremus & operam efficacem.

Unde nos & iidem fratres nostri gerentes potissime cordi negotium, & liberationem hujusmodi, votis ferventibus cupientes, etiam ipsius sollicitam & perseverantem prosecutionem negotii; sub certa forma sollicitius & affectuosius exhortantes, prædicto Regi Franciæ super hoc, quamquam hujusmodi nobis existerent conditiones incertæ, nostras sub certa forma litteras, de qua vidimus expedire negotium, per

ANNO 1288.

per eosdem nuntios suos, quos celer iter expediri curavimus, duximus dirigendas aliis nihilominis tibi, super hoc subsequent., exhortatoriis litteris destinati.

Cumque postmodum supernæ dispositionis arbitrio, ad Apostolicæ promoti fuissemus fastigium dignitatis, carissima in Christo filia nostra Maria consors Primogeniti supra dicti, per dilectum filium nobilem Virum Ricardum de Noblaus, ejus nuncium, à nobis, pro liberationis ejusdem Primogeniti consummando negotio, certum pecuniarum subsidium postulavit.

Ad nostram nihilominus perducto notitiam, quod liberatio eadem sub gravissimis & durissimis pactis, & considerationibus variis & diversis quorum nonnulla annotantur inferius, tractabatur; de quibus aliqua, si diligenter attenditur, & sollicita meditatione pensatur, divinæ majestatis oculis odisa, nonnulla, iniuriosa & periculosa nimis Ecclesiæ, nonnulla plena dispendiis & damnosa valde Primogenito & Hæredibus supra dictis quædam non modicum, immo quamplurimum præjudicialia Regi Franciæ memorato, quædam fore impossibilia, quædam illicita pernitiosa exemplo, ac horrenda & abominanda fidelibus, prout ex eorum inspectione plene colligitur dignoscuntur.

Quare super his cum fratribus nostris exacta & matura perpensaque deliberatione præhabita, prout tanti, & tam ardui negotii qualitas exigit, non vidimus, quantumcumque personam ipsius primogeniti diligamus, quantumcumque statum votivum & prosperum exquiramus ipsius, suæque liberationis cupiamus effectum hujusmodi pactis & conditionibus quomodolibet annuend. cum dictus Primogenitus libertati taliter restitutus, gravioribus quodammodo ligatus vinculis, & statui duriori subjectus, ejusque filii multimodis expositi casibus viderentur. Et Ecclesia etiam quibusdam validis redderetur circumplexa funiculis, & majoris oneris sarcina prægravata.

Prædictam consortem rogantes attentius & hortantes, ut profundæ considerationis indagine præmissa discutiens, & infra claustra pectoris sedula & attenta meditatione revolvens, advertens quoque sollicitè sincerum & benevolum, quem in hac Ecclesia eadem gerit affectum, patienter sustineat, & submantis humilitate comportet, si pacta & conditiones hujusmodi non duximus admittenda; nam si pecuniarum duntaxat subsidium ad liberationem ejusdem primogeniti existeret opportunum, gratiosam satis & favorabilem se prædicta Ecclesia exhiberet.

Porro carissime fili, non indigne mirari posse mus quod tractatus hujusmodi feriem, quæ non erat procul dubio velanda silentio, nobis & fratribus nostris cum de numero, sicut præmittitur essemus, ipsorum, non duxit sollicitudo Regia intimandam; quodque tam gravibus pactis & conditionibus Regius animus acquievit; nam, & si præfati primogeniti liberatio, sub decentibus, licitis, possibilibus, & honestis conditionibus, sine pactis, grata nobis existeret, prædictis tamen pactis seu consimilibus nullatenus præberemus assensum.

Ea verò, quæ de pactis & conditionibus ipsis præsentibus inseri fecimus, hæc sunt.

Ponentur in posse Alphonsi noti quondam Petri olim Regis Aragonum, pro obsidibus, tres filii carissimi in Christo filii nostri, Caroli primogeniti, claræ memoriæ, C. Regis Siciliæ, & carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ consortis ejus, duos scilicet majores post primogenitum ante liberationem suam infra decem menses, & pro securitate ipsius primogeniti ponatur etiam in posse dicti Alfonsi, simul cum aliis natis post primogenitum, & alius filius prædictorum Caroli & Consortis, qui est in provincia ante sui liberationem.

Item ponantur in posse præfati Alfonsi & hæredum suorum, ante ipsius Caroli primogeniti liberationem quinquaginta millia marcarum argenti, scilicet triginta millia marcarum in pecunia auro & argento, & viginti millia marcarum in securitate; quam securitatem viginti millium marcarum debet facere illustris Rex Angliæ Alphonso prædicto & suis hæredibus; de qua iidem Alphonsus & hæredes sui sint pacati sub tali conditione quod, nisi infra dictos decem menses, positus fuerit primogenitus Caroli & Consortis prædictorum, in pleno posse memorati Alfonsi & hæredum suorum; ex tunc dicta pœna sit applicata eidem Alfonso, vel hæredibus pro pœna & tertius filius, datus pro primogenito, sit incursus eidem Alfonso, vel hæredibus suis, salvis eidem vita & membris; si verò prædicta completa fuerint, infra dictos decem menses, restituatur filius datus pro primogenito, & quantitas, & securitas data ratione dictæ quantitatis sit absoluta.

Item, debet ponere præfatus Carolus primogenitus, ante sui liberationem, in posse ipsius Alfonsi, & hæredum suorum, obsides primogenitos Baronum & magnatum, militum, Civium, & Burgensium Provinciæ, usque ad numerum quadraginta, illos, scilicet, quos idem Alfonsus, vel ejus hæredes elegerint, de quibus magis sibi placuerit: vel saltem, de illorum obsidum Provinciæ numero medietas tradatur, una cum filiis dicti Caroli, Alfonso præfato, vel hæredibus suis ante liberationem ejusdem Caroli, & alia medietas infra tres menses post liberationem suam de qua traditione medietas obsidum facienda, infra tres prædictos menses, detur dicto Alphonso vel hæredibus suis firma securitas de qua ipse sit contentus, & si aliqui fuerint ex ipsis Baronibus & Magnatibus, qui filios non haberent personæ ipsorum ponantur in hostagiis, in posse dicti Alfonsi vel hæredum suorum, vel pro personis, possint dare totidem de proximioribus suis, qui sufficientes ad hoc fuerint ad cognitionem ipsius Alfonsi vel hæredum suorum.

Et quod dictus Carolus faciat fieri homagium, cum juramento, dicto Alfonso, vel ejus Procuratori, per Castellanos Castrorum ejusdem Caroli in Provincia, quod nisi pacem fecerit dicto Alfonso, & Jacobo fratri ejus, & hæredibus ipsorum, pro se & Romana Ecclesia, & illustribus . . . . . . Franciæ & Carolo Aragoniæ Regibus, de qua idem Alfonsus sit contentus, vel hæredes sui, vel nisi ad carcerem ipsius vel hæredum suorum redierit infra tres annos, quod attendant cum Castris & obedi ant eidem Alfonso & hæredibus suis, ut Domino: & terra provinciæ sit totaliter ipsius Alphonsi & hæredum suorum in perpetuum, jure hæreditario, & ipsi Castellani non tradant dicta Castra prædicto Carolo primogenito, nec alicui alii, nisi dicto Alfonso, vel hæredibus suis vel cui, seu quibus idem Alfonsus vel hæredes sui mandaverint, ubi dictus Carolus primogenitus non compleverit prædicta, nec ipse Carolus possit eis dicta Castra auferre.

Et si contigerit aliquis ex illis Castellanis mori, dictus Carolus primogenitus non possit, loco ipsorum defunctorum, aliquem vel aliquos Castellanos substituere, nisi de consanguineis proximioribus dictorum obsidum.

Et ipsi substituti faciant homagium cum sacramento ipsi Alphonso & hæredibus suis, juxta formam sub qua defuncti ipsi eidem Alphonso dictum juramentum & homagium præstiterunt, &

& ipsa Castra commendentur & tradantur, ante liberationem ipsius Caroli primogeniti consanguineis proximioribus ipsorum obsidum.

Et nihilominus, pro prædictis omnibus & singulis, syndici Civitatum & Villarum, nomine suo, & Universitatum suarum, Barones autem & milites per se faciant juramentum, & obligent se, cum publicis instrumentis, eidem Alfonso, vel suis hæredibus, vel ejus Procuratori, ante liberationem Caroli primogeniti memorati, quod attendant & obediant ei, ut Domino, vel ejus hæredibus, nisi dictus Carolus primogenitus, vel ita compleverit, vel ad ipsius Alfonsi carcerem redierit, vel hæredum suorum, infra prædictum terminum, absolvat eos cum publico instrumento, suo sigillo sigillato, à naturalitate, & fidelitate, & Dominio, quibus sibi tenentur.

Item, ante deliberationem ipsius Caroli primogeniti, debent prorogari & firmari treugæ, quæ sunt hodie inter Regem Francorum illustrem & eundem Alfonsum, eodem modo quo præsentes treugæ datæ & firmatæ sunt, à Festo sancti Michaelis, proximo venturi, usque ad annum completum, & quod dictus Carolus primogenitus faciat dari treugas per annum prædictum completum, de tota Provincia dicto Alfonso, vel Jacobo fratri suo, & eorum hæredum, de omibus quæ hodie tenent.

Item, dictus Carolus primogenitus, post liberationem suam, debet procurare & facere quod, infra prorogationem prædictarum treugarum, ipse & Ecclesia Romana, & præfati Franciæ & Aragoniæ Reges pro se, & Valitoribus suis, dabunt treugas prædictas memorato Alfonso & Jacobo fratri suo, & hæredibus ipsorum, ac etiam valitoribus eorumdem de omnibus quæ dicti Alphonsus & Jacobus, & hæredes ipsorum tenebunt.

De qua dabuntur treugæ dictorum trium annorum à die deliberationis suæ usque ad tres annos completos, & ultra per sex menses, si dictus Carolus primogenitus, in fine dictorum trium annorum, non redierit ad carcerem Alfonsi prædicti, vel hæredum ipsius, quod nisi faceret & compleret, & fieri faceret, & compleri, vel nisi ad carcerem dicti Alfonsi, vel hæredum suorum redierit infra prorogationem prædictarum treugarum unius anni, hostagia omnia, per ipsum Carolum Primogenitum data, & terra Provinciæ, & quantitas quinquaginta millium marcarum argenti, pro securitate Ecclesiæ Romanæ facienda, assignata sint incursa in posse Alfonsi prædicti, vel hæredum ipsius, ad faciendum de eis suas liberas voluntates, salvis obsidibus vita, & membris, & quod dictus Alfonsus debet, pro se, & Jacobo fratre suo, & nihilominus dari faciat ab eodem Jacobo treugas omnibus prædictis, à quibus treugas recipient, & eo modo quo sibi dabuntur.

Item, dictus Carolus primogenitus infra annum unum post deliberationem suam, procurabit & faciet fieri quod Ecclesia Romana firmet & assecuret idoneè quod, nisi dictus Carolus primogenitus faciat pacem eidem Alfonso & Jacobo fratri suo, de qua sint contenti iidem Alfonsus & ejus hæredes, vel nisi redierit ad carcerem ipsius Alfonsi, infra tres annos, post liberationem suam, & quod Ecclesia non faciat guerram Alfonso prædicto, vel Jacobo fratri suo, vel hæredibus eorumdem, nec terris quas hodie tenent & possident, nec juvabit prænominatum Carolum primogenitum, nec nocebit eidem Alfonso, nec Jacobo fratri suo, nec hæredibus eorumdem, nec Jacobo fratri suo, nec hæredibus eorumdem, nec terris quas hodie possident ex aliqua causa, & si istam securitatem non procuraverit nec fieri fecerit, infra unum annum post deliberationem suam, ut præmittitur, admittat quinquaginta millia marcarum argenti, quæ applicentur eidem Alfonso & hæredibus suis: quam quidem pecuniam assecuret per Regem Anglorum illustrem, ante sui liberationem, in posse ipsius Alfonsi & hæredum suorum, sub securitate, de qua idem Alfonsus & hæredes ejus sunt contenti; salvo quod si infra dictos tres annos pacem fecerit eidem Alfonso, & Jacobo, & hæredibus suis de qua idem Alfonsus, & ejus hæredes pacati existant, vel ad carcerem sæpe dicti Alfonsi, vel hæredum suorum redierit, dicta securitas, ratione præfatæ pœnæ, sit absoluta, & ipse Carolus primogenitus absolutus à pœnæ incursione prædictæ.

Item, si præfatus Carolus primogenitus, infra tres dictos annos, pacem non fecerit præfatis Alfonso & Jacobo fratri suo, & hæredibus suis, pro se & Ecclesia Romana, & præfatis Franciæ & Aragoniæ Regibus, de qua dicti Alfonsus & ejus hæredes pacati existant, vel nisi redierit ad carcerem ejusdem Alfonsi vel hæredum ipsius, hostagia omnia, per ipsum Carolum primogenitum data, & terra provinciæ sint incursa in posse dictorum Alfonsi vel hæredum ipsius ad faciendum de eis suas liberas voluntates, salvis ipsis obsidibus vita, & membris; & salvo quod, si contingeret ipsum Carolum primogenitum mori, infra dictos tres annos, & occasione ipsius mortis supervenientis non posset pacem facere, ut prædicitur, hostagia per ipsum data, & Terra Provinciæ non sint incursa in posse dictorum Alfonsi, & hæredum ipsius, sed dicti Obsides remaneant, & sint sub obligatione sua, & ejus dominio tam diu, donec ipsum negotium per pacem, de qua præfati Alfonsus & hæredes sui pacati existant, fuerit consummatum; salvis eisdem obsidibus vita & membris, & quantumcumque differatur pacis perfectio, fiet restitutio de hostagiis post pacis perfectionem.

Item, præfatus Alfonsus assecuret, per jam dictum Regem Anglorum, quod compleat sæpefato Carolo primogenito, & ejus hæredibus, omnia quæ sibi promittit, prædicto tamen Carolo primogenito complente, etiam dicto Alfonso & suis hæredibus, quæ sibi in sua deliberatione promittit.

Item, sæpefatus Carolus primogenitus promittet, cum juramento corporaliter præstando, prædictis Alfonso & ejus hæredibus, ante sui liberationem, & etiam post quam fuerit cum Rege Anglorum prædicto, infra triduum, quod faciet pacem eidem Alfonso, & Jacobo fratri ejus, ac hæredibus eorumdem, pro se & Romana Ecclesia, nec non & Franciæ & Carolo Aragoniæ Regibus memoratis, de qua dicti Alfonsus & hæredes ipsius sint pacati, vel redibit ad carcerem dicti Alfonsi, vel hæredum suorum, infra triennium post liberationem suam; & quod infra spatium ejusdem triennii nihil pati contrarium procurabit, neque per se alium neque aut tractando de prædictorum Alfonsi & Jacobi, vel hæredum ipsorum incommodo, quantum ad personas, & bona & terras, & alia, quæ ipsi tenebunt & possidebunt tempore liberationis Caroli primogeniti supra dicti, aut molestias, per se vel per alios inferendo aut conspirationes aliquas contra eos vel eorum aliquem faciendo aut fieri permittendo, ubi ipse per se vel alium machinamenta hujusmodi poterit impedire.

Item dictus Carolus Primogenitus promittet, & jurabit, ante sui liberationem, quod complebit, & fieri faciet, terminis in hoc scripto con-

ANNO 1288.

contentis, omnia quæ superius sunt expressa, & quod juramenta, & omnia pacta, in præsentis scripti annotatione contenta, renovabit infra triduum postquam fuerit cum Rege Anglorum illustri, quod, si non faceret, sit infamis & perjurus, & nunquam honore Regio potiatur, vel Regio nomine nominetur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, Id: Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

III. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 2. pag. 365.

Bulla Regi rogatoria, quod, ejus ministerio, Carolus Princeps Salernitanus, plenariæ libertati restituatur: anno 1288.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

A Regali memoria non credimus excidisse, quod felicis recordationis, Honorio Papæ prædecessori nostro varia pacta & conditiones, dudum tractato ut dicebatur, & inita super liberatione dilecti filii, nobilis viri, Caroli primogeniti, claræ memoriæ, Caroli Regis Siciliæ, præsentata fuerunt.

Quibus idem Prædecessor recensitis plenius & inspectis, & comperto denique quod illa in derogationem grandem Honoris Ecclesiæ Romanæ, ac ejus & ipsius primogeniti, hæredumque suorum grave præjudicium multum opprobrium & læsionem multiplicem redundabant, pacta & conditiones prædicta, de fratrum suorum Consilio, reprobavit expresse.

Cumque postmodum, per ejusdem Prædecessoris obitum, Apostolica sede vacante, quædam ex præmissis pactis, & conditionibus, ac nonnulla alia collegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium præsentata & oblata fuissent, prælictum Collegium, deliberatione super ipsis inter se habita diligenti, ea ut pote memoratæ Ecclesiæ ac primogeniti, & hæredum ejus prædictorum, honori contraria, nullatenus admittere voluerunt, nosque demum, ad apicem summi Apostolatus, divina dispositione assumpti eadem pacta & conditiones, quæ dicto Collegio præsentata fuerunt super liberatione præfati primogeniti, nostris auribus intimata, non duximus, ex justis causis, quas tibi scripsisse recolimus admittenda.

Veruntamen, quia ipsius Caroli detentio nobis admodnm est molesta ejusque afflictio graviter nos perturbat, nec mirum, cum ipsum, ut pote ipsius Ecclesiæ peculiarem filium, inter privatæ dilectionis contineamus amplexus ejusque libertatem, quantum cum Deo possumus, ferventer quæramus, & liberationem ferventiùs affectamus.

Celsitudinem Regiam attente rogamus & hortamur in Domino Jesu Christo, quatinùs, cum pro tractanda liberatione dicti primogeniti varios sumptus sustinueris, ut intelleximus, & labores à prosecutione hujusmodi negotii non desistas, sed per honestos modos & licitos & etiam honori Ecclesiæ congruos, ut effectum consequatur optatum, interponas sollicitè ac efficaciter partes tuas; ita quod, tuo ministerio, idem primogenitus faciente qui potest, restitui valeat plenariæ libertati.

Datum Reat. septimo Calendas Junii, Pontificatus nostri Anno primo.

ANNO 1289.

IV. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 2. pag. 427.

De Translatione Abbatiæ de Aberconwey, & de validitate Bullarum à Pontifice nondum benedicto, & consecrato confectarum, ac electi nomen nullatenus exprimentium Anno 1289.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis filiis Abbati & Conventui Monasterii de Abercone-Wete in Vuallia, Cestertiensis Ordinis, Bangarensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri Edvardi Regis Angliæ illustris, fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis, Honorius Papa, Prædecessor noster, ante consecrationem, & benedictionem suam, intellecto, quod Monasterium vestrum ob certas causas rationabiles in loco, ubi tunc erat non poterat commodè remanere. Præfatus Prædecessor nondum benedictus, & consecratus ad devotam ipsius Regis supplicationis instantiam, transferendi præfatum monasterium de præmisso loco ad locum, in quo nunc situm esse dignoscitur, per litteras suas bullatas bulla sua, quæ nomen suum nondum exprimebat, vobis concessit liberam facultatem: sicque vos litterarum ipsarum auctoritate, sicut asseritis, de priori loco præfatum monasterium transtulistis. Licet igitur quoad hujusmodi actum seu gratiam, eædem litteræ, sic bullatæ plenam, immo plenissimam in se habeant potestatem, maximè cum sedes Apostolica, ante consecrationem & benedictionem Electi in summum Pontificem, cum defectiva bulla, Electi nomen nullatenus exprimente, bullare litteras suas consueverit ab antiquo.

Ut tamen de mentibus rudium error omnis totaliter evellatur, vestris & ipsius Regis devotis supplicationibus inclinati, quod per easdem litteras super hoc factum est ratum & firmum habentes id, prout tenemur auctoritate Apostolica approbamus & præsentis scripti patrocinio communimus; nihilominus declarantes seu decernentes hujusmodi translationem dicti monasterii, eandem vim eundemque vigorem habere, ac si per litteras dicti Prædecessoris, integra bulla bullatas alias tamen legitimè facta esset.

Nulli ergo &c. Datum Reatæ 12. Calendas Septembris Pontificatus nostri Anno secundo.

V. Ex Ang. Archiv. Rimer Tom. 2. pag. 475.

Edicit quomodo decima Angliæ Regi concessa colligi debeat, & à quibus, & per quas personas: Anno 1290.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Nuper tibi, per alias nostras litteras, decimam Ecclesiasticorum Proventuum Regnorum Angliæ & Scotiæ, ac Terrarum Hiberniæ, & Walliæ sub certis formis & modis, duximus concedendam.

Tecum tamen præcipuè, non in tenebris sed in luce ambulare volentes nolumus te latere, quod nostræ intentionis existit, ut Collectores, seu superintendentes ejusdem decimæ colligendæ deputandi, à nobis declarationes

obser-

observent, quæ à collectoribus seu superintendentibus collectæ decimæ sex annorum, impositæ à fælicis recordationis Gregorio Papa decimo Prædecessore nostro in Concilio Lugdunensi, hactenus sunt servatæ, seu ab Apostolica fide, in prædictis Regnis & Terris mandatæ servari præsentibus annotatas, quæ tales sunt.

De redditibus & proventibus leprosiarum domorum Dei & hospitalium pauperum qui in usus leprosorum, infirmorum & pauperum convertuntur decima non solvetur.

Moniales etiam, aliæque regulares personæ, quarum redditus & proventus Ecclesiastici adeo sunt tenues & exiles, quod de illis sustentari non possunt, sed pro habenda vitæ suæ sustentatione necesse habent publicè mendicare, & eleemosinas publicè petere dictam decimam non persolvant.

Seculares quoque Clerici quorum Ecclesiastici redditus & proventus annui summam sex marcarum argenti non excedunt, eandem decimam non præstabunt.

Si verò una persona plura habeat beneficia quorum nullum per se acceptum dictam summam sex marcarum annuatim attingat, simul tamen collecta in annuis proventibus summam memoratam excedat, quotquot, vel quantumcumque modica fuerint, de omnibus & singulis decima persolvetur.

Sed non solum solvetur de Pitantiis monachorum, similiter de ipsis, quæ à Christi fidelibus relinquuntur Ecclesiis; ut ex eis perpetui emantur redditus.

Item de exenniis, Prælatis & aliis Personis Ecclesiasticis liberaliter factis, decima non solvetur.

Declaramus autem quod his, qui vendunt proventus beneficiorum suorum, quæ personalem residentiam non requirunt, solvent decimam pro solo pretio quod recipietur de eisdem; dum tamen circa hoc in fraudem decimæ nihil omnino agatur.

Sed Ecclesiastica persona, quæ in Ecclesia sua, seu beneficio, quod residentiam personalem requirit, non resederit, sed faciat in eodem per firmarium vel vicarium deserviri, deputando ipsi Vicario, vel firmario certam suorum proventuum portionem, non deducet partem Vicarii seu firmarii, sed de universis ipsius Ecclesiæ vel Beneficii proventibus decimam exhibebit.

Declaramus etiam quod de Silvis seu nemoribus quæ non consueverunt vendi, nihil solvetur, nisi fortè aliquid de illis venditum fuerit durante decima: & tunc extimabitur quantum valere debeat annui redditus pars vendita secundum assisiam quæ consuevit fieri de nemoribus, in partibus illis, in quibus nemus venditum situm fuerit; & de sola extimatione decima persolvetur; & nisi de eo quod perciperetur de dictis silvis, seu nemoribus, quæ vendi non consueverunt, nec fortè vendentur durante decima ex venditione pascuagii, seu herbagii, seu alterius consimilis proventus eorumdem nemorum, & silvarum; & si non vendantur hujusmodi pasquagia, herbagia & similia non solvetur decima de iis; ita tamen quod in fraudem decimæ nihil circa hoc attentetur.

Idemque de pascuis, herbagiis & consimilibus obventionibus silvarum cæduarum volumus observari.

De stagnis & piscariis, si vendantur de pretio decimæ sic solvetur, videlicet, quod fiet collatio de numero annorum quibus ante venditionem ultimam, vendita non fuerint ad quantitatem pretii ex ipsa ultima venditione recepti, ut pretio diviso in partes, secundum annorum numerum, durante decima, solvetur decima ipsa de tot partibus pretii ex ipsa venditione recepti quot fuerint anni prædicti.

Ut, si forte sunt quinque anni elapsi, ex quo fuerat stagnum venditum, & nunc vendatur pro centum marcis, fient de pretio quinque partes, & pro tribus annis quibus durabit decima, solvetur ipsa decima de tribus partibus pretii tantum, videlicet, de sexaginta marcis; & sic multiplicabuntur, & minuentur partes pretii, prout plures vel pauciores fuerint dicti anni.

De venationibus autem & piscariis Fluminum & Lacuum, si vendantur, & Sylvis cæduis, idem quod de stagnis fiet.

De piscibus stagnorum vel bestiis garenarum quos pro usu, vel esu suo capi, & sic consumi, vel sine fraude donari contigerit, decima non solvetur.

Et, quia nonnulli obtinent à monasteriis & Ecclesiis Prioratus, Grangias domos, redditus, pensiones, & census, in solvenda de iis decima credimus distinguendum, videlicet, an talia in beneficium habeantur; An ex contractu? An ex merâ gratia? Et an pro mercede laboris vel obsequii.

Et quidem obtinentes talia in beneficium & etiam ex mera gratia, sive hoc sit concessum per Sedem Apostolicam, sive per ipsorum monasteriorum vel Ecclesiarum personas, de illorum proventibus solvent decimam.

Cum autem obtinentur talia ex contractu, puta ad pensionem, vel firmam annuam, in qua non est facta gratia obtinenti, sed in hoc uterque contrahentium studuit conditionem suam facere meliorem, perceptores pensionis vel firmæ de ipsa pensione, vel firma decimam exhibebunt.

Si autem, quis ante vel post concessionem hujusmodi decimæ, ad vitam propriam emit proventus Prioratus, vel aliorum prædictorum, pro aliqua pecuniæ quantitate, ita quod in hoc ei scienter gratia non est facta: Considerabitur quantum extimatione communi valeant annui proventus Prioratus Grangiæ, domus, terrarum, seu redditum hujusmodi, & secundum hoc ab illis quorum est horum proprietas, qui inde pretium pro futuro tempore receperunt per tres annos decima exigetur.

Si autem in iis gratia facta sit obtinentibus, quia scienter pro minori pretio, quàm valeant, sunt talia vendita vel locata: ipsi obtinentes & non monasterium vel Ecclesia, de illo, in quo gratia facta est ipsis, & de reliquo, illi, quorum est proprietas, decimam exhibebunt.

Si autem personis aliquibus pro justa mercede, seu remuneratione laboris vel obsequii, præstiti vel præstandi, talia concessa sunt: ii, quorum est illorum proprietas, in decimatione proventuum suorum etiam horum proventus merito numerabunt, & de illis, sicut de aliis, quos pro certis suis utilitatibus expendunt, decimam exhibebunt.

Quod si hæc per illos, qui ea obtinent, ritè in alios sunt translata, quia res transit cum onere suo, etiam circa illos quæ prædiximus servabuntur.

Nec deducentur expensæ, quæ pro monachis, qui in talibus Prioratibus Grangiis, seu domibus in beneficium, seu ex mera gratia concessis, ex parte teneri debent fieri dignoscuntur: expensæ autem illorum monachorum vel personarum, qui teneri debent ex pacto, in prioratibus, grangiis, seu domibus, ad justam firmam vel pensionem concessis, sive determinatæ fuerint, sive non extimabuntur ex-

ti-

timatione communi, & talem extimationem Monasterium vel Ecclesia, cujus illorum est proprietas, cum suis Proventibus decimabit.

Prælati de procurationibus, quas in victualibus percipiunt, decimam non persolvant; Sed qui eas præstant hujusmodi victualia, in decimatione suorum proventuum, & redditunm numerabunt & solvent decimam de eisdem.

De illis autem procurationibus, quas Prælati in pecunia numerata rite percipiunt ab antiquo, & quas percipient etiamsi non visitarent, decimam præstare tenentur.

Prælatus autem, qui procurationem, quam sine visitatione potuit de jure percipere in pecunia numerata, remittit alicui Ecclesiæ, quia remittit quod sibi debetur, & de quo solvisset decimam si recepisset illud, tenetur ex tali procuratione decimam exhibere.

Si verò procurationem quam tantum in victualibus licet percipi, fortasse remittat persona Ecclesiastica, cui remissio facta est hujusmodi, victualia cum aliis suis proventibus, cum solvet decimam, extimabit, cum etiam, si non esset remissa, hoc facere teneretur.

In solvendo decimam supra dictam solæ expensæ necessariæ, quæ fiunt in re ex qua fructus percipiuntur, arando, & colendo, ac colligendo fructus, sine quibus non possunt ipsi fructus percipi, deducentur.

Expensæ autem, quæ fiunt in Castrorum Custodibus, cum sint extra rem, vel etiam in ædificiis construendis vel conservandis, nullatenus deducentur.

Sic nec illæ, quæ pro villis tuendis fierent in guerris, seu etiam calvacatis.

De iis quoque, quæ consistunt in jurisdictione, mero Imperio, Regalibus, atque similibus, solvetur decima: deductis moderatis solariis, quæ ante concessionem decimæ, consueverunt persolvi Judicibus Officialibus consimilibusque personis, sine quibus jurisdictio, & cætera similia nequeunt exerceri, ita tamen quod in fraudem decimæ nihil circa hoc aliquatenus attentetur.

Sed expensæ Officialium, Judicum, & consimilium personarum, factæ in vestribus sive victualibus, minimè deducentur, sicut nec aliæ expensæ similes, factæ circa aliam familiam Prælatorum.

Ratione autem æris alieni, quo personâ, solvens decimam, obligata consistit, nihil de decima minuetur, etiamsi certæ res Ecclesiasticæ, propter hoc, à quocumque fuerint specialiter obligatæ.

Item de furnis & molendinis decima præstabitur.

Solvetur autem decima de oblationibus, sive fiant pro benedictione nubentium sive pro exequiis mortuorum.

Nec non de proventibus sigillorum Prælatorum, & de emendis quæ ab excommunicatis recipiuntur.

De legatis quoque, sibi & aliis personis Ecclesiasticis, non personarum sed Ecclesiarum vel Officiorum ratione, relictis, decima persolvetur.

Pro decima supradicta non exigetur pecunia, nisi illa quæ communiter curret de mandato Domini terræ, cujus est moneta in locis, in quibus consistent fructus & redditus, unde decima persolvetur, nec aliqui pecuniam cambire cogentur eandem.

Si ex probabilibus seu verisimilibus præsumptionibus apparuerit aliquem, pensatis ejus proventibus, minus debito notabiliter de decima persolvisse, ita quod super hoc meritò suspectus debeat reputari ex officio nostro per viros idoneos, deputandos à nobis, faciemus inquiri ab illis, qui super hoc scire valeant, veritatem, videlicet de Consilio Diocesani Episcopi, vel aliquo deputando ab ipso, si sit ejus subditus, & non aliter, si Episcopus ipse, vel deputatus ab eo commodè possit haberi, & nunc demum & non prius ille, cujus proventus fuerint taliter extimati, pro eo quod minus solveret, etiam nominatim excommunicabitur; si ejus contumacia exegerit, & visum fuerit expedire.

Episcopi autem & Abbates cæteræque personæ Ecclesiasticæ honorabiles non suspectæ, propriæ conscientiæ relinquentur, ita quod sufficiat quoad tales excommunicationis sententia, quæ in nullo modo solventes, vel scienter minus solventes, & adhibentes fraudem, vel malitiam circa ipsius decimæ solutionem, generaliter proferetur.

Super his autem fiet compulsio, per Censuram Ecclesiasticam, prout nobis, & illis, quibus hoc duxerimus committendum, visum fuerit expedire.

Proferetur autem, si expediens visum fuerit excommunicatio generaliter, vel specialiter in eos qui contra solutionem decimæ, vel suorum extimationem proventuum, cum fuerit facienda, fraudem, vel malitiam scienter duxerint adhibendam.

Nullus autem non solventium compelletur per secularis violentiam potestatis, nisi ipsius, non solventis contumacia vel rebellio talis aut tanta fuerit, quod meritò contra ipsum, sicut fieret in aliis casibus, seu negotiis propter Ecclesiasticæ censuræ contemptum invocari debeat auxilium brachii secularis.

Fiet autem solutio decimæ, non in ipsis rebus, quæ percipiuntur de proventibus, sed in pecunia numerata.

Solvetur autem decima illis personis, quas ad hoc contigerit deputari.

Rector Parochialis Ecclesiæ qui, urgente necessitate curæ Ecclesiæ suæ, puta quia ipse, residendo personaliter in eadem, per se non sufficit ipsi curæ, propter multitudinem parochianorum, vel diffusionem Parochiæ suæ, sed necesse habet unum, vel duos, seu plures capellanos conducere, & eis, præter victum salarium constituere: Salarium hujusmodi poterit in decimæ solutione deducere; sed ratione victus Capellanorum ipsorum aliquid non deducet.

Quod, si in diversis Civitatibus seu Diocesibus diversa beneficia obtineat, quis de unoquoque beneficio in Civitate vel Diocesi, in qua illud fuerit decima persolvetur.

De redditibus autem Ecclesiasticis deputatis ad fabricam Ecclesiarum, decima solvetur.

De eleemosinis verò seu oblationibus, datis ad opus fabricæ, maximè de his oblationibus quæ in Civitatibus, & aliquibus Castris & locis prædictorum Regnorum & Terrarum in certis festivitatibus, in candelis, & cereis, & aliis, consueverunt dari, & offerri, ad opus fabricæ deputatis, decima non solvetur.

Similiter nec de illis oblationibus, quæ colliguntur interdum per laicos, qui collectores consortiales dicuntur, & interdum per Clericos, & quæ ad opus Consortii offeruntur, ut inde luminaria in Ecclesia, cruces & calices fiant & reparentur, & etiam ut ex illis pauperibus subveniatur, & sepeliantur corpora pauperum defunctorum.

Prælati autem & Clerici exules, cujuscumque conditionis aut dignitatis existant, de suis proventibus Ecclesiasticis decimam exhibebunt.

Illæ quoque personæ quæ fiunt pro fossatis, & alias etiam pro terris beneficandis, ut uberiores fructus producant: & illæ quæ fiunt in conservandis, & reparandis ædificiis molendi-

norum-

Anno 1290.

norum, domorum, seu apothecarum, & similium, ex quibus fructus & Pensiones percipiuntur, & nisi reparentur, fructus ex eis percipi non valerent, de decima hujusmodi nomine deducentur, nec etiam illæ quæ fiunt pro custodia castrorum quamvis fiant in hoc majores solito.

Insuper de oblationibus minutissimis, quas percipiunt Ecclesiasticæ personæ ratione Ecclesiarum suarum, pro sepulturis & dandis pœnitentiis, decima persolvetur.

Et quia non occurrit nobis quin cotidianæ distributiones proventus Ecclesiastici sint censendæ, nos cum fælicis recordationis, Clemente Papa Prædecessore nostro, qui de illis decimam, per eum simili subsidio deputatam, debere solvi declaravit & voluit, sentientes, de distributionibus, quæ dantur in horis Canonicis, præsentibus debere solvi decimam declaramus.

Illi quoque qui deputati fuerint ad collectionem decimæ, cum eis, qui debent solvere decimam, de aliqua certa summa solvenda pro decima nequeunt convenire.

De fructibus arborum & hortorum qui vendentur, solvetur decima: de his autem, quæ consumentur usu, vel esu decima non solvetur.

Similiter & de fructibus gregum seu animalium, si sint Ecclesiarum, persolvetur decima, deductis expensis necessariis quæ fient pro custodia, si vero sunt personarum, decima non solvetur.

Insuper te scire volumus quod nostræ intentionis existit, quod à præstatione hujusmodi decimæ, ut præmittitur, per nos tibi concessæ omnes Hospitalis sancti Johannis & militiæ Templi Jerosolimitanorum, ac sanctæ Mariæ Theotonicorum ordinum Domus in prædictis terris constitutæ, penitus excludantur: cum ipsorum ordinum fratres ad defensionem & custodiam dictæ Terræ sanctæ sint specialiter instituti, pro quibus dicti fratres non solum bona ordinum eorumdem abundanter expendunt, verum etiam personas proprias periculis exponere non formidant.

Salvo nihilominus, in prædictis & ea contingentibus, sedis arbitrio memoratæ, super dubiis, quæ possent circa talia exoriri.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem secundo Idus Maji, Pontificatus nostri Anno tertio.

VI. Ex Arch. Angliæ Rimer Tom. 2. pag. 459.

Quod decima debeat colligi secundum verum valorem, & per personas à sede Apostolicâ deputatas: anno 1290.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Gerentes cordi negotium Terræ sanctæ, celsitudini tuæ decimam Ecclesiasticorum reddituum & proventuum in Angliæ & Scotiæ Regnis, ac Hibernia & Vallia, in ipsius Terræ sanctæ subsidium, sub certâ forma, per certi temporis spatium, duximus concedendam, prout in Apostolicis litteris super hoc confectis, pleniùs & seriosius continetur.

Quia tamen in Regnis, ac Hipernia & Vallia supra dictis diversæ, ut dicitur, fiunt extimationes reddituum & proventuum prædictorum: statuimus ut juxta verum ipsarum valorem, tibi prædicta decima persolvatur.

Sed cum in collectione ipsius si congruo modo non fieret, multorum scandala & animarum possent pericula suboriri, nostræ intentionis existit, ut in collectione ipsa per deputandas ab Apostolica sede personas, taliter actore Domino procedatur, quod & hujusmodi scandala sive pericula valeant evitari, & indemnitati tuæ condigno favore, quantum ad perceptionem prælibatæ decimæ providè consulatur.

Datum apud sanctam Mariam Majorem quarto Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno secundo.

Anno 1291.

VII. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 530.

Bulla pro Foro Ecclesiastico contra Diplomata Regis Angliæ: Anno 1291.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Edvardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum ad nostram perlato notitiam quod frequenter, cum in Regno tuo super negotiis ad Ecclesiasticum forum spectantibus, Apostolicas litteras emanare contingit; sicut in cæteris Christianorum Regnis usu cotidiano emanant, & consueverint, tam in tuo, quàm in eisdem Regnis retroactis temporibus emanare, illas non licet impunè præsentare Judicibus.

Et si forsitan præsententur, currit quantocius, breve regium, ad earum usum, sub pœnæ comminatione, quam executio prompta sub sequitur, si fiat contrarium, interdicit.

Et quod sæpe, ipsis litteris capiuntur etiam si Ecclesiasticæ sint personæ, quodque propter leves offensas hujusmodi absque delectu dignitatis & status, pro Regali & Ministrorum Regalium libito, Regio carceri mancipantur.

Nec permittuntur personæ Ecclesiasticæ extra ipsius Regni limites auctoritate Apostolica evocari.

Et quod etiam Regia curia se, de nonnullis causis, quæ ad forum Ecclesiasticum indubitanter pertinere noscuntur, quarumque cognitio nequaquam cadit in laicum, sacris contemptis Canonibus intromittit.

Quodque aliàs in eodem Regno libertas Ecclesiastica non servatur nec ipsam servari ministri Regii patiuntur.

Nos celsitudini Regiæ per bonæ memoriæ B. Grosseran. Episcopum tunc viventem, nostras affectuosas litteras, mentem super hoc nostram exprimentes, apertius duximus dirigendas personam Regiam, per eas rogantes & obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, tibi nihilominus in remissionem peccaminum injungendo, ut si conservarent in his facta relatibus, ea sic celeriter & omnino corrigere ac emendare curares, ut exinde divinæ retributionis præmium consequi merereris; prout in eisdem litteris plenius diffusiùs & seriosiùs continetur. Alioquin te scire volumus quod circumspectio dictæ sedis non posset talia sub dissimulatione transire, quin contra eos qui forent culpabiles in præmissis, justitia suadente, procederet prout ei expediens videretur.

Sed, licet tibi prædictas litteras præfatus Episcopus præsentarit earumque contenta didiceris, responsionem tamen Regiam super illis, nec per eum, neque per litteras, aut nuncium Regium nobis postmodum direxisti: quod si diligenter attenditur causam admirationis includit cum tanti & tam ardui negotii qualitatem tam intime sedem contingentis eandem, dignæ sequi responsionis oraculum debuisset.

Cum itaque negotium ipsum cordi specialiter ha-

habeamus, nec possimus, sicuti nec debeamus, præmissa dissimulationi relinquere, cum in grave libertatis Ecclesiasticæ detrimentum & ejusdem sedis contemtum non modicum, cedere dignoscatur.

Magnificentiam Regiam, iteratis & attentis precibus, rogandam duximus & hortandam quatinus, ob divinam, & ipsius sedis reverentiam, tuæque salutis & honoris augmentum, prædicta celeriter corrigas & emendes.

Et nihilominus tuæ intentionis propositum, & quod etiam feceris in hac parte, nobis per tuas litteras, non differas intimare, ne te successu temporis, Terræ sanctæ negotium, quod salubriter assumpsisse dignosceris, prosequente, tibi forsan Ecclesiam reputes illusisse, si per eam, suadente justitia, procedi contigerit ad correctionem debitam prædictorum.

Sic te in his efficaciter habiturus, ut Regiæ devotionis promptitudinem, quam in hoc facilem cupimus inveniri condignis laudibus attollamus.

Datum apud Urbem Veterem sexto Idus Junii, Pontificatus nostri Anno quarto.

CÆLESTINUS V.

PONTIFEX CXCIV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.

Vide Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 169.

I. Ex Archiv. Ang. Rimer. Tom. 2. pag. 657.

Bulla Monitoria Regi Angliæ super Pace inter ipsum, & Philippum Regem Franciæ Anno 1294.

Fungentes pii Patris officio ad prosperum statum universalis Orbis intendimus, sed ad tuum, fili carissime Regnique tui voto propensiori ducimur, & more paterno te ad ea, quæ tuæ saluti expediunt ac honori & utilitatibus tuis & ipsius Regni congruunt, salutaribus exhortationibus excitamus, ut deducta per te in rationis examen, admittantur devotius, & admissa tibi Regnoque prædicto, ad salutem, concedente salutis auctore, proficiant; pacem universaliter germinent producantque quietem.

Progenitores quidem tui Christianissimi Principes, erga Deum, & Romanam Ecclesiam clariori devotione fulgentes, perfecta circumspectionis imbuti prudentia, vitatis scandalis, pacem undique coluerunt, plenis eam amplexantes affectibus, totisque studiis perquirentes, quæ inter alia insita eis dona virtutum, ipsorum statum & nomen exaltavit felicioribus incrementis.

Ipsa enim à Domino suis discipulis testamentali quodam edicto relicta, cultores suos opibus beatæ fertilitatis amplificat, & illis quos suavitatis ejus reddit impius seductor expertes, utriusque boni præmium impeditur.

Profecto nostrum & fratrum nostrorum acriter percusserunt auditum, attulerunt lacerationis incendia nostris & ipsorum præ dolore visceribus amari rumores, nostris nuper auribus referentes quod inter te, & carissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem, materia erat dissensionis exorta, ob quam hinc inde, proh dolor! munimenta bellica parabantur, non utinam! corporum & animarum dispendia, non utrique Regno irreparabilia pericula & Terræ sanctæ per consequens illatura.

Licet igitur inter assiduas curas & immensas sollicitudines, quæ nobis ex Ministerio Apostolicæ servitutis incumbunt, singulos Orbis Terræ Catholicos Principes, & universos Christi fideles, in pace libenter, & unitate servemus, de salubri tamen statu tuo & dicti Regis, ac tui ejusque Regnorum, eo nimirum libentius, eoque sollicitius & profundius cogitamus, quo te, ac Regem eundem & dicta Regna ipsa Mater Ecclesia sinceriori caritate prosequitur, & in te ac ipsis majori securitate quiescit ac plenius delectatur.

Unde vias perquirentes & modos, quibus auctore Deo, inter te, ac præfatum Regem super hujusmodi exorta discordia, & salubre adhibere remedium, & futuris obviare periculis valeamus, aliquos ex fratribus ipsis, vel alios, de quibus qualitas facti suaserit, pro reformanda hinc inde concordia proponimus, illuc celeriter destinare: utinam! possibilitas nobis adesset nostram ibi exhibendi præsentiam, ut aliis prætermissis agendis, præsentialiter ostenderemus effectu, quod in votis gerimus in hac parte; sed localis distantia & proprii senectus corporis, non permittunt.

Quare celsitudinem Regiam rogamus, & obsecramus in filio Dei patris, quatinus diligenter attendens, quod tuis & prædictorum progenitorum tuorum votis divina multipliciter favit clementia, & si propterea te sibi deceat gratum, & acceptum & placidum exhibere, si pro sui reverentia nominis quicquam interdum molestiæ ferre cum patientia tenearis, & si per te solerti studio sint vitanda, quibus ejus viscera lacerantur.

Considerans quoque prudenter, quàm sit apud Deum & homines detestandum, quod te ac præfatum Regem tam propinquo gradu consanguinitatis astrictos, tamque contigua vicinitate conjunctos, fomites odiorum inficiant, dissensionum discrimina lacerent, ac actus reddant bellici, quod avertat altissimus inquietos: quantum quoque præcavere te deceat, ne tui occasione ipsi Terræ Sanctæ depereat, ne hujusmodi prætextu discordiæ Christiani nominis inimici fortius invalescant & abjiciens, quæsumus inimicas fluctuationes ab animo tanquam Athleta Christi Orthodoxæ Religionis cultor eximius, pugil Ecclesiæ strenuus, ipsam odientium æmulus, pacis amator inclitus, pacis custos egregius pacem persequentium inimicus; prosequens diligentius viam pacis, à quibuslibet interim processibus velis & actibus abstinere per quos, quod absit à Deo, valerent hinc inde odiorum flammæ concrescere adeo invalere discrimina, quod aut impossibile, aut nimis difficile forsitan redderetur salubre in talibus, ac desideratum posse remedium adhiberi.

Sic ergo verbis nostris aures devotus inclines, & precibus Apostolicis acquiescas, quod Dei non incurras offensam, quin immo filiali sibi devotione complaceas, ac suam & Apostolicæ sedis benedictionem, & gratiam plenius exinde merearis.

Et ecce! dilectum filium Magistrum Bertrandum dictum Delgot, Canonicum Lugdunen. Capellanum nostrum exhibitorem præsentium, exaltationis tui nominis, honoris & culminis fervidum Zelatorem, nunc ad præsens tuæ magnitudini duximus nihilominus destinandum, qui te super præmissis de intentione nostra plenius informabit.

Datum Aquilæ sex non. Octobris, Pontificatus nostri Anno primo.

BONIFACIUS OCTAVUS, PONTIFEX CXCV.

ANNO DOMINI MCCXCIV.

Bonifacius, Benedictus Cajetanus anteà vocatus, Cœlestino V. fuit subrogatus. Cardinales Jacobum, & Petrum Columnam persequutus est. Philippum Pulchrum Galliæ Regem ob Episcopum Apamensem carceri inclusum diris devovit. Indè Gibellinorum ope à Sciarra Columna, & Willelmo Nogareto Regis jussu captus est. Paulò post obiit Bonifacius anno 1303. (*Magni Bullarii Romani, Tomus I. hujus Editionis Luxemb. fol.* 173.)

I. Bulla de Abdicatione Celestini Papæ V. & Electione Bonifacii VIII. anno 1295.

Ex Arch. v. Rimer. Tom 2. pag. 6.7.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio, Edvardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Gloriosus & mirabilis in operibus suis Deus, qui cum sit in misericordia copiosus in hujus orbis orbita plena malis, contacta dissidiis innumeras miserationes exercet, Ecclesiam suam quam ipse summus opifex rerum instituit ac supra fidei firmam petram alta & solida fabrica stabilivit opportunis favoribus prosequi non desistit.

Assistit enim illi miserator & propitiator assiduus, non obdormiens, nec dormitans in suarum opportunitatum eventibus pervigil custos ejus. Ipse siquidem sibi est in turbatione solamen, in necessitate succursus, tumque maxime in adjutorium ejus sua pietas larga diffunditur, cum adversus illam mundi nubila tempore caligante levantur, quæ inter molestias & afflictiones intrepida colligens in vexatione vigorem, in ipso malorum instantia convalescit; Nam, divino semper munita præsidio, nec comminationum strepitu deterretur, nec adversitatum superatur incursu, sed in terroribus tutior & constantior, in adversis pressa prævalet, passa triumphat.

Hæc est Archa, quæ per confluentias & multiplicationes aquarum elevatur in altum, & subactis culminibus montium libera & secura profundas impetuosi diluvii calcat undas. Hæc est utique navis, quæ, vento contrario irruente, strepentis maris furibundis motibus agitatur firma tamen & solida, fragoribus non dissipatur æquoreis, nec marini furoris rapiditate sorbetur; sed elatas procellas obruens, ac spumosa & tumida freta sternens triumphantes exequitur suæ navigationis incessum; quæ ad vitalem crucis salvificæ arborem rectæ intentionis alis totaliter elevatis, in cælum semper intenta, procellosum intrepide mundi pelagus peragrat: Eo quod secum habet seduli gubernatoris auxilium, marium præceptoris; unde, regente illo & dirigente salubriter, ac spiritu sancto stante, adversitatum quarumlibet nebulis dissipatis, victoriosa peregrinationis suæ liberum ágit iter, ad patriæ cælestis portum supernis nutibus feliciter perducenda. Cumque sic adversis innumeris prematur & turbetur Ecclesia illa, in intimis ipsam acerbiùs sauciat, dum insque ferit adversitas, cum Pastore utili & provido viduatur.

Sed licet sæpiùs Ecclesia eadem Pastoris regimine destituta, longæ viduitatis lamenta protraxerit, expectando gemebunda diutiùs consolationem plenariam successoris; in hujusmodi tamen mæroris nubilo, dignanter illi clementia divinæ pietatis illuxit, doloribus & necessitatibus suis opportunè subveniens, per substitutionem optatam & delectabilem novi sponsi, ac eam de omissione prioris, interdum inutilis, per promotionem mulcebrem accommodi successoris instaurans.

Sanè vacante Romana Ecclesia per liberam & spontaneam dilecti filii fratris Petri de Morrono, olim Romani Pontificis, cessionem, coram venerabilibus fratribus Episcopis; & dilectis filiis nostris Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ex certis rationabilibus & legitimis causis, factam ab ipso in Festo Beatæ Luciæ Virginis proximo præterito, & à Cardinalibus prædictis admissam. Cum illam posse sic legitimè fieri & priorum gesta Pontificum & Constitutio declararent apertiùs; & ad eam etiam faciendam expressus accesserit Cardinalium prædictorum assensus.

Cardinales ipsi, considerantes attentius quàm sit onusta dispendiis, quam gravia malorum incommoda secum trahat prolixa Ecclesiæ memoratæ vacatio; & propterea votis ardentibus cupientes, per efficacia & accelerata remedia hujusmodi periculis obviare. Die Jovis, decimo Kal. Januarii post Festum subsequente prædictum, missarum solemniis ad honorem Sancti Spiritus celebratis, hymnóque solito cum devotione cantato, se in quodam conclavi, apud Castrum novum Civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem frater cum sua residebat familia, incluserunt; ut per mutui commoditatem colloquii, Ecclesiæ prædictæ provisio, superna cooperante virtute, celerius proveniret. Die verò veneris immediatè sequente præfati Cardinales, mentis oculis erectis ad Dominum, pia desideria benignius prosequentem, in electionis negotio, per viam scrutinii, ferventibus studiis, ut prædicta vitarentur incommoda, procedentes. Et tandem, cum divina Clementia, Ecclesiæ prælibatæ compatiens, eam nollet ulterioris vacationis periculis subjacere, ad personam nostram licet immeritam, intentum animum dirigentes; quamquam inter eos quam plures magis idonei, & digniores etiam haberentur.

Nos tunc tit. Sancti Martini Presbyterum Cardinalem in summum Pontificem canonicè elegerunt, gravis oneris sarcinam nostris debilibus humeris imponendo. Nos autem, profunda & sedula meditatione pensantes difficultatem officii pastoralis continui laboris angustias, & præcellentiam Apostolicæ dignitatis, quæ sicut honoris titulis altioris attollit, sic magnitudine ponderis deprimit gravioris, attendentes insuper nostræ multiplicis imperfectionis instantiam, expavimus & hæsitavimus vehementer nimioque concessum extitit stupore cor nostrum.

Nam cùm ad tolerandas particulares vigilias, vix nobis possibilitas nostra sufficiat, ad universalis speculæ solicitudinem vocabamur, & intolerabile Apostolici ministerii jugum inferebatur, instanter debilitatis nostræ cervici jugiter supportandum, ac meritorum non suffulti præsidio, ad suscipiendas Apostolorum Principis Petri claves & gerendum super omnes ligandi & solvendi Pontificium angebamur.

Veruntamen ne divinæ providentiæ opus impedire forsitan videremur aut nolle nostræ voluntatis arbitrium suo beneplacito conformare, ac etiam ne corda electorum concordia per nostræ dissensionis objectum, ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem, ad subeundum jugum hujusmodi nos-

ANNO 1295.

tros impotentes humeros submittendo: non quod de aliqua nostræ probitatis virtute fiduciam habeamus, sed quia in ejus speramus clementia qui confidentes in se non deserit, sed eis propitius opportunis auxiliis semper adest, quique, de sublimi polorum solio, Ecclesiam sponsam suam intuetur misericorditer & tuetur, suæque illam exaltare non desinit copiosis beneficiis pietatis.

Ideoque celsitudinem Regiam rogamus, & hortamur attentè ac obsecramus in Domino Jesu Christo, quatinus, diligenti meditatione considerans quod judicium diligit Regis honor, metas justitiæ curiosus observes, illamque sincerè diligere studeas, æquitatem non deserens, Clementiam non omittens, ut subjectus tibi populus copiosus in pacis pulchritudine sedeat, & in requie opulenta quiescat. Ecclesiam insuper, matrem tuam, & ipsius Prælatos, nostri utique Salvatoris ministros, cæterasque personas Ecclesiasticas, ejus obsequiis dedicatas; quin potius in illis Regem Cælorum & Dominum, per quem regnas & regeris, incessanter & solerter honorans, ipsos Regii favoris ope confoveas, & in plenitudine libertatum, aliorumque suorum jurium efficaciter protegere studeas & tueri. Sicque in his, tanquam filius benedictionis & gratiæ, te geras & dirigas quod, claræ memoriæ Progenitores tuos, qui erga præfatam Ecclesiam summæ devotionis & reverentiæ titulis, dum viverent, claruerunt, non solum imitari sollicitè, sed etiam evidenter excedere dignoscaris, ad laudem & gloriam Dei Patris, & celebre, magnumque tui honoris & nominis incrementum.

De nobis autem, ut pote Patre benivolo & sincero, qui te, prout celsitudinem Regiam latere non credimus in minori etiam officio constituti, affectuosè dileximus & diligere non cessamus, spem certam & fiduciam firmam gerens in tuis & ejusdem Regni negotiis & opportunitatibus, quæ occurrent, ad nos recurrere non postponas.

Nam in his, super quibus ex parte Regia, fuerimus requisiti, libenter, quantum cum Deo poterimus, votis Regiis annuemus; tuam & ejusdem Regni prosperitatem omnimodam, non solum studiis conservare sollicitis, sed etiam plenis augmentare favoribus intendentes. Datum Lateran. nono Kal: Februarii Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Archiv. Ap. l. Rimer Tom. 2. pag. 700.

De Concessionibus, & actis quæ antecessor ejus Cœlestinus imprudenter, & ignoranter fecerat revocandis, & adnullandis: anno 1295.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomæo, nato nobilis Viri Francisci de Sancto Angelo, Rectori Parrochialis Ecclesiæ Sancti Nicolai de Midalton Vuintoniensis Diocesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

OLim dilectus filius frater Petrus de Murrone, tunc Celestinus Papa quintus, Antecessor noster, devictus instantia & ambitione nimia plurimorum: ignarus eorum, quæ & juris debitum & gravitas pastoralis, cui præsidebat, officii requirebant: seductus insuper atque deceptus per captiosam astutiam & deceptibilem aliquorum; fecit diversa, & concessit varia minus dignè, inordinata & insolita, quorum aliqua subticemus ex causa, sub cujus bulla non nulla, ut fertur, præter ipsius conscientiam, transierunt, quæ non indignè immo necessariæ limam correctionis Apostolicæ exposcebant.

ANNO 1295.

Undè, dicto antecessore, ex causis legitimis, Papatui sponte cedente,

Nos, postmodum dispositione divina, ad apicem summi Apostolatus assumpti, ut sedes Apostolica ipsius antecessoris actus lucidius discutere posset, & in melius reformare, ejusque errata corrigere, omissa supplere, ac in irritum revocanda deducere omnia privilegia & litteras gratiosas, super quibuscumque gratiis, vel gratiosis concessionibus, de quibuscumque juribus, rebus, vel bonis, quæ quoquo modo processerant, seu quæ obtenta fuerant ab eo: nec non quæ ab antecessore prædicto, verbo seu litteris, facta, concessa, data vel indulta fuerant quibuscumque personis Ecclesiasticis, quæ per alias nostras litteras, super hoc generaliter factas, & publicatas, revocata non essent, nec penitus annullata, quantum ad omnem effectum eorum de fratrum nostrorum consilio & assensu suspendentes.

Volumus, & districtè præcipimus ut hujusmodi gratias obtinentes, infra certi temporis spatium, quod quidem tempus pro peremtorio termino assignavimus, ipsa nostro & præfatæ sedis conspectui præsentarent, & ad nostram & dictæ sedis notitiam deducerent Apostolicæ discussionis examen justo judicio subitura: ipsaque sic manere suspensa, quousque per sedem ipsam forent ex certa scientia approbata.

Alioquin ex tunc illa, & quicquid ex eis, vel ab ea secutum esset, vel imposterum sequeretur, Apostolica auctoritate, de potestatis plenitudine, cassavimus, irritavimus, & vacuavimus: cassa, irrita & vacua nuntiavimus; ipsa omnino carere viribus decernentes.

Tu verò nuper quasdam litteras præfati Antecessoris, super collatione & provisione, tibi factis per eum, de Ecclesia Sancti Nicolai de Midalton Vintoniensis Diocesis, curam animarum habente, tunc vacante per mortem quondam Magistri Bernardi de Neapoli, Notarii Sedis Apostolicæ, ipsius Ecclesiæ Rectoris: per quas etiam dictus antecessor tecum dispensavit, ut Ecclesiam de Midalton, una cum Archidiaconatu, quem in Bojanensi, ac Canonicatibus & Præbendis, quos in eadem Bojanensi & Theatinensi Ecclesiis obtinens, posses insimul licitè retinere, constitutione generalis Concilii, super hoc edita non obstante.

Nec non & alias ejusdem Antecessoris certi tenoris litteras, directas certis executoribus, super executione provisionis hujusmodi.

Infra præscriptum tempus, à nobis ad hoc, ut prædicitur, assignatum, dilecto filio Magistro Petro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, cui commisimus receptionem talium litterarum, prout ex relatione ipsius Vicecancellarii plenè didicimus, præsentasti; nobis humiliter supplicans, ut providere tibi super hoc paterna diligentia curaremus.

Nos igitur non intendentes dispensationem hujusmodi, quæ aliàs per constitutionem nostram, sicut & omnes aliæ tales, fore dignoscitur revocata aliquatenus approbare: sed volentes ut facta de dicta Ecclesia de Midalton, per eundem antecessorem provisio tibi fructuosa reddatur, tuis supplicationibus inclinati, easdem litteras, & quicquid ex eis secutum est, dispensatione prædicta, & his quæ pertinent ad dispensationem ipsam exceptis, auctoritate Apostolica ex certa scientia approbamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Id. Decembris Pontificatus nostri anno primo.

Quod

ANNO 1295.

III. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. I. Pars I. pag. 33.

Quod Conservatores concessi certis Ecclesiis à sede Apostolicâ ab injuriis manifestis defendantur, qui jubentur esse Canonici, aut prædicti dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus Anno 1295. *Conferatur Cap. statutum II. de rescriptis in sexto.*

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam.

STatuimus, ut *Conservatores*, qui ab Apostolica sede conceduntur interdum, ut aliquos à manifestis injuriis & molestiis tueantur, sint in alicujus Civitatis Ecclesia Cathedrali Canonici vel dignitatem aliquam seu personatum in Civitate vel Dioecesi ejus obtinentes, extra quam siquidem civitatem aliquam vel aliquos ad judicium evocare non valeant, nec etiam procedere contra illos, qui de Civitate vel Dioecesi non fuerint supra dictis, sed infra Civitatem eandem dumtaxat de commissis sibi negotiis sive causis possint cognoscere, aliis tamen vel aliis committere nequeant vices suas, nisi expressè hoc eis ex litterarum conservatoriarum beneficio competere dignoscatur.

Citationes tamen & denunciationes sententiarum, quas iidem personaliter tulerint, possint tantummodo infra Civitatem vel Dioecesim prædictam facere per se vel alium seu alios, qui de Civitate vel Dioecesi fuerint memoratis, quodque conservatorum ipsorum, quo ad non cœpta negotia ipso jure expiret officium post obitum concedentis, ubi verò hujusmodi Civitas minimè haberetur, seu destructa fortasse existeret, & in ejus Dioecesi locus reperiretur insignis in loco ipso de hujusmodi negotio cognoscatur & totalis processus habeatur in ipso.

Cum autem per Capitulum Cathedralis Ecclesiæ alicujus Civitatis vel singulares personas ipsius aut per immediatum superiorem eorum, ut pote Patriarcham, Primatem, Archi-Episcopum, vel Episcopum quisquam se diceret molestari, tunc illi taliter proponenti ipsoque volente poterunt Conservatores concedi, hi, qui in ipsa Ecclesia Cathedrali Canonicatus habeant, vel personatum seu dignitatem in Civitate vel Dioecesi prælibatis, vel si maluerit impetrator sibi concedantur conservatores, qui Canonicatum habeant in Cathedrali Ecclesia Civitatis vel *personatum*, seu dignitatem in eadem Civitate, vel ejus Dioecesi vicinis seu conterminis Civitate vel Dioecesi illorum, contra quos, ut præmittitur, tales contingeret conservatores concedi, sed nihilominus etiam in hoc casu extra dictas Civitates vel Dioeceses ad judicium evocetur, nec contra quoslibet, qui de Civitatibus seu Dioecesis prædictis non fuerint, nec extra Civitatem in cujus Cathedrali Ecclesia Canonicatum vel in qua seu cujus dioecef. si dignitatem aut personatum obtinent, possint de negotiis sibi commissis cognoscere, vel ferre sententiam contra eos. Adjicimus insuper statutum hujusmodi, ut judices, qui in Litteris de simplici justitia conceduntur sint in alicujus Civitatis Ecclesia Cathedrali Canonici, vel personatum, seu dignitatem in eadem Civitate vel ejus dioecesi obtinentes, extra quam Civitatem vel Dioecesim aliquos ad judicium evocare non valeant, nec procedere contra illos, qui de Civitate vel Dioecesi non fuerint supra dictis, infra quam etiam Civitatem dumtaxat de commissis sibi negotiis sive causis personaliter possint cognoscere, ac vices suas, quoad cognitionem causarum talium commissarum eisdem, vel *pro lationes interlocutoriarum vel deffinitivarum sententiarum* aut ipsarum executiones committere nequeant, nisi his, qui in ejusdem Civitatis Cathedrali Ecclesia Canonicatum, vel in ipsis Civitate vel Dioecesi dignitatem obtinent seu etiam personatum, sed nec alia media causæ articulos vel ministeria certa minora committere liceat, nisi personis Civitatis vel Dioecesis earumdem.

Cum autem contra Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, alicujus Civitatis vel singulares personas ipsius, aut contra immediatum superiorem ipsorum, ut pote Patriarcham, Primatem, Archi-Episcopum vel Episcopum hujusmodi litteræ de simplici justitia impetrantur expressè impetratore volente concedi poterunt judices talium litterarum, qui in ipsa Cathedrali Ecclesia Canonicatum habeant, vel personatum seu dignitatem in eisdem Civitate seu Dioecesi, vel si maluerit impetrator concedantur judices, qui Canonicatum habeant in Cathedrali Ecclesia Civitatis vel personatum seu dignitatem in eadem Civitate vel ejus Dioecesi vicinis, continuis seu conterminis Civitati vel Dioecesi illorum, contra quos, ut præmittitur tales judices impetrantur, in hoc etiam casu nullus extra dictas Civitates vel Dioeceses ad judicium evocetur, nec procedatur contra eos, qui non fuerint de Civitatibus vel Dioces. memoratis.

De causis auctoritate & negotiis sibi commissis in Civitate in cujus Ecclesia Cathedrali Canonicatum, vel in qua seu cujus Dioecesi personatum vel dignitatem obtinent dumtaxat cognoscant, nec quoad cognitionem de negotiis & causis ipsis prolationem interlocutoriarum vel diffinitivarum sententiarum vel executionem ipsarum possint aliis vel aliis committere vices suas, qui in ejusdem Civitatis Cathedrali Ecclesia, Canonicatum vel dignitatem seu personatum in Civitate ac Dioecesi non obtinent supra dictis, sed nec alia media causæ, articulos vel ministeria certa minora committant, nisi personis Civitatis & Dioecesis earumdem; decernimus quoque, ut ipso jure sit irritum & inane, si quid contra præmissa contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, sexto Idus Aprilis 1295. Pontificatus nostri Anno primo.

IV. Ex Annal. Massiliens. J. B. Guesn. pag 389.

CAROLUS II. Siciliæ Rex, & Synodus Sanmaximinensis literas synodicas & communicatorias de inventione Reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ ad Bonifacium miserunt, & approbationis, ac confirmationis responsum retulerunt, præsenti diplomate egregium reliquiis D. Magdalenæ tribuente testimonium: anno 1295.

ANNO 1295.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri salutem, & Apostolicam benedictionem.

OB tuorum excellentiam meritorum, quibus regalis sublimitas dignoscitur insignita, non indignè petitiones tuas quantùm cum

Deo possumus libenti animo exaudimus, illas præcipuè, quæ cultus divini numinis augmentum respicere dignoscuntur. Sanè habet tua insinuatio facta nobis, quod ob magnæ devotionis affectum, quem ob B. Mariam Magdalenam geris in Ecclesiæ S. Maximini Ordinis Fratrum Prædicatorum Aquensis Diœcesis, tunc ad Monasterium S. Victoris Massiliensis Ordinis S. Benedicti immediatè spectante, in qua est Corpus Sanctæ dictæ reconditum, cultum divini nominis adaugeri desideras, & in honorificum ejusdem Sanctæ præconium per celebre ministerium solennius deserviri. Propterea devotius supplicasti, quod Ecclesiam ipsam cum domibus, & officinis, ac vacuis aliis sibi conjunctis, nec non Thesauro, reliquiis & ornamentis Ecclesiasticis, & oblationibus eidem Ecclesiæ proventuris pro executione tàm laudandi propositi, per quod hujusmodi tuum desiderium efficacius, & liberius adimplere valeas, ad hoc deputare ministerium de Apostolicæ potestatis præsidio dignaremur.

Nos igitur attendentes, quod tu eximiam devotionem à te habitam ad præfatam sanctam ex eo præcipuè per operis evidentiam ostendisse dignosceris, quod olim dum incertus existeret locus, ubi sepultum fuerat corpus ipsum, ad illud inquirendum, & inveniendum efficax studium impendisti, & tandem eodem invento ipsum in dicta Ecclesiâ fecisti cum debita devotione, ac reverentia conveniente ad hoc cleri, ac populi partium illarum copiosa multitudine tumulari. Ac intendentes in hac parte favorabiliter votis tuis annuere, præcipuè cum de prædictis multa fide viderimus oculatâ, præfatam Ecclesiam cum domibus, Officinis, & vacuis aliis sibi conjunctis, nec non thesauro, reliquiis ornamentis Ecclesiasticis, ac omnibus oblationibus eidem Ecclesiæ perventuris, sic ad præfatum ministerium specialiter deputamus, ut licentiam habeas Prioratum inibi de Ordine Prædicatorum sub ipsius ordinis approbata observantia regulari, illo Fratrum numero, qui tibi expedire videbitur ordinandi. Nos enim ipsam Ecclesiam cum prædictis pertinentiis suis, & Prioratum ut permittitur inibi ordinandum, in jus, ac proprietatem B. Petri, & Apostolicæ Sedis recipimus, ipsos ab omni potestate, jurisdictione, & Dominio dicti monasterii, & Abbatis, & Conventus ejusdem, & quorumlibet Ordinariorum perpetuò ex certâ scientia ducimus eximendos. Amplius tibi præsentium auctoritate concessâ, quod Prior, qui præerit in prioratu prædicto pro tempore, ad tuæ requisitionis, & informationis instantiam, correctionem, & reformationem in loco ipso facere teneatur. Non obstantibus quibuscumque privilegiis ab Apostolicâ sede sub quacunque forma verborum Ordini Prædicatorum præfato concessis, quæ huic nostræ deputationi, receptioni, exemptioni, & concessioni fortassis obsisterent, etiamsi oporteret de illis expressam, vel de verbo ad verbum præsentibus fieri mentionem. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ deputationis, receptionis, exemptionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Apostolorum Petri & Pauli ejus se noverit incursurum?

Datum Laterani 8. Idus April. Pontificatus nostri anno primo.

V.
Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 2. pag. 706.

De Tallagio ab Ecclesiasticis Personis Papæ licentia non obtentâ non concedendo: anno 1296.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CLericis laicos infestos oppidò tradit antiquitas: Quod & præsentium experimenta temporum manifestè declarant; dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ac ad illicita fræna relaxant.

Nec prudenter attendentes, quàm sit eis, in Clericos, Ecclesiasticasve personas, & bona, interdicta potestas Ecclesiarum Prælatis Ecclesiis Ecclesiasticisque personis, regularibus & secularibus imponunt onera gravia ipsosque talliant, & eis collectas imponunt ab ipsis suorum proventuum vel bonorum dimidiam decimam, seu vicesimam vel quamvis aliam portionem aut quartam exigunt & extorquent; eosque moliuntur multifarie subjicere servituti suæque submittere ditioni.

Et (quod dolenter referimus) non nulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæque personæ, trepidantes ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes majestatem temporalem offendere quàm æternam, talium abusibus, non tàm temerariè quàm improvidè acquiescunt, sedis Apostolicæ auctoritate seu licentia non obtenta.

Nos igitur, talibus iniquis actibus obviare volentes, de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate statuimus.

Quod quicunque Prælati Ecclesiasticæque personæ religiosæ vel seculares quorumcumque Ordinum, conditionis, seu status, collectas, vel talias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiarum proventuum vel bonorum, laicis solverint vel promiserint, vel se soluturos consenserint: Aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipsorum proventuum vel bonorum, æstimationis vel valoris ipsorum, sub adjutorii mutui subventionis, subsidii, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo vel quæsito colore, absque auctoritate sedis ejusdem.

Nec non Imperatores Reges, seu Principes, Duces, Comites vel Barones, Potestates, Capitanei vel Officiales, vel Rectores quocunque nomine censeantur, civitatum, castrorum, seu quorumcunque locorum, constitutorum ubilibet.

Et quivis alii, cujuscunque præeminentiæ, conditionis, & status, qui talia imposuerint, exegerint vel receperint; aut apud ædes sacras deposita Ecclesiarum vel Ecclesiasticarum personarum, ubilibet arrestaverint saisiverint seu occupare præsumpserint; vel arrestari, saisiri, aut occupari mandaverint; aut occupata, saisita, seu arrestata receperint.

Nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publicè vel occulte.

Eo ipso sententiâ excommunicationis incurrant.

Universitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto.

Prælatis & personis Ecclesiasticis supra dictis, in virtute obedientiæ, & sub depositionis pæna, districtè mandantes, ut talibus, absque expressa licentia dictæ Sedis, nullatenus acquiescant: Quodque, prætextu cujuscunque obligationis, promissionis, & confessionis, factarum hactenus, vel faciendarum in antea priusquam hujusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum, ad notitiam ipsorum pervenerit, nihil solvant; nec supra dicti seculares quoquo modo recipiant.

Et

ANNO 1297.

Et si solverint, vel prædicti receperint in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

A supra dictis autem excommunicationum & interdicti sententiis nullus absolvi valeat, præter quam in mortis articulo, absque sedis Apostolicæ auctoritate & licentia speciali, cum nostræ intentionis existat, tam horrendum secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire.

Non obstantibus quibuscumque privilegiis, sub quibuscumque tenoribus, formis, seu modis, aut verborum conceptione, concessis Imperatoribus, Regibus, & aliis supra dictis, quæ contra præmissa, in nullo volumus alicui, vel aliquibus suffragari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, prohibitionis, seu præcepti infringere, seu ausu temerario contra ire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto Kal. Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

VI. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 603.

De Matrimoniis in ordine ad pacem contrahendis, & detentione Regni Scotiæ Anno 1297.

BONIFACIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Regalis excellentiæ litteras nuper nobis per certos nuncios præsentatas gratanter & affectuose recepimus intuitu destinantis: & earum serie, multa nimirum devotione conspicua, & multiplici affectione præclara, diligentius intellecta, concepimus uberem infra pectoris arcana lætitiam, exultantes in Domino vehementer, quia te ut pote filium benedictionis & gratiæ semper invenimus ad beneplacita nostra paratum, & promtum ad omnia quæ consonent votis nostris.

Quamobrem personam Regiam sincera caritate dileximus, & diligere non cessamus, ad tui honoris & exaltationis incrementa felicia, plenis favoribus, & vigilantibus studiis intendentes.

Porrò, fili carissime, literarum ipsarum, inter cætera, tenor aperuit, quod postquam tuæ magnitudinis nuncii, ad nos hactenus destinati super negotio, quod inter te, & carissimum in Christo filium nostrum, Philippum Regem Francorum illustrem, verti conspicitur, ad sedem Apostolicam accesserint, pro eo quod ipsorum aliqui, morte præventi, aliqui verò in itinere gravi fuerunt ægritudine præpediti, nullus eorum ad Regiam celsitudinem remeavit, licet venerabilis Frater noster Vintonien. Episcopus qui de ipsorum numero fuerat nuntiorum, ad te, juxta Civitatem Dunelmensem, tunc temporis constitutum post Festum beati Martini proximo præteritum, reversus extiterit, nullas tibi ex parte nostra litteras deferendo, per quas in prædicto posses negotio, prout necessitatis exigebat articulus, informari, nec alias in negotio ipso instructus existeres, unde innotescere tibi posset, qualiter à te in præfato foret negotio procedendum.

Quarè suppliciter postulabas, ut quod in eodem vellemus ordinare negotio, quodque in ipso jam duximus ordinandum, & qualiter etiam deberes te gerere, ac procedere in eodem magnitudini Regiæ aperire latius dignaremur, cum paratus existas in his & aliis nostræ parere beneplacito voluntatis.

Sanè latere te nolumus, quod nos Patris more benevoli, quem non prætereunt incommoda Filiorum, graviter & molestè ferentes discordiam, pridem inter te ac eundem Regem, procurante pacis æmulo suscitatam, & recogitantes attentius, quod ex guerrarum discrimine, prout Magistra rerum experientia manifestat, non solum bonorum damna multimoda, sed etiam animarum, & corporum pericula gravia generantur, prætactum negotium, quantumlibet laboriosum, & arduū, variisque difficultatibus circumplexum, pro tuo, & ejusdem Regis, cunctorumque fidelium statu pacifico & tranquillo, ac etiam pro instanti necessitate multiplici Terræ sanctæ, quam prout non sine mentis plurima turbatione referimus, Agarenorum nephanda præsumtio in totius Christianitatis opprobrium detinet occupatam benigne duximus assumendum, in eo etiam, ultra posse, in tui favoris auxilium sicut jam dictis Nunciis, oraculo vivæ vocis expressimus procedentes.

Sed revera, nostris sensibus non indignæ admirationis causa suboritur, si per alicujus nuntiorum ipsorum superstitis solertium curiosam ad Regiæ Serenitatis notitiam hujusmodi processus nostri certitudo plenaria non pervenit.

Nos autem firma fiducia ducimur, spesque nobis indubia pollicetur quod, si super præmissis tuum ore tenus possemus habere colloquium, quod vehementius affectamus, quodque libentissimè duceremus in actum, senectuti aut debili nostri corporis statui, seu laboribus non parcendo, præmissa discordia penitùs sedaretur, ac pacis & concordiæ stabilis votiva fœdera sequerentur.

Verum, gerentes cordi negotium supra dictum, & ad desideratam & celerem expeditionem ipsius, votis ferventibus anhelantes, venerabilem Fratrem nostrum R. Vicentini Episcopum sumpta de ipsius experta prudentia, & fidelitate probata fiducia pleniori, ad præfati Regis præsentiam pro hujusmodi negotio destinamus, qui juxta mandati nostri tenorem à nobis ore tenus sibi facti, per se, si ei commoditas facultatis affuerit, vel per alium super præmissis, quorum plenam notitiam obtinet, magnitudinem tuam pleniùs informabit.

Hortamur autem prudentiam Regiam tibique ab intimis suademus, ut te à linguis maliloquis, & dolosis astutiis aliquorū, qui ex guerrarum turbinibus lucra quærunt, & emolumenta venantur, seduci, vel perverti, seu decipi, non permittas.

Nec ad illa induci vel attrahi, quæ tuis laudibus derogant tuumcumque nequaquam respiciunt commodum & honorem.

Quia verò in hujusmodi nostro processu, super jam dicto negotio habito de nonnullis matrimoniis contrahendis ordinare curavimus, ut ipsius negotii expeditio, favente Domino, proventura robur potioris suscipiat firmitatis omnino volumus quod hujusmodi matrimonia, sublato dilationis obstaculo, contrahentur, per quæ, prout firma spe ducimur, & indubitabili credulitate tenemus, universa, quæ inter te ac eundem Regem proxima tibi consanguinitate conjunctum, dissensionis malitia deformasse conspicitur, concordiæ Unitas, perpetuis valitura temporibus reformabit.

Cæterum super facto Regni Scotiæ aliàs tibi nos scripsisse recolimus, inter cætera expressius intimando qualiter nostræ sollicitudinis studium procurabat & adhuc procurare non desinit, ut quod minus justè minusque licitè detinere dignosceris, juste ac rationabiliter, non sine tuæ salutis & famæ incremento multiplici possideres.

Nam qualiter in die judicii respondebis, aut quam excusationis causam prætendere poteris, coram tremendo judice qui scrutator est cordium, quique retribuit singulis, juxta suorum operum qualitatem.

Et

ANNO 1297.

Et ideo, quia personam Regiam intima dilectione prosequimur, & favore præcipuo confovemus; Regalem magnificentiam rogandam attentè duximus & hortandam, quatinus attendens sollicitè quæ sunt in hac parte solertius attendenda, super detentione ipsius Regni Scotiæ sic te providè gerere studeas, ut crescas exinde meritis apud Deum, & apud Gentium populos Regiæ laudis præconium augeatur.

Nos enim, quia circa te, ac inditam domum tuam, affectus nostræ dilectionis exuberat, parati, & prompti sumus ad omnia, quæ votis Regiis obsecundent.

Ut autem præfati nostri processus certitudinem habeas pleniorem, nonnullas tibi nostras dirigimus litteras, eundem processum seriosius continentes.

Datum Lateran. 18. Kal. Februar. Pontificatus nostri anno quarto.

VII. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1186.

Ad Galliæ Archiepiscopos. Permittit decimas colligi ex bonis Ecclesiasticis in Regni subsidium: anno 1297.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Remensi, Senonensi, Narbonensi, Rothomagensi Archiepiscopis, & Laudunensi, Catalaunensi, Aniciensi, Ambianensi, Tornacensi, Morinensi, Sylvanectensi, Parisiensi, Autissiodorensi, Trecensi, Carnotensi, Nivernensi, Ambricensi, Ebraicensi, Constantiensi, Dolensi, Cenomanensi, Lemoviensi, Mabalonensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem.

PRidem ad nostram perducto notitiam, vestris referentibus literis, quas nobis communiter destinastis, quod nefandâ hostis iniqui procurante nequitiâ, qui semper quærit ut noceat, semper quærit ut offendat, Christianissimi Regni Franciæ status turbationis multiplicis jactabatur fluctibus, & intestina discriminis gravi turbine cassabatur.

Tantò nos acriùs concepti proindè doloris aculeus pupugit major, quod turbatio nostri pectoris arcana commovit, quanto regnum ipsum specialiùs gerimus in visceribus caritatis, & potiori desiderio ducimur, ut illud prosperis sedulisve successibus affluat, & votivis dentibus fulciatur.

Sanè in literis ipsis habebatur insertum, quod vos gratia vobis ex universis Ecclesiis, ac personis ecclesiasticis dicti Regni non solum rerum, sed etiam personarum vestrarum pericula formidando, vias exquirentes, & modos quibus vobis, & eisdem Ecclesiis ac personis, adversus frementes guerrarum impulsus providentia Regia, sinè quâ impossibile tenebatis hujusmodi negotia dirigi, defensionis opportunæ remedia parentur: nobis per easdem literas humilitèr supplicastis ut charissimo in Christo Filio nostro Philippo Regi Francorum illustri pro hujusmodi communis tuitionis suffragio, in quo proprium cuilibet interesse noscebatur, impendendi subventionem congruam absque transgressione constitutionis nostræ super hoc editæ vobis, & ejusdem Regni Ecclesiis largiri ..... ciam dignaremur.

Nos autem ad ipsius Regni, & Incolarum ejus statum bonum, & prosperum, paternis studiis intendentes, ac volentes propterea benignè in hac parte annuere votis vestris .... duximus litteras concedendas, ut si casus communis, & evidentis necessitatis ingrueret, prout vestra fatebatur assertio, ac idem Rex vestram, & aliorum Prælatorum, Ecclesiarum ...... ac bonorum Ecclesiasticorum, sicut cætero locorum, ac bonorum ejusdem Regni vellet defensionem assumere, ac patenter assumeret, & efficacitèr prosequi procuraret, id quod vestra discretio videret expedire vobis, & eisdem Prælatis, Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis absque constitutionis memoratæ formidine præfato Regi pro hujusmodi vestræ, ac ipsorum Regis, & Regni interfertæ defensionis subsidio subventionem congruam, prout vobis & ceteris dicti Regni Prælatis, seu majori parti vestrum, & ipsorum aptius videretur, voluntatem liberalem, & liberam non coactam absque omni concessione, exactione, & executione temporali, vel laicali exigendi nostra fretis licentia impertiri, eamque similitèr Regi liceret recipere memorato.

Volumus autem quod si subventionem hujusmodi præstare contigerit, formam, modum, & etiam quantitatem, & quicquid super hoc fieret vestra nobis super hoc pagina referaret, & qualiter præmissa procederent, & si acceptationem; vel moderationem exigerent, clariùs videremus, licet vestræ intentionis existeret, quod absque iteratione licentiæ hujusmodi subventio terminum non excederet annalem. Vos autem hujusmodi nostris acceptis literis, & concessâ vobis per eos licentia intellecta insimùl convenistis, & ipsius licentiæ, seu mandati limites observastis. Tandem post longam, & exactam deliberationem cum procuratoribus prælatorum absentium super hujusmodi habitam, eidem Regi in tàm evidenti, & urgenti necessitate defensionis intersitæ dicti Regni decimam Ecclesiasticorum proventuum, & reddit1uum prò uno anno voluntate unanimi, & spontaneâ concessistis, sibi in festo Pentecostes venturo proximo integrè persolvendam, sivè colligendam, & recipiendam auctoritate Ecclesiæ, non invocatâ potentiâ brachii sæcularis; & si pax interim non veniret aut treguam, quam partes inducerent acceptandam, ità quod per treguam ipsam guerra cessaret. Aliam similem decimam ipsi Regi in Calendis mensis Octobris proximè subsecuturi concordastis liberaliter exhibere. Nos itaque dignum & laudabile, & congruum reputantes, quod per vos in hac parte dignoscitur esse factum, singulis vestrum, & aliis Archiepiscopis, & Episcopis dicti Regni colligendi, & faciendi per vos, vel per alium, seù alios in Civitatibus, & Diocesibus vestris à subditis vestris, secundum dictæ nostræ concessionis tenorem decimas colligi suprà dictas, & eas dicto Regi integraliter exhibendi, nec non compellendi per censuram Ecclesiasticam vestros subditos ad solutionem decimarum ipsarum, prout singulariter contingere eosdem, ac eos excommunicationis, suspensionis & interdicti sententiis, solutione hujusmodi præstitâ, juxtà formam Ecclesiæ absolvendi, nec non dispensandi super irregularitatibus si quas hujusmodi ligati sententiis forte contraxerint plenam & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem, non obstantibus aliquibus à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per litteras dictæ Sedis non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum Idus Maii Pontificatus nostri anno tertio.

Ex-

ANNO 1297.

VIII. Ex Anecd. Martene Tom I. Col. 1288.

Explicatio Conſtitutionis de ſubſidiis Principibus ab Eccleſiâ non concedendis : Mox ſequitur Decretum Cleri Gallicani de ſolvendis Regi biennii Decimis : anno 1297.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Rotomagenſi, Epiſcopo Autiſſiodorenſi, & dilecto Filio Abbati S. Dionyſii Pariſienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Etſi de ſtatu Regni cujuslibet, in quo Catholicæ Fidei cultus viget paternæ ſollicitudinis ſtudio cogitemus ; ad ſtatum tamen Chriſtianiſſimi Regni Franciæ, in quo ſemper ante actis temporibus ergà Romanam Matrem Eccleſiam viguit devotionis integritas, reverentiæ plenitudo reſplenduit, ſervivit obedientiæ promptitudo, tantò ſollicitiùs aciem conſiderationis extendimus, & circà illud cogitationis noſtræ verſatur inſtantia, quantò ipſum uberiori favore proſequimur, & ſinceriùs gerimus in viſceribus caritatis. Dudum ſiquidem paſtoralis Officii debitum exequentes in favorem Eccleſiarum, & Eccleſiaſticæ libertatis auctoritate apoſtolicâ duximus ſtatuendum, nè Prælati, & Perſonæ Eccleſiaſticæ cujuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtant, ſub adjutorii mutui, vel doni nomine, Imperatoribus, Regibus, Principibus, aut Præſidentibus cæteris præſtent, abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ, ſubſidia quocumque nomine cenſeantur, néve Imperatores, Reges, aut Principes, aut alii præſidentes æs imponere, exigere, vel recipere ab eiſdem Prælatis, & Perſonis Eccleſiaſticis audeant, certis pœnis adjunctis nihilominùs in hac parte : undè nonnulli noſtræ intentionis ignari, ſuæque prudentiæ credentes, hujuſmodi conſtitutionem noſtram, non rationabili, aut æquitati conſonæ, ſed voluntariæ interpretationi ſubjicere moliuntur, non attendentes, quod ad eum qui condidit, interpretatio noſcitur pertinere. Undè nos huic morbo congruam intendentes adhibere medelam, & ut in hac parte cujuſlibet ambiguitatis ſcrupulus tolleretur, & . . . . . eluceſceret veritatis, per ceteras duximus litteras declarandum, quod conſtitutio ipſa, vel ejus prohibitio ad donaria, vel mutua, ſeù quævis alia voluntaria Prælatorum, Perſonarum Eccleſiaſticarum, ejuſdem Regni, cujuſcumque ſtatus, Ordinis, vel conditionis exiſterent, omni prorsùs coactione, aut exactione ceſſante, sè aliquatenùs non extenderent, licèt ad id forſitan cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris, & ſucceſſorum ſuorum, qui pro tempore fuerint aut Officialium eorumdem, ſeù Ducum, Comitum, Baronum, nobilium, & aliorum Dominorum temporalium de regno prædicto requiſitio curialis præcederet, & amica ; quodque feudalia, cenſualia, ſeù jura quælibet in eorum eccleſiarum datione retenta, vel alia ſervitia conſueta, Regi, ejuſdemque ſucceſſoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis Dominis temporalibus ſupra dictis tàm de jure, quàm de conſuetudine, ac perſonis Eccleſiaſticis debita præfata conſtitutio non includeret, vel aliquantum comprehenderet, & quod Perſonæ Eccleſiaſticæ prò Eccleſiarum ſuarum utilitatibus compoſitionis, aut tranſactionis titulo, vel alio quovis modo, ſeù prò libertatibus acquirendis cum Rege, ſuiſque ſucceſſoribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & aliis Dominis temporalibus, proùt conſuetudinis eorum videretur, & antè conſtitutionem eandem poterant liberè convenire, valerent, nec aliàs per conſtitutionis vigorem in his aliquatenùs contingeret impediri : quodque conſtitutio eadem Clericos clericaliter viventes, ſed sè mercationibus & mercimoniis, præſertim inhoneſtis, & vilibus vel ſævis immiſcentes actibus non defenderet. Adjecimus inſuper hujuſmodi declarationi noſtræ, quod ſi præfato Regi, ſucceſſoribusque ſuis prò univerſali, & particulari ejuſdem Regni defenſione periculoſa neceſſitas immineret, ad hujuſmodi neceſſitatis caſum sè nequaquam extenderet conſtitutio memorata, quin potiùs idem Rex, & ſucceſſores ipſius poſſent a Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis dicti Regni petere, & recipere prò his defenſionis ſubſidium, vel contributionem, illudque, vel illam Prælati, vel Perſonæ præfatæ regi, ſuiſque ſucceſſoribus inconſulto etiàm Romano Pontifice tenerentur, & valerent ſub quæſtæ nomine, aut aliàs etiàm impertiri, non obſtante conſtitutione prædictâ, ſeù quovis exemptionis, aut alio quolibet privilegio ſub quacumque verborum forma confecto à ſede Apoſtolica impetrato : quodque neceſſitatis declaratio ſupra dictæ ipſius Regis, & ſucceſſorum ſuorum conſcientias, dummodò ſucceſſores ipſi vigeſimum ætatis annum excegiſſent, relinqueretur. Super quod dictorum Regis, & ſucceſſorum conſcientias onerari, eiſque innoteſcere voluimus, quod quicquid recipi ultrà ipſius defenſionis caſum contingeret, in ſuarum reciperent periculum animarum, ſuper quo niſi ſibi providerent ſalubriter, attendere poſſent in quo periculo remanerent : ſi verò defenſionis prædictæ tempore hujuſmodi ætatis annum non excegiſſent ſucceſſores ; declaratio neceſſitatis ejuſdem Prælatorum, clericorum, & laicorum, qui de ipſorum ſucceſſorum ſecreto conſilio, ſeù majoris partis ipſorum eſſent conſcientiis relinqueretur, quorum ſimiliter conſcientia onerari voluimus, eiſque plenius aperiri, quod ſi quid ultrà . . . um defenſionis reciperetur ejuſdem, in diſpendium ſalutis Conſiliariorum reciperetur ipſorum, illud quod reſtituere tenerentur ; quodque præterea intentionis noſtræ non extitit, nec exiſtit, quod conſtitutionem, ſeù declarationem prædictas, jura, libertates, Franchiſias, ſeù conſuetudines, quæ præfatis Regi, & regno, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & quibuſcumque aliis dominis temporalibus edicti . . nis præfatæ conſtitutionis tempore, atque etiam antè illud competere noſceretur tollere, diminuere, ſeù quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare, ſeù novas ſervitutes, vel ſubmiſſiones imponere, ſeù jura, libertates, Franchiſias & conſuetudines ſupra dicta prætactis Regi, & aliis illæſa, & integra conſervare. Quo circa diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs vos, aut duo, aut unum veſtrum per vos, vel per alium, ſeù alios Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas ſupra dictis ad hujuſmodi ſubſidium eiſdem Regi, & ſucceſſoribus exhibendum auctoritate noſtrâ ſpiritualiter, & temporaliter, prout utiliùs expedire videritis, appellatione poſtpoſita, compellatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit auxilio Brachii ſæcularis non obſtantibus, ſi eis, aut quibusvis aliis exemptis, & non exemptis per ſpecialia privilegia, ſeù litteras ſub quâvis formâ, ſeù tenore verborum confectas à ſede Apoſtolicâ ſit indultum quod ad hujuſcemodi præſtanda ſubſidia minimè teneantur, quodque ad id compelli, ſeù quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras dictæ ſedis, non facientes plenam, & expreſſam de verbo hujuſmodi mentionem, & quaùbet alia

ANNO 1298.

præfatæ sedis indulgentia speciali, generali, vel speciali cujuscunque tenoris vel expressionis existat, præterquam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri possit . . . . vel differri, & de qua in nostris litteris plenam, & expressam de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem.

Datam apud urbem veterem Pontificatus nostri anno tertio.

Post hanc Epistolam hæc sequuntur in MS.

DECRETUM CLERI GALLICANI,

De solvendis Regi biennis decimis.

CUm igitur præfato Domino Regi, prout inter cætera liquido patet, à supra dicto Domino Pontifice sit concessum, quod si ipsi vel successoribus ejus pro universali & particulari Regni prædicti defensione periculosa necessitas immineret, ad casum hujusmodi se nequaquam extenderet constitutio prælibata, quin ipse Rex, & Successores sui possent à Prælatis, & Personis Ecclesiasticis dicti Regni petere, ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium, vel contributionem, illudque, vel illam Prælati, & Personæ prædictæ præfato Regi, suisque successoribus, inconsulto etiam Romano Pontifice tenerentur, & valerent sub quæsitæ nomine, aut alias etiam impediri, quodque necessitatis declaratio ipsius Regis conscientiæ relinqueretur; cumque præfatus Dominus Rex vocatis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis Personis Ecclesiasticis dicti Regni Parisius congregatis, per lecta, & exposita sibi concessione prædicta, necessitatem sui Regni evidentem aperiens, & expostulans eidem pro hujusmodi necessitate subveniri, in sua declaravit conscientia necessitatem ad præsens imminere periculosam, adeò quod à Prælatis, & personis Ecclesiasticis subsidium, & contributionem petere, & recipere necesse haberet pro Regni defensione prædicti, asserens subsidium decimæ biennii redituum, & proventuum personarum Ecclesiasticarum quatenùs eas contigit, etiamsi statim eas solveret, non satis sufficere pro defensione prædicta.

Nihilominùs præfati congregati Prælati subsidium, seù contributionem hujusmodi instantem, & rationabilem existimantes, eam spontanea voluntate præfato Domino Regi pro dicta defensione concesserunt exhibendam, & reddendam, videlicet decimam unius anni in instanti media Quadragesima, & aliam decimam in instanti. . . . . .

IX. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 817.

De compromisso Regis in Papam tanquam in privatam Personam super bello cum Galliæ Rege: anno 1298.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis præsentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

TAnquam universalis Pastor de singulorum salute fidelium sollicite cogitantes, guerris, dissensionibus, & discordiis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Franciæ, & Eduardi Angliæ Regum illustrium, quibus diffidebant ad invicem dudum cum amaricatione perceptis ab ipso hujusmodi dissensionum & discordiarum Principio, studuimus diversis modis & temporibus, non sine immensitate laborum, opem & operam efficacibus studiis adhibere; qualiter eos reducere ad pacem & concordiam valeremus.

Cumque nuper utriusque ipsorum Regum Procuratores & Nuntii fuissent ad hoc ab eis ad nostrum præsentiam destinati quia dictus Rex Angliæ, ac dilecti Filii, nobiles viri Flandriæ, & Barri Comites, pluresque nobiles de Comitatu Burgundiæ obligati ad invicem, ac juramento fuisse dicebantur astricti, quod super his idem Rex Angliæ, sine dictorum comitum & nobilium, iidemque Comites & Nobiles sine ipsius Regis Angliæ conscientia, & assensu, cum dicto Rege Francorum nullam pacem facerent vel inirent.

Prædictis Procuratoribus & Nuntiis ejusdem Regis Angliæ, scilicet venerabilibus fratribus nostris, Guillielmo Dublinen. Archiepiscopo, & Johanne Episcopo Vintonien. ac dilectis filiis nobilibus viris, Amedeo comite Sabaudiæ: Ottone de Grandisono, & Hugone de Ver, militibus, in nostra præsentia constitutis & se nolle dicentibus inter ipsos Reges hujusmodi discordias concordare, vel alias ordinationi nostræ supponere sine prædictorum Flandriæ ac Barri Comitum & nobilium de Comitatu Burgundiæ voluntate.

Tandem dilecti filii, nobiles Viri, Robertus Primogenitus Philippus de Flandria, & Johannes de Naranco, dicti Comitis Flandriæ filii ejusdem Comitis eorum Patris, atque suo Henricus Comes Barren. suo, & Gualterus de Montefalconis miles, de dicto Comitatu Burgundiæ, suo proprio, & aliorum de eodem comitatu nobilium prædictorum nomine habentes ad hoc plenariam potestatem, quatenus sua & eorum, quorum erant Procuratores interesat, vel interesse poterat quoquomodo de voluntate ac expresso consensu prædictorum Nuntiorum & Procuratorum ipsius Regis Angliæ, voluntati, ordinationi, arbitratui, dispositioni, diffinitioni, arbitrio, sive laudo nostri, tamquam privatæ personæ, ac Benedicti Gajitani, super guerris dissensionibus discordiis & controversiis prædicti Regis Franciæ, ac suis, & eorum quorum erant Procuratores, se submittere ac supponere.

Præfatique Nuntii & Procuratores Regis Angliæ postmodum de voluntate ac expresso consensu prædictorum Comitis Flandriæ, filiorum & Comitis Barren. & Gualteri de Montefalconis nominibus quibus supra, in nos, tanquam in privatam personam & tamquam in arbitrum, arbitratorem, Laudatorem, diffinitorem, & amicabilem compositorem, super guerris, dissensionibus, discordiis, & controversiis Regum prædictorum similiter compromittere juraverunt.

Et quia in instrumentis submissionum prædictarum, inde confectis, de obligatione, astrictione, conscientia, consensu, & voluntate prædictis, præmisso mentio non habetur.

Nos super hoc, has nostras literas prædictis Nuntiis, & procuratoribus Regis Angliæ, in præmissorum testimonium duximus concedendas.

Datum Romæ apud S. Petrum secundo Calendas Julii, Pontificatûs nostri anno quarto.

Bulla

ANNO 1299.

X.

Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. 2. pag. 844. & ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 277.

Bulla monitoria Eduardo Angliæ Regi ut desistat à Bello Scotiæ illato, quum Regnum Scotiæ sit Ecclesiæ Romanæ feudum: an. 1299.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei cariſſimo in Christo filio Edvvardo Regi Angliæ illuſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

SCimus, fili, & longo jam temporis ſpatio magiſtra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem Eccleſiam, quæ te gerit in viſceribus caritatis, regiæ devotionis affectus exuberat, reverentiæ zelus viget, quodque promptus ſedis ejus verbis obtemperas, & beneplacitis acquieſcis.

Quamobrem firmam ſpem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis ſublimitas verba noſtra benignè recipiat, diligenter intelligat, efficaciter proſequatur.

Sanè ad celſitudinem regiam potuit perveniſſe, & in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno jure pertinuit, & adhuc pertinere dignoſcitur ad Eccleſiam ſupradictam: quodque illud, ſicut accepimus, progenitoribus tuis Regni Angliæ Regibus, ſive tibi, feudale non extitit, nec exiſtit.

Qualiter etiam claræ memoriæ Henricus Rex Angliæ, pater tuus tempore diſcordiæ ſive belli inter ipſum & quemdam Simonem de Monteforti ſuoſque fautores & complices ſuſcitatæ à recolendæ memoriæ Alexandro ejuſdem Scotiæ Rege ac ipſius Henrici genero, auxilium ſibi petiit exhiberi.

Et ne hujuſmodi auxilium jure cujuſlibet ſubjectionis aut debiti petitum ſeu præſtitum notaretur: præfatus Henricus eidem Regi Scotiæ ſuas patentes duxit litteras concedendas, per eas firmiter recognoſcens, prædictum auxilium recepiſſe, vel ſe recepturum dumtaxat de gratia ſpeciali.

Præterea cum ſucceſſu temporis, præfati Regis Scotiæ tui Sororii, tunc viventis in tuæ coronationis ſolemniis habere præſentiam affectares: ſibi per tuas patentes tenere literas curaſti, quod in ipſis ſolemniis ejus habere præſentiam non ex debito, ſed tantum de gratia intendebas.

Et cum etiam Rex ipſe pro Tindaliæ ac de Pognerre terris in Regno Angliæ poſitis, ſe ad tuam præſentiam perſonaliter contuliſſet, tibi fidelitatem ſolitam impenſurus; idem in præfatione fidelitatis hujuſmodi, multis tunc præſentibus, vivæ vocis oraculo publicè declaravit, quod pro terris eiſdem, ſitis tantum in Anglia non ut Rex Scotiæ, neque pro Scotiæ Regno, fidelitatem exhibebat eamdem; quinimo palam extitit ptoteſtatus, quod pro regno ipſo tibi fidelitatem præſtare ſeu facere aliquatenus non debebat, utpote tibi penitus non ſubjecto. Tuque ſic oblatam fidelitatem hujuſmodi admiſiſti.

A tua quoque non creditur excidiſſe memoria, qualiter eodem Rege Scotiæ de medio quondam ſublato, Margareta puella, nepte tua, tunc minoris ætatis, herede ſibi relicta, non ad te velut ad dominum pervenit cuſtodia regni memorati: ſed certi ejuſdem Regni proceres ad ejus cuſtodiam extiterunt electi.

Quodque poſtmodum diſpenſatione ab Apoſtolica ſede obtenta, ſuper matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum Edvvardum natum tuum, & Margaretam prædictam, dum viveret, ſi ad id procerum dicti Regni accederet vel haberetur aſſenſus: tu eiſdem proceribus per tua ſcripta caviſſe dignoſceris priuſquam vellent hujuſmodi matrimonio conſentire, quod regnum ipſum penitus liberum, nullique ſubjectum, ſeu quovis modo ſubmiſſum in perpetuum remaneret, quodque in priſtinum ſeu talem ipſius ſtatum reſtitueretur omnino, ſi ex hujuſmodi matrimonio contrahendo liberos non extare contingeret, ac nomen & honorem ut prius pariter retineret, tam in ſuis ſibi ſervandis Legibus & præficiendis officialibus dicti Regni, quam parlamentis tenendis, tractandis, cauſis in ipſo, & nullis ejus incolis extra illud ad judicium evocandis, & quod in tuis patentibus litteris inde confectis hæc plenius & ſerioſius contineri noſcuntur.

Præfata inſuper Margareta de præſente luce ſubtracta, & tandem ſuper ſucceſſione dicti Regni Regni Scotiæ ſuborta diſſenſionis materia inter partes, ipſius Regni proceres metuentes, ſibi dictoque regno poſſe occaſione hujuſmodi præjudicium generari, non aliter ad tuam præſentiam extra ipſius accedere limites voluerunt, niſi per te patenti ſcripto caveretur eiſdem, quod id non fiebat ex debito, ſed ex gratia ſpeciali: quod nullum exinde ipſius regni libertatibus poſſet diſpendium imminere.

Et licet ut dicitur ſuper ſtatu ejuſdem Regni Scotiæ, ac ejus prius habita libertate, regno ipſo tunc carente præſidio defenſoris, per ipſius Regni proceres, tunc velut acephalos, & duos vel aurigæ ſuffragium non habentes, ſive per illum, cui præfati Regni regimen licet indebitè, diceris commiſiſſe contra morem ſolitum aliqua fuerint hactenus innovata: ea tamen, utpote per vim & metum, quæ cadere poterant in conſtantem, elicita, nequaquam debent de jure ſubſiſtere, aut in ejuſdem regni præjudicium redundare.

Cæterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi ſumus, quod cum Apoſtolicæ ſedis præcellens autoritas per ſuas literas in Angliæ & Scotiæ regnis ſimul alicui Legationis committit officium exequendum, vel pro quavis cauſa, quam rationabilem reputat decimæ ſolutionem indicit, hujuſmodi Apoſtolicæ literæ ad præfatum Scotiæ regnum ſe aliquatenus non extendunt, ſpeciali prædictæ ſedis privilegio Scotis indulto penitus obſiſtente prout tempore felicis recordationis Hadriani Papæ prædeceſſoris noſtri, tunc S. Hadriani Diaconi Cardinalis & per ipſius ſedis literas ſimul in Regnis ipſis Legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter.

Nam Legatus ipſe ad præfatum Regnum Scotiæ aliquatinus admiſſus non extitit, donec per literas ſpeciales apoſtolicas ſibi legationis fuit commiſſum officium in eodem.

Præterea noſcere poteſt Regia celſitudo, qualiter regnum ipſum per beati Andreæ Apoſtoli venerandas reliquias, non ſine ſuperni numinis grandi dono, acquiſitum & converſum extitit ad fidei catholicœ unitatem.

Qualiter etiam, antiquis temporibus Eboracenſis Archiepiſcopus, qui tunc erat, mota per eum ſuper jure metropolitico adverſus prælatos Scotiæ quæſtione, in qua dictum antiquitus fuiſſe commemoras, momento, quod ſumus tui, ut cætera, quæ inde ſequuntur, ſilentio relinquamus, pro ſe ſententiam obtinere nequivit: quamvis alia plura & varia, quæ in hac parte rationabiliter proponenda ſe offerunt, ex quibus ad hæc tibi ſcribenda movemur, prætereat calamus, ne inde forſitan ſenſibus regiis tædium generetur.

Hæc profecto, fili cariſſime, infra clauſtra pectoris ſollicitè conſiderare te convenit, & attendere diligenter, ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam Eccleſiam pertinere, quod tibi nec

ANNO 1299.

licet nec licuit in ipsius Ecclesiæ ac multorum præjudicium, per violentiam subjugare, tuæque subjacere dictioni.

Cum autem, sicut habet fide digna & nostris jam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis affatibus divulgatur, tu præmissa, ut debueras, non attendens, neque debita consideratione discutiens & ad occupandum & subjugandum ditioni regiæ regnum ipsum, tunc regis auxilio destitutum, vehementer aspirans & tandem ad id exercens potentiæ tuæ vires, venerabilibus fratribus nostris Roberto Glascuensi & Marco Sodorensi Episcopis & nonnullis Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis dicti Regni, ut dicitur, captis & carceralibus vinculis traditis; quorum aliquos, sicut asseritur, squalor carceris violentus extinxit: ac etiam occupatis castris & prout fertur monasteriis, aliisque religiosis locis quamplurimis dirutis, seu distructis, ac damnis gravibus ejusdem regni habitatoribus irrogatis in ejusdem regni partibus officiales regios posuisti, qui prælatos cæteros Clericos & Ecclesiasticas ac etiam seculares dicti regni personas, multimodis perturbare molestiis, & afflictionibus variis & diversis impetere non verentur, in divinæ majestatis offensam sedis memoratæ contemptum, regiæ salutis & famæ dispendium, juris injuriam & grave scandalum fidelium plurimorum.

Regalem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attentè, ac obsecramus in eo qui est omnium vera salus, quatenus solerter attendens, quod ex debito pastoralis officii nostris humeris incumbentis, ad conservanda & gubernanda solicite bona juraque omnia Ecclesiæ supra dictæ tenemur, quodque homini plusquam Deo deferre non possumus nec debemus, prædictos Episcopos, Clericos, & personas Ecclesiasticas, quos adhuc carcer regius tenet inclusos, pro divinæ & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia sublato difficultatis & dilationis objectu benigne restitui facias pristinæ libertatis; dictosque officiales de Regno Scotiæ revoces memorato.

Sic te in his, prout speramus & cupimus, promptis & efficacibus studiis habiturum, ut adud cœlestem Regem, pro minimis grandia rependentem non immerito reddaris acceptior, gratior habearis, & præter laudis humanæ præconium tibi proinde proventurum, Apostolicæ sedis favorem & gratiam possis uberius promereri.

Si verò in eodem Regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte, jus aliquod habere te asseris: volumus, quod tuos procuratores & nuncios ad hoc specialiter constitutos, cum omnibus juribus, & munimentis tuis hujusmodi negotium contingentibus, infra sex menses à receptione præsentium numerandos ad nostram præsentiam mittere non omittas: cum parati simus tibi tamquam dilecto filio plene super præmissis exhibere justitiæ complementum & jura, si quæ habes inviolabiliter observare.

Nos enim nihilominus ex tunc lites, quæstiones & controversias quaslibet, inter te denique & Regnum Scotiæ, ac prælatos, Clericos, & personas seculares ejusdem subortas & quæ possunt in posterum ex quibusdam causis prædictis exoriri, totumque negotium prædicta contingens, aut aliquid eorumdem, ad cognitionem & determinationem sedis ejusdem, præsentium tenore reducimus, & etiam reservamus: decernentes irritum, & inane, si secus scienter vel ignoranter à quoquam in hac parte contigerit attentari. Datum Anagniæ V. Kal. Julii Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1301.

XI. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. II. pag. 299.

Suspendit Privilegia Philippo Regi Franciæ concessa, & membris Consilii ejus: anno 1301.

BONIFACIUS OCTAVUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

Salvator mundi secundum ordinatissimam dispensationem temporum, naturæ primum, post durum Mosaicæ Legis, & tandem Evangelicæ gratiæ suave jugum imposuit. Et ideo non mirandum, si ejus Vicarius Petrique Successor, secundum varietatem temporum, personarum, & locorum qualitate pensata, statuta, privilegia, indulgentias concessiones, & gratias, quæ à sede Apostolica pro tempore conceduntur, credente ipsa conjectura prodesse, aut necessitate urgente vel utilitate publica suadente; postquam experimento inutilia comprobantur, suspendit, revocat, & immutat. Præsertim propter ingratitudinem vel abusum eorum quibus hujusmodi gratiæ & privilegia ad indulgentiæ sunt concessæ, & tendit ad noxam quod concessum fuerat ad medelam. Ejus quoque quod ex causa conceditur, ea cessante cessare deberet effectus. Jureque patet pariter & exemplo, quod permissa vel concessa revocantur postmodum rationabiliter & mutantur.

Nec Romanus Pontifex in concedendis gratiis suæ plenitudinem potestatis astringit ita, quin possit eas, cum decet & expedit, revocare. Nos igitur attendentes, quod nonnulla privilegia, Indulgentias & gratias carissimo in Christo filio nostro Philippo Francorum Regi illustri, ejusque successoribus, specialiter pro defensione regni sui, sub certis formis duximus concedenda, & gratiose aliqua concessimus clericis & Laicis, qui de suo, & successorum suorum stricto consilio fuerint, vel majori parti eorum; quorum privilegiorum, gratiarum & concessionum prætensione, per abusum, Ecclesiis & Ecclesiarum Prælatis & personis & religiosis & sæcularibus dicti Regni, magna gravamina & dispendia sunt illata, & gravia scandala sunt exorta & in antea possunt oriri: & præcaventes ne tali prætextu supra dicti Ecclesiæ prælati, aut Personæ Ecclesiasticæ plus graventur, providimus super hoc salubre remedium adhibere.

Unde illa omnia quantum ad omnem ipsorum effectum, de fratrum nostrum consensu usque ad prædictæ sedis beneplacitum duximus suspendenda: illa maximè, quæ tempore guerrarum, quibus dicti Regni status pacificus turbabatur, fuere concessa.

Nec considerationem nostram pertransit, quod divina favente clementia per ministerium nostrum, inter ipsius & carissimum in Christo filium nostrum Regem Angliæ est pacis reformatio subsecuta, & saltem non est tanta necessitas defensionis hujusmodi cum tanto onere aliorum.

Alias si quæ sit aut esse dignoscitur, culpa sua. Insuper quicquid prælatis & personis Ecclesiasticis & regularibus & sæcularibus dicti Regni sub titulo decimæ vel cujusvis subsidii quocumque nomine censeatur, impositum fuerit, petitum & requisitum ab eis, etiamsi ad illud solvendum Prælati & personæ prædictæ assensum præstiterint, vel ad hoc se duxerint obligandos nec adhuc exactum fuerit vel solutum; absque sedis ejusdem speciali mandato decernimus non solvendum.

Executoribus super præmissis, vel aliquo præmissorum à dicta sede concessis, districtè

mandantes,

mandantes, ut contra hujusmodi suspensionem, & decretum nostra, aliquos non aggravent vel molestent, aut contra eos hujusmodi occasione aut causa modo aliquo procedant.

Et si secus fecerint, illud decernimus irritum, & inane, & nullius volumus existere firmitatis.

Cæterum quia labilis est humana memoria, & ipsi legi se corrigenti, & habilitanti ad gratiam promerendam, libenter quantum cum Domino possumus, absque multorum scandalo complacemus, dictis & suspensione & decreto in sua firmitate manentibus, Calendas Novembris proximè venturi pro peremptorio assignamus, ut omnia privilegia, gratiæ, indulgentiæ & concessiones, quæ dicto Regi ac Successoribus suis, & Clericis & Laicis de ipsorum consilio, illa præsertim, quæ, dum in urbe veteri vel Anagniæ cum nostra moraremur curia sub quavis forma noscimur concessisse dictæ sedis conspectui præsententur & ad nostrum & ipsius notitiam deducantur, ut consideratis ipsis & visis provideri possit, si dicta suspensio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda.

Datum Laterani primo Non. Decembris Pontificatus nostri anno VII.

XII. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. II. pag. .... & Cod. Leibnitii Tom. II. pag. 313.

Hæreseos objectæ crimen diluit, asseritque se præterita Philippi Regis Francorum appellatione ad futurum seu Pontificem seu Concilium contra eundem processurum: an. 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

NUper ad audientiam nostram delatus rumor attulit. Quod in festo B. Joannis Baptistæ proximè præterito Philippo Regi Franciæ in præsentia multorum in jardino Regis ejusdem congregatorum contra nos diversa crimina denunciata fuerunt: quodque eidem supplicatum extitit quod ipse hujusmodi denuntiationi assentiret, & consilium super hoc opponeret; dando ad convocandum, & evocare faciendum concilium generale, opem & operam efficaces: & quod hujusmodi denuntiationi, & requisitioni Rex idem, & præfati, qui ibidem erant, assenserunt: & ne nos contra eos ipsos Regem, & Regnum suum, Prælatos, Comites, Barones, Nobiles & alios præcederemus in aliquo, ad ipsum generale Concilium, aut ad Papam nostrum successorem legitimum, vel ad sanctam Romanam Ecclesiam extitit appellatum in scriptis, & quod multi hujusmodi appellationi adhæserunt: & inter Regem, Prælatos, & adhærentes iisdem certis confœderationibus, & colligationibus factis, districto mandato per Regem eundem fuit conclusum, quod nullis nostris literis, vel nobis in aliquo obediret, Stephano de Columna nostro & Ecclesiæ hoste in Regno suo, non sine gravium incursu sententiarum, recepto.

Sanè qua ad hæc sinceritate mentis conventicula hujusmodi, qua charitate, quo zelo processerit, qua temeritate id auserit, qui veritatem considerant evidenter intelligunt, & qui sapiunt, manifestè cognoscunt. Intueantur blasphemias, quæsumus, maledictorum tempus inspiciant videant Regis mandati justitiam; non negligant, optamus, colligationem & confœderationem, ipsius receptionem Stephani prudenter animadvertant, & nutantem Ecclesiæ summorumque Pontificum statum, nisi tam fatua tamque superba, eodem, quo processerunt impetu, comprimantur.

Attendant nihilominus diligenter: Nos, siquidem os suum ponentes in cælum, & linguæ eorum transeuntes super terram, hæresis mendaciis mendaciter blasphemarunt, blasphemiis aliisque confictis, quantum in iis fuit, criminibus lacerarunt. Sed ubi auditum à sæculo est, quod hæretica fuerimus labe conspersi, qui nedum de cognatione nostra, immo de tota Campania, unde originem duximus, vocatur hoc nomine? certè heri, & nudius tertius apud eundem Regem, dum eum beneficiis mulcebamus, Catholici fuimus, & nunc ab ipso blasphemamur totaliter. Sed quæ causa mutationis tam subitæ? quæ causa irreverentiæ filialis? verè sciant cuncti quod increpationis pharmaco, quibus purgare peccatorum suorum volebamus vulnera, & pœnitentiæ acrimonia, qua omnia tergerentur peccata, eum ad continuandum calumniarum armaverunt dolos; & ad flammas infidelitatis separaverunt, inspiraverunt. Majores Episcopo Mediolanensi sumus, & quam fuerit clarior Valentinianus Augustus, & Rex Franciæ minor: ille sicut humilis & Catholicus Princeps, non erubuit postfieri se Mediolanensi Episcopo, cum, ut homo delinqueret, summissurus & necessario suscepturus medicamenta charitatis: hic autem sicut Senacherib: & . . . . . nos & post tergum nostrum caput movit; sed paveat quod contra Senacherib dicitur: Cui exprobrasti quem blasphemasti, contra quem exaltasti vocem & elevasti in excelsum oculos tuos contra Sanctum Israel. Et ecce Sanctus Israel est Dei Vicarius, hic est Petri Successor, cui dictum est: Pasce oves meas, &: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in cœlis. Propter quod qui in navi Petri non est naufragio peribit, & qui in ea est oportet, ut gubernatoris gubernationi subsistat: Cum igitur de calumnia objectoris, propter falsitatem hujusmodi objecti criminis, pateat per consequens, quod calumnietur in objectis aliis debet parere: Maledictorum, petimus, consideretur causa, tempusque mandato continuum, quo mandavimus eum ex legitimis causis excommunicatum publicè nuntiari, & ex hoc contextu & celeritate actuum quis non jure præsumat, eum non ad charitatis, sed ad vindictæ zelum, quis non cogitabit, ipsum ad tantæ temeritatis audaciam devenisse. In præteriti temporis roborat conjectura; olim itaque dum capitula, in quibus excedebat nostris comprehensa literis quæ per dilectum filium Jacobum de Nortmannis Notarium nostrum transmisimus, ægrè tulit & indignatus est, & in furiam versus maledicere cæpit, non veritus quod scriptum est: Principi populi tui non maledices. Cum autem Nos cessare credidit, paulo ante nos in Christo Patrem Sanctissimum humiliter dixit, & sic nos in suis literis appellavit: nunc verò quia urgente conscientia ex debito Pastoralis officii ipsius correctionem omittere non valemus, dilatatus, impinguatus, incrassatus recalcitravit dilectus, & pejora prioribus addidit maledicta. Ex quibus ejus in iis malum convincimus zelum, iniquitatis in ipso fomitem comprobamus & dicere cum Propheta possumus: numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ. Sed favente Domino, incidet in foveam quam fecit, & dolor ejus in verticem ipsius descendet: Hunc ejus animum mandati præmissi perversitas approbat directè sicut etiam verba canonum, eum qui ab Episcopo

ANNO 1303.

suo ante sententiæ tempus pro dubia suspicione discesserit manifestam manere censuram quam Clerici Simoniaci qui ab eo etiam de hæresi accusato contra regulas ante tempus discesserunt, incurrissent, nisi providentia Synodi actum fuisset misericorditer cum eisdem. Eundem zelum, & animum prædicta colligatio patefecit. Ad hæc receptatio Stephani memoratæ non solum malum indicat zelum, sed Regem ipsum inimicum detegit, & Principis Apostolorum mandati etiam transgressorem. Ait enim de clemente; si inimicus est Clemens alicui pro actibus suis, cum illo nolite amici esse, sed avertite vos ab illo, cui ipsum sentitis adversum; si quis verò amicus fuerit iis, quibus ipse non loquitur, unus ex iis est, qui exterminare Ecclesiam Dei volunt. Qui cum inimicis alicujus suas amicitias copulant, ejus inimici censentur, & ideo facile mentiuntur.

Nonne Ecclesiæ mutabitur status, & Romanorum Pontificum vilescet autoritas, si talis Regibus & Principibus, aliisque potentibus aperiatur via aditusque pandatur? confestim enim Romanus Pontifex & Petri Successor, qui clara ipsius Petri voce omnibus præest, cum circa alicujus Principis, vel Potentis volet correctionem intendere, & immittere manus tunc dicetur hæreticus, vel notoriè cum scandalo criminosus, ut sic fugiatur punitio, & suprema potestas penitus confundatur. Absit à secta nostrorum temporum tam perniciosum exemplum, absit à nobis tanta vecordia, tam damnabilis negligentia, quod talem errorem sinamus succrescere, quin apertius sui ortum succidamus. Num quid ergo si supra prædictis contra nos petatur à nobis, sine quo congregari non potest concilium generale, illud in exemplum tam detestabile; maxime ut omittamus ad præsens excommunicationem multiplicem, quæ idem Rex tenetur astrictus calumniatori malo, ut ex superioribus patet procedenti zelo aut etiam inimico, aut sibi confederatis quibus colligatus est, etiam concedimus, taliterque fomentum dabimus huic pesti, quod in aliorum Prælatorum persona ex prædictis causis secundum scita canonum repellere deberemus illud in nostra sine alicujus injuria, si nobis & fratribus nostris videbitur, poterimus meritò refutare, ut nemo deinceps Rex aut Princeps, aut alius Potens, Regis exemplo contra Romanorum Pontificem sic prorumpat in verba blasphemiæ, nullus sic ejus correctionem evitet. An ut taceamus de Rege Francorum à Zacharia Regno privato, divæ recordationis Theodosius Magnus ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo extra Ecclesiam factus, contra eum exarsit. An Lotharius gloriosus contra Nicolaum Papam sic erexit calcaneum, aut contra Innocentium Fridericus? An Rex Franciæ major est iis? An nos minores sumus prædecessoribus nostris? An minus justè præcedimus? Quippe trium horum non est aliquid verùm; Sed ii, ubi debuerunt, sustinuerunt humiliter: ille autem, ut Adonias cum Diis terræ contra Deum Abraham, quia contra nos ejus vices gerentem in terris vehementer, ut si quod absit perstiterit, ruat, elevatus est: Per hoc autem non credat aliquis, quod contenti simus quin non obstante hujusmodi fraude appellationis objectæ, quæ ad minorem, vel parem, sive mortalem aliquam non potuit interponi, super prædictis & aliis notabilibus causis, ipsius Regis ejusque sequacium excessibus, prout expedire senserimus, nisi se corrigant & satisfactionis impendant debitum, nec eorum sanguis à nostris requiratur manibus procedamus: Datum Anagniæ Calend. Sept. Pontificatus anno nono.

XIII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. p. 315.

Philippum Regem, enarratis quæ ab eo gesta fuerunt, fidelium cœtu sacrisque segregatum declarat: anno 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Super petri solio, excelso throno divina dispositione sedens, illius vices gerimus cui per Patrem dicitur: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Quo monemur ut intelligant Reges, disciplinam apprehendant, erudiantur, judicantes terram quod serviant domino cum timore, & exultent ei cum tremore, ne si irascatur aliquando pereant, cum exarserit ira ejus. Ideoque magnum judicamus, ut parvum, quia ejus sumus vicarii, apud quem personarum acceptio indigna reperitur. Hoc veteris & novi Testamenti veritas habet; hoc venerandorum Conciliorum probat authoritas; id sanctorum patrum tenet sententia, id etiam naturalis ratio manifestat. Sed licet tanta potestate sit prædicta Petri sedes, tantaque polleat dignitate, tamen, ut pius pater, severitatem mansuetudine temperantes, ac lenientes æquitate rigorem non ad confringendum, quamquam juste possemus, ferream, sed ad dirigendum in viam salutis directionis virgám in præsentiarum assumimus & correctionis ferulam amplexamur. Novum ad hoc nihil; prout neque grana de spicis excuti fecimus, nempe simpliciter judicantis opera fungimur. Quinimo utentes denuntiatorum officio, nullas pœnas Philippo Francorum Regi imponimus, sed ei propter excessus suos jam excommunicato notoriè inflictas potiùs à jure intimamus.

Bonus itaque medicus si quibusdam medicamenta morbis officiànt se de gratia vertit, non iis statim duriora subjiciens, sed leniora nisi morborum aliud exposcat acuitas administrans. Sic peccatorum ejusdem sauciati Regis vulnera prius palpavimus, exactis lenitatibus mulsimus, ipsumque pietate paterna fovimus: imo lenimenta hujusmodi seminarium contumacia fuerunt & odiorum, eum erexerunt in superbiam & ad contemptum pertinaciter provocaverunt. Unde nos ad alias, non graves tamen medelas convertimus ut saltem experiamur, utrum tactus leniter non confractus se corriget sicut Nabuchodonosor præ ceteris terræ Rex inclytus quod optamus ne obstinatus, in quem transfixit, videat, & cogamur ferro abscindere vulnera, quæ fomentorum medicinam non sentiunt; pœnitentiam agat; an quod absit in profundum malorum demersus, sordidus sordescat amplius, & veluti Pharao induretcat.

Olim siquidem dum idem Rex peccaret graviter in diversis articulis in Clerum & Ecclesiam Gallicanos, primum per ejusdem Regis nuntios & ad nos missos, ipsum super hujusmodi salubribus monuimus monitis, deinde ad eum dilectum filium Jacobum de Normannis Notarium nostrum, ei nostras deferentem li-

tersa,

teras, in quibus excedebat, capitula continentes, transmiſimus quanquam imprudenter, quanquam infrunito animo, & irreverenter tractaverit; non advertens quod ſecundum Evangelicam veritatem, qui ſpernit miſſum ſpernit mittentem; ideo dignus ſententia, quam dudum Conſtantinus Papa in Juſtinum Imperatorem Juſtiniani filium ex ſimili cauſa tulit, qui in vicino erat evidenter cognoſcunt, ac idem patuit de longinquo, nec conſiderans, quod antiquis eſt ſancitum à ſanctis patribus promulgatis canonibus, quod ſi quis Romam petentes rebus quas ferunt ſpoliare præſumpſerit, communione careat Chriſtiana: quodque ii, qui accedunt ad præſentiam Romani Pontificis, cum rebus ſuis, debeant eſſe ſub protectione Apoſtolica ſecuri; & parvi pendens excommunicationis ſententiam, quam inhærentes veſtigiis Romanorum Pontificum & præcipue Nicolai Papæ prædeceſſorum noſtrorum, qui dictorum canonum authoritate ſuffulti, contra talia facientes ad excommunicationem hactenus proceſſerunt, addito per Nicolaum eundem proceſſibus ipſis etiamſi connitentes committentes imperiali aut regali dignitate radient. Nos etiam, eodem privilegio excluſo, in omnes etiamſi prædicta fulgeant dignitate, qui ad ſedem Apoſtolicam venientes vel recedentes ab ea capiunt, ſpoliant vel detinere præſumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quo minus ad eandem ſedem liberè, cum propriis bonis & rebus ſuis veniant, & recedant ab ea in die cœnæ Domini proximo præterito tali modo declarantes, etiam illos, qui per ſe vel per ſuos officiales, vel miniſtros aut incolis imperii, regnorum ſeu terrarum ſuarum, vel tranſeuntibus per ea, undecunque oriundis, ad ſedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem; equitaturas limitant vel ſubtrahunt, quæ deferunt, ſeu reportant pro ſuis opportunitatibus vel expenſis, aut quaſvis alias res & bona ſive aperiunt literas vel auferunt, ſeu taxant numerum perſonarum aut evectionum, vel alias directè vel indirectè talibus venientibus, vel redeuntibus impedimentum vel obſtaculum præſtare præſumunt; impeditores fore ad dictam ſedem venientium & redeuntium, & excommunicationis ſententiam incurrere ſupra dictam. Adeo noſtris temporibus, ſicut alias fecerat, notoriè ſui regni fines in transgreſſores graviſſimis interminatis pænis, & nos jactatis blaſphemiis arctæ cuſtodiæ deputat, ablatis contra dictam ſententiam noſtram non ſolum indigenis, ſed etiam ad eandem ſedem per regnum ipſius aliunde venientibus rebus ſuis, vel injurioſe taxatis, imo autem omnino ſubtractis; ac literis, quas deferunt apertis per cuſtodes paſſuum, aut retentis, quod nullus liberè ad prædictam ſedem poteſt accedere: nec prælati Franciæ per nos, ut ſuper dictis deliberaremus cum iis ad noſtram præſentiam evocari potuerunt ſicut eorum hujusmodi per literas conſtat, quas in archivio Romanæ Eccleſiæ facimus conſervare. Sic & Noviomen. Conſtantien. Bituricen. Epiſcopi ipſorum nuntios excuſatio, eodem impediente rege, venire: qua cauſa etiamſi Princeps quisquam fuerit, qui hoc prohibuerit, illum cenſet canon communione privandum. Quis enim libere ad memoratam ſedem proficiſci dicet, qui ſic tractatur, & quod retineatur vel regnum permittatur exire, ſub alterius poteſtate conſiſtit? Certè nullus qui ſane intelligat, & qui ſcripti juris vim in hoc cognoſcat, habet aliquam veritatem.

Sed volentes ſecundum ſacrorum doctrinam Canonum pacis ſervare vinculum, cum æquitate & firmitate portare, nec ſic moti ſumus. Immo evangelica dicta penſantes, conati ſumus errantem ovem tam charam, tamque nobis dilectam quaſi propriis humeris ne periret, ad ovile reducere in uberibus collocare paſcuis, & dulcedinis pabulo confovere. Nam cogitantes ſecundum evangelii parabolam, quod qui Notarium ſpreverat ſaltem noſtrum veretur filium, ad reducendum eum dilectum filium noſtrum Joannem & SS. Marcellini & Petri presbyterum Cardinalem de regno oriundum ipſius, qui tamquam amicus ſuus ejus zelabat ſalutem curavimus deſtinare, offerentem inter cætera ſibi ex parte noſtra abſolutionum ab excommunicationum ſententiis, quibus erat notabiliter irretitus.

Verum fruſtra nos talis cogitatus arripuit, quia ſi erga prædictum Notarium ſe, ut præmittitur, geſſit, filium noſtrum magis ignominioſe compeſcuit. Quia ſicut ipſe nobis Cardinalis retulit, oblatam abſolutionem contempſit, eique deputatis cuſtodiis, ne libere ire poſſet, quò vellet, nec recipere, qui venirent ad eum de Regno ſuo, non reverſurum ſine ſua licentia; & ſic quodammodo, ut ejusdem Cardinalis verbo utamur, regio banno ſuppoſitum protulit & efflavit eundem. Et etiam ultra parabolam ipſe tandem nos patrem familias non dimiſit intactus, ſed iterum laceravit blaſphemiis & injuriis laceſſivit, oblitus, quod legitur, honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram; & quod filio ſemper honeſta & ſancta patris querela deberet videri, & taliter ejus non effici caſtigator: confœderationibus & colligationibus factis cum nonnullis prælatis & perſonis aliis regni ſui, pacis vinculum, quod ſalvum eſſe totis effectibus nitebamur, rupit, perturbavit unitatem Eccleſiaſticam & inconſutilem domini tunicam ſcindere non expavit, ac ſuæ appellationi frivolæ contra nos adhærere perperam coegit & cogit invitos, & in ruinam ſecum pernicioſe deducit. Sanè parabolam timeat, ne vinea aliis locetur agricolis, qui ſuis temporibus fructus reddant. Caveat cenſuram canonum quæ contra tales dignoſcitur præparata, & ne ex hujusmodi ſtricta cuſtodia Cardinalis prædicti canonem excommunicationem latæ ſententiæ qui ad eos per interpretationem tranſit, qui clericos ſine læſione detinent in cuſtodia publica vel privata; cum non multum à ſpecie verborum differant, quibus, quo volunt, facultas recedendi non datur incurrat, diligenter attendet.

Ad hoc, ut omittamus de dilecto filio Abbate Ciſtercienſe detento, & aliis multis religioſis maxime Italicis, quia juſſio regis urgebat recedentibus regno, captis de ipſius conniventia, & aliquo tempore in Caſtelletto ſervatis, eo quod adhærere nollent appellationi prædictæ, ac de eo, quod in perſona venerabilis fratris noſtri B. Apamearum Epiſcopi actum extitit nuper, & Nioclaum de Bonfractu capellanum Cardinalis jam dicti, noſtras ad eum portantem literas, quibus regem excommunicatum per Cardinalem eundem mandamus publice nuntiari, capi fecit, & repetitum à Cardinali eodem à carcere noluit relaxare, prout idem Cardinalis nobis id per proprias literas notum fecit: unde perinde dicitur habere, cum ipſe Rex impedimentum illud præſtiterit, ſicut ſi mandata renuntiatio præceſſiſſet.

Stephanum inſuper de Columna, noſtrum & Eccleſiæ hoſtem in ſuo Regno receptavit paten-

ter,

ANNO 1303.

ter, non veritus excommunicationis sententiam, quam post Columniensium fugam de Tibure provulgavimus publicè quibuscunque privilegiis non obstantibus, in omnes etiamsi Imperiali aut regali præfulgeant dignitate, qui dictum Stephanum ac alios quondam filios Johannis de Columna & Jacobum fratrem dicti Joannis Ricardum & Petrum de Monte Vig. dicti Jacobi nepotes reciperent conducerent, receptari, vel recipi facerent seu conduci aut iis vel ipsorum alicui publicè vel occulte auxilium, favorem vel consilium exhiberent; quodque contra adjutores, fautores & receptores prædictorum Jacobi & filiorum dicti Joannis ab olim per nostras literas procedi mandavimus, ut contra hæreticos, receptatores, fautores, & adjutores eorum. Nequaquam in his servit Deo Rex Francorum in timore, aut ei cum tremore exultat, ne iratus in eum per suum vicarium exardescat; nempe tantò offendit gravius, quantò perniciosius peccat, suæ perditionis ad alios exempla transmittens.

Heu ipsum consilia prava commaculant eum Syrenes, nec non usque in exitum dulces damnose permulcent, periculosè regalem mentem exagitant & decipiunt incessanter. Non enim propter eas liberare ipsum possumus, nec debemus. Hominem namque primum non à peccato diaboli excusavit suggestio, quin divini mandati transgressor solverit pœnam mortis; & silentium nostrum nihil aliud foret quàm delinquendi occasio & dissolutio universæ Ecclesiasticæ disciplinæ. Cùm enim notorium etiam facti continui sit, quod ipso faciente, & contra dictam nostram veniente sententiam, libertas non est per regnum ipsius veniendi ad Apostolicam sedem, & quod si dictus Nicolaus est captus, & præfatus Stephanus receptatur in Regno, nostræque sententiæ supra dictæ latæ firmatæ sint, & prædicatæ publicè, sic quod canonum excommunicatio in aperto liquet ex præmissis ut taceamus ad præsens de custodia jam dicto Cardinali imposita, detentione Abbatis, captione Religiosorum dictorum & temerariis actionibus in jam dictos commissis ipsum eumdem regem manifestis excommunicationibus esse ligatum, & per consequens beneficia Ecclesiastica, personatus & dignitates, si eorum aliquo legitimo titulo quandoque ad eum collatio pertinet de jure, interim non posse conferre, imperium sive jurisdictionem aliquam per se vel alios aut communes actus seu legitimos exercere, & collationem, & exercitium ipsum nullius existere dignitatis, ac vasallos ipsius esse à fidelitate, & etiam juramentis quibus astringuntur eidem, & hujusmodi debito totius obsequii auctoritate canonum absolutos; hoc omnibus, his præcipuè, qui de ejus sunt Regno vel in eo moram faciunt nuntiantes eum excommunicatum comitari pœnas hujusmodi declaramus: & more periti medici, cum non profuerint monita, à levioribus incipientes, ac sanctorum patrum nostrorum statuta tenentes, omnes fideles vasallos ejus eique juratos à fidelitate & juramentis, quousque idem Rex in excommunicatione permanserit apostolica nihilominus auctoritate absolvimus, & ne eidem fidelitatem observent, vel servent, modis omnibus eo sub interminatione anathematis, quia magis Deo quàm hominibus servire oportet, & fidelitatem Christiano Principi Deo adversanti ejusque præcepta calcanti nullâ cohibentur auctoritate persolvere, prohibemus.

ANNO 1303.

Et quin Rex ipse aliquos forsitan inveniret, qui beneficia hujusmodi Dei timore postposito ab ipso reciperent, districtè præcipimus sub excommunicationis, amissionis beneficiorum, quæ aliàs haberent & inhabilitatis perpetuæ ad Ecclesiastica beneficia de cætero obtinenda pœna quam ipso facto incurrant, si contrarium agant, ne ab eo sic excommunicato manente, illa recipiant quoquo modo: districtè sub hujusmodi à nobis infligendis pœnis inhibentes capitulis Ecclesiarum in quibus beneficia ipsa per regem, excommunicatione durante, conferuntur eundem, nec eos, quibus conceduntur ab ipso recipiant vel admittant. Porro cum scriptum sit dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; confœderationes prædictas etiam cum quibusvis terræ Regibus aut Principibus quod non credimus, initas dissolvimus, & juramenta, si qua sunt præstita annullamus: etiam nuntiantes ipsi Regi ut à facie arcus fugiat, resipiscat, ad obedientiam redeat, & ad Dominum convertatur, ne quod præterire non valebimus, justo in eum judicio animadvertere compellamur.

Ut autem hujusmodi noster processus quem de Concilio fratrum nostrorum facimus ad omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas processum continentes eundem, in Cathedrali Ecclesia Anagnina vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum nostrum, suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt ita, quod idem Rex & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Anagniæ in aula nostri palatii VI. Id. Septemb. Pontificatus nostri anno IX.

XIV. Ex eod. Bulæo histor. univ. Parif. Tom. 4. p. 7.

Bulla quâ suam in temporalibus, & spiritualibus potestatem Francorum Regi denunciat, brevis nimium, quæ vix creditur à Pontifice sine ullâ honoris præfatione ad Regem missa in re tanti momenti, sed è prolixiori quâdam, quam post breviorem damus excerptam jure suscipiatur *Bulæus* in *histor. univers. Parisiens.* qui utrasque refert unà cum Regis responso ad Bonifacium: anno 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Philippo Francorum Regi.

Deum time & mandata ejus observa. Scire te volumus, quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes. Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla spectat; Et si aliquorum vacantium custodiam habeas, fructus eorum Successoribus reserves; & si quæ contulisti, collationem hujusmodi irritam decrevimus, & quantum de facto processerit, revocamus. Aliud autem credentes hæreticos reputamus. Datum Laterani non. Decembris Pontificatus nostri anno 7.

Constat hanc Bullam datam à Pontifice postquam intellexit quod à Rege fuisset in carcerem missus Apamiensis Episcopus, qui Regi insolentius quàm decuisset ausus fuerat dicere ipsum tam in spiritualibus quàm in temporalibus Papæ subesse, fructusque Præbendarum & Beneficiorum vacantium non posse retinere. Eam autem Bullam ex hac majori fuisse à nonnullis extractam, & in compendium missam jure suspicari possumus.

BONIFA-

ANNO 1303.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Regi Francorum illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AUſculta, fili cariſſime, præcepta patris, & ad doctrinam magiſtri, qui gerit illius vices in terris, qui ſolus eſt magiſter & Dominus aurem tui cordis inclina, viſceroſæ ſanctæ matris Eccleſiæ ammonitionem libenter excipe & cura efficaciter adimplere, ut in corde contrito ad Deum reverenter redeas, à quo per deſidiam vel depravatus conſilio noſceris receſſiſſe, ac ejus & noſtris bene placitis te devotè conformes. Ad te igitur ſermo noſter dirigitur, tibi paternus amor exprimitur & dulcia matris verba exponuntur. Campum ſiquidem militiæ humanæ mortalitatis ingreſſus, renatus ſacri Fontes Baptiſmatis renuncians diabolo & pompis ejus, non quaſi hoſpes & advena, ſed jam domeſticus fidei & civis ſanctorum effectus ovile Dominicum intraſti colluctaturus non ſolum contra carnem & ſanguinem, ſed etiam contra aëreas poteſtates mundique rectores præſentium tenebrarum. Sic veri Noe es arcam ingreſſus, extra quam nemo ſalvatur, Catholicam ſcilicet Eccleſiam, veram columbam, immaculatam unici Chriſti ſponſam, in qua Chriſti Vicarius, Petrique ſucceſſor primatum noſcitur obtinere, qui ſi collatis clavibus Regni cælorum judex à Deo vivorum & mortuorum conſtitutus agnoſcitur ad quem ſedentem in ſolio Judicii diſſipare pertinet ſuo intuitu omne malum, hujus profecto ſponſæ quæ de Cœlo deſcendit à Deo parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo, Romanus Pontifex caput exiſtit, nec habet plura capita monſtruoſa, cum ſit ſine macula, ſine ruga, nec habens aliquod inhoneſtum. Sanè fili, cur iſta dixerimus imminente neceſſitate ac urgente conſcientia expreſſius aperimus. Conſtituit enim nos Deus licet inſufficientibus meritis ſuper Reges & Regna, impoſito nobis jugo Apoſtolicæ ſervitutis ad evellendum, deſtruendum, diſperdendum, diſſipandum, ædificandum atque plantandum ſub ejus nomine & doctrina, & ut gregem paſcentes Dominicum conſolidemus infirma, ſanemus ægrota, alligemus fracta, & reducamus abjecta, vinumque infundamus & oleum vulneribus ſauciatis.

Quare, fili cariſſime nemo tibi ſuadet, quod ſuperiorem non habes, & non ſubſis ſummo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Hierarchæ. Nam deſipit, qui ſic ſapit, & pertinaciter hæc affirmans convincitur infidelis, nec eſt intra boni paſtoris ovile; & licet de ſingulis Regibus & Principibus ſub fide militantibus Chriſtiana pro eorum ſalute ſolicitè cogitemus, erga te tamen officii noſtri debitum eo amplius, eoque carius & attentius dirigere debemus & exequi, quò majori perſonam tuam paterna & materna charitate ampleċtimur, & non ſolùm te, ſed & progenitores, domum & Regnum tua in diverſis noſtris ſtatibus plena & pura ſumus benevolentia proſecuti. Nec poſſumus cum non debeamus præterire ſilentio, quin ea per quæ oculos divinæ majeſtatis offendis, nos perturbas, gravas ſubditos, Eccleſias & Eccleſiaſticas, ſeculareſve perſonas opprimis & affligis, nec non Pares, Comites & Barones, alioſque nobiles & univerſitates, ac populum dicti Regni, multoſque diverſis anguſtiis ſcandalizas, tibi apertius exprimamus. Profecto erga te hactenus ſervaſſe nos novimus ordinem charitatis, interdum præſentialiter per nos ipſos dum nos minor ſtatus haberet, ac poſtquam nos dominus provexit ad apicem Apoſtolicæ dignitatis, per multiplicatas noſtras Litteras, ſolennes noſtros & tuos Nuncios, Prælatos, Comites & alios domeſticos noſtros & tuos, te opportunis ſtudiis temporibus inducendo ut errata corrigeres, emendares exceſſus, & Regnum tuum in pacis dulcedine ac tranquillitate diſponeres, à Clerici ac populi gravaminibus abſtineres, tuoque jure contentus in aliorum injuriam occupatrices non extenderes manus tuas. Sed quod te correxeris & in te ſalutis ſemina ſata, ut vellemus, fructificaverint, non videmus, quinimo delinquendi licentiam, & multiplicandi peccata videris proh dolor! in conſuetudinem deduxiſſe; & ut aliqua explicabiliter inferamus, ecce quod licet pateat manifeſtè ac explorati juris exiſtat, quod in Eccleſiaſticis dignitatibus Perſonatibus & beneficiis, Canonicatibus & Præbendis vacantibus in curia vel extra curiam Romanus Pontifex ſummam & potiorem obtinet poteſtatem, ad te tamen hujuſmodi Eccleſiarum dignitatum, perſonatuum, & Beneficiorum Canonicatuum collatio non poteſt quomodolibet pertinere, nec pertinet; nec per tuam collationem in ipſis, vel eorum aliquo poteſt alicujus adquiri ſine authoritate vel conſenſu Apoſtolicæ ſedis tacitis vel expreſſis, quos qui acceperit, & ſe denegat accepiſſe, eis per ingratitudinem eſt privandus, & etiam ille qui permiſſa vel conceſſa abutitur poteſtate, & qui contrarium tibi ſuadet, eſt contrarius veritati. Nihilominus tu metas & terminos tibi poſitos irreverenter excedens, ac factus impatiens ſuper hoc injurioſè obvias ipſi ſedi, ejuſque collationes canonicè factas executioni mandari non ſuſtines, ſed impugnas, quatenus tuas qualitercumque factas præcedere dignoſcuntur; & cum in Judicio eſſe debeat diſtinctio perſonarum, tu tamen in propriis cauſis jus tibi dicere, & non in communi, ſed in proprio judicio partes actoris & judicis ſortiari & ſi quemquam injuriari tibi reputas, contemnis de ipſo conqueri coram competente Judice, ſeu etiam coram nobis, quantumcumque injurians ſit perſona Eccleſiaſtica, vel mundana, de Regno tuo, vel extra: & de illatis per te vel tuos injuriis atque damnis ac de tuis & tuorum exceſſibus recuſas per aliquem judicari, & ad ſatisfacienda & occupanda Eccleſiaſtica bona & jura pro libito voluntatis occupatrices manus extendis in caſibus tibi non conceſſis ab homine vel à jure. Prælatos inſuper & alias perſonas Eccleſiaſticas, tam religioſos quàm ſeculares Regni tui, etiam ſuper perſonalibus actionibus, juribus & immobilibus bonis, quæ à te non tenentur in feudum ad tuum judicium pertrahis, & coarctas & inquietas fieri facis & decimas tales, licet in Clericos & Eccleſiaſticas perſonas nulla ſit Laicis attributa poteſtas. Præterea contra injuriatores & moleſtatores Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum eos uti Spirituali gladio qui eis competit, liberè non permittis, nec juriſdictionem eis competentem in monaſteriis, ſeu locis Eccleſiaſticis, quorum recipis guardiam vel cuſtodiam, vel à Prædeceſſoribus tuis receptam præponis, pateris exercere; quin potius ſententias, ſeu proceſſus per dictos Prælatos, ac perſonas Eccleſiaſticas, licitos, promulgatos & latos, ſi tibi non placeant, directè, vel indirectè revocare compellis,

ANNO 1303.

pellis. Et quod tacere nolumus Lugdunensem Ecclesiam tam nobilem, tam famosam, tam charam, in prædictæ sedis pectore constitutam, quæ in spiritualibus & temporalibus hactenus reflorebat, tu, & tui injuriosis gravaminibus & excessibus, ad tantam inopiam & oppressionis angustiam deduxistis, quod vix adjicere poterit ut resurgat, quam constat non esse infra limites Regni tui, nosque qui quandoque Canonicus fuimus in eadem Ecclesia, ejusque libertatum privilegiorum & jurium notitiam plenam habemus non revocamus in dubium, quod injuriosè nimis tractas eandem. Vacantium Regni tui Ecclesiarum Cathedralium reditus & proventus, quos tui, & tu appellas Regalia per abusum, tu & ipsi tui non moderate percipitis, sed immoderatè consumitis. Sic fit ut quorum custodia fuit ab initio Regibus pro conservatione commissa, nunc ad consumptionis noxam discriminosè deveniant, & discriminosis abusibus exponantur. Quod enim custodiendum est, rapitur, & quod conservandum, illicitè devoratur, & custodes sunt lupi rapaces effecti, & sub prætextu custodiæ status Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum dispendia præfert, damna sustinet, & miserabiles sortitur eventus, primariæ conservationis ipse utique defraudatur.

Et quidem Prælati & Ecclesiasticæ personæ, nedum ii quos Regni tui continet incolatus, sed per illud alienigeni etiam transeuntes bona propria mobilia de Regno ipso nequaquam extrahere permittuntur, ex quo diversa patiuntur incommoda, ii qui super hoc libero uti debent arbitrio, servitutis quasi jugo premuntur. Sicut de mutatione monetæ aliisque gravaminibus & injuriosis processibus per te ac tuos magnis ac parvis Regni ejusdem incolis irrogatis & habitis contra eos qui processu temporis explicari poterunt, taceamus ad præsens, qualiter in præmissis & aliis libertas Ecclesiastica & immunitas tuis sunt enervatæ temporibus, qualiter tua sacris & piis, providis & maturis progenitorum tuorum vestigiis, quæ per universa mundi climata mittebant illustrissimos radios claritatem, degenerare noscaris. Nempe multorum ad nos insinuatio clamosa perducit, ac nedum in Regno ipso, sed in diversis mundi partibus innotescit, & Ecclesiæ dicti Regni, quæ solebant hactenus libertatibus & quiete vigere, nunc factæ sunt sub tributo, sicut luctuosus clamor earum sub intolerabili persecutione testatur.

Nec ignoras quod super iis & consimilibus de te ad Deum, nec non ad te sæpius, nedum sæpe clamavimus & exaltavimus vocem nostram, annunciavimus scelera, delicta deteximus sperantes te ad pœnitentiam salubriter revocare & adeo desudavimus inclamando, quod raucæ factæ sunt fauces nostræ; sed tu velut aspis surda obturasti aures tuas, & nostra salubria monita non audisti, nec recepisti ea velut medicamenta curantis. Verum licet ex præmissis contra te sumere arma, pharetram atque arcum non indignè nec injuste possemus, ut te à tanto revocaremus invio ad semitam reducendo salutis; adhuc nihilominus dum feliciter metuas, hæc tibi præsignificare decrevimus, ut saniori ductus consilio à facie arcus inflexibilis sententiæ potius, imo prorsus effugias, quàm expectes debitæ judicium ultionis, cum tutius dignoscantur ante casum occurrere, quàm remedium quærere post ruinam.

Cum autem nos debitum Pastoralis officii urget & publicæ utilitatis intersit, ut qui nunc Deum timent nec deferunt Ecclesiæ, neque Censuram Canonum reverentur, & quasi descendentes in profundum malorum conscendunt, quamvis eis displicent, ad salutem etiam trahamus invitos.

Nos volentes ne ex dissimulatione tam longa nos tua culpa reddat obnoxios, ne si nos, vel te quod absit incorreptum Deus de hac vita subtraheret, anima tua de nostris manibus requiratur, neque tui custodia quam suscipimus in commisso nobis officio Apostolicæ servitutis in nostrum cedat periculum & discrimen ac perditionem multorum dissimulando talia & diutius tolerando ea: amore paterno commoti, qui omnem vincit affectum ex affluentia maternæ solicitudinis excitati ad providendum, ne perdat Deus cum impiis animam tuam, neve tua & tam amati Regni claritas malis artibus & detestandis insolentiis denigretur, deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita pleniori, venerabiles fratres nostros Archiepiscopos ac devotos filios Electos & Cisterciens. Cluniacens. Præmonstratensis nec non sancti Dionysii in Francia Parisiensis Diœcesis & majoris Monasterii Turon. Ordinis Sancti Benedicti Monasteriorum Abbates & Capitula Ecclesiarum Cathedralium Regni tui ac Magistros in Theologia, & in Jure Canonico & Civili, & nonnullas alias personas Ecclesiasticas oriundas de Regno prædicto, per alias nostras patentes litteras, certo modo ad nostram præsentiam evocamus, mandantes eisdem quod in Calendis Novembribus futuris proxime, quas eis pro peremptorio termino assignamus, nostro se conspectui repræsentent, ut apud te ac alios sublata repentina exceptione Consilii, quinimo maturiori cautela servata & frustratoriis objectibus amputatis super præmissis & aliis deliberatè consulamus eosdem, cum quibus sicut cum personis apud te suspicione carentibus, quin potius acceptis & gratis, ac diligentibus nomen tuum, & affectantibus statum prosperi Regni tui, tractare consultius & ordinare salubrius valeamus, quæ ad præmissorum emendationem, quam directionem, quietem atque salutem ac bonum & prosperum regimen ipsius Regni videbimus expedire.

Si tuam itaque rem agi putaveris eodem tempore per te vel per fideles viros & providos tuæ conscios voluntatis ac diligenter instructos de quibus plenè valeas habere fiduciam, iis poteris interesse, alioquin tuam vel ipsorum absentiam divina replente præsentia in præmissis ac ea contingentibus, ac aliis prout nobis superna ministraverit gratia, & expedire videbitur, procedimus.

Tu autem audies, quid loquetur in nobis Dominus Deus noster, in quibus tamen sine offensa Dei, scandalo & periculo Ecclesiæ, offensione justitiæ ac utilitatis publicæ læsione & honoris tui poterimus minorationis vitare dispendia, deferre tibi disponimus, & tui etiam culminis salubria commoda promovere, si te correxeris, & habilitaveris ad gratiam promerendam. Cæterum licet super præmissis & similibus ad excusandas excusationes in peccatis te aliqui excusare nitantur, non tamen ea tibi, quantum & tuis pravis Consiliariis imputando, in hoc tamen tu inexcusabilis comprobaris, quod tales Consiliarios honoris tui utique destructores tuæque salutis & famæ

falsos & impios consumptores assumis & retines, eisque regium præbes assensum qui ad tam enormia & detestabilia te inducunt.

Hi sunt quasi falsi prophetæ suadentes tibi falsa & stulta, quia non viderunt à Domino visionem. Ergo fraudulentis detractionibus & subversionibus talium sub adulationis & falsi consilii utique velamento confictis, minimè quæsumus, acquiescamus, quia in vastitate quadam hostili devorant incolas Regni tui, & non tibi, sed eis mellificarunt apes, isti sunt securiora illa hostilia per quæ ministri Bel sacrificia quæ superponebantur à Rege clanculo asportabant, ii sunt qui sub umbra tui longa manu, tua & aliorum bona diripiunt, & sub obtentu justitiæ palliati Subditos opprimunt, Ecclesias gravant, & redditus alienos violenter invadunt, pupillo & viduæ non intendunt, sed impinguantur lachrymis pauperum & divitum oppressione, discordias suscitant ac fovent, guerras nutriunt, ac pacem de Regno tollere pravis operationibus non verentur. Veruntamen cadit in hæc illa prava dissimulatio Judæorum, qui dum linguis crucifigentes Dominum, dicentes tamen eis non licere interficere quenquam, tradebant eum occidendum militibus, ut ab eis culpa in alios transferretur. Tantam namque prudentiam Deus tibi ministrat ex alto, tantam vides & audis in aliis quorum potes exemplo doceri, totque tibi meminimus salubria consilia destinasse, quòd si tua studia convertere solerter ad bonum talium te curares consiliorum juvamine communire, qui te in stultum finem nequaquam impingerent, sed ad incrementa salutis & utilitatis publicæ prudentiùs animarent, sed timemus, ne apud te, cujus interiores oculi putantur illicitis excæcatis vilescat Sermo Dominicus, & verba ædificativa vitæ productiva salutis, amoris defectui adscribantur. Ad hæc ne terræ sanctæ negotium, quod nostris & tuis ac aliorum fidelium debet arctius insidere præcordiis nos putes oblivioni dedisse, memorare fili & discute, quod primogenitores tui Christianissimi Principes quorum debes laudanda vestigia solerti studio & claris operibus imitari, exposuerunt olim personas & bona in subsidium dictæ Terræ, sed Sarracenorum invalescente perfidia & Christianorum, ac maximè tua & aliorum Regum & Principum devotione solita tepescente, terra eadem tuis utique temporibus heu perdita noscitur atque prostrata.

Quis itaque Canticum Domini cantat in ea, quis assurgit in ejus subsidium & recuperationis opportunæ juvamen adversus impios Sarracenos magnificantes & operantes iniquitatem debacchantes in illa? Ad ejus quippe succursum arma bellica periisse videntur, & abjecti sunt clypei fortium, qui contra hostes Fidei dimicare solebant. Enses & gladii evaginantur in Domesticos Fidei, & sæviunt in effusionem sanguinis Christi, & nisi à populo Dei domesticæ insolentiæ succidantur, & pax ei perveniat salutaris, terra illa fædata actibus malignorum à periculo desolationis & miseriæ per ejusdem populi ministerium non resurget. Si hæc & similia iis benevola mente revolvas invenies, quod obscuratum est aurum & color optimus est mutatus.

An non ignominia & confusio magna tibi & aliis Regibus & Principibus Christianis adesse dignoscitur, quod versa est ad alienos hereditas Jesu Christi & sepulchrum ipsius ad alienos devolutum; Qualem ergo retributionis gratiam merebuntur apud Deum Reges & Principes, & cæteri Christiani, in quibus terra quærit respirare prædicta, si non est, qui sustentent eam ex omnibus filiis quos Deus ipse genuit, nec est qui supponat manum, ex omnibus quos nutriviti. Clamat enim ad Dei filios civitas Hierusalem & suas exponit angustias, & in remedium doloris ejus filiorum Dei implorat affectus. Si ergo filius Dei es, dolores ejus excipias, tristare & dole cum ipsa, si diligis bonum ejus. Tartari quidem, Pagani & alii infideles eidem terræ succurrunt, & ei non subveniunt in eo sanguine Christi pretioso redempti, nec est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Hoc à diffidiis præmissis obvenit, dum utilitas publica cupiditatis ardore consumitur, nonnullis quærentibus, non quæ Christi, quorum peccata Deus ultionum Dominus non solum in ipsis vindicat, sed etiam in progenies eorumdem. Tremenda sunt itaque Dei judicia & timenda, quibus non parentes justitia damnabuntur, justus autem de angustia liberabitur, & cadet impius in laqueum quem extendit. Tu verò fili, communiens in tribus temporibus vitam tuam ordinando præsentia, rememorando præterita & prævidendo futura sic te præpares in præmissis, & aliis sic reformes quod ad judicium Dei & nostrum ab illo dependens non damnandus accedas, sed in præsenti divinam gratiam & in futuro salvationis ac retributionis æternæ merearis. Datum Laterani nonis Decembris Pontificatus nostri Anno septimo.

Ad has atroces litteras respondit Philippus breviter & acriter, & præsertim ad contractam & compendiosam in Bonifacii Bullam compendiosè quoque regerit fatuos se reputare & dementes, qui existimant ad se non pertinere, Beneficiorum dispensationem vacantiumque reditus non posse retinere. Philippus D. G. Francorum Rex Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam, seu nullam. Sciat maxima tua fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse, Ecclesiarum ac Præbendarum vacantium collationes ad nos jure Regio pertinere, fructus earum nostros facere. Collationes à nobis hactenus factas & in posterum faciendas fore validas in præteritum & futurum, & earum possessores contra omnes viriliter nos tueri, secus autem credentes fatuos & dementes reputamus.

Datum Parisius.

ANNO 1303.

ANNO 1304.

BENEDICTUS X. DICTUS XI.

PONTIFEX CXCVI.

ANNO DOMINI MCCCIII.

Benedictus antea Nicolaus Bocasinus Opilionis Filius ex Tarvisinâ Civitate, Ordinis Prædicatorum Generalis, anno 1303: Bonifacio successit. Matrem suam splendidis ornatam vestibus agnoscere noluit. Obiit anno 1304. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I. fol.* 182.)

I. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. II. pag. 319.

Declaratio Excommunicationis contra complices violentiæ Prædecessoris ipsius Bonifacio VIII. factæ Perusii 7 Id. Junii an. 1304.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Flagitiosum scelus & scelestum flagitium, quod quidam sceleratissimi viri, summum audentes nefas in personam bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, non sine gravi perfidia commiserunt puniendum, prosequi ex justis causis hucusque distulimus, sed ulterius sustinere non possumus, quin exurgamus, imo Deus in nobis exurgat, ut dissipentur inimici ejus & ab ipsius facie fugiant, qui oderunt eum. Dissipentur, inquam, si verè pœniteant, sicut ad prædicationem Jonæ, Ninive conversa est; aliàs ut Jerico subvertantur. Olim siquidem, dum idem Bonifacius Anagniæ, propriæ originis loco, cum sua curia resideret, ipsum nonnulli ditionis filii, primogeniti Satanæ, & iniquitatis alumni, pudore postposito & reverentia retrojecta, prælatum subditi, parentem liberi, & Vassalli Dominum, Guilielmus scilicet de Nogareto, Raynaldus de Supino, Thomas de Morolo, Ropertus filius dicti Raynaldi, Petrus de Genezzano, Stephanus filius ejus Adinulphus & Nicolaus nati quondam Matthiæ, Giffredus Bussa, Orlandus & Petrus de Luparia cives Anagnini: milites Sciarra de Columna, Joannes filius Landulfi, Gottifredus natus Joannis de Ceccano, Maximus de Trebis, & alii factionis ministri, armati hostiliter & injuriosè ceperunt, manus in eum injecerunt impias, protervas erexerunt cervices, ac blasphemiarum voces funestas ignominiosè jactaverunt. Eorum etiam facto & opera, per ejusdem factionis complices & alios thesaurus Romanæ Ecclesiæ ablatus violenter extitit & & nequiter asportatus. Hæc palam, hæc publicè, hæc notorie, & in nostris etiam oculis patrata fuerunt; in his læsæ majestatis, perduellionis & sacrilegii, Legis Juliæ de vi publica, Corneliæ de Sicariis, privati carceris, rapinæ, furti & tot alia, quot ex hujusmodi facinoribus secuta crimina & feloniæ etiam delictum commissa notamus: in iis stupidi facti sumus: Quis crudelis hic à lachrymis temperet, quis odiosus compassionem non habeat? Quis deses aut remissus Judex ad procedendum non surgat? Quis pius sive misericors non efficiatur severus? Hic violata securitas, hic immunitas temerata, propria patri tutela non fuit domus, refugium summum Pontificium dehonestatum est, & suo capto sponso, Ecclesia quodammodo captivata. Quis locus reperietur à modo tutus? Quæ sancta Romano violato Pontifice, poterunt inveniri? O piaculare flagitium, o inauditum facinus! O Anagnia misera quæ talia in te fieri passa es! Ros & pluvia super te non cadant, in alios descendant montes, te autem transeant; quia te vidente & prohibere valente, fortis cecidit, & accinctus robore superatus est. O infelicissimi patratores non imitati, quem nos imitari volumus S. David, qui in Christum Domini, etiam inimicum, persecutorem & æmulum suum, quia dictum erat, nolite tangere Christos meos) manum extendere noluit; & in extendentem irrui gladio justè fecit. Infandus dolor, lachrymabile factum, perniciosum exemplum, inexpiabile malum, & confusio manifesta. Sume lamentum Ecclesia, ora tua fletibus rigent, & in adjutorium debitæ ultionis filii tui de longe veniant, & filiæ tuæ de latere surgant. Verum quia scriptum est, feci judicium & justitiam & honor regis judicium diligit, nos in prædictis sic judicium, quod ad honorem nostrum pertinet, facere cupimus, quod à justitia minimè divertamus. Ideoque forma juris, quæ sicut hæc sunt servatur in notoriis, observata præfatos superius nominatim expressos cæterosque participes, qui hæc in sæpe dictum Bonifacium, in personis propriis exercuerunt Anagniæ, omnesque qui in iis dederunt auxilium, consilium, vel favorem, denuntiamus de Fratrum nostrorum consilio, præsente hac copiosa multitudine promulgatam à Canone excommunicationis sententiam incurrisse, ipsosque peremptoriè, quatenus infra festum sanctorum Petri & Pauli proximè venturum, personaliter compareant coram nobis, justam, dante Domino, nostram supra præmissis, quæ, ut prædicitur, notoria sunt, audituri sententiam, nostrisque mandatis & jussionibus parituri humiliter. Alioquin, eorum non obstante absentia, contra eos via incedentes regia, procedemus. Hanc autem citationem nostram, quam non sine causa, ex certa scientia facimus, ipsos arctare volumus, sicut si eorum quemlibet apprehendisset. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur &c.

Datum Perusii 7. Idus Junii Pontificatus anno I.

II. Ex Mem. du Clergé de France Tom. 2. p. 309.

Bulla ad Philippum Francorum Regem revocatoria reservationum beneficiorum à BONIFACIO factarum, & liberam Ordinariis super Beneficia restituit potestatem: anno 1304.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Philippo Regi Francorum illustri, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ut eo magis erga Deum & Apostolicam sedem Regalis devotionis excrescat affectus, quo sibi gratiosam sedem repererit

ANNO 1305.

suprà dictam, votis tuis annuimus, & tuas petitiones, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Dudum siquidem Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster certis ex causis provisiones omnium Cathedralium Ecclesiarum & Regularium tunc in Regno vacantium, vel quas tunc vacare contingeret, dictæ sedis dispositioni reservare duxit, districtiùs inhibendo omnibus ad quos jus eligendi, postulandi Prælatos in ipsis desideriis, aut confirmandi electiones, vel admittendi postulationes, vel aliàs earumdem Ecclesiarum provisio, vel quævis alia dispositio pertineret, hujusmodi electionibus, postulationibus, confirmationibus, admissionibus, & provisionibus, & quibuscunque dispositionibus istarum Ecclesiarum se intromitteret hujusmodi reservatione durante quoquo modo præsumerent; ac de cætero decrevit ex tunc irritum & inane si secus super hoc à quoquam fuerit scienter, vel ignoranter attentatum. Nos autem celsitudinis regalis obtentu, pro cujus parte super hoc nobis extitit supplicatum reservationem, inhibitionem & decretum hujusmodi Apostolica auctoritate revocamus. Volentes ut prædicti omnes hujusmodi jure illis competente, cum tempus ingruerit, utantur liberè, sicut prius nihilominus provisiones ac confirmationes electionum factæ post reservationem, inhibitionem, & decretum prædictum in dictis Ecclesiis, dummodo aliàs Canonicæ fuerint, plenam obtineant firmitatem. Nec electiones, & postulationes factæ postmodum in prædictis Ecclesiis ex eisdem reservatione, inhibitione, ac Decreto, quin debitum sortiantur effectum, possint quomodolibet impediri.

Datum Viterbii 14. Kalendas Maji: Pontificatus nostri anno primo.

CLEMENS QUINTUS,

PONTIFEX CXCVII.

ANNO DOMINI MCCCV.

Clemens Vasco, priùs Bertrandus Agoutius, anno 1305. Lugduni coronatus est, ubi muri ruinâ Johannes Dux Britanniæ, Galliardus Papæ Frater oppressi, Philippus Pulcher, & Carolus Valesius læsi: Diadema Pontifici excussum est, ingentis pretii gemmâ amissâ. Hic sedem Apostolicam Româ Avenionem transtulit; Mox Viennæ Concilio habito excidium Templariorum decretum, Crux in Valdenses assumta, Reformatio Ecclesiæ tentata. Tandem decessit anno 1314. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 184.)

I. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. p. 977.

Bulla Angliæ Regi de Provisione pro suo Nepote: anno 1305.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

ANNO 1306.

Habet in te Fili carissime, firma spei nostræ fiducia, quod, ad nos & Romanam Ecclesiam habens reverentiam filialem, ea quæ nostro grata sunt animo, placida tuis votis accedant, & illa intentis studiis ac plenis affectibus prosequaris.

Nuper siquidem Ecclesia de Manisfestro Conventren. & Lichefelden. Dioc. per resignationem ejusdem Ecclesiæ Rectoris vacante nos, volentes ut ipsa Ecclesia tali committeretur personæ, cujus industria salubria in spiritualibus & temporalibus susciperet incrementa, eandem Ecclesiam dilecto filio Raymundo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, Nepoti nostro, tunc in minori officio constituto, duximus conferendam. Quare celsitudinem Regiam rogamus & hortamur attentius, quatinus vota tua in hac parte nostris confirmans affectibus, hujusmodi collationem nostram, etiamsi Ecclesia ipsa ad dispositionem tuam forsitan pertineret, ratam habens & gratam pro reverentia Apostolicæ sedis & nostra, velis hac vice æquo animo tolerare; per quam nec volumus, nec intendimus juri tuo, si quod in collatione, vel alia dispositione ipsius Ecclesiæ habere dignosceris imposterum derogare. Et si de præfata Ecclesia alteri forsan tua serenitas providisset, provisionem irritare velis eandem, ipsumque nepotem nostrum in possessione pacifica ejusdem Ecclesiæ tuæ potentiæ brachio, prout opportunum extiterit, protegas & defendas. Præterea, cum idem Nepos noster pro adipiscenda possessione Prioratus de Otthingham, sive Selle, Dunelmen. Dioc. per nos nuper sibi collatis, ad partes Angliæ Procuratores suos transmittat ad præsens, Celsitudinem Regiam iterato rogamus quatinus, quod Prioratus ejusdem possessionem pacificam valeat obtinere, Procuratoribus ipsis assistas favoribus opportunis. Sic igitur in hujusmodi nostrarum precum exauditione te nobis exhibeas liberalem, quod sinceritatem devotionis, quam ad nos & Apostolicam sedem te habere confidimus, valeamus cum gratiarum actionibus commendare.

Datum Lugdun. 6. Calendas Jan. Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 2. pag. 1017.

Ad Angliæ Regem, ne Nunciis Pontificiis molestias inferat: anno 1306.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Claris patere consuevit operibus, nosque sine ulla dubitatione tenemus, quod eximiæ devotionis ad eum & Apostolicam sedem claritate præfulgidus, Ecclesiæ Romanæ commoditates & necessitates prudenter advertens, suis profectibus desideranter intendis, & studio sollicitudinis operosæ, ac intento prosequeris animo, quæ Apostolicæ sedi placitura, & profutura cognoscis: Prudentia Regia, præsertim in Regno tuo, diligenter evitans, quæ ipsis Ecclesiæ ac sedi displicentiam, vel dispendium redundarent. Profecto magnificentiam tuam Apostolicis litteris alias rogasse meminimus, ut dilectis filiis magistris Guilielmo Testâ Archidiacono, Aranan. in Ecclesia convenarum, & Guillielmo Geraldi, Canonico Rothomagen. Capellanis & Nuntiis nostris in Anglia, quos ad partes illas pro certis nostris, & dictæ sedis negotiis duximus destinandos, cum opus esset,

ANNO 1306.

Regio favore dirigeres, & foveres, ad ipsa negotia prospere prosequenda; super quo te promptum & benevolum, liberalitate Regia obtulisti.

Verum cum sicut nuper ex ipsorum Nuntiorum insinuatione percepimus, officiales, vel Gentes Regii eosdem Nuncios in exequendis aliquibus, quæ ipsis fuere commissa, & præsertim in percipiendis fructibus, Prioratus de Mortona, prope London. nunc vacantis, præter tuam, ut creditur, conscientiam impediant, ut perturbent, pro eorum libito voluntatis. Celsitudinem Regiam iterato rogamus & hortamur attente, quatinus efficaciter provideas, & liberaliter facias, ut impedimenta tollantur hujusmodi, & talia vel similia de cætero non contingant. Favorem Regium exhibendo prælibatis nuntiis, & habendo eos in his, & in aliis per te, ac tuos, cum opus fuerit & ad te ac ipsos recursum habuerint, taliter commendatos, quod spes de tuis obtenta virtutibus, continuata operum perceptione concrescat, nosque magnificentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Burdegalis 6. Calendas Septembris Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Archiv. Reipubl. Gener.

Bulla quâ, postulante Episcopo Gebennense, Quæsitores nominat qui ejus Diœcesin inspiciant, reditusque annuos percipiant, cùm suprà dictus Episcopus ipsemet propter bellum percipere nequeat: anno 1306.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis .... Priori sancti Johannis & ..... Cantori Gebennensi, ac ..... Præposito Montisjovis Sedunensis diœcesis Ecclesiarum salutem & Apostolicam benedictionem.

EX devotionis Venerabilis Fratris nostri A. Episcopi Gebennensis provenit meritis, ut illa libenter cum gratia foveamus, quæ suis necessitatibus esse dignoscitur opportuna. Sane petitio ipsius Episcopi nobis exhibita continebat, quod ipse propter guerrarum discrimina quæ in sua diœcesi invalescunt, eandem non audet diœcesim personaliter visitare, quodque ipse hujusmodi occasione guerrarum magnam partem redditum suorum amisit, & insuper ad defensionem jurium Ecclesiæ suæ Gebennensis sollicite & ferventer intendens, pro defensione jurium eorundem quoddam castrum ædificare incepit, opere plurimum sumptuoso, quod consummare non potest, nisi nostro ei super hoc auxilio succurratur.

Nos itaque eidem Episcopo super hoc paterno compatientes affectu, & volentes ei in hac parte utiliter subvenire, ejus supplicationibus inclinati, sibi quod Ecclesias monasteria, & ecclesiastica loca suæ civitatis & diœcesis, & personas eorum, per aliquem discretum virum quem ad hoc duxerit assumendum, quotiens tempus visitationis ingruerit usque ad triennium visitare, ac procurationes ratione visitationis hujusmodi sibi debitas ab ecclesiis monasteriis, locis & personis prædictis taliter visitatis valeat recipere moderatas in pecunia numerata, qualibet constitutione contraria non obstante, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum.

Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios facia-tis auctoritate nostra juxta hujusmodi concessionis nostræ tenorem, illum quem idem Episcopus ad hujusmodi visitationis officium duxerit, ut præmittitur, deputandum, ad illud admitti sibique procurationes prædictas per idem triennium integrè exhiberi.

Non obstantibus constitutione hujusmodi, seu si aliquibus à sede Apostolica sit indultum quod interdici suspendi vel excomunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Lugduni, Id. Januar. Pontificatus nostri anno primo.

Dinus G.

ANNO 1307.

IV. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 3. pag. 30.

Anglorum Regi pro Captione Templariorum uno die facienda, eodem modo quo Rex Franciæ processerat: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio, E. Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam benedictionem.

PAstoralis præeminentiæ solio disponente illo qui cuncta disponit, licet immeriti, præsidentes hoc præcipue ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus ut excusso à nobis negligentiæ somno, circa Gregis Dominici custodiam, submovendo noxia, & agendo profutura, animas Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia valeamus. Sane dudum, circa promotionis nostræ principium ad apicem Apostolicæ dignitatis, ad nostrum quadam levi suggestione pervenit auditum, quod abolim de statu Sathanæ in Templariorum ordine, sparso pestiferi generis semine, subcrevit ex illo messis odibilis, fructus pestiferos ex sui natura producens, viz. quod Templarii sub religionis pallio militantes exterius, in Apostasiæ perfidia intus vixerunt hactenus in detestabili hæretica pravitate. Cæterum, nunc attendentes quod ordo ipsorum longis retro temporibus multæ refulsit nobilitatis gratia & decoris, ac magna fidelium devotio diu viguit apud eos, quodque tunc nullam audiveramus super præmissis suspicionem, vel infamiam contra ipsos & nihilominus quod à suæ Religionis exordio portaverunt publice signum crucis corpora exponentes & bona contra inimicos fidei pro acquisitione, retentione, ac defensione Terræ Sanctæ, Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi pretioso sanguine consecratæ, suggestioni prædictæ noluimus aures credulas exhibere. Verum postea auribus carissimi in Christo Filii nostri Philippi Reg. Franc. illustris insonuit, quod singuli fratres dicti Ordinis in sui professione cum ordinem ipsum ingrediuntur expressis verbis abnegant Dominum Jesum Christum, nec non idolum adorant in suis capitulis, & alia nefanda committunt quæ ob ruborem exprimendi subticemus ad præsens. Propter quod idem Rex ad requisitionem Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno suo generaliter à sede Apostolica deputati, de Prælatorum, Baronum, ac aliorum sapientum deliberatione solenni, Magistrum majorem, & alios singulares personas dicti Ordinis, quæ tunc erant in Regno suo, una die cum magna excogitata diligentia capi fecit, Ecclesiæ judicio præsentandas, & eorum bona mobilia & immobilia

salvæ

salvæ custodiæ assignari pro terra sancta, si dictus ordo damnetur, alioquin, pro ipso ordine fideliter conservanda. Deinde præfatus Magister dicti Ordinis spontante confessus est palam, præsentibus majoribus Personis Ecclesiasticis Parisius, Magistris in Theologia & aliis, corruptionem erroris abnegationis Christi in Fratrum professionibus contra primam institutionem ordinis præfati, instigante Sathana introductam. Quamplurimi etiam Fratres dicti Ordinis, ex diversis partibus dicti Regni Francorum dicta scelera sunt confessi, veram & non simulatam agentes pœnitentiam de commissis, prout hæc dictus Rex nobis per suas litteras intimavit, & ad nos etiam postmodum pervenerunt, fama publica deferente. Nos quoque Fratrem unum militem dicti ordinis, magnæ generositatis & auctoritatis virum, super pravitate jam dicta personaliter examinavimus, qui dictum facinus abnegationis Jesu Christi, in ingressu dicti ordinis à se commissum, spontè confessus fuit plenariè coram Nobis. Et adjecit se vidisse, quod quidam nobilis in præsentia ducentorum Fratrum, vel plurium dicti Ordinis, inter quos erant centum milites, vel circa, ultra mare, viz. in Regno Cypri, per præfatum magistrum dicti ordinis in capitulo suo in fratrem Templi receptus fuit. Et ibi, in dictorum magistri & fratrum præsentia, idem nobilis, ad mandatum ipsius magistri, dictum facinus in sua receptione commisit. Ex quibus, si in agro plantationis dicti ordinis, qui ager putabatur esse virtutum, & grandis sublimitatis speculo prælucebat, diabolica, quod absit sint semina seminata, gravi nostra viscera commotione turbantur. Sed, si præmissa veritate non nitantur, ea comperta, cessabit turbatio, & secundum Deum jucunditas orietur; unde ad investigandum veritatem hujusmodi sine mora proponimus intendere, & quantum Deus dederit, efficaciter vigilare. Ea propter, quia sicut insinuatione multorum accepimus, super prætactis criminibus contra Templarios ipsos fama, seu verius infamia quasi continuo suscipit incrementum, & ob hoc urget nos conscientia, ut in his officii nostri debitum exequamur. Magnitudinem regiam requirimus rogamus & hortamur attentè quatinus quam citiùs, post receptionem præsentium, commode poteris, prædictis omnibus intenta meditatione pensatis, sic prudenter, sic caute, sic secretè, de sapientum secretariorum tuorum consilio, studeas ordinare, quod omnes, & singulos Templarios Regni tui, & alios, qui reperientur in eo, & eorum bona mobilia & immobilia per bonas personas, omni, maxime quo ad bona ipsa, suspicione carentes, meliori modo, quo fieri poterit, capi facias uno die: Personas eorum faciens, donec tuæ magnificentiæ scribamus aliud, nostro & sedis Apostolicæ nomine, in locis tutis sub fida custodia detineri. Bona verò ipsorum mobilia & immobilia aliquibus bonis personis, de quibus non sit verisimile quod in his, vel in similibus velint fraudem aliquam adhibere, facias commendari nostro nomine fideliter conservanda, quousque per nos aliud fuerit ordinatum. Quæ quidem personæ de dictis bonis omnibus & singulis teneantur in præsentia fratrum quorumlibet domorum dicti ordinis, & aliarum plurium bonarum Personarum, & maximè dictis domibus vicinarum, inventaria facere, &, cum tempus fuerit, plenam de ipsis reddere rationem. Quarum personarum depositariarum propter honorem tuum, ut melius negotium sine bonorum direptionis & dissipationis suspicione procedat, nullæ sint de tuis officialibus servientibus quibuscumque. Provisurus quod Terræ, ac Vineæ Templariorum ipsorum, eorum expensis, more solito excolantur, ut bona ipsa dictis Templariis, si reperiantur innocentes, alioquin pro terra sancta integrè conserventur. Taliter te super his habiturus quod exinde, præter humanæ laudis præconium apud Deum, cujus in hac parte negotium agitur, gratiæ tibi proveniat incrementum: & nihilominùs ex hoc nostram, & Apostolicæ sedis gratiam plenius merearis. Quicquid autem super præmissis fieri jusseris, & quicquid fuerit executioni mandatum nobis, quod celerius fieri possit, tuis literis intimare procures.

Datum Pictavii, 10. Calendas Dec. Pontificatus nostri anno tertio.

Bulla quæ tangit crimina Templariorum confessa, jubetque inquiri super articulis transmissis: anno 1307. V. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Mant. Pars 2. p. 78.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Narbonensi, ac Bajocensi, Mimatensi & Lemovicensi Episcopis & dilectis Filiis Magistris Mattheo de Neapoli Majoris Caleti Rhotomagensi, Notario nostro, Joanni de Mantua Tridentinensi; Joanni de Montelauro Magalonensi Archidiaconis, ac Guilelmo Agarin præposito Aquensi &c. salutem & Apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei Filius Dominus Jesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti Apostolatus assumi ut gerentes licet immeriti vices ejus in Terris in cunctis nostris actibus & processibus ipsius vestigia, quantum poterit humana fragilitas, imitemur.

Sanè dudum circa promotionis nostræ ad apicem summi Apostolatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus; & post etiam tam ibi quàm alibi secretò quorundam nobis insinuatio intimavit, quod Magister, Præceptores, & alii fratres ordinis militiæ Templi Hierosolomitani & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ejusdem Domini nostri Jesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum dominum in scelus Apostasiæ nefandum, detestabile idololatriæ, vitium execrabile Sodomorum, & hæreses varias erant lapsi: quia verò non erant verisimilia, nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in divinis officiis, quàm in jejuniis & aliis observantiis devotionis signa frequentius prætendebant, suæ sic esse salutis immemores, quod talia perpetrarent, hujusmodi insinuationi ac delationi ipsorum ejusdem domini exemplis & canonicæ scripturæ doctrinis edocti aurem noluimus inclinare.

Deinde verò carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris, cui

ANNO 1307.

fuerant eadem facinora nuntiata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil sibi vendicare vel appropriare intendat, imò ea nobis & Ecclesiæ per deputandos à nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda liberaliter ac devotè in regno suo dimisit manum suam totaliter inde amovendo, sed fidei orthodoxæ fervore, suorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus de præmissis quantum licere potuit se informans ad instruendum & informandum nos super his multa, & magnas nobis informationes per suos nuntios & literas destinavit. Infamia verò contra Templarios ipsos increbrescente validius super sceleribus ante dictis, & quia etiam quidam miles ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis nec levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit quod in receptione Fratrum præfati ordinis hæc consuetudo vel verius corruptela servatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem qui recipitur, Jesum Christum negat & super crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia recipiens & receptus, quæ licita non sunt, nechumanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis, vitare nequivimus urgenre nos ad id officii nostri debito, quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum.

Sed cum demum fama publica deferente & clamosa insinuatione dicti Regis, nec non & Ducum, Comitum & Baronum, & aliorum nobilium, clerique & populi dicti Regni Francorum, ad nostram propter hæc tam per se, quàm per Procuratores & Syndicos præsentiam venientium, quod dolentes referimus, ad nostram audientiam pervenisset, quod Magister, Præceptores, & alii Fratres dicti orbinis & ipse ordo præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti & præmissa per multas confessiones, attestationes, & depositiones præfati Magistri & plurium præceptorum & fratrum Ordinis prælibati, coram multis prælatis & hæreticæ pravitatis inquisitore in Regno Franciæ factas, habitas & receptas & in publicam scripturam redactas, nobisque & fratribus nostris ostensas probata quodammodo viderentur, ac nominis fama & clamores prædicti in tantum invaluissent ac etiam adscendissent tam contra ipsum ordinem, quàm contra singulas personas ejusdem, non sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque imminente periculo tolerari: Nos illius, cujus vices licet immeriti in terris gerimus, vestigiis inhærentes ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum, multosque de præsentibus presbyteris & militibus & aliis Fratribus dicti Ordinis reputationis non modicæ, in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram ac plenam nobis dicerent veritatem super præmissis interrogavimus & examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus, diligenter eos eorumque confessiones per publicas manus in autenticam scripturam redactas, illico in nostra & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in consistorio publico legi fecimus coram ipsis & eas in suo vulgari cuilibet eorum exponi, qui perseverantes in illis eas expressè & spontè prout recitatæ fuerunt, approbarunt. Postquam cum Magistro & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendentes super præmissis inquirentes per nos ipsos, ipsum Magistrum & fratres terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, Pictaviæ præceptores majores nobis Pictavia existentibus mandavimus præsentari.

Sed quoniam quidam ex ipsis sic infirmabantur tunc temporis quod impetrare (f. itinerare) non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci, nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum confessionibus & depositionibus, quas coram inquisitore hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, quibusdam præsentibus notariis publicis & multis aliis viris bonis fecisse dicebantur, nobis & fratribus nostris, per Inquisitorem sub manibus publicis exhibitis & ostensis dilectis filiis nostris Bernardo tit. S. S. Nerei & Achillei & Stephano tit. S. Cyriaci in Thermis Presbyteris & Landulpho S. Angeli Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi cum præfato Magistro & Præceptoribus inquirerent tam contra ipsos & alios singulares dicti Ordinis generaliter quàm contra ipsum Ordinem super præmissis cum diligentia veritatem, & quicquid super præmissis his invenerint, nobis referre atque confessiones & depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro Apostolatui deferre ac præsentare curarent, eisdem magisto ac præceptoribus absolutionis beneficium à sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera erant, incurrerent, si absolutionem humiliter & devotè peterent, ut debebant, juxta formam Ecclesiæ impensuri. Qui Cardinales ad ipsos Magistrum & præceptores personaliter accedentes eis sui adventus causam exposuerunt. Et quoniam tam personæ, quàm res ipsorum & aliorum Templariorum in Regno Franciæ consistentium in manibus nostris erant, quod liberè absque metu cujusquam plenè, ac pure super præmissis omnibus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica injunxerunt. Qui magister, & præceptores Franciæ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ atque Pictaviæ coram ipsis tribus Cardinalibus, & præsentibus quatuor tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris ad Sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta præstito juramento, quod super præmissis omnibus meram & plenam dicerent veritatem coram ipsis singulariter, liberè ac sponte, absque coactione qualibet & terrore depositi sunt & confessi fuerunt inter cætera, Christi abnegationem, & spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ subticemus. Dixerunt præterea & confessi fuerunt esse vera, quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerunt coram Inquisitore hæreticæ pravitatis, quæ confessiones & depositiones dictorum Magistri & Præceptorum in scripturam publicam per quatuor Tabelliones publicos redactæ, in ipsorum Magistri & Præceptorum & quorundam aliorum bonorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis eisdem lectæ fuerunt, de mandato & in præsentia Cardinalium prædictorum, in suo vulgari expositæ cuilibet eorundem, qui perseverantes in illis eas expressè ac sponte prout recitatæ fuerunt, & probarunt, & post confessiones & depositiones hujusmodi, ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione, quam

pro præmissis incurrerant absolutionem flexis genibus manibusque complosis, humiliter, ac devote, & cum lacrymarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti ab eisdem Magistro, & Præceptoribus hæresis abjurata, expressè ipsius secundum formam Ecclesiæ auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt: ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum Magistri, & Præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis præsentaverunt, & quæ cum dictis Magistro & Præceptoribus fecerunt, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus ac relatione invenimus sæpe fatos Magistrum & Fratres in præmissis, licet quosdam ex eis in pluribus, & in paucioribus, graviter deliquisse. Verum quia in universis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, & fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos discretioni vestræ, de quorum circumspectione specialem fiduciam gerimus, de fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Senonensis Civitatis Diœcesin, & provinciam personaliter accedatis, & per publicum citationis edictum per vos faciendum in locis, de quibus vobis visum fuerit expedire, vocetis, qui fuerint evocandi, super articulis, quos vobis sub Bulla nostra inclusos transmittimus, & super aliis, de quibus prudentiæ vestræ visum fuerit, expedire, inquiratis hac auctoritate nostra contra dictum Ordinem cum diligentia veritatem, quæ super præmissis inveneritis fideliter in scriptis publica manu redacta sub vestris sigillis ad nostram præsentiam delaturi seu etiam transmissuri. Testes autem si qui à vobis requisiti, seu admoniti, vel citati, ut super dictis articulis ferant veritatis testimonium coram vobis se prece, vel pretio, gratia timore odio vel amore à ferendo testimonio subtraxerint, nec non fautores, receptores, & defensores prædictorum Fratrum, qui à vobis citati vel vocati ut præmittitur coram vobis non comparuerint, eos insuper qui prædictam vestram inquisitionem directè, vel indirectè, publicè vel occultè per se vel alium seù alios vel alias quoquomodo præsumpserint impedire, per censuram Ecclesiasticam oppositione postposita compescatis, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse; septem, sex, quinque, quatuor, vel tres, duo videlicet de Prælatis prædictis coram altero saltem de aliis ea nihilominus exequantur.

Datum Pictavii II. Idus Augusti Pontificatus nostri anno tertio.

Isti sunt Articuli, super quibus inquiretur contra Ordinem militiæ Templi (quorum mentio in superiori Clementis Papæ Bulla facta.)

PRimò quod licet asserent sanctè ordinem fuisse institutum, & à sede Apostolica approbatum, tamen in receptione Fratrum dicti Ordinis, & quandoque post servabantur & fiebant ab ipsis Fratribus quæ sequuntur.

I. Videlicet quod quilibet in receptione sua, & quandoque post, vel quam citò ad hæc commoditatem recipiens habere poterat, abnegabat Christum aliquando crucifixum, & quandoque Jesum, & quandoque Deum, & quandoque Beatam Virginem, & quandoque omnes sanctos, & sanctas Dei, inductus seu munitus per illos qui eũ recipiebant.

2. Item quod communiter Fratres hoc faciebant.

3. Item, quod major pars.

4. Item, quod dicebant & dogmatizabant receptores illis, quos recipiebant, Christum non esse verum Deum, vel quandoque Jesum, vel quandoque crucifixum.

5. Item, quod dicebant ipsi illis, quos recipiebant, ipsum fuisse falsum Prophetam.

6. Item, ipsum non fuisse passum pro redemptione humani generis, nec crucifixum, sed pro sceleribus suis.

7. Item, quod nec receptores nec recepti habebant spem salvationis habendæ per Jesum, & hoc dicebant illis, quos recipiebant, vel æquipollens, vel simile.

8. Item, quod faciebant illos quos recipiebant spuere super crucem seu super signum, vel sculpturam crucis & imaginem Christi, licet interdum, qui recipiebantur, spuerant juxta.

9. Item, quod ipsam crucem pedibus conculcari quandoque mandabant.

10. Item, quod eandem crucem ipsi Fratres recepti quandoque conculcabant.

11. Item, quod mingebant & conculcabant interdum, & alios mingere faciebant super ipsam crucem, & hoc in die veneris sancti aliquotiens faciebant.

12. Item quod nonnulli eorum ipsa die septimanæ sanctæ, pro calcatione & mictione prædictis convenire consueverunt.

13. Item, quod adorabant quendam catum sibi in ipsa congregatione apparentem quandoque.

14. Item, quod hæc faciebant in vituperium Christi & fidei orthodoxæ.

15. Item, quod non credebant Sacramentum Altaris.

16. Item, quod aliqui ex iis.

17. Item, quod major pars.

18. Item, quod hæc receptores eorum sibi injungebant.

19. Item, quod credebant, & sic dicebatur eis, quod magnus Magister à peccatis poterat eos absolvere.

20. Item, quod Visitator.

21. Item, quod aliqui eorum.

22. Item, quod magnus Magister Ordinis prædicti hæc fuit de se confessus in præsentia magnarum personarum, antequam esse captus.

23. Item, quod in receptione fratrum dicti Ordinis, vel circa interdum recipiens & receptus aliquando se deosculabantur in ore, in umbilico seu in ventre nudo, & in ano seu spina dorsi.

24. Item, aliquando in umbilico.

25. Item aliquando in fine spinæ dorsi.

26. Item aliquando in virga virili.

27. Item, quod in receptione sua illa faciebant jurare illos, quos recipiebant, quod Ordinem non exirent.

28. Item, quod habebant eos statim pro professis.

29. Item, quod receptiones ipsas clandestinè faciebant.

30. Item, quod nullis præsentibus nisi Fratribus dicti Ordinis.

31. Item, quod propter hoc contra dictum Ordinem vehemens suspicio à longis temporibus laboravit.

ANNO 1307.

32. Item quod communiter habebatur.
33. Item, quod fratribus, quos recipiebant, dicebant, quod ad invicem poterant unus cum alio commisceri carnaliter.
34. Item, quod hoc licitum erat eis facere.
35. Item, quod debebant hoc facere ad invicem & pati.
36. Item, quod hoc facere non erat eis peccatum.
37. Item, quod hoc faciebant ipsi vel plures eorum.
38. Item, quod aliqui eorum.
39. Item, quod ipsi per singulas Provincias habebant Idola, videlicet capita, quorum aliqua habebant tres facies, & alia unam, & aliqua cranium humanum habebant.
40. Item, quod illa Idola, vel illud idolum adorabant, & specialiter in eorum magnis capitulis & congregationibus.
41. Item, quod venerabantur.
42. Item, quod ut Deum.
43. Item, quod ut Salvatorem suum.
44. Item, quod aliqui eorum.
45. Item, quod major pars illorum, qui erant in capitulis.
46. Item, quod dicebant, quod illud caput poterat eos salvare.
47. Item, quod divites facere.
48. Item, quod omnes divitias Ordinis dabat eis.
49. Item, quod facit arbores florere.
50. Item, quod Terram germinare.
51. Item, quod aliquod caput idolorum prædictorum singebant citra camisiam seu carnem.
52. Item, quod in sui receptione singulis fratribus prædictæ chordulæ tradebantur, vel aliæ longitudines earum.
53. Item, quod in venerationem Idoli hæc faciebant.
54. Item, quod injungebant eis, quod dictis chordulis, ut præmittitur, se cingerent, & continuè portarent, & hæc faciebant etiam de nocte.
55. Item, quod communiter Fratres dicti Ordinis recipiebantur modis prædictis.
56. Item, quod ubique.
57. Item, quod, pro majori parte.
58. Item, quod, qui nolebant prædicta in sui receptione facere, vel post interficiebantur vel carceri mancipabantur.
59. Item, quod aliqui ex eis.
60. Item, quod major pars.
61. Item, quod injungebant eis per sacramentum ne prædicta non revelarent.
62. Item, quod sub pœna mortis vel carceris.
63. Item, quod neque modum receptionis eorum revelarent.
64. Item, quod nec de prædictis inter se loqui audebant.
65. Item, quod si capiebantur, quod revelarent, morte, vel carcere affligebantur.
66. Item quod injungebant eis quod non confiterentur aliquibus nisi Fratribus ejusdem Ordinis.
67. Item, quod Fratres dicti Ordinis scientes dictos errores corrigere neglexerunt.
68. Item, quod Sanctæ Matri Ecclesiæ nunciare neglexerunt.
69. Item, quod non recesserunt ab observantia prædictorum errorum & communione prædictorum fratrum, licet facultatem habuissent recedendi & prædicta faciendi.
70. Item, quod prædicta fiebant & servabantur ultra mare in locis in quibus Magister generalis & conventus dicti ordinis pro tempore sunt morati.
71. Item, quod aliquando prædicta abnegatio Christi fiebat in præsentia Magistri & conventus prædictorum.
72. Item, quod prædicta fiebant & servabantur in Cypro.
73. Item, quod similiter citra mare in omnibus Regnis, & locis aliis in quibus fiebant receptiones fratrum prædictorum.
74. Item, quod prædicta observabantur in toto ordine generaliter & communiter.
75. Item, quod ex observantia generali & longa.
76. Item, quod de consuetudine antiqua.
77. Item, quod ex statuto Ordinis prædicti.
78. Item, quod prædictæ observantiæ, consuetudines ordinationes & statuta in toto ordine ultra mare & citra mare fiebant & observabantur.
79. Item, quod prædicta erant de punctis Ordinis introductis per errores eorum post approbationem Sedis Apostolicæ.
80. Item, quod receptiones Fratrum dicti Ordinis fiebant communiter modis prædictis in toto ordine supra dicto.
81. Item, quod Magister generalis dicti ordinis prædicta sic servari & fieri injungebat.
82. Item, quod Visitatores.
83. Item, quod Præceptores.
84. Item, quod alii Majores dicti Ordinis.
85. Item, quod ipsimet observabant prædicta hæc, & dogmatizabant fieri & servari.
86. Item, quod aliqui eorum.
87. Item, quod alium modum recipiendi in dicto ordine Fratres non servabant.
88. Item, quod non est memoria alicujus de Ordine, qui vivat, quod suis temporibus modus alius observatus fuerit.
89. Item, quod prædictum receptionis modum & supra dicta alia non servantes & servare nolentes, Magister Generalis, Visitatores, & alii Magistri dicti Ordinis in hoc potestatem habentes, graviter puniebant, quando querela deferebatur ad eos.
90. Item, quod eleemosynæ in d. Ordine non fiebant, ut debebant nec hospilitas servabatur.
91. Item, quod non reputabatur peccatum in d. Ordine per fas, aut nefas jura aquirere aliena.
92. Item, quod juramentum præstabatur ab eis, augmentum & quæstum dicti Ordinis quibuscumquæ modis possunt, per fas, & nefas procurare.
93. Item, quod non reputabatur peccatum propter hoc dejerare.
94. Item, quod clam consueverunt tenere sua capitula.
95. Item, quod clam ac in primo somno, vel prima vigilia noctis.
96. Item, quod clam quia expulsa tota alia familia de domo & clausuris domus, ut omnes de familia illis noctibus, quibus tenent capitula jaceant extra.
97. Item, quod clam quia sic se includunt ad tenendum capitulum, ut omnes januas domus & Ecclesiæ, in quibus tenent capitulum, ferment adeo firmiter, quod nullus sit vel esse possit accessus ad eos, nec juxta, ut possit quicunque videre vel audire de factis aut dictis ipsorum.
98. Item, quod clam adeo quod scilicet ponere excubiam supra tectum domus vel Ecclesiæ in quibus tenent capitulum, ad providendum, ne quis ad locum, in quo tenent capitulum, appropinquet.

ANNO 1307.

99. Item

Anno 1307.

99. Jtem, quod similem clandestinitatem observant, & observare consueverunt ut plurimum in recipiendo Fratres.

100. Item, quod error hic viget & viguit in ordine longo tempore, quod ipsi tenent opinionem & tenuere retroactis temporibus, quod magnus Magister possit absolvere Fratres Ordinis à peccatis etiam non confessatis, quæ confiteri propter aliquam erubescentiam aut timorem pœnitentiæ injungendæ infligendæ omiserunt.

101. Item, quod magnus Magister hos prædictos errores confessus est ante captionem, sponte coram fide dignis clericis & laicis.

102. Item, quod præsentibus Majoribus Præceptoribus sui Ordinis.

103. Item, quod prædictos errores tenent & tenuerunt, nedum hæc opiniantes & tenentes de magno Magistro, sed de cæteris Præceptoribus Ordinis, Visitatoribus maximè.

104. Item, quod quidquid magnus Magister maximè cum Conventu suo faciebat, ordinabat, aut statuebat totus Ordo tenere & observare habebat, & etiam observabat.

105. Item, quod hæc potestas sibi competebat & in eo resederat ab antiquo.

106. Item, quod tanto tempore duraverant supra dicti pravi modi & errores, quod Ordo in personis potuit renovare semel, bis vel pluries tempore introductorum seu observatorum prædictorum errorum.

107. Item, quod omnes vel quasi duæ partes Ordinis scientes dictos errores corrigere neglexerunt.

108. Item, quod non recesserunt ab observantia prædictorum errorum & communione dictorum Fratrum, licet facultatem habuissent recedendi & prædicta faciendi.

109. Item, quod propter prædicta & singula grandia scandala contra dictum Ordinem sunt exorta in cordibus sublimium personarum, etiam Regum, & Principum & ferè totius populi Christiani Generata.

110. Item, quod multi fratres de dicto Ordine propter fæditates & errores ejusdem ordinis exierunt, nonnulli ad Religionem aliam transeuntes, & nonnulli in seculo remanentes.

111. Item, quod prædicta omnia & singula sunt nota & manifesta inter fratres dicti Ordinis.

112. Item, quod de his est publica vox, opinio communis & fama tam inter fratres dicti Ordinis, quàm extrà.

113. Item, quod de majori parte prædictorum.

114. Item, quod de aliquibus.

115. Item, quod magnus Magister Ordinis, Visitator, & magnus Præceptor Cypri, Normanniæ, Pictaviæ & quam plures alii Præceptores & nonnulli alii fratres dicti Ordinis præmissa confessi fuerunt tam in judicio quàm extra coram solemnibus personis, & in pluribus locis, etiam personis publicis.

116. Item, quod nonnulli Fratres dicti Ordinis tam milites, quàm Sacerdotes, alii etiam in præsentia Domini nostri Papæ & Dominorum Cardinalium fuerunt prædicta vel magnam partem dictorum errorum confessi.

117. Item, quod per juramenta præstita ab eisdem.

118. Item, quod etiam in pleno consistorio recognoverunt prædicta.

Anno 1307.

VI. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Mant. Pars 2. p. 89.

Quod omnes Templarii Regni Siciliæ, & eorum bona capiantur uno die, quodque ipsorum Personæ, & bona custodiantur, quosque de ipsis fuerit aliud ordinatum: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio nobili Viro Roberto Duci Calabriæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

PAstoralis præeminentiæ solio, disponente illo, qui cuncta disponit, licet immeriti præsidentes; hoc præcipuè ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus, ut excusso à nobis negligentiæ somno, circa gregis Dominici custodiam submovendo noxia, & agendo profutura animas Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Sanè dudum circa promotionis nostræ principium ad apicem Apostolicæ dignitatis, ad nostrum quadam levi suggestione pervenit auditum, quod ab olim de flatu satanæ in Templariorum Ordine, sparso pestiferi generis semine, subcrevit ex illo messis odibilis fructus pestiferos de sui natura producens: videlicet quod Templarii sub religionis pallio militantes exterius, in apostasiæ perfidia intus vixerunt hactenus in detestabili hæretica pravitate. Cæterum tunc attendentes quod Ordo ipsorum longis retro temporibus multæ refulsit nobilitatis gratia, & decoris, ac magna fidelium devotio diu viguit apud eos, quodque tunc nullam audiveramus super præmissis suspicionem vel infamiam contra ipsos, & nihilominus quod à suæ Religionis exordio portaverunt publicè signum crucis corpora exponentes, & bona contra inimicos fidei pro acquisitione, retentione, ac defensione Terræ Sanctæ, & Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi pretioso sanguine consecratæ suggestioni prædictæ aures noluimus credulas exhibere. Verùm postea auribus charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris insonuit, quod singuli Fratres dicti Ordinis in sui professione, cum ordinem ipsum ingrediuntur, expressis nobis abnegant Dominum Jesum Christum, nec non idolum adorant in suis capitulis, & alia nefanda committunt, quæ ob ruborem exprimendi subticemus ad præsens. Propter quod idem Rex ad requisitiones inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno suo generaliter à sede Apostolica deputati de Prælatorum, Baronum, & aliorum sapientum deliberatione solemni, magistrum majorem, & alias singulares personas dicti Ordinis, quæ tunc erant in Regno suo, una die cum magna excogitata diligentia capi fecit Ecclesiæ judicio præsentandas, & eorum bona mobilia & immobilia salvæ custodiæ assignari pro terra sancta, si dictus Ordo damnetur, alioqui pro ipso ordine feliciter conservanda. Deinde præfatus Magister dicti Ordinis spontaneè confessus est palam, præsentibus majoribus personis Ecclesiasticis Parisius, magistris in Theologia & aliis corruptionem erroris, abnegationis Christi in Fratrum professionibus contra primam institutionem ordinis præfatam instigante Sathana introductam. Quam plurimi etiam fratres dicti Ordinis ex diversis partibus dicti Regni Franciæ, dicta scelera sunt confessi, veram, & non simulatam agentes pœnitentiam de commissis, prout hæc dictus Rex nobis per suas literas intimavit; & ad nos etiam pervenerunt fama publica deferente. Nos

Anno 1307.

quoque Fratrem unum militem dicti Ordinis magnæ generositatis, & auctoritatis virum, super pravitate jam dicta personaliter examinavimus, qui dictum facinus abnegationis Jesu Christi in ingressu dicti Ordinis à se commissum sponte confessus fuit plenariè coram nobis, & adjecit se vidisse, quod quidam nobilis in præsentia ducentorum Fratrum vel plurium dicti Ordinis, inter quos erant centum milites vel circa, ultra mare, videlicet in Regno Cypri per præfatum Magistrum dicti Ordinis in Capitulo suo in fratrem Templi receptus fuit, & ibi in dictorum Magistri & Fratrum præsentia idem nobilis ad mandatum ipsius Magistri dictum facinus in sua receptione commisit. Ex quibus si in agro plantationis dicti Ordinis, qui ager putabatur esse virtutum, & grandis sublimationis speculo prælucebat, diabolica, quod absit, sint semina seminata gravi nostra viscera commotione turbantur. Sed si præmissa veritate nitantur, ea comperta cessabit turbatio, & secundum Deum jucunditas orietur. Unde ad investigandam veritatem hujusmodi sine mora proponimus intendere,& quantum Deus dederit efficaciter vigilare. Ea propter quia sicut insinuatione multorum accepimus super præfatis criminibus contra Templarios ipsos fama seu verius infamia communi continuè suscipit incrementum, & ob hoc urget nos conscientia, ut in his officii nostri debitum exequamur, nobilitatem tuam requirimus, rogamus & hortamur attentè, quatenus quam citius post receptionem præsentium commodè poteris prædictis omnibus intenta meditatione pensatis, sic prudenter, sic cautè, sic secrete de sapientium Secretariorum tuorum consilio studeas ordinare, quod omnes, & singulos Templarios Dominii tui, & alios qui reperiuntur in eo, & eorum bona mobilia, & immobilia per bonas personas, omni maxime quoad bona ipsa suspicione carentes, meliori modo, quo fieri poterit, capi facias uno die personas eorum faciens donec tibi scribamus aliud, nostro & sedis Apostolicæ nomine in locis tutis sub fida custodia detineri. Bona verò ipsorum mobilia & immobilia aliquibus bonis personis, de quibus non sit verisimile, quod in his, vel similibus velint fraudem aliquam adhibere facias commendari nostro nomine fideliter conservanda, quousque per nos aliud fuerit ordinatum. Quæ quidem personæ de dictis bonis omnibùs & singulis teneantur in præsentia Fratrum quarumlibet domorum dicti Ordinis & aliarum plurium bonarum personarum, & maximè dictis domibus vicinarum inventaria facere, & cum tempus fuerit plenam de ipsis reddere rationem. Quarum personarum depositariarum, propter honorem tuum sic melius negotium sine bonorum direptionis & dissipationis suspicione procedat nullæ sint de tuis officialibus, servientibus, vel aliis servitoribus quibuscumque. Provisurus quod terræ ac vineæ Templariorum ipsorum, eorum expensis more solito excolantur, ut bona ipsa dictis Templariis si reperiantur innocentes, alioquin pro Terra Sancta integrè conserventur. Taliter te super his habiturus, quod exinde præter humanæ laudis præconium apud Deum, cujus in hac parte negotium agitur, gratiæ tibi proveniat incrementum, & nihilominus ex hoc nostram & Apostolicæ sedis gratiam plenius merearis. Quidquid autem super præmissis fieri jusseris, & quidquid fuerit executioni mandatum nobis quàm celerius fieri possit, tuis litteris intimare procures.

Datum Pictavis 10. Decembr. Pontificatus nostri anno tertio.

Anno 1307.

VII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. Mant. p. 241.

Ad Philippum IV. cognomento Pulchrum Galliæ Regem: de his, quæ egerit ut Principibus Electoribus Germaniæ suaderet electionem Fratris Regis Caroli Comitis Andegavensis in Regem Romanorum: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUia sicut pro certo speramus, mentem tuam prospera de nostræ incolumitate personæ audire delectat; tibi significavimus ad gaudium, quod licet pluries discruciati fuerimus, tamen illo faciente, qui potest, corporis incolumitate vigemus, quamvis in eo vigore non simus, in quo eramus, quando recessimus de Pictavis; cum aër locorum, per quæ transitum fecisse dignoscimur, dispositioni personæ nostræ non competat, ut credimus, sicut aër partium Pictaviensium competebat. Præterea dilecti filii *Petrus Barerii Canonicus Virdunensis, & Hugo de Cella miles* tuus, nuper ad nostram præsentiam venientes, nobis litteras tuas, continentes inter cætera credentiam, præsentarunt, & qualiter ipsi dudum cum nostris & tuis litteris *super facto electionis futuri Romanorum Regis, ad partes Alemaniæ accedentes* personaliter, & qualiter in hujusmodi negotio processerant, ac venerabilis frater noster *Coloniensis Archiepiscopus* lætanter ipsos receperat, eique dilectum filium nobilem virum, *Carolum Comitem Andegavensem, germanum tuum*, in Regem Romanorum ex parte tua nominaverant, eligendum; ac tu per regias litteras supra dictas præfato Archiepiscopo etiam specialiter nominatas, & qualiter dictus Archiepiscopus eis benevolum exhibens responsum & gratum, obtulit, super electionis ejusdem negotio liberaliter se facturum quicquid posset effici per eundem; nobis seriosius retulerunt. Cumque postmodum idem Canonicus & miles apud nos ex parte tua instarent sollicitè & iterato, præfato Coloniensi nec non & venerabilibus fratribus nostris *Maguntiensi* ac *Treverensi* Archiepiscopis, quibus scripta nostra direxeramus per eos, sicut hujusmodi negotio scriberemus; nos iisdem respondimus, quod, cum per duos vel tres dies ante ipsorum ad præsentiam nostram adventum, prædictis Archiepiscopis ac dilectis filiis, nobilibus viris, Marchioni Brandenburgensi ac . . . Saxoniæ & . . . Bavariæ Ducibus, prout intercessu tuo de Pictavis nos instanter rogaveras pro ejusdem promotione negotii, nominando specialiter ipsum Comitem, scripsissemus; non videbatur expediens sive decens eis scribere super eodem negotio iterato, nisi prius nobis ad easdem literas respondissent: tamen responsione habita ab eisdem, parati eramus scribere, ut petebatur. Verùm quia dictus Coloniensis Archiepiscopus præfatis Canonico & militi, ut prædiximus, benignè & grato respondit, ipsum per nostras literas super negotii promotione prædicti pulsamus precibus & exhortationibus iteratis, prout in transumpto litterarum ipsarum, quod tibi mittimus præsentibus interclusum, poteris plenius intueri; ad illud autem super quo Canonicus & Miles præfati nobis supplicasse noscuntur, dictæque tuæ litteræ continebant,

ANNO 1307.

videlicet quod aliquam solennem personam ad Electores eosdem vel procuratores ipsorum, die quæ pro habendo tractatu super electione præfata convenire videbatur, insimul mitteremus; respondimus, & adhuc Celsitudini tuæ respondemus, quod de hujusmodi persona, quæ tibi grata & fidelis existat, de qua tu pleniorem, quàm nos, poteris habere notitiam, cogites diligenter, tuamque super hoc nobis rescribas plenariè voluntatem, cum juxta votum tuum ad electores eosdem destinare personam hujusmodi proponamus. Supplicaverunt nobis insuper ex parte magnitudinis tuæ, Canonicus & Miles præfati, ut dilecto filio, nobili viro, *Comiti Luceburgensi*, pro hujusmodi promotione negotii per nostras Litteras scriberemus; quibus ad hæc duximus respondendum: quòd cum præfatus *Archiepiscopus Treverensis, dicti Comitis frater, ipseque Comes pro sua promotione ad regnum prædictum*, apud nos devotis supplicationibus institissent, ac idem Comes tibi fidelis existat; magis videbatur expediens, quòd tu eundem Comitem super hoc requireres per litteras tuas cum instantia opportuna. Præterea cum præfati Canonicus & Miles nobis supplicarent, quod dicto Archiepiscopo Maguntinensi, *ne ad Coronationem dilecti filii, nobilis viri, ducis Carinthiæ, qui se gerit pro Rege Bohemiæ, procederet, donec esset ipsius Regis Romanorum electio celebrata*, per nostras litteras scriberemus; eisdem duximus respondendum; quòd nobis, qui sumus omnibus in justitia debitores, non videbatur congruum rationi, quod nullo conquerente de ipso, ad ejus impeditionem honoris procederemus aliquatenus ex abrupto. Cæterum die Sabbati præterita apud Reulam Vacensentis Diocesis existentes per nuncium ex parte regia nobis missum, qui cum Litteris tuis, continentibus adventum venerabilis fratris nostri Arnaldi Episcopi Pictavenensis ad tui præsentiam, quam ex certis causis retinueras & petebas per nos excusatum haberi, inibi ad nos venit; literas dilecti filii nobilis viri *Joannis Ducis Saxoniæ* recepimus, quas tibi mittimus præsentibus interclusas, ut ea, quæ ipsæ continent, plenè valeas intueri. Datum apud Cadelhacum Burdegalensis Diocesis, Calend. Octobris, Pontificatus nostri anno tertio, sub plumbo cum cordula canapis.

VIII. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. II. pag. 243. Mant.

Ad Philippum Pulchrum de tractatu cum Republica Venetâ pro Imperio Constantinopolitano pro Carolo ipsius Philippi Fratre obtinendo: anno 1307.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei carissimo in Christo Filio Philippo Regi Francorum Illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUdum prout *celsitudo regia* non ignorat, dilectis filiis .... Duci, Consilio & communi *Venetiarum*, quod dilecto filio, nobili viro *Carolo, Comiti Andegavensi, germano tuo* ad juramentum præstandum super certis conventionibus & pactis inter eundem Comitem & ipsos Ducem, Consilium & commune initis, *occasione negotii imperii Constantinopolitani*, usque ad Calend. februarii tunc proximè venturi terminum prorogarent, per litteras nostras preces & monita porreximus efficacia; ad quæ Dux ipse per suas nobis respondit litteras, sicut in eis, quas tibi mittimus Litteras præsentibus interclusas, poteris intueri, quarum etiam copiam prædicto Comiti destinamus. Præterea non credimus à tua memoria recessisse, quatenus dum Pictavis residentiam faceremus præsentibus dilectis filiis, nobilibus viris, Ludovico fratre tuo, Ebroicensi ac Sancti Pauli Comitibus, Constabulario Franciæ & Ignorammo Cambellano tuo aliqua *super negotio ejusdem imperii sub magno sigillo facta* exponi per ipsum Ingeramum fecisti oretenus coram nobis, pro quibus eras tuos speciales nuncios, qui per nos debebant transitum facere ad aliquos magnos Principes, transmissurus. Super quo, quia nihil super hoc audivimus, postmodum admiramur. Quare tuo & ejusdem Comitis Andegavensis honori convenire videtur, dictoque negotio expedire, quòd ea, quæ tunc, ut prædicitur, dicta fuerunt, ad effectum debitum perducantur & quia secreta ipsa non committeremus libenter alicui referenda, vel exprimeremus litteris, nisi de tua procederet voluntate, tibi, licet forsitan ex superabundanti, ad memoriam reducimus, magnitudini tuæ tunc temporis respondisse, quod ex infusione Spiritus Sancti ex tuis præcordiis, ut videbatur, extiterant inspirata. Cæterum *literas* dilecti filii nobilis viri *Rudolfi Ducis Bavariæ*, per quas *de negotio electionis futuri Regis Romanorum*, super quo tibi per nostras litteras scripseramus, respondet, pridem recepimus, quas tibi interclusas præsentibus, nec non & earum copiam dicto Comiti Andegavensi specialiter destinamus. Datum in Laureomonte prope Burdegalas, XI. Calend. Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1308.

IX. Ex Cod. Leibnitii Tom. II. pag. 320. Mant.

Citatio eorum qui Bonifacium Prædecessorem Pontificem Hæreseos accusant: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad certitudinem præsentium & memoriam futuram.

DUdum postquam, divina cooperante Clementiâ, fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, primò Lugduni & deinde Pictavis, cum nostra curia residentes, charissimus in Christo filius noster *Philippus Rex Francorum illustris*, zelo, ut credimus, & ipse promebat, fidei Orthodoxæ & devotionis accensus credensque Ecclesiæ statui plurimum expedire, Nos cum instantia requisivit, & id ipsum dilecti filii, nobiles viri, *Ludovicus natus claræ memoriæ Philippi Regis Francorum Ebroicen.* Guido S. Pauli, & Joannes Drocensis Comites ac Gulielmus de Plasiano miles, qui *contra Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, quem dicebant in labe pravitatis hæreticæ decessisse*, crimen hæreseos se velle imponere, & ad illud probandum sufficientes probationes habere, illasque coram nobis velle proponere asserebant: postularunt instanter, quod ipsis videlicet nobilibus benignam audientiam exhibentes, ad recipiendas probationes hujusmodi, memoriamque damnandam ejusdem defuncti, justitiâ prævia procedere curaremus. Nos verò quamvis de ipso, quod de orthodoxis parentibus, & Catholica patria traxit originem, ac in curia Romanâ, pro majori

ANNO 1307.

parte temporis vitæ suæ, nutritus extitit, ac cum Martino dum in Franciæ, ac Adriano in Angliæ Regnis, prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, legationis officio fungerentur, successivis temporibus, quasi continuo conversatus, Cancellariæ officium exercuit, cum iis & subsequenter in dicta Romanâ curiâ, in qua prius exercuerat advocationis officium, ad officium Notariatus primò, & deinde ad honorem Cardinalatus S. R. Ecclesiæ, & demum in summum Pontificem extitit, qui ad honorem Dei & roborationem & hereticorum exterminium multas edidit Sanctiones, in Prædicationis, ... divina officia exercendo . . . in præfata curia, & etiam extra eam, tum in dictis Regni Franciæ & Angliæ, cum aliis diversis mundi partibus antequam summus Pontifex . . . viris authoritatis eximiæ Catholicis & Ecclesiasticis conversatus, alias etiam, . . . apparebat communiter semper vixit; prædicta veritate subniti nullatenus crederemus. Quia tamen crimen hæreseos, quod est inter cætera crimina plus exetrabile ac horrendum, magisque detestabile ac damnosum, contra dictum prædecessorem oppositum, dissimulanter indiscussum negligi non debebat: ad præfati Regis aliorumque nobilium prædictorum instantiam, & ne in Sacro Sancta Romana Ecclesia, quæ mater est cunctorum Christi fidelium & magistra, quæque cunctis tribuit catholicæ religionis normam, veramque doctrinam fidei orthodoxæ, videamur negligere, quod in aliis debet diræ censuræ acerbitate damnari: Dum adhuc cum prædictâ curiâ Pictavis essemus, ut præfatis oppositoribus de fratrum nostrorum consilio audientiam duximus concedendam, iis primam diem juridicam, post festum purificationis B. Mariæ Virginis proximum jam transactum, ad comparendum coram nobis Avenione, & quantum ac prout esset de jure in ipso negotio procedendum, pro peremptorio termino signantes &c. Actum Avenione in domibus fratrum Prædicatorum, videlicet in aula inferiori, quâ consistoria publica tenemus: Idibus Septembris pontificatus anno IV.

X. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I.

Bulla, quæ repetitis Templariorum criminibus eosdem, & omnes ipsis faventes excommunicationis fulmine ferit: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD omnium fere notitiam jam credimus pervenisse notanda scelera, & crimina abhorrenda, hæresim notoriè sapientia, quibus Ordo & personæ Templariorum non levibus argumentis, sed manifestis indiciis, & violentis præsumptionibus diffamati noscuntur, super abnegatione videlicet Domini nostri Jesu Christi, & super nefanda, temeraria præsumptuosa, hæretica conspuitione super ejusdem imaginem crucifixi, nec non & super pluribus aliis articulis, quos, qui fore credimus manifestas, exprimi non oportet, sicque excrebrescente infamia & imminentibus scandalis plurimis minime contemnendis, quæ non leviter totam scandalizant Ecclesiam urgente conscientia per totum orbem terrarum jamdudum ipsos capi mandavimus, & tandem cæpimus super iis contra eos inquirere per nos ipsos nonnullis & fratribus nostris ascitis ad inquisitionem prædictam nobiscum sollicite peragendam, & tandem præsentatis nobis personis eisdem non parvo, sed grandi numero, non levis, sed magnæ auctoritatis viris, olim in ordine supra dicto Sacerdotibus, præceptoribus, militibus & servientibus, per eorum confessiones & depositiones spontaneas liberè factas coram nobis & fratribus nostris in secreto, prius & postmodum coram nobis totoque collegio fratrum nostrorum sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, patuit manifestè quoad personas istas crimina & scelera esse vera, iidemque confitentes omnes & singuli suum humiliter recognoscentes errorem, nostram, & Apostolicæ sedis non justitiam, sed misericordiam & veniam implorarunt, quibus cum omni humilitate & reverentia & proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus pro absolutione ab excommunicationis sententia quam ex hujusmodi hæresis reatibus, & sceleribus incurrerant ipsis misericorditer impendenda nos, qui, licet indigni vicarii sumus illius, cujus miserationes super omnia opera ejus existunt, & quia Romana mater Ecclesia non claudit, prout nec claudere debet gremium redeunti, facta à prædictis confitentibus cum humilitate & reverentia abjuratione hujusmodi hæreseos secundum canonicas sanctiones, eis juxta formam Ecclesiæ fecimus munus absolutionis impendi, potestate injungendi eis propterea salutarem pœnitentiam nobis & dictæ sedi seu quibus id committendum duxerimus specialiter reservata. Post quæ cum magistro & Præceptoribus præcipuis præfati ordinis intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum magistrum & Franciæ, terræ ultramarinæ Normanniæ, Aquitaniæ, ac Præceptores majores nobis Pictavis existentibus mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex ipsis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci, nos cum eis de præmissis & nonnullis confessionibus, & depositionibus dictorum fratrum, factis coram Inquisitoribus hæreticæ pravitatis Regni Franciæ, certificari volentes, dilectis filiis nostris Berengario tituli sanctorum Nerei, & Achillei & Stephano tituli sancti Cyriaci in Thermis Presbyteris ac Landulfo S. Angeli Diacono Cardinalibus: de quorum prudentia, experientia & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi cum præfatis Magistro & Præceptoribus inquirerent tam contra ipsos & alias singulares personas dicti ordinis generaliter, quàm etiam contra ipsum ordinem super præmissis diligentius veritatem, & quod super iis invenirent, nobis referre, ipsorumque confessiones & depositiones sub manu publica deferre ac præsentare curarent, impensuri eidem magistro & præceptoribus juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa, si vera erant incurrerant; si absolutionem humiliter & devote peterent, ut debebant. Dictis autem Cardinalibus ad castrum de Raynone Turonensis diœcesis, in quo tunc erant dicti Magister & Præceptores personaliter accedentibus, iidem Magister & Præceptores majores de mera & plena veritate dicenda ab eis corporaliter præstito juramento, singulariter, libere, ac sponte, absque coactione qualibet & terrore coram ipsis tribus Cardinalibus quatuorque tabellionibus publicis, ac multis aliis probis viris deposuerunt & confessi fuerunt inter

ANNO 1308.

cætera

cætera Christi abnegationem & spuitionem super Crucem cum in Ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi & spuitione super Crucem fratres plurimos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Ac deinde in confessionibus ac depositionibus factis per ipsos antea coram Inquisitore pravitatis prædictæ ac ipsis & eorum cuilibet Lectis & expositis de mandato & in præsentiæ Cardinalium prædictorum, firmiter perseverantes & approbantes easdem absolutionem au excommunicatione prædicta petitam ab eis humiliter & devotè sibi obtinuerunt juxta præmissam formam per Cardinales ipsos impendi, hæresi expressè ac publice abjurata. De quibus omnibus per fidelem relationem dictorum Cardinalium nobis facta extitit plena fides, hujusmodi confessionibus & depositionibus eorundem nobis sub manu publica præsentatis. Nos igitur volentes super iis, prout ad nostrum spectat officium, congruum remedium adhibere auctoritate Apostolica districtius inhibemus ne aliquis de cetero eisdem Templariis vel eorum alicui scienter, publicè vel occultè præstet auxilium, consilium, vel favorem, seu aliàs ipsos vel aliquem ipsorum receptare seu retinere aut eis favere præsumat, sed eos tanquam suspectos de hæresi omnino devitet. Mandantes nihilominus eadem auctoritate omnibus & singulis Ecclesiasticis & secularibus personis, nec non Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, & plebeiis, & Communitatibus, Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, quatinus dictos Templarios capiant, & eos locorum Ordinariis, singulis eorum videlicet in suis civitate & diœcesi, sine difficultate qualibet assignare ac tradere non postponant, si & quandocunque ab eisdem super hoc fuerint requisiti, vel ad ipsorum Ordinariorum requisitionem eosdem Templarios sub fida & tuta custodia teneant, repræsentandos eisdem Ordinariis vel Inquisitoribus deputatis seu deputandis à nobis, & ipsis tradendos ad eorum requisitionem, seu Inquisitionibus hujusmodi faciendis, & aliàs quotiens & quandocumque eis videbitur faciendis. Nos enim omnes & singulos cujuscunque præminentiæ sint, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi pontificali præfulgeant dignitate, qui suprà dictis Templariis vel eorum alicui scienter, publicè vel occulte præstabunt auxilium, consilium, vel favorem vel aliàs ipsos vel aliquos ipsorum receptare, vel retinere, aut eis, ut præmittitur favere præsumpserint: auctoritate præsentium excommunicationis sententia innodamus ac civitates, castra, terras, & loca, quæ ipsos vel aliquem eorum scienter susceperint vel tenuerint Ecclesiastico supponimus interdicto, absolutionem prædictorum præterquam in mortis articulo ac relaxationem ipsius interdicti nobis nostrisque successoribus reservantes; non obstantibus quibuslibet privilegiis, Indulgentiis & Litteris Apostolicis quibuscunque & sub quacunque verborum forma, vel expressione concessis, per quæ effectus præsentium posset quomodolibet impediri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, mandati, excommunicationis, interdicti & reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tolosæ III. Kal. Januarij Pontificatus, nostri anno quarto.

XI. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. III. pag. 76.

Ad EpiscopumWigorniensem, ut inducat Regem Angliæ ad Reformandos excessus officialium suorum: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilecto filio Valterio Wigorniensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUanto inter cæteros mundi Principes, carissimum in Christo filium nostrum Edvardum Regem Angliæ illustrem specialis dilectionis affectione diligimus, gerimus in visceribus caritatis, & ad ejus honorem pro viribus promovendum, tam natura & naturalis origo, quàm nutritura longa, & familiaris ardentius nos inducit, tanto amplius dolemus, affligimur, & turbamur, cum eum audimus aliqua facere, per quæ inter Romanam Ecclesiam & Regem eundem Regnumque suum, materia dissensionis & scandali, aut scintilla turbationis posset quomodolibet suboriri, vel quæ ipsum notent, vel notare valeant aliqualiter à Progenitorum vestigiis deviare suorum, qui propter plenitudinem devotionis & fidei, quam erga Deum & Romanam Ecclesiam inviolabiliter obtinentes, in bellis fortes & strenui, honorabiles hominibus, & Deo amabiles, inclitum Regnum suum ampliare terris & regionibus multiplicare populis, & augere honoribus & accumulare divitiis à multis retro temporibus meruerunt. Porro auditu multiplici, non sine cordis amaritudine, jam dudum audivimus, Venerabilem Fratrem nostrum Valterum Lichefeldensem Episcopum per Officiales Regios, manus ad indebita & illicita extendentes captum fuisse temere, & non sine offensa Dei, & contemptu Ecclesiæ, & diruptione Ecclesiasticæ libertatis, usque adhuc in carcere detineri, quod non tàm ratione personæ, quàm honore Dei & Ecclesiæ per ipsum jam dudum voluissemus esse correctum, & adhuc corrigi sine ulterioris moræ dispendio, eum in domino exhortamur, ne ex hujusmodi, quod absit, illicitis non dicamus actibus, sed tolerantiis, irreverentiam & indevotionem ad Deum, & Ecclesiam sapientibus sui clari nominis præconia dinigrescaret. Tuam siquidem discretionem credimus non latere, quod licet, claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ ut sibi capiendi Venerabiles Fratres nostros, Villielmum Sancti Andreæ & Robertum Glasguensem Episcopos prout in Bulla superiore, usque hæc verba, viz. Quo circa discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatum nostrum filium prædilectum sollicites studiosiùs, & inducas, quod ipse zelo devotionis & fervore reverentiæ, sic ad revocandos prædictos suorum Officialium errores velit exurgere, quod præter humanæ laudis præconium, sibi à Deo exinde honoris, & commodi proveniat incrementum, tùque à Deo, & nobis exinde valeas commendari. Nos enim, prout eidem Regi scribimus, de ipsis Episcopis sic celeriter, sic plenariè de his, quæ invenientur in suum, vel subditorum suorum damnum seu injuriam commisisse faciemus justitiæ complementum, etiam infra limites,

si

ANNO 1307.

si expedire videbitur, Regni sui, quod sua exinde serenitas meritò contentari debebit. Nihilominus autem dilectum filium Magistrum Sicardum de Vauro Archidiaconum Corbariæ in Ecclesia Narbonensi, Capellanum nostrum, latorem præsentium, ad suam, & tuam præsentiam destinamus; cui super præmissis & his, quæ circa ea tibi ex parte nostra, duxerit, ferenda, adhibeas plenam fidem. Datum Pictavii 5. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno tertio.

XII. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. pag. 101.

Inquisitores super negotio Templariorum assignantur, & deputantur in Regno Angliæ: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiscopo Cantuariensi, & suis suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

FAciens misericordiam cum servo suo Dei filius, Dominus Jesus Christus, ad hoc nos voluit in specula eminenti Apostolatus assumi: ut gerentes, licet immeriti, vices ejus in terris in cunctis actibus & processibus, ipsius vestigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sanè dudum, circa nostræ promotionis ad apicem summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugduni, ubi recepimus nostræ coronationis insignia, veniremus, & post etiam, tam ibi, quàm alibi, secreta quorumdam nobis insinuatio intimavit, quod Magister Præceptores, & alii Fratres Ordinis Militiæ Templi Jerosolimitani, & etiam ipse ordo, qui ad defensionem Patrimonii ejusdem Domini nostri Jesu Christi, fuerant in transmarinis partibus deputati contra ipsum dominum, in scelus Apostasiæ nephandum, detestabile idololatriæ vitium excecrabile facinus Sodomorum, & Hæreses varias erant lapsi. Quia verò non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod viri, tam Religiosi, qui præcipuè pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna, tam in divinis Officiis, quàm in jejuniis, & aliis observantiis, devotionis signa frequentiùs prætendebant, suæ sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent; hujusmodi insinuationi & delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis, & Canonicæ Scripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde verò Charissimus in Christo filius noster, Philippus Rex Francorum illustris, cui eadem fuerant facinora intimata non typo avaritiæ cum de bonis Templariorum nihil sibi vendicare, vel appropriare intendat; imo ea per deputandos à nobis generaliter, & per Prælatos Regni Franciæ specialiter in suis Diocesibus administranda in Regno suo dimisit; manum suam exinde totaliter emovendo, sed fidei orthodoxæ fervore suorum progenitorum vestigia clara sequens, accensus de præmissis, quantum licitè potuit, se informans, ad instruendum & informandum nos super his multas & magnas nobis informationes per suos nuncios & literas destinavit. Infamia verò contra templarios ipsos increbrescente validiùs super sceleribus ante dictis: & quia etiam quidam miles, ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit quod, in receptione Fratrum præfati Ordinis, hæc consuetudo, vel potiùs corruptela servatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputatis suggestionem, qui recipitur Jesum Christum negat, & super Crucem sibi ostensam, spuit, in vituperium crucifixi, & quædam alia faciunt Recipiens & Receptus, quæ licita non sunt, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis; Vitare nequivimus, urgente nos ad id Officii nostri debito, quin tot & tantis clamoribus accomodaremus auditum. Sed cum demùm, fama publica deferente, ac clamosa insinuatione dicti Regis, nec non & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum nobilium cleri quoque & Populi dicti Regni Franciæ, ad nostram propter hoc tam per se, quàm per Procuratores, & Syndicos præsentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset quod Magister, Præceptores & alii fratres dicti Ordinis, & ipse Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti. Et præmissa per multas confessiones, attestationes, & depositiones præfati Magistri, & plurium Præceptorum & Fratrum Ordinis prælibati, coram multis Prælatis, & Hæreticæ pravitatis Inquisitore, in Regno Franciæ factas, nobisque ac Fratribus nostris ostensas probari quodammodo viderentur. Ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum invaluissent, & etiam ascendissent, tàm contra ipsum Ordinem, quàm contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterant, nec absque imminenti periculo tolerari. Nos illius, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, vestigiis inhærentes, ad inquirendum de prædictis, ratione prævia, duximus procedendum; multosque de Præceptoribus Presbyteris, militibus, & aliis Fratribus dicti Ordinis, reputationis non modicæ in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus & examinavimus, usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex Fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones, per publicas manus in autenticam scripturam redactas, illicò in nostra & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde, interposito aliquorum dierum spatio, in Consistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cujuslibet eorum exponi, qui perseverantes in illis eas expresse & spontè, prout recitatæ fuerant approbarunt. Postque, coram Magistro, & Præceptoribus præfati Ordinis intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum Magistrum & Franciæ Terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ, præceptores majores nobis, Pictavii existentibus mandavimus præsentari: sed, quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci; Nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continebantur in eorum Confessionibus & depositionibus, quas coram Inquisitore pravitatis Hæreticæ in Regno

ANNO 1308.

Franciæ

Franciæ, præsentibus quibusdam Notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, nobis & fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis, exhibitis & ostensis. Dilectis filiis nostris, Berengario titulo Sanctorum Nerrei & Achillei, & Stephano, titulo Sancti Ciriaci in Thermis, Presbyteris ac Landulpho Sancti Angeli, Diacono, Cardinalibus de quorum providentia experientia & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi, cum præfatis, Magistro & Præceptoribus, inquirerent, tam contra ipsos, & alias singulares personas dicti Ordinis generaliter, quàm contra ipsum ordinem super præmissis cum diligentia veritatem; & quicquid super his invenirent nobis referre, ac eorum confessiones, & depositiones per manum publicam in scriptis redactas, nostro Apostolatui deferre ac præsentare curarent. Eisdem, Magistro & Præceptoribus absolutionis beneficium à Sententia Excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter & devotè peterent ut debebant, juxta formam Ecclesiæ impenderi. Qui Cardinales, ad ipsos Magistrum & Præceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt. Et quoniam personæ ipsorum & aliorum Templariorum in Regno Franciæ consistentium, nobis traditæ fuerant, quòd liberè absque metu cujusquam plenè & purè super præmissis omnibus, ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica injunxerant. Qui Magister & Præceptores Franciæ, Terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitanniæ, ac Pictaviæ, coram ipsis tribus Cardinalibus præsentibus quatuor Tabellionibus publicis, & multis bonis aliis Viris, ad sancta Dei Evangelia, ab eis corporaliter tacta præstito Juramento, quòd, super præmissis omnibus, meram & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter, liberè ac sponte absque coactione qualibet & terrore, deposuerunt, & confessi fuerunt, inter cætera, Christi abnegationem, & spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt; & quidam ex eis se, sub eadem forma, scilicet, cum abnegatione Christi, & spuitione super crucem, fratres milites recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Dixerunt præterea, & confessi fuerunt esse vera, quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquisitore Hæreticæ pravitatis. Quæ confessiones & depositiones dictorum Magistri & Præceptorum in scripturam publicam per quatuor Tabelliones publicos redactæ, in ipsorum, Magistri & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præsentia: ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eædem lectæ fuerint, de mandato & in præsentia Cardinalium prædictorum & in suo vulgari expositæ cuilibet eorundem; qui perseverantes in illis, eas expressè ac sponte, prout recitatæ fuerant approbarunt. Et post confessiones & depositiones hujusmodi, ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus manibusque complosis humiliter & devotè ac cum lacrimarum effusione modica petierunt. Ipsi verò Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem, Magistro & Præceptoribus Hæresi abjurata expressè, ipsis secundum formam Ecclesiæ auctoritate nostra, absolutionis beneficium impenderunt. Ac deinde, ad nostram præsentiam redeuntes confessiones & depositiones prælibatorum Magistri & Præceptorum, in scripturam publicam per manus publicas ut dictum est redactas, nobis præsentaverunt, & quæ cum dictis Magistro & Præceptoribus, fecerant, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus, ac relatione, invenimus sæpe fatos, Magistrum & Fratres in præmissis, & circa præmissa licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquisse. Verum, quia universis mundi partibus, per quos idem ordo diffunditur, ac Fratres degunt ipsius, super his non possumus inquirere per nos ipsos. Fraternitati vestræ, de Fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel quilibet vestrum, videlicet, in suis civitate & Diœcesi, una cum Venerabilibus fratribus nostris Patriarcha Jerosolymitano, ac Archiepiscopo Eboracensi, Lincolniensi, Cicestriensi, & Aureleanensi Episcopis: & dilectis Filiis, de Lathiniaco, Pariensis Diocesis, & S. Germani de Pratis juxta Parisius, Monasteriorum Abbatibus; ac Magistris Sicardo de Vauro, Canonico Narbonensi Capellano nostro, nostrique Palatii Auditore causarum, & Guidone de Vichio Rectore Ecclesiæ de Hosche Londoniensis Diocesis, vel octo, septem, sex quinque quatuor, tribus, duobus, aut uno ex ipsis, quos nobis in hac parte, propter negotii magnitudinem, duximus adjungendos, vocatis, per publicum Citationis Edictum, per vos; & ipsos adjunctos vel eorum aliquos seu aliquem, in locis de quibus vobis & eis videbitur faciendum, qui fuerunt evocandi, contra singulares Personas, & Fratres dicti Ordinis, in Civitatibus & Diœcesibus vestris degentes, etiamsi aliunde venerint, vel illùc adducti forsan extiterint, super Articulis, quos vobis, sub Bulla nostra inclusos transmittamus & super aliis, de quibus prudentiæ vestræ videbitur expedire, veritatem cum diligentia inquiratis. Volumus insuper quod, Inquisitione, seu Inquisitionibus hujusmodi factis, per Provinciale Concilium contra ipsos singulares Personas, & Fratres, qui in eadem Provincia fuerint, seu pro eis, super his, de quibus contra eos inquisitum extiterit, absolutoria, seu condemnatoria sententia, juxta juris exigentiam, proferatur; Inquisitore nihilominus, seu inquisitoribus ejusdem pravitatis Hæreticæ in ipsa Provincia per sedem Apostolicam deputatis, tam ad dictas Inquisitiones quàm ad hujusmodi prolationem sententiæ admissis, si ad eas vobiscum voluerint interesse. Proviso quod de inquirendo vel sententiando contra Magistrum, Præceptorem dicti Ordinis, in Regno Angliæ constitutum, contra quos, per certas personas, inquiri mandavimus, vos intermittere nullatenus præsumatis.

Datum Pictavis secundo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1308.

XIII. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. pag. 109.

Bulla super liberatione Episcoporum Glasquensis, Sancti Andreæ, & Lychefeldensis, & de bonis Templariorum: anno 1308.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

ATtende, Fili, & diligenter intellige verba Patris, magnitudinis Regiæ profectus uberes, & exaltationis incrementa felicia diligentis. Cogit Nos quidem debitum Pastoralis officii, & vincimur à dilectione nimia, qua fili carissime inter cæteros Christianæ Religionis Principes, specialiter nobis conjungeris, & portaris in Apostolicæ sedis visceribus caritatis, ut personam Regiam ad actiones laudabiles, operaque salutis per quæ gratia summi Regis acquiritur, nomen Regium magnificetur in populis, & præcelsæ tuæ famæ præconium exaltationis multiplicis suscipiat incrementa, teque instantius, cum velut homo ab his quæ justa sunt devias, & quæ oculos divinæ Majestatis offendunt, salutis tuæ commodis obviant, derogant, Regalibus titulis, sollicitè paternis verborum oraculis revocemus. Optamus enim, dilectissime Fili, ut quemadmodum in orbe terrarum, inter cæteros Catholicos Principes, generosi sanguinis fulgore prærutilas, sic laudabilium claritate resplendeas actionum & mentis oculis erectis ad illum, per quem honorum culmina, & Regnorum solia possidentur, ejus humiliter beneplacitis te conformes, & Progenitorum tuorum imitans laudanda vestigia, limites studeas observare justitiæ, personas Ecclesiasticas Regni tui favoris Regii ope confoveas, & protectionis tuæ præsidio tuearis à quibusvis earum molestiis, offensis, & injuris abstinendo. Hæc profectò sunt opera in conspectu divinæ Majestatis accepta: Hoc est salubrium exercitium actionum: Hæc sunt utique studia, quæ in populis gentium, Principum gesta clarificant, & regnantium stabiliunt solia incommutabili firmamento. Dudum siquidem Venerabilis Frater noster Petrus Episcopus Sabinensis ad Regnum tuum pro quibusdam negotiis, statum pacificum & tranquillum, claræ memoriæ, Eduardi Genitoris tui, & dicti Regni tangentibus, accedens venerabiles Fratres nostros Sancti Andreæ & Glasguen. Episcopos, quos licet ad devotam, & instantem dicti Genitoris tui instantiam mandavissemus per venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Eboracensem propter quædam horribilia, quæ de ipsis idem Genitor tuus nobis contra ipsum, pacem & tranquillitatem Regni tui intimaverat fuisse commissa, quæ ipse in sua conscientiâ asserebat fore vera, per suas litteras & Nuncios speciales, ipsius Archiepiscopi carceri mancipari, & in eo etiam detineri donec ipsos ad nostram præsentiam mandaremus adduci, in gravem Divinæ Majestatis offensam, & non modicam Apostolicæ sedis injuriam, dictus Genitor tuus detinebat Regio carceri mancipatos, cum instantia ex parte nostra libertati restitui postulavit. Idem autem Rex, ejusdem Sabinensis Episcopi postulationibus annuens, præfatos Episcopos cum magna humilitate eidem Episcopo Sabinensi verbo restituit, & mandavit restitui cum effectu Apostolicæ Sedis conspectui præsentandos. Et licet præfatus Sabinensis Episcopus illos proponeret secum adducere, cum ipsum redire ad præsentiam Apostolatus nostri contingeret, eosque tunc, cum haberet inibi moram contrahere, & timeret de fuga eorum, recipere distulisset; postmodum tamen eodem Genitore tuo, viam universæ carnis ingresso, ipsos, nec non & Venerabilem Fratrem nostrum Valterum Lichefeldensem Episcopum, quem carcere detinebat, dicto Sabinensi Episcopo, ab eo requisitus, instanter restituere distulisti, asserens, prout ex dicti Sabinensis Episcopi relatione percepimus, te velle nobis super hoc per speciales Nuncios respondere. Cumque postmodum dilectum filium Magistrum Siccardum de Vauro Archidiaconum Corbariæ in Ecclesia Narbonensi, Capellanum nostrum, pro ipsorum Episcoporum liberatione, & certis aliis negotiis, ad te cum nostris litteris specialiter misissemus, tu demum hujusmodi litteris nostris tibi præsentatis per ipsum, receptis, nobis per regias litteras respondisti, quod super liberatione, vel missione dictorum Episcoporum ad nostram præsentiam cum Proceribus Regni tui, quorum præsentiam propter Guerram tuam in Scotia suscitatam, nequibas habere, quam citius posses, intendebas habere colloquium & tractatum. Supplicans, ut molestam dilationem, & consilii deliberationem hujusmodi non ferremus; quoniam habito, quàm citiùs fieri posset consilio de prædictis, quicquid in offensa Regia dignitate, & absque exhæredatione & gravi præjudicio subditorum tuorum, & tuo fieri posset, Filiali efficere promptitudine procurares. Sicque adhuc Episcopos ipsos, quod dolentes referimus, non sine tuæ salutis dispendio, & æterni Regis opprobrio, carceratos diceris detinere. Præterea alia cordi nostro de tuis actibus non indignè materia grandis turbationis accrevit, quod sicut notitiæ nostræ ex relatione plurium magnatum innotuit, bona quæ Templarii in Regno tuo habent, quæ ad ordinem ipsius Templi pertinent, si bonus reperiatur; Et aliàs ad dictæ sedis dispositionem plenariam pertinere noscuntur, & quæ ad manus tuas de mandato nostro posueras, non absque divinæ Majestatis offensa, & dictæ sedis injuria, diversis distribuisti personis, pro tuæ libito voluntatis. Verum ut ordinatio de prædictis & aliis bonis Templariorum ipsorum consistentibus per singulas partes orbis, per nos de fratrum nostrorum consilio præsente carissimo in Christo filio nostro Philippo Rege Francorum illustre, facta dum adhuc Pictavio residentiam faceremus, tuis sensibus fiat nota, Regiam magnitudinem volumus non latere, quod per dictum Regem personis dictorum Templariorum, ac mobilibus, & immobilibus bonis ipsorum in Regno suo consistentibus, nobis liberaliter redditis, & dimissis, & manu sua ab eis ad nostram requisitionem amota, ac injuncto, per suas Patentes, & diversas litteras, omnibus suis Justitiariis, & subditis, ut illis, quos ordinaremus ad recipiendum prædicta, personas, & bona Templariorum ipsorum, quam citiùs essent requisiti per eos, traderent integraliter absque fraude, ordinavimus quod certæ personæ idoneæ pro inquisitione facienda contra ordinem, & Templarios memoratos, super execrandis excessibus, qui per ipsos commissi dicuntur, ac bonis recipiendis eorum, unà cum Prælatis ad hoc specialiter deputatis à Nobis ad idem Regnum

ANNO 1308.

Anno 1308.

tuum, & universas alias partes Orbis specialiter mitterentur, in quibus dicti Templarii aliquid habere noscuntur intendentes, ut ordinationi prædictæ in brevi debitus subsequatur effectus. Cum itaque ab intimis cupiamus, quod Progenitorum tuorum, qui erga Deum & Romanam Ecclesiam zelo devotionis accensi, cultum in Regnis suis augmentare Divinum, tueri Ecclesiasticam libertatem, Ecclesias & Personas Ecclesiasticas fovere Regnorum ipsorum, & protegere curaverunt, salubria eligas vestigia imitari, teque ostendas æmulatorem fervidum, per effectum, ac ejusdem tui Genitoris exemplo, qui fide præclarus in dictæ terræ subsidium transfretando pro terræ defensione prædictæ, & nostri Salvatoris injuria ulciscenda, in terra ipsa plagas sustinuit diras & vulnera, seque mortis periculis offerre devotis affectibus non expavit, tuas dirigas actiones. Regalem magnificentiam rogamus & hortamur in Filio Dei Patris, quatinus super dictorum liberatione Prælatorum in Parliamento, per te in proximo, ut audivimus, celebrando, sic salubri consilio dirigaris, sicque nobis promptitudine devota respondeas, quod responsio ipsa grata in oculis Divinæ majestatis appareat nostrisque affectionibus sit accepta, & nihilominus concessione prædictorum bonorum, siqua facta sit, quæ nulla sit ipso jure, per te sine difficultate qualibet revocata, de facto, sicût de facto processit, sic in conservatione ipsorum & aliorum bonorum Templariorum eorumdem, consistentium infra terminos Regni tui, efficaciter te geras & habeas, quod personæ, quas pro dictis bonis recipiendis ad idem Regnum tuum celeriter, Auctore Domino, transmittemus, bona ipsa pro dicto ordine, si ea, quæ ipsis Templariis imponuntur, inveniantur veritate carere, alioquin pro Terræ Sanctæ subsidio conservanda, pro quo fuerunt à conferentibus deputata, habere pacificè valeant & percipere fructus & redditus eorumdem, & propter hoc Divinæ majestatis, cujus agitur in hac parte negotium, non incurras offensam, & in examine districti judicis non cogaris debitam reddere rationem. Alioquin scire te volumus, quod quantumcunque personam tuam diligamus ex corde, & quantumcumque tuum, & Regni tui statum prosperum, sicut proprium, cupiamus, & quælibet tua, & Regni prædicti adversa, quæ personam nostram reputamus contingere, displiceant votis nostris & ipsis libenter paternis affectibus obviemus, detentionem Prælatorum, & devastationem bonorum ipsorum dissimulare salva conscientia non possemus, quin circa præmissa adhiberemus remedium opportunum. Cæterum quia, in adventu Capellani prædicti ad nostri Apostolatus præsentiam, Venerabilis Frater noster Arnaldus Pictavensis Episcopus, quem ad Regnum tuum pro tua, & Baronum prædictorum pace transmisimus, jam recedens de Curia versus partes ipsas arripuerat iter suum, hujusmodi litteras sibi transmisimus, per eum tuæ Celsitudini præsentandas, sibique mandavimus quod apud te super præmissis efficaciter interponeret partes suas.

Datum apud Silvam majorem Burdegalensis Dioces. 4. Nonas Octobris Pontificatus nostri anno tertio.

Anno 1309.

XIV. Ex. Arch. Angl. Rimer Tom. III. pag. 137.

Ad Episcopum Wigorniensem, quod Regem moneat à gravaminibus Ecclesiæ abstinere, quodque Ministros ab injuriis Personis Ecclesiasticis inferendis, coerceat, nec non quod censum Ecclesiæ Romanæ debitum integraliter persolvat: anno 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Vigorniensi, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Supra montem excelsum Apostolicæ Sedis, quamvis insufficientibus meritis disponente Domino, constituti; cum de ipsius vertice montis ad infima nostræ considerationis reflectentes intuitum importabilium onerum nostræ debilitatis incumbentium humeris intuemur diligentiùs gravitatem multifariè multisque modis anxiamur ab intimis, qualiter illa possimus salubriter ad laudem Divini nominis supportare. Sed dum à sponso cœlesti qui Christus est, curam universalis Ecclesiæ, peramabilis & inclitæ sponsæ suæ, quam sibi amoris ineffabilis dulcedine copulavit, insufficientiæ nostræ commissam advertimus in mente non levi stupore deprimimur, & graviter in animo deterremur. Verum superest nobis spes in solo auxilio divino reposita, ad quod humiliter recurrentes, devotius imploramus ut ipse, qui Ecclesiæ præfatæ custodiam insufficientiæ nostræ commisit, suæ libertatis beneficium gloriosum cælesti sibi dono concessum nobis custodire salubriter largiatur. Ad hoc enim vocati sumus à Domino: ad hoc jugum subivimus Apostolicæ servitutis: ad hoc nostros continuè diffundimus cogitatus, ad hoc labores subimus diurnos assidue, & ad hoc insomnes deducimus horas noctis, ut sui decoris gloriam & honorem, suæque pulchritudinis dotes amplissimas, immaculatas illi, qui speciosus est præ filiis hominum, conservemus. Sanè jam dudum ad nostri Apostolatus auditum, non sine grandi admiratione relatio fide digna perduxit, quod nonnulli Officiales & Ministri carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris eorum finibus non contenti, nec attendentes quod venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quos cœlestis altitudo consilii in Apostolicæ sollicitudinis partem assumpsit, velut capitis ejusdem Ecclesiæ membris nobilibus, & qui nostri lateris individua pars existunt, à cunctis Ecclesiæ filiis debetur reverentiæ plenitudo, sed extendentes potius ad illicita in eorum injuriam manus suas dilectis filiis nostris Neapoleoni Sancti Adriani, & Francisco Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Diaconis Cardinalibus, & non nullis, ex dictis aliis Cardinalibus, quorum aliqui, nec non & Progenitores ipsorum de terra dicti Regis originem traxisse noscuntur: Et Procuratoribus eorumdem, quibus pro dictæ sedis & nostra reverentia, deberent in agendis, ratione beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ obtinent, in Regno prædicto incumbentibus, ferventer assistere, graves injurias & duras molestias irrogare præsumunt, quamvis Cardinales ipsi ad promotionem eorum, quæ dicti Regis statum magnificarent honoris, ac impediendum contrarium, si, quod absit evenire posse prospicerent, promptis animis sint parati. Præterea sensibus nostris alia profundæ turbationis causa consurgit, quod cùm

ANNO 1309.

interdum de Dignitatibus & Beneficiis Ecclesiasticis Regnorum & Terrarum prædictorum, per nos sufficientibus personis & dignis, sicut divino & humano jure licite possumus, in hoc Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, qui in Regnis & Terris eisdem, sicut & in aliis partibus orbis, de Beneficiis Ecclesiasticis providerunt, laudabilia vestigia imitantantes provideri contingit certis eis super hoc, juxta morem quem Apostolica sedes servare in talibus consuevit, Executoribus deputatis; nonnulli ex dictis Officialibus & Ministris, qui gloriantur in malitia, in iniquitate potentes, licentiæ laxatis habenis, quamvis nulla in talibus à Deo vel ab homine, cui hoc justè competat attributa potestas vel jurisdictio sit, eisdem Executoribus ipsis temerariè inhibere præsumunt, ne commissæ ipsis hujusmodi Ministerium executionis exerceant, aut processus aliquos faciant super illis, seu factos publicent, vel faciant publicari in excommunicationum sententias, quas ut plurimum, executores hujusmodi gratiarum in quoslibet impeditores, quo minus præfatæ gratiæ debitum sortiantur effectum proferunt damnabiliter incidendo. Et nihilominus coacervare pejora prioribus non verentes citationes, cum super aliquibus negotiis sive causis ad Ecclesiasticum forum spectantibus, in eisdem Regnis & Terris auctoritate dictæ sedis, etiamsi contra Ecclesiasticas Personas emanant, Commissariis & Executoribus concessis super illis, & subdelegatis ab eis, ne ad citationes procedant easdem, aut illas fieri quoquomodo permittant, aut aliquem extra dictum Regnum earundem litterarum auctoritate conveniant. Tabellionibus quoque, ne super ipsis publica conficiant instrumenta. Citatis etiam, ne ratione citationum hujusmodi, ad sedem accedant præfatam, vel citationibus eisdem pareant, & intendant, sub personarum, & bonorum pœnis gravissimis, contra Canonem, eo ipso excommunicationis sententiam suis contemptoribus inferentem, inhibere præsumptione damnabili non formidant. Nec ex eo sufficimus admirari, dirasque sentimus in animo punctiones, quod, cum Nuncii dictæ sedis ad dictum Regnum Angliæ ex causis aliquibus destinantur, potestatem sibi super eisdem negotiis ab eadem sede concessam, donec illa eidem Regi sit denunciata per eos, ausi non sunt quomodolibet publicare; quod, si contrarium fieri contigerit per eosdem, post minas & errores ipsis illatos, non absque gravis ruboris confusione, de Regno ipso fugantur, & per Officiales & Ministros prædictos, ut Patriæ verbis utamur, attachiantur interdum, & quandoque capiuntur: Et, sicut viles & reprobæ conditionis homines, non attendunt cujus calicis potus, ex hoc, nostris visceribus ministretur, & quantum honori & reverentiæ dictæ sedis propter hoc detrahatur, in dictæ sedis opprobrium & contemptum, prout de dilecto filio, Magistro Guilielmo de Prato, ejusdem sedis Nuncio, Ministrorum, & Officialium prædictorum detestanda temeritas, ac ipsorum recens offensa, per evidentiam facti, nos compellit, non absque cordis amaritudine, reminisci. Ipse vero, quia à collectione fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, per nos, pro nostris & Ecclesiæ Romanæ necessitatibus, in Regno reservatorum, prædicto commissa, juxta prohibitionem, per prædicti Regis Officiales minùs rationabiliter sibi factam, noluit, prout nec debebat etiam, resilire, in nostram, & dictæ sedis contumeliam, per Vicecomitem Eboracensem; non attento quod supereminens Apostolicæ sedis auctoritas honoratur & spernitur in Ministris, carcerali fuit custodiæ mancipatus; nec à dicto carcere, quod non absque sedis prædictæ rubore referimus, nisi prius se pro decem libris redimeret Sterlingorum, liberationem potuit obtinere. Excommunicatos quoque sedis auctoritate prædictæ ad requisitionem Nunciorum prædictorum seu Judicum, à sede concessorum eadem, dicti Officiales & Ministri Regis præfati capi facere denegant; quamvis ipsi, ad instantiam Ordinariorum Regni prædicti eorum auctoritate excommunicationis sententia innodatos, dummodo sententiam hujusmodi per quadraginta dies substinuisse constiterit personaliter, pia ac laudabili, & religiosa consuetudine, capi faciant, & sub carcerali custodia detineri. Et nihilominus, nè Delegati sedis prædictæ, aut Ordinarii memorati, seu quicumque Ecclesiastici viri de causis, ad Ecclesiasticum forum merè spectantibus, prout pertinet ad eosdem, cognoscere possint, dicti Officiales & Ministri impediunt, & minùs juste eis, ne de cognitione hujusmodi se aliquatenus intromittant, districtius interdicunt; quod, si contra interdictum hujusmodi, cui minimè parere tenentur, eos venire contingat, bona eorum indebitè iidem Officiales & Ministri capi faciunt; impediendo per hoc jurisdictionem Ecclesiasticam manifestè quam deberent, pro reverentia divina & eorum salutis augmento, intentis studiis defensare: Ordinarii etiam supra dicti aliquam personam Ecclesiasticam quantumcumque grave delictum commiserit, non audent, ut de ipsa per ipsos fiat justitiæ debitum, dictorum Ministrorum minis perterriti capere vel tenere. Et insuper, dicti Officiales & Ministri, non attendentes quod Laicis in Clericos nulla prorsus est attributa potestas. Et aliæ Gentes ipsius Regis, ac seculares potestates per suam celsitudinem deputatæ, Clericos, etiam in Sacerdotii ordine constitutos, & alias personas Ecclesiasticas, tam Religiosas, quàm Seculares, etiamsi pontificiali præfulgeant dignitate, absque nostra, vel superiorum suorum licentia, in dicti Regis derogationem honoris, armersiant, ut juxta Patriæ vulgare loquamur, in pœna pecuniaria. Et alias condemnant injustè, pro eorum libito voluntatis; ipsasque per captionem personarum & bonorum suorum, ex eorum officio; & alias, ad instantiam quorumcumque, tam super criminalibus, quàm personalibus, & aliis actionibus quibuscumque, renitentes, & invitas, & etiam eorum forum declinantes, & clericale privilegium allegantes coram se respondere compellunt. Et, cum per Officiales & Ministros prædictos, aliquos Clericos, etiam in dicto Sacerdotis ordine existentes, accusatos pro quovis delicto; quamvis indebitè, capi contingit, ipsos coram se, nudis pedibus, capite discoperto, in sola tunica vel camisia, sicut homicidas vel latrones Laicos, damnandos ad mortem, in supremi Regis offensam, qui Christos suos per quemcumque secularem Potentatum tangi prohibuit in ipsius Matris Ecclesiæ & totius Ordinis Clericalis opprobrium quantumcumque se Clericos asserant, & tonsuram & habitum deferant Clericales, certumque aliàs sit eisdem quod Clerici sint, omnino coram se faciunt præsentari, ipsosque turpissima morte damnantes, eos, nisi per ipsorum Ordinarios requirantur, mandant suspendi patibulis, vel capitibus detruncari

ANNO 1309.

licet

licet, cum per eosdem Ordinarios, ut prædicitur, requiruntur, restituantur eisdem Ordinariis condemnati. Si verò in casu absolutionis existant, per Officiales ipsius Regis absolvuntur, & ex tunc non permittunt quod ipsi Ordinarii se de ipsis Clericis intromittant. In casu autem hujusmodi contra dictos Clericos duodecim Laici admittuntur in testes, qui, si dicant se credere illos, super quo accusantur, commisisse delictum, testibus creditur indubitanter eisdem, & ex hoc ad mortem ut præmittitur condemnantur; propter quæ non est dubium eos excommunicationis sententiam incurrere ipso facto. Bona etiam Prælatorum & Clericorum Regni prædicti, eorumque fructus, redditus, & proventus, Officiales, Ministri, & Gentes prædicti, eis invitis, recipiunt, pro eorum libito voluntatis, illis satisfactione de ipsis aliqua non impensa. Et nihilominus tam iidem Officiales & Ministri, quàm Nobiles Regni præfati, prætendentes quod Ecclesiæ & Monasteria omnia fundata fuerunt ab ipsis, domos Religiosorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum ejusdem Regni, eundo sæpius, & etiam redeundo, adeò gravant & opprimunt sicque duras exactiones recipiunt ab eisdem, quod vix possunt sufficere sibi ipsis, ab eis quandoque mediam & interdum quartam, vel aliam certam partem bonorum ipsorum, vel violentiam extorquendo, quod si forte ipsorum aliquis in hoc eis contradicere quoquo modo præsumat, à protectione ejusdem Regis defensionis excluditur; & bona ipsius occupantibus conceduntur. Si autem custodia Episcopatuum, Monasteriorum, Prioratuum, vel aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, ratione vacationis, vel aliàs pertineat ad eosdem, domos, nemora, vivaria, stagna, parcos, & feras ipsorum, molendina quoque, & alia bona, ad ipsos spectantia, adeò destruunt & consumunt, quod non possunt per longi temporis spatium reparari; propter quæ tam dicti Officiales & Ministri, quàm ipsi Nobiles, ac alii præstantes circa præmissa consilium, auxilium vel favorem, divinam offensam & alias gravissimas pœnas incurrunt. Profectò, licet præmissa, per quæ benignitas salvatoris offenditur derogatur multipliciter Ecclesiasticæ libertati, immo ipsa, quod dolenter reminiscimur, conculcatur, dicti Regis salutis obviatur commodis, & honoribus Regiis dispendiose detrahitur, cessare propter Regis æterni reverentiam debuissent: Ac Officiales & Ministri prædicti à præfatis injuriis & offensis eodem Rege jubente, eo deberent attentius continere; eoque accuratiùs ab illis retrahere manus suas, quo erga eum, & inclitam domum suam uberiùs, quàm alicujus prædecessorum nostrorum, quorum habeatur in præsenti memoria, ardor Apostolicæ caritatis exæstuat, si ueriùs fervor dilectionis exuberat, nosque affectuosiùs, atque solertius Prædecessoribus ipsis, studia nostra convertimus, ut ipsius Regis culmina principatus latius diffundantur. Propter quæ, sicut à memoria dicti Regis excidisse non credimus, celsitudinem suam diversarum litterarum nostrarum oraculis, sibi per venerabilem fratrem nostrum Episcopum & dilectos Filios, Magistros Johannem de Ferreriis Archidiaconum Pictavensem, & Sycardum de Vauro Archidiaconum Corbariæ in Ecclesiæ Narbonensi, Capellanos & Nuncios nostros, quos propter hoc ad ipsius Regis præsentiam destinavimus, diversis vicibus transmissarum, rogandam duximus attentius & hortandam, ut à gravaminibus ipsis Officiales ac Ministros eosdem cogeret resilire, quamvis hujusmodi precibus & hortationibus nostris nullus extiterit subsecutus effectus, nec preces & exhortationes ipsæ apud magnitudinem suam efficaciam invenerint postulatam. Et, licet postmodum idem Rex, per suas nobis litteras rescripsisset, quod ad præmissa nobis erat per speciales nuncios responsurus, nullum tamen dictus Rex, si bene recolat, de responsione hujusmodi ad nostram præsentiam nuncium destinavit, vel misit litteras per quas super prædictis nostro Apostolatui responderet; quamvis nuper tibi, Venerabili Fratri nostro Norvicensi Episcopo, & dilectis Filiis, Nobilibus viris, Johanni de Britannia Richemundiæ, & Adomaro de Valentia, Pembrochiæ Comitibus, quos dictus Rex ad nostram destinavit præsentiam, duximus injungendum, ut super præmissis, velut plurimum insidentibus cordi nostro, sibi prædictum nostræ mentis desiderium explicarent. Propter quæ preces easdem timor domini nos iterare, & ejusdem matris Ecclesiæ, inclitæ sponsæ suæ quam nobis, licet insufficientibus meritis, custodiendam commisit, affectio, ne libertatis suæ gloria sibi cœlestis muneris dono concessa in eisdem Regnis & Terris, ipso dissimulante, in ipsius salutis & honoris dispendium, maculetur, exhortationes easdem paternis affectibus renovare nostros compellunt & excitant cogitatus. Præterque ipsius Regis magnificentiam rogamus, monemus & hortamur in illo, qui Regibus dat salutem quatinus à nobis, & Apostolica sede, cui disponente Domino, præsidemus, & qui eundem Regem paterna & sincera dilectione prosequimur super his sumat consilium: sumptum exequatur, ac devotus illud adimplens, non patiatur gravamina, injurias, & molestias hujusmodi per Officiales & Ministros eosdem præfatis Ecclesiis & personis aliquatinus irrogari; quinimo Ecclesias & personas ipsas, pro divina dictæ sedis & nostra reverentia opportuni favoris ope confoveat, & Regiæ protectionis munimine tueatur. Præterea, ut nihil de his quæ ad præsens nobis occurrunt, securitati & præservationi dicti Regis, Honoris, & status, & per quæ adversus eandem Ecclesiam, alicujus irreverentiæ, vel ingratitudinis notam; aut offensæ materiam magnificentia Regalis posset incurrere, omittamus intactum, suam notitiam volumus non latere, quod cum, claræ memoriæ Eduardus Rex Angliæ, Genitor suus, tum Lugduni moram, pro ecipiendis nostræ coronationis solemniis, trahemus, prædictum Norvicensem, ac Venerabiles Fratres nostros Conventrensem & Cicestrensem, Episcopos, & dilectos filios nobiles viros Comitem Lincolniæ, Hugonem le Despenser, & Oddonem de Grandison, & quosdam alios, nuncios suos ad nostram præsentiam destinasset; nos de securitate status Regis ejusdem ac salute solliciti, ejusdem nunciis, inter cætera, duximus injungendum, quod, cum idem Genitor à solutione mille marcarum argenti, in quibus, annui census nomine memoratæ Ecclesiæ tenebatur, per quindecim annos, tunc proxime transactos, vel circa cessasset, ipsaque cessatio sibi posset non modicum afferre periculum, præfatum Genitorem cautum redderent & attentum, quod sibi super hoc curaret, per promptæ satisfactionis exhibitionem congruam providere. Et, licet præfati Nuncij coram nobis assererent quod idem Rex, qui dicta pericula cogitabat, firmum haberet propositum de censu prædicto Ecclesiæ præfatæ satisfactionem plenariam exhibere. Et saltem majorem

ANNO 1308.

partem prædictorum arreragiorum, si totam summam non posset, infra Festum Beati Michaelis, tunc proxime secuturum, persolvere; nullum tamen nobis, vel eidem Ecclesiæ fuit super hoc satisfactio subsecuta. Cumque postmodum per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Sabinensem, & dilectum filium, nobilem virum Amanenum Dominum de Lebreto, qui, de mandato nostro, pro quibusdam arduis negotiis Regis & Regni prædictorum, ad partes illas accesserant, idem Genitor super hoc sollicitatus ex parte nostra fuisset, ipse, sicut postmodum auditui nostri apostolatus innotuit, pericula gravia & jacturas, quæ per cessationem solutionis census ejusdem poterat formidare, diligenter & attentè considerans dictisque periculis & jacturis volens obviare prudenter dicto Conventrensi Episcopo, tunc Thesaurario suo, expressè mandavit quod eidem Ecclesiæ Romanæ pro satisfactione census ejusdem arreragia solveret supra dicta. Et quamvis idem Episcopus pecuniam hujusmodi, transmittendam ad sedem Apostolicam, pro dicti solutione census, specialiter consignasset, quia tamen medio tempore, eodem Genitore, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingresso, dictus Rex, seu Ministri sui eandem pecuniam ut asserit, receperunt, dictaque pecunia pro ipsius satisfactione census soluta non extitit, nec idem Rex, postquam dicti Regni, Deo volente gubernacula suscepit, de prædicta pecunia, nec pro tempore sui regiminis satisfacere procuravit, ignorans forte, sicut nostra tenet opinio, Litteras, & alia munimenta, super hujusmodi census solutione confecta, obligationes & pacta ac pœnas etiam continentes, quibus Reges Angliæ, qui sunt pro tempore existunt ad dicti census solutionem astricti: Nec advertens discrimina dispendiosa, quæ suo statui & honori producere posset solutionis census cessatio supra dicti. Quia vero planæ sinceritatis affectus quo personam regiam gerimus in præcordiis Apostolicis prædilectam, pro ipsius Regis status prosperitate continuo pulsat ostium cordis nostri, & instanter nostros sollicitat cogitatus, ut cunctis periculis omnibusque suis sinistris eventibus obviemus. Considerantes attentius quod, nobis de præsenti valle miseriæ per illum, qui auferet spiritum Principum, cum ei placuerit ad cœlestem patriam revocatis nobis successor poterit subrogari, qui, suis indemnitatibus non tantum intentus sicut nos, ad incrementum suæ celsitudinis non fervebit excellentiam Regiam, per alias Litteras nostras, paterno rogamus & hortamur affectu, ut pro sui conservatione nominis & honoris litteras & Registra Cameræ suæ per quæ super his poterit plenius edoceri & vitare dispendia supra dicta exquiri faciat diligenter. Quia verò, sine dubitatione tenemus nobisque firma spes suggerit, & indubitata fiducia repromittit quod vigorem libertatis ipsius, prout tua interesse dignoscitur, desideranter affectus, dictorumque Regis & Regni votiva prosperitas delectat multipliciter intima cordis tui quodque, ut ipsi in ejusdem Ecclesiæ stabili devotione persistant, accedit gratissimum votis tuis. Fraternitatem tuam monemus & hortamur attentius, tibique nihilominus per Apostolica scripta mandamus quatenus præmissa pericula, & alia plurima, quæ Regi & Regno præfatis possent ex præmissis provenire, dispendia eidem Regi diligenter exponens eum quod à gravaminibus supra dictis abstineat, ac officiales & Ministros eosdem resiliie compellat, & alias præfatas Ecclesias & personas suæ protectionis munimine tueatur, & censum prædictum integraliter persolverit, pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia, sic efficaciter exhorteris, quod super prædictis quæ specialiter insident cordi nostro, cui salubris Ministerii operante virtute, desiderii nostri celerem & expectatum consequamur effectum; nosque tuæ fraternitatis sollicitudinem vigilem, quam in hac parte duxeris adhibendam commendare dignis in Domino laudibus valeamus. Quicquid autem factum fuerit, & tu etiam egeris in præmissis, nobis per tuas litteras, eidem Episcopo Pictavensi, Latori præsentium, tradendas, & per eum nobis differendas, fideliter intimare procures.

Datum in Prioratu de Grunsello prope Malausanam Vasionen. Dioc. 5. Calendas Novembris Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1309.

XV. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 3. p. 139.

Privilegium Regi Angliæ, ne à sedis Apostolicæ delegatis possit excommunicari: an. 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

TUæ devotionis &c. Ut igitur ex devotione hujusmodi benevolentiam Apostolicæ sedis & nostram tibi sentias accrevisse, tibi, auctoritate præsentium indulgemus, ut nullus Delegatus Apostolicæ sedis, vel subdelegatus ab eo, auctoritate sedis ejusdem, possit in personam aut Cappellas tuas excommunicationis vel suspensionis, sive interdicti sententias promulgare, absque speciali mandato sedis ejusdem, faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim omnes excommunicationis suspensionis, & interdicti sententias, quas in te & cappellas easdem contra indulti prædicti tenorem, forsan promulgari contigerit, ex nunc irritas decernimus & inanes. Nulli ergo &c.

Datum Avinion. 12. Calendas Junii Pontificatus nostri anno quarto.

XVI. Ex Memoires du Clergé de France Tom. 3. Pag. 127.

Confirmantur jura prætensa à Clero Provinciæ Britanniæ contra Ducem, Nobiles, aliosque ejusdem Provinciæ: anno 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

MUlto sicut ad multorum pervenit notitiam, est labore sudatum vel inter venerabiles Fratres nostros Episcopos, & dilectos filios, alios Prælatos, & Rectores Ecclesiarum, & Clerum Ducatus Britanniæ, ex parte una; Et dilectos filios nobiles viros, Ducem, Barones & Nobiles: ac populum dicti Ducatus ex altera; ut subductis seminatæ antiquæ discordiæ incommodis vigeret pacis ac dilectionis unitas, consolidaretur inter eos unio & vinculum caritatis. Sed impediente illo, ut credimus, qui est pater zizaniæ, discordiarum nutritor, qui schisma suscitavit in cœlo, nondum hucusque est votis laborantium laudabiliter satisfactum. Nos autem Dei illius omnipotentis spe concepta, qui concordiam in sublimibus operatur à labore tam utili, non putavimus desistendum; sed insisten-

dum

ANNO 1309.

dum potius tantò propensius, quanto fructus ex eo, Deo inspiciente, proventurus divinæ Majestati acceptior, Ecclesiæ Britanniæ utilior, & saluti convenientior animarum speratur. Convenientibus itaque dictus proximis coram vobis venerabili Fratre nostro Daniele Nannetensi Episcopo, & dilecto Filio Nicolao de Guymenego, Rectore Ecclesiæ sancti Medardi Nannetensis Diœcesis, Procuratoribus venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum & dilectorum filiorum, aliorum Prælatorum ac Rectorum Ecclesiarum totius Britanniæ, primogenito dilecti filii nobilis viri Arcturi Ducis Britanniæ, & Petro de Ballio Clerico, & Guillielmo de Badam Laico Procuratoribus prædicti Ducis Britanniæ, Baronum, Nobilium ac populi dicti Ducatus, ex altera: nec non & quibusdam consiliariis Ducis ipsius videlicet Guillielmo de Rais, S. le Boigne Baronibus, Guidone de Castrobriensi, Gaufrido Davosco, Reginaldo Demonstrelaix militibus ipsius Ducatus. Post disceptationes varias allegationes, diversas propositiones multiplices inter prædictas partes; primum coram venerabili Fratre Petro Pestrino Episcopo, & dilecto Fratre nostro Raymundo, Sanctæ Mariæ Novæ Diacono Cardinale. Quibus tanquam zelatoribbus pacis, & concordiæ & si inter omnes, potissimè inter supra dictos, ad quos peculiaris dilectionis affectione trahimur, id duximus committendum; & prostremo in nostra præsentia factas, & habitas super mortuagiis seu præstationibus Ecclesiis Parochialibus Ducatus Britanniæ, Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum ipsarum, videlicet in tertia parte bonorum mobilium, quæ tertiagium dicitur, de consuetudine laudabili, pia devotione fidelium introducta debitis: ut dicti Episcopi & Clerus dicebant, in bonis seu ex bonis defunctorum seu decedentium Parrochianorum suorum. Nec non & super pastu nuptis Parrochianis ipsis nubentibus seu nuptiali debito ex consuetudine simili, ut dicebant super nonnullis etiam articulis aliis, & contingentibus ipsos de quibus & super quibus orta fuerat & verebatur inter ipsos materia quæstionis. Affuit clementer eorum animis misericordiarum Dominus, qui post tempestatem tranquillum facit mundum perpetua ratione gubernans, & utriusque partis animos post diversas nostras, & fratrum nostrorum prædictorum exhortationes & monita ad pacem & concordiam revocavit: quæ dum ore Angelico bonæ voluntatis hominibus in terra promittitur, indicitur ipsis, malevolis denegatur, nulla est enim pax impiis, nulla contendentibus: sed multa diligentibus nomen Dei. Impii siquidem ut mare fervens quiescere nequeunt: pacis commoda nesciunt: sed disserpentibus viis in septis diffident, & dum avertuntur ab eo qui est pax vera; quæ exuberat omnem sensum, à pace redduntur, per consequens alieni non immerito ob sua demerita peccatorum, & temporis secundum utrumque ordinem pace frustrati. De prædictarum itaque partium voluntate & unanimi consensu, pro ipsarum tranquillitate statuimus & ordinamus atque decernimus, de Apostolicæ plenitudine potestatis hanc provisionem & ordinationem nostram præsentemve tractatum & compositionem inter eos habitos in prædictis robur habere volumus perpetuæ firmitatis, quod modus in præstatione illius quotæ qui sequitur sine exactione observetur. Videlicet quod mortuo Parrochiano cujuslibet sexus, præpositus, allocatus vel serviens, vel locum tenens Ducis, seu alterius Domini temporalis dicti defuncti, quæ ad requisitionem Rectoris Parrochialis prædicti, si hoc fieri voluerit, tenebuntur facere inventarium de bonis mobilibus defuncti, quæ hoc casu ubi de mortuagiis agitur dumtaxat intelligi volumus deducto ære alieno bona fide & sine fraude, infra quindecim dies à tempore mortis in præsentia ipsius Parrochialis Rectoris qui petit, & alterius vicini Rectoris qui veniet ad requisitionem ipsius Rectoris petentis, nec non & in præsentia hæredum seu executorum & superstitis conjugis si fuerit. Et tenebuntur jurare hæredes, & executores conjuges superstites prædicti, quod omnia bona mobilia dicti defuncti, quæ habebant tempore mortis suæ, prout meliùs scient & poterunt, sine fraude & dolo cum omni veritate, & sine diminutione aliqua revelabunt. Et prædicti confectores inventarii designabunt, & alii etiam quicunque sint quos Rector sperabit & verisimiliter suspicabitur habere aliquid de bonis mobilibus ipsorum defunctorum, tenebuntur præstare simile juramentum. Et nisi hæredes executores testamenti defunctorum hujusmodi seu bonorum detentores satisfecerint ipsis Rectoribus de quota ipsa secundum summam ipso Inventario comprehensam, poterunt dicti Rectores ipsos super hoc coram Ecclesiasticis Judicibus convenire & petere justitiæ complementum. Poterunt etiam dicti Rectores personas prædictas super aliis bonis defunctorum ipsorum, quæ non invenientur contenta in Inventario coram dictis Judicibus Ecclesiasticis cum voluerint convenire, & jus suum prosequi. Dum tamen ante omnia jurent, quod credunt se in hoc justam causam habere. Et secundum quod ad omissa bona & de novo emergentia sive apparentia eidem Rectori datur ingressus, sic eidem Rector tenebitur restituere, si debita de novo emergunt pro quota sibi solum præstito juramento simili appetente. Pro dicta autem parte tertia bonorum mobilium prædictorum quæ tertiagium, ut dictum est de consuetudine vocabatur, nonam partem bonorum mobilium prædictorum in bonis, seu ex bonis defunctorum, seu decedentium Parochianorum suorum exigi & solvi volumus & mandamus de unanimi consensu, & voluntate partium prædictarum. Nobiles tamen si qui sunt & fuerunt, qui nihil de tertiagio pro consuetudine tertiagii solvere tenebantur, aut præstare, successoresque eorum per hanc nostram ordinationem, aut compositionem nolumus, nec intendimus obligari: sed sicut in ea immunitate pro nona in qua consueverunt esse pro tertia, ita tamen quod in locis illis, & Parochiis in quibus aliqua compositio communis, & certa hujusmodi mortuagiis de qua constet per publica instrumenta, & alia legitima publica documenta, nihil decrescat occasione compositionis hujusmodi vel accrescat. A præstatione autem dictæ nonæ partis mortuagiorum excipi volumus, & ordinamus defunctum, qui in bonis mobilibus quibuscunque seu in bonis quibuscunque consistant, etiam si sint communia sibi, & alteri conjugi & liberis, si quos habet tempore quo decedit, quadraginta solidos in valore non invenitur habere. Ita videlicet quod habentes quadraginta solidos & supra persolvant, habentes infra quadraginta solidos, nihil solvere teneantur. Sed à solutione prædicti nonæ partis, sint liberi & immunes. De partium etiam prædictarum unanimi consensu, & voluntate concordi ordinamus & decernimus, quod per universam Brittanniam decimam quorumlibet fructuum statim collectis fructibus ipsis, ubi creverint in campis, & prædiis à personis Ecclesiasticis percipiantur, & exigantur, ac solutio eis fieri debeat secundum portiones, & quotas ipsorum

fructuum,

ANNO 1309.

fructuum, quas consueverunt solvere temporibus retroactis, de fructibus illis videlicet qui per Rectores decimari solebant antea, & à quibus personis, & de quibus fructibus ipsorum exactio & solutio fieri consuevit. Non intendentes per hoc concedere titulum Laicis, qui usque nunc minus legitimè decimarunt, vel quos decimare contigerit in futurum, vel eis auferre hujusmodi titulum in decimis, si quem habent, aut super hoc ipsis Ecclesiis aliquod præjudicium generari.

De pastu verò nuptiali prædicto, ordinamus, atque decernimus de consensu partium prædictarum, quod pro ipso pastu à personis notoriè pauperibus non habentibus triginta solidos in valore, in bonis mobilibus quibuscunque, nuptis seu nubendis in posterum nihil penitus exigatur. Ab aliis verò qui valorem quinquaginta solidorum, aliàs librarum, & supra in bonis mobilibus quibuscumque secundum famam dicentur habere tres solidos: ab aliis verò qui minus quinquaginta librarum, dum tamen valorem tringinta solidorum habeant, aut supra duos solidos. Post benedictionem tamen nubentibus liberè, & gratis impensam pro ipsarum partium majori commoditate persolvantur: præter oblationes, in quibus & de quibus observetur, & fiat sicut hactenus laudabiliter extitit consuetum.

Statuimus etiam & ordinamus de partium prædictarum voluntate, concordia & consensu, quo ratione laudabilis consuetudinis supra dictæ, quod ibidem consuevit in talibus hujusmodi observari casibus, post Sacramentum extremæ Unctionis gratis & liberè præstitum, præstentur de cætero tantum octo denarii.

Excusentur tamen illi quos notoriè paupertas excusat à præstatione prædicta. Videlicet qui non habent triginta solidos in bonis mobilibus in valore, ut superius est præmissum. Mandamus etiam & ordinamus de partium prædictarum consensu, de arreragiis præteriti temporis in articulis supra dictis nihil debere exigi atque solvi.

Decernimus etiam atque mandamus per præsentes compositionem pronunciationem atque decretum in ipsis parvulis non includi: sed sicut in eorum sepultura impræsentiarum servatur, observetur propensius in futurum. Decernimus quoque atque statuimus præsentem ordinationem, & pronunciationem nostras atque decretum quæ de partium prædictarum voluntate unanimi & concordia processerunt in perpetuum inviolabiliter & irrefragabiliter observari, & auctoritate Apostolica de plenitudine potestatis tollimus, evacuamus, irritamus, & revocamus privilegium recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ prædecessoris nostri, & cujuscumque alterius quodcumque aliud privilegium vel scriptum nec non & consuetudinem vel usum quoad omnem omnino effectum ipsorum in quantum præsentibus ordinationi vel decreto nostris in totum vel in partem contradicerent, vel in aliquo contrairent: & quidquid ex eis vel ab ipsa est quomodolibet subsequutum, quoad omnem omnino efficaciam & effectum ipsorum. Retinemus autem nobis & successoribus nostris etiam de voluntate ac consensu partium prædictarum declarationem omnium & singulorum prædictorum & contingentium, ipsa & quæ contingere potuerunt quomodolibet in futurum. Et si qua dubietas seu ambiguitas juris vel facti nunc vel aliàs in posterum contingeret, vel oriretur quomodolibet in ipsis, & de ipsis, dubium, dubietatem & ambiguitatem, nos & successores nostri de jure, & de facto, prout, & quotiens expedire viderimus tollere, declarare & ordinare possimus. Et nostris declarationi, & voluntati, & successorum nostrorum in omnibus, & per omnia partes prædictæ stare habeant, & in omnibus obedire. Mandamus etiam, ordinamus atque decernimus de consensu, ut dictum est, partium prædictarum, ut ea, quæ per supra dictos procuratores Prælatorum & Cleri, Ducis, & populi coram nobis acta sunt solemniter, & firmiter, de quorum procuratoriis constat per publica documenta de nostro mandato visa, examinata, & lecta, & ex certa scientia approbata; Prælati, Rectores, & Clerus ac supra dicti Britanniæ Dux ejusque subditi vel saltem majores ipsorum vice, & nomine totius populi in se suscipientes, & ipsius ratificare solemniter teneantur, & servare posse in omnibus, & singulis articulis supra dictis, & quolibet prædictorum. Volumus autem quod dicta procuratoria nunquam de cætero necesse sit ostendi propter præmissa vel aliquatenus exhiberi. Sed præsenti nostræ ordinationi absque ipsis in omnibus plenè stetur. Nos enim defectum si quis in eisdem procuratoriis quomodolibet extitisset, supplemus de ejusdem plenitudine potestatis.

Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationis, constitutionis, voluntatis, evocationis, revocationis, & suppletionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avenione quinto Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno quarto.

XVII. Ex Cod. Leibnitii Tom. 2. Mant. Pag. 244.

Ad Philippum Pulchrum Bulla, qua testatur quantam desideret ipsius concordiam perpetuam cum Henrico VII. Rege Romanorum, & quod ideò non sit assensurus, si hic Regna Arelatense, & Viennense in alium Principem sæcularem transferre vellet: anno 1309.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei charissimo in Christo filio Philippo, Regi Francorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Rex pacificus, filius summi Regis, qui nos, licet indignos, vocari ad sui vicariatus officium sua inscrutabili dignatione concessit, nostris infudit affectibus, ut, ab hujusmodi vocationis exordio ponentes quasi viarum nostrarum principium, bonum pacis in sanctæ matris ecclesiæ filios & præsertim in Catholicos reges & Principes, qui majores aliis & in altioribus positi speculis dignitatum, virtutum inferioribus debent exempla porrigere; totis nisibus illius niteremur derivare fluenta, diffusaque continuis favoribus irrigando fovere. Et licet de singulis Christi fidelibus, & præcipuè Regibus Principibusque Catholicis nobis sit sollicitudo continua, ut virtutis fomitibus odiorum & discriminibus guerrarum exclusis, in pulchritudine pacis sedeant, in fiduciæ tabernaculis habitent, & in requie opulenta quiescant: ut tamen inter te & carissimum in Christo filium nostrum Henricum, Regem Romanorum illustrem unitatis, caritatis & pacis solidæ fœdera, perpetuis duratura temporibus, vigeant, tantò ferventiori desiderio ducimur, quanto ad te & Regem eundem præcipuos & peculiares Ecclesiæ filios, inter cæteros Reges & Principes orbis terræ, majori zelo dilectionis afficimur, ac utriusque Regis & regni statum felicem & prosperum ac honoris & exaltationis

augmentum

augmentum, prædecessorum nostrorum exemplo laudabili, votis potioribus affectamus; quatenque tuam & ipsius Regis unionem ac conformem & unanimem voluntatem utilitatis totius Reipublicæ Christianæ, & præsertim negotii terræ sanctæ efficaciorem speramus & credimus, divina favente Clementia, promotricem. Hujus quippe nostri ferventis desiderii sic viget instantia, ut patenter ostendat in experientiæ libro, quod legimus, amor operatur, multa, si est; si autem operari renuit, amor non est: anxia enim mens, præsertim quam Zelus veræ caritatis accendit ad optatum, cogitationibus æstuat, curis effluit, meditationibus immoratur, quærit remedia, quæsitis adjicit quæsita & adjecta prosequitur, nec solers inquisitio vel adaucta prosecutio efficit, quo minus inquirendo & prosequendo crescat anxietas, donec, quod avidè quæritur, efficaciter exequatur. Attendentes itaque, quod ex donationis concessione vel translatione *Kegnorum Arelatensis & Viennensis Romani Imperii membrorum*, vel alterius eorundem *si eas* per dictum Henricum Regem Romanorum in alium seu alios, quàm in Romanam vel aliam Ecclesiam fieri fortasse contingeret, inter te ac Regem præfatum & utriusque Regis & Regni vasallos fideles & subditos, suboriri possent in posterum simultates & odia, commotiones guerrarum & periculosæ dissensiones & scandala multipliciter pervenire; ac volentes tot & tantis periculis, malis & scandalis, paternæ sollicitudinis studio, congruis remediis obviare; tibi tenore præsentium intimamus, quod ipsi Regi super donatione, concessione seu translatione hujusmodi de Regnis prædictis vel eorum altero, per eundem Regem in alium seu alios, quàm in Romanam seu aliam Ecclesiam, ut præmittitur, faciendis, *non intendimus nostrum* impertiri attensum.

Datum Avenioni Cal. Maji, Pontificatus nostri Anno sexto, sub plumbo cum cordula canapis.

XVIII. Ex Codic. Dipl. Leib. Tom 2. Mant. pag. 328.

Bulla quæ narrat tum adversarios, tum Patronos causæ Bonifacianæ, desertis judiciariis formulis litis arbitrium permisisse eidem Clementi, qui laxatis censuris in Regem, & Regnum Galliæ latis, plurimisque in illius Gentis laudem dictis, inter alia decernit, literas, & sententias Bonifacii Regi Franciæ injurias è regesto Pontificio eradendas Anno 1310.

CLEMENS PAPA V.

Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

EX parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris fuit expositum coram nobis, quod signficantibus olim sibi frequenter & pluries nonnullis sublimibus & magnæ authoritatis personis, Bonifacium Papam octavum prædecessorem nostrum non per ostium, sed aliunde intrasse ovile dominicum, Ecclesiam videlicet sponsam Christi, ipsumque fore crimine pravitatis hæreticæ irretitum quibusdam ex personis ipsis ipsum super hoc impetere seu denuntiare volentibus, ac requirentibus Regem ipsum, tanquam fidei pugilem & Ecclesiæ defensorem, ut cum ex vitioso & illegitimo ingressu damnabili, perversis actibus, detestandis operibus & perniciosis exemplis dicti Bonifacii status fidei & Ecclesiæ miserabilibus dispendiis & ærumnis gravisque ruinæ periculis subjaceret; ac ubi de hæresi agitur, fidei & Ecclesiæ defensatrix semper extiterit inclyta domus sua per declarationem veritatis hujusmodi procuraret generale Concilium convocari; Rex ipse, quia pudenda patris proprio libenter pallio contexisset denuntiatorum & objectorum ipsorum frequentibus pulsatus instantiis & assiduis clamoribus excitatus, ejusque conscientia, tam per nonnullas sublimes, graves & dignas personas, videlicet dilectos filios, nobiles viros Ludovicum Ebroicensem & Guidonem Sancti Pauli, ac quondam Joannem Drocensem Comites asserentes, præstitis ad sancta Dei Evangelia ab eis tacta corporaliter juramentis se præmissa credere esse vera & ea legitime posse probari quàm per alias quamplures sublimes & fide dignas personas, status tam Ecclesiastici, quàm mundani, eundem Bonifacium diversis hæresium speciebus infectum, ac in profundo malorum positum, ac omnino incorrigibilem affirmantes super his, ut decuit, informata negotium convocationis hujusmodi Concilii generalis pro declaratione veritatis, ut videlicet dicti Bonifacii innocentia in hac parte clarescet, sicut teste conscientia exoptabat, aut ipso Bonifacio, si denunciata & objecta contra eum forent veritati subnixa tanquam illegitimo prorsus amoto, & cunctis erroribus, iniquitatibus & spurcitiis à domo Domini procul pulsis, de vero legitimo pastore provideretur Ecclesiæ sanctæ Dei una cum præfatis Baronibus, collegiis, universitatibus, communitatibus & universitatibus Civitatum & aliarum villarum, diversorum Regnorum & climatum orbis terræ, aliisque sibi adhærentibus ex fervore fidei & Zelo justitiæ ac pro reformatione status Ecclesiæ ac generali bono totius Reipublicæ Christianæ, assumpsit deliberato consilio ad laudem divini nominis & exaltatione catholicæ fidei promovendum, ipsiusque promotionem convocationis Concilii generalis, ut ipsius provisione salubri memoratis objectoribus audientia præberetur, ac super objectis sciretur veritas, ac statueretur & fieret, quod justitia suaderet, apud eundem Bonifacium, dum viveret, per solemnes nuntios Regios, & post ejus obitum apud bonæ memoriæ Benedictum Papam XI. prædecessorem nostrum, & eo sublato de medio, apud nos ad Ecclesiæ præfatæ regimen licet insufficientibus meritis divina dispositione vocatos, dum paulo post nostræ promotionis auspicia Lugduni nobiscum, pro hujusmodi & terræ sanctæ & aliis negotiis arduis, personaliter convenisset, ac Pictavii postmodum iteratis instantiis, ut videlicet per eundem Bonifacium prædecessorem nostrum, dum in humanis agebat, & post ejus decessum per nos etiam de præfati deliberatione Concilii convocandi, si expediens videretur, super denuntiatis & objectis hujusmodi discuteretur veritas ac decerneretur & fieret, quod censent & stabiliunt Canonicæ sanctiones operosis studiis ac sollicitudinibus institit indefessis.

Quare præfatus Rex nobis humiliter supplicavit, ut, cum sicut denuntiatorum & objectorum prædictorum habebat assertio ex certis causis exhibitionis justitiæ in hac parte morosa protractio negotio fidei ac eisdem denuntiatoribus & objectoribus dispendiosa foret, & periculosa quam plurimum; in negotio memorato procedere ac exhibere super eo justitiæ plenitudinem dignaremur. Proponebatur autem in contrarium ex parte quorundam se offerentium defensioni memoriæ & status Bonifacii memorati, dictum Regem ex malignitatis & odii fomite potius, quàm charitatis aut fidei vel justitiæ zelo procedere ad requisitiones hujusmodi faciendas; ipsumque denuntiationes, objectiones & assertiones prædictas calumniosè fieri procurasse, ac Regem eundem & quosdam

ANNO 1310.

ex denuntiatoribus & objectoribus supra dictis ausu sacrilego capi fecisse Bonifacium memoratum, ac denuntiatores, & objectores & assertores eosdem, conspiratores fuisse, & esse dicti Bonifacii inimicos etiam capitales: quibus præmissis & aliis multis rationibus. dicebatur, dictum Regem super requisitione prædicta nullatenus audiendum, ac denuntiatores, & objectores prædictos ad denuntiationes hujusmodi non fore aliquatenus admittendos. Sed respondebatur è contra pro parte Regis, denuntiatorum & objectorum & assertorum ipsorum, quod ab ipso primordio promotionis dicti Bonifacii ad summi Pontificatus apicem, memorato Regi per nonnullas sublimes & præeminentis excellentiæ aliasque fide dignas personas Ecclesiasticas & mundanas insinuatum multotiens fuerat, & diversis successivè temporibus auribus regiis pluries inculcatum, quod Bonifacius per ostium non intrasset, quodque vitio labis hæreticæ & aliis nefandis criminibus irretitus, ac positus in profundo malorum omnino incorrigibilis existebat ipsumque Regem, ut tanquam fidei pugil Ecclesiæque defensor imminentibus malis & scandalis remediis occurreret opportunis, fuisse cum instantia requisitum. Sed Rex ipse, ut filius pudoratus, illius, quem loco patris habebat, pudenda cernere veritus, avertens à prædictis insinuationibus & denuntiationibus aures suas, ipsum diutius propter honorem Ecclesiæ toleravit & venerabatur ut patrem; donec personarum prædictarum frequentibus & continuatis instantiis & demum in publico Parlamento Parisiis præsentibus Prælatis Baronibus & Capitulis, Conventibus, Collegiis & Communitatibus, & Universitatibus Villarum regni prædicti opportunè & importunè pulsatus, cum ulterius urgente conscientia de præmissis, ut præmittitur, informata, absque Dei offensa dissimulare non posset, nec sine gravibus scandalis & periculis tolerare; de Prælatorum, Baronum ac Capitulorum, Conventuum, Collegiorum, Communitatum & Universitatum, villarum regni præfati, nec non Magistrorum in Theologia ac Professorum utriusque juris, & aliorum sapientum & gravium personarum diversorum Regnorum & partium deliberato consilio non ex odii fomite, non typo malitiæ, sed zelo fidei, necessitate cogente, promotionem, ut prædicitur, assumpsit negotii supra dicti, nec præfatum Bonifacium capi, nec aggressionem vel insultum in eum vel ejus domum fieri mandavit aut fecit; sed denuntiationes & objectiones prædictas sibi per Gulielmum de Nogareto militem & alios suos nuntios ad hoc ab eo patentibus & expressis litteris regiis destinatos duntaxat insinuari præcepit, & ab eo super his generale Concilium convocari; & si dictus Gulielmus circa personam vel domum dicti Bonifacii vel alias in præmissis aliqua commisit illicita, displicuerunt & displicent dicto Regi, nec ea rata vel grata unquam habuit neque habet. Adjiciebatur etiam denuntiatores & objectores prædictos, de hæresi, illegitimo ingressu & aliis criminibus prædictis à longe retrolapsis temporibus per nonnullas graves & fide dignas personas instructos & informatos fuisse, ipsosque ad denuntiationes & objectiones, easdem apud præfatum Regem, cum ad prælibatum Bonifacium tunc aditum commodè habere non possent, in publicum defendendas, non ex odio præconcepto, cum tunc ipsos in nullo dictus Bonifacius offendisset, non ex fermento malitiæ, sed potius ex fervore fidei, & zelo justitiæ processisse, & earum prosecutioni etiam nunc instare, paratos eas secundum formam curiæ legitimæ prosequi & probare. Nos autem cum fratribus nostris matura & frequenti super hoc deliberatione præhabita, considerantes attentiùs & infra claustra pectoris meditatione solicita revolventes, quod prætacti negotii prosecutio rigorosa, impeditiva nimis prædicti negotii terræ Sanctæ, & aliis gravioribus onusta dispendiis & diversis undique periculis plena existebat, sicut jam facti exordia indicabant; ac volentes tot, & tantis malis & periculis, ne in segetem periculosè succrescerent, sed præcisis radicibus suo præfocarentur in ortu ex debito pastoralis officii solicitè providere; apud eundem Regem de Fratrum nostrorum consilio, & ad eorum supplicationem instantem salutaribus monitis, exhortationibusque paternis institimus, ut rejectis anfractibus denuntiationum & objectionum hujusmodi, cum per alias congruas & legitimas vias prætactum negotium tractari commodius & facilius posset & brevius terminari ipsius negotii prosecutionem nostræ & Ecclesiæ ordinationi relinqueret, & ut denuntiatores & objectores præfati ibidem facerent, interponeret partes suas; ita quod nos & eadem ecclesia, causarum vitatis anfractibus, & prædictis malis & periculis obviando, ex officii nostri debito ad ipsius negotii cognitionem examinationem totalem, decisionem procedere, statuere, ordinare de ipso ac finem congruum eidem imponere deberemus prout Catholicæ fidei ac universalis Ecclesiæ statui & honori conveniens, ac terræ Sanctæ negotium & aliàs secundum Deum expediens videretur. Sed licet requisitionem hujusmodi apud eundem Regem pluries diversis successivè temporibus atque locis duxerimus repetendam, ipso tamen Rege, ad denuntiatorum & objectorum prædictorum instantiam requisitioni prædictæ ut prius nihilominus insistente, nos inter tot diversa & adversa in medio super justitiæ solium constituti in tanto negotio non præcipitanter aut irruptive, sed cum debita cautela & maturitate procedere cupientes, diversos & varios in negotio ipso per legitima intervalla dierum & temporum continuatis terminis fecimus, justitia mediante processus. Et ne vel malignis aut falsis delationibus aditum nimis facilem pandere, aut denuntiatoribus & objectoribus supra dictis, si spiritu Dei aguntur, in dispendium fidei viam præcludere, vel negare justitiam videremur. Non intendentes tamen denuntiatores & objectores prædictos vel alterum eorundem, aut denuntiationes vel objectiones, vel aliqua proposita per eosdem admittere, nisi si, prout & in quantum contra summos Pontifices vivos vel mortuos admittendi forent, & etiam admittenda juxta sanctorum patrum decreta & canonica instituta de motu & Zelo Regis præfati circa requisitionem hujusmodi, & assertorum & denuntiatorum & objectorum prædictorum circa assertiones, denuntiationes & objectiones præmissas duximus inquirendum. Et demum competenti super his inquisitione præhabita, comperimus, quod etsi etiam assertores, denuntiatores & objectores prædictos ad assertiones denuntiationes & objectiones hujusmodi ac dictum Regem ac requisitionem prædictam, ut præmittitur, faciendas objectorum veritas de quibus certi non sumus, forsitan non movisset; ipsos tamen ad hoc præconcepta malignitas aut mala causa non impulit, sed bonus, sincerus & justus Zelus induxit. Unde assertores, denuntiatores & objectores eosdem ad assertiones denuntiationes & objectiones easdem ad dictum Regem, qui ad eorum nec non aliarum sublimium & gravium personarum frequentem & sæpius repetitam instantiam ad requisitionem prædictam ab initio processerat & nunc etiam procedebat extra omnem calumniam fuisse & esse ac bono, sincero & justo zelo ex fervore Catholi-

ANNO 1310.

cæ fidei processisse, de fratrum nostrorum consilio authoritate apostolica pronuntiamus, dicimus atque decernimus, & tenore præsentium declaramus. Unde nos de sæpe fati Regis innocentia in hac parte tam per confessionem præfati Gulielmi quàm alias sufficienter instructi, pronuntiamus, dicimus atque decernimus, & authoritate prædicta de fratrum præfatorum consilio tenore præsentium declaramus, Regem ipsum super captione, aggressione & insultu prædictis, ac dispersione & amissione thesauri & aliis quæ in conflictu vel facto captionis dicti Bonifacii, aut aggressione vel insultu prædictis ipsi Gulielmo impositis quomodolibet contigerunt, innocentem penitus & inculpabilem fuisse ac esse. Quibus pronuntiationibus, declarationibus & decretis per nos, ut præmittitur factis & habitis, cum in negotio memorato vellemus ulterius justitia mediante procedere, ne causa fidei indiscussa diutius remaneret; illi qui defensioni, memoriæ & statui dicti Bonifacii se, ut præmittitur offerebant, negotium hujusmodi in officii nostri mera & libera potestate sponte ac libere dimiserunt, ac demum præfatus Rex præmissa pericula consideranter attendens tanquam benedictionis & gratiæ filius, progenitorum suorum qui se semper ipsius Ecclesiæ beneplacitis coaptarunt, vestigia clara sequens, pro se ac universis regnicolis regni sui, cujuscumque status vel conditionis existant, nostris in hac parte requisitionibus de abundantia regalis clementiæ per effectum operis acquievit. Præfati quoque denuntiatores & objectores, ad inductionem dicti Regis factam eisdem ad preces nostras, per nos, ut præmittitur, ipsi Regi porrectas, auctoritate nostra interveniente, nostris circa id beneplacitis finaliter assenserunt, negotium hujusmodi & prosecutionem ipsius nostræ & Ecclesiæ cognitioni, decisioni, ordinationi, & dispositioni libere relinquentes, prout per patentes regias, ac denuntiatorum & objectorum & assertorum prædictorum litteras quas ad cautelam & in memoriam rei gestæ & ipsius Ecclesiæ archivio repositas servari facimus plenè constat. Nos itaque mansuetudinem regiam ac expertam in his devotionis & reverentiæ filialis gratitudinem, quas pro tot, & tantis malis & & periculis evitandis dicto Regi divinitus credimus inspiratas, plenis in Domino laudibus commendantes Regi cœlesti, in cujus manu corda sunt principum & à quo tantum bonum non ambigimus processisse, cum ab ipso bona cuncta procedant, laudes & gratias profundæ humilitatis spiritu, totoque devotionis animo exhibemus ac motum & Zelum dicti Regis in hac parte ex fervore fidei quem Rex ipse à progenitoribus suis hæreditario quasi jure attraxisse dignoscitur, prodeuntem non immeritò approbantes, & sonoris laudum efferentes præconiis, ac volentes præfato Regi & suis adversus futura pericula sic plenè prospicere, & alias in hac parte ad honorem Dei & Ecclesiæ sic utiliter & salubriter providere, quod inclytæ domus & Regni Franciæ fama celebris suique nominis claritas, ubique divulgata per orbem nullis obloquentium morsibus, vel ullorum caninis latratibus, qui vel ex ignorantia veritatis aut propriæ malignitatis astutia, vel invidiæ stimulis concitati malum in bono præsumunt, & prædicant in posterum pateat, sed in sui splendore luminis semper illibata persistat, vitentur jam experta pericula, ac tot & tantis malis & scandalis jam prævisis, quæ ex præteritorum commemoratione, refricatione vel recidiva iteratione quacumque verisimiliter sequi possent in posterum, via præcludatur omninò, ac charitatis veritas & pacis fædera, quæ inter præfatam Ecclesiam ac Regem & Regnum Franciæ hactenus divina favente clementia viguerunt & vigent in sui vigoris & roboris firmitate, de bono semper in melius illibata perpetuis temporibus asserventur, omnes sententias latas ab homine vel à jure constitutiones declarationes non inclusas in sexto libro decretalium, in quantum præjudicant vel possent præjudicare honori, statui, juribus & libertatibus dictorum Regis & Regni, regnicolis, assertoribus, denuntiatoribus, fautoribus delatoribus, adhærentibus, ac valitoribus ante dictis, duabus, constitutionibus, quæ non sunt in eodem libro inclusæ, quarum una incipit: unam sanctam, & alia: rem non novam, quas secundum moderationes easdem aliàs per nos factas & non aliter intelligi volumus & secundum moderationes ipsas volumus in suo robore remanere exceptis; nec non privilegiorum revocationes responsiones ac quoslibet processus suspensionum, excommunicationum, interdictorum, privationum, dispositionum & alios quoscumque processus juris vel facti, verbo vel literis, in scriptis, vel sine scriptis, directè, vel indirecte principaliter vel incidenter, implicite vel explicitè, publice, vel occultè contra dictum Regem liberos, & fratres ipsius & Regnum Franciæ statum, jura & libertates ejusdem pro quibuscumque factis, causis vel occasionibus, aut exquisitis coloribus vel figmentis quibuscumque præteritis temporibus, nec non contra denuntiatores, objectores vel assertores prædictos, ac Prælatos, Barones, & alios incolas & habitatores regni ejusdem quibuscumque temporibus, causa vel occasione prædictarum assertionum, denuntiationum propositionum, objectionum, provocationum, appellationum, petitionum, seu requisitionum, convocationis Concilii generalis blasphemiarum, injuriarum dictarum vel factarum contra dictum Bonifacium quoquo modo, vel captionis, aggressionis, vel invasionis domus personæve suæ dispersionis, & amissionis thesauri aliorum, quæ in facto Anagniæ vel alibi ubicunque occasione dicti Regis, aut occasione discordiæ quam habuit contra ipsumRegem Bonifacius prædictus, seu causa vel occasione aliquorum emergentium vel contingentium, seu quæ contingere potuerant ex eisdem, ac etiam contra adjutores, valitores & præmissis seu ea tangentibus ipsius Regis vel sibi quomodo libet adhærentes, vivos vel mortuos cujuscumque nationis, præeminentiæ, honoris, ordinis dignitatis aut status Ecclesiastici vel mundani existant; etiamsi Cardinalatus, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, vel regali dignitate præfulgeant, tam per dictum Bonifacium, quàm quoscunque alios in vita vel post mortem ipsius authoritate sua, quam per memoratum Benedictum immediatum successorem suum pro factis, causis vel occasionibus antedictis factos & habitos à festo sanctorum omnium, quod fuit anno nativitatis Dominicæ millesimo trecentesimo citra, si qui sint, vel fuerint, ad cautelam relaxamus, revocamus, irritamus, annullamus, cassamus & ex nunc nullos, cassos & irritos nuntiamus ex certa scientia de fratrum nostrorum consilio & de Apostolicæ plenitudine potestatis. Et si quis calumniæ macula, sive nota ex præmissis denuntiationibus, objectionibus, assertionibus aut quibuscunque contumeliis, blasphemiis, injuriis, verbis vel factis, in scripturis privatis vel famosis libellis occultè vel publicè eidem Bonifacio in vita ejus vel post mortem illatis, aut earum publicatione, assumptione, vel prosecutione, aut culpa, offensa aut injuria qualibet, seu infamia juris vel facti, præfato Regi, posteritati suæ, assertoribus & denuntiatoribus ac objectoribus, Prælatis, Baronibus vel aliis indigenis, incolis & habitatoribus dicti Regni, nec non & adjutoribus vali-

ANNO 1310.

litoribus & adhærentibus prædictis aut aliquibus ex eis aut aliis consentientibus mandantibus vel ratum habentibus, opem, consilium, auxilium, vel favorem præbentibus quoquo modo, vivis, vel mortuis, personis infra nominatis exceptis, ex captione, insultu & aggressione prædictis, aut ex rapina seu perditione thesauri Ecclesiæ, aut ex aliis quibuscunque, quæ in conflictu vel facto captionis, insultus aggressionis prædictorum, vel aliàs ipsorum occasione, ut præmittitur contigerunt impingi, imponi vel imputari possent in posterum quoquo modo hujusmodi calumnias, notas, maculas, injurias, infamiam, actiones, querelas & offensas, si quæ forsan sint vel esse possint in posterum totaliter abolemus & tollimus, & etiam ad cautelam penitus amovemus, & sententias, emendas, mulctas & pœnas, si quæ sint, pro eis impositas vel inflictas ab homine vel à jure & quæ imponi vel infligi possent in posterum, etiamsi supponerentur vel dicerentur captio prædicta vel aliqua de præmissis facta nomine dicti Regis, valitorum adjutorum vel adhærentium prædictorum, aut ipsis mandantibus vel procurantibus vel ratum habentibus aut sub vexillo suo aut insigniis armorum suorum; prorsus amovemus & tollimus, & etiam ad cautelam omnino remittimus & quietamus: ac Regem ipsum & Regnum prædictum assertores, denuntiatores & objectores, Prælatos, Barones & Clerum & populum dicti Regni, nec non valitores & adhærentes, & alios supra dictos, in eum statum in omnibus & per omnia, si forsan ipsi vel eorum aliqui quomodolibet egeant, personis inferius nominatis dumtaxat exceptis, reponimus, restituimus, & plene reducimus, in quo Rex ipse & alii supra dicti erant ante omnia supra dicta juxta distinctiones personarum, factorum, causarum & temporum superius assignatas; ita quod Rex ipse posteritas sua & regnum prædictum, apertores, denuntiatores & objectores, Barones & alii supra dicti, aut aliqui seu quivis ex eis, exceptis duntaxat infra nominatis personis, & calumnia, notis, maculis, captione, aggressione, insultu, rapina, seu de perditione thesauri, culpis, injuriis vel offensis, blasphemiis, sententiis vel processibus, vel quibuscumque aliis supra dictis deinceps notari vel impeti nequeant, nec sententia aut processus hujusmodi, contra ipsos vel quemvis ex eis aliquem possint habere vigorem, effectum, aut roboris firmitatem subdit, cum rerum experientia doceat imminentia pericula discutere; sui esse consilii præteritorum memoriam penitus extinguere ne forte malum aliquando recrudesceret: atque adeo memoratas constitutiones privilegiorum declarationes; revocationes, suspensiones, anathematis interdicti Ecclesiastici abrogatæve dignitatis sententias, aliasve publicas tabulas è Pontificum regestis, legumve codicibus ex Sacri Cardinalium Senatus Consilio evulsisse, atque intentato Ecclesiastico fulmine, ab omnibus cujuscumque Ecclesiasticæ etiam Cardinalitiæ vel Regiæ dignitatis, sexus, conditionis infra menses quatuor illarum exempla flammis dari, vel è libris suis abradi jubere, neque cuiquam ullas prærogativas in ea re ad eludendum hoc Pontificium Imperium suffragaturas. Datum Avin. V. Kalend. Maii Pontificatus anno VI.

ANNO 1310.

XIX. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. pag. 334. Mant.

Absolutio Gulielmi de Nogareto, imposita ei admodùm severâ pœnitentiâ anno 1310.

CLEMENS EPISCOPUS,

Universis Christi fidelibus præsentes Literas inspecturis.

LIcet Gulielmus de Nogareto Regis miles à pluribus contentis in prædictis literis & eorum effectu specialiter, ut præmittitur, excludatur, sive excipiatur, nos considerantes, quòd si licet ipse asserat ex his, quæ in personam vel erga personam Bonifacii prædecessoris nostri & ingressu domus suæ cum multitudine armatorum, & occupatione & rapinâ thesauri Ecclesiæ Anagninæ factæ fuerunt, se pluribus rationibus, quas se probaturum offerebat, non teneri, nec propter præmissa vel illa, ad quæ idem Benedictus prædecessor noster ratione præmissorum, contra eum processit, excommunicationis seu excommunicationum sententiis se fore ligatum: Quia tamen cum instanti instantia humiliter & devotè à nobis impertiri sibi, super hujusmodi petiit absolutionis beneficium *ad cautelam*, offerens ob divinam Ecclesiæ & nostram reverentiam, pœnitentiam, quam ei duxerimus injungendam super prædictis se ad cautelam recepturum, ac etiam completurum: Nos volentes saluti animæ suæ providere, nec non & *consideratione ipsius Regis, pro ipso in hac parte cum instantiâ supplicantis*, ipsum ab omnibus sententiis supra dictis *absolvimus ad cautelam*, & injungimus sibi pœnitentiam ad cautelam: videlicet quod in proximo passagio generali transfretet personaliter cum equis & armis in subsidium terræ sanctæ, ibidem in dictæ terræ subsidium perpetuo moraturus, nisi à nobis, vel successoribus nostris super abbreviatione temporis gratiam meruerit obtinere.

Volumus etiam, quod *interim peregrinationes personaliter faciat* infra scriptas, videlicet quod visitet *B. Mariæ de valle viridi de rupe amatoria, Aniciensis de Bolonio super mare: Carnotensis S. Egidii & de monte majori Ecclesias, ac limina B. Jacobi Compostellani*: ipsumque dummodo pœnitentiam hujusmodi devotè susceperit & peregerit cum affectu, dum vitam duxerit in humanis, vel eo mortuo hæres ejus, prædictarum relaxationum, revocationum, irritationum, abolitionum, remissionum, quitationum, restitutionum, repositionum, reductionum, & aliorum omnium & singulorum effectuum, provisionum & securitatum secundum distinctiones personarum; factorum, causarum & temporum in prædictis nostris literis comprehensas, de fratrum nostrorum consilio, de plenitudine potestatis participem efficimus & consortem &c. Denuntiat dein Nogareto, si inflictas illi pœnas ipse hæresve respuerint ipsum irrogatis antea censuris sententiisque irretitum fore. Dat. Avenione V. Cal. Maii anno VI.

XX. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 3. pag. 323.

Super Concessione factâ Hospitali S. Joannis Hierosolymitani de bonis Templariorum: anno 1312.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD providam Christi vicarii, præsidentis in specula Apostolicæ Dignitatis cir-

cum-

cumſpectionem pertinet vices penſare temporum emergentium, negotiorum cauſas diſcutere, ac perſonarum, attendere qualitates, ut ad ſingula debitorum dirigens neceſſariæ conſiderationis intuitum & opportunæ manum operationis apponens, de agro Domini ſic vitiorum tribulos eruat, ut virtutes amplificet: ſic prævaricantium ſpinas tollat, ut evellendo plus placeat, quàm deſtruat: & in loca vacua, per eradicationem nocentium tribulorum, devota Deo plantaria transferendo, potiorem præbeat, de proviſa & utili eorumdem locorum unione & tranſlatione, lætitiam; quam verâ juſtitia, quæ compaſſionem habet, dolorem intulerit demerentium perſonarum locorum hujuſmodi per ruinam; ſic enim ſufferendo quod officit, & ſubrogando quod proficit, virtutum profectus amplificat, & ſublata de medio meliori ſubrogatione reſtauratur. Dudum ſiquidem ordinem Domus militiæ, Templi Jeroſolymitani, propter Magiſtrum & Fratres cæteraſque perſonas dicti Ordinis, in quibuſlibet mundi partibus conſiſtentes, variis & diverſis, non tam nefandis, quàm infandis, Proh dolor! errorum & ſcelerum obſcenitatibus, pravitatibus, maculis & labe reſperſos, quæ propter triſtem & ſpurcidam eorum memoriam, præſentibus ſubticemus, ejuſdemque ordinis ſtatum, habitum atque nomen, non ſine cordis amaritudine, & dolore, ſacro approbante Concilio. Non per modum diffinitivæ ſententiæ, cum eàm ſuper hoc ſecundum inquiſitiones & proceſſus, ſuper his habitos, non poſſemus ferre de jure, ſed per viam proviſionis, ſeu ordinationis Apoſtolicæ. Irrefragabili & perpetuò valitura ſubſtulimus ſanctione ipſum prohibitioni perpetuæ ſupponentes, diſtrictiùs inhibendo nequis dictum ordinem, de cætero, intrare, vel ejus habitum ſuſcipere vel portare, aut pro Templario gerere ſe præſumeret: quod ſi quis contra faceret, excommunicationis incurreret ſententiam ipſo facto. Univerſa etiam bona Ordinis prælibati Apoſtolicæ Sedis ordinationi, & diſpoſitioni, auctoritate Apoſtolica, duximus reſervanda, inhibentes diſtrictius ne quis, cujuſcumque conditionis vel ſtatus exiſteret, ſe de perſonis vel bonis hujuſmodi aliquatinus intromitteret, vel circà ea in præjudicium ordinationis ſeu diſpoſitionis Apoſtolicæ, per ſedem eandem, ut præmittitur faciendæ aliquid faceret, innovaret; vel etiam attentaret: Decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus à quoquam ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Ac poſtmodum ne dicta bona, quæ dudum, ad ſubſidium Terræ Sanctæ & impugnationem inimicorum Fidei Chriſtianæ, & Chriſti cultoribus data, legata, conceſſa & acquiſita fuerunt, debita gubernatione carentia, tanquam vacantia deperirent, vel converterentur in uſus alios, quàm in illos ad quos fuerunt pia devotione fidelium deputata; vel propter tarditatem ordinationis & diſpoſitionis hujuſmodi eorum deſtructio vel dilapidatio ſequeretur, cum Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis, ac etiam cum nonnullis excellentibus & illuſtribus Perſonis, cum reliquorum quoque abſentium Prælatorum, ac etiam Capitulorum, & Conventuum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum Procuratoribus in dicto Concilio conſtitutis, habuimus ardua, moroſa, & diverſa conſilia & tractatus, ut per hujuſmodi conſiliorum & tractatuum liberationem præbitorum diligentem dictorum bonorum Ordinatio, & diſpoſitio ad honorem Dei, augmentum Fidei exaltationem Eccleſiæ, dictæ Terræ ſubſidium, ſalutem quoque fidelium & quietem ſalubris & utilis proveniret. Poſt quæ utique longa præmeditata proviſa, & matura conſilia ſuadentibus plurimis juſtis cauſis, noſtra, & dictorum Fratrum, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, ac excellentium & illuſtrium Perſonarum prædictorum in dicto Concilio tunc præſentium deliberationis & conſilia in hoc finaliter reſiderunt. Ut prædicta bona ordini hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitani, & ipſi hoſpitali, ac dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Hoſpitalis ejuſdem nomine Hoſpitalis & Ordinis eorumdem, qui, tamquam athletæ Domini pro defenſione Fidei ſe periculis mortis jugiter exponentes, onéroſa nimis & periculoſa, diſpendia continuè perferunt in partibus transmarinis in perpetuum unirentur. Nos igitur, inter cætera mundi loca in quibus vigere dignoſcitur obſervantia regularis, dictum ordinem hoſpitalis & ipſum Hoſpitale ſinceræ caritatis plenitudine proſequentes: ac attendentes quod, ſicut evidentia facti docet in eo divinis obſequiis ferventer inſiſtitur, pietatis & miſericordiæ opera vigilantibus ſtudiis exercuerunt, Fratres Hoſpitalis ipſius, mundanis ſpretis illecebris, devotum impendentes Altiſſimo famulatum, ac pro recuperatione Terræ prædictæ, tanquam intrepidi Chriſti pugiles, ferventibus ſtudiis & deſideriis intendentes, quælibet ducunt humana pericula in contemptum: Conſiderantes quoque quod ex hoc, tanto eorumdem Magiſtri & Fratrum dictorum Ordinis & hoſpitalis creſcet ſtrenuitas animorum fervor augebitur, & ipſorum roborabitur fortitudo ad propulſandas noſtri Redemptoris injurias; & hoſtes ejuſdem fidei conterendos, quanto ipſorum potentia in opulentioribus facultatibus augmenta onera, quæ proſecutionis tanti negotii neceſſitas exigit, leviùs & faciliùs poterunt ſupportare & propterea non indignè vigiles reddit ſtudiiſque ſollicitis excitat, ut ad ſui ſtatus augmentum, opem & operam impendamus, eodem ſacro approbante Concilio, ipſam Domum militiæ Templi, cæteraſque Domos, Eccleſias, Cappellas, Oratoria, Civitates, Caſtra, Villas, Terras, Grangias, & loca, Poſſeſſiones, Juriſdictiones, Redditus, atque jura, omniaque alia bona, immobilia & mobilia, vel ſe moventia, cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis ſuis, ultra & citra mare, ac in univerſis & quibuſlibet mundi partibus conſiſtentia, quæ ipſe Ordo & dicti Magiſtri & Fratres ipſius ordinis militiæ Templi, tempore quo ipſe magiſter & nonnulli ex eiſdem Fratribus militiæ Templi in Regno Franciæ communiter capti fuerunt, videlicet, anno domini milleſimo trecenteſimo octavo, menſe Octobris, per ſe vel quoſcumque alios habebant, tenebant, & poſſidebant vel ad eaſdem Domum & Ordinem militiæ Templi, & dictos magiſtrum & Fratres ipſius Ordinis militiæ Templi quomodolibet pertinebant: nec non nomina, actiones, & jura quæ prædicto tempore captionis ipſorum eiſdem Domui, ordini vel perſonis ipſius ordinis militiæ Templi quocumque modo competebant, vel competere poterant, contra quoſcumque, cujuſcumque Dignitatis, ſtatus vel conditionis exiſterent, cum omnibus Privilegiis, Indulgentiis, Immunitatibus, & libertatibus, quibus præfati magiſtri & Fratres dictorum Domus & Ordinis Militiæ Templi, & ipſa Domus, & ordo per ſedem Apoſtolicam, vel per Catholicos Imperatores, Reges & Principes & Fideles alios, vel quocumque alio modo erant legitimè communiti, idem Ordini Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolimitani, & ipſi hoſpitali donamus, concedimus unimus, incorporamus, applicamus & annecti-

ANNO 1312.

mus in perpetuum de Apostolicæ plenitudine potestatis. Exceptis bonis quondam dicti Ordinis ipsius militiæ templi, consistentibus in Regnis & terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum Regum illustrium, extra Regnum Franciæ; quæ à donatione, & annexione prædictis, specialiter excipienda duximus, ac etiam excludenda: Ea nihilominus dispositioni & ordinationi sedis Apostolicæ reservantes. Inhibitionem dudum, per alios processus nostros factam, ne quis videlicet, cujuscumque conditionis, vel status existeret, se de personis & bonis hujusmodi aliquatenus intromitteret, vel circa ea in præjudicium ordinationis, seu dispositionis sedis ejusdem, faciendæ de illis, nec non decreti nostri interpositionem, quo ad personas & bona in dictis Regnis & Terris eorumdem Regum proximò expressorum consistentia, omnino manere volentes in pleno robore firmitatis, quousque de personis & rebus prædictis in eisdem Regnis & Terris consistentibus per dispositionem sedis ejusdem fuerit aliter ordinatum. Occupatores quoque dictorum bonorum, aut illicitos detentores cujuscumque status, conditionis, Excellentiæ, vel Dignitatis extiterint, etiamsi Pontificali, vel Imperiali, vel Regali præfulgeant Dignitate, nisi infra unius mensis spatium, postquam super hoc per dictos magistrum & Fratres ipsius Hospitalis, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratorem seu Procuratores eorum fuerint requisiti, dicta bona dimiserint, illaque plenè & liberè restituerint Ordini ipsius Hospitalis, & eidem Hospitali, aut magistro seu Prioribus, vel Præceptoribus, aut Fratribus Hospitalis ejusdem, in quibuscumque partibus & provinciis constitutis: eorumque singulis, vel Procuratori, seu Procuratoribus eorumdem, ejusdem Ordinis ipsius Hospitalis nomine, etiam si dicti Priores, Præceptores & Fratres ipsius hospitalis & Procuratores ipsorum, & eorum quilibet, à dicto magistro ipsius hospitalis mandatum super hoc specialiter non haberent, dummodo Procuratores prædicti à dictis prioribus & Præceptoribus, vel eorum singulis, in Provinciis & partibus, in quibus hujusmodi priores & Præceptores extiterint deputati mandatum super hoc habuerint vel ostenderint speciale. Qui omnes & singuli, videlicet, Priores, præceptores & Fratres, dicto magistro: Procuratores verò prædicti eisdem Prioribus & Præceptoribus, eorumque singulis, à quibus super his fuerint deputati, plenum super omnibus gestis, actis receptis, & Procuratis per eos quomodolibet in hac parte computum & rationem ponere & reddere teneantur. Nec non omnes, qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis, in occupatione vel detentione hujusmodi dederint auxilium, Consilium, vel favorem, publicæ vel occultæ excommunicationis: Capitula verò Collegia, seu Conventus, Ecclesiarum, & monasteriorum, nec non universitates Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & ipsas Civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia extiterint: ac etiam Civitates, Castra & loca, in quibus detentores & occupatores hujusmodi Dominium obtinuerint temporale, si hujusmodi Domini temporales, in dimittendo bona prædicta, & restituendo illa Magistro & Fratribus Ordinis & Hospitalis ipsius obstaculum adhibebunt, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non destiterint, postquam super hoc ut præmittitur fuerint requisiti, ipso facto interdicti sententiis decernimus subjacere; à quibus absolvi non possint, donec super his plenam & debitam satisfactionem curaverint exhibere. Et nihilominus occupatores, & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem, ut præmittitur, auxilium, consilium, vel favorem sive singulares personæ, sive Capitula, Collegia, seu Conventus, Ecclesiarum, & monasteriorum, aut universitates Civitatum, Castrorum, Terrarum, vel aliorum locorum extiterint, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ à Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenent in feudum, ipso facto decernimus fore privatos, sive privata; ita quod ad Ecclesias, ad quas spectant illa, liberè, sine conditione aliqua, revertantur; earumque Ecclesiarum Prælati sive Rectores de ipsis, pro sua voluntate disponant, sicut utilitati Ecclesiarum ipsarum viderint expedire. Nulli ergo &c. Datum Viennæ Sexto nonas Maii, Pontificatus nostri anno septimo.

XXI. Ex Arch. Angl. Rimer Tom. 3. pag 326.

Bulla Anglorum Regi porrecta pro Hospitalariis de Terris Templariorum in Concilio Viennensi eis collatis, ipsis liberandis: anno 1312.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper in Generali Concilio per nos Viennæ disponente Domino celebrato, post longam deliberationem præhabitam, & maturam, acceptabilius fore Altissimo, magis honorabile Fidei Orthodoxæ cultoribus, ac subventioni Terræ Sanctæ utilius, bona quondam Domus & Ordinis militiæ Templi, Ordini Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani concedere, quàm Ordini de novo creando unire aut etiam applicare consilium, deliberationis nostræ providit. Sed quia, tunc aliquibus asserentibus utilius fore bona ipsi ordini, noviter creando, conferre, quàm dicti Hospitalis Ordini applicare, tunc noster affectus speratum effectum super hoc obtinere nequivit. Tandem verò sic per Dei gratiam actum fore dignoscitur, quod sexto nonas præsentis mensis Maii, eodem sacro approbante Concilio, Hospitali, seu ipsius Hospitalis ordini, supra dictis præfata bona concedenda & applicanda duximus, ac etiam unienda, bonis ejusdem ordinis militiæ Templi, in Regnis & Terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragonum, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illustrium, extra Regnum Franciæ consistentibus, duntaxat, exceptis, quæ ab unione, concessione, & applicatione hujusmodi ex certis causis excipienda duximus, & etiam excludenda, ipsa dispositioni nostræ & sedis Apostolicæ specialiter reservantes, quousque de illis aliter pro dictæ Terræ subsidio per nostram, & dictæ sedis providentiam extiterit ordinatum. Quo circa magnificentiam Regiam rogamus, & hortamur attentius quatinus pro reverentia Salvatoris, cujus in hac parte negotium promovemus, ac dictæ Sedis, & nostra, magistro & Fratribus seu prioribus, & Præceptoribus Hospitalis ejusdem, in quibuscumque partibus, & Provinciis Terrarum tuarum constitutis, seu Procuratori, vel Procuratoribus eorundem, quod prædicta bona in eisdem Regno, & Terris tuis consistentia, integrè & pacifice valeant assequi, & habere Regis favoris præstes auxilium, prout extiterit opportunum. Et nihilominus omnibus, Comitibus, Baronibus, Ducibus, Principibus, & aliis nobilibus, Communitatibus, & universitatibus, Senescallis, Ballivis cæterisque Officialibus dicti Regni quocumque nomine censeantur, & aliis

qui

qui ad custodiam bonorum ipsorum de tuo mandato fuerint deputati, per litteras tuas mandes expresse ut eadem bona, Magistro & Fratribus seu Prioribus, & Præceptoribus, vel Procuratori, aut Procuratoribus ante dictis, & singulis eorumdem, à quibus super hoc fuerint requisiti, sine diminutione qualibet, quantum in eis fuerit, restituant, & assignent; eis circa nanciscendam, habendam & retinendam possessionem bonorum ipsorum per te, & Officiales eosdem, & alias executoribus super executione hujusmodi concessionis nostræ deputatis, & in posterum deputandis super eadem executione de liberalitate Regia efficaciter assistendo, cum pro parte ipsorum extiteris requisitus. Sic igitur in præmissis te promptum & liberalem exhibeas, quod præter retributionis æternæ præmium, quod inde mereberis, tibi laudis humanæ proveniat incrementum, & nos celsitudinem tuam dignis valeamus in Domino laudibus commendare. Datum Liberon. Valentin. Dioces. 17. Calendas Junii Pontificatus nostri anno septimo.

Anno 1316.

JOANNES XXI. DICTUS XXII.

PONTIFEX CXCVIII.

ANNO DOMINI MCCCXVI.

JOannes post Clementem V. biennio Ecclesia capite destituta, throno conscenso se ipsum in Pontificatu confirmavit dicens: *Ego sum Papa*, qui prius Jacobus de Ossa dicebatur. Hæreticos judicavit eos qui docebant, Christum, ejusque Discipulos in hâc Terrâ nil proprii possedisse, clerumque similiter in paupertate vivere debere. Trinum Tintinnabuli pulsum, quô virginem Matrem oramus (vulgò *ave Maria*) instituit. Ludovicum Bavarum vehementer infestavit. Græcos ad subjectionem revocare tentavit, at frustrà fuit. Interea à Ludovico Imperatore Romæ depositus est, Nicolao V. subrogato, qui annô 1330. Joanni cessit, in carcere aliquot post annis mortuus. Obiit Avenione anno 1334. ætatis 90. relinquens in Thesauris Ecclesiæ 25. milliones auri. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. I.* 1727. *App. fol.* 190.)

I. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 3. pag. 594.

Bulla de Treguis Scotiæ per biennium, & Infractoribus excommunicatis: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

VOcatis nobis, licet insufficientibus meritis, ad Apostolatus officium occurrit, quasi confestim, considerationis nostræ conspectui, acerbis infesta molestiis, periculosa dissensio, quam inter carissimum in Christo filium Eduardum Regem Angliæ illustrem, & dilectum filium Nobilem Virum Robertum de Brus, gerentem se pro Rege Scotiæ jamdudum inventor malorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstantias, quas frequenter, dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus repræsentans. Hinc etenim se offerebant, & offerunt nostris obtutibus, impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & præcipue Terræ Sanctæ, desertæ incolis Christi fidelibus ipsorumque destituta suffragiis, cui Catholicis Principibus distractis ad bella Civilia, consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis. Hinc se ingerebant, & ingerunt animarum pericula, Christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum ipsorum diffidentium, suarumque gentium, sed & quamplurium aliorum in ipsorum commotione, periculosa turbatio pariter & damnosa. Hæc quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrorum interpellant Officium, ut ad occurrendum, per opportuna remedia tanto Religionis Christianæ discrimini ocius exurgamus. Attendentes igitur quod ad nos qui, licet immeriti, vices Regis pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur, potestatis Apostolorum Principi suisque successoribus ex alto concessæ, singulariter pertinet, in Universali Ecclesiâ cunctave Congregatione fidelium, pacem quærere, ac ipsam facere diligentius observari, inter præfatos, Regem Angliæ & gerentem se pro Rege Scotiæ, auctoritate Apostolica treugas, quarum fædus imaginem pacis inducit usque ad biennium duraturas. Ac in eos, & omnes, & singulos eorum adjutores, valitores consiliatores, sequaces, complices, & eorum adhærentes, treugas infringentes easdem vel quemlibet, non servantes Excommunicationis sententiam promulgamus, non obstante si Regi, & gerenti, prædictis, aut ipsis Adhærentibus, seu cuivis eorum, à Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari non possint per litteras Sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali, vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis, existat, per quam effectus præsentium impediri possit vel quomodolibet retardari. Treugas autem & sententiam ante dictas à die notificationis seu publicationis earum, suum effectum volumus obtinere. Vassallos insuper, & subditos, Regis & Gerentis, prædictorum à juramento fidelitatis, quo eis, vel eorum alteri tenentur astricti, quantum ad cujusmodi guerræ seu dissensionis articulum, cum in illicitis eis obedire non debeant, per idem tempus absolvimus. Et nihilominus promissiones & obligationes, quæ inter Regem & Gerentem, prædictos, & quoscumque alios sub belli seu conflictus, utrinque committendi, processu; nec non confæderationes colligationes, & pactiones, quæ inter ipsum Regem & quoscumque alios, ex una parte; ac prædictum Gerentem, & alios quoscumque ex altera intervenerint, pro ipsa fovenda discordia, utpote contra bonum pacis præsumpta illicitè & acceptata in divinæ Majestatis offensam; & quascumque pœnas adjectas ac juramenta præstita super his, sub quibuscumque forma, modo vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, ex nunc nulla fore decernimus, & quatenus de facto processerint irritamus. Nulli ergo omnino hominum liceat

ANNO 1317.

hanc paginam nostræ inductionis, promulgationis, absolutionis, & constitutionis, & irritationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Avinion. Calendas Januarii Pontificatus nostri Anno primo.

II. Ex Arch. Angliæ Rimer Tom. 3. pag. 619.

Excommunicatio contrà omnes Inimicos Regis Angliæ, & Invasores Regni: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cantuariensi, & Vintoniensi, ac Elyensi Episcopis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

PErsonam carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris, ejusque Regnum inclitum, ea dilectionis sinceritate prosequimur, ut suum dictique Regni statum, à guerrarum fluctibus liberum, & à discriminibus turbationis immunem, paternis desideriis affectantes ad procurandum tranquillitatem & quietem illius, opportunum Apostolicæ Sedis favorem, quantum cum Deo possumus liberaliter impendamus, quatinus Rex ipse; securitate sibi ab insidiis æmulorum indulta utilitatibus propriis liberius possit intendere, seque ad assumendum negotium Terræ Sanctæ, nostris præcordiis non mediocriter insidens, ad quod, ut asserit ferventer anhelat, habilius valeat præparare. Cum itaque, sicut displicenter audivimus, nonnulli Nobiles, & Magnates, Regem ipsum, & Regnum Angliæ, ac Terram suam Hiberniæ, invadere ausu nitantur illicito; nos, eorum in hac parte conatibus opportunis obviare remediis cupientes, & ad id expedire censentes, spiritualem gladium exeri in omnes & singulos, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, aut status, qui Regem ipsum, Regnum, & Terram prædicta invadere, aut Regnum ipsum, & Terram contra Regem eundem, cum armis, vel sine armis intrare præsumpserint, vel aliàs intrantibus ipsis, ut præmittitur, seu invasoribus, in pecunia, equis, armis, vel aliis præstiterint auxilium, consilium, vel favorem publicum, vel occultum, Excommunicationis sententiam promulgamus, à qua eos sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, prohibemus absolvi: In quo si fuerint absoluti, & ipsos contigerit sanitati restitui, nisi satisfecerint infra mensem, eadem sententia ligari volumus eo ipso. Quocirca Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, hujusmodi Excommunicationis sententiam ubicumque expedire videritis &, præcipuè in locis maritimis, seu mari vicinis solenniter publicetis. Non obstante si alicui, vel aliquibus, sub quacumque forma, vel conceptione verborum, à Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari non possint per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam, & expressam, acde verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentiam, generali vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit, vel quomodolibet retardari. Datum Avinion. quarto Calendas Aprilis Pontificatus nostri Anno primo.

III. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 3. pag. 610.

Super Roberto de Brus, & Eduardo Fratre excommunicandis: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Dublinensi, & Cessellensi Archiepiscopis; ac dilecto filio Decano Ecclesiæ Dublinensis salutem & Apostolicam benedictionem.

HAbet insinuatio pro parte carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ, noviter facta nobis quod Robertus de Brus, dudum Comes de Carrik, & Eduardus Frater ejus, in eam ab olim prorupere furoris audaciam, quod Homagium & fidelitatis juramentum, per eos præstita, claræ memoriæ, Eduardo Regi Angliæ, Regis genitori prædicti, temeritate prætereuntes damnabili, & observantiæ cultura debitæ non colentes, eidem Genitori, dum viveret in Terra sua Scotiæ effrænatis ausibus guerrarum moverunt, quam nedum contra Regem ipsum post gubernacula Regni ab ipso suscepta, reproba continuantes prosecutione, quin etiam Dei timore postposito, & omni fidelitatis fœdere violato, in augmentum sceleris adaugentes, Regnum Angliæ, ac Terras Valliæ & Hiberniæ invaserunt hostiliter, & depopulatis agris quamplures Civitates, Castra, & alia plura loca in ipsis, Regno & Terra proditionaliter occuparunt, personis pluribus tam in Regno, quàm in Terris prædictis etiam in locis sacris sine delectu conditionis sexus, ordinis, vel ætatis, in ore gladii trucidatis immaniter, & multis exulare coactis. Et nihilominus nec sacrilegium execrantes, nec incendiariorum pœnas horrentes, Ædes Sacras, Ecclesias, & monasteria, ac Loca Religiosa, divino culti dedicata destruere ac comburere, Dei calcata reverentia, nequiter præsumpserunt, bonis & rebus, sistentibus inibi, quæ potuerunt ab incendio præservari furtivis manibus non sine reatu sacrilegii asportatis. Ex quibus in partibus illis Divinus cultus est non leviter diminutus, fidei & devotio Christiana notabiliter tepuerunt & dictus Rex in Regaliis suis grande subiit, & subit jugiter detrimentum; unde ad assumptionem ultra marini passagii, ad quod, ut asserit ferventer anhelat, minus habilis redditur, & multipliciter impeditur. Nos igitur, excessus hujusmodi, quos in partibus illis, sicut audivimus, & facti evidentia, & quasi communis assertio publicat, eò magis horrentes, quò eis displicibiliores esse novimus Regi pacifico, cujus vices gerimus in Terris, licet immeriti quove ipsos in Regnum Angliæ, Ecclesiæ Romanæ præcarum, ac Terras prædictas, & in Regis prædicti personam, quem, veluti Filium prædilectum, specialiter inter brachia caritatis internæ complectimur, cernimus fuisse commissos; & proindè tam excedentium saluti prospicere, quàm Regis occurrere

rere præfati dispendiis, ac statu suo pacifico providere paternis affectibus cupientes discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus vos vel duo, aut unus vestrum, dictos Robertum de Brus & Eduardum Fratrem ejus, ac omnes & singulos, quos ipsorum in præmissis excessibus complices fautores, & valitores esse noveritis, per vos, vel alium, seu alios canonicè moneatis, ut ab invasione & impugnatione dictorum, Regis & Regni, ac Terrarum prædictarum, penitus desistentes, quæcumque in Regno Angliæ, ac Terris Valliæ & Hiberniæ prædictis, temere occuparunt infra certum competentem terminum, per vos aut duos, vel alterum vestrum præfigendum, eadem dicto Regi, vel certo suo mandato, cum effectu restituant, & in pace dimittant. Et quia de occupatis hujusmodi ab occupationis tempore, fructus, redditus & proventus, & jura indebitè percepisse feruntur, præcipiendo subjungimus quod, de perceptione ipsa, & perceptorum valore, cum diligentia inquirentes, ut quæcumque ipsos, per prædictæ inquisitionis indaginem, indè minus justè percepisse reperitis, si extant, alioquin justam extimationem eorum, infra certum tempus, vestro moderandum arbitrio, dicto Regi, vel certo mandato suo reddant restituant, sive solvant, auctoritate prædicta canonice moneatis. Quod si forte hujusmodi monitioni vestræ quin potiùs Apostolicæ parere contempserint, vos eos & eorum quemlibet, quos ex nunc, & ex tunc excommunicamus, excommunicatos publicè, diebus Dominicis & Festivis pulsatis campanis, & candelis accensis, ubicunque vobis expediens fore videbitur, nuncietis, & denunciari, ac ab omnibus evitari arctiùs faciatis, ipsam insuper aggravaturi sententiam prout inobedientia eorum exegerit & facti qualitas suadebit. Et ut in his impedimenti vel obstaculi cujuslibet tollatur occasio, omnes & singulos, eisdem Fratribus homagio & juramento hujusmodi, quo ad præmissa, penitus absolvendi, ac inhibendi firmiter ne quisquam de cætero eisdem Roberto & Eduardo Fratri ejus, in prædictis excessibus, vel eorum aliquo, faveat pareat vel intendat, ac dissolvendi, vacuandi irritandi & revocandi omnes pactiones, obligationes, confœderationes & colligationes ab ipsis fratribus, & sibi adhærentibus, & quibuslibet aliis quomodo libet initas, juramento, vel quacunque alia firmitate vallatas. Nec non & relaxandi hujusmodi & quælibet alia juramenta à quibuscunque præstita, per quæ possent excessus nutriri prædicti, ac debita de illis satisfactio & occupatorum restitutio impediri, prout ea secundum Deum videritis dissolvenda, vacuanda, irritanda, seu etiam relaxanda. Et insuper inquirendi contra ipsos, Robertum & Eduardum, & quoslibet alios de damnis datis Ecclesiis, Monasteriis, Religiosis locis, & Ecclesiasticis, Secularibusve personis, ac illos & eorum quemlibet ad satisfaciendum debite de eisdem, per censuram Ecclesiasticam, & aliis remediis de quibus vobis expedire videbitur compellendi. Non obstante si eis vel eorum aliquibus, à sede Apostolica sit indultum, sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari quavis auctoritate non possint, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia, generali vel speciali, cujuscunque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeret quomodo libet vel differri. Vobis & vestrum cuilibet, plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem.

Datum Avinion. 4. Calendas Aprilis Pontificatus nostri Anno primo.

IV. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 3. pag. 630.

Bulla contra Fratres de Ordine Mendicantium ad Populum Hybernicum rebellionem prædicantes: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei venerabilibus Fratribus Dulinensi & Castellensi Archiepiscopis, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Dublinensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

DOlenter audivimus, & ægro animo recensemus, quod nonnulli Fratres de ordinibus mendicantium, eos quos profitentur, ordines damnabiliter polluentes, & plerique Rectores, Vicarii, & Capellani Parochialium Ecclesiarum de Hiberniæ partibus, qui deputati ad directionem, & regimen populorum, eis deberent doctrinæ lumine viam veritatis ostendere, & ipsos laudabilium operum exemplari vehiculo deducere ad salutem, facti sunt illis in deviationem potiùs & ruinam: dum iidem Fratres Rectores, Vicarii, Capellani tanquam Viri discoli, pacis semitas minimè cognoscentes, Hibernicum Populum, carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris subjectum dominio, ab ipsius obedientia, & fidelitate, nedum persuasiones occultas & prava consilia quin etiam per prædicationes & monita publica, temerariis ausibus, retrahunt, & ad impugnandum jura Regalia, & Rebelliones calcaneum guerrarum turbinibus concitatis erigendum in Regem eundem, potenter inducunt. Non attento quod per id impediendo bonum pacis, & obedientiæ fiunt procul dubio Dæmonum adjutores, accensum ignem illorum studio tanquam lignis nutrientes injectis, suscitata nutrientes scandala, & illud, quod extinguere deberent incendium, fovere temerè non verentes & nihilominus non timentes animas decipere talium, eos qui suis in hac parte sinistris suggestionibus acquiescunt à perpetratis ac etiam perpetrandis in hujusmodi prosecutione guerrarum homicidiis, incendiis, sacrilegiis, & rapinis absolvere reproba temeritate præsumunt. Nos itaque tot malorum materiam, à radice præcidere cupientes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus vos, vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, omnes & singulos Fratres prædictorum, & aliorum Ordinum, Rectores, Vicarios, & capellanos Ecclesiarum partium prædictarum, & alios de quibus vobis expedire videbitur, cujuscunque status, ordinis, dignitatis, gradus, aut conditionis existant, auctoritate Apostolica moneatis, ut à prædictis suasionibus, consiliis, prædicationibus, monitis, & absolutionibus, & aliis omnibus & singulis per quæ guerra, seu discordia posset in partibus nutriri prædictis, prorsus abstineant, & omninò desistant, infra dierum octo spatium à tempore monitionis hujusmodi computandum. Alioquin eos, in quos ex nunc prout ex tunc, excommunicationis sententiam promulgamus, excommunicatos

publicè singulis diebus Dominicis & Festivis, pulsatis campanis, & extinctis candelis, ubicumque vobis expediens esse videbitur, publicè nuncietis, processuri auctoritate prædictâ gravius contra eos prout eorum inobedientia, & facti qualitas suadebit. Volumus insuper, vobisque mandamus, ut de personis, quæ sint, vel fuerint in hac parte culpabiles, inquiratis cum diligentia veritatem, & quos, per hujusmodi inquisitionis indaginem, reos inde fore compereritis, sic prout justum fuerit, eadem auctoritate canonicè puniatis, quod & ipsi talia se commisisse pœniteant, & alii exemplo territi, præsumere similia pertimescant Nos enim vobis & vestrum cuilibet præmissa omnia, & singula faciendi plenam & liberam concedimus, tenore præsentium potestatem. Non obstante si aliquibus, vel alicui, aut eorum ordinibus specialiter, vel generaliter à sede præfata indultum existat, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi, ac de propriis Ordinum, locorum, & Personarum ipsarum nominibus mentionem; & quibuslibet literis, privilegiis, & indulgentiis, generalibus, vel specialibus, quibuscumque dignitatibus, ordinibus, personis, & locis sub quacumque formâ, vel conceptione verborum à dicta sede concessis, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentionem in nostris litteris fieri oporteat specialem. Datum Avinion. quarto Idus Aprilis Pontificatus nostri anno primo.

V. ibid. p. 635.

Bulla, de Treugis inter Regem, & Robertum de Brus ineundi: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gauselino, Tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Pesbytero, & Lucæ, Sanctæ Mariæ in Via lata, Diacono, Cardinalibus, Apostolicæ sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Vocatis nobis, licet insufficientibus meritis ad Apostolatus Officium occurrit, quasi confestim considerationis nostræ conspectui, acerbis infesta molestiis periculosa dissensio, quam inter carissimum in Christo Filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, & dilectum filium, nobilem Virum, Robertum de Brus gerentem se pro Rege Scotiæ, jam dudum Incentor malorum omnium suscitavit, amaras nobis, suas circumstantias, quas frequenter, dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revolvimus repræsentans. Hinc etiam se offerebant, & offerunt nostris obtutibus impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & præcipuè Terræ Sanctæ, desertæ incolis Christi fidelibus, ipsorumque destitutæ suffragiis, cui Catholicis Principibus distractis ad Bella Civilia, Consolator aliquis non assistit ex omnibus caris suis. Hinc se ingerebant, & ingerunt animarum pericula, Christiani sanguinis non levis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum ipsorum dissidentium, suarumque Gentium, sed & quamplurium aliorum, in ipsorum commotione, periculosa turbatio pariter & damnosa. Hæc quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis nostrum interpellant Officium, ut ad occurrendum, per opportuna remedia, tanto Religionis Christianæ discrimini ocius exurgamus. Attendentes igitur quod ad nos, qui licet immeriti, Vices Regis Pacifici gerimus, ac plenitudine fungimur potestatis, Apostolorum Principi, suisque successoribus ex alto concessæ singulariter pertinet in Universali Ecclesia cunctave Congregatione fidelium, pacem quærere, ac ipsam facere diligentius reservari. Ut vobis, quod ad Angliæ & Scotiæ Regna, ac Hiberniæ & Valliæ partes, pro tractanda & reformanda concordia inter Regem & Nobilem ante dictos, tanquam pacis Angelos destinamus ad id, juxta nostrum desiderium, via eo paratior, eoque facilior pateat quo, Rex & Nobilis ante dicti, ac partium ipsarum incolæ minorum dissidiorum turbine quatientur, inter Regem ipsum, complices, fautores, Valitores, Consiliarios ejus, ac adhærentes ei ex una parte; & præfatum nobilem, complices, fautores, Valitores, & Consiliarios ejus, ac adhærentes ei ex altera Treugas, quarum fœdus, pacis inducit imaginem auctoritate nostra inducendi, usque ad biennium duraturas, de quo & prout videritis expedire, ac omnium & singulorum, Treugas ipsas infringentium aut quomodolibet non servantium personas, excommunicationis sententias promulgandi. Non obstante si eis, aut eorum alicui, sub quacumque forma vel modo verborum sit indultum quod excommmunicari; vel eorum Terræ Ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & quælibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit, vel quomodolibet differri. Treugas hujusmodi, sic indictas; & excommunicationis, ac interdicti sententias promulgatas ubicumque, & quibuscumque vobis expedire fore videbitur, per vos, vel alium seu alios notificandi ac solemniter publicandi. Et nihilominus omnes & singulas Commissiones, obligationes, confœderationes & colligationes, super hujusmodi dissensionibus, seu discordiis nutriendis, inter quoscumque, & à quibuscumque quomodolibet initas, vel ineundas, veluti contra bonum pacis assumptas illicite, & attentatas in divinæ majestatis offensam, & quascumque pœnas, adjectas vel adjiciendas, ac juramenta, præstita vel præstanda, super illis, sub quibuscumque, forma, modo, vel expressione verborum, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat ex nunc nulla fore decernimus, & quatinus de facto processerint, irritamus, nulla & irrita nunciandi, plenam & liberam vobis & vestrum cuilibet concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avinion. Calendas Maii Pontificatus nostri anno primo.

Anno 1317.

VI. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 3. pag. 688.

Bulla de excommunicando Regni Invasores, & Turbatores Pacis Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gauselino tituli sanctorum Marcellini, & Petri, Presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata, Diacono Cardinalibus, Apostolicæ sedis nuntiis, salutem & Apostolicam benedictionem.

PErsonam carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris, ejusque Regnum inclitum ea dilectionis sinceritate prosequimur, ut suum dicti Regni statum à guerrarum fluctibus liberum, & à discriminum, paternis desideriis affectantes, ad procurandum tranquillitatem & quietem illius, opportunum Apostolicæ sedis Patrocinium, quantum cum Deo possumus liberaliter impendamus, quatinus Rex ipse, securitate sibi ab insidiis æmulorum indulta utilitatibus propriis liberius possit intendere, seque ad assumendum negotium Terræ Sanctæ, nostris præcordiis non mediocriter insidens, ad quod, ut asserit, firmiter anhelat, habilius valeat præparare. Cum itaque, sicut displicenter audivimus, ipsorum Regis & Regni Pax & optanda tranquillitas, nedum sit forinsecis Guerrarum turbinibus perturbata, sed & intestinis periculosè lacerata scissuris, dum nonnulli magnates & Domini dicti Regni, spreto fidelitatis debito ipsius Regis obedientia se subducunt, & tàm illi, quàm alii in ipsum, ac regnum prædictum, & Terram suam Hiberniæ impugnationis & invasionis reprobandæ conatus exercent. Nos eisdem, Regi & Regno præmisso considerationis intuitu, circa id, quantùm in nobis est, prospici cupientes, in omnes & singulos cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis ac status, qui Regem ipsum, Regnum & terram prædicta, aut eorum partem invadere, vel Regnum ipsum, & Terram contra Regem eundem, cum Armis, vel sine Armis intrare præsumpserint, aut alias eorum pacem & tranquillitatem injustè turbaverint, seù hujusmodi Turbatoribus aut Invasoribus in Pecunia, equis, vel armis, vel aliis circa hæc præstiterint auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, Excommunicationis in personas, & interdicti sententias in Terras eorum auctoritate præsentium, promulgandi. A qua quidem Excommunicationis sententia, sine speciali mandato sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, absolvi nequeant, in quo etiam, si fuerint absoluti, & ipsos contigerit sanitati restitui, nisi satisfecerint infrà mensem, eadem sententia eo ipso ligentur. Nec non ad quascunque pœnas alias, spirituales & temporales contra illos debitè procedendi. Et insuper, sententias atque pœnas, ubicumque & quotiescumque expedire videritis, & præcipuè in locis maritimis, seu mari vicinis per vos, vel alium, seù alios solemniter publicandi. Ac omnes pactiones, obligationes confœderationes & colligationes circa præmissa, vel eorum aliquod factas, Juramento vel quacunque firmitate alia roboratas, nullas, irritas, & Juribus, vacuas nuntiandi, vacuandi, seu dissolvendi, irritandi & revocandi, quatenùs de facto processerint. Nec non & Juramenta, circa id præstita, proùt secundum Deum expedire videritis, relaxandi. Et alia, quæ circa præmissa, & ea tangentia, fuerint opportuna, mediante Justitia, faciendi; non obstantibus quibuscunque commissionibus super dictis, vel eorum aliquo, vobis aut quibuslibet aliis, aliàs per nos factis: quibus tamen per hæc non intendimus derogare; Sed eas volumus in suo vigore manere: Aut si aliquibus à Sede Apostolica sit indultum, sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod excommunicari, vel eorum Terræ Ecclesiastico interdicto supponi non possint per litteras sedis ejusdem non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; & qualibet alia dictæ sedis Indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediri possit, vel quomodo libet retardari vobis, aut vestrum alteri, plenam & liberam concedimus, tenore præsentium facultatem.

Datum Avinion. quarto Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno secundo.

VII. Ex Anecd. Martene Tom. 1. pag. 1349.

Ne quis è Fratribus ordinis Prædicatorum in Episcopum electus absque facultate superiorum electionem acceptet: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis & fratribus Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam benedictionem.

ORdinis vestri sacra Religio promeretur, ut petitionibus vestris quantùm cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Oblata nobis siquidem vestra petitio continebat, quod sæpe contingit, Fratres ejusdem ordinis in Episcopos eligi vel etiam postulari ab illis ad quos de jure hujusmodi electio seù postulatio dignoscitur pertinere. Nos itaque volentes super hoc remedium adhibere, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, ut nullus Fratrum vestri ordinis electionem, seù postulationem de se factam valeat acceptare, nec etiam aliquatenùs consentire, nisi prius petita, & obtenta speciali licentia à Magistro ordinis suprà dicti, vel à Priori Provinciali suo duntaxat, de cujus provincia hujusmodi electus fuerit, vel etiam postulatus, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædecessoris nostri super hoc edita, & qualibet alia contraria non obstante.

Datum Avenione decimo sexto Calendas Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

VIII. Ex Miscel. Baluzii Tom. I. pag. 195.

Fratri Michaeli Ordinis Minorum committit caussam quorundam Fratrum ejusdem Ordinis non benè de fide sentientium: Anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Michaeli Monacho Ordinis fratrum Minorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Provinciæ ac Forqualquerii Comitatibus, nec non & in Civitatibus, terris & locis infra Arelatensem, Aquensem, Ebredunensem, & Viennensem provincias consistentibus auctoritate Apostolica constituto salutem, & Apostolicam benedictionem.

SUper omnia desiderabilia cordis nostri fidei catholicæ continuum incrementum intensioribus

Anno 1317.

ribus desideriis cupientes, gravi mirum dolore torquemur cum audimus aliquos vel sentimus ad depressionem illius qualicumque malignitatis astutia vel colore satagere aut ei detractionibus vel commentis mendacibus derogare ad quorum iniqua sternenda molimina eo ferventiùs nostra suspirat intentio quò perniciosiùs in animarum stragem perversis conatibus machinantur. Nuper siquidem non absque multa mentis turbatione, percepto quòd nonnulli prætensi minorum ordinis Fratres solo nomine professores ad eam mentis inopem cecitatem devenerant quòd hæretica labe respersi adversùs saluberrimam Christianæ fidei veritatem . . . . . . sentiebant & alios verbis mendacibus sub mentitæ pallio sanctitatis in errorum suorum devium trahere ipsosque errores defendere pro viribus conabantur, nos, qui sollicitudine vigili contra talium dolosam astutiam opportunum remedium libenter ubilibet adhibemus, ne virus hujusmodi in eodem ordine sub specie sanctitatis hujusmodi subintraret, tibi mandasse recolimus oraculo vivæ vocis ut adversùs eosdem prætensos fratres procederes juxta canonicas sanctiones & de illis faceres justitiæ complementum. Verùm intendentes ut eò tutius ad hujusmodi pestis omnimodam exterminationem procedas quò per nos certiori fueris auctoritate munitus, discretioni tuæ, de qua fiduciam obtinemus in Domino specialem, per Apostolica scripta committimus, & mandamus quatenùs contra fratres Johannem Barravi, Guillelmum Santoni, Deodatum Michaelis, Pontium Rocha, Bernardum Aspa, Berengarium Tortelli, Petrum Fabri, Vincentium Girandi, Bernardum Antinaci, Guiraudum Martini, Bernardum Francisci, Guillelmum Arnaudi, Jacobum Seguini, Johannem Razerii, Raimundum Bordini, Arnaudum Raimundi, Franciscum Sanctii, Guillelmum de Sancto Amantio, Franciscum de Badonis, Servianum Philippum Ferrarii, Arnaudum Maurini, Jacobum de Rivo, Arnaudum de Felgunio, Guillelmum Girandi, & Bernardum Boneri prætensos dicti Ordinis professores eadem labe respersos, quorum aliqui à quibusdam mandatis auctoritate nostra factis eisdem certas appellationes; & protestationes interposuisse noscuntur & omnes & singulos ipsis adhærentes sic efficaciter & solerter juxta statuta canonica procedere studeas quod per tuæ sollicitudinis circumspectam prudentiam dicti Ordinis sacra plantatio, exterminatis vulpeculis, quæ illum venenosis morsibus demoliri præsumunt, fructus offerat catholicæ veritatis. Nos enim super præmissis contra eos juxta statuta hujusmodi procedendi & alia omnia, & singula quæ circa præmissa opportuna fuerint facienda & etiam exercenda, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus etiam ordini, aut ipsius ordinis fratribus vel eorum aliquibus sub quavis verborum forma concessis, quæ prætensis fratribus & adhærentibus supra dictis contra præmissa, vel aliqua præmissorum in nullo volumus suffragari, & tam de duabus dictis in Concilio generali quàm felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri editis, per quas judices à sede deputati prædicta extra Civitates & dioceses in quibus deputati fuerint, aut aliquos ultra unam dictam à finibus suæ diocesis trahere prohibentur, & aliis contrariis Constitutionibus quibuscumque, sive si aliquibus communiter vel divisim à dicta sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca trahi vel ad judicium evocari non possunt per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & eorum personis ac locis ac nominibus propriis vel ordinibus mentionem, & qualibet dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam tuæ jurisdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, plenam tibi concedimus tenore præsentium potestatem. Volumus insuper & Apostolica auctoritate decernimus quòd à data præsentium tibi sit in præmissis omnibus & singulis præsentibus & futuris perpetua potestas & jurisdictio attributa, ut eo vigore illaque firmitate possis in præmissis omnibus cæptis & non cæptis præsentibus & futuris procedere, ac si jurisdictio tua in prædictis omnibus & singulis per citationem vel alium modum perpetua legitimum extitisset. Datum Avinioni 8. Jdus Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Anno 1318.

IX. Ex Archiv. Angliæ Tom. 3. p. 707.

De Berewico post publicationem Treugarum occupato de litteris Apostolicis laceratis, & de Roberto de Brus excommunicando: anno 1318.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Gaucelino tituli Sanctorum Marcellini & Petri, Presbytero, & Lucæ Sanctæ Mariæ in Via Lata, Diacono, Cardinalibus, Apostolicæ sedis nunciis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Crescit facile in immensum impunita temeritas, cum unius impunitas ausum in aliis parere soleat, & ausus excessivos persæpe producant. Quantæ autem temeritatis fuerit, his diebus, Roberti de Brus, Regnum Scotiæ nunc Regentis, suorumque in hac parte complicum, effrenata præsumptio, non expedit nobis longo sermone retexere ne doctos instruere videamur aut certiorare scientes. Nostris etenim, sicut illi quos evidentia palpatæ veritatis instruxit, qualiter à nostræ promotionis auspiciis, Piis attendentes effectibus Animarum & Corporum pericula gravia, & immensa dispendia facultatum, quæ molesta nimis & damnosa dissensio, inter carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, ex una parte, & prædictum Robertum ex altera, prætextu occupationis injustæ dicti Regni Scotiæ, in qua Rex ipse Robertum eundem injuriare sibi conqueritur, procurante cunctorum incentore malorum, ab olim exorta, mundo produxerat, & quæ, nisi prospiceretur ex alto, producere graviora verisimiliter timebatur: Considerantes etiam impedimenta non levia, quæ ipsa Dei negotia, & præcipue illius Terræ necessitas, in qua Redemptor noster nasci, & pati, pro salute nostra dignatus est, propterea subierunt, & quæ poterant ex ipsius dissensionis continuatione subire; ut tantis discriminibus, Deo propitio, possimus occurrere, totque obviare præpediis atque damnis, ad ponendum, in tranquillitate dissidentes eosdem, ac solitæ caritatis unanimitate conjungendum, vota nostra, Domino inspirante, direximus, vosque, quos ad id elegimus ministros idoneos de Fratrum nostrorum Consilio, in partes illas, tanquam Pacis Angelos propter hæc providimus destinandos. Et ut eo habiliùs

via

ANNO 1318.

via pateret, ad pacificandum diffidentes eosdem, quo minoribus Guerrarum flatibus quaterentur inter eos & adhærentes eisdem certi temporis Treugas indiximus: quas à die publicationis earum à nobis, per nos vel alium, seu alios faciendæ, suum volumus obtinere vigorem; ex tunc in personas non servantium, seu infringentium Treugas hujusmodi, Excommunicationis sententia promulgata. Vos autem injunctum vobis Officium tam humiliter, quàm utiliter exequi cupientes, directis versus Dunelmiam gressibus, ad Robertum ipsum venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Carbanensem, & dilectum filium Magistrum Aymericum Girardi Archidiaconum Eluensem, Familiares vestros, & nuncios mittere curavistis; qui & sibi pacificum vestrum pronunciarent adventum, & litteras nostras directas eidem salutaria super prædictis continentes monita præsentarent. Ipse verò intelligere nolens ut bene ageret, sed aures suas, more aspidis surdæ, ne audiret vocem Patris sapienter exhortantis, obturans, quasi de impensa à nobis super his benignitate, superbiæ concepisse videatur audaciam iniquitatem, de exhibita sibi per Apostolicam sedem mansuetudine, non absque ingratitudinis vitio parturivit, contemnens ipsas nostras recipere litteras, per Nuncios ipsos eidem oblatas. Et, ut contemptus contemptui adderetur, literæ nostræ super Treugarum ipsarum publicationem confectæ, quas per duos fratres minores in Scotiam mittebatis, in ingressu Scotiæ, non absque ipsius conniventia, violenter ipsis ablatæ fratribus, & dictæ sedis calcata reverentia totaliter laceratæ fueruut; Fratribus ipsis nihilominus inhumaniter spoliatis: Ne non fore posset ambiguum, quicquid malignitas in hac parte conceperit, licet Treugæ prædictæ per vos, vel alium, seu alios de mandato nostro per Angliam solemniter publicatæ fuissent, ita quod verisimiliter potuerat ad ejus notitiam hujusmodi publicatio pervenisse: ne lateret eum cominùs positum quod aliis eminus constitutis non credebatur occultum; ipse tamen Treugas ipsas, non absque multæ insolentiæ temeritate & plectibili nostro & sedis prædictæ contemptu, spretaque sententiâ ante dicta, observare contempsit. Villam Berevici, quam præfatus Rex Angliæ possidebat, & in qua, ad ipsius Roberti instantiam, de pace, inter Regem ipsum & Robertum eundem per tractatores communes, tractari debebat, post publicationem Treugarum ipsarum, & conventionem Tractatus ipsius, nequiter invadens, & eo liberius occupans, quo numquam eidem Regi poterat super hoc inesse suspicio, Tractatu pendente prædicto, ac cædem crudelem & magnam in Gentem Regiam sistentem inibi ac incolas dictæ Villæ perperam, & iniquè committens; per quod non est dubium Robertum ipsum, & in his adhærentes eidem, prædictam sententiam incurrisse. Hæc & alia, quæ ad præsens in silentio prætermus, fecerant dicti Robertus & complices, prout nobis intimare curatis, & tacuimus usque modo sperantes ut eorum corda, tangente Domino, post tantorum culpam excessuum alicujus humiliationis signa prætenderent, filialis devotionis exolverent debitum, & ad ea, quæ pacis sunt, animos inclinarent. Ipsi verò, velut vitiis malleatoris pertinacia solidata constructi patientia nostræ longanimitatis damnabiliter abutentes, in elationis obstinatæ vitium corruerunt. Nos igitur illatam nobis & Apostolicæ sedi, & vobis in præmissis injuriam, & in his, adhærentium sibi detestandos & enormes excessus, nec volentes, nec valentes conniventibus oculis pertransire, cum ad eos compescendos, ne periculosa in alios exempla alveo diriventur, excercendus sit potiùs Ecclesiasticæ gladius ultionis, discretioni vestræ, de qua, in his, & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus præsentium tenore, committimus & mandamus, quatinus, per vos, & alium, seu alios, prædictum Robertum & adhærentes eidem, prædictam incurrisse sententiam, in Ecclesiis & in locis insignibus, de quibus expedire videbitis, prout justum & æquum fuerit, nuncietis solemniter & publicè singulis diebus Dominicis & Festivis; contra eos nihilominus ad pœnas alias spirituales & temporales, prout vobis videbitur, juxtà prædictorum qualitatem excessuum, auctoritate Apostolica processuri. Et si, quod absit, in sua nequitia ulterius perseverare præsumpserint, indurantes instar lapidis corda sua, vos juxta contumaciam & excessuum exigentiam, nostros in eos curetis exaggerare processus. Nos enim præmissa omnia & singula faciendi & exequendi, nec non prædictos, & quoscumque alios prædictæ Pacis & Concordiæ Turbatores, seu Impeditores, sive Incolæ dictorum Regnorum, sive quicumque alii, & undecunque fuerint, & omnes & singulos complices adjutores, Valitores, Consiliarios, Fautores, & sequaces eorum hac in hoc adhærentes eisdem, publicè, vel occultè, etiamsi inter eos personæ aliquæ Ecclesiasticæ fuerint, cujuscumque sint hi vel alii conditionis, Dignitatis, ordinis, sive status Ecclesiastici vel mundani, quamvis Archiepiscopali vel Episcopali præfulgeant dignitate. Ut ab hujusmodi turbatione sine impedimento, nec non ab omni favore, Consilio, Auxilio, sequela, & adhærentia circa id impediendis, omnino desistant; & Excommunicationis in Personas, & interdicti sententias in Terras & Ecclesias eorum, ac per privationem Feudorum, locationum, officiorum, & quorumcumque beneficiorum spiritualium, citra Archiepiscopalem & Episcopalem Dignitatem, aut etiam Temporalium; quæ à quibuscumque Ecclesiis obtinebunt, ut sic libere illa ad ipsas Ecclesias revertantur, quod Prælati, & Rectores eorum, aut alii, ad quos id pertinebit, de illis pro sua voluntate disponant, ac per inhabilitationem etiam tam Personarum ipsarum Ecclesiasticarum Archiepiscopis & Episcopis duntaxat exceptis, quàm filiorum, Nepotum & aliorum descendentium ab ipsis turbatoribus & Impeditoribus laicis, usque ad secundum gradum ad quævis Ecclesiastica Beneficia obtinendum, & per alia juris remedia, de quibus, & prout expedire videritis, appellatione remota debite compescendi. Omnes quoque ac singulos qui eisdem Turbatoribus seu Impeditoribus laicis aut eorum alicui juramento fidelitatis tenentur astricti, ab ipso juramento quamdiu ipsis pacis hujusmodi extiterint absolvendi. Et alia faciendi, quæ circa præmissa vel aliqua de præmissis fuerint opportuna. Non obstante si eis aut eorum aliquibus; vel alicui à sede Apostolica sit indultum, sub quacumque forma vel conceptione verborum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut eorum Terræ, vel Ecclesiæ Ecclesiastico interdicto supponi quavis auctoritate non possint, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia, generali vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri. Vobis & vestrum cuilibet plenam & liberam concedimus, tenore præsentium

ANNO 1318.

facultatem. Per hæc autem non intendimus in aliquo derogare commissionibus, super his, vel aliis quibuslibet, vobis aliàs per nos factis; sed eas nihilominus in suo volumus remanere vigore.

Datum Avinion. quarto Calendas Junii Pontificatus nostri Anno secundo.

X. Rimer. Tom. 3. pag. 716.

Contra excessus Senescalli Vasconiæ: Anno 1318.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri salutem, & Apostolicam benedictionem.

INfusum à Deo tuis esse præcordiis promtum tibi sit, quantùm ad te pertinuerit, justitiam ministrare; Sed ubi præsertim de injunctis gravaminibus, per officiales tuos nostris illatis familiaribus, agitur, de tua filiali devotione fiducia, quòd ad justam reformationem illorum Regia Celsitudo promptius inclinetur. Sanè dilectus filius nobilis Vir, Senescallus tuus, in Vasconiæ partibus, dilectum filium, nobilem Virum, Jordanum de insula, Domicellum & familiarem nostrum, in multis jam injustè sicut accepimus, gravavit, & gravare non cessat, eumque de persona fecit capi pro libito, & adhuc detinet carceri mancipatum, in juris injuriam, & grandem ipsius Jordani jacturam. Et, licet jam, binis vicibus Jordanum eundem, in sua justitia, Senescallo prædicto commendaverimus, confidenter sperantes Jordanum ipsum apud Senescallum eundem, ipsius nostræ recommendationis intuitu, aliquid reperire favoris. Ipse tamen Senescallus, factus ex nostræ intercessionis adjectione severior Jordanum ipsum gravaminibus pluribus in intercedentis, ut videtur contemtum, affecit. Quia igitur fili carissime, hæc tuis affectibus placitura non credimus, celsitudinem tuam attentè requirimus & rogamus, quatinùs prudenter attento quod, in illis præcipuè partibus tua plurimum interest, in justitia, & lenitate gubernare subjectos, ut ipsi sub tuo felici Regimine absque inculcatione gravaminum, vitam fælicem degentes, ad tua reddantur, si necesse fuerit exequenda servitia promptiores. Circa prædictorum Reformationem gravaminum, ac debitam liberationem Jordani prædicti, nec non circa correctionem injustè gravantis opportunum mandes, ac facias adhiberi remedium, per quod etiam via præcludatur quantùm honestè fieri poterit, sub dictorum gravaminibus in futurum, sic te, fili charissime, in his habiturus, quod justo Judici placeas, & nobis, qui ad Jordanum ipsum considerationibus certis afficimur cum gratiarum actionibus commendamus occurras.

Datum Avinion. Calendas Julii Pontificatus nostri Anno secundo.

ANNO 1319.

XI. Ibid. pag. 764.

Bulla, de licentia tractandi de pace cum excommunicatis: Anno 1319.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem, & Apostolicam benedictionem.

ATtendentes, fili carissimi, incommoda grandia, & discrimina varia, non facile numeranda, quæ ex guerrarum turbinibus, & bellicis congressibus sunt solita provenire, intenso desideramus affectu, & ingenti desiderio affectamus inter diffidentes per vias pacificas tractatus amicabiles pacis fædera reformari. Hinc est quod votivum est nobis plurimum, & acceptum, tuæque magnificentiæ, tenore præsentium indulgemus, ut quosvis hostes tuos, æmulos & Rebelles, ac eis adhærentes ad tractandum, ordinandum, & firmandum, per se, vel alios tecum, vel cum illis, quos ad hoc duxeris deputandos, quæ ad pacem sunt, vel pertinere aliquatenùs possunt, impunè possis admittere, quanquam sint innodati sententiis à Canone, vel Homine, quavis auctoritate etiam apostolica promulgatis, ipsosque ad hoc cum expedire videris, invitare.

Datum Avinion. 8. Calendas Maji Pontificatus nostri Anno tertio.

ANNO 1319.

XII. Ibid. pag. 797.

Bulla, de Potestate Fulminandi contra Robertum de Brus, perpetuata.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gaucelino tituli Sanctæ Marcellini & Petri Presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinalibus, salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUdum post nostræ Promotionis auspicia ad statum Apostolicæ Dignitatis, antiquatam ab olim inter carissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, & Robertum de Brus, tunc Regnum Scotiæ Gubernantem, Dissensionis odiosæ materiam in animo revolventes, & animarum deflenda pericula dolentes; Fidelium strages innumeras, multiplicia dispendia facultatum, & nocumenta gravissima, quæ multis Regnorum ipsorum Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, ipsius protractio dissensionis intulerat, ac dispendiosa, quæ paraverat obstacula negotio Terræ sanctæ, & verisimiliter poterat formidari, ne similia forsan objiceret in futurum; vias & modos, quibus circa præmissa, Domino propitiante salubria adhibere possemus remedia, cum multa diligentia duximus exquirendum. Et tandem ad personas vestras nostræ dirigentes considerationis intuitum, vos ad Angliæ & Scotiæ Regna ac Hiberniæ, & Valliæ partes pro reformatione pacis hujusmodi plena vobis super hoc per nostras litteras potestate concessa, duximus destinandos. Et nihilominùs, ut via facilior ad hujusmodi Reformationem pacis Domino dirigente, pateret, inter eosdem Regem & Robertum, treugas per certi temporis spatium duraturas, duximus indicendas, volentes illas à die notificationis, seù publicationis earum per vos, vel alium, seù alios faciendæ suum obtinere vigorem. Et ex tunc in personas non servantium, vel infringentium illas Excommunicationis sententiam proferentequas per vos vel per alium, seù alios Regi ac Roberto prædictis & aliis, de quibus vobis videretur expediens notificari mandavimus, seù etiam publicari. Cumque vos postmodum, sicut Apostolatui nostro per vestras litteras intimastis, ad executionem per missorum vobis negotiorum hujusmodi volentes, servata debita maturitate procedere, quia de facili ad dictum Regnum Scotiæ tunc, nonnullis interjectis obstaculis, vobis non patebat accessus clausas litteras vestras dicto Roberto, vestri causam nunciantes per cursores proprios destinastis. Sed idem Robertus seù Gentes suæ,

nedum

nedum quod ipsi Roberto permisissent easdem litteras præsentari, immo nuncios ipsos nequaquam Regnum intrare Scotiæ permiserunt. Propter quod Venerabilem Fratrem Nostrum, Petrum Episcopum Carbaniensem, & dilectum filium Magistrum Aymericum Gerardi, Archidiaconum Eluensem, Capellanum nostrum, Nuncios & familiares vestros, ad dictum Robertum, cum ipso, super his, quæ Apostolicæ vobis directæ litteræ continebant, habituros tractatum, ac ordinaturos, inter cætera, cum eodem de tempore & loco, vobis tuto, quibus super commissis vobis, possetis habere cum ipso Tractatum & colloquium destinatis. Qui demum Nuncii, non sine periculis & difficultate multiplici, prius ab eodem Roberto litteris habitis de conductu, ad Castrum de Rokesbour, in ingressu Scotiæ constitutum, finaliter applicarunt. Et cum ipsos Gentes ejusdem Roberti præsentiam ipsius Roberti nequaquam adire permitterent, & ab eodem Roberto ut ad eum possent accedere per speciales eorum litteras postulassent; Jacobus Danglars & Alexander, milites ac familiares ejusdem Roberti, cum quibusdam aliis, ad eosdem nuncios accedentes, ab eisdem nunciis litteras si quas ostendendas dicto Roberto portabant exhibere sibi, deferendas per eos ad dictum Robertum cum instantia postularunt, comminantes eisdem, quod eos aliter Regnum nequaquam intrare permitterent ante dictum. Quibus iidem nuntii Apostolicas litteras eidem Roberto directas, per quas ad pacem caritativis affectibus hortabamur, ejusdem dictis militibus tradiderunt, dicto Roberto per eosdem milites assignandas. Postmodum autem, quodam ipsius Roberti Clerico ad conducendum dictos nuncios ad ipsius Roberti præsentiam accedente. Tandem, cum dicti nuncii ad locum, ubi dictus Robertus morabatur tunc temporis applicassent, eidem Roberto causam missionis & adventus eorum oretenus exponere curaverunt; ipsum rogantes instanter quod easdem Apostolicas Exhortationes hujusmodi continentes, aliasque vestras clausas litteras, directas eidem quas ei præsentialiter assignarunt aperiret, & inspiceret diligenter, & ad contenta in eis, tanquam obedientiæ Filius responderet. Sed idem Robertus, litteras ipsas præfatis nunciis, non absque mentis indignatione, restituens, illas legere quibusdam confictis excusationibus frivolis, recusavit: & nihilominus se aliquibus nolle tractatibus pacis vel Treugarum intendere; non verens damnabiliter affirmare, vos & nuncios ipsos ad hujusmodi Tractatum admittere denegavit, eisdem nunciis, ac Propositis per eosdem responsum dare, ductus vesaniæ spiritu, denegando; quamvis nunciis dixisset eisdem, quod super præmissis deliberatione cum suis Consiliariis habita plenióri infra festum Beati Michaelis, tunc proximo secuturum, eis per suas litteras plenius responderet. Qui damnabiliter in contumacia suæ inobedientiæ perseverans; longè post dictum Terminum per suas litteras nunciis respondit eisdem, quod in responsione quam Comites & Barones eisdem nunciis per litteras ipsorum fecerant speciales, inter alia continentes, quod nisi dictus Robertus nominaretur Rex Scotiæ Tractatum aliquem super præmissis vobiscum, vel cum dictis nunciis non haberet eum persistere oportebat. Et quia ex his poterat colligi manifeste, verisimilibus conjecturis, quod dictus Robertus nequaquam Apostolicis ac vestris monitis & exhortationibus in hac parte acquiescere, datus in sensum reprobum intendebat, vos ut ad tractatum Pacis hujusmodi prosequendum liberior aditus haberetur, ac volentes futuris periculis obviare, Treugas prædictas, juxta formam ipsarum, in litteris Apostolicis super Treugis eisdem confectis annotatam, Londoniæ, ubi tunc degebatis præsentialiter publicastis; & in nonnullis aliis Angliæ & Scotiæ Regnorum prædictorum locis insignibus & confinibus eorumdem, mandastis, ac fecistis per alios publicari. Et deinde volentes Treugas easdem & indictionem ac Publicationem ipsarum, ad Roberti ac sequacium, Fautorum, & Complicum suorum & aliarum Personarum dicti Regni Scotiæ notitiam pervenire, Dilectum filium fratrem Adam Guardianum Fratrum Ordinis minorum de Bervicco nuncium vestrum, cum eisdem Apostolicis Indictionem Treugarum continentibus earumdem, & diversis aliis litteris, ac Processibus vestris, ad eosdem Robertum & Regnum Scotiæ distinastis. Qui demum, versus partes illas accedens, & obtentis ab eodem Roberto, ut ad ipsum proficisci posset, litteris de conductu, dictumque Regnum Scotiæ jam intrasset, Quidam, Alexander nomine se ipsius Roberti asserens Senescallum, præfato Guardiano occurrens in viam, prædictas, tam Apostolicas, quàm vestras, litteras & Processus de manibus dicti Guardiani, pro viribus contradicentis, eripuit; Dicens illas se dicto Roberto, qui per modicum ab inde distabat spatium, delaturum. Qui tandem Alexander, post brevis temporis intervallum, vadens ad dictum Robertum, ut dicebat, ac rediens, literas, & Processus eosdem Guardiano sæpe dicto restituit; ei sub pœna Capitis, districtè præcipiens quod statim Scotiæ Terram & Regnum exiret; eidem litteris de securo conductu, quas petebat cum instantia, denegatis. Sed idem Guardianus, mandatum vestrum hujusmodi, nequaquam propter hoc negligens ut potuit adimplere, Treugas ipsas & indictionem earum, in vulgari suo, sonoro Præconio pluribus ibidem Scotis astantibus, publicavit; & subsequenter, de loco ipso recedens & inter suum prosequens festinanter, cum ab eodem Alexandro elongatus per modicum spatium extitisset, quidam dicti Roberti satellites, ipsum sacrilegis ausibus aggredientes in via, eum litteris & Processibus ante dictis, habituque suo, ac vestibus paupertatis, & rebus aliis, quas portabat immaniter spoliarunt. Et insuper dictus Robertus, tantam inobedientiam & contemptum satagens sub rectæ intentionis palliare velamine, & fraudulenter confingens ad Pacis aspirare tractatum, eidem Regi Angliæ litteras destinavit, & per illas litteras vobis scripsit, quod ab eodem Rege literis obtentis de securo conductu, ad vos sex vel plures mitteret Tractatores. Ad quod ei per vestras litteras respondentes, illas cuidam nuncio, qui easdem suas ad vos detulerat literas, ad eum deferendas, specialiter tradidistis; qui cum usque ad ingressum Scotiæ cum eisdem litteris accessisset, dicti Roberti Gentes nuncium ipsum ad eundem Robertum dictas portare literas minimè permiserunt; quas ad vos postmodum idem nuncius clausas, sicut prius & integras reportavit. Deindè verò præfatus Robertus, suæ currum elationis ascendens & eligens perire potius, quàm salvari, nedum quod, se convertens ad Dominum à suæ obstinationis duritia propositum revocaret, sed in illa potius damnabiliter perseverans, & pejora prioribus in suæ damnationis cumulum

coacer-

ANNO 1319.

coacervans, per se, vel Comites, ac Barones, & Nobiles, & alios de præfato Regno Scotiæ, indictionis & Publicationis Treugarum hujusmodi non ignaros, monitis exhortationibus, ac pœnis & sententiis Apostolicis, non sine nota rebellionis detestabilis, vilipensi, & Apostolicæ sedis reverentia, temeraria præsumptione calcata, Villam & Castrum de Bervico, quæ diù dictus Rex Angliæ, & claræ memoriæ, Edvardus Rex Angliæ, Genitor suus, dum viveret, quietè possederunt, & ante tempus, ac etiam tempore indictionis Treugarum ipsarum idem Rex possidebat, ac postea per se, & suos in pace possedit. Nec non & quædam alia Castra, Terras, & Loca dicti Regis, & ipsius Regni Angliæ Incolarum, consistentia infra illud, nequiter, & fraudulenter invadens, crudelem in magnam Gentem Regis ipsius, dictæque Villæ de Bervico incolas eadem damnabili temeritate commisit; ad aliarum ejusdem Regis occupationem Terrarum se processurum detestabiliter comminando; propter quæ dictus Robertus, & alii in præmissis adhærentes eidem Excommunicationis sententiam incurrerant supra dictam. Nos verò dicti Roberti tam enormem contemtum, tamque graves & detestandos excessus, non valentes conniventibus oculis pertransire, vobis per alias nostras dedimus litteras in mandatis, ut per vos, vel alium, seù alios, dictum Robertum, & adhærentes eidem, præfatam excommunicationis sententiam incurrisse, in Ecclesiis & locis insignibus, de quibus vobis videretur expediens, prout esset justum, & æquum nuntiaretis solenniter, ac publice, singulis diebus Dominicis & Festivis, contrà eos ad alias spirituales & temporales pœnas, prout vobis visum foret, juxta prædictorum qualitatem excessuum, processuri. Quod si forsan eos in suâ nequitia perdurare contingeret contumaciæ & excessuum eorumdem, vestros curaretis in eos exaggerare processus. Nec non & ipsos, & quosvis alios dictæ pacis & concordiæ turbatores, sive incolæ dictorum Regnorum, sive quicunque alii, & undecunque forent, & omnes & singulos complices; Adjutores, Valitores, Consiliarios, Fautores, & sequaces eorum, ac in his adhærentes eisdem, publicè, vel occultè, etiamsi personæ Ecclesiasticæ forent, cujuscunque Conditionis, Dignitatis, Ordinis, sive status Ecclesiastici vel mundani, forsan existerent, etiamsi Archiepiscopali, vel Episcopali Dignitate fulgerent, ut ab hujusmodi turbatione, seù impedimento, favore, Consilio, Auxilio, sequela, & adhærentia, prædictorum omnium desisterent, per excommunicationis in Personas & interdicti sententias in Terras & Ecclesias eorum, ac privationem Feudorum officiorum, locationum, & quorumcumque Beneficiorum spiritualium, citra tamen Archiepiscopalem & Episcopalem Dignitatem, & Temporalium etiam, quæ à quibuscunque Ecclesiis obtinerent, ut illa sic libere ad Ecclesias reverterentur easdem, quod Prælati & Rectores earum, aut alii vel quos pertinerent, pro sua disponerent voluntate, nec non & per inhabilitatem tuam ipsarum Ecclesiasticarum personarum, Archiepiscopis & Episcopis dumtaxat exceptis, quàm filiorum nepotum, & aliorum ab ipsis turbatoribus & Impeditoribus laicis, usque ad secundum gradum descendentium, ad quævis Ecclesiastica Beneficia obtinenda, & alia etiam Juris remedia, de quibus & prout videretur expediens, Appellatione postposita, debite compescendi: Omnes quoque & singulos; qui dictis Turbatoribus, seu impeditoribus laicis, vel ipsorum alicui juramento fidelitatis tenerentur astricti, quandiu ipsi pacis hujusmodi turbatores seu impeditores existerent, absolvendi, & alia omnia faciendi, quæ circa præmissa & prædictorum quodlibet forent opportuna, plenam contulimus per alias nostras litteras potestatem. Et quamvis post receptionem hujusmodi literarum nostrarum præfatus Robertus, ut ad cor rediens à sua malignitate cessaret à vobis expectatus fuisset; quam tamen ipse instar lapidis obduratus, ac de nostra, & dictæ sedis benignitate, sibi libenter exhibita non absque ingratitudinis nota spiritum Electionis assumens, nedum, quod, se convertens ad dominum à suæ obstinationis duritia propositum revocaret, sed in illa, potiùs elata mente persistens, tanquam in profundum malorum demersus, quædam ipsius Regis una cum sequacibus, Complicibus, Adjutoribus, Valitoribus, & Fautoribus suis, obsidere per violentiam præsumebat, & alia quorumdam Incolarum ipsius Regni Angliæ, Castra, Terras, & Jura invadere nitebatur. Vos autem considerantes attentius quod idem Robertus ex præmissis de quibus vobis per sufficentia documenta constabat, quæve alias erant adeo publica & notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari, Nobis & Ecclesiæ Romanæ inobedientem, notoriè, & manifeste Rebellem, ac nostrum & ejusdem Ecclesiæ mandatorum contemptorem publicum se reddiderat & reddebat: quodque Pacis ejusdem tractatus impeditus extiterat & impediebatur tunc etiam ex præmissis; & quod impediretur imposterum erat verisimiliter præsumendum. Et propterea tam enormes excessus & injurias dissimulare salva conscientia nequeuntes, ne tantorum malorum pernicies ad similia concitaret iniquorum animos per exemplum pronuntiastis, & declarastis dictum Robertum ejusdem Ecclesiæ inobedientem notorium & rebellem, ac suis & Apostolicis sedis, & nostris Jussionibus renitentem, decernentes contra eum, sicut contra rebellem & inobedientem nostrum, & ejusdem Ecclesiæ manifestum, ac nostris & ipsius Ecclesiæ mandatis renitentem, notabiliter procedendum. Et eum nihilominus, dictosque sequaces, Adjutores, Valitores Complices, & fautores, & etiam adhærentes denuntiantes prædictam excommunicationis sententiam, contra infringentes seu non servantes treugas easdem, ut præmittitur promulgatam, tanquam violatores Treugarum ipsarum, & alias pœnas & sententias, per nos latas in dictis litteris, incurrisse. Quos demum excommunicatos, pulsatis campanis, & candelis accensis, publicè nunciastis, & fecistis, in diversis Cathedralibus, & aliis Ecclesiis solennibus, nuntiari; eisdem prædicentes apertè quod, si eos in hujusmodi pertinacia persistere fortè contingeret ad alias spirituales & temporales pœnas procederetis sicut videretis expediens contra eos. Postremò autem ut hujusmodi processus vester ad communem omnium deduceretur notitiam pleniorem membranas, processum continentes eundem in prædictarum Ecclesiarum appendi vel affigi ostiis sive superliminaribus mandavistis, quæ processus ipsos, suo quasi sonoro Præconio & patulo indicio, publicarent. Ita quod hi, quos processus ipse contingebat, nullam ignorantiam postea prætendere possent, quod processus ipse

non

Anno 1319. non pervenisset ad notitiam eorumdem, cum non esset verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum; quod publicabatur tam patenter & solemniter universis. Nos igitur nolentes tam præsumptuosam inobedientiam & contemtum, tantæque rebellionis audaciam, contra nos & Romanam Ecclesiam attentatos, prout non possumus, nec debemus, conniventibus oculis præterire. Vosque quos postmodum ad Sedem Apostolicam duximus revocandos, non poteritis, post revocationem hujusmodi, ulterius procedere in præmissis, nec de illis absque novo mandato vos intromittere quomodolibet vacatis. Discretioni vestræ, per Apostolica scripta, committimus & mandamus quatinùs vos, vel alter vestrum, per vos, vel per alium, seù alios, tam in Curia Romana, quàm per eadem Angliæ & Scotiæ, nec non & Franciæ Regna, & Hiberniæ, Valliæ, & Flandriæ, & alias partes, terras, & loca, de quibus vobis videbitur, prædictam Excommunicationis sententiam præinde facere valeatis inviolabiliter observari, & denuntiari Robertum, Impeditores, Turbatores, complices Adjutores, Valitores, Consiliarios, Fautores, sequaces, & adhærentes prædictos & ipsorum quemlibet nominibus eorum expressis, quotiens & quando videritis expedire, præfatas pœnas & sententias incurrisse, ipsisque omnibus & singulis subjacere, ac si jurisdictio vestra, vobis in præmissis commissa plene duraret & nequaquam à nobis hujusmodi revocatio processisset. Cæterum volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus, quodque à data præsentium, sit vobis & unicuique vestrum, in præmissis omnibus, & eorum singulis, cæptis & non cæptis præsentibus & futuris, perpetuata potestas & jurisdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus, cæptis & non cæptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cæpta fuissent, & jurisdictio vestra, & cujuslibet vestrum, in prædictis omnibus & singulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, qualibet constitutione contraria non obstante.

Datum Avinion. 15. Calendas Decembris Pontificatus nostri Anno quarto.

Anno 1320.

XIII. Rimer. Tom. 3. pag. 810.

Bulla Excommunicationis contra Invasores Hiberniæ: Anno 1320.

JOANNES EPISCOPUS,

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, per Regnum Angliæ constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum personam carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris, suique Regni statum, & Guerrarum fluctibus liberos & discriminibus turbationis reddere cupientes immunes, ac procurandum ejusdem Regni quietem, tranquillitatem & pacem, ut Rex ipse securitate sibi ab æmulorum insidiis acquisita, utilitatibus propriis posset vacare commodiùs seque ad intendendum circa negotium Terræ sanctæ, nostris præcordiis non mediocriter insidens, ad quod, ut asserit, ferventer anhelat, idque virilius prosequendum habilius præparare opportunum Apostolicæ sedis favorem quantum cum Deo potuimus, studuimus adhibere. Propter quod, tunc fide digna relatione percepto, quod nonnulli nobiles & magnates Regem ipsum, & Regnum, ac terram suam Hiberniæ invadere ausu temerario & illicito nitebantur, Nos eorundem Invasorum in hac parte conatibus opportunis obviare remediis intendentes; & ad id expedire noscentes gladium exeri spiritualem, in omnes & singulos cujuscunque forent præminentiæ, dignitatis aut status, qui Regem ipsum, Regnum & Terram prædictam invadere, aut eadem Regnum & Terram, contra Regem eumdem cum armis, vel sine armis intrare præsumerent, vel aliàs turbarent, aut turbatoribus, seù invasoribus in pecunia, equis, armis, vel aliis præstarent auxilium vel favorem, publicum, vel occultum, Excommunicationis sententiam duximus promulgandam, à qua eos, sine speciali mandato sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, prohibuimus absolvi, in quo si absoluti fuissent & ipsos contigisset sanitati restitui, nisi post recuperatam sanitatem hujusmodi satisfacerent infra mensem eadem sententia ligari voluimus eo ipso. Dantes dilectis Filiis nostris Gaucelmo, tituli Sanctorum Marcellini & Petri Presbytero, ac Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinalibus, nostris litteris in mandatis, ut ipsi, vel alter eorum, per se, vel alium seu alios, hujusmodi Excommunicationis sententiam, ubicunque expedire viderent, & præcipuè in locis maritimis, seù mari vicinis solenniter publicarent. Non obstante si alicui, vel aliquibus sub quacumque forma, vel conceptione verborum, à sede Apostolica esset indultum, quod excommunicari non possent per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, prout in litteris nostris, inde confectis, plenius, & seriosiùs continetur. Cum autem præfatæ litteræ in prædictis, & aliis locis illarum partium solemniter sicut ex prædictis Lucæ Cardinalis relatione percepimus, fuerint publicatæ, & demum post publicationem ipsarum prout, fama publica referente & multorum fide dignorum relatione percepimus, nonnulli magnates & nobiles Regni Scotiæ, & adhærentes eisdem, Regnum & Terram prædicta manu armata ingredientes hostiliter, illa invadere nequiter & illicitè perturbare & scelestis actibus laxatis habenis, in multos ipsorum Regni & terræ fidelium sævam cædem committere manibus cruentatis innumera damna per spolia, incendia & rapinas inferre: Nonnullos de fidelibus ipsis eorumque animalia & alia bona in prædam abducere: & alia gravia nocumenta eisdem Regno ac terræ irrogare temerariis ausibus præsumserunt; quæ ut asseritur per evidentiam facti, adeo palpabiliter se cunctorum partium illarum oculis ingerunt, quod nulla possunt tergiversatione celari, sed se omnibus exhibent non ignota, sicque tam invasores prædictos quàm Duces & Præceptores, Adjutores, Valitores, Fautores, Adhærentes, & Sequaces eorum ac præbentes eisdem, ut prædicitur, auxilium, consilium, vel favorem certum existat prædictam excommunicationis sententiam incurrisse. Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatinùs vos, & quilibet vestrum per vos vel alium seù alios magnates & nobiles, Duces, Præceptores, Adhærentes, Sequaces, Valitores & fautores eorum prædictos, quocunque nomine censeantur cu-

juscunque dignitatis, status, vel conditionis existant, qui Regnum ipsum hostiliter, & Terram invadere & intrare illicitè, ut præmittitur præsumpserunt: vel per alios invadi fecerunt, mandaverunt, seu etiam procurarunt; vel alias turbare, aut turbantibus, seu invadentibus in pecunia, equis, armis, vel alias, præstiterunt auxilium, consilium, vel favorem publicum vel occultum, tandiu per omnia loca in quibus expedire videritis, & præsertim in locis maritimis & mari vicinis, & aliis in quibus ad ipsorum excommunicatorum, & ad participantium cum eisdem notitiam id valeat pervenire, singulis diebus Dominicis & festivis pulsatis campanis, & candelis accensis excommunicatos publicè nuntietis, & faciatis ab illis nuntiari, ac ab omnibus arctius evitari donec præfati excommunicati per satisfactionis debitum ad Ecclesiæ mandatum redierint & absolutionis beneficium meruerint obtinere. Datum Avinion. 6. Januar. Pontificatus nostri anno quarto.

XIV. Rimer Tom. 3. pag. 848.

Super processu & transactis inter nuncios Roberti de Brus & Papam, notificatoria: anno 1320.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

UT eorum quæ in negotio processuum, contra nobilem Virum Robertum dictum Brus, qui pro Scotiæ Rege se gerit, hactenus habitorum, post nunciorum suorum ad Apostolicam sedem adventum, sunt acta, plenam habeat tua celsitudo notitiam; scire te volumus, quod nuper dilecti filii, Odoardus de Mambuisson & Adam de Gondon, dicti Roberti Milites, & nuncii speciales, ad nostram præsentiam venientes, nobis ejusdem Roberti litteras præsentarunt, inter cætera continentes. Quod per nos duobus Viris nobilibus, quos litterarum scientia, morum honestas, & vitæ munditia commendabant, electis ad regimen Ecclesiæ Glasguensis, ab electionibus expulsis ipsorum, de quodam Anglico, Ordinis Prædicatorum, suo Regnique sui inimico Capitali, in suum dispendium fuerat Apostolica auctoritate provisum. Adjiciens in litteris supra dictis, quod quidam Clerici de Terra sua, qui nullis exigentibus culpis, nisi quod allecti instinctu naturali quædam statum suum, & nationis suæ contingentia, fidelitatem suam eidem nationi servare volentes, sibi scripserant, digni venia videbantur. Ac supplicans per nuncios & litteras suprà dictos, quod processus & sententias, si qui per nos contra eum fuissent habiti, & prolatæ, relaxare de benignitate Apostolica dignaremur. Ad quæ sibi duximus respondendum quod nos dudum attendentes multarum dona virtutum, quibus Glasguensis Episcopus dignoscitur insignitus, ipsumque multipliciter utilem ad ejusdem Ecclesiæ regimen extimantes de illo eidem Ecclesiæ Glasguensis duximus providendum. Propter quod non decebat Sedis Apostolicæ gravitatem, ad ipsius amotionem Episcopi procedere sine culpa: Sed processu temporis, cum locus adesset, negotiorum, & temporum qualitate pensata, libenter super hoc, quantum cum Deo fieri posset curaremus honore servato dicti Episcopi providere. Ad id verò, quod dicebat, quod dicti Clerici digni venia videbantur, respondimus; quod processus, habitos contra Clericos supra dictos ipsorumque confessores, ut sibi, & eisdem nunciis de ipsorum Clericorum excessibus plenè constaret, legi fecimus coram eis: quibus auditis seriosè per eos nobis expressè dixerunt, quod nunquam ipse pro Clericis scripsisset eisdem, si scivisset eosdem tam detestandorum excessuum patratores. Super relaxatione autem processuum & sententiarum prædictorum, sibi duximus respondendum; quod olim dilecti Filii nostri Gaucelinus Tituli Sancti Marcellini & Petri Presbyter, & Lucas Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis, Apostolicæ Sedis Nuntii, ad partes ipsas transmissi, dictum Robertum, omnesque adhærentes eidem, tanquam violatores treuguarum inter te, dictumque Robertum, auctoritate Apostolica indictarum, denuntiarunt, Excommunicationis sententiam contra Treugas infringentes easdem, seu etiam non servantes, prolatam auctoritate eadem incurrisse, quam demum Cardinales ipsi contra præfatum Robertum ipsosque adhærentes fecerunt solenniter publicari. Et deinde quia dictus Robertus præfatam sententiam contemnebat, Regni Scotiæ, quæ idem Robertus tunc temporis gubernabat, & alias terras adhærentium eorundem per ipsorum sententiam Interdicto Ecclesiastico subjecerunt. Quas idem Robertus; claves Ecclesiæ contemnendo, sustinuerat per annum, & ampliùs & tunc etiam mala malis, sicut nobis extiterat assertione fide digna revelatum, coacervando continuè sustinebat animo indurato. Nos, licet contra præfatum Robertum fuisset merito gravius procedendum, tamen ex mansuetudine dictæ sedis deferre volentes eidem, ipsum, auctoritate prædicta, fidelium astante multitudine copiosa citavimus, ut usque ad Calendas Maii tunc proximè venturas, quas ei pro peremptorio termino duximus præfigendas, per se, vel Procuratorem idoneum, Apostolico se conspectui præsentaret, super præmissis legitimè processurus, ac facturus, & recepturus, quod justitia suaderet. Et quia in dicto termino, vel post ipsum diutiùs expectatus, per se, vel Procuratorem suum coram Nobis comparere contumaciter, non curarat, ipsum de fratrum nostrorum consilio contumacem meritò reputantes, in eum Excommunicationis sententiam duximus proferendam, Regnum Scotiæ prædictum subjicientes Ecclesiastico interdicto. Et nihilominus super præmissis, nos inquisitionem contra eum quibusdam ex Fratribus nostris duximus committendam. Verùm quia præfati nuncii ad petendum relaxationem hujusmodi, & alia faciendum, quæ natura negotii requirebat mandatum aliquod non habebant, ad relaxationem prædictam, de jure procedi non poterat, nec debebat. Propterea Nuncii memorati, iterata precum instantia, supplicarunt, ut processum, & Inquisitionem hujusmodi, jam inceptam, suspendere, ac publicationi, & aggravationi sententiarum ipsarum, usque ad Calendas Aprilis proximo venturas, supersedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, volentes ut idem Robertus mansuetudinem dictæ sedis sibi reperiret propi-

tiam,

Anno 1321.

tiam, & benignam, de omnium & singulorum prædictorum Fratrum consilio supplicationi prædictæ, de speciali gratia duximus annuendum. Datum Avinion. 15. Calendas Septembris Pontificatus nostri anno quarto.

X V. Ex Anecd. Martene Tom. 1. col. 1368.

Sententia adversùs errores Johannis de Polliaco: anno 1321.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem & Apostolicam benedictionem.

Vas electionis Doctor eximius, & egregius Prædicator, cujus prædicatio mundum docuit universum, præsumtuosam illorum audaciam refrænat sollicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in errores varios prolabuntur, non plus sæpere quàm oportet sapere, sed ad sobrietatem salubri doctrinâ suggessit, ut juxtà sapientis eloquium quisque suæ prudentiæ modum ponat. Sanè dudùm cum dilectum filium Magistrum Johannem de Polliaco Sacræ Theologiæ Doctorem certis de causis, de Fratrum nostrorum consilio, ad nostram præsentiam vocassemus, fide digna ad nostrum relatio perduxit auditum, quod in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ sacramentum, non sobriè, sed perperam sapiebat: infra scriptos articulos periculosos continentes errores docens publicè in suis prædicationibus, & in scholis. Primò siquidem asserens quod

I. Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur iterum eadem peccata quæ confessi fuerant confiteri proprio sacerdoti.

II. Quod stante statuto *omnis utriusque sexûs* edito in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere quin Parochiani teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum: immò nec Deus posset hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem.

III. Quod Papa non potest generalem potestatem audiendi confessiones, immò nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur iterum eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, parochialem curatum.

Nos igitur volentes scire, si suggesta nobis veritatem haberent, articulorum copiam præmissorum eidem Magistro J. fecimus assignari; & ad defensionem sui audientiam sibi præbuimus, tàm in nostrâ, & dictorum Fratrum præsentia in consistorio, quàm alias coram aliquibus ex ipsis Fratribus per nos ad hujusmodi deputatis. Verùm licèt præfatus Magister dictos articulos, & contenta in ipsis defendere niteretur, asserebat tamen se paratum credere in præmissis, & aliis ea, quæ credenda, & tenenda esse sedes Apostolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod dictorum articulorum assertio, prædicatio, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipsos per plures Magistros nihilominùs examinari fecimus diligenter, nos ipsi, & cum dictis Fratribus collationem solertem habuimus super ipsis, per quas quidem collationem, & examinationem super hoc perhibitas, comperimus prædictos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum, ac veritati contrariam continere, quos etiam articulos omnes & singulos idem Magister J. veris sibi rationibus opinioni suæ dudum habitæ contrariis demonstratis in Consistorio revocavit, asserens se credere eos esse non veros, sed ipsorum contrarium verum esse, cum diceret se nescire rationibus factis in contrarium respondere. Ideòque nè per assertionem, & prædicationem, & doctrinam hujusmodi in errorem (quod absit) animæ simplicium prolabantur, dictos articulos, & quemlibet eorum, tanquam falsos, & erroneos & à sana doctrinâ devios auctoritate Apostolicâ damnamus, & reprobamus, de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu doctrinam ipsis contrariam veram esse, & Catholicam asserentes, cum illi, qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quàm si aliàs illa confessi fuissent eorum proprio sacerdoti. Optantes igitur unitatis vias notas esse Fidelibus, & cunctis erroribus aditum præcludere, nè subintrent juxtà dictum Concilium generale, felicis recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigia imitando, universis, & singulis districtiùs inhibemus, ne quisquam dictos articulos per nos, ut præmittitur damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in ipsis, vel aliquo ipsorum, utpotè à Catholicis mentibus respuenda tenere audeat, vel defensare quomodolibet, vel docere. Quo circà universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, districtè præcipiendo, quatenùs universi, & singuli vestrum in Civitatibus, & diœcesibus vestris, convocato clero communiter præmissa omnia, & singula per vos, seù alios solemniter publicetis. Nos etiam eidem Magistro J. mandavimus, quod ipse in Scholis, & in sermone Parisius dictos articulos, & contenta in eis tanquam veritati contraria propriæ vocis oraculo, & assertione constanti publicè debeat revocare. Quod se facturum dictus J. efficaciter repromisit.

Datum Avenioni VIII. Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

X VI. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 3. pag. 956.

Concedit literas, & possessiones Templariorum Fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolimitani in Angliâ: anno 1322.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum post sublatum quondam Ordinem militiæ Templi Jerosolimitani, in generali concilio Viennensi, felicis recordationis, Clemens Papa Quintus prædecessor noster, sicut ad communem omnium notitiam credimus pervenisse, volens de bonis ipsius ordinis salubriter ordinare. Eodem approbante Concilio, domum ejusdem militiæ Templi, cæterasque Domos, Ecclesias, Capellas, Oratoria, Civitates, Castra, Villas, Terras, Grangias, Loca, Possessiones, jurisdictiones, Redditus atque jura, omniaque alia bona, mobilia, immobilia, vel se moventia cum omnibus membris, juribus, & pertinentiis suis ultra & citra mare, ac in universis, & quibuslibet mundi partibus consistentia. Quæ ordo ipse, ac magister & Fratres ejusdem

ANNO 1322.

Ordinis militiæ Templi, tempore quo idem magister, & nonnulli ex eisdem Fratribus communiter capti fuerant, per se, vel quoscumque alios habebant, tenebant, & possidebant, vel ad eosdem, Domum & Ordinem, & ad dictos, magistrum & Fratres ipsius ordinis militiæ Templi, quomodolibet pertinebant. Nec non & actiones ac jura, quæ dictis Domui, Ordini, vel Personis ipsius quomodolibet competebant, vel competere poterant, contra quoscumque cujuscumque dignitatis, status vel conditionis existerent. Cum omnibus Indulgentiis, Privilegiis, Immunitatibus, & libertatibus, quibus præfatus Magister & Fratres dictorum domus & ordinis, ac ipsi Domus & Ordo, per sedem Apostolicam, vel Catholicos Imperatores, Reges, ac Principes, & Fideles alios, vel quocumque modo erant legitimè communiti, Ordini ejusdem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, & ipsi Hospitali; Quibusdam tamen, ex dictis bonis, in certis locis consistentibus tunc per prædecessorem eundem exceptis; quæ nos postmodum ad apicem summi Apostolatus assumpti, præter quædam ex eis, de quibus aliter duximus ordinandum, eisdem Magistro & Fratribus ac Hospitali Sancti Johannis Jerosolimitani, de Fratrum nostrorum Consilio, modo simili duximus concedenda, donavit, concessit, univit, incorporavit, applicavit, & annexuit in perpetuum, de Apostolicæ plenitudine potestatis. Qualiter etiam idem Prædecessor occupatores dictorum bonorum, ac illicitos detentores, cujuscumque status, Conditionis, Excellentiæ, vel dignitatis existerent; etiam si Pontificali, vel Regali dignitate fulgerent, nisi infra unius mensis spatium, postquam per eosdem Magistrum & fratres, vel ipsorum quemlibet, aut Procuratores eorum ipsorum nomine requisiti fuissent, dicta bona plenè liberè, & expedite dimitterent ipsis in quibuscumque partibus, & pertinentiis constitutis, & eorum singulis, vel Procuratoribus eorumdem nomine Hospitalis & Ordinis prædictorum. Nec non & omnes qui scienter occupatoribus & detentoribus prælibatis in occupatione vel detentione hujusmodi, darent Consilium, auxilium, vel favorem, publicè, vel occultè, Excommunicationis, capitula verò, Collegia, seu conventus Ecclesiarum & monasteriorum, nec non & Universitates, Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum, & ipsa, Civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia existerent; & etiam Civitates, Castra, & loca in quibus detentores, & occupatores hujusmodi obtinerent Dominium temporale, si iidem Domini temporales, in dimittendo bona prædicta & restituendo illa Magistro & Fratribus Ordinis Hospitalis ejusdem, nomine Hospitalis ipsius, obstaculum exhiberent, & infra dictum mensem ab hujusmodi præmissis non desisterent postquam super hoc, ut præmittitur, requisiti forent interdicti sententiis ipso facto subjacere decrevit; à quibus absolvi non possent, donec super his plenam & debitam satisfactionem exhibere curarent. Et nihilominus occupatores & detentores hujusmodi, vel præstantes eisdem ut præmittitur auxilium, consilium, vel favorem, sive singulares Personæ, sive capitula, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum ac Universitates civitatum, Castrorum, Terrarum, vel aliorum locorum existerent, præter pœnas præscriptas, omnibus, quæ à Romana, vel aliis Ecclesiis quibuscumque tenerent in feudum, esse privatos, seu privatas ipso facto decrevit; ita quod ad Ecclesias, ad quas illa spectabant, reverterentur liberè, & sine contradictione quacunque; ipsarumque Ecclesiarum Prælati sive Rectores, de ipsis, pro sua voluntate disponerent, sicut utilitati ipsarum Ecclesiarum coguoscerent expedire. Et licet tu, progenitorum tuorum succedens virtutibus, qui Ecclesiæ Romanæ Ordinationibus & mandatis semper humiliter paruerunt, ad requisitionem ipsorum, Magistri & Fratrum, facta tibi de concessione hujusmodi & aliis præmissis fide plenaria omnia præfata bona dicti quondam Ordinis Templi, in Regno & Terris tuis consistentia, tanquam devotus Ecclesiæ filius, Magistro & Fratribus, ac Hospitali prædictis obedientiæ pura & libera dimisisses, eaque omnia expedita per alios Regni tui dimitti mandasses; nonnulli tamen Comites, & Barones, Nobiles, milites, Universitates, Civitatum, Castrorum, & alii laici, &, quod graviùs mentem nostram amaricat, aliæ personæ Ecclesiasticæ, quæ se deberent pro fratribus ipsis murum defensionis opponere, præfatas sententias non verentes, ad dicta bona, concessa, ut prædicitur, pro tam salubri negotio magistro & Fratribus supra dictis extendentes manus suas rapaciter, ea sicut ex ipsorum Magistri & Fratrum dolorosis audiveramus relatibus occuparant hactenus violenter, & detinebant violentius occupata, sicut adhuc detinere noscuntur in animarum suarum pernitiem, grave damnum Hospitalis ejusdem, ac Terræ Sanctæ præcipuè ad cujus subsidium deputata, ut prædicitur, fore noscuntur non modicum detrimentum; nonnullis executoribus eisdem Magistro & Fratribus super eisdem bonis & sententiis supra dictis per prædecessorem deputatis eundem, & quod deterius est, per eosdem Magistrum & Fratres requisitis frequenter in ipsorum manifestam injuriam, & Apostolicæ sedis contemptum procedere non curantibus in præmissis. Propter quod, cum nostra interesset sicut & interest in prædictis auxiliatrices manus apponere quibus specialiter inest ipsius Terræ Sanctæ cura præcipua cujus oppressiones, Deo teste, nos opprimunt, & ad recuperationem ipsius intentis desideriis aspiramus, ac de tali, super occupationibus ipsis, volentes remedio subvenire, quod tam salubris negotii videlicet, Terræ prædictæ subsidiis, tolleretur cujuslibet causa præpedii, & concessio dictorum bonorum facta per sedem eandem, debitum sortiretur effectum, & occupatores hujusmodi à suis illicitis resipiscerent actibus, ipsosque sequeretur pœna condigna. Venerabilibus Fratribus nostris Cantuariensi, & Eboracensi Archiepiscopis, ipsorumque suffraganeis, in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis, quam eos & quemlibet eorum postquam hujusmodi mandatum nostrum pervenisset ad eos, incurrere voluimus ipso facto, si mandatis Apostolicis in hac parte negligerent obedire, per diversas dedimus litteras in mandatis, ut omnes & singulos in eorum Civitatibus & Diocesibus constitutos, cujuscumque status, vel Conditionis existerent, quos invenirent bona occupasse, vel occupata tenere prædicta, per se vel alios, publicè, vel occultè peremptorie monere curarent, ut infra unius mensis spatium, post monitionem ipsorum ea omnia & singula, in quibuscumque consisterent, & quocumque nomine censerentur, cum fructibus inde perceptis, & qui medio tempore percipi potuerunt, Magistro &

ANNO 1322.

Fratribus ac Hospitali restituerent supra dictis: alioquin si infra dictum terminum, hujusmodi monitioni humiliter & effectualiter non parerent, occupata per eos, vel ipsorum nomine cum fructibus inde perceptis, ut prædicitur, non dimittendo libere magistro & Fratribus ante dictis, ipsos omnes & singulos, cujuscumque status, Ordinis, vel conditionis existerent, quantacumque dignitate fulgerent, ex tunc auctoritate nostra Excommunicationis; Capitula verò, Collegia, seu Conventus Ecclesiarum & Monasteriorum, nec non & Universitates Civitatum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum; & ipsa civitates, Castra, Villas, & loca, quæ in his culpabilia forent, vel in quibus occupatores hujusmodi obtinerent Dominium temporale, si infra dictum terminum post mentionem hujusmodi, bona non restituerent, ut præmittitur, ante dicta ipso facto decernerent interdicti sententiis subjacere. Et ad majorem ignominiam eorumdem dictas sententias, & alias pœnas per Prædecessorem eumdem, ut prædicitur promulgatas, denunciarent incurrisse, & facerent ab illis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec restituerent, cum integritate præmissa, & mererentur absolutionis beneficium obtinere. Et licet postmodum dictum mandatum nostrum Archiepiscopi & suffraganei memorati diligenter fuerint executi, nonnulli tamen, sicut ex conquestione Magistri & Fratrum prædictorum accepimus, prætextu quarumdam appellationum ad sedem interjectarum frivolè supra dictam & Inhibitionem quas injustè super his fieri procurarunt, præfata bona injustè & indebite retinebant, illaque dictis Magistro & Fratribus, quamvis dictæ Ordinationi celsitudo Regia paruisset dictisque Magistro & Fratribus bona dimisisses, eadem reddere non curabant. Propter quod Archiepiscopi & suffraganei memorati denunciarunt eosdem, juxta prædicti mandati nostri tenorem, dictas pœnas & sententias incurrisse, quas diu sustinuerunt, sicut, & adhuc sustinent animis induratis, in propriæ salutis dispendium & scandalum plurimorum. Postmodum autem nos, volentes detentorum ipsorum malitiis obviare, Archiepiscopis & suffraganeis supra dictis, sub eisdem pœnis, per alias diversas nostras dedimus litteras in mandatis ut omnes & singulos domorum & aliorum prædictorum bonorum detentores, in eorum Civitatibus, & Diocesibus consistentes, quibusvis affectu favore & timore sepositis, ad restitutionem domorum & bonorum ipsorum per aggravationem pœnarum & sententiarum earumdem, appellationibus & inhibitionibus memoratis nequaquam obstantibus compellere procurarent. Cum igitur dilectissime Fili, hujusmodi restitutionis nondum fuerit debitus subsecutus effectus, nosque illam pro Terræ Sanctæ commodis, ad quæ desideranter aspirare te novimus, intentis desideriis affectemus. Magnificentiam Regiam paterno rogamus & hortamur affectu, & per misericordiam ejus, qui Terram ipsam aspersione sui pretiosissimi sanguinis, pro humani salute generis consecravit, instantius obsecramus, quatinus Domos & bona prædicta præfatis Magistro & Fratribus, sic plenè, sic integrè, pro divina & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia restitui facias cum effectu, detentores ipsorum laicos videlicet, ad restitutionem eorum integram, prout expediens fuerit, compellendo; & super his, Archiepiscopis & suffraganeis memoratis, favoribus & auxiliis opportunis nec non & per potentiam Brachii secularis, si opus fuerit, assistendo, quod dicti Magister & Fratres eorum in hac parte juris plenius assequantur; tibi proinde apud eum qui pro minimis grandia recompensat, augeatur cumulus meritorum, humanæ laudis crescant præconia, & à nobis condigna proveniat actio gratiarum, nosque pro restitutione bonorum hujusmodi, non oporteat amplius laborare.

Datum Avinion. Decimo Calendas Junii Pontificatus nostri anno Sexto.

XVII. Ex Anecd. Martene Tom. 2. col. 641.

Contra usurpantes Romani Imperii Vicariatum: anno circiter 1323.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Si Fratrum & coepiscoporum nostrorum, & aliorum quorumlibet jura illibata servari, & ab omni fore dispendio diminutionis extranea cupimus & ad id libenter nostræ sollicitudinis studium adhibemus, multo fortius equidem pro nostris, & Romanæ Ecclesiæ sponsæ nostræ juribus, & honoribus conservandis ex injuncto nobis officii debito, apostolicæ provisionis partes tenemur intendere, nè temporibus nostris usurpationis injuriam subeant, aut detrimentum cujusvis derogationis incurrant. Sanè in nostram, & Fratrum nostrorum deductum est, fama divulgante, notitiam, quod licèt de jure sit liquidum, & ab olim fuerit inconcussè servatum, quod vacante imperio, sicut & nunc per obitum quondam Henrici Romanorum Imperatoris vacasse dignoscitur, cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum Pontificem cui in persona beati Petri terreni simul, & cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, jurisdictio Imperii prædicti devolvitur, ac illam, absque alterius participio durante vacatione hujusmodi, per se vel per alium, seu alios exercet in eodem imperio pleno jure: nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis, & dignitatis fastigium illicitæ ambientes, in nostrum, & Sanctæ Romanæ matris Ecclesiæ, quantum in eis est præjudicium evidens, ac diminutionem honoris, & juris, vicariatus, seu alterius cujuscumque nomen officii, quod ipso Imperatore vivente ex ipsius forte commissione gerebant in certis terris, territoriis, sive locis post decessum ipsius, absque nostra, vel apostolicæ sedis petita, vel obtenta licentia retinere sibi, & nonnulli etiam de novo assumere, quod non gesserunt anteà temerariis ausibus præsumserunt: quo vel quibus adhuc non verentur abuti, ac sub ejus, vel eorum colore multa facere, & fecisse noscuntur, quæ in nostram, & Ecclesiæ prædictæ injuriam apertè redundant, non abhorrentes pro his variis involvi criminibus, nec divinæ majestatis formidantes offensam. Quia igitur error cui non resistitur approbari videtur, & latum pandet delinquentibus sinum, qui eorum perversis conatibus non resistit. Nos volentes nostris & Ecclesiæ sponsæ nostræ juribus & honoribus in hac parte prospicere, & malis, ac scandalis, quæ ex usurpativa retentione, seu assumtione hujusmodi orta sunt hactenùs, & quæ procul dubio possent in anteà suboriri, celeriter obviare, necnon periculis animarum hujusmodi retinentium, & usurpantium nomina, & eis abutentium, ut præfertur, salubriter occurrere cupien-

ANNO 1323.

tes, præsentium auctoritate monemus sub excommunicationis pœna omnes, & singulos cujuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant, etiamsi patriarchali, vel quâvis aliâ superiori, aut Pontificali, vel regia seù aliâ quacumque præfulgeant dignitate, qui post vacationem imperii absquè nostrâ, vel sedis prædictæ licentia, hujusmodi vicarii seù cujusvis alterius officii nomen sibi ubilibet retinuerunt, seù assumserunt, & retinent, & sub talis denominationis pallio abusi sunt, & abutuntur potestate, vel jurisdictione quacumque, seù ejus exercitio publicè, vel occultè, quatenùs de cetero à denominatione hujusmodi, aut nominis usurpatione, seù retentione prædicti, vel cujuscumque alterius, necnon usu, potestate, vel exercitio supra dictis prorsus abstineant, & omninò desistant. Inhibentes insuper sub pœnâ prædictâ omnibus, & singulis Patriarchis, & Prælatis, etiam aliis superioribus, & inferioribus, ac regibus, Civitatibus, Communitatibus, Universitatibus, Capitaneis, potestatibus, rectoribus, comitibus, vice-comitibus, Baronibus, & omnibus aliis cujuscumque sint dignitatis, conditionis, aut status, nè prædictos hujusmodi nomen vicariis, seù aliud quodlibet in eodem imperio retinentes, ut præfertur, aut usurpantes illicitè, vel eorum aliquem sub denominatione, vel titulo hujusmodi nominum, seù procuratores, commissarios, judices, aut vices eorum gerentes, quocumque colore quæsito recipiant, vel admittant, nec ut vicariis, seù vicario, aut Officialibus imperii pareant vel intendant, aut pareri, vel intendi faciant, vel permittant, nec in his eis, vel ei quomodolibet præstet auxilium, consilium, vel favorem, alioquin in omnes, & singulos Patriarchas, Prælatos, etiam superiores, & inferiores reges, & ceteros de nominatione prædicta, ut præmissum est, abutentes, ac illius prætextu assumentes quæcunque officia, potestates, jurisdictiones, ac eorum exercitia, & in recipientes eos, ut vicarios, vel officiales imperii, aut commissarios eorum, ut talium, & in parentes, seù obedientes eis ut talibus, aut præstantes in hoc sibi auxilium, consilium, vel favorem, nisi infrà duorum mensium spatium à die datæ præsentium numerandum penitùs resipuerint, vel sè licentia sedis Apostolicæ super hoc ostenderint communitos, excommunicationis in singulares personas, & in terras, & loca ipsorum, & quaslibet communitates, universitates, civitates, aut villas, interdicti sententias de Fratrum nostrorum consilio publicè promulgamus, contrà eos nihilominus spiritualiter, & temporaliter graviùs processuri, proùt inobedientia eorum exegerit, qualitas facti suaserit, & videbimus expedire. Et ut quibuslibet parendi talibus tollatur occasio, omnes, & singulos, qui hujusmodi vicariatus nomen usurpantibus juramento fidelitatis tenentur astricti, à juramento hujusmodi quantum ad hoc de potestatis plenitudine absolventes, auctoritate Apostolicâ firmiter inhibemus eisdem, ne talibus, ut vicariis, vel Officialibus imperii aliquatenùs pareant, vel intendant. Et insuper omnes pactiones, obligationes, & confœderationes, & colligationes à quibuscunque super hoc quomodolibet initas juramento, vel quacunque aliâ firmitate vallatas omninò dissolvimus, juribus vacuamus, irritamus, & quatenùs de pacto processerint revocamus, ac hujusmodi, & quælibet alia juramenta à quibuslibet super his præstita, per quæ posset in prædictis nostris, & Ecclesiæ prædictæ juribus derogari, præsertim cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, relaxamus. Ceterum ut hujusmodi processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, cartas, sivè membranas processum continentes eumdem in Ecclesiâ Avenionensi appendi, vel affigi ostiis, seù superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod omnes, & singuli, quos processus ipse contingit, & contingere potest, nullam posteà possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum, vel occultum, quod tam potenter omnibus publicatur. Actum Avenioni in domo Episcopali undecimo Kalendas Aprilis.

ANNO 1324.

XVIII. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 4. pag. 28.

De Colloquio inter Papam & Comitem de Murref Angli, & super titulo Regis in literis ad Robertum de Brus scribendis: anno 1324.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

NE celsitudo Regia de his, quæ nobilis Vir Comes Moraviæ, nuper ad sedem veniens Apostolicam, proposuit & petiit coram nobis, aliter, quàm veritas se habeat, informetur; ecce quod illa, nec nòn & ea, quæ nos sibi respondimus tibi seriosè duximus, ut sequitur, describenda. Primò, namque petiit dictus Comes quod, cum ipse votum de transfretando in Terræ Sanctæ subsidium emisisset, nec illud commode, sine sedis prædictæ licentia complere valeret. Sibi licentiam hujusmodi, nec non & indulgentiam, quæ per ipsam sedem dari consuevit in dictæ Terræ subsidium transfretantibus, pro quibus principaliter nostram adierat, ut asseruit præsentiam, concedere dignaremur. Ad quod sibi duximus respondendum, quod cum ex hujusmodi particulari peregrinatione negotium dictæ Terræ non speraremus probabiliter adjuvari, nec ad præsens saluti suæ peregrinationem prædictam censeremus proficere, cum tàm ipse, quàm alii partium Scotiæ Regnicolæ, suis demeritis exigentibus, pœnis & sententiis nostrorum Processuum irretiti à commune fidelium, & merito bonorum Operum se reddidissent indignos, non erat per nos petitioni suæ hujusmodi annuendum. Sed cum super concordia, inter te & Scotos eosdem, Actore Domino reformanda nedum utrique parti diffidentium, sed toti Christianitati perutili, & Terræ prædictæ negotium non modicum opportuna, ipsius Comitis præsentiam accommodam multipliciter speraremus, si prædictæ tractandæ concordiæ, pro parte Scotorum ipsorum labores efficaciter vellet assumere; nos postquam illos ad effectum debitum perduxisset, vel per ipsum, bona fide, circa dictam perficiendam concordiam, data opera efficaci, non staret, quo minus finis votivus ejusdem concordiæ sequeretur, reconciliato eo primitùs Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præstita satisfactione condigna petitioni suæ prædictæ exauditionis aditum præberemus. Eodem verò Comite postmodum subjungente, quod certi, solennes nuncii pro reconciliatione Scotorum ipsorum Ecclesiæ procuranda erant in proximo ad nostram præsentiam destinan-

di:

Anno 1324.

di: ac humiliter supplicante quod eis, in veniendo ad sedem prædictam, providere de securo conductu benigniùs dignaremur. Nos idem providimus super hoc respondendum, quod in Terris principum, & Baronum securum eis conductum, quantum ad præsens, concedere nolebamus, verumtamen nostras litteras Apostolicas requisitorias & monitorias super hoc, ad eosdem Principes, & Barones, ac alios, juxta formam solitam parati essemus concedere pro securo conductu dictis præstando nunciis, si pro dicta reconciliatione ad sedem venientes prædictam, transitum facerent per terras & districtus ipsorum. Præterea subsequenter, pro parte nobilis viri, Roberti de Brus Avunculi sui, nobis obtulit idem Comes, quod, cum crederetur, carissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Franciæ & Navarræ illustrem assumpturum negotium passagii transmarini; dictus Robertus paratus erat cum Rege transfretare prædicto, dictumve passagium assumere, si dictus Rex Franciæ ab assumptione dicti negotii duceret abstinendum, & illud prosequi personaliter, vel per Comitem antedictum. Cui sic noscimur respondisse, quod, quousque pacem tecum haberent, & forent reconciliati Ecclesiæ non erat decens nec expediens quod Nos ipsos admitteremus, cum Rege prædicto, vel aliter, ad prosecutionem negotii supra dicti. Verùm Comes prædictus, asserens se concordiam & reconciliationem hujusmodi desiderabiliter affectare, nobis obtulit se fideliter & solerter laboraturum pro illis, si nos ad earum tractatum dare velimus operam efficacem, circa quem valdè utile, quinimmo necessarium reputabat, quod in litteris exhortatoriis, per nos dicto Roberto super hoc dirigendis, sub Titulo Regio scriberemus: tenens indubiè, quod sic dictus Robertus concordiæ & reformationi prædictis promptè consentiret, aliàs autem probabiliter verebatur, quod si dicto suppresso titulo, scriberemus, ipse non admittat litteras nec tractatum, sed quod impediretur prædictum penitùs negotium, sicut extitit occasione hujusmodi, hactenus impeditum. Nos autem, qui pacem, & reconciliationem prædictas multipliciter, sicut præmisimus, profuturas intensis desideramus affectibus, attendentes, quod juri & honori tuo nihil decresceret, nec juri prædicti Roberti accresceret, sicut aliàs tibi scripsisse meminimus, Titulus memoratus scriptionis, quodque litteræ nostræ super prædictis destinandæ, sic ad ipsum Robertum possent liberè pervenire, quæ aliàs nequiverunt, sicut Regia non ignorat prudentia, ratione omissionis prædicti tituli, præsentari; propter quod tractatus dictæ concordiæ hactenus extitit dispendiosè nimium impeditus, Providentiam Regiam exhortamur, quatinùs, præmissis in scrutinio debitæ considerationis adductis, velit Regia circumspectio æquanimiter tolerare, quod nos scribamus eidem Roberto sub titulo Regiæ dignitatis. Quod autem memoratus Comes quævis alia, tibi, vel Regno tuo præjudicialia, proposuerit coram nobis, quamvis forsan Regiæ Providentiæ contrarium sicut accepimus, sit suggestum, fulcimento carere, non est dubium, veritatis. Nos enim illa non audivimus quomodolibet, negotiorum Regiorum Promotoribus non vocatis; sed nec ea etiam, dilectus filius nobilis Vir Henricus Dominus de Soliaco Buticularius Franciæ, honoris & commodi Regii Zelator fervidus, qui præsens extitit in omnibus suprà dictis, aliqualiter admisisset. Datum Avinion. Idus Januarii Pontificatus nostri anno octavo.

Anno 1327.

XIX. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 4. pag. 315.

Bulla contra Hæreticos qui dogmatizant, & prædicant suprematum esse in Cæsare & non in Papa: anno 1327.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Vigorniensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Certum processum, per quem non nullos pessimos errores & Hæreses, quos damnati Hæretici, Marsilius de Padua, & Johannes de Janduno, dogmatizare ac prædicare publicè, tàm in Bavaria, quàm aliis locis pluribus & diversis præsumpserant, nec non & ipsos Hæreticos reprobavimus, & sententialiter duximus condemnandos, pridem, de fratrum nostrorum consilio præsente multitudine copiosa fidelium habuimus; cujus tenor sequitur, in hunc modum. Johannes Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Licet juxta doctrinam Apostoli, ob id esse Hæreses necesse, ut fiant, qui probati sunt, aptius manifesti; quia tamen, juxta doctrinam ejusdem Apostoli, Hæreticorum primo, ut cancer serpere, id est à parvo ad majus, paulatim tendere consuevit, necesse est ut talibus eorumque perversis dogmatibus sic celeriter occurratur, quod tam perniciosus morbus neglectus inter initia, vires sumere nequeat, sed potius suo præfocetur in ortu. Sanè dudum ad nostram audientiam, relatione tam verbali, quàm litterali plurium sublimium ac fidelium personarum, nec non fama publica notoriante, perducta, quod duo viri nequam, perditionis Filii, & maledictionis alumni quorum unus Marsilium de Padua, & alter Johannem de Janduno, se faciunt nominari, quendam librum composuerunt, multa falsa, erronea, & Hæretica continentem. Quodque ipsos errores & Hæreses in Ducatu & terris Bavariæ, Ludovico de Bavaria excommunicato Dei, & Ecclesiæ, Fideique Catholicæ persecutore manifesto, & hoste crudeli, suisque horrendis excessibus & gravibus culpis exigentibus jure, si quod ei ex electione discordi, quæ de ipso celebrata dicebatur ad Regnum Romanum, vel Imperium competebat, justo privato judicio, eisdem, Marsilio, & Johanni, favente super his, ac etiam adhærente, dogmatizare publicè præsumebant. Quibus licet nonnulli Viri

Catho-

Catholici, se pro defensione fidei opponentes, ostendissent apertè quod illa doctrina erat erronea & hæretica, velut contraria Evangelicæ & Apostolicæ veritati, & ut à tali doctrina desisterent suasissent eisdem, ipsique eorum nollent acquiescere monitis, sed in publicandis suis erroribus perdurarent. Tandem tam præfati quàm plures Prælati, nec non alii Viri Catholici, tam pernitiosas hæreses inter catholicos dogmatizare publicè indecens, & periculosum nimium reputantes, nobis certos Articulos excerptos de libro prædicto curaverint nonnulli mittere, ac per se ipsos aliqui præsentare, supplicantes attentiùs, ut super præmissis curaremus sanctæ Dei Ecclesiæ, de opportuno remedio providere, de quibus articulis subscriptos duximus præsentibus annotandos. Et licet tam cum fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quàm cum multis Archiepiscopis & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatis, nec non, & cum pluribus sacræ Theologiæ Magistris, ac utriusque Juris Professoribus, deliberationem super ipsis Articulis præhabuerimus diligentem. Ex quorum deliberatione apertè convincitur, quod errores articulorum ipsorum sunt adeo manifesti, quod quicquid ad eorum manifestationem addicitur, frustra addici videatur, & quasi sol facibus adjuvari. Ut tamen minùs periti promtiùs illos percipere valeant & vitare, quædam ad ipsos declarandos errores, perfunctoriè satis, de Fratrum eorumdem consilio, præsentibus duximus inferenda. In primis itaque isti Viri reprobi dogmatizare præsumunt, quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumtum ex ore piscis, illis qui petebant Didragma, jussit dari, hoc fecit non condescensivè & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus; quod utique Doctrinæ contradicit Evangelicæ nostrique sententiæ Salvatoris. Cum enim, sicut in eodem Evangelio legitur, Christus interrogasset Petrum, à quibus Reges terræ accipiunt tributum, vel censum; A filiis suis, an ab alienis, & Petus respondisset quod ab alienis; ex hoc concludens Christus filios Regum esse liberos, dixit ergo liberi sunt filii. Constat autem Christum secundum carnem, fuisse David filium, juxta Testimonium Angeli, sic dicentis, dabit ei Dominus sedem David Patris ejus, & per consequens quod ipse à solutione tributi vel census prorsùs erat immunis. Hoc etiam ex hoc patet quod statim subjunxit, ut non scandalizemus eos, vade & da staterem pro me & pro te eis; ubi evidenter patet quod non, ut astrictus, sed ut evitaret scandalum, staterem tributi exactoribus jussit solvi. Et prædicto autem dicto suo nituntur concludere præfati Viri reprobi, quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt Imperatori, & ea potest accipere, velut sua; videntur enim supponere quod ex hoc, quod Christus tributum solvit ex debito, res temporales ejus Imperatori subessent, & per consequens, quod res Ecclesiæ temporales sint Imperatori subjectæ, & eas possit recipere velut suas. Quæ quidem conclusio nullatenus ex præmissis sequitur, nec sequi potest, etiam apparet; Cùm enim liqueat ex prædictis Christum fuisse à solutione tributi vel census liberum & immunem, & staterem non solvisse ex debito, sed ut aliorum scandalum evitaret, nullo modo potest concludi quod res Christi, quales sunt Res Ecclesiæ subsint Imperatori. Præterea etiam, si Christus staterem solvisset ex debito, impertinenter concluderetur ex eo quod res Christi, quales sunt res Ecclesiæ, subessent Imperatori, cum Christus non pro rebus, sed pro persona, staterem solverit ante dictum, quod patet ex eo, quod illum jussit solvi pro se & Petro modo prædicto, non pro rebus suis & bonis; unde non sequitur quod ex eo, quod Persona est tributaria, tributaria sint & bona, immo qui pro persona tributum tenetur solvere habere bona libera & æqua. Et quia hæc patent falsa esse per Jura Imperialia manifestè, supersedimus super hoc pleniùs allegare. Secundò, isti filii Belial dogmatizare præsumunt, quòd beatus Petrus Apostolus non plus auctoritatis habuit, quàm alii Apostoli habuerunt nec aliorum Apostolorum fuit caput. Item quòd Christus nullum caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem Vicarium suum fecit, quod est totum contrarium Evangelicæ & Apostolicæ veritati. Quod enim Christus Vicarium suum beatum Petrum constituerit patet; constat enim quod Christus Officium Pastoris gessit in terris, hinc est quod, in Jo. se vocat Pastorem, dicens ego sum Pastor bonus; liquet etiam quod curam gregis sui ante Ascensionem beato Petro generalem commisit quando sibi illud Johannis dixit, Simon Johannis pasce oves meas, pasce agnos meos; unde cum Pastor gregis Dominici, scilicet Christus, curam ejusdem gregis beato Petro commisit; quin eum, quoad curam gregis suum Vicarium fecerit, nullus debet in dubium revocare. Hoc ille Imperator Christianissimus scilicet Constantinus, testatus est, dicens, beatus Petrus videtur in terris Vicarius Dei filii constitutus; Ex hoc etenim secuturum evidenter, quod Petrus caput universalis Ecclesiæ potest dici, juxta morem illum sacræ Scripturæ, quo Rector alicujus multitudinis dicitur esse caput; unde legitur in Joele, congregabuntur filii Judæ & filii Israel, & ponent sibi caput unum, id est Rectorem. Constat autem quod Beatum Petrum, eo ipso, quod Christus sibi commisit curam gregis Dominici, ipsum ejusdem gregis videtur constituisse Rectorem, & per consequens caput. Fatemur tamen cum Apostolo, quod Christus Ecclesiæ est verum caput & Principale, sub quo tamen Petrus caput dicitur, secundum modum prædictum, secundum quem modum, sub Christo capite & Petro multa capita particularia possunt dici, sicut Patriarcha fidelium Patriarchatus sui, & Archiepiscopus Archiepiscopatus, & Episcopus Episcopatus sui; sic videmus, quod licet Christus sit Ecclesiæ principale, & primum fundamentum, juxta illud Apostoli, fundamentum autem nemo potest ponere præter illud, quod positum est, quod est Christus Jesus: & alibi, loquens gentilibus conversis, dixit vos estis cives sanctorum, & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo lapide angulari Christo Jesu, id est, quod fundamentum est Christus Jesus; tamen etiam Apostoli dicuntur fundamentum, juxta illud Psalmistæ, fundamenta ejus (i. e. Ecclesiæ) in montibus sanctis. Et secundum hunc modum, Christus videtur Petrum prædixisse futurum Ecclesiæ fundamentum, cum dixit

tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Unde sicut Christus dicitur sanctus sanctorum, Rex Regum, Dominus dominantium; sic, similitudinariè, Pastor Pastorum, & caput capitum, & fundamentum fundamentorum Ecclesiæ potest dici. Sic igitur ex prædictis patet, quod Petrus secundum prædictum modum, caput est Ecclesiæ & vocatur. Et hoc videtur Christus, in impositione nominis, designasse, dixit enim sibi, sicut legitur in Jo. tu vocaberis Cephas: Cephas autem græcè interpetratur caput latinè; unde Constantinus Imperator, de Romana Ecclesia loquens, dicit, quod Principatus Sacerdotum & Christianæ Religionis Caput, ab Imperatore cœlesti constitutus est Romæ. Justinianus quoque, in quadam Epistola, Johanni Papæ missa, testatur hæc dicens, non patimur quicquam quod ad Ecclesiam pertineat, quamvis manifestum & indubitatum sit, quod innovetur, ut non hoc S. V. quæ caput est Ecclesiarum omnium, innotescat, etiam alibi sic dicit, summi Pontificatus apicem apud Romanam Ecclesiam esse ipsamque fore sacerdotii fontem, nemo est qui dubitet, id est qui debet dubitare. Ludovicus autem Imperator beatum Petrum Apostolorum Principem vocat. Quod autem beatus Petrus plus, quàm alii Apostoli habuit auctoritatis, ex prædictis etiam concluditur evidenter. Certum est enim quod major est auctoritas Pastoris, quàm gregis: Petrus autem totius gregis dominici generalis constitutus est pastor, ut probatum est superius, quod de nullo alio Apostolo potest dici. Præterea constat, quod major est non limitata auctoritas limitatâ: omnes autem alii Apostoli receperunt limitatam potestatem; sive supra verum corpus Christi conficiendum, sumendum, & aliis ministrandum, quæ quidem Auctoritas, seu Potestas, fuit in cœna Domini omnibus Apostolis attributa, & etiam illa, quam post resurrectionem Dominus supra corpus mysticum dedit illis, dicens, quorum remiseritis peccata remissa sunt, & quorum retinueritis retenta sunt; sive in Ascensione, quando dixit eis, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris. Petro autem, sine limitatione aliqua commisit curam Dominici gregis, cùm sibi dixit, pasce oves meas, pasce agnos meos, item sibi soli, ita quod nulli aliter singulariter dixit, tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram erit solutum in Cœlis. Hæc autem in sancto Lucæ Evangelio, Jesus videtur satis congrue disignasse, ubi loquens Petro & aliis, dixit; Duc in altum, & relaxate retia in capturam; soli enim Petro dixit, & non ulli alii, duc in altum, significans quod ad ipsum solum pertineret in altum i. e. in profundum disputationum fidei dubia diffinire: sibi autem & aliis, quod sequitur, dixit, laxate retia in capturam, quia omnes Apostolos constituit hujusmodi piscatores, juxta illud, quod in sancto Evangelio Marci dixisse legitur Christus, venite post me, & faciam vos hominum piscatores. Hoc quoque, scilicet, quod Petrus plus cæteris Apostolis receperit auctoritatis, apparet ex multis, quæ Jesus sibi, & de ipso, illis dixit, nec non & ex multis, quæ ipsum, post Ascensionem Domini, dixisse, & fecisse, scriptura sacra testatur. Ex prædictis itaque patet quod Petrus à Christo fuit Vicarius constitutus, quando sibi totius gregis Dominici curam commisit, & per consequens Rector & caput ipsius gregis institutus est, & vocatus, ex quibus sequitur, quod sibi à Christo amplior, quàm aliis Apostolis, attributa fuit auctoritas, & potestas; hinc est, quod Clemens, ejusdem Petri successor & discipulus, dixit, nec inter ipsos Apostolos par fuit institutio, sed omnibus præfuit unus, scilicet Petrus. Tertiò, isti filii Belial, asserere non verentur; quod ad Imperatorem spectat Papam instituere, & destituere, ac punire, quæ utique omni Juri obviant & repugnant. De primò quidem post Christum, novi Testamenti summo Pontifice, scilicet, Petro patet, quod non ab Imperatore temporali, seù terreno, constitutus Papa fuerit, sed à Christo, dicente sibi soli illud Johannis, pasce oves meas, pasce agnos meos, per quæ verba ipsum suum Vicarium generalem constituit, ut patet ex prædictis. Adhuc de illis summis Pontificibus qui fuerunt ante Constantinum magnum Imperatorem, quod ipsorum institutio ad Imperatores non pertinuerit, satis liquet volenti acquiescere veritati; cùm enim ferè omnes Imperatores illius temporis fuerint idololatræ ac fidei Catholicæ, & Orthodoxorum Pontificum, persecutores atrocissimi, adeò quod omnes fere à beato Petro inclusivè usque ad bonum Sylvestrum, effecerunt martyres, quod ad eos papæ institutio potuerit pertinere nullo modo utique credi debet, nec de ipso Constantino, usque ad suam conversionem ad fidem Catholicam, quod ad eum Papæ institutio pertinuerit dici potest, nec per conversionem ad fidem hoc assequi potuit, cum per eam Papæ Filius & Discipulus effectus fuerit & subjectus. Præterea cum Imperator ipse post susceptum Baptismum, inconveniens reputaverit, & injustum, quod ubi principatus sacerdotum & Christianæ Religionis caput, ab Imperatore cœlesti institutum fuerat, videlicet, Romæ, illic Imperator terrenus potestatem haberet; Ideoque sedem Imperialem Sylvestro Papæ cesserit, & ad partes Orientales Imperii & Regni transtulerit potestatem; multo fortius injustum & inconveniens est censendum quod ad ipsum Imperatorem Papæ potuerit institutio pertinere; & idem patet dicendum esse de græcis Imperatoribus qui sibi in Imperio successerunt. Quod autem ad Imperatores Latinos non pertinuerit, nec pertineat institutio, supradicta patet. Imperium enim per Papam à Græcis translatum est in Latinos; nec plus juris in ipsos, quàm apud Græcos existeret, Papam, ipsum transferentem, legimus transtulisse: Græcis autem Imperatoribus, ut ex prædictis patet, talis non pertinebat institutio; quare nec pertinere poterit ad Latinos. Et si dicatur quod Papæ institutio ad Latinos Imperatores pertinet ex concessione, postea ipsis facta per summum Pontificem vel summos Pontifices, est dicendum, quod nulla concessio facta per Papam aliquem Imperatori, seu Imperatoribus, debet intelligi quod ipsi Imperatores Papam possent instituere seu cli-

eligere, sed quod possent electioni summi Pontificis interesse: & quod sic concessiones illæ intelligi debeant, satis ex eo quod in quodam Capitulo legitur, ubi sic dicitur, patet verum, quia Imperatores, quandoque, modum suum ignorantes non in numero consequentium, sed potius distribuentium, immo exterminantium esse voluerunt. Item, Querimonia Nunciorum Ludovici Imperatoris, quibus in Urbe præsentibus, electio de Papa Adriano secundo, ipsis non vocatis, extitit celebrata, hoc similiter probat: conquerebantur enim, dicentes, quòd, cùm præsentes essent, non fuerant invitati, nec optatæ meruerunt electioni futuri præsulis interesse. Adhuc, quia nonnulli Imperatores illo Privilegio abusi fuerant, & frequenter, in Hæreticorum prolapsi perfidiam, Catholicæ matris Ecclesiæ unitatem fuerunt impugnare conati, statuta Sanctorum Patrum contra eos, Sanctæ ut se electioni Papæ non ingererent, prodierunt, ac ut anathematis innodarent vinculo, quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret: nonnulli quoque Imperatores, ducti Religiosæ mentis affectu, ex abundanti, supra dicto renunciaverunt Privilegio, ut patet ex tenore Canonum super hoc conditorum, per quos, & non alios, probatur concessio ante dicta. Præterea, legant homines isti pestiferi Historias approbatas, quis unquam Papa Catholicus ab Imperatore institutus fuerit; profecto credimus quod nullum poterunt reperire: nec dubium, si ad eos talis pertinuisset Institutio, quin potestate fuissent nisi hujusmodi & quum in Historiis de institutione tali mentio haberetur. Dicere autem quòd Papæ institutio, seu punitio, ad Imperatorem pertineat, est erroneum & insanum, quomodo enim ad Imperatorem pertinebat Papæ destitutio; cum ejus Institutio ad eum non pertineat, ut ex prædictis patet; inde enim etiam, secundum jura Imperialia, privatio debet procedere, unde datio noscitur processisse. Præterea, quomodo Imperator Principem Clericorum destituere poterit, vel punire; cum etiam secundum Imperiales Leges, id in simplici Clerico nequeat exercere. Audiant isti homines perfidi quid circa hoc nonnulli Principes Catholici senserint, & quid duxerint sanciendum; Theodosius quidem & Arcadius, Imperatores Catholici, expressè sanxerunt quod nullus Episcoporum, sive eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad Ordinariorum, sive Extraordinariorum, judicium pertrahantur; habent enim illi Judices suos, nec quicquam eis cum legibus est commune. Item, Imperator Constantinus, cum querelam Clericorum quorundam coram se deferendam, conspiceret, dixit vos à nemine Laicorum judicari potestis, qui Dei solius estis judicio reservati; & si dicatur si solius Dei judicio reservantur, ergo nec à judicibus Ecclesiasticis poterunt judicari, dicendum quod immo ipsi quidem Pontifices Vicarii licet differenter, sint Christi: quia Papa universalis, velut vocati in potestatis plenitudinem; illi verò particulares, velut illi qui in partem sollicitudinis sunt vocati; undè à Deo videntur judicari, quia ab eo judicantur, potius quàm ab ipsis, cum ille hujus auctoritate sic facere videatur; & propter hoc Imperator prædictus signanter dixit, à nemine laicorum. Item Theodosius Imperator, cum Romæ Concilium convocasset, ut Sanctum Concilium judicaret de his, quæ Papæ Symmacho ab adversariis dicebantur impingi, certi Episcopi, qui convenerant Imperatori dixerunt quod ad illum qui impetebatur, scilicet Papam, pertinebat Concilium convocare, quia ejus sedi primum Petri Apostoli meritum, deinde secuta jussione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem; nec ante minoris subjacuisse judicio Antistitem dictæ sedis: quo audito Imperator prædictus Deo inspirante, respondit, Synodalis esse arbitrii in tanto negotio sequenda præscribere, ac ad se nihil; præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis asseruit pertinere; Episcopis etenim Principes Christianos solitum est capita subdere, non de eorum capitibus judicare. Hinc est, quod Innocentius Papa Arcadium Imperatorem excommunicavit, quia consensit ut à sua sede Sanctus Johannes Chrysostomus pelleretur; plures quoque summos Pontifices legimus, Imperatores pro suis excessibus, Imperiali dignitate privasse. Beatus quoque Ambrosius, licet Ecclesiæ universalis non esset Pontifex, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans, eidem ingressum Ecclesiæ interdixit: Ad hujusmodi autem erroris sui fulcimentum, scilicet, quod ad Imperatorem pertineat Papam destituere, & punire illud, quod in Sanctis Evangeliis legitur, de Pilato, scilicet, quod Christum crucifixerit, præsumunt inducere, asserentes ipsum Pilatum tanquam Christi Ordinarium crucifixisse ipsum, tanquam sibi subjectum. Quod habet duplicem intellectum; aut enim intelligunt Pilatum Christum crucifixisse de jure, aut de facto. Si de jure hoc obviat veritati: de jure enim de crimine quis puniri non potest, nisi qui deliquerit verè, vel interpretativè vel qui convictus fuerit deliquisse; Christus autem secundum veritatem non deliquit, quia innocens fuit manibus, & mundo corde, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; & hoc ipse Pilatus fuit expressè testatus: cum enim ipsum Judæis tradidit crucifigendum, dixit, mundus sum à sanguine justi hujusmodi; Item non fuit deliquisse convictus, quod idem pluries testatus: cum enim Judæi instarent quod crucifigeret eum, in uno loco dixit, quid enim mali fecit, quasi dicat, nihil invenio eum fecisse mali: & alibi, pluries eisdem Judæis instantibus quod crucifigeret illum, dixit, Ego nullam in eo invenio causam mortis; quare ipsum de jure non potuit punire. Si autem intelligunt quod de facto, & injustè punivit eum innocentem, sicut & veritas se habet, tunc ex hoc non possunt concludere aliud, nisi quod Imperator Papam de facto potest interficere & injustè, quod utique non solum de Imperatore concedimus, sed etiam de privato, sicut & plures Imperatores à privatis personis, & Summos Pontifices à non suis Judicibus, sicut omnes martyres legimus interemptos. Quartò, dicunt isti vaniloqui, immo falsiloqui, quod omnes sacerdotes, sive sit Papa, sive Archiepiscopus, sive sacerdos simplex, sunt, ex institutione Christi, auctoritatis & jurisdictionis æqualis: quod autem unus plus alio habeat, hoc est secundum quod Imperator concedit uni vel aliis plus & minus: & sicut concessit alicui, sic potest illud etiam revocare, quæ utique doctrinæ sacræ ob-

viant,

viant, & Hæreticam sapiunt pravitatem. Quod enim Sacerdotum, simplicium, & non simplicium, ex ipsa institutione Christi, non existat æqualis potestas, patet tàm in his qui fuerunt in Testamento veteri, quàm in his qui fuerunt in novo. In veteri siquidem Testamento per Moysen ex præcepto Domini, Aaron in summum Pontificem, filii verò ejus uncti fuerunt in simplices sacerdotes; quorum potestas, ut patet, inæqualis extitit, quia ex simplicibus sacerdotibus, velut ad superioris auctoritatis & potestatis honorem, ad Pontificium sunt assumpti: tumque licebant quædam Pontifici, utpote in sancta Sanctorum ingredi, quæ non licebant simplici sacerdoti. In novo verò Testamento Pontificum & simplicium sacerdotum ab ipso Christo, ex eo assumpsisse videtur exordium, quod duodecim Apostolos quorum typum gerunt Pontifices ac LXXII. Discipulos instituit, quorum typum gerunt simplices sacerdotes. Constat autem ex multis, quæ de ipsis in sanctis leguntur Evangeliis, quod Apostolorum & discipulorum auctoritas dispar fuit. Adhuc, quod potestas aliorum quorumcumque sacerdotum potestati Papæ par non sit, nec æqualis patet evidentiùs ex prædictis. Quod aliorum Episcoporum scilicet, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, par potestas non sit nec fuerit, patet; inferior siquidem potestas superiori non est par potestati. Constat autem Patriarchas esse superiores respectu Archiepiscoporum, & Archiepiscopos respectu Episcoporum, & Episcopos respectu simplicium sacerdotum. Et si dicant isti homines reprobi quod istorum Episcoporum distinctio ab Imperatore processit, non à Christo, dicimus quod immò processit ab ipso. Ille enim, cujus auctoritate fit aliquid, illud fecisse videtur: Beatus autem Petrus, Christi Vicarius, & gregis Dominici caput, attendens quod, aucto grege sine ipsius augmentatione custodiæ, gregi non poterat salubriter provideri, auctum gregem, post ascensionem Domini, considerans, & aucturum amplius providens in futurum, gradus prædictarum potestatum instituit & distinxit. Quare, cum auctoritate Christi prædicta distinctio facta fuerit, Christo debet ascribi. Hanc autem potestatem daturam Ecclesiæ potestas diu ante prædixerat dicens, pro patribus nati sunt tibi Filii, constitues eos Principes super omnes Terras; ubi Patres Ecclesiæ vocat Apostolos, & filios Ecclesiæ fideles per Apostolos ipsos conversos; ubi satis apertè Ecclesiæ IJ. C. ejus pastori, attributa potestas, intelligitur, instituendi diversos gradus Principum, cùm expedire perciperet Ecclesiæ Sanctæ Dei. Audiant insuper isti perversi homines quid Justinianus Imperator Catholicus super hoc dixit; Cùm enim circa gradus prædictos Episcoporum, eorumque superioritatem, & subjectionem constituisset aliqua, subjunxit, dicens, Nos hæc secundum sacrarum regularum explanationem Apostolicamque Traditionem constituimus: ex quibus colligitur evidenter, non ab Imperatore distinctionem & auctoritatem Pontificum, originaliter & principaliter, sed ab auctoritate Apostolica processisse; Imperatoremque, ut illa servarentur melius, juxta statuta Apostolica, eadem statuisse. Considerent etiam quæ, & quanta ex his, si vera essent, inconvenientia sequerentur; sequeretur utique, quod usque ad tempus Constantini nulla potestas esse potuerit in Ecclesia Sancta Dei, cum illo tempore Imperatores fere omnes Gentiles fuerunt, Persecutores Ecclesiæ, ac Prælatorum ejusdem; de quibus dici non potest, quod Prælatis Ecclesiæ potestatem concesserint aliquam, ut ex prædictis patet. Ex prædictis insuper sequeretur, quod Universalis Ecclesia, quæ Spiritu Sancto regitur, erret, & erraverit, ipsos honorando pro Sanctis: quod est utique contra illud, quod Christus discipulis, in ascensione sua ut in Sancto Evangelio Matthæi legitur, promisit, dicens, Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi; Secundum enim istos Diaboli filios, pro illo tempore, vera Christi promissio non fuisset nec aliquis illorum Pontificum, qui à paganis fuerunt eo tempore interfecti, sancti fuerunt nec pro sanctis honorari deberent: hoc quoque est expressa contra illum articulum, unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quia secundum eos, nec sancta fuit, pro illo tempore, nec potuit dici sancta. Utrum autem in omnibus Apostolicis, ac in simplicibus, & non simplicibus sacerdotibus fuerit ordinis protestas æqualis, dicimus quod, quantum ad Ordinis dignitatem, pares sunt, & fuerunt: æque enim sacerdos quilibet sacerdotalem characterem recepit, rite & secundum formam Ecclesiæ, ordinatus. Potestas autem ipsius Ordinis par quoad Sacramentum altaris, omnino non existit, nec extitit, simplicis, & non simplicis sacerdotis, quod patet, quia potestas ligabilis & suspensibilis illi, quæ ligari vel suspendi nequit, nequaquam par potest dici. Constat autem quod Papa ligare potuit aliorum sacerdotum & suspendere potestatem, sic quod licitè ut dicta potestate non poterunt, licet effectus subsequatur, si usi fuerunt, & ipsi sunt ex hoc merito puniendi; nullus autem aliorum sacerdotum potestatem Papæ ligare vel suspendere potest, quod etiam de aliis superioribus & inferioribus patet; ex quo sequitur evidenter, quod potestas esset Ordinis, superiorum & inferiorum sacerdotum, omnino par judicari non potest. Concedimus tamen quod, si sine probatione aliqua, minores usi fuerint hujusmodi Ordinis potestate, puta hostiam consecrando, par sequitur effectus; æquè enim, prolatis verbis illis, Hoc est corpus meum, à simplici Sacerdote fit Transubstantiatio panis in Corpus Christi, sicut si ea superior protulisset; quod ex eo contingere noscitur, quia unus & idem est sacerdos interior, videlicet Christus, qui prolatis verbis prædictis à sacerdote quolibet, animo consecrandi, Transubstantiationem hujusmodi facit; & ideo non est mirum si pars effectus sequi debeat verbis prædictis à quocumque sacerdote prolatis, cum unus & idem actor hujusmodi esse noscatur effectus. Adhuc isti blasfemi dicunt, quod tota Ecclesia, simul juncta, nullum hominem punire possit punitione coactiva nisi concedat hoc Imperator: quod utique Doctrinæ Evangelicæ noscitur obviare. Constat enim quod à Christo, Petro, &

Anno 1327.

in persona Petri, Ecclesiæ potestas coactiva concessa, vel saltem promissa extitit, quæ quidem promissio fuit posteà adimpleta cum sibi Christus dixit, Quodcumque ligaveris super terram; ligantur enim non solum voluntarii, sed inviti. Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthæo, quod si aliquis damnum alii indebitè dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem, à Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per Excommunicationis sententiam compellere potest; quæ quidem potestas est utique coactiva. Circa quod est advertendum, quod cum Excommunicatio major nedum excommunicatum à perceptione Sacramentorum removeat, sed etiam à communione fidelium ipsum Excommunicatum excludit, quod corporalis etiam à Christo coactio Ecclesiæ est permissa, cum etiam, secundum Imperiales leges, gravius reputetur inter homines conversari ipsorumque privari suffragio, quàm ab hominibus separari; ex quo sequitur potestatem coactivam, non ab Imperatore terreno, sed ab ipso Christo, fuisse originaliter Ecclesiam consecutam. Præterea beatus Petrus post Ascensionem Domini, in personam Ananiæ, & Safiræ, uxoris suæ, sine Imperiali concessione, in quos, quia de pretio agri Deo oblati, fraudaverunt, mortis sententiam promulgavit; quæ quidem sententia non processit de ipsorum conjugum voluntate. Item, Beatus Paulus, Elimam, Magum, Sergium Paulum à Fide quærentem avertere, ad tempus luce corporali privavit; illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit Sathanæ, ut ejus spiritus salvus esset. Item, Corinthiis scribens, dixit idem Apostolus, Quid vultis, in virga ad vos veniam? an in caritate & in spiritu mansuetudinis? in quo satis expressè coactivam potestatem suppofuit se habere. Item scribens eisdem, alibi dixit arma militiæ nostræ non sunt carnalia sed potentia Deo, i. e. à Deo concessa ad destructionem munitionum, Consilia, destruentes & omnem altitudinem excellentem se adversus sententiam Dei, & sequitur, in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. Ex quibus patet Paulum non ab Imperatore, sed à Deo habuisse potestatem etiam coactivam, cujus contrarium blasfemi præsumunt dicere supra dicti. Rursus advertant isti nequam homines, quo modo audent dicere supra dicti, quod ab Imperatore terreno Ecclesiarum Prælati coactivam, vel aliam receperint, originaliter, potestatem; cum, ut suprà dictum est, Imperatores usque ad Constantinum Magnum, fere omnes, pagani fuerant, & Idololatræ, & persecutores, immo exterminatores, quantum fuit in eis, Ecclesiæ Sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam, vel aliam potestatem concederent, utique nullus sapiens hoc credere debet. Et quia, ne tantorum auctores & Doctores errorum plures in ipsorum errorem pertraherent devium, ipsique, propter impunitatis audaciam, nequaquam fierent nequitiores, licet Nos, cum eorum excessus adeo forent notorii, quod nulla poterant tergiversatione celari, tunc possemus procedere ad sententiam contra eos, de benignitate tamen Apostolica, quæ conversionem desiderat perversorum, Nos ipsos, Marsilium, & Johannem, & quemlibet ipsorum, de Fratrum eorumdem consilio V. Id. Aprilis proximò præteriti, die videlicet Dominicæ cœnæ, per Edictum citavimus publicum, præsente fidelium multitudine copiosa, ut infra quatuor mensium, tunc proximo subsequentium spatium, quos eis, & eorum cuilibet de eorum Fratrum consilio, pro peremptorio termino præfiximus & assignavimus, Apostolico conspectui se personaliter præsentarent, super prædictis excessibus, & delictis, ut præfertur, notoriis, justam, dante Domino, sententiam audituri, ac responsuri, & facturi quod Justitia suaderet eisdem. Apertius prædicentes, quod sive infra prædictum terminum, coram nobis, sive non, comparerent, nos ad prædicta, absque monitione & citatione, procederemus aliàs prout videremus expediens, eorum absentia non obstante. Volentes tunc nihilominus, & etiam dicentes, citationem prædictam, etiamsi termini prædicti præfixio in tempore forsitan caderet feriato, perindè valere, suumque effectum sortiri debere, ac si tempus feriatum non existeret, quacumque Constitutione, super hoc in contrarium edita, non obstante. Et ut ad ipsorum & aliorum, quos tangebant notitiam communem deducerentur, prædictas cartas sive membranas, Processum continentes eundem in Majoris Ecclesiæ Avinionen. appendi vel affigi ostiis fecimus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicarent, ut ipsi & alii, quos processus ipse tangebat, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non pervenisset vel quod ignorassent eundem, cum non esset verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod publicabatur omnibus tàm patenter. Voluimus etiam auctoritate Apostolica decernentes, quod idem Processus per dictos citatos apprehenderetur & arctaret, quia ad eos, moram trahentes cum dicto Ludovico, tutus non patebat accessus, ac si eis insinuatus personaliter & publicatus solemniter extitisset. Constitutione quacumque per Romanos Pontifices, prædecessores nostros in contrarium edita, non obstante. Cum autem præfati, Marsilius & Johannes, citati, ut prædicitur in proximo præfixo sibi termino comparere non curaverint, nec aliquis pro eisdem, nos ipsos, & eorum quemlibet, de Fratrum prædictorum consilio reputavimus & decrevimus meritò contumaces. Et licet tunc, eorum contumacia exigente potuissem, cum eorum essent excessus, ut præfertur, adeò notorii, quod non poterant aliqua tergiversatione celari ad sententiam & alia rationabiliter contra ipsos procedere, & quemlibet eorum; de benignitate tamen Apostolica, quæ coversionem peccatorum desiderat, ipsos decrevimus usque ad nostrum

Anno 1327.

beneplacitum expectandos; quo circa contra ipsos procedere, usque ad diem præsentem, de eorumdem Fratrum Consilio, duximus differendum. Sanè considerantes attentè, quod præmissi, Marsilius & Johannes, ad redeundum ad sinum Ecclesiæ se non præpararunt, sed potiùs ut in sui erroris devium alios pertrahant elaborant. Nec non ad memoriam reducentes, quod dudum, cum hostis humani generis, ad impugnandum sinceritatem fidei, hæreticorum fallaciam subinduceret fraudulentam, sancti Patres, prædecessores nostri, contra ipsos viriliter insurgentes, eorum prava Dogmata cum suis Auctoribus, condemnarunt, sicut patet de Arrio & Manichæo, Nestorio & Diaschoro ejusque complicibus, & pluribus aliis, quos, cum suis hæresibus, justissima sententia condemnarunt; ac volentes eorumdem Patrum vestigiis inhærere: Et insuper attendentes probabiliter formidari, quod in præmissis mora periculum, & damnum dissimulatio, forent procul dubio allatura non intendentes eos ulteriùs expectare, sed reputantes, ac decernentes potius contumaces, ad laudem & gloriam sanctæ & Individuæ Trinitatis, consolationemque Fidelium & Fidei Catholicæ firmamentum, de Fratrum nostrorum consilio Dei nomine invocato, Articulos prædictos, videlicet. Quod illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem, sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didragma, jussit dari, hoc fecit non condescensive & liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. Item, quod beatus Petrus Apostolus non fuit plus caput Ecclesiæ, quàm quilibet aliorum Apostolorum, nec habuit plus auctoritatis, quàm habuerunt alii Apostoli, & quod Christus nullum Caput dimisit Ecclesiæ, nec aliquem fecit Vicarium suum. Rursus, quod omnes sacerdotes, sivè sit Papa, sivè Archiepiscopus, sive Sacerdos simplex quicumque, sunt æqualis auctoritatis, & Jurisdictionis, ex Institutione Christi, sed quod unus habeat plus alio, hoc est, secundum, quod Imperator concessit plus, vel minus, & sicut concessit revocare potest. Ultimo quod Papa, vel tota Ecclesia simul sumpta, nullum hominem quantumcumque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi Imperator daret eis auctoritatem; Velut Sacræ Scripturæ contrarios, & fidei Catholicæ inimicos Hæreticos seù Hæreticales & erroneos. Nec non & prædictos, Marsilium & Johannem hæreticos, immo hæresiarchas, fore manifestos & notorios sententialiter declaramus. Articulosque ac librum prædictos nec non, & quamcumque aliam scripturam, continentem eosdem, prædictos quoque Marsilium & Johannem, ut Hæreticos manifestos & notorios, immo ut Hæresiarchas potius reprobamus, & sententialiter condemnamus. Si quis autem Doctrinam prædictam defendere vel approbare præsumpserit cujuscumque sit dignitatis, Ordinis, conditionis, aut status, tanquam Hæreticus, ab omnibus confutetur. Præterea universis & singulis Christi fidelibus districtiùs inhibemus, ne prædictos Marsilium & Johannem, Hæreticos, & de Hæresi, ut præmittitur sententialiter condemnatos, aut eorum alterum, receptare, defendere, fovere, aut eis quomodolibet adhærere, seu præstare, per se, vel per alium, seu alios, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, auxilium, consilium, vel favorem præsumant; sed eos evitet, potiùs, ut Hæreticos manifestos, ipsosque, quos fidelibus capiendos exponimus Zelo persequantur Fidei & capiant ubicunque ipsos reperire poterunt, ac Ecclesiæ captos assignent, & restituant animadversione debita puniendos. Nos adversus quoscumque dictorum Hæreticorum Receptatores, Defensores, Fautores, Credentes, Adhærentes, aut eis præstantes quomodolibet auxilium, consilium, vel favorem, processuros, prout rationis fuerit, & expedire videbimus, apertius prædicentes. Ut autem sententia & processus hujusmodi ad eorumdem Marsilii & Johannis, & aliorum omnium quorum interest, communem notitiam deducantur, cartas seu membranas, sententiam & processum continentes eosdem, in Majoris Ecclesiæ Avinionen. appendi & affigi Hostiis, seu super liminibus, faciemus, quæ ipsos processum & sententiam, suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod ipsi & alii, quos contingere dignoscuntur, nullam possent excusationem prætendere, quod ad eos non pervenerint, vel quod ignorarint eosdem, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Avinion. X. Calendas Novembris Pontificatus nostri Anno XII. Volentes itaque processum ipsum in eis partibus, ut notitiæ fidelium innotescat clarius, solemniter publicari, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatinùs per te vel alium, seu alios Religiosos & Seculares, exemptos & non exemptos, de quibus tibi videbitur, dictum processum, & contenta in eo, in tuis Civitate, & Diocese, solemniter publicans, etiam ut intelligantur meliùs ab omnibus, in vulgate singulis diebus, Dominicis, & Festivis in Ecclesiis tuarum Civitatis & Diocesis, & alibi, ubi videritis expedire, prædictos, Marsilium & Johannem Excommunicatos & Hæreticos præsentibus fidelibus populis, dum convenerint ad Divina, facias publicè nunciari: Populosque ipsos, ut eosdem vitent Hæreticos, nec eisdem quomodolibet adhæreant, aut præstent auxilium, consilium, vel favorem, solerter & fideliter etiam in Sermonibus publicis inducendo. Super publicatione autem prædicta fieri volumus publica Instrumenta, principium, & finem præsentium continentia, nobis postmodum transmittenda.

Datum Avenioni VII. Calendas Novembris Pontificatus nostri anno XII.

ANNO 1320.

XX. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 215.

Declarat Beghinas Belgicas esse immunes ab erroribus Beghinarum Alemanniæ quas Clemens V. damnaverat: anno 1320.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Cameracensi, salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUm de his mulieribus, quæ Beghinæ vulgariter, & communius nuncupantur felicis recordationis Clementi Papæ V. Prædecessori nostro, præcipuè de Alemanniæ partibus multa fuissent insinuata sinistra, præsertim quòd earum aliquæ de summa Trinitate, ac divina essentia disputare, ac etiam prædicare circa articulos quoque fidei, & Ecclesiastica sacramenta, opiniones fidei eidem contrarias introducere, multorumque simplicium animos in diversos super his errores inducere, & alia multa pericula animarum parientia facere, sub fucato sanctitatis velamine præsumebant.

Ex quibus, nec non & aliis de dictis mulieribus frequenter auditis, habens eas dictus Prædecessor non indignâ ratione suspectas, statum earum prohibendum duxit perpetuò, & à Dei Ecclesia penitus abolendum; in illas, quæ statum hujusmodi jam assumptum sectarentur ulteriùs, aut quæ de novo illum assumerent, excommunicationis sententiam promulgando.

Cum autem ad Apostolatus nostri auditum relatio fide digna deduxerit, esse plurimas in tuis Civitate, & Diæcesi hujusmodi mulieres Beghinas simpliciter nuncupatas, quæ per virtutum odoramenta currentes, honestè vivunt, devotè frequentant Ecclesias, Prælatis suis reverenter obediunt, & se in præmissis disputationibus, & erroribus non involvunt nec suas, nec aliorum animas per opiniones erroneas, ab evangelica veritate degeneres, damnabili præsumptione decipiunt.

Sed in Sancta, & solida simplicitate viventes, aliquæ proprias, aliquæ parentum, aliquæ conductas, vel sibi communes, & cum honesta Familia domos inhabitant, aliquæ verò rerum cogente defectu, simul in eisdem domibus, & diversis Beghinagiis ad majorem charitatis observantiam, commorantur.

Et quia hæ sic hactenùs vixerunt laudabiliter, atque vivunt, quod nulla unquam semper his fuit, vel est suspicio, aut infamia contra ipsas; propterea fuit nobis pro parte ipsarum humiliter supplicatum, ut cum indignum sit innocentes cum nocentibus ad pœnam judicari, sintque propterea occasione hujusmodi, in dictis Civitate, & Diæcesi, scandala gravia, dissensiones, & odia, guerrarumque pericula suscitata, providere super his per Apostolicæ sedis providentiam dignaremur.

Nos igitur indignum, & rationi contrarium reputantes, si probas, & reprobas similis censura percelleret; præmissis enim scandalis, dissensionibus, odiis, atque periculis obviare volentes, Fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus per Apostolica scripta mandamus.

Quatenus per te, vel alium, de vita dictarum mulierum laudabiliter viventium, ut præfertur, diligentiùs informatus, si repereris ità esse, non permittas eas, vel ipsarum aliquam in personis, & bonis earumdem occasione prohibitionis, & abolitionis hujusmodi (quousque de statu earumdem fuerit aliter per sedem Apostolicam ordinatum) ab aliquibus molestari, molestatores si qui fuerint, per censuras Ecclesiasticas, appellatione postpositâ compescendo.

Non obstante si eis, vel eorum aliquibus communiter, vel divisim à sede prædicta sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras dictæ sedis non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem, quòd prædictas mulieres attentè, & accuratè præmoneas, eisque districtè præcipias, ne de hujusmodi disputationibus contra hujusmodi prædicti Prædecessoris nostri prohibitionis, & abolitionis tenorem, se aliquatenùs intromittant, sed in sanctis operibus persistentes, & proficientes semper de virtutibus in virtutes mereantur retributionis æternæ præmium, quod non inchoantibus; sed perseverantibus in consummatione præstatur.

Datum Avenione 2. Kal. Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1426.

MARTINUS V.

Ex Op. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 223.

Erectio Universitatis in oppido Lovaniensi ad preces Joannis IV. Brabantiæ Ducis anno 1426.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SApientiæ immarcescibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus, omnem habens vigorem, & virtutis Altissimi dispensator, omniumque Chrismatum elargitor, ipse Dominus ad hoc suæ miserationis dignatu, nobis licet immeritis sponsæ suæ universalis Ecclesiæ regimen piâ dispensatione commisit, & nostræ debilitatis oculo jugum imposuit Apostolicæ servitutis, ut in Petri specula positi tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris, qui non nativitatis deposcunt fructus, sed intelligentiæ spiritu, eandem, unius initium verissima est disciplinæ concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxæ, quid statui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus attentiùs, & qualiter à fidelibus ipsis profugatis ignorantiæ tenebris, illi post supereminentissimam summi Opificis notionem, per ejusdem sapientiæ donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes eò ad quærendum ipsius sapientiæ alimenta

litte-

Anno 1320.

litterarum studia, per quæ divini nominis, & ejusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiæ Respublica, in spiritualibus, & temporalibus cum animarum salute geritur, pax & tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanæ dilatatur prosperitas, nostræ provisionis, solicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum, nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiæ, ac Præpositi, Decani, Scholastici, & Capituli Ecclesiæ S. Petri, nec non Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis Oppidi Lovaniensis, Leodiensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat.

Quod licèt in Ducatu Brabantiæ & in aliis Dominiis ipsius Ducis, nec non etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi, & Tornacensi Diæcesibus, cæterisque ibidem circumvicinis partibus, & Dominiis, multa famosa, & insignia loca populo Christiano, & rerum copiâ admodum opulenta exiſtant; nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem Generale vigeat studium literarum. Undè partium illarum plerique commodo, & usu studii carentes, vel hujusmodi literarum imperitiæ subjacent; vel in remotis partibus degere habent, scientiæ hujusmodi in eis sectantes incrementum.

Verùm oppidum præfatum, quod de temporali Dominio ipsius Ducis exiſtit, adeò rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate; atque domorum, & aliarum rerum necessariarum commoditate per Dei gratiam est refertum, quod ad hujusmodi receptandum; confovendumque studium, aptum plurimum; & idoneum existere perhibetur.

Quapropter ipsi, Dux, Præpositus, Decanus, Scholasticus; Capitulum, Burgi-Magistri, Scabini, & Communitas C. considerantes attentius, quòd inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta Summo rerum auctori sacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa divinæ Majestati grata plurimùm nullatenùs ambiguntur; per quæ ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earumdem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, & auxiliaribus commodis subventionis præsidium efficaciter impertitur, Generale literarum studium in eodem Oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinæ, atque sapientiæ se studiis exercentes, sibi & aliis meliores effici valeant, & partium illarum prosperitatis auctore Domino facilius incrementum sequatur.

Et nihilominus Dux ipse, unà cum Burgimagistris, Scabinis, & Communitate hujusmodi domos aptas; & loca convenientia illic cum scamnis, & aliis necessariis Officiis pro Magistris, Doctoribus, & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus, & audientibus deputare, nec non eisdem Magistris, & Doctoribus legentibus de salario competenti annis singulis, vel aliàs de beneficiis Ecclesiasticis providere.

Nec non quòd Rector Universitatis studiis hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem, & illorum servientes tam in Civilibus, quàm in criminalibus, & aliis quibuslibet causis, negociis, & excessibus, sine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coërcitionem, & emendationem dictis Duci, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis, & Communitati, communiter, vel diversim in eodem oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coërcitionem, & correctionem hujusmodi à se penitùs abdicare, & in Rectorem ipsum plenariè transferre.

Singulis quoque Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, causâ studii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus pro tempore quæcumque sua, res, & bona secum asportandi, & ea pro suæ voluntatis libito deportandi, sivè ibidem vendendi libertatem tribuere intendunt pariter, & proponunt.

Quarè pro parte dictorum Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderantium etiam, quòd Magistri, Doctores; & Scholares supra dicti pro potiori dicti studii incremento condignis privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus aliorum generalium studiorum quantum in ipsis, Duce, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis & Communitate, & aliis ipsius Ducis sub ditis fuerit, gaudeant, & utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto oppido Generale litterarum studium in qualibet licita facultate erigere, & ordinare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui relatione fida, post informationem diligentem super habilitate loci, & aliis circumstantiis præmissis de mandato nostro receptam; oppidum ipsum aëris temperie politum; singularumque rerum humano usui necessariarum ubertate refertum, & aliàs pro hujusmodi studio locum aptum didicimus, pium, meritoriumque eorumdem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem, & gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum, & dogmatum ornatibus redimiti succedant, plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica præsentium serie statuimus, & etiam ordinamus: Quod à modo in dicto oppido generale in facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, & observetur: Quodque omnes, & singuli Doctores, Magistri & Scholares inibi omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibusvis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, Coloniæ, Wiennæ, ac Lipsensis, Pataviensis, & Merseburgensis Diœcesium Oppidis studiis causa commorantibus per Sedem Apostolicam, vel aliàs qualitercumque concessis gaudeant pariter, & utantur.

Singuli verò, qui cursu feliciter consummato in ea facultate, qua hujusmodi inhæsere studio, bravium obtinere meruerint, sibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus, sive Magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores, sive Magistros Præposito, (quem Cancellarium studii in oppido hujusmodi esse perpetuò volumus) si illic præsens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine, & modis, super talibus in-

dictis

ANNO 1329.

dictis studiis generalibus observari solitis, ad hoc exiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam, & honorem sortiantur; eo reportent ante dictos, & qui quidem præsentavit quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, & approbatione in ipsa facultate; quam licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere, & docere liberè, & licitè ubique possint, & valeant.

Rursus quoque omnium, & singulorum causarum, & negotiorum cognitio, atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholariorum, membrorum, atque servitorum eorumdem, sive Clerici, sive laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus, & excessibus, correctis & punitis, atque omnimoda super illis jurisdictio ad rectorem studii in eodem oppido C. quem dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, & ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem studiorum hujusmodi eligi volumus, & non ad Ducem, seu ejus successores, Duces Brabantiæ, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgimagistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimodè dignoscantur, præfatique Duci, Successoribus, Præfatoque Duci successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, Communitati, & Officialibus, & aliis quibuscumque de causis, & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra, & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, & excessibus, eisdem, aut quomodo libet corrigendi, vel puniendi seu aliquam in eos superioritatem, vel jurisdictionem exercendi, facultate, & autoritate penitùs interdictis; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod nisi infra annum à data præsentium computandum, Dux, & Præpositus, Decanus, Scholasticus, & Capitulum, ac Burgimagistri, Scabini, & communitas supra dicti, prout eos communiter, vel divisim contingere censetur, privilegia, & libertates concesserint, ac jurisdictionem à se abdicaverint, & eam in Rectorem, ac Universitatem prædictos transtulerint, antedicta realiter, & cum effectu, præsentes literæ, & quæcumque inde sequuta, nullius existant roboris, vel momenti.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temenario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos 5. Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno nono.

ANNO 1330.

XXI. Ex Goldast. Monarch. Tom. I. Dissertat. de Author.

Excommunicatio Michaelis Cesenatis Prioris Generalis Ordinis Minorum, Guillelmi Okami, aliorumque Consiliariorum Ludovici IV. Imperatoris: Anno 1330.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei; dilecto filio Ministro Generali Ordinis Fratrum minorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper in Consistorio publico, præsente multitudine copiosa fidelium, contrà Michaelem de Cesena, olim generalem Ministrum Ordinis Fratrum Minorum, suis exigentibus culpis, & excessibus, officio ministeriatus privatum, ac de heresis ac schismatis criminibus condemnatum per nos sententialiter nec non & contrà Guillelmum Ockam Anglicum, Bonagratiam de Pergamo conversum, ac Henricum de Chalem præfati Ordinis quendam processum edidimus tenoris, & continentiæ subsequentis.

JOANNES EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

Dudum, sicut ad communem omnium notitiam credimus deduxisse, contrà Michaelem de Cesena, olim Ordinis Fratrum Minorum generalem Ministrum, hæreticorum fautorem, & hæreticum, immò hæresiarcham notorium; qui ad nostram vocatus curiam super dictis criminibus, cuique sub excommunicationis, ac depositionis ab officio, & inhabilitationis ad quoscunque honores, dignitates, gradus, & status Ecclesiasticos pœnis, & sententiis, quas omnes, & singulas ipsarum eum incurrere voluimus ipso facto, si contrarium attentaret, ne de Civitate Avinion. ubi cum eàdem residebamus curia, sicut & residemus ad præsens, absque nostrâ licentiâ recederet, duximus inhibendum: quique una cùm Bonagratia converso prædicti Ordinis, qui suis demeritis exigentibus in prædictâ curiâ arrestatus, ad sancta Dei Evangelia juraverat, sede prædictâ curiâ sine nostrâ licentiâ nullatenùs recessurum, ac Guilielmo de Ockam ejusdem Ordinis, contrà quem super multis opinionibus hæreticalibus, & erroneis, quas scripserat, & dogmatizaverat, inquisitio in eadem pendebat curia, sibique propterea injunctum fuerat, ne de dicta recederet curiâ sine nostra licentia speciali, furtivè recessit de ipsa cum duobus suis complicibus supra dictis, ac redire ad eam renuens, legitimè requisitus, ad præsentiam Petri de Corvario in Antipapam assumpti, & Ludovici de Bavaria sedentis in pestilentiæ Cathedra festinavit suos dirigere gressus.

Ne Michael ipse via tam reprobus glorietur ulteriùs suæ pravitatis opera absque condignis de meritoriis stipendiis præterire ac ne plures etiam in sui erroris devium traheret, ad quod sua tota intentio ferebatur, cum præmissa adeo essent notoria, tam per facti evidentiam, quàm per plures ipsius literas ad partes diversas directas, quarum aliquæ ad nostras, & Fratrum nostrorum manus etiam pervenerunt, quod non poterant tergiversatione aliquâ occultari, de Fratrum eorundem Consilio, auctoritate Dei omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus,

Anno 1330.

exigente justitiâ procedentes, Michaelem eundem ab officio prædicti ministeriatus depositum, fautoremque hæreticorum, & manifestum hæreticum, & hæresiarcham, ac schismaticum duximus condemnandum, privantes eum Officiis, dignitatibus, & honoribus quibuscunque, seù privatum potiùs declarantes, ipsumque ab omni gradu deponentes, & privilegio quocunque nudantes Ecclesiastico, ac eum inhabilem ad præmissa reddentes, & quodlibet prædictorum, pœnis omnibus, & sententiis spiritualibus, & temporalibus, quibus divino, & Ecclesiastico jure hæreticorum fautores & hæretici Hæresiarchæ ac Schismatici existunt obnoxii, plectentes eundem nihilominùs, & eum velut talem eis fore obnoxium declarantes, universis quoque Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque personis Ecclesiasticis quibuscunque in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, & suspensionis ab officio, & beneficio, quas non parentes incurrere volumus ipso facto, nec non privationis, depositionis, inhabilitationis prælationum, dignitatum, Officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pœnis & sententiis, & insuper omnibus, & singulis Civitatibus, terris, & locis, ac universitatibus communitatibus, & personis aliis singularibus quibuscunque, cujuscumque conditionis, aut status existerent, etiamsi Imperiali, Regali, vel alia quacunque dignitate fulgerent, sub excommunicationis in personas singulares, & interdicti in Civitates, Terras, loca, eorumque Communitates, & Universitates, quas nisi mandatis, & monitionibus nostris cum effectu parerent, incurrere volumus ipso facto, nec non privationis privilegiorum quorumcumque Apostolicorum, & imperialium, ac feudorum, & bonorum, quæ ab eadem Romana, vel quibuscunque aliis Ecclesiis, vel imperio obtinerent pœnis, & sententiis, mandandum expresse duximus, & etiam inhibendum, nè prædictum Michaelem Hæreticorum fautorem, hæreticum & Schismaticum receptarent, defenderent, sivè adhærerent, obedirent, intenderent quomodolibet, seù faverent, aut præstarent per sè vel alium seù alios publicè, vel occultè, directè, vel indirectè auxilium, consilium, vel favorem: sed eum potiùs velut hæreticorum fautorem, ac hæreticum, & Schismaticum; & (quantùm in eo est). Sanctæ Dei Ecclesiæ, Fideique Catholicæ corruptorem abjicerent, abhorrerent, persequerentur, & si possent, caperent, ac fideliter custodirent subdendum Ecclesiasticæ disciplinæ, prout hæc in processibus per nos habitis, & publicatis hactenùs pleniùs continentur.

Sanè quia, sicut fama notoriat publica, & facti evidentia in illis partibus manifestat, Michael, ac Guilielmus Ockam, & Bonagratia supra dicti, nec non & Henricus de Chalem dicti ordinis, cujus perfectio inter alia potest percipi, quia Ludovici de Bavaria se pro Imperatore gerentis, de diversis damnati hæresibus, Cancellarii Officium diutiùs gerere non expavit (quod quidem officium quantum professioni illorum, qui sè nihil habere asserunt in proprio, vel communi; seque Christum pauperem nudi sequi, congruat, potest promptè quilibet prudens judicare) in Alamanniæ partibus in divinæ majestatis contumeliam, Fideique Catholicæ læsionem Ecclesiæque Catholicæ præjudicium, & contemptum, non verentur hæreses publicè prædicare, ac nonnullos Fratres dicti Ordinis illarum partium à devotione Ecclesiæ, Ministrique generalis ejusdem ordinis obedientia retrahere ac illos ad dictorum Ludovici, & Michaelis hæresiarchæ obedientiam per captiones, incarcerationes personarum, & ejectiones à suis conventibus, spoliationes librorum, aliarumque rerum ad usum sibi assignatarum à suis superioribus, proscriptionem quoquè publicam, minis, & terroribus mortis, & aliis modis ausu temerario inducere, & compellere non verentur: Nos considerantes attentè, quod talium non est dissimulanda malitia, sed eorum potiùs elidenda superbia, ac eorum pertinax contumacia, per semitas Justitiæ prosternenda, omnes, & singulos, qui contrà nostros processus prædictos eidem Michaëli faverunt, aut ut ministro obediverunt, nisi ad obedientiam Ecclesiæ jam redierint, de Fratrum eorundem Consilio declaramus, personas videlicet singulares excommunicationis, conventus, & universitates interdicti sententias incurrisse: Michaeli interdicentes prædicto, nè pro ministro sè gerat ulteriùs, ac Guilielmo, & Henrico, ac Bonagratiæ prædictis, ne ei tanquàm ministro, nec aliàs nisi in casibus, in quibus licet communicare cum hæreticis, pareant communicent, vel intendant, sub pœna excommunicationis, quam incurrant ipso facto, si contumaces mandatis nostris fuerint; præcipientes tàm Michaeli, quàm prædictis aliis, ut à consortio sè dicti Bavari retrahant, & ad unitatem redire Ecclesiæ sublato cujusvis moræ dispendio non obmittant.

Et quia prædicti Guilielmus, Henricus, & Bonagratia, velut defensores diversarum Hæresum, sed illarum præcipuè, quâ asserunt, quod Christus, & Discipuli nihil habuerunt in proprio, vel communi, nisi tantùm simplicem usumfacti (*fort. usumfructum*:) & illius, quæ asserit, quod ad Imperatorem pertinet Papam deponere, & alium subrogare, vehementer de Hæresi sunt suspecti: ipsos, & eorum quemlibet citamus per edictum peremptorium publicum præsente hac Fidelium multitudine copiosâ, ut intrà festum Ascensionis Domini exclusivè proximè subsequens compareant personaliter coram nobis; facturi super præmissis velut notoriis, quod rationis fuerit, & sententiam, si ferri posset commodè, audituri. Non intendentes propter prædictæ citationis edictum nos astringere, quin contrà dictum Guilielmum Ockam, & Bonagratiam, quos aliàs per dictum peremptorium publicum citavimus, ut certo termino, diù est, elapso, comparerent coram nobis personaliter sententiam audituri, ac propter eorum contumaciam fuerunt excommunicationis vinculo innodati, interim valeamus procedere prout suadebit justitia, & viderimus expedire: eisdem expressiùs intimantes, quod sivè venerint, sivè non venerint, contrà ipsos in dicto termino, vel quotiens nobis visum fuerit, absque citatione aliâ ad præmissa procedemus, prout rationis fuerit, & viderimus expedire.

Cæterum volumus auctoritate Apostolicâ nihilominùs decernentes, quod processus noster hujusmodi, præfatos Michaelem, Guilielmum, Bonagratiam, & Henricum, ac alios, quos contingere dignoscitur adeò apprehendat, & arctet, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter publicatus, & intimatus solemniter extitisset; quacunque constitutione contraria, per Prædecessores nostros Romanos Pontifices in contrarium edita non obstante. Et ut idem Processus, & contenta in eo, ad ipsorum Michaelis, Guilielmi, Bonagratiæ, ac Henrici, & aliorum, quos contingunt, notitiam deducamus, cartas, seù membranas processum continentes eundem, appendi, seù affigi ostiis, seù superliminaribus Majoris Avinionen. Ecclesiæ faciemus,

ANNO 1336.

mus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt, ut ipsi nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tàm patenter omnibus publicatur. Dat. Avinion. 2. Non. Januar. Pontif. nostri anno quinto decimo.

Et licèt processus iste sufficienter publicatus extiterit, ut præfertur, tamen ex abundanti volentes eum in locis, & domibus tui ordinis nihilominùs publicari, discretioni tuæ committimus & mandamus, quatenùs per te, vel alium, seù alios ejusdem ordinis, processum eundem in singulis locis, & domibus præfatis diligentiùs publicare procures, faciens de publicatione istâ instrumenta publica confici, quæ nobis studeas fideliter destinare. Datum Avenion. 4. Idus Januar. Pontificatùs nostri anno xv.

XXI. Ex hist. Univers. Paris. Bulæi Tom. 4. pag. 239.

Declarat Papa suam de Visione Beatifica opinionem: anno 1336.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam Rei memoriam.

NE super iis quæ de animabus purgatis, separatis à corporibus, an citra sumptionem Corporum Divinam essentiam illa visione quam vocat Apostolus facialem videant tam per nos, quàm per nonnullos alios in præsentia nostra recitando & allegando sacram scripturam & originalia dicta sanctorum, vel alias ratiocinando sæpius dicta sunt aliter, quàm per nos dicta & intellecta fuerunt, intelligantur & dicantur, auribus valeant fidelium inculcari.

Ecce quod ad nostram intentionem, quam cum S. Ecclesia Catholica circa hoc habemus, & habuimus serie præsentium, ut sequitur, declaramus: fatemur siquidem & credimus quod animæ purgatæ separatæ à corporibus sunt in Cœlo Cœlorum & in Paradiso cum Christo, consortio Angelorum congregatæ, & vident Dominum & divinam essentiam facie ad faciem claré, in quantùm status & conditio patitur animæ separatæ. Si verò alia, vel alias circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata seù scripta fuerint, quoquomodo illa diximus, prædicavimus seù scripsimus, recitando & conferendo dicta sacræ scripturæ & sanctorum, nolumus esse dicta, prædicata & scripta ut de omni alio errone è dicto. Insuper si qua alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seù alias quovis modo diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, vel alia quæ fidem concernunt Catholicam, sacram scripturam aut bonos mores ea in quantùm sunt consona fidei Catholicæ determinationi Ecclesiæ, sacræ scripturæ, ac bonis moribus approbamus, alias autem illas habemus & haberi volumus pro non dictis prædicatis & scriptis; eaque revocamus expresse. Ac prædicta omnia & alia quæcunque dicta, prædicata, & scripta per nos de quacunque materia, ubicunque & inde quocunque loco, aut in quocunque statu, quem habemus vel habuimus hactenus, submittimus determinationi Ecclesiæ, ac successorum nostrorum.

ANNO 1334.

Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ intentionis, declarationis, confessionis, voluntatis, approbationis, revocationis & submissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Avenioni tertio Idus Decembris Pontificatus nostri Anno 19.

BENEDICTUS XI. DICTUS XII.

PONTIFEX CIC.

ANNO DOMINI MCCCXXXIV.

BENEDICTUS Gallus Tolosas Patre Molitore natus: Opinionem Prædecessoris sui JOANNIS de Animarum post mortem Statu dilucidè exposuit: Indignos, & Consanguineos à beneficiis arcuit dicens se nolle exornare lutum; utque Benedictus XI. Matrem in vestibus sericis, ità hic Patrem in alio quàm Molitoris habitu noluit agnoscere: nihilque aliud illi dono dedisse fertur, quàm pecuniam, quæ satis esset ad emendam molam. Post annos septem, menses quatuor obiit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *App. fol.* 208.)

I. Ex Misc. Baluzii Tom. 2. Pag. 263.

Contra Pravos Mores Clericorum Ecclesiæ Narbonensis: Anno 1334.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis, Capitulo Ecclesiæ Narbonensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm illos in Ecclesiæ corpore vitiosos audimus, qui alios in viam dirigere mandatorum domini & revocare ab erroribus tenebantur, anxietate cordis affligimur, attendentes quod humani generis inimicus eos potiùs corrumpere satagit ex quorum plures corrumpi valeant corruptela. Sanè postquàm divina miseratio ad summi Pontificatus apicem nos provexit, nulla sinistra, quæ de clero vestræ Narbonensis Ecclesiæ nobis olim relata fuerant, sæpius, cum status inferior nos haberet, nostris extiterunt auribus non sine magna displicentia inculcata; de quibus aliqua, videlicet pauca de multis, providimus serie præsentium explicanda. Nam in Ecclesia ipsa, quæ sicut caput existit aliarum Ecclesiarum provinciæ Narbonensis, sic præ illis exemplari vita & operibus virtuosis cultusque divini decore fulgere deberet, idem cultus, propter quem clerus ibidem principaliter constitutus est, negligitur, beneficiatis, & intitulatis ejusdem Ecclesiæ, laxatis rationis & honestatis habenis, per campum licentiæ post suas currentibus indomitas voluntates; & quod est perniciosum & detestandum plurimum, qamplures ex eis continentiæ jugo, cui se submiserant voluntariè, damnabiliter, & inverecundè in majorem suam confusionem abjecto, sicut mulus, & equus, quibus non est intellectus, potiùs suas inordinatas vo-

luntates sequentes quàm rationis imperio se regentes, fætoribus luxuriæ turpiter se involvunt, mulieres suspectas seu focarias concubinas tenendo, in illa quæ mater pudoris ac munditiæ conservatrix debet existere, scilicet Ecclesia Sancta Dei, quantùm in eis est, constituentes prostibulum & lupanar, ejusque nobilitatem in ignominiam convertentes, non attento quàm crudeliter famam suam negligunt & quàm graviter tàm ipsi quàm illi qui hæc sic abominanda tenerentur & deberent corrigere, in conspectu Domini ex his cadunt. Verisimiliter siquidem opinamur quod ex præmissis & aliis commissis ibidem contra divinum beneplacitum & omissis ille qui Ecclesiam sui pretiosi sanguinis aspersione comparavit merito provocatus variis persecutionibus & oppressionibus permisit his præteritis temporibus vos vexari, quæ aliis temporibus, quibus talibus non irritabatur offensis minimè contigerunt. Nec aliud, ex quo Deus non parum offenditur, volumus subticere, quod bona innumera, quæ pro ejusdem Ecclesiæ Narbonensis fabrica hactenus ex diversis eleemosinis & aliis proventibus provenerunt, non in utilitatem ejusdem fabricæ, nisi dumtaxat modica; sed in suis seu potiùs abusus illos damnabiliter sunt consumpta. Cum autem præmissa, & alia multa quæ circa materiam hujusmodi, quæ ad præsens ex causa honestatis sub silentio præterimus, non intendimus ulterius; ne culpam aliorum nostram videamur facere per tepiditatem & negligentiam, tolerare, discretionem vestram attentiùs exhortamur in Domino, vobisque nihilominus per Apostolica scripta districtius injungendo mandamus, quatenùs primo quod in votis prævia diligenti mentis discussione vitiosum, vel tenebrosum repereritis, ne in vultu medentis ulcus quod opus ejus reddat contemptibile vel reprehensibile appareat, purgantes, abjicientes & clarificantes omninò circa divinum officium & utilitatem Narbonensis Ecclesiæ prout ad hæc tenemini & statuta ipsius Ecclesiæ vos astringunt, vacare & intendere omni semota negligentia studeatis, & nihilominùs per ordinationes & statuta salubria facta vel auctoritate nostra, prout opportunùm extiterit, facienda taliter non solum verbis, sed effectivis operibus disponatis & ordinetis quod omnes & singuli beneficiati & intituláti in eadem Ecclesia horis canonicis diurnis pariter & nocturnis missarumque solemniis intersint continuè residentes & psallentes, & peragentes divina officia, ut tenentur, quodque illi qui non interfuerint, cessante tamen causa legitima & honesta, in eisdem singulis horis, punctentur & perdant certam partem suorum proventuum; quos per modum distributionum ordinatarum vel ordinandarum essent in horis hujusmodi percepturi, nec ab eadem residentia & divinis obsequiis propter negotia vestra, vel alia nisi causa superesset utilis honesta, & necessaria, & hoc duntaxat pro diebus paucis aliquibus, prout vobis expedire videbitur, excusentur, abjiciant nihilominus à se penitus concubinas & quasvis mulieres suspectas, honestam de cætero, & exemplarem vitam ducentes. Aliàs verò, si fuerint incorrigibiles in hac parte à corpore cleri ejusdem Ecclesiæ, tanquam infecta membra & putrida, ne corpus ipsum inficiant, abscindantur, appellatione remota, & ab ipsa Ecclesia removeantur omninò, loco illorum aliis viris honestis & idoneis, qui honestè Deo serviant, & suum expleant ministerium, subrogatis. Vos etiam & vestrum singulos punctari & distributiones quas tunc percepturi essetis perdere volumus, si forsan in horis Canonicis non interfueritis, prout ad id jura & statuta ejusdem Ecclesiæ vos astringunt, nisi à dicta Ecclesia pro negotiis ejusdem necessariis vel utilibus, aut lectionibus audiendis in scholis, vel prædicatione verbi Dei, dum horæ psallentur eædem, contigerit vos abesse. Sanè fabricam Ecclesiæ memoratæ sic dirigere & ordinare curetis, quod ea quæ pro ea debentur, vel jam obvenerunt, ab omnibus, & singulis qui ea debent vel perceperunt temporibus præteritis, vel heredibus aut bonorum detentoribus eorundem, auditis diligenter rationibus, & residuis ab eisdem exactis, obvenient in posterum, sublatis curiositatibus inutilibus ad honorem Dei & utilitatem ipsius Ecclesiæ dispensentur; pro certo scituri quod si præmissa non adimpleveritis quavis cessante dilatione morosa, nosque illa non audiverimus in proximo realiter esse facta, nequaquam ulteriùs dissimulabimus, sed de alio curabimus opportuno remedio providere.

Datum Avenioni tertio nonas Aprilis; Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. 5. pag. 128.

De excessibus Imperatoris, contrà Confœderantes cum ipso, & contra titulum Vicarii Regi ab ipso datum, & de decimis Regi Franciæ, non contrà Regem Angliæ, sed contrà Invasores Franciæ concessis: Anno 1338.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Edvardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dudum te, Fili carissime, clara imitari vestigia progenitorum tuorum Regum Angliæ, qui erga Deum & sacrosanctam Romanam Ecclesiam, velut peculiares ejus Alumni & devoti Filii, plenitudine devotionis & fidei claruerunt, tuæque splendorem prosapiæ à quavis obfuscatione nebulosi contagii præservari, eaque in te prælucere clariùs cupientes, & ex paternæ Charitatis & dilectionis affectu, quo te statumque tuum prosequimur, nostras tuæ celsitudini litteras direxisse meminimus. Inter cætera recensentes qualiter excessus per nobilem Virum Ludovicum de Bavaria, olim ut asserebatur discorditer in Regem Romanum electum, adversus Deum & eandem Romanam Ecclesiam, ac felicis recordationis, Johannem Papam vicesimum secundum, prædecessorem nostrum, per coacervationem multiplicium & atrocium offensarum, nequiter perpetrari, tuum præterisse nequibant auditum; quos velut toti mundo notorios, non omnes, cum longa & prolixa nimis eorum narratio extitisset, sed ex eis aliquos in eisdem litteris providimus, ut sequitur, recitandos. Idem namque Ludovicus, contra processus prædecessoris ejusdem & inhibitiones ipsius, de consilio fratrum suorum, ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, factos & habitos, diversas spirituales & temporales pœnas & sententias continentes, intravit Italiam, & nonnullos Hæreticos, de Hæresi publicè & notoriè condemnatos, in consortium publicæ participationis admisit, tenens & asserens Hæreses manifestas, ac fovendo, secumque tenendo Hæreticos publicè dogmatizantes prædictarum Hæresium detestabi-

les & horrendos horrores, Hæretica quoque Dogmata scienter, immo potiùs dementer approbans, & in evidentiam approbationis hujusmodi, ea per litteras diversas, sigillo suo noto munitas, deduxit in aliorum publicam notionem. Sibi etiam nomen Imperiale postmodum usurpare, & administrare Jura Imperii in eadem Italia & Alemania contra processus, & prohibitiones prædictos, detestabili temeritate præsumpsit, ex his, præter pœnas alias Excommunicationis & Anathematis sententias incurrendo, & tandem ausus ausibus, & excessus accumulando excessibus, se conferre non expavit ad Urbem ubi in illam nequitiæ prorupit insaniam, ut meditatus Urbi & Orbi universali schismatis suscitare dispendium, quendam hypocritam, diabolicæ præsumptionis virum, nomine, Petrum de Corbaria, velut abominationis horrendæ simulacrum, in Apostolica sede pro Romano Pontifice statuere moliretur, idque quantùm in eo fuit produxit in actum, & eum fuit veneratus ut Papam, consecrationemque, immò verius execrationem, ac Diadema Imperiale de facto recepit ibidem, ut de multis aliis insanis processibus, quinimo detestandis excessibus, per eosdem, Ludovicum & Petrum, præsumptione perpetratis hæretica, taceretur. Propter quæ dictus prædecessor præfatum Ludovicum fore à Domino denunciavit omni honore & dignitate privatum, & in eum, tantarum hæresium & schismatum maculis irretitum exercens gladium Apostolicæ Potestatis, Eum, cum omnibus qui adhærerent eidem, vel præstarent auxilium, consilium, vel favorem, seù pro Romano Rege aut Imperatore scienter haberent, tenerent, vel nominarent eundem, non solum excommunicationis & Anathematis, sed etiam alias pœnas & sententias, tanquam in fautores, Auxiliatores, & Valitores, hæretici & schismatici promulgavit, & eâ jure declaravit prolatas; sicut in diversis processibus, per præfatum prædecessorem habitis seriosiùs continetur. Super quibus quidem pœnis, quantumcumque per ipsum Ludovicum promeritis, & in eum justo Ecclesiæ judicio promulgatis, si verè pœnitens se humiliasset, ad gratiam benignam reperisset eandem Ecclesiam, quæ ipsum, tanquam filium prodigum, de loginquo redemptione ad suum gremium apertis brachiis recepisset, immolatura pro eo, in ubertate divinæ laudis, vitulum saginatum. Rursus adjecimus in litteris supra dictis quod quamquam tam prædictorum excessuum, quàm eorumdem processuum, per dictum prædecessorem, contra dictum Ludovicum, exigente Justitia, postmodum habitorum, notitiam habuissemus, & etiam habeamus; ut tamen ipsum, à peccatorum nexibus liberatum, de faucibus sempiternæ mortis possemus eripere, postquam fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, diversos nuncios ejus, diversis vicibus & temporibus ad nos missos, receperamus benignè, ac pro reconciliatione ipsius, per fructum variæ pœnitentiæ promerenda prolocutiones varias habueramus cum eis, & tunc pendebat etiam ad proloquendum ulterius terminus assignatus, in quo procul dubio, per nos non stetit quominus ulterius fuerit super negotio Reconciliationis ejusdem processum. Quare fili dilectissime serenitatem tuam requirendam tunc duximus per easdem litteras & rogandam ut prudenter advertens, & in scrutinium internæ considerationis adducens; gravitatem pœnarum, in quas inciderent, & sententiarum, quas incurrerent, quantisque periculis se & discriminibus implicarent, qui præfato Ludovico, sic publicè & notoriè de pravitatibus Hæresis, & sic odiosi toti Christianitati schismatis, condemnato, antequam reconciliationis gratiam ejusdem Ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, sibique impenderent consilium, auxilium, & favorem, vel sibi, tanquam Imperatori aut Regi Romano, reverentiæ cultum seu titulum Regalis vel Imperialis nominis assignarent scienter à cujuslibet participationis fœdere contrahendo cum ipso, & exhibitione reverentiæ & honoris sibi, tanquam Regi vel Imperatori, quosque dictus Ludovicus reconciliationis ejusdem Ecclesiæ meruisset gratiam obtinere, penitus te retrahere, & totaliter abstinere curares, ut tibi famæ integritas & illibata tuî generis claritas servarentur. Cùm autem rumor implacidus & admodum infectus ad nos perduxerit, his diebus, quod tu Fili requisitionibus & rogationibus nostris hujusmodi, utique salutaribus, & de fonte prodeuntibus Caritatis, non sine detrimento salutis tuæ & famæ, quod dolentes referimus; obauditis non solum cum prædicto Ludovico, nondum eidem reconciliato Ecclesiæ, nec à pœnis & sententiis, quibus propter præmissa, & alia multa & gravia commissa per ipsum implicatus esse noscitur, liberato, nec etiam processibus sæpefati prædecessoris per quos, ut præmittitur, adversus omnes & singulos, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, Conditionis, vel status, etiam si Pontificali, Regali, vel quacumque alia Ecclesiastica, seù mundana dignitate fulgerent, præfato Ludovico adhærentes, seù præstantes directè vel indirectè, publicè vel occultè, consilium, vel auxilium, vel favorem, vel sibi, tanquam Imperatori, aut Regi Romanorum, reverentiam exhibentes, seù titulum Regalis vel Imperialis nominis assignantes seù ascribentes, graves, spirituales & temporales, pœnæ ac sententiæ infliguntur, nequaquam relaxatis, immo in sui roboris efficacia perdurantibus, participationis confœderationes inire, sibique adhærere ac præstare favorem, auxilium & consilium præsumpsisti, immo, quod pernitiosius, proh dolor, & damnabilius noscitur existere, si veritas relatibus suffragetur, Vicariatus officium per totam Alemanniam, & Germaniam, ac universas & singulas eorum provincias sive partes, ab eodem Ludovico, sub Imperialis nominis titulo, ut asseritur, suscepisti de facto, cum ipse Ludovicus nec Rex nec Imperator sit, ut præfertur. Cujus prætextu nonnullis Prælatis Ecclesiarum & Personis Ecclesiasticis, in terris Imperii constitutis, ac in nostra & Ecclesiæ memoratæ devotione & fidelitate debitis persistentibus, sub pœnis gravibus, per tuas eis litteras comminatis, mandasse diceris, & districtiùs injunxisse, ut ad te tanquam ejusdem Ludovici in Alemannia & Germania & partibus supra dictis Vicarium audituri sententiarum & Judiciorum ipsius Ludovici tuorumque mandatorum recitationem, ac præstituri eidem Ludovico, vel tibi ejus nomine recognitiones & homagia de terris, bonis, & juribus, quæ tenent ab Imperio convenirent. De te igitur, Fili, ubi sit tua tuorumque Consiliariorum prudentia, ab eo præsertim, non sufficimus admirari, quod, cum tu, sicut audivimus, pro illorum repetitione jurium, quæ ad te asseris pertinere, non sine grandium Personarum periculis, ac expensarum & sumptuum profluviis, peregrinari ad partes Alemanniæ curaveris, & multos super hoc feceris apparatus, tunc spretis ejusdem prædecessoris processibus, & deductis damnabiliter in contemptum pœnis & sententiis supra dictis, quibus te manifestè, si quæ nobis referuntur vera sint, non absque horrenda nota, quæ non parum obfuscat tui claritatem generis,

ris, procul dubio implicasti. Et nihilominus, quamvis nos & Ecclesia ipsa te numquam offenderimus, nec contra te aliquid fecerimus, quamquam ut intelleximus, falsò & mendaciter suggestum tibi per eos, qui te salutem, & honorem tuum, minimè diligunt, fuerit quod nos, carissimo in Christo filio nostro, Philippo Regi Franciæ Illustri in auxilium guerræ suæ, ingentem pecuniæ quantitatem de nostra Camera dederamus, quodque Institutionem personarum Ecclesiasticarum concesseramus eidem in omnibus Ecclesiis Regni sui, quæ omnimoda carere veritate noscuntur; talia namque nunquam postulata fuerunt à nobis, nec ea concessissemus quomodolibet eidem, quantacumque instantia petita fuissent, nec Decimas, contra te, Regi præfato Franciæ concessimus, sed adversus Theothonicos, Ludovico adhærentes prædicto, ipsiusque Ecclesiæ Romanæ inimicos, qui ad invasionem Regni Franciæ se, ut habebat rumor publicus & notorius, disponebant, sicut in concessione decimarum ipsarum continetur expressè. Non fuit nempe intentionis nostræ adversus te fomentum ministrare discordiæ, vel eam a icujus subsidii administratione fulcire; quinimò statum Regni tui, & etiam Regni Franciæ, Pacis & concordiæ prosperitate, & unanimitate potiri summis desideriis affectantes, ad hoc fere nitati tuæ & dicto Regi Franciæ per nos sæpe directis litteris, & etiam nunciis, videlicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ad partes illas de latere nostro, votis ardentibus laboramus, & laborare non cessamus, non cessabimus, ut inter te & Regem eundem, & utriusque Regna, pacis & utilitatis serenitas illucescat. Tu tamen, Fili carissime, fide, ut videtur, adhibita prædictis falsis suggestionibus & mendosis, te nostrum & ejusdem Romanæ Ecclesiæ matris tuæ constituendo persecutorem & hostem, invadere, ac occupare Honores, & jura nostra, & ejusdem Ecclesiæ, ad quos Regimen & administratio Imperii Romanorum, eo vacante, sicut nunc vacare noscitur, pertinent pleno jure, moliris molestando Prælatos & personas Ecclesiasticas in nostra & ipsius Ecclesiæ devotione ac fidelitate debitis, ut præmittitur, persistentes, ipsosque ad obedientiam dicti Ludovici, de diversis, ut præmittitur, hæresibus & Schismatibus, aliisque criminibus sententialiter condemnati, ac jure Regio & Imperii, si quod ad eum forsan competierat vel etiam competebat, justo Dei & Ecclesiæ judicio, privati, ac præstationem hujusmodi Recognitionis & Homagii sibi, vel tibi, ejus nomine faciendam attrahere ac inducere coactivis impulsibus & commonitionibus satagendo. Utinam, Fili, antequam te his tam periculosis & detestandis involvas amplius, attentè consideres, & matura deliberatione prævia constituas ante oculos mentis tuæ circuitus periculosos & nodosos laqueos, quibus te, subtilibus ingeniis & fraudibus exquisitis, aliqui de suis potiùs, quàm de tuis soliciti negotiis & commodis præmissis involvere, tibique onus, quod à se quodammodo rejicere cupiunt, non minus leve, si diligenter circumstantias attenderis, imponere moliti fuerint, & non sine periculo tui præcipitii, moliuntur; nec te latere volumus quod præfatus Prædecessor olim, per quandam Constitutionem ab ipso, de dictorum fratrum suorum editam consilio, in omnes & singulos, cujuscumque status dignitatis, vel conditionis existerint, etiamsi Patriarchali vel quavis alia superiori, vel Pontificali, vel regali, dignitate fulgerent, qui absque sedis Apostolicæ licentia speciali Vicarii, seu cujusque alterius Officii, nomen in prædicti terris Imperii, eo vacante, sicut tunc vacabat, & nunc etiam vacat, ut præmissum est, assumere, vel assumptum ultra termini duorum mensium spatium præsumerent retinere, seu dimissum reassumere quoquomodo, ut inobedientes, ac non parentes & intendentes eisdem, excommunicationis & alias graves sententias promulgavit. Nos itaque, qui erga te, Fili, claudere viscera Paternæ dilectionis nequimus, & cordis dolore tangimur intrinsecus, cum talia percipimus ad tuum, tuique honoris status, salutis & famæ, dispendium machinari, tuam rogamus magnificentiam, requirimus, & in Domino attentiùs exhortamur, sano paternoque tibi nihilominus consilio suadentes, quatenus ea, quæ præmisimus, & alia, quæ circa illa tibi possunt occurrere, deducens in rectæ deliberationis, & discussionis examen. Ac insuper tenens certius & attendens quod dictus Ludovicus, ut præmisimus, nec Rex, nec Imperator est, nec aliqua, quæ ipse fecerit, vel faciet, quamvis fuit, & erit, dictis processibus, ac pœnis & sententiis irretitus quicquam valuerunt, vel valent, nec sunt aut fuerunt, alicujus auctoritatis, roboris, vel momenti. Quodque tibi periculosum est, ac multipliciter formidandum, te bellorum subjicere discriminibus, maximè si esses supra dictis processibus, pœnis & sententiis, à quibus liberari non posses, nisi dumtaxat per sedem Apostolicam, quæ absolutionem earum sibi expressè retinuit, involutus, ac Deo & ejusdem Romanæ Ecclesiæ persecutor & Hostis effectus à quibus te misericordiarum Dominus protegat & defendat, consideransque diligenter, quòd licet humanum sit peccare, in peccatis tamen perseverantia diabolica est censenda; te à præmissis & singulis, sic horrendis deviis, si ad illa forsan declinaveris serpentina deceptione seductus, antequam invalescant pernitiosius, seu in conspectu Dei & hominum fœteant deterius, & putrescant, resilire penitus pedesque tuos ad viam rectam Deo placidam, ac tuis, statui, saluti, & honori congruam, dirigere quantociùs, non postponas; eorundem Cardinalium, qui te, statumque tuum sincerè diligunt, super reformatione pacis inter te dictumque Regem mutuæ placibili Deo, & hominibus amabili, opera acquiescens. Videtur equidem quòd, etiamsi prædicti à vero & Catholico Imperatore, si esset, alicui Vicariatus valeret Officium assignari, adhuc tamen tuum, qui tàm magnus tantusque Rex & princeps existis, tantóque nomine ac titulo Regio existere nosceris insigni tus in orbe, non deceret honorem quod nominareris Vicarius alicujus Domini temporalis; quanto minus ergo tuam decuit vel decet excellentiam, illius Vicarium appellari, qui auctoritate nulla, sicut expeditum est superius, præminet, sed proh dolor tantorum existit respersus labe criminum, tamque gravibus pœnis & sententiis, cum omnibus sibi adhærentibus, implicatus; sciturus fili amantissime, quod, si monitis nostris hujusmodi salutaribus adquieveris cum effectu, tibi, sic impulso ut caderes, manum benignam porrigemus, quantum cum Deo poterimus, sublevantem; aliàs autem non poterimus desistere, cum id à nobis exigat Officium Apostolicæ severitatis, quominus, super prædictis, providere de opportunis remediis, procedendo contra te, quod molestum & grave nobis erit admodum; si necessitate, quod absit, fuerit, prout, exigente justitia, debebit & poterit fieri, procuremus. Datum Avinion. Idus Novembris Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1339. III. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 5. pag. 128.

ANNO 1339.

De Processibus contra Imperatorem, ac confederantes cum ipso, & contra Titulum Vicarii à Rege assumptum: anno 1339.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Magnifico Principi Eduardo Regi Angliæ illustri, spiritum consilii sanioris.

RΕcentem habemus memoriam, & etiam tuæ credimus memoriæ inhærere qualiter dudum, non longè diebus præteritis, Excellentiam tuam puram & sinceram à quavis obfuscatione tenebris contagii præservari, tuæque splendorem prosapiæ in te lucere clariùs cupientes ex intimæ dilectionis affectu, quo te statumque tuum semper fuimus prosecuti, nostras tibi direximus litteras; Inter cætera recensentes, quòd Ludovicus de Bavaria, contra Processus felicis recordationis Johannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri, & Inhibitiones ipsius, de Consilio Fratrum suorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium factos & habitos, diversas, spirituales & Temporales, pœnas & sententias continentes, ingressus Italiam, nonnullos Hæreticos, & de hæresi publicè condemnatos, in consortium publicæ familiaritatis & participationis admisit, Hæretica quoque dogmata, scienter, immo potiùs dementer, approbans, ea per diversas suas litteras, ejus noto sigillo munitas, deduxit in aliorum publicam notionem. Ex his & pluribus aliis horrendis excessibus, quos, ut pote toti mundo notorios subticemus, se ostendendo hæreticæ pravitatis labe respersum, ac Excommunicationis & anathematis sententias incurrendo. Et tandem, ausus ausibus & excessus superaddens excessibus, ad Urbem accessit, ubi in tantam prorupit insaniam, ut meditatus Urbi & Orbi universalis schismatis Suscitare dispendium, quendam hypocritam, nomine Petrum de Corbaria, velut abominationis detestandæ simulacrum, quantum in eo fuit, pro Romano Pontifice statuere & habere per se & alios moliretur, ipsumque fuit veneratus ut Papam, consecrationem, immò verius execrationem, ac diadema Imperiale, de facto recepit ibidem, ut de multis aliis reprobis ejus processibus & detestandis excessibus præsumptione perpetratis hæretica, taceatur. Propter quæ idem Prædecessor dictum Ludovicum denunciavit à Domino omni dignitate & honore fore privatum, & ipse in eum, tantarum hæresum & Schismatum maculis irretitum, exercens gladium Apostolicæ potestatis, eum cum omnibus qui adhærerent eidem, vel sibi præstarent auxilium, consilium, vel favorem, seu pro Romanorum Rege vel Imperatore scienter haberent, tenerent, vel nominarent, eundem, non solum excommunicationis & anathematis, sed etiam alias pœnas & sententias tanquam in fautores, auxiliatores, & valitores Hæretici, & Schismatici, promulgavit, & declaravit à jure prolatas sicut in diversis processibus, per dictum Prædecessorem super hoc habitis, seriosiùs continetur. Quibus per dictas litteras nostras prolixiore narrationis serie ad notitiam tuam deductis, magnificentiam tuam per easdem litteras requirendam duximus & rogandam, ut tu, prudenter advertens, & in scrutinium internæ considerationis adducens, gravitatem pœnarum & sententiarum, quas incurrerent, quantisque se periculis, & discriminibus implicarent, qui præfato Ludovico sic publicè & notoriè de pravitatibus hæresis sic odiosi schismatis condemnato, priusquam reconciliationis gratiam ejusdem Ecclesiæ meruisset, participare præsumerent, vel sibi impenderent auxilium, consilium, vel favorem, vel tanquam Imperatori vel Regi Romanorum reverentiæ cultum, seu titulum Regalis vel Imperialis nominis, assignarent scienter, à cujuslibet participationis fœdere contrahendo cum eo, & qualibet exhibitione reverentiæ & honoris sibi, tanquam Regi vel Imperatori, donec ipse reconciliationis gratiam dictæ Ecclesiæ meruisset, penitus te retrahere & totaliter abstinere arctares, ut tibi famæ integritas & illibata tui generis claritas servarentur. Postque rumore imposito & infesto ad auras nostras deducto, quod tu requisitionibus & precibus nostris hujusmodi, de fonte prodeuntibus caritatis, non sine detrimento tuæ salutis, & famæ, quod dolentes referimus, obauditis, eisdem processibus Prædecessoris ejusdem, per quos adversus omnes & singulos cujuscumque præminentiæ, conditionis, vel status, etiamsi Pontificali, vel Regali, vel quacumque alia Ecclesiastica, seu mundana dignitate fulgerent, præfato Ludovico adhærentes, seu præstantes directè, vel indirectè, publicè vel occultè, consilium, vel auxilium, vel favorem, vel sibi, tanquam Imperatori vel Regi Romanorum, reverentiam exhibentes, seu Titulum Regalis vel Imperialis nominis assignantes, seu ascribentes, graves spirituales & temporales pœnæ & sententiæ infliguntur in sua perdurantibus firmitate præsumpseras Confœderationes inire cum eo, sibique adhærere ac præstare consilium, auxilium, & favorem. Et, quod est gravius in serenitatis tuæ gloria notabilem ponere maculam non formidans, per totam Alemanniam & Germaniam, ac universas & singulas earum Provincias, Vicariatus nominis Officium, sub Imperialis nominis Titulo, ab eodem susceperas de facto cum idem Ludovicus nec Rex, nec Imperator, existit tali prætextu Ecclesiarum Prælatis & personis Ecclesiasticis in terris Imperii constitutis, ac in nostra & ejusdem Ecclesiæ devotione & fidelitate consistentibus, sub pœnis gravibus, per tuas litteras injungendo, ut ad te, tanquam ejusdem Ludovici in partibus illis vicarium super diversis, contentis in eisdem tuis litteris, convenirent, prout in dictis litteris, quas sigillo tuo munitas, præsentatas nobis, oculata fide perspeximus, plenius continetur contemnens damnabiliter pœnas & sententias supra dictas, illis te manifestè non absque horrenda tui status macula atque nota procul dubio implicando, nos considerantes quod hujusmodi Vicariatus Officium & alia præmissa per te præsumpta, ad tui honoris & status, ac salutis, & famæ, dispendium redundabant, te per dictas litteras nostras requisivimus, & hortati fuimus, Paternò tibi consilio suadentes, ut præmissa & alia, quæ circa illa tibi possent occurrere, deducens in rectæ discussionis & deliberationis examen; Ac insuper tenens certius & attendens quod idem Ludovicus, ut præfertur nec Rex, nec Imperator existit nec aliqua, quæ fecerit, vel faciat sub Imperiali vel Regali nomine, sint alicujus roboris vel momenti. Quodque tibi periculosum erat, ac multipliciter formidandum, bellorum subire discrimina, si fores dictis processibus, pœnis, & sententiis, involutus, ac per hæc Dei & ejusdem Ecclesiæ persecutor & hostis effectus, à quibus semper desideravimus reddere te immunem, ab hujusmodi præsumptionibus penitus resilires, gressusque tuos in viam rectam ac Deo placitam tuisque statui, saluti, & honori, congruam dirigere, quantocius non differres. Sperabamus enim quod oculis tuis apertis ad bonum, & declinantibus non in erroris devium, sed in callem rectitudinis & semitam veritatis salutiferæ, monita devote susciperes & efficaciter adimpleres, nec dominum, ac nos, & eandem Ecclesiam, ulterius

teriùs per graviores excessus ac oppressiones Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, contra te ad iracundiam provocares. Sed, sicut noviter ex conquestione venerabilis fratris nostri, Guillelmi Episcopi Cameracensis, non sine admiratione & animi turbatione, percepimus, & referimus cum dolore, tu prædictis Monitis, Requisitionibus, Hortationibus, & precibus Apostolicis deductis penitùs in contemptum, adversus præfatum Episcopum & Ecclesiam Cameracensem, ad Comitatum & terras ipsorum, quosdam voluntarios & odiosos processus, non absque divinæ Majestatis & Apostolicæ sedis offensa, & derogatione Ecclesiasticæ libertatis, de facto, prætextu Vicariatus hujusmodi, habere cepisti, & graviores facere comminaris, ac contra Civitatem Cameracensem, quæ ad Episcopum & Ecclesiam prædictos pleno jure noscitur pertinere, equitum & peditum armatorum exercitum congregasti, ipsamque, in dictorum Episcopi & Ecclesiæ damnum non modicum & præjudicium, obsedisti, eamque detinere præsumis obsessam. Cum itaque processus, vel veriùs excessus, hujusmodi non possumus salva conscientia, nec etiam debeamus conniventibus oculis pertransire, quin ad tuitionem & defensionem ejusdem Cameracensis, & aliarum Ecclesiarum, in quarum oppressione Jura nostra & Romanæ Ecclesiæ opprimi dubium non existit, apponamus manum Apostolicæ potestatis. Excellentiam tuam iteratò requirimus & rogamus attentè per Apostolica scripta tibi districtiùs injungentes, quatinus attendens consultiùs & revolvens prudentius, in scrutinio mentis tuæ, quàm periculosum tibi, tuisque hæredibus imposterum reddi posset, quod adversus ejusdem prædecessoris processus notoriè habitos & per universa fore orbis climata publicatos, te procaciter erigas & publicè venias contra eos. Quantaque nota infamiæ & ignominiæ, ex præsumptione tam damnabili respergaris; considerantiùs etiam cogitans quale tibi, tuisque hæredibus, imposterum possit parturiri dispendium, si publicus fautor hæretici & schismatici, de hæresi & schismate condemnati, per solemnes processus ejusdem sedis Apostolicæ denoteris consulto & proviso consilio, per emendationem debitam, hujusmodi studeas præcavere pericula & dispendia evitare; prædictum exercitum ab obsidione prædicta quantociùs revocando, & à similibus imposterum abstinendo, dictoque Vicariatus officio, per quod fama tua læditur, & status dignitatis Regiæ non mediocriter minoratur, ulteriùs non utendo. Alioquin, cum non sit differendum homini contra Deum, nec Ecclesiarum oppressiones possumus salva conscientia æquanimiter sustinere, contra te, licet invitè, ad publicationem dictarum sententiarum & pœnarum in dictis ejusdem prædecessoris processibus constitutarum, contentarum & etiam prolatarum, quas te propter prædicta non est dubium incurrisse, infallibiliter procedemus & procedi faciemus per illos, prout viderimus expedire.

Datum Avinion. quarto Idus Octobris Pontificatus nostri Anno quinto.

IV. Ex Archiv. Angl. Rimer. To. 3. 5. pag. 146.

Franciæ & Angliæ Reges ad pacem hortatur, & litem componere se paratum exhibet: Anno 1339.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

DUm diligenter attendimus, & profundis cogitationibus meditamur, quanta summi & æterni Regis fuerit benignitas & misericordissimæ affluentia pietatis, quòd pridem tuis, carissime Fili, & carissimi in Christo Filii nostri Illustris Franciæ Regis, ejusque colligatorum Ordinatis aciebus, & multum ex propinquo ad confligendum terribiliter & animosè dispositis hinc & indè, secuta non exstiterunt pericula, quæ tantus fragor armorum & armatorum impetus minabantur. Eidem laudum exolvimus præconia cùm hæc ad donum Dei maximum & grande operatum misericorditer à Clementia divinæ providentiæ, quæ in sui dispositione non fallitur, miraculum reputetur. Ex hoc quidem colligi potest etiam apertiùs quòd altissimo, qui bella conterit, & gentibus, ea volentibus, per Prophetam, dissipationis exterminium comminatur, tanta sanguinis redemptorum pretioso cruore Dominico, quanta fuisset si conflictum sibi dedissent acies prædictæ tunc temporis, in totius Christianitatis damnum, opprobrium, ac animarum multarum periculum effusio non placebat. Regalis quoque circumspectio potest etiam advertere diligenter, quantum tu, & Rex prædictus indignationem haberetis formidare divinam, si populos Dei, quos ipse à periculis animarum & corporum eripuit sic benigne, iterum simili subjicere discrimini curaretis; timendum esset procul dubio, ut adeò accenderetur; & præsertim vehementiùs contra illum qui hujusmodi discrimini daret ampliorem operam, ira Dei, ut tanta strages tantaque confusio sequerentur, quod tota concuteretur Christianitas, & reformatio pacis & concordiæ non solum difficilis, sed impossibilis, quæ non sinat miserator & misericors Dominus contingere, redderetur. Et insuper, nec minus considerandum videtur, quantum, occasione guerrarum præsentium, multis & variis modis, ut fertur, Regii subditi non modicum sint exhausti pecuniis, & aliis bonis suis; & etiam quod, si continuatio talium onerum sequeretur quod absit amplius gravarentur; quodque bellorum eventus est dubius & multum, ubi Dei timeretur indignatio formidandus. Ideoque Regiam Magnificentiam rogamus in Domino attentius & hortamur, eam, nihilominus per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus, præmissa & alia quæ possunt occurrere circumspectioni Regiæ in hac parte, revolvens intra claustra pectoris Regii, & deducens in exactæ deliberationis examen, ad reformandam pacem cum Rege præfato, vel Treugas ineundas, ut tuis, dilectissime fili, tuorumque obvietur periculis, & Deo, qui pacem diligit, & in viris pacificis delectatur magis placeas, teque acceptiorem eidem efficias, animum habiles Regium & inclines; dilectorum filiorum nostrorum Petri tituli Praxedis, Presbyteri & Bertrandi sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconi, Cardinalium, Apostolicæ sedis nunciorum, zelatorum utique Regii honoris & commodi, quos dudum ad partes illas, propter ea, de consilio fratrum nostrorum, destinavimus, monitis & salubribus circa hoc persuasionibus effectualiter nihilominus adquiescens. Sanè, cum propter ea, quæ præmissa sunt, & quia hujusmodi & aliis innumeris periculis, ex guerris prædictis eminentibus, obviare salubriter, & ut inter te, Fili amantissime, dictumque Regem, tibi nexu propinquo sanguinis & affinitatis conjunctum, pacis plenitudo & maturæ caritatis dilectio vigeant, pacis reformationem hujusmodi ferventibus desideriis peroptamus, si forsan

per

per eosdem Cardinales ad pacem ipsam attingi non possit, in illis partibus, Tuque, præcarissime Fili, & Rex prædictus, vos ad mutuam habilitantes concordiam, Deo placabilem hominibus amabilem, Christianitati utilem, ac utrique vestrum multipliciter opportunam, consentire volueritis, ut nos, ad pacem ipsam reformandam, tanquam Tractator amicabilis, in persona propria intendamus; & initis aliquibus invicem Treugis vel concessis sufferentiis ab Invasionibus & Commotionibus Bellicis, usque ad tempus opportunum, infra quos tractatus pacis inchoari continuari, & si misericordiarum Dominus dederit, ad finem possit deduci felicem & votivum, nuncios vestros mandatis suffultos idoneis ad nos propterea destinando. Nos licet arduis & importabilibus negotiis agitemur continuè supra vires paratos ob desiderium pacis prædictæ nos offerimus, aliis, quantum commodè cum honestate fieri poterit, prætermissis efficaciter super reformatione hujusmodi pro quiete, utilitate & honore utriusque partis, interponere sicut præmisimus, prout ex alto nobis ministrabitur, Solicitudinis nostræ partes; super quibus, matura deliberatione prævia rescribat nobis vestra Regalis Magnificentia suæ beneplacitum voluntatis. Datum Avinion. decimo Calendas Januarii Pontificatus nostri anno quinto.

V. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 5. pag. 173.

Ad Angliæ Regem hortatoria, ne utatur nomine, & Titulo Regis Franciæ: anno 1340.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Nuper excellentiæ Regiæ literis nostro Apostolatui præsentatis, & contentis in ipsis plenius intellectis, novus in eis descriptus Titulus, & impressio sigilli Franciæ armis & Angliæ sculpti ut prima facie videbatur, stuporis & admirationis magnam nobis materiam ministrarunt. Nempè, Fili carissime, quantò te amplioris dilectionis prærogativa prosequimur, tantò gravius in interioribus anxiamur, dum perversis, & fraudulentis consiliis te trahi & induci percipimus ad ea, quæ non expediunt, neque decent; nec ea tacere vel dissimulare nos intereà sinit affectio, quo minus ea ut providere tibi super illis consultiùs & salubrius valeas, ponamus ante oculos mentis tuæ. Siquidem certum & indubitatum asseritur quædam consuetudo, hactenus inconcusse servata successionem ad Regnum Franciæ, per Fæmininam lineam non admittat, tibi, qui, ut nosti, de stirpe domus Franciæ descendisti ex Fæminina linea, dicitur successio non deberi etsi etiam consuetudo non prohiberet ad coronam dicti Regni successorem ex Fæminina linea procedentem sunt profectò, claræ memoriæ, Regum Franciæ, qui gradatim, inclitæ recordationis, Philippo Regi Franciæ, avo tuo successerunt, Filiæ ac Proles earum, quæ quo ad successionem eandem proximiores, ut præfertur, existerent Regibus Patribus suis, quam existatis tu & carissima Filia nostra Isabella Regina, illustris mater tua, nata Philippi prædicti. Sed adeò, ut præmittitur, observata est præteritis temporibus, ipsa consuetudo irrefragabiliter, & etiam observatur, quod successionem ad Regnum prædictum ex Fæminina linea non admittit. Cogitare autem quod per viam potentiæ, Regnum posses occupare prædictum, nequaquam attenta Regis & Regni Franciæ magnificentia & potentia, æstimantur ad id sufficere vires tuæ; scilicet quòd, in Regno eodem nil tenens, te Regem Franciæ facias nominari, armaque illius sumpseris, ut præfertur, de malo & iniquo Consilio procul dubio creditur emanasse. Si verò qui tibi suaserunt talia nituntur asserere palliando quod in Flandria, quæ de Regis, & Regni Franciæ noscitur existere Feudo, dominaris profectò attendendum & considerandum est, & potest discutere Regia circumspectio diligenter, qui & quales, cujusque conditionis sunt illi qui te introduxerunt ibidem. In ipsis namque hactenus Virtus constantiæ & fidelitatis, nequaquam existit commendata; naturales enim Dominos suos, quibus erant debito fidelitatis astricti, violato Fædere Fidei pro suarum voluntatum libito, sæpè de ipsa Flandria turpiter ejecerunt. Et si hoc fecerunt de illis, quos revereri naturaliter tenebantur, quid de te, Fili, præsumendum sit, & qualis exinde possit assumi & formari titulus, tuaque prudentia consideranter advertat. Attende prorsus etiam si de bono & recto Consilio processerit, quod carissimo in Christo filio nostro, Philippo Rege Franciæ illustri regnante, qui per multos annos, tanquam Rex Franciæ, Regnum pacifice tenuit & possedit; & an tu, sicut, & tali, pro terris, infra dictum Regnum ad te pertinentibus fidelitatem & homagium ligium faciendo, eum in Regem Franciæ tuumque Dominum pro terris recognovisti prædictis, te Regem Franciæ facias nominari; stupent quidem qui audiunt, id non ad discretionem, sed ad simplicitatem & vanitatem potius ascribentes. Deindè perspicaciùs credimus attendendum, quòd talis denominatio te carens & commodo, quam tibi persuasisse dicuntur qui te non diligunt, sed cum tuis jacturis lucra propria venari satagunt, ad ea se posse attingere æstimantes, eum te altioribus intricationibus, & periculosioribus necessitatibus & negotiis, illaqueari procuraverunt & involvi. Radix venenosa esse timetur, germinatura verisimiliter, & nisi provideatur aliter, fructus amaritudinis & doloris. Præterea æstimamus tibi non minus diligentius advertendum, quot, quales, & quantos Reges, Principes, & magnates, qui de stirpe Domus Franciæ processerunt, aut habent affinitatem, seu confæderationem cum ipsa, qui se tibi non opponebant super tuis negotiis anteà ex nominatione seu intitulatione hujusmodi contra te provocares, & expressiùs, si eidem, quod absit, insisteres, irritares; talemque oriri nominatio ipsa posset, quod avertat Dominus materiam, per quam pacis reformatio inter te dictumque Regem Franciæ impossibilis perpetuo quantum ad humanum spectat judicium, redderetur. Et etiam iidem Principes & alii Regnicolæ dicti Regni, qui se, ut vulgaris vox sonat, prius mortis periculis & perpetuis bonorum suorum perditionibus exponerent, quàm sustinerent prædicta, promptiores, potentiores, valentiores, & animosiores adversus te, ad defensionem dictorum, Philippi Regis & Regni, per nominationem seu Intitulationem efficerentur eandem. Nec est tibi amantissimeFili ut aliàs tibi scripsisse meminimus, multum confidendum de Teutonicis & Flamingis; nam eos affabiles & propitios tibi reperies, quamdiù facultates tuas poterunt exhaurire, aliàs autem de ipsorum assistentia non confidas.Et si gesta progenitorum tuorum revolveris, qualiter erga eos se olim gesserunt iidem Teutonici & Flamingi, quomodo de ipsis possis confidere, reperies manifestè.Itaque celsitudinem Regiam rogamus, & attentè in Domino hortamur quatinus præmissa, quæ de benevolentia

Paterna.

Paterna, & affectione sincera scribimus, benevolo suscipias animo, eaque unà cum illis, quæ tibi circa hæc possunt occurrere, adducens in rectæ considerationis & discussionis examen, omissa intitulatione prædicta, regium inclines animum ad viam pacis & concordiæ per quam, quæ tui juris erunt, assequi & retinere pacificè valeas; mutua inter se dictumque Regem concordia reformata; ut sicut nervis sanguinis & affinitatis jungimini, sic sitis perpetuo vinculo fæderis & amoris connexi.

Datum Avenion. tertio nonas Martii Pontificatus nostri anno Sexto.

ANNO 1342.

CLEMENS SEXTUS, PONTIFEX CC.

ANNO DOMINI MCCCXLII.

Clemens priùs Petrus Rogerius, literatus, memoriæque planè invictæ: Jubilæum ad L. annum reduxit, liberalis Indulgentiarum promus condus; sed notatum vix decem ex millenis, qui Romam confluxerant, ob ingentem pestem rediisse. Ludovicum Bavarum persequutus est. Galliæ Regibus varia indulsit privilegia & speciatim sub utraque specie communicare permisit. Obiit Avenione an. 1352. sedis decimo. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. fol. 254.*)

I. Ex Spicil. Dacherii n. edit. Tom. 3. pag. 722.

Epistolæ variæ quibus quamplurima privilegia concedit Regi & Reginæ Francorum, diversis annis scriptæ.

CLEMENTIS PAPÆ VI. EPISTOLÆ.

I. JOANNÆ *Reginæ Franciæ.*

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimæ in Christo filiæ JOANNÆ Reginæ Franciæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Gratulabundus scribit Reginæ.

Quia scimus te, Filia carissima, de prospero statu nostro gaudere, scire benevolentiam Regiam volumus, quòd licet ex incumbentibus variis & diversis arduis negotiis ad Apostolicam sedem incessanter confluentibus; curis continuis anxiemur; assistente nobis tamen divinâ clementiâ, corporali sospitate lætamur: quod de te, Filia dilectissima, & carissimo in Christo Filio nostro Philippo Rege Franciæ Illustri viro tuo, liberisque Regiis, audire quàm plurimum nos promptos, quantum cum Deo possumus, ad tua & ipsorum commoda & honores delectat. Cæterum tuam volumus celsitudinem non latere, quòd venerabiles Fratres nostri Petrus Prænestinus, & Anibaldus Tusculanus Episcopi, de partibus Franciæ ad sedem redeuntes prædictam: ac nobis, ac Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quæ gesta circà negotia, pro quibus missi fuerant, delectabiliter & plenariè in Consistorio referentes, ad laudem & commendationem præfati Regis & tuam multa honorabilia, quæ lætificaverunt mentem nostram non modicum, relationi hujusmodi adjecerunt. Rursùs pridem relatu quorumdam percepimus, quòd dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria, nata quondam Caroli Ducis Calabriæ, absque amicorum consilio matrimonium cum dilecto filio nobili viro Carolo Duce Duracii per verba de præsenti contraxit: an tamen sit vera relatio hujusmodi adhuc certitudinaliter ignoramus. Datum Avinioni quinto Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

II. *Eidem.*

Anno MCCCXLII. Gratias agit Reginæ, quòd ipsa effecerit, ut sententiam, in Cardinales, ac eorum & Papæ familiares, qui beneficiis potiebantur, latam Rex abrogaret. Deinde agit de lite in Regem Angliæ motâ.

Clemens Episcopus servus servorum Dei, Carissimæ in Christo filiæ JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Serenitatis tuæ, filia Carissima, literas lætâ manu recepimus, inter cætera continentes qualiter his, quæ dilectus filius Magister Firminus de Coquerello Decanus Ecclesiæ Parisiensis, Carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciæ Illustris ac tuus Consiliarius, super illis novitatibus adversùs Deum & libertatem Ecclesiasticam per literas dicti Regis, nescimus quorum minùs providis consiliis, his diebus præteritis attentatis, tuæ Regiæ magnificentiæ pro parte nostrâ exposuit; intellectis: Tu filia benedictionis & gratiæ, apud Regem eumdem super revocatione hujusmodi attentatorum, eodem præsente Decano, precibus opportunis insistens, tandem Rex ipse præmissa quoad beneficia venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac nostrorum & suorum obsequentium & familiarium duxerat, inclinatus precibus hujusmodi, revocanda; quodque pro divinâ reverentiâ, honore Ecclesiæ, ac nostri consideratione, super plenâ & integrâ revocatione apud Regem ipsum insistere intendebas. Nos igitur benignitatem tuam Regiam, quam erga Deum sincera devotione fulgentem, & ad Ecclesiam sanctam suam esse propitiam, dum status nos haberet inferior, certâ probavimus experientiâ, & postquàm ad summi Apostolatûs apicem divina miseratio nos provexit, evidentibus sensimus indiciis & sentimus, cum gratiarum actionibus mulpliciter in Domino super his commendamus. Sanè, Filia dilectissima, quia novitates prædictæ aliàs inauditæ, si de illis scintilla remaneret aliqua, sponsum ejusdem Ecclesiæ Dominum nostrum JESUM CHRISTUM graviter offenderent, & iram ipsius meritò provocarent, saluti animæ dicti Regis ac celebritati sui nominis & honoris, domûsque inclytæ Regiæ Franciæ obvia existerent, & aliis perniciosa ministrarent exempla: Sublimitatem tuam rogamus, & in Domino attentiùs exhortamur, quatenùs illius summi, & æterni Regis, qui opus perfectum diligit, & imperfectionem abhorret, te in hac parte filiam constituens specialem, quod expediendum restat super revocatione attentatorum hujusmodi, ut ad Dei & ejusdem Ecclesiæ sanctæ suæ honorem, Regis prædicti salutem, & dilatationem famæ suæ, plenum opus perfecisse læteris, apud Regem ipsum procures, sicut ex tuâ oblatione benignâ spem nobis dedisti, favorabiliter expediri. In te quidem, præcarissima Filia, illa Regina Ester, quæ iniquum consilium quod ad perdendum populum Dei Israël Rex Assuerus habuerat, imitari suis precibus promeruit in salutem, præfigurata in hoc casu, non absque magnæ laudis præconiis & meritorum cumulis poterit denotari. Nos autem venerabilibus Fratribus nostris Pastori Archiepiscopo Ebredunensi, & Guillelmo Episcopo Carnotensi Apostolicæ sedis Nuntiis, quos propterea destinandos ad præfati Regis viri tui & tuam præsentiam providimus, expressè duximus injungendum, ut ad te recurrant principaliter, & juxtà tui directionem con-

filii habeant procedere in præmissis. Scitura pro certo, filia præcarissima, quòd per eos ad præsens non scribimus nisi caritativè & hortatoriè dicto Regi. Pro certo quidem tenuimus, cum tenorem literarum novitates prædictas continentium audivimus, quòd si Rex ipse contenta in eisdem litteris deliberatè ac pleniùs advertisset, nullo modo eas permisisset à suâ Curiâ emanare. Nihilominùs confidentes quòd ipse cum super hoc informatus existeret, nullatenùs sustineret quominùs ad revocationem procederet earumdem; quodque talia, vel similia sic divino & humano juri contraria non permitteret quomodolibet ulteriùs adversùs Deum & ipsam Ecclesiam, & præsertim vestris temporibus attentari.

Porrò super his, quæ de faciendis processibus contrà Regem Angliæ nuper tua Excellentia nobis scripsit, breviter respondemus, quòd amore pacis quam desideravimus & desideramus ferventibus desideriis, & ne ipsius posset impediri tractatus; per Cardinales Nuntios à processibus, prout nobis scripserunt, cessatum exstitit usque modò. Nunc verò aliquos de novo ordinari facimus diligenter: quibus breviter ordinatis, illorum tibi mittemus copiam, & eos absque cunctatione faciemus, nihil aliud exspectando ulteriùs, expediri. Datum Avinioni Idibus Aprilis, Pontificatûs nostri anno quinto.

Anno MCCCXLVII.

III. Venerabili fratri JOANNI *Archiepiscopo Rotomagensi.*

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri JOANNI Archiepiscopo Rotomagensi, salutem & apostolicam benedictionem. Intellecto nuper quòd carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Franciæ illustris, occasione novitatis factæ per carissimum in Christo filium nostrum Jacobum Regem Majoricarum illustrem in Comitatu Rossilionis, villam & Baroniam Montispessulani ad manum regiam poni, & nihilominùs contrà ipsum Regem Majoricarum ac subditos & servitores suos, qui ei super hoc adstiterant, procedi mandavit speciali ad hoc commissario destinato. Nos eumdem Regem Franciæ per nostras litteras deprecamur, ut præfato Regi Majoricarum piè compatiens, velit erga eum benignè agere, ac omnem pœnam, si quam pro præteritis culpis meruit, ei gratiosè remittere, ac manum regiam à Villa & Baroniâ prædictis, cùm aliunde præfatus Rex Majoricarum non habeat unde se ac filios, licet pauperes regali tamen prosapia genitos, sustentare valeat, amovere. Quocircà Fraternitatem tuam attentè rogamus, quatinùs apud eumdem Regem Franciæ quòd nostris in hac parte precibus annuat pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia interponas efficaciter partes tuas.

Datum Avinioni undecimo Kalendas Septembris, Pontificatûs nostri anno sexto.

An. MCCCLI.

IV. & reliquæ ad JOANNEM *Regem Franc. &* JOANNAM *Reginam. Seu Privilegia quædam Regibus Franc. impertita.*

Quòd Rex & Regina in locis interdictis possunt facere celebrare.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut votis vestris, his præsertim quæ ad vestrarum animarum salutem valeant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut si forsan ad loca Ecclesiastico interdicto supposita vos contigerit declinare, liceat vobis & illis, in eis januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, etiam altâ voce Missam & alia divina Officia in vestrâ & familiarium vestrorum, ac vos sequentium personarum præsentiâ facere celebrare, dummodo vos vel illi causam non dederitis interdicto, nec id vobis, vel illis contigerit specialiter interdici. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni tertio Kal. Maii, Pontificatûs nostri anno nono.

V. Quòd possunt eligere Confessorem.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Benigno sunt illa vobis concedenda favore; per quæ, sicut piè desiderare videmini, conscientiæ pacem, & salutem animæ, Deo propitio, consequi valeatis. Hinc est quòd nos vestris devotis supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum indulgemus, ut vestrûm, & eorum quilibet aliquem idoneum & discretum Presbyterum in suum possit eligere Confessorem, qui quoties vobis & successoribus vestris opportunum fuerit, confessionibus vestris, & eorum diligenter auditis, pro commissis vobis, & eis debitam absolutionem impendat, & injungat pœnitentiam salutarem, etiamsi forsan talia fuerint propter quæ Sedes Apostolica sit meritò consulenda. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Datum duodecimo Calend. Maii, anno nono.

VI. Quòd Confessor potest mutare vota, & juramenta eorum.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Votis vestris libenter annuimus, iis præcipuè per quæ, sicut piè desideratis, pacem, & salutem animæ, Deo propitio consequi valeatis. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum indulgemus; ut Confessor Religiosus, vel sæcularis, quem vestrûm & eorum quilibet duxerit eligendum, vota per vos forsitan jam emissa, ac per vos, & successores vestros in posterum emittenda, ultramarino, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ac castitatis & continentiæ votis dumtaxat exceptis; necnon juramenta per vos præstita, & per vos & eos præstanda in posterum, quæ vos & illi servare commodè non possetis, vobis & eis commutare valeat in alia opera pietatis, prout secundùm Deum, & animarum vestrarum, & eorum saluti viderit expedire. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum Avinioni XII. Calend. Maii, anno nono.

VII. Quòd Confessor in exercitu potest dare licentiam vescendi carnibus.

CLEMENS, &c. Carissimo in Christo filio JOANNI Regi Franciæ Illustri, Salutem & Aposto-

Apostolicam benedictionem. Provenit ex tuæ devotionis affectu, quo nos & Romanam Ecclesiam revereris, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque ex tenore tuæ petitionis nobis exhibitæ nunc accepimus, pro guerris imminentibus sæpe contingat ad loca, quæ non multum abundant piscibus, te cum tuo exercitu declinare, nos tuis supplicationibus inclinati, ut Confessor tuus, & successorum tuorum Regum Franciæ, qui pro tempore fuerint, quem tu vel illi duxeris eligendum, tibi & eis, ac tuis, & illorum familiaribus, & omnibus aliis qui tecum, & cum eis in eisdem guerris fuerint, vescendi carnibus, quamdiu in hujusmodi guerris fueritis, tu & illi, etiam diebus quibus earum esus à sacris Canonibus est communiter interdictus, sextis Feriis, ac Quadragesimâ; nec non Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, & Beatorum Joannis Baptistæ, & Apostolorum, ac Laurentii Martyris, & Solemnitatibus Omnium Sanctorum, Vigiliis dumtaxat exceptis, dummodo tu vel illi juramento vel voto ad abstinentiam ejus hujusmodi diebus illis aliàs non sitis adstricti; licentiam auctoritate Apostolicâ concedere valeat, cum id Confessor hoc probabiliter expedire viderit; sui ergo ipsius conscientiam oneramus: quibuscumque statutis & consuetudinibus ac constitutionibus & privilegiis Apostolicis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica tibi, & eisdem successoribus, indulgemus. Nulli &c. Si quis, &c. Datum Avenioni, anno nono.

VIII. Quòd Confessor dispensare potest de jejuniis, &c. de consilio Medicorum, de abstinentiâ carnium.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut votis vestris, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, ac vestrûm, & eorum cuilibet, auctoritate præsentium indulgemus, ut Confessor idoneus Religiosus, vel sæcularis, quem quilibet vestrûm habet, vel vos, & eos imposterum habere contigerit, vobis enim, & cum eis, ut diebus quibus jejunia per Ecclesiam instituta sunt, jejunare minimè teneamini: ac etiam prædictis, & aliis diebus, quibus esus carnium est prohibitus de consuetudine, vel de jure, carnibus vesci possitis, de consilio tamen Medicorum, quoties Confessor, & Medici prædicti hoc vobis, & eis videbitur expedire. Quorum videlicet Confessoris & Medicorum conscientias oneramus: Constitutionibus, Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate nostrâ valeat dispensare. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

IX. Quòd Rex ingredi potest Monasterium inclusarum.

CLEMENS, &c. Carissimo in Christo filio JOANNI Regi Franciæ Illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, promeretur, ut quæ à nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc est quod nos supplicationibus tuis inclinati, tibi, & successoribus tuis Regibus Franciæ, qui fuerint pro tempore, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut quotiescumque tu, & dicti successores, volueritis pro spirituali consolatione vestrâ cum quibuscumque personis maturis & honestis, quas ad hoc duxeritis eligendas, Monasteria Religiosorum, & Religiosarum, etiam inclusarum, quorumcumque Ordinum existant, quibuscumque Constitutionibus Apostolicis ac Statutis, Consuetudinibus Monasteriorum & Ordinum prædictorum contrariis, nequaquam obstantibus, liberè ingredi, ac inibi comedere & bibere, ac in eisdem Monasteriis Religiosorum pernoctare licitè valeatis, dummodo ad id accedat assensus eorum, vel earum, qui, vel quæ Monasteriis ipsis præsunt. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

X. Quòd Rex possit facere celebrare super Altare portatile in præsentia sui, & gentium exercitûs sui.

CLEMENS, &c. Carissimo in Christo filio JOANNI Regi Franciæ Illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geris Ecclesiam, promeretur ut petitionibus tuis illis præsertim quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est quòd nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi, & successoribus tuis Regibus Franciæ, qui pro tempore fuerint, habere Altare portatile cum debitâ reverentiâ & honore, super quo quotiescumque pro gubernatione & defensione Regni tui Franciæ te, & illos personaliter esse contigerit in expeditione guerrarum, in tentoriis vestris, in locis tamen aliàs congruentibus & honestis, possitis per proprios, vel alios Sacerdotes idoneos, Regulares, vel sæculares, Missam, ac alia divina Officia, sine juris alieni præjudicio, in tuâ & gentium tui exercitûs & eorum præsentiâ facere celebrare, tibi, & eisdem successoribus tuis in perpetuum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. *ut suprà.*

XI. Quòd Prælatus celebrans coram Rege, seu Reginâ, conferre potest unum annum & quadraginta dies Indulgentiæ.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ut erga Deum & Sedem Apostolicam eo ampliùs vestræ crescat devotionis affectus, quo Sedem ipsam benigniorem in vestris opportunitatibus vos senseritis invenisse. Devotionis vestræ precibus inclinati, ut quotiescumque aliquem Prælatum in Pontificalibus solemniter in vestrâ, & successorum vestrorum Regum, & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & cujuslibet, & vestrûm, & illorum præsentiâ Missam contigerit celebrare; idem Prælatus vobis, & eis, ac omnibus ibidem astantibus Missam hanc devotè audientibus, verè pœnitentibus & confessis unum annum & quadraginta dies de injunctis, vobis & eis, pœnitentiis auctoritate Apostolicâ relaxare valeat, vobis & eisdem successoribus in perpetuum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. *ut suprà.*

XII. Quòd Confessor Regis & Reginæ, eis semel in mortis articulo, & quotiescumque pro Regni defensione imminet periculum, plenam remissionem peccatorum indulgere possit.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Fran-

ciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Devotionis vestræ sinceritas, quam ad Deum & Ecclesiam Romanam gessisse hactenùs & gerere comprobamini, meritò nos inducit, ut vestris petitionibus, illis præsertim quæ devotionis augmentum, & animarum vestrarum salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, & vestrum & eorum cuilibet auctoritate præsentium indulgemus: ut Confessor, quem vestrûm & eorum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum & suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fueritis, plenam remissionem vobis, in sinceritate fidei & veritate Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia & devotione nostra, vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium persistentibus; semel in mortis articulo, & etiam quoties pro Regni vestri defensione imminere vobis, & eis mortis periculum verisimiliter formidabunt, auctoritate Apostolica concedere valeat: sic tamen quòd idem Confessor de his, de quibus fuerit alteri satisfactio facienda, eam vobis, & eis per vos, vel per ipsos, si supervixeritis; vel per hæredes vestros, & eorum, si tunc vos & illi forte transieritis, faciendam injungat, quam vos, vel illi facere teneamini, ut præfertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita in posterum committenda, volumus quòd si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua fortè commiseritis, quod ad illa prædicta remissio vobis & aliis nullatenùs suffragetur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XIII. Quòd Rex & Regina, eorumque liberi, sub patria potestate existentes non possunt excommunicari, aut interdici ab aliquo.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ob vestrorum exigentiam meritorum, quibus vos largitor bonorum omnium insignivit, libenter illa vobis concedimus, per quæ non solum vester, sed & successorum vestrorum status tranquillo pacis munimine fulciatur. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut nullus in vestras, & successorum vestrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, & vestrorum & eorum natorum, existentium sub patria tamen potestate, personas excommunicationis aut interdicti sententias promulgare, aut vobis seu ipsius ingressum Ecclesiæ interdicere valeat absque Sedis Apostolicæ speciali mandato, faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de hac indulgentia mentionem, vobis & eisdem successoribus in perpetuum auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli &c. Si quis, &c. *ut suprà.*

XIV. Quòd Rex & Regina possunt facere celebrare ante diem circà diurnam lucem, & alta voce, cum qualitas negotiorum exigit, parcè tamen utendo.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur ut votis vestris favorabiliter annuamus; illis præsertim per quæ, sicut piè desideratis, divinis Officiis intenti existatis, & spiritualis salutis vobis proveniat incrementum. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut Missam antequàm illucescat dies, circà tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, liceat vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrum & eorum cuilibet per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum in vestra, & eorum præsentia etiam alta voce facere celebrari, ita quod id nec vobis, nec illis, aut Sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari; vobis, & eisdem successoribus vestris in perpetuum auctoritate Apostolica, tenore præsentium, speciali gratia indulgemus: proviso quòd parcè hujusmodi concessione utamini, quia cum in Altaris Officio immoletur Dominus noster Dei Filius JESUS CHRISTUS, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XV. Quòd Clerici Jurati, & familiares Regis & Reginæ non possunt propter participationem cum excommunicatis excommunicari majori excommunicatione, nisi communicent in crimine criminosis.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Progenitorum vestrorum, qui fide præclari & devotione sinceri fuerunt orthodoxæ fidei & libertatis Ecclesiasticæ præcipui defensores, memoriam recolentes; & intuentes quod in his vestigia imitamini eorumdem, libenter vestris votis annuimus, & vos in desideriis quantùm cum Deo possumus, prævenimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra nostris est auribus intimatum, nonnulli Prælati Regni Franciæ, & eorum Officiales, & Judices à Sede Apostolica, & à legatis ipsius delegati, & exequutores hujusmodi personarum, cum aliquos sibi obedire nolentes vinculo excommunicationis astringunt, in participantes excommunicationis hujusmodi non solùm in crimine, sed alio modo, excommunicationis & interdicti præsumunt sententias promulgare: vestris precibus inclinati, auctoritate Apostolica vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, tenore præsentium indulgemus, ut si quando vestros, & dictorum Regum & Reginarum Capellanos, & Clericos juratos ad vestram & eorum familiam, hujusmodi excommunicatis communicare contingat, propter hoc majoris excommunicationis laqueo, vel etiam interdicto nequaquam ligari possint, dummodò non communicent in crimine criminosis. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum *ut suprà.*

XVI. Quod Rectores Ecclesiarum, ad quos Rex & Regina declinant, possunt Sacramenta eorum familiaribus ministrare.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur ut in his quæ personarum vobis obsequentium animarum salutem respiciunt, votis vestris quantùm cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, ut Parochialium Ecclesiarum, ad quarum Parochias vos, & successores vestros Reges & Reginas Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrum, & eorum quemlibet, cum gentibus & familiaribus vestris, & suis contigerit declinare Rectores, vel eorum locum tenentes, gentibus & familiaribus ipsis, quoties expedierit, ministrare valeant Ecclesiastica Sacramenta, quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & Statutis Synodalibus, aut aliis contrariis nequaquam obstantibus, jure Ecclesiæ cujuslibet alterius semper salvo: Vobis, & eisdem

succes-

successoribus, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum *ut suprà.*

XVII. Quod orantibus pro Rege & Regina centum dies de injunctis pœnitentiis qualibet die relaxantur.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sinceritatis vestræ vota si præclaris posse effectibus adjuvari promerentur devotis & piis Christicolarum intercessionibus apud omnium bonorum largitorem; ut igitur eorum adjuti suffragiis, hujusmodi intercessionum effectum multiplicatis intercessionibus faciliùs consequi valeatis: Nos considerantes vestræ devotionis affectum, quem ad nos & ad Romanam geritis Ecclesiam, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui devotis orationibus pro singulis vestrum, & successorum vestrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, quamdiù vos & illi vixeritis, pro incolumitate vestra, & post vestrum & illorum decessum, pro vestrarum & illorum animarum salute divinam misericordiam implorabunt, singulis diebus, quibus apud Deum hujusmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum *ut suprà.*

XVIII. Quod eligere possunt Confessorem, qui eos absolvat si excommunicationis sententiam incurrerint propter manuum injectionem in Clericos.

CLEMENS, &c. carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Vestræ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam Ecclesiam geritis, promeretur, ut desideris vestris, in his potissimè quæ animarum vestrarum salutem respiciunt, opportunis favoribus annuamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui fuerint pro tempore, ac vestrum & eorum cuilibet, aliquem discretum & idoneum Presbyterum, Religiosum vel secularem, in vestrum & eorum possitis eligere Confessorem, qui vos & eos à sententia excommunicationis, si quam vos & ipsos contigerit incurrere propter manuum injectionem in Clericos & personas Ecclesiasticas, etiam usque ad effusionem sanguinis inclusivè, citra tamen mortem vel membri mutilationem, auctoritate nostra juxta formam Ecclesiæ absolvere valeat; injunctis vobis & eis super his pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum *ut suprà.*

XIX. Quod nemo potest in terram Regis & Reginæ interdicti sententiam promulgare absque auctoritate Apostolica.

CLEMENS, &c. carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Illo caritatis affectu Regalem excellentiam amplexamur, & sic vos tamquam speciales & devotos Ecclesiæ Romanæ filios sincero corde diligimus, ut votis vestris favorabiliter annuentes, petitiones Regias (quantùm cum Deo possumus) ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quòd nos vestris devotis supplicationibus benignum impertientes assensum, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui pro tempore fuerint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut nullus possit in terram vestram, & eorum interdicti sententiam promulgare absque mandato vel licentia Sedis Apostolicæ speciali: volumus tamen concessionem nostram hujusmodi ad terras Baronum, & aliorum, quæ à Rege Franciæ, qui est & qui erit pro tempore, tenentur aut tenebuntur in feudum, & ad terras quas Reginæ Franciæ pro tempore existentes habent, & habituræ sunt de patrimonio proprio, aut alias, nisi forsan pervenerint ad easdem aut causa donationis propter nuptias, aut dotalitii ratione, aliquatenus non extendi: districtiùs inhibentes, ne si aliqui forsan contrà concessionem hujusmodi venientes in hujusmodi vestras, aut eorumdem successorum terras interdicti sententiam promulgarent, occasione promulgationis hujusmodi quovis pallio seu colore quæsito, per Curiam Regiam trahantur in causam, aut emenda propter ea ab eis aliqua exigatur. Nulli &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XX. Quod non teneantur ad restitutionem bonorum, nisi his qui ad notitiam eorum venerint, sed eleemosinis compensanda.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum in vobis salutem hominis utriusque sexus totis desideriis affectemus, nos volentes conscientiæ vestræ super restitutione bonorum (si quæ ad vos ex progenitorum vestrorum successione, vel aliàs fortè pervenerint) facienda his quorum sunt, licet, sicut asseritis, nesciatis ad restitutionem aliquam bonorum hujusmodi aliquibus vos teneri) paterna diligentia providere: vobis, & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui pro tempore fuerint, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut eleemosinæ, quas vos & illi facitis, & facietis in futurum, cedant loco restitutionis dictorum bonorum. Verum tamen scire vos volumus, quòd si vobis constiterit vos teneri ad restitutionem bonorum talium, & personas, quibus restitutio fieri debeat, ad vestram notitiam pervenire contingat, vos ipsis bona eadem restituere nihilominus oportebit. Nulli, &c. Datum, *ut suprà.*

XXI. Quod possint eligere Confessarium, qui illis, & Militibus, indulgentiam, auditis Confessionibus, valeat impertire.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Benigno sunt vobis illa concedenda favore, per quæ, sicut piè desideratis, vobis obsequentes animarum suarum salutem Deo propitio consequentur. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium in perpetuum indulgemus; ut quotiescumque in guerris unà cum vestro & eorum exercitu, vos & illos contigerit interesse, Confessor secularis vel regularis, quem quilibet vestrûm & eorum duxerit eligendum; vel ejus socius; aut vestræ aut illorum Capellæ principalior Capellanus; seu ille vel illi Sacerdotes idonei, quos ipsi vel eorum alter ad hoc duxerint deputandos: quoties fuerit oportunum omnium de exercitu, & in servitiis vestris existentium, confessiones diligenter audire, eisque de commissis absolutionem impendere, & injungere pœnitentias salutares: (nisi forsan talia fuerint, propter quæ sit Sedes Apostolica meritò consulenda) eisque ministrare valeat Ecclesiastica Sacramenta; felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri, & quibuslibet aliis Consuetudinibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus: Jure Parochialium Ecclesiarum, & cujusli-

bet alterius, in omnibus semper salvo. Nulli, &c. Si quis, Datum, *ut suprà.*

XXII. Nulli liceat Capellas Regias interdicto supponere.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem. Illa filialis devotio, & dilectio singularis, quam claræ memoriæ progenitores vestri circà prædecessores nostros Romanos Pontifices & Romanam Ecclesiam habuerunt, & in qua vos illis velut heredes legitimi hereditario jure succeditis, nos in eo constituit proposito voluntatis, ut in his quæ à nobis vestrà Celsitudo Regia duxerit postulanda, favorem velimus vobis Apostolicam impertiri. Ea propter vestris devotis precibus benignum impertientes assensum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium firmiter inhibemus, ut nulli liceat Capellas vestras & successorum vestrorum Regum, & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & cujuslibet vestrum, & eorum in perpetuum, Ecclesiastico supponere interdicto, nisi de licentia Sedis Apostolicæ speciali. Volumus autem quòd inhibitio nostra hujusmodi ad illas duntaxat Capellas Reginarum Franciæ, quæ sunt & erunt pro tempore, extendatur, quæ consistunt & consistent in terris quas dictæ Reginæ habent & habituræ sunt tantummodo, aut causâ donationis factæ, vel ipsis faciendæ propter nuptias, aut dotalitii ratione. Districtius inhibentes ne si aliqui forsan contra concessionem hujusmodi venientes, in hujusmodi vestras & eorumdem successorum Capellas interdicti sententiam promulgarent, occasione promulgationis hujusmodi, quovis pallio seu colore quæsito, per Curiam Regiam trahantur in causam, aut emenda propterea ab eis aliqua exigatur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXIII. Indulgentia conceditur unius anni & 40. dierum quando dedicationi vel consecrationi Ecclesiæ interesse contigerit.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ caritatis zelus, quam ad vos & vestram Domum inclytam gerimus, nostrum instantèr sollicitat animum, ut vos & illam prælucidis meritorum titulis insignitos, prærogativa favoris & gratiæ prosequentes, circa ea nos faciles & benevolos impendamus, per quæ vobis & eis, Domini favente clementia, honoris & exaltationis grande proveniat incrementum. Vestris itaque supplicationibus inclinati, quotiescumque vos & successores vestros Reges & Reginas Franciæ, qui pro tempore fuerint, & quilibet vestrum & eorum, ad alicujus Ecclesiæ vel Capellæ dedicationem vel consecrationem ire vel interesse ibidem contigerit, vobis & eis, ac obtentu vestro & eorum, omnibus aliis verè pœnitentibus confessis, & qui ad eamdem Ecclesiam vel Capellam causa devotionis accesserint, illo die de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies de injunctis vobis & eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXIV. Prædicator qui coram Rege & Regina verbum Dei proponit, potest audientibus unum annum & 40. dies de pœnitentiis injunctis relaxare.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Consideratione salutaris vestræ affectionis inducimur, ut in his, quæ tam vobis, quam aliis ad salutem prosequimini, admitti de benignitate Sedis Apostolicæ debeatis. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut quotiescumque diebus & testis præcipuis, in quibus secundum usum Regum Franciæ consuetum est coram ipsis prædicare, & proponere Verbum Dei, coram ipsis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, & quolibet eorum infrà Missarum solemnia prædicari, & ipsum proponi contigerit; tam vobis, quàm omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui vobiscum ibidem interfuerint, ipsumque verbum audierint reverenter, unum annum & quadraginta dies de injunctis vobis & eis pœnitentiis, idem proponens misericorditer relaxare valeat, auctoritate Apostolica vobis & eisdem successoribus in perpetuum tenore præsentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXV. Esu carnium permittitur Religiosa Regis ac Reginæ Confessario, diebus ab Ecclesia non prohibitis.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Vota vestra perpetuò paternâ prosequentes in omino caritate, eis libenter annuimus, in illis præsertim quæ ex affectu vestræ devotionis procedere dignoscimus. Hinc est quòd vos vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrum & eorum cuilibet, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut Confessor Religiosus quem nunc habetis, ac vos & illi habebitis in posterum, ejusque socii, vestris aut obsequiis eorum insistendo, quibus esset esus carnium secundum statuta sui Ordinis interdictus, licitè possint in vestrà comitivâ vesci carnibus, illis diebus quibus à sacris Canonibus esus hujusmodi minimè prohibetur; ac idem Confessor Fratribus & Religiosis ad hospitium vestrum declinantibus, quibus similiter est esus hujusmodi interdictus, vescendi carnibus in dicto hospitio diebus prædictis duntaxat, ac loquendi in mensa, auctoritate nostrâ licentiam valeat elargiri. Constitutionibus, prohibitionibus, ordinationibus, observantiis, & statutis quorumcumque ordinum contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXVI. Sequentes Curiam Regiam censentur esse in sua Ecclesia Parochiali quoad Sacramentorum administrationem.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Etsi quælibet vota vestra Regia libenter favore Apostolico prosequamur, promptius tamen eis annuimus quæ vestrorum & vestrarum etiam salutem respiciunt animarum. Cum itaque, sicut petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, vobiscum vestra Curia ad diversa loca & diœceses multoties declinante, super confessionibus, & Sacramentorum Ecclesiasticorum ministratione pericula, & dubia, & tædia multa inter Curiam ipsam sequentes, & Rectores Ecclesiarum, ad quos sic eos declinare contingit, insurgant; nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis & eidem Curiæ super hoc paternâ diligentiâ curaremus. Nos igitur periculis & dubiis ac tædiis hujusmodi paternâ sollicitudine obviantes, vestris supplicationibus inclinati vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus, ut eamdem

vestram

vestram ac successorum vestrorum Curiam sequentes quoad Ecclesiastica Sacramenta, in causâ necessitatis duntaxat, perinde sint & censeantur Diœcesano loci, & Rectori Parochialis Ecclesiæ, ad quem seu quam eos, vos & illos ac eamdem Curiam sequendo, declinare continget, quamdiù ibi manebunt (in omnibus salvo aliarum Parochialium Ecclesiarum jure) subjecti, quacumque Constitutione contrariâ non obstante, ac si de locis ipsis existerent oriundi. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXVII. Omnibus Curiæ Regiæ licentiam eligendi sibi quem voluerint Confessarium dat facultatem.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quâ Deum & Romanam Ecclesiam reveremini, promeretur, ut in his, quæ personarum vobis obsequentium animarum salutem contingunt, petitionibus vestris favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate præsentium indulgemus, ut vestrûm & successorum ipsorum cujuslibet Confessor; aut ejus socius sæcularis vel regularis; vel vestræ, vel eorum Capellæ principalis Capellanus, omnium & singulorum vestrorum & suorum familiarium domesticorum confessiones audire, ac illos à peccatis omnibus, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, (præterquàm in casibus Sedi Apostolicæ reservatis) juxtà Ecclesiæ formam absolvere, injunctâ sibi pro illis pœnitentiâ salutari, nec non Eucharistiæ ac alia Sacramenta Ecclesiastica ministrare valeat; felicis recordationis Clementis Papæ V. prædecessoris nostri, & quâlibet aliâ, Constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, jure Ecclesiæ Parochialis in omnibus semper salvo. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXVIII. Clerici Regis & Reginæ possunt à quocumque Episcopo Ordines suscipere.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ut erga Sedem Apostolicam eo ampliùs vestræ crescat devotionis affectus, quo eam vobis senseritis magis propitiam & benignam, vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, ac vestrûm & eorum cuilibet, tenore præsentium indulgemus, ut Clerici & Capellani vestræ & eorum propriæ Capellæ, ac alii vestri & eorum familiares & domestici Clerici, præsentes & posteri, vestris & eorum obsequiis insistentes, omnes minores & sacros Ordines à quibuscumque Archiepiscopis vel Episcopis Catholicis gratiam & communionem dictæ sedis habentibus, temporibus à jure statutis, licitè recipere: quodque hi Archiepiscopi vel Episcopi eis & eorum cuilibet, dictos Ordines auctoritate nostrâ conferre liberè valeant, dummodo sint ad hoc idonei, & aliud Canonicum non obsistat, Constitutionibus, vel statutis in contrarium editis, non obstantibus quibuscumque. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXIX. Clericis, Capellanis etiam Religiosis, commensalibus Regis ac Reginæ, permittitur recitare divinum officium ad usum Ecclesiæ Parisiensis.

CLEMENS, &c. Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur ut petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, ut vestri, & successorum vestrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, Capellani ac Clerici commensales, etiam Religiosi cujuscumque Ordinis sint, quamdiù vestris & eorum insistent obsequiis, & non ultrà, possint divina Officia dicere & celebrare secundùm morem & usum Ecclesiæ Parisiensis, vel coram Regibus Franciæ qui fuerint pro tempore, aut eorum liberis, hactenùs observatos: nec interim ad alia dicenda seu celebranda Officia secundùm aliquarum aliarum Ecclesiarum consuetudinem, in quibus etiam obtinent beneficia, teneantur; neque ad id à quocumque compelli possint inviti (nisi forsan essent per plures dies in aliquâ Ecclesiarum ipsarum, in quibus beneficia, ut præmittitur, obtinent, residentes) Constitutionibus ac statutis Ecclesiarum ipsarum contrariis non obstantibus quibuscumque: Vobis, & eisdem successoribus vestris in perpetuum auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus: proviso quòd dicti Capellani & Clerici consuetudinem earumdem Ecclesiarum in quibus, ut præmittitur, beneficia obtinent, in dicendis Horis hujusmodi observare studeant, quotiescumque ipsos in eisdem Ecclesiis hujusmodi Horis Canonicis contigerit, ut præmittitur, interesse. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *ut suprà.*

XXX. Indulgentiam centum dierum concedit omnibus Regni Franciæ incolis, qui pro Pace oraverint. Anno MCCCXLIV.

CLEMENS, &c. Universis Christi Fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cupientes ut Regnum Franciæ, à quo originem traximus, & ipsius Regnicolæ in verâ pacis tranquillitate lætentur; ac sperantes in Domino, qui est vera pax, quòd sublatis dissidiorum incommodis, assiduis pulsatus Fidelium deprecationibus, pacem dabit. Ut Fideles ipsi eo devotiùs pro pace hujusmodi intercedant, quo ex hoc dono cælestis gratiæ conspexerint se refertos: omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui devotis orationibus pro bonâ pace dicti Regni divinam misericordiam implorabunt, singulis diebus quibus apud Deum hujusmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avinioni Nonis Junii, Pontificatûs nostri anno tertio.

XXXI. Quòd Beneficiarii addicti obsequiis Regis ac Reginæ, ad residentiam non teneantur, beneficiorum tamen proventus percipiant.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, Carissimis in Christo filiis JOANNI Regi, & JOANNÆ Reginæ Franciæ Illustribus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, sublimisque status vestri eminentia promerentur, ut illâ vos gratiâ favorabiliter prosequamur, quæ personis vobis obsequentibus existere valeat fructuosa. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vobis & successoribus vestris Regibus & Reginis Franciæ qui fuerint pro tempore, ac vestrûm & eorum cuilibet, auctoritate præsentium in perpetuum indulgemus, ut vestri & successorum ipso-

ANNO 1344.

rum omnes Capellani & Clerici præsentes & posteri, vestris & eorum obsequiis insistentes, fructus, redditus & proventus omnium beneficiorum suorum Ecclesiasticorum; etiamsi dignitates, personatus, vel officia fuerint, & curam habeant animarum; (etiamsi dignitates hujusmodi in Cathedralibus post Pontificales, majores, & in Collegiatis Ecclesiis principales existant) quæ nunc in quibusvis Ecclesiis sive locis obtinent & in posterum obtinebunt, cum eâ integritate quamdiù hujusmodi obsequiis institerint liberè percipere valeant (quotidianis distributionibus duntaxat exceptis) cum quâ illos perciperent, si in ejusmodi Ecclesiis sive locis personaliter residerent; ac interim ad residendum in eis minimè teneantur, neque ad id à quoquam inviti valeant coarctari: non obstante si idem Capellani & Clerici primam in eisdem Ecclesiis non fecerint personalem residentiam consuetam, quam facere teneantur ab hujusmodi obsequiis recedentes: & quibuscumque Apostolicis, ac Provincialibus & Synodalibus, Constitutionibus, ac Statutis, & Consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum contrariis, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâcumque aliâ firmitate vallatis: etiam & de illis servandis & non impetrandis Literis Apostolicis contrà eâ, & ipsis Literis non utendo, etiam à dictis Capellanis & Clericis, aut alio, vel aliis impetratis; seu quovis alio modo concessis; & idem Capellani & Clerici per se vel Procuratores suos præstiterint hactenùs, vel eos in posterum præstare contigerit forsitan juramentum: seu si locorum Ordinariis à Sede Apostolicâ sit concessum, vel in posterum concedi contingat, quòd Canonicos & personas Ecclesiarum suarum civitatum & Diœcesium, etiam in dignitatibus & personatibus aut officiis constitutos, per substractionem proventuum suorum Ecclesiasticorum, vel aliàs compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem; aut si eisdem Ordinariis, ac dilectis filiis Capitulis earumdem Ecclesiarum, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum, vel medio tempore contigerit indulgeri, quòd Canonicis & personis earumdem Ecclesiarum, etiam in dignitatibus vel personatibus aut officiis constitutis, non residentibus in eisdem; vel qui primam in illis hujusmodi residentiam non fecissent, fructus, redditus, & proventus beneficiorum suorum Ecclesiasticorum ministrare minimè teneantur, & ad id compelli non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam & de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; ac quibusdam privilegiis, indulgentiis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis: proviso quòd beneficia hujusmodi debitis non fraudentur obsequiis, & animarum Cura in eis, quibus illa imminet, nullatenùs negligatur; sed per bonos & sufficientes Vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congruè ministrentur, diligenter exerceatur, & deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Avinioni duodecimo Kalend. Maii Pontificatûs nostri anno nono.

XXXII. Deputat Commissarios qui curent ut beneficiorum suorum proventus percipiant Capellani Regii.

ANNO 1346.

CLEMENS, &c. Venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, & dilectis filiis sanctæ Genovefæ Parisiensis, ac sancti Dionysii in Franciâ, Monasteriorum Abbatibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. Eximiæ devotionis sinceritas, &c. Quocircà discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vos, vel duo aut unus vestrûm, per vos vel alium seu alios eisdem Capellanis & Clericis vel Procuratoribus suis eorum nomine faciatis auctoritate nostrâ hujusmodi fructus, redditus & proventus juxtà hujusmodi nostræ concessionis tenorem integrè ministrari, non obstantibus omnibus supra dictis: seu si eisdem Ordinariis & Capitulis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eâdem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: contradictores auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo. Datum, *ut suprà.*

CLEMENTIS *Papæ VI. contrà monetarum adulteratores.*

Anno MCCCXLVI.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei; Ad perpetuam rei memoriam Prodiens quasi ex adipe iniquitatis multorum sceleratorum funesta cupiditas, eos in perniciem præcipitare conatur, dum sequi miserabilem ejus ingluviem satietatis nescientem moderamina non verentur. Ipsi etenim turpium lucrorum se fecibus immergentes, ambitiosis nexibus involvuntur. Dei timorem damnabili cæcitate postponunt, & quasi ambulantes in tenebris, non vitant excidia personarum. Nuper siquidem ad nostri Apostolatûs auditum multorum relatio fide digna perduxit, quòd nonnulli nullam habentes auctoritatem, jure vel consuetudine seu privilegio faciendi monetam, falsam monetam cudunt & fabricant in regno Franciæ, & locis circumvicinis. Alii verò monetam fabricatam sub vero signo carissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris studiosè depravant, & ex hoc cadit à suo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure aut consuetudine sine privilegio jus competit fabricandi monetam, signum proprium monetæ regiæ, monetæ suæ quam fabricant imprimere seu insculpere moliuntur, ejusdem quantitatis & rotunditatis & litterarum figuræ quam habet moneta regia, monetæ suæ quam fabricant quantum possunt similius speciem & formam insculpunt, constituunt & imponunt. Et quamvis moneta prædicta eorum ad usurpatam similitudinem perducta, deficiat à justo pondere argenti & solito in regiâ monetâ, & more & consuetudine observato, simplices tamen & populares personæ non habentes inter monetas tantæ similitudinis peritiam discernendi, falluntur quotidie eâ occasione, in usu monetarum recipientes monetas falsò assimilatas pro veris.

Sunt & alii qui scienter falsas monetas extrà regnum prædictum emunt, & postea infrà regnum ipsum eas portant, vendunt & expendunt.

Nos igitur attendentes quòd iidem falsarii & fabricatores monetarum talium, & emptores prædicti, per hoc se dignos maledictione constituunt, eos qui, ut præmittitur, præmissa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum scienter præsumserint, excommunicationis sententiâ innodamus, absolutione prædictorum nobis & successoribus nostris præterquàm in mortis articulo reservatâ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innodationis & reservationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Tolosæ secundo Kalendas Januarii, Pontificatûs nostri anno quarto.

Dudum

ANNO 1345.

II. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 5. pag. 439.

Ad Regem Angliæ, quod inclinet animum ad pacem: adjiciens nova tangentia Turcas: anno 1345.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

DUdum afflictionibus variis & diris oppressionibus, quibus illi hostes ferocissimi, Turcæ vid. Persecutores & Blasphemi nominis Christiani persecuti fuerant immaniter, & persequi continuò non cessabant Fideles Christi, ejus pretioso redemptos sanguine in Romania, ac partibus aliis Transmarinis circumadjacentium Regionum degentes, anxii relatibus sæpius repetitis, non sine vehementi dolore cordis auditis, paternæ pietatis & compassionis viscera nequivimus continere, quominus eisdem Christicolis, qui ab eisdem Turcis tam per terram, quam per mare hostiliter lacessabantur, quasi continuè spoliabantur, vulnerabantur, interficiebantur, & nonnulli utriusque sexus sub captivitate Turcharum ipsorum miserabili vendebantur ut pecudes, & ad abnegationem Fidei Catholicæ, pro dolor cogebantur, providè de succursu aliquo & defensione contra tam abominabilem & ignominiosam toti Christianitati sævitiam curaremus. Quamobrem manus sub divinæ miserationis auxilio ponentes ad fortia auxilia, tam per vos, quam per carissimum in Christo Filium nostrum, Regem Cypri illustrem, ac dilectos Filios, Magistrum & Fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani, Ducem & Commune Venetiarum, & quosdam Fideles alios præstita, certum Galearum Stolium hominibus armigeris & aliis rebus necessariis sufficienter munitarum, ad partes illas pro succursu & defensione prædictorum Fidelium, & repressione hostium, sub Principali Gubernatione ac Regimine Venerabilis Fratris nostri Henrici Patriarchæ Constantinopolitani, Apostolicæ Sedis in partibus illis Legati, ordinavimus destinandum. Et licet armata Stolii potentia hujusmodi, cum nonnullis Fidelibus, in auxilium Christianorum & conculcationem dictorum infidelium, illuc fervore devotionis accedentibus, multum repressserit crudelitatem & sævitiam hostium eorundem; tamen his diebus præteritis, divinâ clementiâ, quæ nunquam cessat in suis Fidelibus, & spem suam in ea figentibus, à benedictionibus gratiarum, suæ dexteræ potentiam uberiùs extendente, præfatus Patriarcha cum eodem Stolio, & multis viris fidelibus strenuis, ejusdem zelo Fidei Orthodoxæ accensis, ad civitatem Smirnæ, locum utique fortissimum, & portum maris habentem optimum, in quibus prædictorum Turcarum gens, nationis fœtidæ, specialiter, sicut intelleximus, spem suæ feritatis ponebat, & inde majora damna intulerant, & inferre poterant Fidelibus antedictis, accessit; Et quanquam civitas ipsa, intra & extrâ, cum portu prædicto, munita esset innumera multitudine Paganorum, inter quos erat Marbaxanus, Dux & Rector magnus ipsorum, felix tamen Christianorum exercitus, in quo pauci erant respectu multitudinis infidelium prædictorum, in virtute illius, à quo est omnis virtus & victoria, intrepidè contra Paganorum Exercitum ac fortiter & strenuè irruens, post conflictus aliquos, eisdem devictis gloriosè Fidei hostibus, civitatem eandem, cum portu, & fortalitiis suis, posuit divina providentia, quæ in sua dispositione non fallitur, in manibus populi Christiani, dictusque Patriarcha, eliminatâ exinde Paganici erroris spurcitiâ, fecit ibidem ad laudem & gloriam divini Nominis, exaltationem Catholicæ Fidei, & consolationem ejusdem populi Christiani, divina officia celebrari, ac fortificari & muniri civitatem eandem, ut Fideles, qui ad acquirendas terras Paganorum partium earundem, & sub cultum Orthodoxæ Fidei reducendas laborare pro suarum animarum salute voluerint, ad ipsam civitatem & portum ipsius applicandi solidum & optimum valeant reclinatorium reperire. Nos autem, tam per litteras ejusdem Patriarchæ, quam aliorum Fidedignorum, nec non & quorundam exinde venientium relatibus, hujusmodi victoria triumphali, quam de sede suæ magnitudinis dedit Altissimus, cum ingenti lætitia plenius intellectâ, tantorum collatori donorum in humilitate spiritus exsolvere curavimus vitulum labiorum, & tam per processiones, quam sermones ad Clerum, & populum, laudes fecimus solemniter Domino decantari. Porro de hujusmodi victoria, dilectus Filius, nobilis Vir, Johannes Bonde Domicellus, de partibus illius veniens, & ad tuæ Regalis Excellentiæ præsentiam se conferens, qui præsens in ea extitit, & super gestis per eum inibi laudabilibus multipliciter commendatur, eandem Excellentiam facere, viva voce, poterit plenius certiorem. Rogamus itaque Serenitatem Regiam, & attentiùs in Domino exhortamur, quatenus quæ, quanta, & qualia Principes Catholici, ad ejusdem dilatationem Fidei, ac suæ salutis & honoris augmentum, possent agere his temporibus, si guerris & dissensionibus suis cessantibus, intendere circa talia procurarent, consideranter attendens, tu Fili carissime, quem ad talia & similia inter cæteros Principes Catholicos Orbis terræ aptum, convenientem, & idoneum reputamus, ad vias pacificas, super guerris tuis, animum Regium dirigas, habilites, effectualiter & inclines; ut in his, quæ Dei sunt, tuisque honori & saluti congruunt, intendere, sicut desideranter affectamus, sicque vires tuæ fortitudinis valeas exercere, ut post cursum vitæ præsentis de Regno temporali, quod obtines, coronam Regni merearis accipere sempiterni.

Datum Avinion. Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

G. de Aula.

III. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 5. pag. 465.

Bulla ad litteras, & Nuncios Regis responsoria de Treugis, & de attemptatis contra Treugas, ac super variis hinc inde tractatis, pacem bellumque tangentibus: anno 1345.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PRæsentatas pridem Apostolatui nostro Celsitudinis tuæ litteras recepimus, quarum serie per nos intellectâ ipsæ nobis litteræ admirationis, ne dicamus turbationis materiam præbuerunt. Quæ quidem litteræ effectualiter continebant quod: Licèt super dissensionibus

ANNO 1345.

& guerris inter Te, Fili cariſſime, ac cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Philippum Regem Franciæ illuſtrem, ſuſcitatis, tu, pro vitandis damnis & periculis procedentibus ex eisdem, plures vias pacis obtuleris Regi prædicto, ut poſſes, ſicut affectabas, in paſſagio Transmarino noſtro obſequiis intendere Redemptoris. Ipſe tamen, te per verba protrahens, nihil facere voluit in effectu, ſed pendentibus ſimulatis tractatibus tibi procuraverat multa damna. Propter quod Tu, volens jus tuum proſequi, ad partes Brittanniæ te conferre cum armata potentia, ut aſſeris, curaviſti, ubi, Te guerram contra Regem faciente prædictum, ſupervenerunt Venerabiles Fratres noſtri, Petrus Præneſtinenſis, & Ambaldus Tuſculanenſis Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Nuncii per nos miſſi. Quibus tractantibus & mediantibus inter Te ac Regem eundem initæ fuerunt invicem Treugæ ac firmatæ, duraturæ usque ad certum tempus, infra quod, coram nobis, de Pacis concordia mutua cum Nunciis hinc indè deſtinandis interim tractaretur. Ita quod Treugæ ipſæ ubique infra poteſtatem partium, & ſpecialiter in Ducatu Britanniæ, inter Te ac Regem ipſum, & utriusque veſtrûm adhærentes, etiamſi Jus in eodem Ducatu Britanniæ ſe habere prætenderent, ſervarentur. Quidque omnes Coadjutores & alligati utriusque partis in tali poſſeſſione rerum & bonorum ſuorum, quâ erant tempore quo initæ fuerunt Treugæ, ipſis durantibus remanerent; certis aliis modis & conditionibus appoſitis in eisdem Treugis pleniùs & expreſſis. Et ſubjungitur præterea in eisdem, quod, cum ſic ſub ſpe Treugarum hujuſmodi, pacis arridente fiducia, Tu, dimiſſis paucis aliquibus in Britannia, in Angliam rediiſſes, tuosque, ſuper Tractatu pacis prædictæ, Nuncios ad noſtram præſentiam deſtinaſſes, Supervenerunt tibi nova, non parum pungentia mentem tuam, de morte, videlicet, quorumdam nobilium captorum in Britannia de mandato ſpeciali dicti Regis, & ultimo ſupplicio Pariſiis traditorum: nec non de ſtrage ac depopulatione magna fidelium & ſubditorum tuorum in Britannia, Vaſconia, & locis aliis, tractatibusque ſubdolis & occultis cum alligatis & ſubditis tuis habitis, quos tibi auferre, ſibique nitebatur atrahere Rex prædictus, & aliis injuriis & novitatibus, per terram & mare contra dictas Treugas attemptatis, per quæ Treugas ipſas per partem Regis ejusdem reputabas penitus diſſolutas. Et quamvis, ſic ipſis Treugis diſſolutis, guerram potuiſſes per culpam partis alterius reſumſiſſe, ad vitanda tamen guerrarum ipſarum diſcrimina, ſi poſſes reformationem obtinere attemptatorum hujusmodi cupiens experiri, diverſis vicibus diverſos tuos Nuncios, tam ad tractandum ſuper pace prædicta, quam ad petendum reformationem attemptatorum prædictorum ad noſtram deſtinaſti præſentiam, & ſtatutos ſuper hoc terminos prorogaſti, reſumendi guerram poteſtate tibi nihilominus reſervatâ. Et quia jam ſtatuti elapſi ſunt termini ad tractandum, & nulla via pacis rationabilis Tibi vel eisdem Nunciis fuit aperta, nec Rex prædictus attemptata hujuſmodi, licèt per noſtras litteras requiſitus pluries, revocare, ſed multiplicare curavit contra te injurias & offenſas; ut taceres de multis exceſſibus, per Nuncium noſtrum, ad dictas partes Britanniæ pro faciendis obſervari prædictis Treugis deſtinatum, partem contra Te ac tuos aſſumendo, commiſſis; ſuper quibus, ut dicebas, Nos, licèt requiſiti, Remedium minimè curavimus adhibere. Apud Deum, & ſanctam Eccleſiam ac Populum debes excuſatus haberi, ſi hujusmodi vim & injuriam, cum aliud, ut proponebas, non reperias Remedium, præſertim ut cauſam juſtam te habere aſſeras, propulſare procuras. Quamobrem ut reputans Treugas prædictas ex cauſis præmiſſis, quas ſcis, & loco ac tempore probare intendis, ſi oportuerit, eſſe veras, per præfatum Regem, & adhærentes ſuos, eſſe, maximè in dicto Ducatu Brittanniæ, diſſolutas, dicendo, ut cum pace ac reverentia noſtra loquaris, Regem eundem, tanquam Vialatorem Treugarum ipſarum, ac inimicum & perſecutorem tuum capitalem, & tuorum invaſorem Jurium, diffidabas; proteſtando nihilominus te nolle in offenſam noſtram vel Sedis Apoſtolicæ, quos revereri cupis ut debes, nec in alicujus injuriam aliquid attemptare, ſed ſolum cum ordinato moderamine Jura tua proſequi & defendere Te ac tua.

Ideoque Apoſtolicæ Rectitudini quæ metitur ſingulis æquâ librâ, devotius & humilius, quo poteras, ſupplicabas, ut præmiſſis in examen debitæ conſiderationis adductis, de te benignè ſentire, teque dignaremur habere ſuper his excuſatum. Nam præmiſſa te facere aſſeris propter defectum Remedii & invitus, ad pacem te offerens, cùm eam habere poteris bono modo. Sanè, Fili dilectiſſime, novit Altiſſimus qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum, quod poſtquàm ad ſummi Apoſtolatus apicem divina miſeratio nos provexit, ad concordiam inter te & eundem Regem procurandam fideliter laboravimus, omni ſingulari affectione poſtpoſita, & adhuc offerimus, non parcendo laboribus aliisque negotiis prætermiſſis, prout tuæ Celſitudini per noſtras tibi miſſas litteras credimus eſſe notum. Poſtquam autem initæ fuerunt dictæ Treugæ inter Te dictumque Regem, quæ nobis gaudium non modicum attulerunt, ſperantes ex ipſis pacis reformationem perpetuam poſtmodum provenire, noſtro fruſtrati ſumus deſiderio usque quaque; confidimus tamen in Domino, quod illud, quod nondum factum extitit, donante ejus gratia, poterit impoſterum proſperari. Porrò quia illi, qui dictas tuas nobis miſſas litteras dictitarunt, rei veritatem forſitan ignorabant, multa poſuerunt in eis, & aliqua tacuerunt, in quibus erraverunt notabiliter, factum taliter recitando. Novit enim tua Sublimitas, quod licèt tractatum & ordinatum in eisdem Treugis extitiſſet, ut pro pace tractanda ſolennes Nuncii, quorum eſſent aliqui de Proſapia regalis generis ad noſtram præſentiam mitterentur hinc indè, prælibatusque Rex Franciæ ſuos Nuncios ſolennes, inter quos erant, dilecti Filii nobiles Viri, Petrus Dux Borboneſii, & Humbettus Delphinus Viennenſis, de genere Regio, & multi alii Prælati, & magnæ auctoritatis Viri, prout ordinatum extiterat, cum mandatis ſufficientibus deſtinavit, qui ſe ad procedendum in Tractatu pacis hujusmodi multùm voluntarios exhibebant. Tu tamen Filii amantiſſime, quamvis aliquos, inter quos non erat aliquis de Proſapia regali, niſi dilectus Filius nobilis Vir, duntaxat Johannes de Griliaco, miſeris; idem tamen Nobilis, ſine aliis Nunciis majoribus, tàm de genere tuo regio, quam aliis, quos ad noſtram præſentiam venturos dicebat, nec procedere nec expectare voluit, ſed potius de Curia Romana receſſit, qui nec rediit, nec alii de genere tuo prædicto, tui poſtmodum Nuncii advenerunt. Conſideret igitur tua regalis Prudentia, ſi per nos, aut partem dicti Regis, vel tuam ſteterit, quo minus ad tractatum proceſſum fuerit dictæ Pacis. Rurſus, ſuper eo,

quod,

ANNO 1345.

quod, propter captionem & punitionem illorum nobilium, in eisdem litteris asserunt prædictæ Treugæ violatæ, aliàs tuæ Magnificentiæ scripsisse, & tuis Nunciis dixisse, meminimus, quòd præfatus Rex ad invectivas litteras nostras, missas sibi super hoc, sic respondit, quòd illi Nobiles, violando ipsas Treugas manifestè in partibus Britanniæ, ac homicidia, depopulationes, incendia, & alia horrenda maleficia committendo ibidem, flagrantibus hujusmodi & aliis criminibus capti, propter præmissa & alia sua facinorosa scelera, & deinde puniti, exigente justitia, extiteruut; quodque dicti Nobiles asserebant, se non tecum, sed cum dilecto Filio, Nobili Viro, Johanne de Brittannia, Comite Montisfortis, confœderationes habere. Qui quidem Comes, tunc existens Parisiis, se etiam tecum colligatum nullis confœderationibus asserebat; nec tuam etiam Excellentiam latere credimus, quod, sicut pars tua conquerebatur de attemptatis per partem dicti Regis, tam in prædictis Britanniæ, quam Vasconiæ, & aliis partibus, contra prædictas Treugas, ita etiam, ex adverso, pars Regis prædicti asserebat, quamplurima per tuos & partem tuam attemptata fuisse in eisdem, & aliis partibus, & in mari, etiam contra formam & tenorem Treugarum ipsarum, super attemptatis hujusmodi diversis articulis exhibitis hinc & inde. Directis autem per nos litteris nostris Regi præfato, super reparatione attemptatorum ipsorum pro parte tua prædictorum, Rex idem, super hoc respondendo, nobis per suas litteras intimavit, se velle inviolabiliter observare dictas Treu as, & facere attemptata quæcumque per partem suam, si qua essent, dum tamen tu idem de attemptatis per partem tuam fieri faceres, penitùs revocari. Et nihilominus litteris nostris super eo Regi præfato directis, quòd ipse dilectum Filium, nobilem Virum Carolum de Blesis, se asserentem Ducem Britanniæ, juvare super his, quæ per eum audiebamus in Britannia fieri, dicebatur, per suas alias litteras nobis sæpe respondit, quod ipsi Carolo, nec in gente, nec in pecunia, nec in aliis quibuscumque, aliquale auxilium præbuerat, aut juramentum, & hoc idem, dilectus Filius, nobilis Vir Johannes ejusdem Regis Primogenitus, Dux Normanniæ, verbotenus constanter & frequenter asseruit in nostra præsentia constitutus. Cumque nos etiam eidem Carolo super observatione Treugarum efficaciter scripsissemus, ipse ad nostram præsentiam se conferens subsequenter, præsentibus præfatis Prænestinensi & Tusculanensi Episcopis, asseruit, se nunquam Treugas prædictas aliqualiter inivisse, nec fuerat super hoc requisitus; asserens, quod secundùm verba in accipiendis Treugis apposita, non debebat nec poterat in eis modo aliquo comprehendi, prout etiam tuis Nunciis in Curia existentibus, ante recessum ejusdem Caroli, duximus seriosiùs explicandum. Demum cum super reformatione attemptatorum contra ipsas Treugas, de quibus conquerebantur utriusque partis Nuncii, exhibitis diversis Articulis, ut præmittitur, hinc & inde, qualiter valeret utilius fieri, ageretur; quamquam Nos id auctoritate Apostolica, ex nostri officii debito, maximè cum Religione juramenti firmatæ inter cætera fuerint ipsæ Treugæ, facere valeremus; tamen propter multa vitanda scandala, & certas causas alias, expedientius visum fuit, quod de voluntate ac consensu partium procederemus ad ea. Et licèt per nos dictis Nunciis dictum fuerit, quod, attentis Articulorum super attemptatis eisdem diversitatibus, & involutionibus ex illis procedentibus, quæ longam & diffusam indaginem exigebant, sic faciliter & utiliter ad Tractatum pacis & Reformationem attemptatorum ipsorum simul procedi poterat, sicut solum ad reformationem attemptatorum prædictam; nota tamen dictata fuerit per ipsos tuos Nuncios super litteris opportunis, per Te, ac Regem prædictum concedendis, nobisque mittendis, super revocatione attemptatorum hujusmodi per nos, ut præmittitur, facienda; quam notam eidem Regi Franciæ misimus, qui litteras, secundum eam confectas, & suo sigillo sigillatas, promptè ac liberè absque præfinitione termini nobis misit. Tu verò, Fili præcarissime, tuas ad nostras destinasti super hoc litteras, sed adeò brevem terminum continentes, quòd à tempore præsentationis earum computando, infra illum vix potuisset benè ac commodè hujusmodi Reformationis negotium inchoari. Cæterùm ad ea, quæ de Nuncio nostro, misso in Britanniam, arguendo facta sua, prædictæ tuæ litteræ subjungebant, breviter respondemus, quod nos displicenter audito, nonnulla contra prædictas Treugas in dictis partibus Britanniæ attemptari, prædictum Nuncium, pro eis observari tenaciùs faciendis, ad partes ipsas providimus destinandum; qui sicut nobis sæpe relatum extitit, se quantum poterat cum justitia, & reperiebat favorabiliter parti tuæ, gessit, de quo dictus Carolus per litteras & Nuncios nobis graviter est conquestus. Si verò aliqua injusta vel injuriosa fecit idem Nuncius, ignoramus; sed statim, auditâ de ipso querelâ tuarum gentium, ipsum revocavimus, quamvis se per suas litteras multum super hoc excusaverit; & deinde rediens ad Sedem Apostolicam verbo tenùs se excuset; & si nobis innotuissent aliqua de prædictis, ipsum correxissemus, & adhuc, si nobis de illis constaret, corrigeremus, justitia exigente. Sed de civitate Venetensi, quæ secundum tenorem Treugarum ipsarum, in manibus Nunciorum nostrorum prædictorum, nomine nostro, & Ecclesiæ Romanæ, remansit, & toto tempore Treugarum eodem nomine teneri debuit & etiam gubernari, & de qua in fine Treugarum suam poterant iidem Nuncii facere voluntatem. Quam, illi de parte tua, expulsis de ipsa illis, qui eam nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine tenebant & regebant violenter & turpiter, in nostrum & ejusdem Ecclesiæ contemptum & opprobrium, veniendo contra Treugas, notoriè occuparunt, mentionem eædem tuæ litteræ non fecerunt prædictæ; Attendat autem tua Regalis Circumspectio, si hæc debeamus & possimus sub dissimulatione conniventibus oculis pertransire. Denique, cum dilecto Filio, nobili Viro, Henrico Comite Derbeyæ causâ devotionis suisque aliis opportunitatibus, ad Sedem venientе Apostolicam, ac à nobis lætanter & benignè recepto, super modis & viis quibus meliùs, utiliùs, & faciliùs posset attingi ad pacis reformationis prædictæ scopum, tractatus habuimus familiariter & secretè; & attendentes diligentiùs, quod tu, Fili dilectissime, quem distributor gratiarum omnium multis virtutibus decoravit, ad prosequendum Dei negotium adversus hostes Fidei Christianæ, inter cæteros Principes Catholicos Orbis terræ, valdè idoneus existebas, perpendimus, & in tractatibus familiaribus & secretis hujusmodi revolvimus, Nos & Comes prædictus, quod per viam Passagii, ad liberandam de manibus infidelium

ANNO 1345.

ANNO 1345.

Terram Sanctam, defendendamque & dilatandam in partibus Transmarinis fidem Catholicam ad pacis reformationem prædictæ, via facilior, & honorabilior videbatur; quodque contemplatione ipsius negotii Transmarini, ob honorem Divini Nominis, multa, quæ aliàs essent difficilia, facilia, largiente Domino, redderentur. His autem & aliis multis utilibus, inter Nos & Comitem supradictum, sub familiari & secreto Tractatu hujusmodi, collocutis, idem Comes, de Romana Curia cum gratia nostræ benedictionis recedens, & ad partes Angliæ tuamque præsentiam se conferens, præmissa, per nos & ipsum tractata, & collocuta, ut præmittitur, tuæ Celsitudini exposuit seriosè, sicut nobis per suas litteras, & dilectum Filium Johannem de Ripis, Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Pœnitentiarium nostrum, tunc Confessorem suum & Nuncium, studuit intimare. Verùm quia idem Nuncius se habere asseruit in mandatis, ut dilecto Filio, Johanni Offorde, Decano Ecclesiæ Lincolniensis, tunc in Romana Curia existenti, aperiret præmissa, & super hoc, tam tuas Regias, quam ipsius Comitis litteras directas Decano præsentasset prædicto. Nos eisdem, Decano & Nuncio ad nostram præsentiam evocatis, & aliquali super prædictis habita collatione cum eis, nobis & ipsis concorditer visum fuit, quòd, antequam appropinquaremus ad locum, de quo nobis scripserat dictus Comes, propter multas utilitates, quas tibi per eundem Nuncium explicare voluimus viva voce, honori nostro & commodo negotiorum hujusmodi expediens admodum videbatur, nos de intentione partium, ne labor noster esset delusorius vel inanis, aliqua magis specificè præsentare; Quamobrem præfato Comiti inscripsimus, ut de intentione tua super prædictis nos sub secreto certiores efficere procuraret, quia parati eramus, sicut condixeramus cum ipso, efficaciter laborare. Postmodum autem, dilecti Filii, Johannes de Thoresby, Canonicus Lincolniensis, & nobilis Vir Radulphus Pigornel, miles, tuæ Celsitudinis Nuncii ad nostram præsentiam cum litteris tuis Regiis de credentia venientes, & quæ inter nos & dictum Comitem prolocuta & tractata, sicut præmissum est, & tibi per eum pleniùs exposita fuerant, pro parte Regia, sub commissa sibi credentia, recensentes apud nos instirerunt, ut ad locum, de quo nobis præfatus Comes scripserat, appropinquare vellemus; Quibus nos respondimus, & tibi Fili carissime duximus per nostras litteras respondendum, quod in his, quæ inter nos & memoratum Comitem collocuta & tractata fuerant, ut præfertur, persistebamus, & persistere intendebamus veraciter & constanter, ac circa Reformationem dictæ pacis, & promotionem negotii dicti Passagii, ad quæ afficiebamur, & afficimur plenis affectibus, inter cætera ferventia vota nostra, eramus laborare parati, etiam ad locum accedendo prædictum, non parcendo maximis exinde secuturis laboribus & expensis. Sed, sicut cum præfatis Decano & Johanne de Ripis condixeramus, & Comiti rescripseramus prædicto, hujusmodi appropinquatio nequaquam expediens videbatur, quousque de tua & Regis prædicti essemus intentionibus super his magis specificè informati. Quapropter tuam Excellentiam rogandam duximus & hortandam, ut attentis bonis ejusdem pacis inenarrabilibus, & negotii dicti Passagii commodis & honoribus, te nobis velles sub secreto aperire prædicto; quia nos procurare intendebamus, quantum bono modo possemus, quod Rex prædictus se nobis, super sua intentione, similiter aperiret; ut si videremus materiam ad viam pacis prædictæ dispositam, tam ad appropinquationem prædictam, quam ad alia, quæ per nos fieri possent, in hac parte, commodiùs, libenter, & placidè nos disponere valeremus. Post recessum autem Nunciorum tuorum prædictorum de Curia, intellecto & nobis intimato, quod, facta tibi relatione de his, quæ responderamus ipsis Nunciis, & perceptis per te, quæ nostræ inde tibi & dicto Comiti directæ litteræ continebant, salubri & sano ductus consilio, eundem Comitem & dilectum Filium, nobilem Virum, Bartholomæum de Burgash, Nuncios tuos idoneo mandato suffultos, ac de intentione tua hujusmodi pleniùs informatos, ad nostram pro præmissis ordinaveras præsentiam destinare. Nos volentes veritatem & æquitatem in omnibus observare, præfato Regi, cui antea nihil de præmissis per nos detectum fuerat, scripsimus super his, sicut vidimus expedire; & nihilominus, ut secretiùs sibi aperirentur prædicta, venerabilem Fratrem nostrum, Guidonem Episcopum Eduensem propterea providimus specialiter ad ejus præsentiam destinandum. A quo quidem Rege responsum recepimus nobis gratum, videlicet, quod mox, dum ipse audiret tuos prædictos Nuncios, mare veniendo ad eandem nostram præsentiam transmisisse, suos solennes Nuncios, sufficienti potestate munitos, & de sua intentione plenè instructos ad eandem nostram præsentiam mittere non tardaret.

Cumque, concessis per nos & Regem præfatum litteris de conductu securo pro tuis prædictis Nunciis eorumque familiis & rebus juxta formam, quam alii tui Nuncii, qui tunc erant in Curia, dictaverunt, Nunciorum tuorum prædictorum cum gaudio & ingenti desiderio præstolaremur adventum, supervenerunt rumores displicibiles, Citharam exultationis in luctum tristitiæ, proh dolor! convertentes, scilicet, quod prædicti non venirent Nuncii, nec illos vel alios mittere intendebas, & nihilominus alii tui Nuncii, qui tunc erant, ut præmittitur, in Curia, recesserunt abinde. Ponderet igitur Circumspectio Regia, cogitet & recogitet diligenter, cui, si ad præmissa, utique sancta, salubria, honorabilia, & valde utilia, processum non extitit, culpa meritò debeat imputari.

Et si, attentis his quæ superiùs narrata sunt, veritate utique fultis & subsistentibus, sicut tua Prudentia Regia planè novit, Treugæ prædictæ per partem Regis ejusdem dici possint, prout in prædictis tuis litteris scribitur, violatæ, nobisque impingi valeat, quod negligentes vel remissi fuerimus super remediis apponendis: Et si etiam tui Consiliarii sano tibi consilio suaserint, quod contra easdem Treugas, per te juratas, sic inconsultè venires, teque Judicem faceres, per Regem præfatum ruptas ipsas Treugas in eisdem tuis litteris asserendo; præsertim cùm, sicut præmissum est, utraque pars conquereretur, & exhiberet Articulos, super attemptatis & reformatione ipsorum. Et si nobis, qui, licet insufficientibus meritis, locum tenentes in terris Regis pacifici & excelsi, prædicare, procurare, fovere, ac nutrire pacem debemus inter cunctos Christicolas, ac guerras, dissensiones, & odia tenemur quantum possumus extinguere, ac de medio fidelium removere, quique pro pace tua, & dicti Regis, sicut præmissum est, cordialiter & fideliter laboravimus & laborare intendimus, scribi debuit diffidatio supradicta. Et nihilominus, si atten-

debant

Anno 1345.

debant litterarum compositores prædictarum, ponendo dictam diffidationem in eis, quod nos, qui pacem evangelizare cupimus & debemus, & specialiter ad pacem prædictam cordialiter afficimur, ut præfertur, guerrarum & dissensionum existeremus Nuncii & Præcones, quorum in hac parte cogitatus, si talis forsan fuerit, temerarius extitit, procul dubio præsumptuosus, damnabilis & inanis. O Fili prædilectissime! utinam intrà præcordia Regia revolves diligenter, quanta tuæ salutis merita, quantæque laudis præconium, & honoris cumulum acquireres, & celebris memoriæ gloriam in tuo nomine poneres, si reformata cum eodem Rege pace rationabili, ad quam purâ, justâ, & rectâ intentione dirigebamus, & dirigimus solicitudinis nostræ studia, ut præfertur, ad prosequendum Dei negotium, ad quod te Creator omnium aptum fecit, & nos attentis universis circumstantiis, ut sæpe diximus, non indignè, reputamus valdè idoneum, te, inclitæ memoriæ, Progenitorum tuorum Regum Angliæ clara sequendo vestigia, disponeres cum effectu, ut exerceres adversus hostes Fidei Catholicæ vires tuas. Porrò acerbitate mentis & dolore cordis affligimur, quod aliqui, qui forsan sua magis quærunt venari lucra propria, quam intendere tuis honoribus & saluti, te deviasse videntur ab hujusmodi proposito, & ad illa, quæ Deo displicent, tuisque commodis, honoribus, & saluti non conveniunt, proh dolor! induxisse. Quantum autem acceptum sit Deo negotium defensionis & dilatationis Fidei Orthodoxæ, ceptum in Transmarinis partibus contra Turchos, claret ex stupendis miraculis, quæ Divinæ pietatis clementia, in diversis partibus, pro dicto negotio, sicut ad nos fide digna tam verbalis quam litteralis relatio pertulit, operatur. Habet, nempe, ipsa relatio, quod Cruces fulgentes in plerisque apparuerunt partibus, ad quas concurrentes Fideles multa sanitatis beneficia, illi videlicet, qui gravabantur infirmitatibus, reportarunt. Ex quibus intelligentes multi Nobiles & Potentes, se per hoc ad vindicandas crucifixi Redemptoris injurias invitari, multitudo eorum innumerabilis, & specialiter de partibus Italiæ, nonnullis ex eis, videlicet, commissa patricidia, fratricidia, & alia delicta gravia, pro reverentia Redemptoris, in diversis locis, sibi adinvicem remittentibus, pacemque reformantibus, ad partes Ultramarinas contra Turcos prædictos cum armorum potentia se accinxerunt hactenus & accingunt. Nec, quod ulterius eadem relatio ad nos lætanter perduxit, prætermittendum credimus vel silendum, quod post felicem transitum, bonæ memoriæ Henrici Patriarchæ Constantinopolitani, Apostolicæ Sedis Legati, occisi ab infidelibus, supra turrem civitatis Smirnensis, quam, dum viveret, inhabitabat Patriarcha prædictus, & quæ turris Patriarchæ vulgariter dicitur, lux magna visa est pluries, ad prosecutionem operis Dei strenuam corda fidelium excitans & inflammans. Agere namque bella talia decet Principes Catholicos & devotos, non ad effundendum Redemtorum pretioso cruore Dominico sanguinem inhiare. Rogamus itaque Celsitudinem tuam Regiam, & in Domino attentiùs exhortamur, tibi nihilominus, sub virtute juramenti præstiti super eisdem Treugis, injungentes, quatenus civitatem prædictam Venetensem in manibus Nunciorum nostrorum prædictorum nómine nostro regendam, in statu quo erat tempore occupationis & dejectionis illorum, qui eam nomine, ut præfertur, regebant, eandem reduci facias tenendam pro toto tempore Treugarum ipsarum, & regendam modo & forma expressis in Treugis supradictis. Et nihilominus ad observationem Treugarum earundem, omissis hostilibus & bellicis aggressionibus & insultibus, redeas, easque pro toto tempore ipsarum, videlicet, usque ad instans festum Beati Michaelis & abinde usque ad annum continuum, pro parte tua observes inviolabiliter, & facias observari; cum per eundem Regem idem velimus fieri, & indè sibi scribamus per litteras opportunas. Pro certo sciturus, Fili præcarissime, quod negligere nequibimus, quò minus, attentis Treugarum ipsarum utilitatibus, & tam juramenti, quam aliis firmitatibus, quibus roboratæ fore noscuntur, contra fractores & violatores earum, prout rationis fuerit, & ad nostrum pertinebit officium, procedamus. Postremo precibus & exhortationibus eisdem affectu paterno addicimus tuam Excellentiam, per Dei misericordiam obsecrantes, ut ad dictæ pacis Tractatum redeas, & pia mentis affectione intendas, tuos idoneos Nuncios, plena potestate suffultos, pacisque prædictæ voluntarios, ac ipsius zelatores fideles & fervidos, ad nostram præsentiam propterea destinando; quia pro certo, sicut sæpe diximus, Nos cum recta intentione solum Deum habendo pro oculis, modos & vias, ad laudem Dei, commodum negotii Fidei, ac utriusque partis honorem & utilitatem, non dirigendo, quoad hoc, affectum nostrum ad unam partem plus quam ad aliam, sed librando dumtaxat stateram veritatis & justitiæ, perquirere, tractare, ac prosequi studebimus, quantum cum Deo expedire videbimus, aliis postpositis negotiis & laboribus non vitatis; & super his dicto Regi scribere intendimus, ipsumque, pacis faciente auctore, reperire cupimus super his benevolum & benignum. Sic te, Fili carissime, super præmissis & eorum singulis, quæsumus, persuasus quod Deum tibi constituas propitium, & assecuta pacis dulcedine Redemptoris ejusdem obsequiis intendere valeas, sicut te votivè appetere audivimus, & nos etiam affectamus; exinde coronam regni perpetui, præter laudis humanæ præconium, feliciter percepturus. Rursus, Fili amantissime, quia tuæ voluntatis propositum, utinam favorabile & benignum, scire super his affectamus, quæsumus, ut de illo nos certiores efficere quantociùs non postponas.

Datum Avinioni, duodecimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quarto.

A. de Lauac.

IV Ex Martene Anecd. Tom. I. col. 1392.

Fratres Hospitalis B. Mariæ de Caritate in Diœcesi Catalaunienſi sub ordine & regula Sancti Augustini constituit: anno 1347.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Catalaunienſi Salutem, & Apostolicam benedictionem.

DEsiderantes statum Hospitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet regi salubri-

ANNO 1347.

ſalubriter & augeri, ad illa libenter intendimus, per quæ eorundem Hoſpitalium & locorum Miniſtri pauperum, & infirmorum, Hoſpitalium, & locorum eorundem curam liberiùs gerere valeant, & aliàs loca ipſa ſpiritualiter, & temporaliter, auctore Domino, ſuſcipiant incrementa.

Sane dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Hoſpitalis ſuper Fluvium *De Roignon*, quod Caritas Beatæ Mariæ vulgariter nuncupatur, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, tuæ Catalaunenſis Diœceſis, ac de vico Jardinorum Pariſienſium, & Beati Ludovici Silvanectenſis, ceterorum Hoſpitalium & Hoſpitalis ejusdem dicti *Caritas* membrorum petitio nobis exhibita continebat, quod quondam Guido de Janvilla miles, Dominus de Domno Georgio dictæ Diœceſis prædictum Hoſpitale dictum *Caritas* ad opus infirmorum & pauperum in fundo proprio ejus ſumptibus conſtruxit, etiam & dotavit, quodque felicis recordationis BONIFACIUS Papa VIII. Prædeceſſor noſter prædictum Hoſpitale dictum *Caritas*, cum omnibus membris, bonis, juribus, poſſeſſionibus, pertinentiis, & perſonis eorum, tam tunc præſentibus, quam futuris ab omni poteſtate, lege, jurisdictione ordinaria ex tunc perpetuis futuris temporibus auctoritate Apoſtolica prorſus exemit, & totaliter liberavit, ac liberum omninò eſſe voluit & exemtum: ita quod Romanæ dumtaxat Eccleſiæ ſubjectum exiſteret, quodque Sacerdos in eodem Hoſpitali poneretur, & conſtitueretur in ipſo, qui animarum curam perſonarum in illo degentium & ſpiritualium ſollicitudinem & poteſtatem in eodem haberet, quodque Hoſpitale præfatum, & quodlibet membrum ejus oratorium obtinens, cœmiterium habere valeret, ad ſepeliendum perſonas eorum, & familiarium ipſorum, ac etiam advenarum inibi decedentium; nec non prædictum Guidonem & heredes ſuos, & alios quoslibet, qui ſepulturam in illis ducerent eligendam. Voluit autem idem Prædeceſſor, quòd in recognitionis ſubjectionis hujusmodi ſignum præfatum Hoſpitale duas libras ceræ teneretur Cameræ Sedis Apoſtolicæ annis ſingulis exhibere; & quòd deinde prædictus Miles dictum Hoſpitale cum omnibus membris & pertinentiis ſuis eisdem Magiſtro & Fratribus viventibus ſub regula tertii Ordinis Beati Franciſci tradidit ad regendum, ac etiam donavit: qui Fratres regentes prædictum Hoſpitale & ejus membra tunc ordinarunt inter ſe, ad requiſitionem Fundatarii prædicti, quinquaginta annis jam elapſis, quod ipſi & eorum ſucceſſores in prædicto Hoſpitali dicto *Caritas* & membris univerſis ejusdem exiſtentes, votum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ facerent, & ſcapularia portarent, Magiſtrum Generalem & Viſitatorem eligerent, & in communi vita, prout alii Religioſi non mendicantes viverent, Capitulum generale facerent: correctiones, punitiones, & amendas taxarent per conſilium proborum Religioſorum, ſcilicet Prædicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum, qui ſemel in anno ad ſua Capitula generalia conſueverunt convocari. Et ſic talem vivendi ritum tenuerunt auctoritate propria, & abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, non intendentes novam Sectam inducere, aut novitatem præſumere, ſed ſolùm ut decentiùs & firmiùs poſſent Deo debitè famulari, & obligabiliùs & diligentiùs pauperibus deſervire. Quare prædicti Magiſter & Fratres nobis humiliter ſupplicaverunt, ut cùm ipſi invenerint ſecundum opinionem quorumdam, pluribus tamen contrarium aſſerentibus, eis per conſtitutionem felicis recordationis Johannis Papæ XXII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Sancta Romana & univerſalis Eccleſia; non licere talem vivendi ritum tenere, eorum Statui providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur volentes eisdem Magiſtro & Fratribus de illo remedio providere, per quod Deo in infirmis & pauperibus Hoſpitalis dicti Caritas & membrorum prædictorum poſſent gratum Domino reddere famulatum, eorum ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta committimus, & mandamus, quatenus præfatis Magiſtro & Fratribus, præmiſſo vivendi ritu ab eis omninò dimiſſo, regulam Beati Auguſtini, ſecundum quam eos & ſucceſſores eorum perpetuò vivere volumus, & quam ipſi profiteri tenentur, nec non honeſtum habitum quem geſtent, auctoritate noſtra exhibeas & aſſignes. Volumus inſuper, quòd loca quæ obtinent cum Eccleſiis, oratoriis, & cœmeteriis eorumdem, retineant ſicut prius, exemtionibus hujusmodi, aliisque privilegiis eidem Magiſtro & Fratribus à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus conceſſis in ſua firmitate manentibus, & præmiſſis, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuscunque.

Datum Avenioni VI. Calendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno V.

Confirmatio Privilegii Urbani IV. Univerſitati Patavinæ de Cancellariatu Academiæ Epiſcopo conceſſi: annno 1347.

V. Ex Hiſt. Univerſ. Pariſienſ. Bulæi Tom 4. p. 297.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ATtendentes providè, quod ex litterarum ſcientia, veluti ex dono cæleſti ſpiritualiter & temporaliter bona publica proveniunt, & privata quoque ab ipſius Profeſſoribus præſertim in ſtudiis Generalibus fidelis inſtruitur populus, & reducitur exorbitans ad ſemitam veritatis, libenter ea concedimus, quæ Doctorum & Magiſtrorum ac Scholarium in ſtudiis Generalibus inſiſtentium commoditatem reſpiciunt, & per quæ ſcientiarum fructus valeat adaugeri. Sane petitio Venerabilis Fratris noſtri Ildobrandini Epiſcopi Paduani nobis exhibita nuper continebat, quod in civitate Paduæ de conſuetudine ibidem inviolabiliter obſervata tanto abhinc tempore, ut de ejus contrario memoria non extet, viguit & adhuc viget in Jure Canonico & Civili abſque Facultatibus præter Sacram Theologiam ſtudium Generale, ſicuti per totam Italiam & in aliis mundi partibus eſt apertè manifeſtum. Et quod authoritas faciendi Doctores & Magiſtros in eodem Studio reſidentes in Jure ac Facultatibus ſupradictis, examinandi Scholares ad Doctoratum ſeu Magiſterium promovendos in ſtudio ſupradicto, & examinatos approbandi, ſeu etiam reprobandi ſimiliter, & de antiqua conſuetudine obtenta in eodem Studio ad Epiſcopum Paduanum, qui eſt pro tempore, pertinet, & pertinere etiam conſuevit: & quod præfatus Ildobrandinus Epiſcopus nonnullos

ANNO 1347.

los Scholares in Jure Civili & Canonico, ac Medicina coram se examinari fecit per Doctores ipsius Studii, ipsisque postea licentiam dedit, & quibusdam ex eis in examinatione prædicta licentiam & authoritatem legendi, & docendi tribuit, sicuti est in supradicta, & aliis etiam Studiis fieri generaliter consuetum. Quodque dudum Rectores Universitatis Magistrorum & Scholarium Paduæ deliberatione provida statuerunt, ut Scholares ipsius Universitatis, qui deberent in Magistros assumi, coram Episcopo Paduano qui esset pro tempore, examinari deberent diligenter præsentibus Doctoribus Universitatis ejusdem; & ut eisdem Scholaribus, si reperirentur idonei, deberet licentiam concedere Episcopus memoratus. Quodque deinceps statutum ejusmodi est inviolabiliter observatum; ipsumque statutum, sicut erat providè factum, felicis recordationis Urbanus Papa IV. Prædecessor noster authoritate Apostolica confirmavit, decernendo, ut qui secus ibidem sibi Magistri nomen assumeret, pro Magistro nullatenus haberetur; prout Confirmatio & Decretum hujusmodi in litteris ipsius Urbani Prædecessoris nostri decretalibus confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur spectantes, quod ad civitatem prædictam Scholares eò promptius studendi causâ se conferrent, quò Studium ipsum in eadem civitate majori fuerit aucthoritate munitum; ac volentes propterea præfatum Studium, & Doctores & Magistros & Scholares prosequi favorabiliter, in parte ipsius Ildobrandini supplicationibus inclinati, consuetudinem prædictam, & ea quæ, ut superiùs narratur, in prædictis ipsius Urbani Prædecessoris nostri litteris continentur, rata & grata habentes, authoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; indulgentes nihilominus authoritate prædicta omnibus & singulis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, ut ipsi dum in prædicto Studio docendo vel audiendo institerint scholasticis Disciplinis, omnibus libertatibus, & immunitatibus ac privilegiis de Jure communi seu approbata consuetudine concessis authoritate Apostolica Doctoribus, Magistris ac Scholaribus in Studiis Generalibus commorantibus gaudeant & utantur. Statuentes etiam ad hoc, ut examinatio, approbatio & reprobatio Scholarium promovendorum ad Magisterium in Studio memorato semper, sicut fieri debet, cum puritate & sine fraude procedat, ut Doctores in eodem Studio præsentes ab eodem Episcopo requisiti ad examinandum Scholares promovendos ad Magisterium, justo impedimento cessante, venire, & illi qui in examinatione prædictorum Scholarium ibidem præsentes fuerint, de procedendo sine dolo & fraude in omnibus & singulis actibus in hujusmodi examinationibus opportunis & fieri consuetis præstare teneantur in ejusdem Episcopi manibus corporaliter juramentum, ac eidem Episcopo seu ejus vicem gerenti duntaxat votum ipsorum super idoneitate ac sufficientia Scholaris examinati, utrum scilicet approbandus sit an reprobandus, secretè ac sigillatim, & in scriptis exponere ac manifestare similiter teneantur. Injungimus etiam Episcopo Paduano, qui erit pro tempore, sub virtute obedientiæ, authoritate prædicta, ut ipse in examinandis, approbandis, seu reprobandis personis examinatis, & erga Doctorum approbantium Scholares examinatos votis secretè ferendis sine dolo & fraude procedat. Nos insuper irritum decernimus & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate contingeret attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat &c.

Datum apud Villam Novam Avenionensis Diœcesis 17. Calendas Junii, Pontificatus nostri anno quinto.

Absolutio Willielmi Okami ab Anathemate: anno - - - -

VI. Ex Hist. Univers. Parisiens. Bulæi Tom. 4. p. 317.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PEtitio pro parte tua & dilectorum Filiorum Capituli Generalis tui Ordinis nobis exhibita continebat, quod aliqui Fratres vestri Ordinis quamvis paucissimi, qui quondam Michaeli de Cæsena & Ludovico de Bavaria obedierunt, & specialiter Guilhelmus de Anglia dicti Ordinis Professor in Monachio remansisse noscuntur, idemque Guilhelmus sigillum antiquum dicti Ordinis, quod diu habuit, tibi remisit, & tam ipse, quam alii dicti Fratres residui, ab excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiis, atque pœnis in tales per processus Apostolicos promulgatos, quas idem Wilhelmus & alii Fratres adhærendo seu obediendo Michaeli & Ludovico prædictis incurrerunt, desiderant se absolvi, suntque parati nostris & ejusdem Ecclesiæ mandatis obedire. Quocirca pro parte tua & ipsorum Capituli nobis extitit humiliter supplicatum, & ut eisdem Fratribus, qui ad Romanam Curiam, sicut asserunt, commodè venire non possunt, ipsorumque statui super hoc providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque votis eorum volentes annuere in hac parte, vestris supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua specialem inDomino fiduciam gerimus, Wilhelmum & alios fratres prædictos eidem Ecclesiæ reconciliandi, eosque à dictis sententiis atque pœnis, juxta formam per nos super hoc ordinatam, ac de verbo ad verbum præsentibus annotatam, infra annum à data præsentium, si hoc humiliter petierint, absolvendi plenam & liberam concedimus authoritate Apostolica tenore præsentium facultatem. Forma autem absolutionis talis est. Ego N. Ordinis Fratrum Minorum Professor, confiteor me tenuisse & tenere fidem Catholicam, credere & tenere, quod credit & tenet, & docet sancta mater Ecclesia Romana, ac credidisse & adhuc credere, quod non spectat ad Imperatorem, Papam seu Summum Pontificem deponere & alium eligere vel creare; sed hoc hæreticum reputo & hæresim damnatam per Ecclesiam supradictam. Insuper ad Sancta Dei Evangelia juro, quod stabo & parebo mandatis Ecclesiæ & Domini nostri Papæ super illatis injuriis & contumaciis fautoriis & aliis implicitè vel explicitè per me confessatis, & non confessatis, ac cæteris pœnis & sententiis, quas incurri ab homine vel à jure propter præmissa & ea tangentia. Et quod D. Papæ qui nunc est, & ejus successoribus canonicè intrantibus fidelis ero de cætero, eisque debitam obedientiam

& reve-

ANNO 1358.

& reverentiam exhibebo, nec hæresibus, erroribus, opinionibus seu rebellionibus contra dictam Ecclesiam Ludovici quondam de Bavaria & Michaelis de Cæsena vel fautoribus suis sive ei adhærentibus aut ejus sequacibus in rebellione dictæ Ecclesiæ seu aliis hæreticis ac schismaticis adhærebo, aut cum eorum sequacibus per dictam Ecclesiam denotatis deinceps ero, nec eis seu aliis quibuscunque dabo contra Romanam Ecclesiam, consilium, auxilium, vel favorem, directè vel indirectè, publicè vel occultè, nec cum quocunque in præfata Ecclesiæ rebellione existente faciam alligationem, conspirationem, sive ligam.

Datum Avenion. 6. Id. Junii. Anno 8. &c.

ANNO 1352.

INNOCENTIUS SEXTUS, PONTIFEX CCI.

ANNO DOMINI MCCCLII.

INnocentius Lemovicensis, anteà Stephanus Albertus, successit Clementi VI. anno 1352. cum Sedes Avenioni adhuc esset; Romam reformatione opus habere agnovit; Bello inter Gallum & Anglum ferventi finem imponere annisus frustra fuit. Joannem de Rupescissa Franciscanum, quod Apocalypsim contra Romanam Sedem exponeret, comburi jussit. Obiit anno 1362. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 258. *App.*)

I. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 103.

Bulla super discordia inter Regem Navarræ & Normanniæ Ducem suborta: anno 1358.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

NUper sinistris relatibus intellecto, quod pacis æmulo, humani generis inimico, subortam inter carissimum in Christo Filium nostrum, Carolum Navarræ Regem illustrem, & dilectum Filium, nobilem Virum Carolum Ducem Normanniæ, carissimi in Christo Filii nostri Johannis Regis Francorum illustris Primogenitum, dissensionem damnabilem suis incentivis calliditatibus inflammante, utraque partium ad periculosa guerrarum discrimina, congregatis undique viribus, se parabat. Nos cupientes hujusmodi periculis, quantum cum Deo possumus, obviare, venerabilem Fratrem Taylarandum, Episcopum Albanensem, & dilectum Filium nostrum Nicolaum, Tituli Sancti Vitalis Presbyterum, Cardinales, Apostolicæ Sedis Nuncios, ad sedandum discordiam ipsam, & pacem inter dictas partes, auctore Domino, reformandum, de Fratrum nostrorum consilio providimus destinandos. Ideoque Serenitatem tuam attentis precibus exhortamus, quatenus ad bonum pacis, per quam animarum periculis obviatur, populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur, ubicumque possis, salubriter propagandum tuum semper animum dirigens & disponens, præfatis Nunciis, ut ad partes illas securè accedere valeant, nostrûm obtentu precaminum, de securo conductu velis liberaliter providere, & aliàs eis in prosecutione dicti negotii tuum exhibere consilium & favorem. Ita quòd inde Regi pacifico placeas, nosque & Apostolica Sedes tuam exinde Celsitudinem dignis possimus laudibus commendare.

Datum Avinioni tertio Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

ANNO 1360.

II. Ibidem pag. 172.

Bulla de Ecclesiasticis in Regno Franciæ non molestandis: anno 1360.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio, Eduardo Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

DIlectum Filium, nobilem Virum Guillielmum de Berton, Militem, Nuncium, & Ambassatorem tuum, ad nostram se nuper præsentiam conferentem, consideratione mittentis, & suæ insuper multæ discretionis intuitu, benignè suscepimus, ac petitiones tuas, per eum nobis, tam providè, quam sapienter expositas, intelleximus diligenter, & deinde petitionibus ipsis, in illis, in quibus cum Deo potuimus, prout ab eodem Nuncio informationem recipere valebit tua Serenitas pleniorem, de benignitate Apostolica duximus annuendum. Nos enim, erga tuam Excellentiam gerentes præcipuæ caritatis affectum, & benevolentiam singularem, in eis, quæ grata, & accepta tibi fore noverimus, prout secundum Deum poterimus, libenter intendimus votis tuis annuere, & desideriis complacere. Postremò, cum sæpiùs ad nostram audientiam plurimorum relatio fide digna perduxerit, quòd per tuas gentes armigeras nonnullis Ecclesiis ac Ecclesiasticis Personis in Regno Franciæ constitutis, quod præter, immo contra tuæ Serenitatis conscientiam fieri non ambigimus, plurima damna & molestiæ multipliciter inferuntur; Serenitatem eandem attentè rogamus, & paternis in Domino affectibus obsecramus, quatenus pro honore Dei & nostræ ac Apostolicæ Sedis reverentia Ecclesias, & Ecclesiasticas personas easdem regentes ipsas turbari vel molestari aliqualiter non permittas, sed eas potius suscipias de mansuetudine Regia commendatas.

Datum Avinioni VI. Calendas Maji, Pontificatus nostri anno octavo.

Exclusio

ANNO 1360.

III. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 303.

Exclusio petitionum Regis Angliæ super Promotione Androyni Abbatis in Cardinalem: anno 1360.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

NUper quanto desiderares affectu dilectum Filium Androynum, Abbatem Monasterii Cluniacensis, ad Cardinalatus dignitatem per Sedem Apostolicam promoveri, diligenter nobis exposuit dilectus Filius, nobilis Vir Guillielmus de Barton Miles, Nuncius tuus, qui ad nostram præsentiam pro parte tuæ Serenitatis accedens unà cum dilecto Filio, nobili Viro Roberto de Loriaco Milite, quem ad nos cum devotæ supplicationis instantia carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Francorum illustris, pro hujusmodi negotio specialiter destinavit. Negotium ipsum multâ fuit diligentiâ ac prudentiâ prosecutus. Verùm, carissime Fili, licèt in hoc & aliis Tibi placitis tuis annuere votis, & complacere desideriis, quantum cum Deo possumus, cupiamus, ad præsens tamen tuis in hac parte supplicationibus annuendum fore non vidimus, certis nos moventibus causis, quas Excellentiæ Regiæ præfatus Nuncius, Lator præsentium, per nos super eisdem pleniùs informatus, vivæ vocis oraculo poterit apertiùs referare. Rogamus itaque Magnitudinem tuam, & hortamur attentè, quatenus præmissis causis debita consideratione pensatis, molestè non feras, si petitiones tuas super promotione hujusmodi de præsenti non duximus admittendas. Cæterùm super nonnullis aliis, pro parte tua per Nuncium ipsum nobis expositis, de intentione nostra informationem similiter ab eodem recipere valebit præfata tua Serenitas pleniorem.

Datum Avinion. Septimo Calendas Januarii, Pontificatus nostri anno octavo.

IV. Ibid. pag. 317.

Bulla super Concordia inter Ducem Brittanniæ & Carolum de Bloys: anno 1361.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PErvenit nuper ad Audientiam nostram, qualiter tàm Tu, quàm carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Franciæ illustris, pro tractanda concordia inter dictos Filios, nobiles Viros Carolum Ducem Britanniæ, & Johannem Comitem Montis-Fortis, certos diem & locum, in quibus ipsi coram Vobis seu Commissariis vestris convenire debebant, statuisse. Nos itaque hujusmodi Regiæ deliberationis, pro tam salubri materia consilium plurimùm in Domino commendantes, ac incepta per Vos laudabiliter fine terminari debito cupientes, dilectum Filium Androynum, Abbatem Monasterii Cluniacensis, Matisconensis Diœcesis, cujus provida solertia & solers prudentia in magnis & arduis se nobis & Sedi Apostolicæ claram fecit, ad interponendum circa concordiam hujusmodi Apostolicæ auctoritatis partes debitas, tanquam pacis Angelum ad præfatum locum duximus destinandum. Quocirca Serenitatem tuam rogamus & hortamur attentè, quatenus pro nostra & Apostolicæ Sedis reverentia eidem Abbati tuis assistendo favoribus & Consiliis inhærendo pro sedanda discordia inter dictos Ducem & Comitem, & pace stabili ratione communis commodi reformandâ dare velit Magnitudo Regia, prout expedire viderit, opem & operam efficacem.

Datum Avinion. quarto Id. Martii, Pontificatus nostri anno nono.

ANNO 1362.

V. Ibid. pag. 357.

Ad Regem Angliæ super deductione 100. millium Florenorum de summa per Regem Franciæ solvenda, & de recipiendo tantundem de subsidio Cleri: anno 1362.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

REcepimus nuper Regiæ Celsitudinis litteras nostro Apostolatui destinatas, Responsa super pluribus, quæ à Celsitudine præfata petivimus, nostris votis & petitioni conformia continentes. Equidem Fili carissime tuum de servanda Pace, quam Tu & carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Franciæ illustris, aspirante Domino firmavistis, laudandum propositum multipliciter in Domino commendamus. Super eo autem, quod pro deductione de certa pecuniæ summa, quam præfatus Rex in Festo Resurrectionis Domini proximè futuro Tibi solvere certis ex causis tenetur pecuniam subsidii centum millium Florenorum boni auri & ponderis Florentini, quod Prælati & Clerus tui Regni nobis pro nostris & Ecclesiæ Romanæ urgentibus necessitatibus liberaliter obtulerunt. Quamvis Termini solutionis dicti subsidii per Prælatos tui Regni jam præfixi longiores sint, quam terminus dicti Festi. Recipere in eisdem Terminis obtulisti tuam liberalitatem, habuimus valde gratam, notificamusque Tibi, quod gentes dicti Regis hujusmodi oblatione percepta similem summam centum millium Florenorum boni auri & ponderis Florentini nuper nostræ Cameræ realiter assignarunt. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Eliensi, quos ad hoc tua Serenitas nominavit, per alias nostras damus litteras in mandatis, quod prædicta centum millia Florenorum dicti subsidii, in terminis ad hoc, ut prædicitur, ordinatis, studeant exigere & levare. Contradictores auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Et ipsa centum millia Florenorum Tibi seu tuæ Cameræ assignare, exinde ab eadem Serenitate opportunas recognitionis litteras recepturi. Quare placeat Magnificentiæ tuæ, secundum quod, ut præfertur, liberaliter obtulisti, præfata centum millia Florenorum deducere de hujusmodi summa majori, quam Tibi dictus Rex solvere in præfato Festo tenetur, & su-

ANNO 1362.

per hoc Nunciis ejusdem Regis concedere recognitionis & Quitantiæ litteras opportunas.

Datum Avinion. Calend. Aprilis, Pontificatus nostri anno X.

Super Deductione & Receptione antedictis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Eliensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

DEbitum æquitatis exposcit, sæpeque necessitatis articulus exigit, ut ea, quæ pro causis urgentibus ordinantur, quamvis prius spontanea fuerint, ad obviandum tamen litigiosis & discolis, ad opportunæ certionis vinculum reducantur; Dudum siquidem, prout Fraternitas vestra novit, Vos & alii Prælati, & Ecclesiasticæ Personæ Regni Angliæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matri vestræ, multarum tribulationum & necessitatum angustias patienti, Filialis compassionis exhibentes affectum, eique volentes in eisdem necessitatibus subvenire, nobis liberaliter obtulistis gratuitum subsidium centum millium Florenorum. Nosque considerantes viarum pericula & diversa incommoda, quæ verisimiliter possent contingere in pecuniæ hujusmodi ad Romanam Curiam missione, & ab eisdem periculis & incommodis per providentiam utilem præcavere, ipsamque pecuniam, dictis necessitatibus nimis urgentibus, quam citò posset fieri, nostræ assignari Cameræ cupientes, subscriptum modum in hac parte providimus adhibendum; videlicet, quòd, cum carissimus in Christo Filius noster Johannes, Rex Franciæ illustris, quandam pecuniæ summam certis de causis carissimo in Christo Filio nostro Eduardo, Regi Angliæ illustri, in Festo Resurrectionis Dominicæ proximè secuturo solvere teneatur. Et idem Rex Angliæ, prout nuper nobis per suas litteras intimavit, ad preces nostras concesserit deducere dictam summam centum millium Florenorum de majori summa, quam in dicto Festo ei debet solvere Rex Franciæ prælibatus. Et deinde recipere dicta centum millia Florenorum, nobis debita pro subsidio supradicto, quamvis termini solutionis faciendæ de ipso subsidio post Festum hujusmodi sint futuri. Pecunia ipsa ejusdem subsidii per Vos ab eisdem Prælatis & personis Ecclesiasticis dicti Regni in Terminis, ad hoc per eosdem Prælatos, ut dicitur, jam præfixis, levetur, & etiam exigatur, & exactâ præfato Regi Angliæ, in deductionem dictæ summæ, sibi per præfatum Regem Franciæ debitæ nostro nomine assignetur. Quare, ut hujusmodi modus, per nos tam providè quam utiliter adhibitus, in præmissis effectum debitum consequatur, & non contingat intervenire defectum in assignatione prædicta, præfato Regi Angliæ facienda, Fraternitatem vestram monemus & hortamur attentè, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatus subsidium ejusdem summæ centum millium Florenorum, boni auri & ponderis Florentini, seu verum valorem ipsorum in alia moneta æquivalentem pecuniam, prout secundum æquam divisionem ejusdem subsidii, pro vestris, seu Ecclesiarum vestrarum redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, quos obtinetis in Regno prædicto, rationabiliter vos continget, in Terminis, per vos & alios dicti Regni Prælatos, ad hoc, ut dicitur, ordinatis, integraliter solvere. Ac vos alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, ab aliis Prælatis, & personis Ecclesiasticis dicti Regni secularibus & regularibus quibuscunque, exemptis, & non exemptis, cujuscunque Præminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, quibus, aut eorum alicui, nulla privilegia, vel indulgentias, sub quacunque verborum forma, vel expressione concessa, volumus suffragari, pro ipsorum Prælatorum, & Ecclesiasticarum personarum, Ecclesiasticis redditibus & proventibus, quos in præfato Regno obtinent, exigere & colligere studeatis. Præfatos dicti Regni Prælatos, & personas Ecclesiasticas ad solvendum dictum subsidium, in eis terminis, ad hoc, ut prædicitur, ordinatis, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, ac per sequestrationem eorundem redituum & proventuum suorum Ecclesiasticorum, in præfato Regno consistentium, si expediens fuerit, appellatione postposita, compescendo. Quod si fortè vos, vel alter vestrum in hujusmodi solutione subsidii defeceritis, seu defecerit, taliter deficientes seu deficiens similes sententias, quas per vos, vel alterum vestrorum, aut alios subdelegatos vestros, in non solventes dictum subsidium, in eisdem terminis, proferri contigerit, incurrere volumus ipso facto. Non obstantibus, si vobis, aliisque Prælatis, & Personis Ecclesiasticis supradictis, communiter, vel divisim, à prædicta Sede indultum existat, quod ad solutionem alicujus subsidii minimè teneamini, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possitis per literas Apostolicas quæ de indulto hujusmodi non fecerint mentionem. Et quibuslibet privilegiis, indulgentiis, exemptionibus; & litteris Apostolicis, quibuscunque Ordinibus, & specialiter Sanctorum Benedicti & Augustini, Cluniacensi, Cistercensi, Præmonstratensi, Cartusiensi, Grandimontensi, & ipsorum Universitatibus generaliter, vel specialiter, sub quacunque forma, vel expressione verborum, à memorata Sede concessis. Ad hæc volumus, vobisque eadem auctoritate concedimus, quod vos, & alter vestrum, quos ex defectu non factæ solutionis hujusmodi incurrisse præfatas sententias contigerit, ab eisdem sententiis, post satisfactionem debitam, per aliquem ex vicinioribus Episcoporum excommunicationis sententiâ ligatum, & aliàs gratiam & communionem prædictæ Sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione hujusmodi absolutionis beneficium & super irregularitate, si quam forsan sic ligati, non tamen in contemptum clavium, celebrando divina, vel immiscendo vos illis, contraxeritis, dispensationis gratiam obtinere, aliisque etiam, quos easdem sententias, ex defectu solutionis hujusmodi incurrisse contigerit, post satisfactionem debitam, facta vobis similiter fide de illa, similiter ab eisdem sententiis absolutis beneficium super irregularitate contracta dispensationis gratiam impendere. Et demum, postquam eadem centum millia florenorum integrè receperitis de ipsis, eosdem Prælatos, & totum Clerum dicti Regni Angliæ absolvere ac quietare plenariè valeatis.

Datum Avinioni Calendas Aprilis, Pontificatus nostri anno decimo.

URBANUS

Anno 1367.

Anno 1362.

URBANUS QUINTUS,

PONTIFEX CCII.

ANNO DOMINI MCCCLXII.

URbanus Lemovicensis, Guiliemus anteà vocatus, Pontifex factus, Tiaram Pontificiam triplici coronâ circumdedit, à S. Sylvestro I. simpliciter, (quod vulgò fertur) à Bonifacio VIII. dupliciter coronatam. Instituit benedictionem Rosæ Aureæ, Dominicâ *Lætare* in Quadragesimâ, quam ipse primùm misit Joannæ Siciliæ Reginæ. Pontificatum tenuit annos octo, menses tres. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 261. *App.*)

I. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 569.

Bulla pro Regina Siciliæ super rumore de Provincia invadenda: anno 1367.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo &c. Salutem & Apostolicam benedictionem.

INsonuit, Fili carissime, his diebus rumor implacidus in Comitatu Provinciæ, ad carissimam in Christo Filiam nostram, Johannam Reginam Siciliæ illustrem, pro Regno Siciliæ nostram & Ecclesiæ Romanæ Vasallam spectans, & jam usque ad nostram audientiam est perlatus, quod dilectus Filius, nobilis Vir, Johannes Dux Lancastriæ, natus tuus, intendit, comminatur, & parat se prædictum Comitatum invadere. De quo nescientes quo Jure vel Titulo hoc agere valeat, miramur plurimùm & dolemus, maximè quia, cum olim de hoc aliqua suspicio præcessisset, quidam Nuncius tuus ex parte tua litteras portans Credentiæ, nobis retulit, quod hoc nequaquam permitteret fieri Regia Celsitudo, nisi prius præcedente requisitione legitima, & in justitiæ defectu, quod nondum noscitur esse factum. Cum itaque memorata Regina parata sit super omnibus, quæ idem Dux ab ea vellet petere, stare Juri, quod etiam nos offerimus, pro eadem Serenitatem tuam affectuosè rogamus, & obsecramus in Domino, quatenus hujusmodi invasionem, quæ omnes illas partes, Deo juvante, pacificas conturbaret, multaque pericula animarum & corporum, ac rerum dispendia generaret, indubiè fieri non permittas, maximè quia præfatus Dux, tenendo viam istam rationabiliter, justitiam suam, si quam habeat, faciliùs & honorabiliùs consequetur. Super quibus, eidem Serenitati pleniùs exponendis, dilectum Filium, Magistrum Johannem de Cabrespino Canonicum Narbonensem, Decretorum Doctorem, Apostolicæ Sedis Nuncium, Latorem præsentium, ad tuam præsentiam destinamus; cui super his, quæ Tibi de præmissis ex parte nostra narraverit, fidem velis credulam adhibere.

Datum Viterbii VII. Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

II. Ex Hist. Univers. Parisiens. Bulæi Tom 4. p. 414.

In favorem Caroli Galliarum Regis contra Seditiosos, qui Parisiis & alibi Societatem composuerant, nuncupatam: *La grand Compagnie*, ad turbandum Regni Statum: anno - - - -

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUam sit plena periculis ac cunctis Christi Fidelibus abhorrenda sæva illorum immanitas, qui avaritiæ fervore succensi arma moventes se magnas Societates seu Compagnias appellant, in quibus nulla pietas, nulla fides extitit, effusus Christianorum sanguis, mortes, stragesque multarum Ecclesiarum & Monasteriorum incendia, Virginum raptus & stupra, Civitatum, Castrorum, aliorumque Locorum & bonorum quorumlibet direptiones, spoliationes, prædæ, aliæque afflictiones innumeræ in diversis mundi partibus, & præsertim in Regno Franciæ ex multo jam tempore perpetratæ, proh dolor attestantur!

Contra quos licèt per nos & nonnullos Prædecessores nostros Romanos Pontifices plurimi processus tam speciales quam generales sint habiti, diversas pœnas & sententias continentes, quas in suo robore volumus & decernimus permanere, & haberi etiam præsentibus pro expressis. Nihilominus tamen ex pastoralis sollicitudinis cura, quam erga gregem Dominicum habere diligentiùs perurgemur, anxiè timescentes, quod mundi invalescente malitia hujusmodi nefandis sceleribus assueti ab illis, & præsertim in ipso Regno Franciæ, ubi majus Christianitati periculum imminet, & in quo furor tempestatis hujusmodi magis invaluit, non desistant, & alios ad similia non inducant, ac diligentiùs recensentes, quot & quanta bona ex ipso Regno Catholicæ Fidei totique Christiano populo in longum continuata per ævum multimodè provenerint, & quantum & qualiter Christianissimi Francorum Reges, qui fuerunt pro tempore, eandem fidem Catholicam & Romanam Ecclesiam, cujus semper præcipui pugiles extiterunt, longè latèque per orbem, sicut exacti temporis Antiquitas fidelis insinuat, & probat evidentia veritatis, multipliciter extulerunt, ferventer pro ipsa fide pugnando, ac Ecclesias & personas Ecclesiasticas sui Regni favorabiliter protegendo, dignum ducimus & expediens reputamus, ut adversus hujusmodi pravorum nequitiam, quantum cum Deo possumus, opportunis remediis occurramus. Consideratione igitur præmissorum super his cum Fratribus nostris deliberatione præhabita diligenti & de ipsorum Fratrum Consilio, ut bonis & fidelibus tranquillitatem præservemus & pacem, ac pravorum iniquitatibus, animarum periculis, personarum excidiis, Ecclesiarum & Ecclesiasticorum alio-

rumque bonorum dispendiis & jacturis, aliisque malis hujusmodi, quantum cum Deo possumus, salubriter obviemus, authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, districtiùs inhibentes, ne aliqua persona Ecclesiastica, vel mundana, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existat, Societatem, vel Societates hujusmodi de cætero congregare, facere, tractare, seu ordinare, aut congregatas in ipsum Regnum inducere, mittere, vel in eo tenere, seu aliqualiter fovere, aut in eis vel earum aliqua Capitaneatum, seu Constabulariam, sive aliud quodcunque Officium seu Ministerium assumere, aut ex antiquo vel novo tempore assumptum quomodolibet retinere aut exercere, Banderiam seu Vexillum erigere seu deferre, vel se in hujusmodi Societatibus infra seu contra dictum Regnum jam factis vel in posterum faciendis quovis modo recipere seu immiscere, aut in eis tractandis, contrahendis seu firmandis, aut jam factis seu faciendis, manutenendis & conservandis dare operam, consilium, auxilium, vel favorem; aut cum ipsis Societatibus jam factis, vel in posterum faciendis præfatum Regnum, aut Civitates, Terras, Castra, Villas, & alia quævis loca, seu partes aut personas & bona dicti Regni invadere, occupare, vel detinere aut depopulari, vel eorum ope seu auxilio uti in præmissis Regno & partibus incursus hostiles seu prædatorios agere, deprædationes vel rapinas vel spolia inde asportata, aut talia perpetrantes seu committentes, aut Societates ipsas vel aliquas ex eis cum præda, vel sine prædâ, scienter, voluntariè, & dolosè receptare, vel cum eis publicè vel occultè participare, aut eorum Subditis & aliis, quod præmissa faciant vel committant, concedere, seu permittere, aut sustinere, si hoc sciverint & potuerint prohibere, aut eis bladum, panem, vinum, carnes, equos, arma, currus, navigia, aut quæcunque victualia, pecunias, merces, vel res aliquas, quæ in eorum commodum cedere valeant, deferre, portare, dare, vel concedere, aut ab eisdem prædas & hujusmodi bona rapta emere, vel alias qualitercunque recipere, aut aliàs in præmissis faciendis vel committendis dare consilium, auxilium, vel favorem quoquo modo præsumat. Alioquin omnes & singulos cujuscunque, ut præmittitur, præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existant, qui contra Constitutionem & prohibitionem nostram hujusmodi facere vel venire aut aliqualiter attentare præsumpserit, nec non alios, qui Subditos suos ad hujusmodi scelera committenda in dictum Regnum duxerint, seu transmiserint, tanquam fautores hujusmodi damnatorum Excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto, & eorum terras & loca quælibet interdicto Ecclesiastico subjacere, ita videlicet, quod nullus præterquam in mortis articulo ab Excommunicationis absolvi sententia, nec interdicto hujusmodi relaxari per alium quam Romanum Pontificem valeat quovis modo. Et nihilominus eos omnes & singulos pœnas & sententias contra talia præsumentes per Sacros Canones inflictas & latas incurrisse, & eis ligatos fore authoritate Apostolica supradicta tenore præsentium declaramus: ipsosque, nec non Civitates, Oppida, Castra, Villas, Loca, & Communitates, Universitates & populos in iis culpabiles seu culpabilia omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus realibus & personalibus sub quacunque verborum forma à dicta Sede, aut Imperatoriâ vel Regiâ Majestate, aut aliis inferioribus concessis eisdem, nec non feudis, bonis, honoribus, officiis, Juribus & Jurisdictionibus, quæ à Romana vel aliis Ecclesiis, aut Imperatoriâ aut Regiâ Majestate hujusmodi aut aliis inferioribus quibuscunque tenore profecta fuisse noscuntur, ex nunc ut ex tunc sententialiter privamus, eorundem Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis, etiamsi Episcopali vel majori præfulgeant dignitate, districtiùs injungendo, quod feuda & bona ipsa recipiant, & pro suis Ecclesiis & Monasteriis teneant, aut aliis concedant, & de ipsis disponant, prout aliàs eis licet & pro Ecclesiarum & Monasteriorum suorum utilitate viderint expedire, singularesque personas in his culpabiles ad illa & similia, & quælibet alia ipsorumque descendentes usque ad tertiam generationem exclusivè ad Dignitates, Personatus & Officia, & alia quælibet Beneficia Ecclesiastica cum cura vel sine cura quovis nomine censeantur, authoritate quâlibet obtinenda inhabilitamus & inhabiles reddimus eo ipso, Vasallos quoque & homines eorundem delinquentium contra Constitutionem & nostras prædictas à juramento & fidelitate, à quacunque obligatione quilibet tenebantur, eisdem totaliter absolvimus. Et insuper volumus & statuimus, quod ex tunc ipsi Sociales, Receptatores & Defensores eorum & alii, ut præmittitur, delinquentes, sint & habeantur infames; ita quod nec ad testimonium, nec alios actus legitimos admittantur. Fiant etiam intestabiles, sic quod non possint condere testamentum, nec ad cujusquam successionem ex testamento, vel ab intestato aliquatenus admittantur. Et si Tabelliones fuerint, instrumenta confecta per eos non valeant, sed cum actore damnato damnentur, filii quoque & nepotes ipsorum usque ad tertiam generationem exclusivè ad nullos honores mundanos seu Ecclesiasticos admittantur, fiant domus eorum desertæ, & ut non sint qui habitent in eis, dentur cuncta eorum ædificia in ruinam, & ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur, sit eis postulandi negata facultas, sit Tabellionatus, Judicatus & quodlibet aliud Officium seu Ministerium publicum interdictum. Quod si secus super his actum fuerit, id carere volumus omni robore firmitatum. Omnes quoque præfatos Capitaneos, Adjutores, Connestabiles, Caporales Societatum ipsarum & alios quoscunque de Societatibus & delinquentibus supradictis, omnibus dignitatibus & honoribus secularibus ac officiis publicis, in quibus forsan essent constituti, ex nunc ut ex tunc deponimus, ac per sententiam removemus, ac Cingulo militari, si forsan essent eo decorati, privamus, eosque ad eadem officia, dignitates, honores, & Cingulum militare reddimus inhabiles & indignos. Quod si inter eos sint aliqui Clerici sive Ecclesiasticæ personæ, Dignitates, Personatus vel Officia, Canonicatus & Præbendas, & alia quævis Beneficia cum cura vel sine cura, seu administrationes quascunque obtinentes, qui sortem Domini, in quam erant assumpti, temerariè relinquentes, & Ministros Belial ac iniquitatis satellites se constituentes, ipsos ultra prædictas pœnas & sententias, quibus etiam volumus eos subjacere, eisdem Dignitatibus, Personatibus, Officiis,

ciis, Canonicatibus & Præbendis, Beneficiis & administrationibus ipso actu decernimus esse privatos. Concedentes illis, ad quos earundem Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum & Præbendarum, Beneficiorum & Administrationum collatio, seu provisio pertinet, ea conferendi & providendi de illis personis idoneis, prout expedire viderint, plenam & liberam facultatem, ac eis in virtute Sanctæ obedientiæ districtè mandantes, quod ad collationem & provisionem hujusmodi, quam citò eis de prædictorum delinquentium hujusmodi culpis constiterit, procedere non postponant. Quod si iidem Prælati, vel alii, ad quos hujusmodi feudorum & bonorum receptio, concessio, dispositio, Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Beneficiorum & Administrationum collatio & provisio, ut præmittitur, pertinent, infra unius mensis spatium, postquam eis de præmissis excessibus & culpis constiterit, ad receptionem, concessionem, dispositionem, collationem & provisionem easdem non processerint faciendas, Nos ipsas receptionem, concessionem, dispositionem, collationem, & provisionem dispositioni nostræ ac Sedis ejusdem specialiter reservamus, districtiùs illis inhibentes, ad quos eædem receptio, concessio, dispositio, collatio, & provisio aliàs pertinent, vel possent quomodolibet pertinere, ne de feudis, bonis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, ac Beneficiis & administrationibus ipsis vel ipsorum aliquo contra nostram reservationem hujusmodi disponere vel ordinare præsumant. Nos enim decernimus irritum & inane, si secus fuerit attentatum, & cum pœnæ condignæ non possint tam gravibus & multiplicibus sceleribus adhiberi, & ne ipsorum temeritas transeat præsumptoribus in exemplum, de dictorum Fratrum Consilio bona ipsorum protervorum Socialium mobilia concedimus Fidelibus occupanda, immobilia verò eorum Dominis confiscamus, & personas eorundem Socialium exponimus Fidelibus capiendas, ut capientium fiant servi. Non obstantibus, si aliquibus communiter, vel divisim à Sede prædicta foret indultum, quod suspendi vel excommunicari, aut ipsi & Civitates, Terræ, Oppida, Castra, Villæ, & Communitates, vel Universitates eorum interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indultu hujusmodi mentionem, & quibusvis personis, locis, vel Ordinibus sub quacunque verborum forma vel expressione concessis. Etiamsi de illis esset specialis & expressa, ac de verbo ad verbum in eisdem de Indultu hujusmodi mentio, & quibusvis Privilegiis, Indulgentiis, vel Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quibusvis personis, locis, vel Ordinibus, sub quacunque verborum forma, vel expressione concessis. Etiamsi de illis esset specialis & expressa, ac de verbo ad verbum in eisdem nostris Processibus, & Litteris Apostolicis inde confectis mentio facienda, per quæ nullum contra præmissa, vel eorum aliquod volumus afferri suffragium vel obstaculum interponi. Ut autem hujusmodi noster Processus ad dictorum Socialium perversorum & aliorum, quorum interest, notitiam deducatur, chartas seu membranas processum continentes eundem majoris Ecclesiæ Avenionensis affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum eundem suo quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt, ut iidem Sociales, & alii, quorum interest, ut præmittitur, quod ad eos non pervenerit, vel ignoraverint eundem, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quod ad eos maneat incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, inhibitionis, declarationis, privationis, inhabilitationis, mandati, voluntatis, ordinationis, dispositionis, remotionis, redditionis, concessionis, reservationis, & confiscationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Massiliæ VI. Idus Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

Archiepiscopo Narbonensi Conciliorum Provincialium celebrationem mandat; anno - - - - - III. Ex Anecd. M tene Tom. I. col. 1492.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Narbonensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

SAcrorum Canonum testatur auctoritas, quod olim Sancti Patres, tam Romani Pontifices, quam alii Ecclesiarum Prælati curam solertem super Gregem Dominicum exercentes, de celebrandis Conciliis, in quibus de exstirpandis vitiis, & plantandis virtutibus, tam in Clero, quam Populo, & de conservanda libertate Ecclesiastica, de Statu quoque Ecclesiarum & piorum locorum dirigendo salubriter agebatur, fuerunt plurimùm studiosi, ex iisque Status Ecclesiasticus in spiritualibus & temporalibus multum crevit; Sed, proh dolor! succrescente paulatim Prælatorum desidiâ, omissâque continuatione Conciliorum, hujusmodi pullulant vitia, crescit indevotio Populi, præfata libertas minuitur, cultus Divinus negligitur, irrogantur à Laicis Clero gravamina, & in temporalibus bonis ad divinum deputatis obsequium sentitur non modicum detrimentum. Optantes igitur, quod tantis malis in tua Provincia per salubrem tuam, & tuorum Fratrum providentiam occurratur, Fraternitatem tuam Apostolicæ sollicitudinis Studio excitamus ac requirimus, & hortamur attentiùs, per Apostolica Tibi scripta mandantes, quatenùs Concilium tuæ Provinciæ, in quo dè his, quæ pro laude Dei, & utilitate Ecclesiarum, & piorum locorum, nec non Cleri, & populi fuerint utilia & opportuna, providâ examinatione tractetur, & provideatur, quàm citò commodè poteris, studeas convocare: Nobis de convocatione hujusmodi, cum eam feceris, & demùm de gestis in eodem Con-

ANNO 1367. cilio rescripturus, ac tu, & Suffraganei tui favorem Apostolicum, in his, in quibus illum reputabitis utilem, fiducialiter postuletis.

Datum Avenioni VII. Calendas Decembris, Pontificatus nostri anno tertio.

IV. Ex Diario Ital. Montfaucon pag. 331.

Quod Casinenses Psalterio Gallicano utantur: anno - - - -

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbati & Conventui Monasterii Casinensis, Ordinis S. Benedicti, nullius Diœcesis, Romanæ Ecclesiæ subjecti, nec non universis Conventibus, & Monachis Membrorum ejusdem, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm usus Psalterii Gallici tàm in Romanâ Curiâ, quàm in majori parte Ecclesiarum, & Monasteriorum habeatur frequentior quàm Romani, cujus usus servatur in vestro Monasterio Casinensi; Nos nolentes, quod in hoc à dictis Curia, & aliis pluribus Ecclesiis discrepetis, discretioni vestræ in virtute sanctæ obedientiæ, & per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs de cetero utamini Psalterio Gallico prælibato. Tuque, Fili Abbas, contradictores per regularem disciplinam, & etiam Censuram Ecclesiasticam, si opportunum fuerit, postpositâ appellatione, compescas.

Datum Romæ apud S. Petrum IV. Nonas Martii, Pontificatus nostri anno VIII.

Nic. G. de Mandato Domini nostri Papæ.

Bartholomæus

Locus ✠ Sigilli plumbei pendentis.

ANNO 1370.

GREGORIUS UNDECIMUS,

PONTIFEX CCIII.

ANNO DOMINI MCCCLXX.

GRegorius, priùs Petrus Rogerius, anno 1370. Urbanum V. excepit. Pacem inter Christianos conciliare annisus est. Motus turbis Florentinis, quorum ope Romani nixi, Legatos Apostolicæ Sedis pepulerunt, Sedem Avenione Romam post 72. annos transtulit: Mox obiit anno 1378. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Tom. I. Luxemb.* 1727. *fol.* 262. *App.*)

ANNO 1371.

I. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 6. pag. 702.

Deputat duos Cardinales pro sedandâ discordiâ inter Reges Angliæ & Franciæ obortâ: anno 1371.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Eduardo, Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam benedictionem.

AD procurandum Statum pacificum & tranquillum inter Te, & carissimum in Christo Filium nostrum Carolum, Regem Francorum illustrem, dum minori fungebamur officio, mentem semper habuimus vigilem. Et dum, Divinâ disponente Clementiâ, ad apicem Summi Apostolatus fuimus assumpti, tanto ad id eò ferventiùs & instantiùs noster fuit excitatus affectus, quò vestra toti Populo Christiano periculosior erat & adhuc est discordia.

Eapropter duos è dictis Filiis nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, videlicet, Simonem Tituli Sancti Sixti, & Joannem Tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteros Cardinales, Apostolicæ Sedis Nuncios, tanquam pacis Angelos ad utramque Partem pro hujusmodi sedanda discordia Te super hoc gratiosè exhortando, duximus destinandos. Verùm nuper lætanter audivimus, quod Tu, tanquam Princeps Christianissimus, ea, quæ idem Simon Cardinalis Serenitati tuæ super præmissis exposuit, benignè audivisti, super quo Sinceritatem tuam multarum prosequimur actionibus gratiarum. Et, cum summè nobis cordi sit, ut inter Te & dictum Regem Francorum, summotis hujusmodi discordiis, perpetua Pax reformetur, per quam desolationi Catholici occurratur Populi, Christianæ Gentis Excidia tollantur, & obvietur periculis animarum, Excellentiam tuam rogamus & exhortamur, in Filio Dei Patris & per ipsius misericordiam obsecramus, quatenus eisdem Cardinalibus, & eorum cuilibet, in his, quæ super hoc Tibi ex parte nostra retulerint, credens indubiè, & solerter attendens, quam sit onusta periculis, quantaque discrimina secum trahat hujusmodi damnosa dissensio, quantaque ex hoc bonis Christi Fidelibus contristationis, & Infidelibus exultationis & gaudii materia præparetur, tuum in mansuetudine animum præparans, pro Divina & Apostolicæ Sedis ac nostra reverentia, ad Pacem reformandam, per quam Regna crescunt, & Populi sub tranquillitate proficiunt, cum præfato Rege Francorum Te convertas; ac Nuncios industriosos & solennes, & plenè instructos, Deum & Bonum pacis zelantes, ac plenum ad hoc mandatum

habentes,

Anno 1375.

habentes, ad aliquem locum idoneum, communiter eligendum, ubi tui & memorati Regis Francorum Nuncii possint commodè convenire, sine cujuslibet moræ dispendio, destinare procures, Tractatum pacis hujusmodi ad finem laudabilem, auxiliante Domino, perducturos; In hoc preces nostras taliter impleturus, quod ipse Rex Regum, qui extollit pacificos, & deprimit inquietos, tuæ Celsitudinis exaltet Solium, prosperitatem adaugeat, ac Regnum tuum in tranquillitate custodiat, Tibique salutis æternæ præmia largiatur, Nosque, qui Te sincerè diligimus, eandem Celsitudinem tuam dignis in Domino laudibus attollamus, ac universis Christi Fidelibus publicæ lætitiæ consolationem exultantibus animis præbere in Domino valeamus. Præfato siquidem Regi Francorum dirigimus similiter scripta nostra, ut idem non differat adimplere; quem nobis in hoc obtemperaturum verisimiliter opinamur.

Datum Avinion. Id. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

II. Rymer Tom. ---

Bulla de Compositione inter Regem & Papam per Nuncios ex utraque parte concordata: anno 1375.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EXimiæ devotionis sinceritas, quam carissimus in Christo Filius noster Eduardus, Rex Angliæ illustris, ad Nos & Romanam Ecclesiam gerere comprobatur, sublimis quoque ejus Status eminentia, nec non etiam specialis benevolentiæ plenitudo, quam ad dilectos Filios, Clerum Angliæ, infra nostra recumbentes præcordia, gerimus, nos inducunt, ut ipsos, Regem atque Clerum, & illos præsertim ex hujusmodi Clero, qui eidem Regi specialis Studio devotionis & fidelitatis adhærent, favoribus & gratiis, illis maximè, quæ conscientiæ pacem & animarum salutem respiciunt, muniamus. Cùm itaque, sicut accepimus, in Regno Angliæ sint quamplures Clerici, qui ex præsentatione seu collatione dicti Regis, prout ad se pertinere dicebat, Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus, & Præbendas, & alia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, infra Regnum dictum pacificè possident de præsenti, Nos ne dicti Clerici, super hujusmodi Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis ipsis, possint imposterum molestari, providere volentes; Prædicta omnia, Dignitates, Personatus, Officia, Canonicatus & Præbendas, & alia Beneficia, præmissis Clericis, sic ea, ut præfertur, obtinentibus, dum tamen tempore, quo illa fuerint assecuti, idonei & habiles essent ad ea obtinenda, etiamsi sint dispositioni Apostolicæ quomodolibet reservata, & etiamsi inter aliquos ex hujusmodi pacificè possidentibus, & eorum Adversarios jam defunctos, fuerit aliàs in Palatio Apostolico litigatum, Auctoritate Apostolicâ confirmamus, eos si propter illicitam detentionem eorumdem inhabilitatem incurrerant, habilitando. Et eos dictorum Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Canonicatuum, & Præbendarum, & aliorum Beneficiorum possessione pacifica, quam nunc obtinent, gaudere volumus & etiam ordinamus. Intendentes eorum singulis, si à Nobis petierint, super illis speciales confirmationes seu provisiones novas concedere, prout eis utilius fuerit, & magis videbitur expedire, non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, nec non Statutis & Consuetudinibus Ecclesiarum & Locorum, in quibus hujusmodi Beneficia, seu aliqua ex eis consistunt, contrariis, Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quacumque alia firmitate vallatis, etiamsi de illis, & totis eorum tenoribus, esset præsentibus specialis, & expressa mentio facienda. Nulli ergo omninò homini liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Habilitationis, Voluntatis, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data apud Villam Novam, Avinionensis Diœcesis, Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Anno 1376.

III. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 7. pag. 103.

Contra Florentinos: anno 1376.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio &c. Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXcessus gravissimos, quos iniquitatis Alumni, Cives & Populus Civitatis Florentinæ, tanquam in reprobum sensum dati, à septem mensibus citra, contra Deum, & Romanam, & nonnullas alias Ecclesias, & libertatem Ecclesiasticam commiserunt, prout non destiterunt committere diebus præteritis, pro certa parte, cùm eos omnes nimis longum ac tædiosum foret scribere & audire, Nobilitati tuæ, ut de illis præfatæ compateretur Ecclesiæ, ac præstaret auxilium & favorem, per alias nostras litteras duximus referandos. Postmodùm autem, cum ipsos excessus nequiremus, absque debiti appositione Remedii præterire, certos graves processus exigente justitia contra eosdem Cives & Populum, eisque quomodolibet dantes auxilium, consilium, vel favorem, fecimus, licèt, eorum promerente malitia, dignè potuissemus facere graviores, quos in Romana Curia, communi omnium Patria, & in diversis Regnis & Terris fidelium publicari mandavimus, prout assiduè publicantur. Cumque Processus ipsos ad Regnum Angliæ, in quo quamplures ex eisdem Civibus immorari dicuntur, pro hujusmodi publicatione ibidem facienda mittamus ad præsens, eandem Nobilitatem rogamus obnixè, quatenus ob reverentiam Dei, & dictæ Ecclesiæ, & nostram, in publicatione & executione dictorum processuum, tuum favorem velis efficaciter impertire.

Datum Avinion. decimo quinto Calendas Junii, Pontificatus nostri anno sexto.

ANNO 1376. ANNO 1376.

IV. Ex Hist. Universit. Parisiens. Bulæi Tom. 4. p. 444.

De Inquisitione Fidei in Francia: an. - - - -

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Carolo, Regi Franciæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ZElus Catholicæ Fidei, præsertim in tuis honoris & meriti laudibus Nos inducit, ut pro defensione dictæ Fidei, præsertim in tuis partibus, devotionem Excellentiæ Regiæ fiducialiter requiramus.

Quippe ex dilecti Filii Inquisitoris Hæreticæ pravitatis Partium Delfinatus Viennensis expositione didicimus, quod in dictis partibus Hæreticorum multitudo copiosa consistit, quos nonnulli Nobiles partium earundem postposito Dei timore faventes non permittunt eundem Inquisitorem procedere contra illos, & quod dilectus Filius nobilis Vir Gubernator Delfinatus ejusdem contra tales de favore sui Officii requisitus, illum impendere negligenter omittit, propter quæ multiplicantur execrabiles hæreses & Hæreticorum inficientium illas & vicinas Patrias numerus, proh dolor! continuè adaugetur. Unde si super iis cum tuæ devotæ Celsitudinis auxilio, sine quo non potest justitia ministrari, celer & efficax remedium non opponatur, in omnibus dictis partibus & etiam Regno vepres & spinæ hæreticalium errorum possent citò succrescere, non de facili evellendæ, in periculum animarum gravissimum & obnubilationem Claritatis Catholicæ, sinceritatis Fidei Orthodoxæ, quam tui Christianissimi & incliti Progenitores non solùm defenderunt viriliter, sed magnificè extulerunt. Eapropter Regiam Majestatem requirimus instantiùsque rogamus, quatenus super præmissis tam devotè quam ferventer & efficaciter atque celeriter non solùm litteralibus mandatis, sed Nunciis & Executoribus ferventibus, audacibus & devotis ad dictas partes per Te mittendis, prout tanta materia exigit, providere festines, quod exinde tua multiplicentur merita apud Deum, & præconium in hoc Dei negotio, quod cuncta præcellit, gloriosiùs extollatur, & Nos contra Nobiles & alios tuos Subditos defendentes & foventes eosdem Hæreticos exigente justitia, quam nullo modo possemus omittere, procedere non cogamur. Cæterum ut contra hujusmodi Hæreticos & fautores eorum efficaciùs procedatur, Venerabilem Fratrem nostrum Antonium, Episcopum Massanensem, Apostolicæ Sedis Nuntium, harum Latorem, ad dictas partes dirigimus, cum tu velis tuam assistentiam adhibere in consilio ac auxilio & favore, ac indubiè credere ea, quæ de præfatis ex parte nostra Tibi duxerit referenda.

Datum Avenioni Nonas Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

V. Ex Saracini Notitie Istoriche d'Ancona pag. - - -

Anconitanos excitat contra Ausculanos & Firmanos Romanæ Ecclesiæ: anno 1376.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Populo & communi nostræ Civitatis Anconitanæ Salutem.

NOn sine dolore referimus, quòd licèt iniquitatis Filii, Populi & Communis Civitatum nostrarum Firmanæ & Ausculanæ, ac Universitatis quarundam aliarum Terrarum, licèt de jure sint & esse debeant Nobis & Ecclesiæ Romanæ subjectæ, tamen ipsi Spiritu elationis permoti contra Nos & dictam Ecclesiam inconsultis motibus rebellarunt, qui per Nos diu requisiti benignè, ut ad gremium Ecclesiæ præfatæ redirent, requisitionem paternam, obstinatâ contumaciâ contempserunt; Quare Fidelitati vestræ, quæ amicos dictæ Ecclesiæ pro amicis, & inimicos pro inimicis habere debeant, præsentium tenore mandamus, quatenus dictos rebelles, sicut eorum merita exigant terrestribus, & maritimis insultibus prosequi studeatis, ut qui dulcibus monitis quiescere non curant, saltem verborum stimulis resipiscant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum 14. Calendas Februarii anno septimo.

VI. Ex Hist. Univers. Parisiens. Bulæi Tom. 4. p. 450.

Admonitus Gregorius quid rerum in Anglia moliretur Wicleffus, quæve perniciosa dogmata spargeret, hâc Bullâ præcipit capi, & tradi in manus Archiepiscopi Cantuariensis, aut Episcopi Londinensis: anno - - - -

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Cancellario & Universitati Studii Oxoniensis, Lincolniensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

MIrari cogimur & dolere, quòd vos qui propter gratias & privilegia vestra Studio Oxoniensi ab Apostolica Sede concessa, & propter scientiam Scripturarum, in quarum pelago felici remigio, dante Domino, navigatis, tanquam pugiles & propugnatores Orthodoxæ Fidei, sine qua salus animarum non provenit, esse deberetis, lolium inter purum triticum Campi gloriosi Studii vestri

prædicti

ANNO 1378.

prædicti per quandam desidiam & ignaviam permittitis pullulare, & quod perniciosius est etiam adolere, nec circa extirpationem hujus lolii, sicut nuper apud nos insonuit, curam aliquam adhibetis non sine clari nominis obfuscatione & animarum vestrarum periculo & contemptu Ecclesiæ Romanæ & memoratæ fidei detrimento. Et quod nos torquet acerbius, prius de incremento lolii prædicti sentitur in Roma quàm in Anglia, ubi tamen extirpationis remedium apponeretur. Multorum siquidem fide dignorum insinuatione admodum dolentium nostris est auribus intimatum, Joannem Vicleff Rectorem Ecclesiæ de Luttevorth Lincolniens. Diœcesis sacræ paginæ Professorem, utinam non magistrum errorum, in illam ac detestabilem erupisse vecordiam, nonnullas propositiones & conclusiones erroneas & falsas, ac pravitatem hæreseos sapientes, quæ statum totius Ecclesiæ & etiam secularem politiam subvertere & enervare nituntur, quarumque aliquæ licet quibusdam mutatis terminis sentire videntur perversas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marsilii de Padua & Joannis de Guandavo (Janduno) quorum uterque per felicis recordationis Joannem Papam XXII. Prædecessorem nostrum reprobatus extitit, & damnatus in Regno Angliæ nempe gloriosa potentia & copia facultatum, sed gloriosiore pietate fidei rutilante, sacræ paginæ claritate consueto viros producere, Divinarum scripturarum recta scientia illustratos, morum gravitate maturos, devotione conspicuos, & Catholicæ fidei defensores, dogmatizare & publicè prædicare, seu potius de virulento Claustri seu pectore evomere non veretur, nonnullos Christi fideles earum respersione commaculans & à fidei præfatæ recta semita in præcipitium perditionis abducens. Quare cum tam letiferam pestem, cui, si ejus non obstetur principiis, & ipsa radicitus evellatur, serò posset medicina parari, cum per contagionem plurimos infecisset noluimus prout nec velle debemus sub conniventia pertransire. Universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis omnium gratiarum, indulgentiarum & Privilegiorum vobis ac studio vestro à dicta sede concessorum districtè præcipiendo mandamus, quatenus conclusiones & propositiones in bonis operibus & fide malè sentientes, licet eas proponentes sub quadam verborum sive terminorum curiosa implicatione nitantur defendere, de cætero non permittatis asseri vel proponi, dictumque auctoritate nostra capiatis seu capi faciatis, & ipsum venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Cantuariensi & Episcopo Londoniensi, aut eorum alteri sub fida custodia transmittatis. Contradictores quoque de dicto studio vestro jurisdictioni subjectos, si qui forsan, quod Deus avertat, essent ejusmodi erroribus maculati, si in illis pertinaciter perstiterint, ad similem captionem & missionem aliasque prout ad vos spectat, firmiter & sollicitè procedatis, perinde vestram suppleturi diligentiam, hactenus in præmissis remissam, nostram quæ & dictæ sedis præter Divinæ retributionis præmium & meritum, gratiam & benevolentiam adepturi.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem 11. Calendas Junii Pontificatus nostri Anno 7.

ANNO 1378.

URBANUS SEXTUS.

PONTIFEX CCIV.

ANNO DOMINI MCCCLXXVIII.

URbanus Neapolitanus, prius Bartholomæus Prignanus dictus, anno 1378. Pontifex fuit renunciatus. Ab acerrimo Schismate inter hunc Urbanum & Clementem VII. anteà Cardinalem Gebennensem nuncupatum tunc temporis agitata Ecclesia Romana. Carolum Hungariæ Regem in Reginam Neapolis movet. Obiit anno 1389. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1527. *fol.* 270. *App.*)

URBANO VI. *Pontifice electo, acerrimum schisma Ecclesiam dilaceravit, quippe Cardinalis Gebennensis ab altera ex partibus Anti-Papa electus sub nomine Clementis VII. inter alias Bullas sequentem, quam damus, edidit celebrem admodum quamobrem ne series Pontificum confunderetur, Vulgatique Bullarii idem esset ordo, haud incongruum censetur inter alias, easque Urbani, Bullas inserere, & sub nomine Clementis, ut relata est à Dacherio, Leibnitio &c. eam referri.*

Litteræ Bullatæ, quibus CLEMENS Papa VII. Regnum Adriæ instituit, comprehendens partem terrarum Ecclesiæ Romanæ in Italia, ac Ludovico Duci Andegavensi tribuit 15. Kal. Maji 1382.

Bullam hanc quam ex Leibniziana collectione diplomatica desumpsimus, Dacherius etiam in suo spicilegio refert, sed qui eam signat anno 1379. quum Leibnizius diversimodè signet scilicet anno 1382.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Adriæ, Duci Andegavensi & Turonensi, ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Francorum illustris germano, salutem & Apostolicam benedictionem.

COnstituti in suprema militantis Ecclesiæ statione ab eo, per quem Reges regnant, & Principes imperant, & qui solus habet super universam creaturam plenitudinem potestatis, necesse habemus, interdum de Regnis & terris ipsis & specialiter, quæ Romanæ Ecclesiæ juris & proprietatis existunt cum fratribus nostris ad pacem & justitiam populorum perpetua stabilitate disponere, terras ipsas dignitate decorare Regia, & in earum soliis ad regimen gentium subjectarum quos dignos credimus sublimare; ut evulsis spinosis vepribus plantas inseramus proficuas fructus uberes suo tempore in domo Domini allaturas instructi cœlestis Regis exemplo, qui terrenis Regibus potestatem tribuit, ut assumpto officio dominandi in æquitate judicent populos, & dirigant in terris sibi subditis gentium nationes,

ANNO 1378.

sitque eorum voluntas in executione justitiæ, & meditatio in lege rectitudinis & observantia sanctæ pacis.

Ea propter terras nostras & Ecclesiæ Romanæ, quas habemus in Italia respicientes oculo pietatis, & conspicientes eas seu habitatores earum retrò jam lapsis temporibus adeo esse lacessitas, & dominantium in eis jure & auctoritate sedis Apostolicæ crebra mutatione effecta, multitudine Tyrannorum tàm circa, quàm infra eas ipsas occupare conantium sic esse afflictas, quod penè ad exinanitionem clerus & populus est deductus in eis; nosque utpote orbis regimine occupati ad debitam earum reformationem intendere nequeamus.

Aliis & aliis justis considerationibus moti, de Fratrum nostrorum consilio & assensu, terras ipsas videlicet Provincias Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, Ducatus Spoletani, Massæ, Trabari, nec non Civitates Bononiam, Ferrariam, Ravennam, Perusiam, Tudertum cum earum omnibus Comitatibus territoriis, & districtibus, & omnes alias, & singulas terras, quas ad præsens nos & Ecclesia Romana in Italia extra Regnum Siciliæ habemus & habere debeamus per quoscumque & quacumque auctoritate possideantur seu detineantur ad præsens exceptis duntaxat urbe Romana cum ejus districtu, & provinciis Patrimonii S. Petri in Tuscia Campaniæ & Maritima ac Sabina seu Rectoratibus dictarum Provinciarum regi solitis, quæ terræ specialium commissionum vocantur nostrisque Successoribus, & Romanæ Ecclesiæ expressè & specialiter retinemus in unum Regnum erigimus ipsas Provincias & Civitates cum earum Comitatibus, districtibus, seu territoriis, dignitate Regia decoramus ac Regnum Adriæ ordinamus, statuimus, & decernimus perpetuò nuncupari.

Et considerantes quod personam tuam qui de illa præclarissima domo Franciæ, quam benedixit Dominus traxisti originem strenuitate magnanimitate ac prudentia aliarumque virtutum donis multiplicibus Dominus dignatus est adornare, prout judex veritatis, experientia ac præclaræ famæ præconium luce clarius manifestant: & propterea ipsam personam tuam honorare & sublimare volentes ad honorem Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, beatæ, & gloriosæ semper Virginis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ nec non ad utilitatem Regni seu Terrarum ipsarum pacificumque ac tranquillum statum incolarum seu habitantium in Regno seu Terris prædictis Regnum Adriæ prædictum, & omnes terras, quas exta Regnum Siciliæ nos & Romana Ecclesia in Italia habemus, seu habere debemus, per quoscumque, & quacumque, ac cujuscumque auctoritate possideantur, seu detineantur ad præsens; exceptis urbe Romana cum suo territorio & districtu, ac provincia patrimonii beati Petri in Tuscia Sabina, Campaniæ & maritima, cum earum Rectoratibus & terris specialium commissionum per Rectores dictarum Provinciarum gubernari hactenus solitis; cum dignitate, honore, prærogativis, præeminentiis, privilegiis, immunitatibus & libertatibus quibuscunque Regiis, & sub Regni titulo in feudum perpetuum, seu perpetuò habendum, tenendum & possidendum tibi tuisque hæredibus ex te legitime, sicut infra dicitur, descendentibus, sub infra scriptis modis & conditionibus auctoritate Apostolica plenitudine potestatis, de Fratrum nostrorum consilio & consensu conferimus, concedimus & donamus, teque Regem Regni prædicti constituimus & creamus. Conditiones autem sunt hæ: si in tuo vel hæredum tuorum obitu legitimum hæredem, prout infra scribitur te aut ipsos quod absit, non habere contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertatur. Descendentes autem ex te & tuis hæredibus, scilicet Regibus, mares & fœminæ in eodem Regno succedant, sic tamen quod de liberis pluribus maribus in eodem gradu similiter concurrentibus, masculus omnibus aliis præferatur. Quod si nepotem ex filio primogenito præmortuo cum filio, vel neptem ex filia primogenita præmortua cum filia, ad successionem hujusmodi concurrere fortè contingat, nepotem patruo, & neptem amitæ volumus anteferri. Si verò Nepos cum amita vel neptis cum Patruo forsan ad hujusmodi successionem concurrerint, marem fœminæ volumus anteferri. Si verò te, quod absit, sine liberis ex te legitimè descendentibus mori contigerit; possit tibi in Regno prædicto succedere unus de descendentibus ex Regia stirpe Regum Franciæ masculus dumtaxat, quem tu quandocunque ad successionem hujusmodi qualitercunque duxeris nominandum, & si te quod absit, absque liberis ex te legitimè procreatis & nullo per te de stirpe præfata Regum Franciæ ad successionem hujusmodi nominato, ut dictum est, vel etiam nominato, si ipsum per te nominandum sine liberis mori contigerit, Regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem liberè revertatur. Sed si aliquem de aliis successoribus tuis Regem, vel Reginam Adriæ sine prole legitima sui corporis mori contigerit, in futurum succedent sibi servatis gradibus, si superstites fuerint hæ personæ videlicet Regis vel Reginæ sine prole legitima sui corporis decedentis, frater, vel soror ac collaterales superiores, mares & fœminæ utpote patrui, & avunculi, amitæ & materteræ, & sursum usque ad quartum gradum dumtaxat. Collaterales etiam inferiores succedent similiter mares & fœminæ utpote nepos vel neptis ex fratre vel sorore & inferius usque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de fœminis rectæ lineæ, & collateralium superius expressum intelligimus tam de nuptis quàm etiam innuptis, dummodo nuptæ sint fidelibus, & Ecclesiæ Romanæ devotis: & sicut inter has personas collateralium linearum ad successionem hujusmodi venientes gradus servari volumus ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur; Sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu & marem fœminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem ipsarum nulla superstite, Regnum ipsum, sicut prædicitur ad Romanam Ecclesiam & ejus dispositionem liberè revertatur. Quod si fortè deficientibus masculis contingat fœminam innuptam in Regno ipso succedere, illa maritabitur personæ quæ ad ipsius Regni regimen, & defensionem existat idonea, Romani Pontificis tamen super hoc consilio requisito; nec nubet nisi viro Catholico & Ecclesiæ Romanæ devoto; & si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad privationem sine figura judicii & absque omni juris solemnitate, in quacunque ætate fœmina ipsa consistat, procedere, si hoc ei videbitur expedire. In Regnum verò prædictum nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Ad hæc tam tu, quàm tui in Regno hujusmodi hæredes regnum prædictum nullatenus dividetis, sed semper illud unus tantum sub ipsis modis & conditionibus immediate, & in capite ab Ecclesia Romana tenebit. Tu autem

Anno 1378.

Romanæ Ecclesiæ & nobis recipientibus curas ad præsens ac modo simili tàm tu quàm tui in Regno hujusmodi Successores cuilibet Romano Pontifici qui pro tempore fuerit, juramentum fidelitatis præstabitis, & homagium ligium facietis, & prædicta juramentum & homagium faciendo mentionem de præsentibus litteris facietis in hunc modum.

Ego Ludovicus Dei gratia Adriæ Rex plenum & ligium vassallagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Adriæ præfato, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro & Domino meo Domino Clementi Papæ suisque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ; non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut capiantur mala captione; consilium, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios suos, vel per litteras ad eorum damnum illud pro posse impediam, & si impedire non possum, illud eis significare curabo. Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri tam in Regno Adriæ prædicto, quàm alibi existentia, adjutor eis ero ad defendendum & retinendum, ac recuperandum & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas conditiones contentas in præsentibus litteris plenariè adimplebo & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Hujusmodi autem homagium facere & juramentum fidelitatis præstare tu & dicti tui hæredes secundum præscriptam formam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit infra sex menses, si verò extra Italiam ipsum esse contigerit infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini; & singulis ipsis successoribus nostris & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis tam ipsum homagium quàm hujusmodi juramentum. In opinione autem & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ, te & hæredes tuos vocare ad præstandum personaliter juramentum fidelitatis & homagium ligium Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ prædictæ, dummodo ad hoc vobis locum tutum statuant & assignent: vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ Romanæ, aut alium, qui vice Romani Pontificis juramentum juxta eamdem formam & homagium recipiat destinare. Tu quoque nobis & Ecclesiæ Romanæ in nostris manibus juras ad præsens, te ad hoc specialiter obligando: & tam tu singulis nostris successoribus, ac prædictæ Ecclesiæ, quàm tui in dicto Regno hæredes, nobis & singulis nostris successoribus, & prædictæ Ecclesiæ, quando præstabitis hujusmodi juramentum fidelitatis jurabitis, vos ad hoc specialiter obligantes. Quod si contigerit pro tempore vos, seu vestrum aliquem in Regnum Romanum, seu Alamanniæ, vel Teutoniæ, seu in Regem vel Dominum Lombardiæ, aut majoris partis ipsius Lombardiæ eligi, seu qualitercumque nominari vel assumi, vobis seu aliquo vestrum per vos, vel aliàs quovis modo pro vobis, vel aliquo vestrum quocumque studio vel aliàs procurantibus, seu sine vestra vel vestrum alicujus procuratione ad procurationem alterius cujuscumque, seu sine procuratione alicujus, motu proprio Principum, vel aliorum seu alterius cujuscumque ad quos seu quem electio hujusmodi, nominatio seu assumptio noscitur pertinere, seù alias quomodocunque vel qualitercunque: vos electioni seu nominationi aut assumptioni hujusmodi nullatenus consentieris, nec de Regno hujusmodi Romaniæ Alemanniæ, seu Teutoniæ aut de Regno seu dominio Lombardiæ, seu majoris partis ipsius, de ipsorum regnorum vel eorum alterius regimine vel administratione in toto vel in parte aliqualiter vos intromittetis, nisi priùs is vestrum qui sit electus, nominatus fuerit vel assumptus in manibus Romani Pontificis, vel illius quem ad hoc idem Romanus Pontifex duxerit deputandum, filium suum successurum in Regno, vel filiam, si fortè filium non haberet cujuscunque fuerit ætatis emancipet & Regno renuntiet nihil juris in eo retinens clam vel palàm nec cujuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium seu filiam ad aliquod servitium, seu subsidium faciendum, juramento vel voto, stipulatione, vel pacto sibi vel suis successoribus adstringat, sicque factus filius, vel filia sui juris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato ab ipso protinus investiatur de Regno, ad cujus successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat Imperator vel Rex alicujus prædictorum Regnorum. Sed si imperio vel Regno & omnibus quæ ad ipsum Imperium seu Regnum pertinent idem Pater renuntiare voluerit, & Regno Adriæ præfato tantum esse contentus, post renuntiationem hujusmodi ad illius successionem liberè admittatur: & tunc ab ipso Romano Pontifice, vel alio deputato investituram recipiat regni præfati.

Quæ vero de filio dicuntur vel filia, ut videlicet eis possit sub observatione præmissa à Patre ad Imperium vel Regnum Romanum vel Alamanniæ, seu Regnum vel dominium Lombardiæ transeunte regnum dimitti, si Rex liberos non habeat, in aliis personis, quas supra diximus, liberis non extantibus in regno ipso Adriæ posse succedere si aliqua personarum prædictarum superstes fuerit, observetur, excepto dumtaxat emancipationis articulo, quæ in solis personis procedere potest, quæ capaces emancipationis existunt ratione paternæ potestatis; nec nisi de Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit, licentia speciali; nec etiam post obtentam licentiam, nisi formam conditiones, & modos in concessione licentiæ expressatos plenariæ adimplendo; & si contrarium, quod absit, feceritis, vel vestrum aliquis faceret, nos electionem, nominationem, & assumptionem hujusmodi, ac præstationem consensus tamquam contra tenorem præsentis contractus, te ad hoc pro te & singulis tuis in Regno ipso successoribus specialiter, & expressè consentiente decernimus irritas & inanes: decernentes ut occasione talis electionis, nominationis seu assumptionis, de regimine vel administratione Imperii vel Regnorum hujusmodi Romani, Alemanniæ seu Teutoniæ vel Regni seu Dominii Lombardiæ vel ipsius majoris partis vos vel vestrum aliquis intromittere non valeatis; & si contra feceritis vel aliquis vestrum fecerit electioni, nominationi, vel assumptioni hujusmodi, nisi prius regno per modum præmissum dimisso, vel nisi de licentia Romani Pontificis consentiendo, & administrationi Imperii vel Regni Romani Alemanniæ seu Teutoniæ, sive Regni seu Dominii Lombardiæ vel ipsius partis majoris pro parte vel pro toto vos immiscendo; eo ipso cadatis à jure Regni Adriæ præfati, & ad Romani Pontificis, qui pro tempore fuerit & Ecclesiæ Romanæ dispositionem liberè revertatur. Cæterum si contigerit aliquem de vestris hæredibus, qui deberent in Regno succedere memoratæ in Imperatorem vel Regem Romaniæ, aut Alemanniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ vel ipsius majoris partis eligi, nominari, vel assumi, antequam regni hujusmodi sibi successio deferretur, dum casus successionis ipsius Regni Adriæ obveniet, nullatenus successionem

ANNO 1379.

ipsius Regni acceptet, nec possessionem nanciscatur ejusdem, nec de ipsius dominio, cum administratione, vel regimine per se vel alios aliqualiter se intromittat, nisi prius Imperio vel Regno Romaniæ Alemaniæ seu Teutoniæ, vel Regno seu dominio Lombardiæ vel majoris partis ipsius ad quodcunque eorum electus, nominatus fuerit vel assumptus & omni juri sibi competenti in ipso vel eis, verbo & facto omnino renuntiet, & nec de jure nec de facto illud gerens vel retinens omnino dimittat ipsum nullo unquam tempore resumpturus, nisi de Romani Pontificis licentia speciali: alioquin cadat ab omni successione & jure, quæ in Regno præfato sibi competeret ipso facto; ita quod ipsum Regnum ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem libere revertatur. Si verò aliquem de vestris hæredibus, qui in Regno deberent succedere memorato in Imperatorem vel Regem Romaniæ aut Alemaniæ seu Teutoniæ, vel in Regem seu Dominum Lombardiæ, vel majoris partis ipsius contigerit eligi, nominari vel assumi antequam sibi regni successio deferretur, & ipse Imperio, Regno Romaniæ Alemanniæ seu Teutoniæ vel Lombardiæ voluerit esse contentus; sic quod in Regno Adriæ prædicto nullum velit sibi jus quomodolibet vendicare; tunc quando casus successionis obveniet ad illum proximè sequens in successionis gradu secundum formam superius annotatam, dummodo superstes sit aliqua de personis, quas supra diximus posse succedere in Regno præfato Adriæ, succedat, alias ad Romanam Ecclesiam ejusque dispositionem plenè & liberè revertatur.

Quod si non extantibus masculis fœmina in eodem Regno successerit, quæ maritata non esset illa Imperatori vel Regi Romaniæ, seu in Imperatorem vel Regem Romanum electo, aut Regi seu electo in Regem Alemanniæ seu Regi vel Domino Lombardiæ aut in ejus Dominum aut Regem electo aut majoris partis ipsius, numquam matrimonialiter copuletur, & si contrarium fecerit, eo ipso cadat à Regno Adriæ, maneatque ipsius jure prorsus privata, ipso Regno ad eamdem Ecclesiam devoluto. Si verò non extantibus masculis fœmina in regno hujusmodi successura antequam hujusmodi successio deferretur eidem fuerit matrimonaliter copulata Imperatori, vel Regi Romaniæ, aut Regi Alemanniæ, seu in Regem aut Dominum Lombardiæ electo vel assumpto, non succedat in Regno Adriæ prædicto, sed ad illas personas servatis gradibus regnum perveniat, quas prænotavimus in regno posse succedere, si Regi præmortuo liberi non supersint: cum nostræ intentionis existat, ut præfatum regnum Adriæ Imperio aut Regno Romaniæ vel Alemanniæ, aut Regno vel Dominio Lombardiæ, aut ei majoris partis nullo umquam tempore subjiciatur, vel quod ipsum Regnum Adriæ cum Imperio, vel Regno Romano aut Alemanniæ, vel cum Regno seu Dominio Lombardiæ prædicto quomodolibet in unam personam uniantur, ut scilicet unus & eidem simul sit Imperator & Rex Adriæ vel Rex Romaniæ, aut Alemanniæ, seu Lombardiæ, & Rex Adriæ. Et super hoc articulo cavebitur tam per pœnas spirituales, quàm alias idoneas cautiones; quomodocumque hoc Romanus Pontifex duxerit requirendum. Ad hæc volentes ut ipsum Regnum Adriæ nullo tempore careat legitimo defensore; volumus & Apostolica auctoritate ordinamus, ut si in Regno hujusmodi succedens ætatis decem octo annorum fuerit liberè administret; sed quamdiu minor fuerit, tam ipse quàm Regnum in baillio, & custodia Romanæ Ecclesiæ maneat, donec Rex ipse compleverit prædictam ætatem; fructibus & emolumentis ipsius Regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro statu Regis & ipsius Regni custodia deducantur, Regi conservandis eidem, & lucri alterius ratione hujusmodi custodiæ non cessuris.

Tu autem & tui Regno præfato Adriæ hæredes in urbe Romana, aut ejus territorio vel districtu, aut in Provinciis Patrimonii Beati Petri in Tuscia, Sabina, Campania, vel maritima, aut in terris specialium commissionum, quæ per rectores dictarum provinciarum solitæ sunt gubernari, aut aliis domaniis seu feudis ipsius Romanæ Ecclesiæ ubilibet constitutis, ex cessione vel Legato aut quocumque alio jure, titulo vel contractu, nihil umquam vobis acquiretis, vel vindicabitis, recipietis, habebitis vel retinebitis, seu poteritis acquirere, vindicare, habere recipere, vel retinere: nullam Potestariam, capitaneam, Rectoriam, vel alium honorem, nullamque dignitatem seu potestatem senatoriam, vel quamcumque aliam administrationem, Commendam, vel quodcumque aliud officium recipietis, habebitis vel retinebitis; seu recipere habere, vel retinere poteritis in eisdem.

Præfatam etiam urbem aut Provinciam Patrimonii beati Petri in Tuscia, Sabinam, Campaniam, vel maritimam, nec terras specialium commissionum prædictas, aut earum vel ipsarum alicujus partem non occupabitis, nec occupari facietis nec in eis offendetis, vel quomodolibet molestabitis Romanam Ecclesiam, aut molestari facietis: quod si contrarium feceritis, & moniti vel requisiti per Romanum Pontificem; vel si commodè requiri vel moneri nequiveritis, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam ipse publicè & solemniter de hoc vos monuerit, infra sex menses habita, acquisita, vindicata vel capta hujusmodi realiter & de facto non dimiseritis, ea postmodum nullatenus repetituri; vel si à præfatis molestationibus, inquietationibus, & impedimentis omnino non destiteritis, seu si per vos vel alios pro vobis occupata seu invasa non restitueritis integrè & perfectè; eo ipso ab ejusdem Regni jure cadatis totaliter, ipsumque Regnum prorsus amittatis, & ad Romanam Ecclesiam liberè devolvatur. Quod si restitueritis occupata nihilominus de universis injuriis & damnis illatis ad mandatum Romani Pontificis ad plenum satisfacere debeatis.

Alii verò hæredes vestri, qui non sunt successuri in Regno, si in Urbe, & aliis terris prædictis aliquid acquirere vel vendicare, recipere, vel retinere ex quocumque titulo, vel Capitaneam vel potestariam, aut quodcumque aliud officium, præeminentiam vel honorem in eisdem acceptare, recipere, vel retinere præsumpserint; aut si aliquas de prædictis Provinciis sive terris, aut earum aliquam vel per se, vel per alios occupaverint, vefecerint occupari, aut si Romanam Ecclesiam molestaverint in eisdem moniti vel requisiti aut si secundum dictum vel assertionem Romani Pontificis moneri vel requiri non possint commodè postquam ipse Romanus Pontifex eos publicè & solemniter monuerit infra sex menses, habita, acquisita vendicata quocumque titulo, vel causa non dimiserint, vel si à præfatis molestationibus vel inquietationibus quibuscunq; non destiterint, seu si occupata vel invasa plenè non restituerint; eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, & nihilominus ipsi vel eorum posteri in perpetuum non possint in Regno ipso succedere, si ipsis in

ANNO 1379.

sis in casu aliquo eadem successio deferretur, sed ab illo tanquam indigni prorsus & totaliter excludantur: & nihilominus ille, qui tunc ejusdem Regni Adriæ gubernaculis præsideret Romano Pontifici patenter & cum effectu assistere teneatur.

Rursus cum non expediat Romanæ Ecclesiæ ejusdem feuda in unam personam uniri, volumus & te pro te & tuis successoribus universis expresse consentiente, disponimus & irrefragabiliter ordinamus, ut tu vel tui in posterum successores in Regno hujusmodi, Regi seu Reginæ Siciliæ, qui pro tempore fuerit in Regno Siciliæ & terris, quod & quas ab Ecclesia Romana tenet in feudum, ex quacumque causa, jure sive titulo non possitis succedere, vel alias ad dicti Regni Siciliæ, & dictarum terrarum dominium vel successionem venire, nec è converso scilicet Rex Siciliæ qui pro tempore fuerit, tibi vel alicui tuorum in Regno Adriæ prædicto heredum ex quacumque causa, jure sive titulo nnn possit succedere, vel alias ad dicti Regni Dominium vel successionem venire. Quod si contingeret, ut propter propinquitatem generis, vel alias Rex vel Regina Siciliæ, Regi, vel Reginæ Adriæ deberet in Regno succedere, vel è converso, successio hujusmodi ad sequentem in gradu, illum videlicet qui deficiente Rege vel Regina Siciliæ esset successurus Regi Adriæ, vel è converso, qui scilicet deficiente Rege vel Regina Adriæ; esset successurus Regi Siciliæ, successio hujusmodi transferatur pacta infeudationum possint succedere in eisdem Regnis: alias ad Romanam Ecclesiam, & ejus dispositionem ipsum Regnum, de cujus successione agitur liberè devolvatur non movebitis.

Præterea tu nec aliquis tuorum in Regno successorum pro te, vel alio quocumquë, ex quacumque causa, titulo, vel occasione guerram vel aliam per viam facti quamlibet novitatem contra Regem Siciliæ, qui pro tempore fuerit vassallos, subditos vel valitores ipsius, qui de ipso Siciliæ Regno existant, facietis: nec facienti alteri dabitis auxilium, consilium, vel favorem; nec ipse Rex Siciliæ contra te seu aliquem tuorum in ipso Regno heredum vasallos subditos vel valitores tuos, & ipsorum uorum heredum, qui de ipso Regno existunt: sed si quid dissensionis, quæstionis vel querelæ inter vos Reges scilicet Adriæ & Siciliæ contingeret exoriri, Regum Dominus adeatur, qui Romanus Pontifex vobis Regibus per concordiæ vel litigii viam, seu aliàs, ut sibi videbitur justitiam administret. Si autem contra aliquem vestrorum Vasallorum seu subditorum ex quacumque causa qualiscumque per alterum Regum prædictorum querimonia proponatur; is Regum pro ministranda justitia adeatur contra cujus subditum, vel Vasallum fuerit querimonia deferenda; qui si distulerit justitiam ministrare Romanus Pontifex ejusdem Regis suppleat negligentiam seu defectum. Si autem tu vel aliquis tuorum in Regno Adriæ præfato hæredum, contrarium, quod absit, attentaveritis contra Regem Siciliæ ejus subditos vel Vasallos, guerram movendo, vel novitatem facti aliam faciendo, seu facienti, aut moventi dando auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, aut si Rex Siciliæ, qui pro tempore fuerit, contrarium attentaverit contra te vel aliquem tuorum in ipso Regno Adriæ hæredum, seu contra vestros subditos, vel vasallos guerram movendo, vel faciendo per viam facti novitatem aliam, seu facienti vel moventi dando auxilium, consilium vel favorem publicè vel occultè, ipse guerram movens vel novitatem attentans, aut moventi vel facienti dans auxilium, consilium vel favorem, ad emendationem damnorum dictorum in guerra hujusmodi plenariè teneatur, & nihilominus eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, quam si animo indurato per tres menses sustinuerit non cessando totaliter & effectualiter à guerra, auxilio, consilio, vel favore prædictis, vel si de damnis vel injuriis in guerra seu novitate hujusmodi irrogatis infra sex menses postea immediatè sequentes ad plenum non satisfecerit Ecclesiastico subjaceat interdicto. Nullam etiam confœderationem vel pactionem seu societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, Principe, vel Barone, Saraceno, Christiano vel cum Græco, aut cum aliqua Provincia, Civitate, & Communitate, vel aliquo loco, scienter contra Romanam Ecclesiam, vel in damnum Romanæ Ecclesiæ facietis, & si eam feceritis ignorantes, ad mandatum Romani Pontificis revocare teneamini, & si scienter tale quid feceritis, & ad mandatum Romani Pontificis nolueritis revocare: eo ipso sententiam excommunicationis incurratis, quam si animo indurato per mensem sustinueritis, ex tunc totum Regnum Ecclesiastico subjaceat interdicto, donec ipsam effectualiter duxeritis revocandam. Si quis præterea Imperator, Rex vel alius Princeps quicumque universitas, communitas, Tyrannus vel quævis persona Ecclesiastica vel secularis provincias Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, Sabina, Campania, Maritima, aut ipsarum aliquam, seu partes alicujus ipsarum vel aliquam de terris specialium commissionum, quæ per rectores dictarum Provinciarum sunt solitæ gubernari & quas non nobis; Ecclesiæ Romanæ, & nostris successoribus expressè & specialiter retinemus, occupaverint, aut fecerint occupari, seu in eis aliquo modo Romanam Ecclesiam aut nos vel nostros successores molestaverint vel fecerint molestari: seu si Urbs aut provinciæ ipsæ seu Terræ vel earum aliqua contra Romanam forsan rebellarent Ecclesiam, vos ipsam Ecclesiam Romanam ejusque honores & jura in eisdem Urbe, Provinciis atque Terris & aliis semper bona fide teneamini custodire, & nihilominus, quandocumque Romana Ecclesia indigebit, super qua indigentia stabitur Romani Pontificis simplici assertioni, vel dicto, tunc tu, aut tui in dicto Regno heredes requisiti ab eo, ad Urbem Campaniam, Maritimam, aut Provinciam Patrimonii Sancti Petri in Tuscia, seu alias terras, quas nobis, Romanæ Ecclesiæ & nostris successoribus specialiter retinemus, trecentos milites equis & armis bene & decenter munitos, & paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas bonas vel tres ad minus, in ipsius Ecclesiæ Romanæ auxilium transmittetis, per tres menses integros & continuos, postquam illam ex provinciis vel terris, in qua ipsis indigebit Romana Ecclesia ingressi fuerint, in tuis vel tuorum in dicto Regno heredum sumtibus & expensis semel in quolibet anno benè & fideliter servituros: quorum si aliquos interim pendente servitio mori, vel aliàs quomodocunque deficere contigerit; tu & tui in Regno heredes tenebimini numerum trecentorum militum modo consimili statim supplere, vel post lapsum dictorum trium mensium, cum tot quot defuerint; & pro tanto tempore, quanto defuerint, Romano Pontifici & Ecclesiæ Romanæ teneamini benè & fideliter facere deserviri. Sanè omnibus Ecclesiis Cathedralibus, quam

ANNO 1379.

Anno 1379.

aliis ſecularibus, & regularibus, nec non omnibus Prælatis & Clericis ac univerſis perſonis Eccleſiaſticis ſecularibus, & Religioſis in d. Regno Adriæ injuriam paſſis plenariè dimittentur & reſtituentur integre eorum bona immobilia, à quibuſcumque ablata vel occupata ſint & per quoſcumque detineantur. Hæc autem reſtitutio fiet ſine contradictione, & difficultate qualibet ſicut nactus fueris ipſius Regni poſſeſſionem, hoc modo, ſcilicet quod ſtatim in illa parte Regni, quæ tibi obediet reſtitutio ipſa fiat, & poſtmodum ſucceſſivè conſummabitur, ſicut habebis reſtituendi facultatem. Ne autem ſuper his rebus reſtituendis ingeri poſſit aliqua difficultas, deputabuntur à nobis ſeu Romano Pontifice, qui tunc fuerit aliqui diſcreti viri, ad quorum mandatum & arbitrium reſtitutio ipſa fiat, ita quod ea de quorum Dominio vel proprietate aut poſſeſſione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddentur. In dubiis verò per ipſos de plano & abſque judicii figura ſtrepitu diligentius inquiratur: ſufficiet autem vocari rectorem ſeu theſaurarium vel procuratorem, in cujus juriſdictione vel adminiſtratione ſeu territorio bona de quibus agetur conſiſterent ad videndum jurare teſtes, qui in hujuſmodi inquiſitione deponent; hujuſmodi quoque temporalia & mobilia bona quæcumque, etiamſi Civitates, Caſtra juriſdictiones exiſtant quæcumque, & quocumque nomine cenſeantur Rectores Eccleſiarum tam Cathedralium quàm aliarum, regularium, & ſæcularium, & univerſæ aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, tenebunt liberè abſque eo, quod ab eis poſſit ratione ipſorum temporalium per te, vel aliquem tuorum heredum peti ſeu exigi homagium, juramentum fidelitatis vel recognitio aliqualis: nec diſſaiſentur Eccleſiæ Cathedrales, vel aliæ regulares, & ſæculares, nec earum Prælati ſeu ceteræ perſonæ Eccleſiaſticæ per te vel aliquem tuorum heredum vel Officiales veſtros quocumque nomine nuncupentur eorum temporalitate vel parte ipſius nec poterunt diſſaiſiri, nec in eorum domibus, vel eorum bonis mobilibus, vel immobilibus vaſtatores ſeu cuſtodes ponentur, nec poni debeant ſeu poterunt quoquomodo; ſed omnes Eccleſiæ & perſonæ Eccleſiaſticæ omnino erunt liberæ, & in nullo Regi vel Principi ſubjacebunt. Nullas inſuper taillias vel collectas imponetis Eccleſiæ, Monaſteriis, Clericis & viris Eccleſiaſticis, ſeu bonis vel rebus ipſorum, & in Eccleſiis vacantibus tu vel tui de Regno Adriæ hæredes nullam habebitis regaliam, nulloſque fructus, redditus & proventus, nullas etiam obventiones, nullaque alia percipietis ex eisdem, cuſtodia earum Eccleſiarum interim libera remanente penes perſonas Eccleſiaſticas juxta canonicas ſanctiones. Omnes inſuper Eccleſiæ tam Cathedrales, quàm aliæ regulares & ſeculares, nec non & omnes Prælati & Clerici, ac univerſæ perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeculares & religioſæ, ac quæcumque loca Eccleſiaſtica cum omnibus bonis ſuis in electionibus, poſtulationibus, nominationibus, proviſionibus, & omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem ſive in electione, vel poſt, Regius aſſenſus vel conſilium aliquatenus requiretur: quam utique libertatem tu & tui in Regno hæredes ſemper manutenebitis & conſervabitis, ac manuteneri, & conſervari facietis ab omnibus ſubditis veſtris plenariè ſine fraude; ſalvis ſemper circa Eccleſias Cathredales & alias tam ſæculares quàm regulares, ac alias perſonas & loca Eccleſiaſtica, tam in faciendis proviſionibus, & electionibus confirmandis, quàm in omnibus & quibuſcumque aliis Romani Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ juriſdictione & auctoritate plenaria & libera poteſtate. Omnes etiam cauſæ ad forum Eccleſiaſticum pertinentes liberè & abſque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur & ventilabuntur, coram ordinariis & delegatis judicibus Eccleſiaſticis & terminabuntur per eos: etſi ad ſedem Apoſtolicam ſuper hujuſmodi cauſis appellari contigerit, tam appellantes quàm appellati ad eamdem venire ſedem pro appellationum ſuarum proſecutionibus liberè & abſque inhibitione aliqua permittentur. Et ſi qui ſint Prælati vel aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, qui bona aliqua teneant à te Rege prædicto, & ſucceſſoribus tuis. vel ab aliis Dominis temporalibus tibi ſubditis, & qui ratione hujuſmodi bonorum ab antiquo conſueverunt nobis noſtriſque prædeceſſoribus & ipſis Dominis temporalibus aliqua ſervitia pecuniaria, vel alia exhibere hujuſmodi antiqua & honeſta ſervitia tibi tuiſque ſucceſſoribus, & eiſdem Dominis ſecundum antiquam & rationabilem conſuetudinem, & ſicut ſtatuta patiuntur canonica, impendantur. Poterunt inſuper omnes habitatores & incolæ Regni Adriæ præfati liberè & abſque omni impedimento ad curiam Romanam ubicumque eam eſſe contigerit pro ſuorum negotiorum commoditatibus venire, ſtare & redire ad propria, nec non ad ipſam curiam Romanam blada, vina, carnes, piſces, & alia victualia quæcumque pro ipſius Romani Pontificis, Cardinalium ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ & aliarum Eccleſiaſticarum curiam Romanam ſequentium, & in ea & in loco ubi curia reſidebit commorantium proviſionibus portare, & portari facere liberè & ſine impedimento, per terram, vel per mare, prout duxerint eligendum ſine ſolutione tractæ, pedagii, laudæ, gabellæ impoſitionis, vel quocumque alio coſtagio, vel onere vel redhibentia aliquali. Et de proviſionibus Romani Pontificis & ſuorum familiarium & aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum, litteris Camerarii noſtri Eccleſiæ Romanæ; de proviſionibus verò Cardinalium & familiarium ſuorum, cujuslibet ipſorum Camerarii litteris ſtabitur & credetur plenariè & abſque omni difficultate. Promittis inſuper pro te & tuis ſucceſſoribus in Regno hujusmodi univerſis, quod nullus Clericus, vel perſona Eccleſiaſtica ejuſdem Regni in civili, vel criminali cauſa conveniretur coram Judice ſeculari, niſi de feudo, & petitorio civiliter forſan ageretur. Non facietis quoque ſeu edetis, ſeu fieri aut edi facietis aut permittetis in Regno hujuſmodi ſtatuta, conſtitutiones vel leges contra Eccleſiaſticam libertatem, ſeu per quæ juri aut libertati Eccleſiaſticæ in aliquo derogetur. Comites verò Barones, milites & univerſi homines totius regni prædicti, vivent in ea libertate, & habebunt, illas immunitates illaque privilegia, ipſiſque gaudebunt quales & quæ antiquis temporibus habuerunt. Præterea exules & exititii regni prædicti ſeu provinciarum, civitatum, Comitatuum ac omnium locorum ipſius, cujuſcumque conditionis exiſtant, ad mandatum Eccleſiæ reducentur in regnum, ac etiam in ſuis civitatibus, caſtris, ſeu locis aliis quibuſcumque reſtituentur eis poſſeſſiones & quæcumque immobilia bona, & jura ipſorum, quæ non eſſent legitimè confiſcata. In hujuſmodi autem reſtitutione ſecundum formam in capitulo de bonis Eccleſiarum reſtituendis præſcriptam tam in notariis quàm in dubiis procedetur. Habebis autem tu & tui Regno ſucceſſores ipſum regnum, ſicut ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere; ea videlicet quæ de Domanio ſunt Romanæ Eccleſiæ, in domanium; & alia illo jure modo & forma quibus ad nos & Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur; cum noſtræ intentionis

Anno 1379.

exiſtat,

ANNO 1378.

exiſtat, ut per præſentem conceſſionem alicui in ſuis poſſeſſionibus vel proprietatibus nullum præjudicium generetur, Regio in iis jure ſemper ſalvo. Pro toto verò generali cenſu ipſius Regni quadraginta millia florenorum boni auri ad pondus Cameræ Apoſtolicæ in feſto Beati Petri, ubicumque Romanus Pontifex fuerit ipſi Romano Pontifici & Romanæ Eccleſiæ annis ſingulis perſolventur. Si verò tu vel tui in dicto Regno heredes quocunque termino non ſolveritis integrè cenſum ipſum, & expectati per duos menſes terminum ipſum immediate ſequentes de illo ad plenum non ſatisfeceritis eo ipſo eritis excommunicationis ſententia innodati; quod ſi in ſecundo termino & infra duos ſubſequentes menſes eumdem cenſum ſine diminutione aliqua non perſolveritis, totum Regnum Adriæ Eccleſiaſtico erit ſuppoſitum interdicto. Si verò non in tertio termino nec infra duos menſes proximos per plenam ſatisfactionem ejuſdem cenſus nobis duxeritis conſulendum, ita quod tranſacto eodem tertio termino infra duos menſes ipſum tertium terminum ſequentes ipſi Romanæ Eccleſiæ integrè non fuerit ſatisfactum, ab eodem Regno ipſiuſque jure cadatis ex toto, & Regnum ipſum integrè & plenariè ad Romanam Eccleſiam revertatur. Si autem de cenſu quadraginta millium florenorum prædicto hujuſmodi primi termini infra dictos tertium terminum, & duos ſubſequentes menſes plenariè ſatisfeceritis, nihilominus ſemper pro ſingulis quadraginta millibus ſingulorum terminorum, ſi ſimili modo in eorum ſolutione ceſſaveritis, vel illa non ſolveritis, ſimiles pœnas incurretis, ſalvis aliis pœnis & proceſſibus, quæ vel qui de jure inferri vel fieri poterunt per Romanum Pontificem in hoc caſu. In quolibet etiam triennio dabitis tu & tui in Regno hujusmodi hæredes Romano Pontifici unum palofredum album, pulchrum & bonum, in recognitionem dicti Dominii ejuſdem Regni. Ad hæc poſtquam tu prædictum Regnum acquiſiveris, vel tantum de ipſo quod etiam ſi aliquæ civitates vel munitiones, aut alia aliqua Loca ipſius Regni adhuc tibi rebellia fuerint, reputeris & poſſis ipſius Regni Rex & Dominus reputari, ad dicta quadraginta millia florenorum & palafredum terminis ſupra dictis, & ſub pœnis annotatis ſuperius tenearis, & tui ſubſequenter hæredes in Regno hujuſmodi perpetuo teneantur. Ad hæc ſi Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit vellet cum ſua curia in aliqua civitatum, vel aliarum terrarum ſeu locorum ipſius Regni Adriæ morari, hoc poſſit liberè, & abſque impedimento quocunque, & cum eiſdem libertatibus, privilegiis & immunitatibus, quas Eccleſia Romana tàm de jure quàm de antiquis obſervantiis habere debet, & uſa eſt temporibus retroactis; & tam circa libratas ordinandas cancellos, rationes domorum, juriſdictione Mareſcalli libera, & aliorum Officialium Romanæ curiæ, quam aliàs in quibuſcunque conſiſtant & qualitercunque retro temporibus fuerit obſervatum. Tu etiam ad præſens & ſinguli tui in Regno hæredes, quando facient homagium & juramentum fidelitatis præſtabunt, dabitis privilegium veſtrum aurea bulla bullatum Romano Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ in quo proprio juramento fatebimini & recognoſcetis expreſſe Regnum Adriæ prædictum ex ſola gratia, & mera liberalitate ſedis Apoſtolicæ, vobis de novo fore conceſſum, voſque recepiſſe & tenere Regnum hujuſmodi à Romana Eccleſia ſub pactis, & conditionibus ſupra dictis. Habebis autem tu militum, balliſtrariorum & aliorum belligerorum hominum comitivam talem, & tantam, quod ad proſecutionem & perfectionem negotii acquiſitionis ipſius Regni ſufficiens reputetur, & cum arripiendo, & proſequendo iter verſus Italiam pro proſecutione negotii quam citius commodè poteris, & ad longius infra duos annos, à data præſentium computandos, debeas Regnum Franciæ exiviſſe legitimo impedimento ceſſante; quod ſi in tua perſona eſſes forſitan impeditus, ut infra dictum terminum perſonaliter non poſſes præfato negotio acquiſitionis vacare, loco tui talem ſubſtitutum ſeu locum tenentem debeas ordinare, qui judicio Romani Pontificis ad tale & tantum negotium idoneus & ſufficiens reputetur. Et ſi tu perſonaliter, vel ubi eſſes in perſona propria impeditus, per ſubſtitutum vel locum tenentem, ut eſt dictum, idoneum intra dictam terminum per modum præſcriptum, vel ſaltem infra duos menſes finem termini immediate ſequentes non inceperis, & proſecutus fueris acquiſitionis negotium ante dictum; vel ſi quod Deus avertat, te interim mori contingeret, ex tunc præſens conceſſio, infeudatio & omnia quæ in præſentibus litteris continentur, ſint nulla, caſſa & irrita ipſo jure, liceatque Romano Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ de Regno & terris ipſis diſponere & ordinare, prout placuerit, & eis videbitur rationabiliter faciendum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ordinationis, ſtatuti, decreti, conceſſionis, donationis, conſtitutionis, creationis, voluntatis, diſpoſitionis, collationis, & retentionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Spelunga Cajetanæ Diœceſis, XV. Kal. Maji Pontificatus noſtri anno primo.

ANNO 1379.

I. Ex Archiv Angliæ Tom. 7. p. 215.

Bulla pro ſpecialibus honoribus & Favoribus Regis Angliæ: anno 1379.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Epiſcopo Lincolnienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CLara devotionis ſinceritas, quam cariſſimus in Chriſto filius noſter Ricardus Rex Angliæ illuſtris ad nos & Romanam gerit Eccleſiam, ſublimis quoque ejus Magnificentia promerentur, ut non ſolum ipſum, ſed etiam illos, qui ei ſtudio devotionis adhærent, ſpecialibus favoribus & condignis gratiarum proviſionibus honoremus. Volentes itaque, præmiſſorum intuitu, ejuſdem Regis honorare Perſonam, & per honorem, ſibi exhibitum, etiam aliis provideri; Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, vos vel alter veſtrum auctoritate noſtra, hac vice dumtaxat in ſingulis, tam Cathedralibus, & Metropolitanis, quàm Collegiatis Eccleſiis ſecularibus Regni ſui Angliæ, Hiberniæ, & Principatus Valliæ, duabus perſonis idoneis, quas idem Rex duxerit nominandas, ſingulis, videlicet, ex perſonis eiſdem ſingulos Cano-

nicatus

ANNO 1379.

nicatus Ecclesiarum ipsarum cum plenitudine Juris Canonici, conferatis & provideatis, etiam de eisdem; facientes singulas personas hujusmodi, in dictis Ecclesiis, auctoritate prædicta, in canonicos recipi & in Fratres: Stallo eis in Choro & loco in Capitulo, ipsarum Ecclesiarum, cum dicti Juris plenitudine assignatis. Ac nihilominus duas Præbendas, & duas Dignitates, seu duos Personatus, vel duo Officia, cum cura, vel sine cura, etiamsi hujusmodi Dignitates in eisdem Cathedralibus majores, post Pontificales, & in Collegiatis Ecclesiis Principales, existant, & ad eas consueverint per electionem assumi, in eisdem singulis Ecclesiis, si quæ, si qui, vel si qua vacant ad præsens, vel cum vacaverint, quas, quos, seu quæ præfatæ Personæ per se, vel Procuratores suos, ad hoc legitimè constitutos, infra unius mensis spatium, postquam eis, vel Procuratoribus supra dictis, de ipsarum Præbendarum, ac dignitatum, Personatuum vel Officiorum, vacatione constiterit, duxerit acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda, videlicet singulas, singulos, vel singula eisdem singulis Personis per acceptationem prædictam, cum omnibus Juribus & pertinentiis suis, donationi vestræ reservetis. Districtius inhibendo locorum ordinariis, & dilectis Filiis capitulis ipsarum Ecclesiarum, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos in dictis Ecclesiis Præbendarum, ac dignitatum, Personatuum, vel Officiorum Collatio, Provisio, Præsentatio, Electio, seu quævis alia dispositio pertinet, communiter vel divisim, ne de præbendis, ac dignitatibus, Personatibus, vel Officiis hujusmodi interim, etiam ante acceptationem prædictam, nisi postquam eis constiterit, quod Personæ, aut Procuratores prædicti, illas, vel illos, seu illa noluerint acceptare, disponere quoquo modo præsumant. Ac hujusmodi Præbendas ac dignitates, Personatus, seu Officia post acceptationem prædictam, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis eorundem, singulas, videlicet, singulos, vel singula, singulis Personis ipsis conferatis, & etiam assignatis. Inducentes per vos, vel alium, seu alios Personas ipsas, vel ipsarum Procuratores, in Præbendarum, ac Dignitatum, seu Personatuum, vel Officiorum, ac Jurium, & pertinentiarum ipsorum, corporalem possessionem. Et defendentes inductas, ac facientes ipsas, vel dictos Procuratores, pro eis, ad hujusmodi dignitates, personatus, seu officia, ut est moris, admitti eisque, de ipsorum canonicatuum, & Præbendarum, ac dignitatum, personatuum, vel officiorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis, integrè responderi; Contradictores per censuram Ecclesiasticam, Appellatione postposita compescendo non obstantibus de certo Canonicorum numero, & aliis quibuscunque statutis & consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum contrariis, Juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui, Apostolica, vel alia quavis auctoritate, in eisdem Ecclesiis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus, sibi faciendis, de Canonicatibus & Præbendis, ac dignitatibus, seu personatibus, vel Officiis in dictis Ecclesiis speciales, vel de beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales, dictæ sedis, vel Legatorum ejus, litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quibus omnibus, præterquam auctoritate nostra in Ecclesiis ipsius receptis, vel Præbendas, ac Dignitates, Personatus, vel Officia expectantibus in eisdem, dictas personas in assecutione Præbendarum, ac dignitatum, vel Personatuum, seu Officiorum hujusmodi, volumus anteferri; sed Nullum, per hoc, eis quoad assecutione Præbendarum, ac Dignitatum, vel Personatuum seu Officiorum, & Beneficiorum aliorum, præjudicium generari. Aut si eisdem Ordinariis, & Capitulis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, à præfata sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minimè teneantur & ad id compelli. Aut quod interdici, suspendi, vel excommunicati non possint. Quodque de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, Personatibus, vel Officiis ipsarum Ecclesiarum, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, ad eorum Collationem, provisionem, præsentationem, Electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim, vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo, ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Et qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia, generali, vel speciali, cujuscumque tenoris existat, per quam Præsentibus, non expressam, vel totaliter non insertam, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuscunque toto tenore, habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si dictæ Personæ præsentes non fuerint ad præstandum, de observandis statutis & consuetudinibus ipsarum Ecclesiarum, solitum Juramentum, dummodo ipsæ, in earum absentia, per Procuratores idoneos, &, cum ad Ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illud præstent. Seu si quælibet dictarum Personarum unum, duo, aut tria, beneficium, seu beneficia Ecclesiasticum, vel Ecclesiastica, etiam si ipsum unum, aut ipsorum duorum, vel trium, aliquod Curatum, aut Dignitas, vel Personatus, seu Officium fuerit, obtinere noscatur. Volumus autem quod præfatæ Personæ, quæ hujusmodi Curata, beneficia, aut Dignitates, vel Personatus obtinebant, quam primùm, vigore præsentium, Dignitates, vel Personatus, seu Curata; Officia; fuerint pacificè assecutæ, alia Curata, beneficia, aut Dignitates, vel Personatus, quæ tunc obtinebunt, quæ ut præfertur, quæque ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur. Nostræ autem intentionis existit, quod, si hodiè alii, vel aliis, de canonicatibus ipsarum Ecclesiarum, cum reservationibus Præbendarum, ac Dignitatum, Personatuum, seu Officiorum, providimus aut mandavimus provideri, præfatæ Personæ, ut præmittitur nominandæ illis, quibus hodiè providimus seu provideri mandavimus, ut præfertur, in assecutione Præbendarum, ac Dignitatum, Personatuum, vel Officiorum hujusmodi præferantur. Et insuper ex nunc perinde irritum decernimus & inane si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, ac si personæ prædictæ, die datæ præsentium, per ipsum Regem nominatæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum V. Id. Maji Pontificatus nostri anno primo.

Con-

ANNO 1382.

II. Ex. Arch. Angl. Rimer Tom. VII. pag. 352.

Confœderationes cum Hæreticis quacunque firmitate roboratas esse nullas decernit: anno 1382.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

INter sollicitudines varias quibus assiduè premimur illa potissimè pulsat, & exitat mentem nostram, ut circa salutem animarum Christi fidelium solicitis studiis intendamus, & ne fideles ipsi, ex consortio & participatione schismaticorum seu Hæreticorum labefactari valeant, adhibeamus remedia opportuna. Sanè ad nostrum nuper pervenit auditum, quòd tàm carissimus in Christo filius noster Venceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex illustris, quàm etiam claræ memoriæ, Carolus Romanorum Imperator, & ipsius Regis genitor, simul, vel successivè, non nullas Confœderationes vel Colligationes, seu ligas, & conventiones cum diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus ac Magnatibus, Nobilibus, & certis aliis, inierunt seu fecerunt, & quod aliqui ex hujusmodi Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, seu Nobilibus, aut aliis tunc erant seu postea sunt effecti schismatici seu Hæretici manifesti, Colligationes, & ab unitate Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ separati, quamvis per nos alias declarati non sint: Nos igitur, attendentes quod hujusmodi Confœderationes, & Ligæ, seu Conventioues, factæ cum hujusmodi Hæreticis aut Schismaticis, postquam tales effecti erant, sunt temerariæ, illicitæ, & ipso jure nullæ & si fortè ante ipsorum lapsum in schisma, seu Hæresim, initæ seu factæ fuissent, etiamsi forent Juramento, vel fide data firmatæ, aut confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratæ, postquam tales, ut præmittitur sunt effecti eo ipso tam idem Rex, quàm alii, qui forsan una cum eo hujusmodi Confœderationes, Colligationes, & Ligas, seu conventiones, cum talibus injerunt seu fecerunt, & ad quos hujusmodi Confæderationes, Colligationes, Ligæ, seu conventiones quomodolibet extendi possunt, & quorum interest vel interesse poterit ab earum observatione absoluti existunt, illasque ipsis servare non debent. Quinimo ipse Rex hujusmodi Schismaticos & Hæreticos, ratione Imperii, ad quod Electus & per nos approbatus existit, in favorem Sanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ, cujus est Advocatus, pro posse persequi tenetur, quodque omnis communio cum talibus Hæreticis seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial. Et cupientes, super his, animarum saluti, & honori, ac statui ejusdem Regis, & aliorum quorum interest, ut præfertur salubriter providere, ac periculis & scandalis, quæ ipsis exinde provenire possent, utiliter præcavere; eundem Regem & omnes illos quorum interest, vel interesse poterit, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, declaramus fuisse, & esse ab earumdem Confœderationum, Colligationum, Ligarum, & conventionum observatione penitùs absolutas, & ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus, & nullius esse decernimus firmitatis. Et insuper, cupientes animarum periculis obviare, tam eidem Regi, quàm etiam omnibus hujusmodi aliis, quorum interest, seu interesse potest, tenore præsentium, districtiùs inhibemus, ne Confæderationes, Colligationes, Ligas, aut conventiones hujusmodi aliquatenus observent, seu ab illis servari quomodolibet permittant. Decernentes ex nunc irritum & inane quicquid in contrarium, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Declarationis, cassationis, irritationis, inhibitionis, vel Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum III. Calendas Aprilis Ponificatus nostri anno quarto.

ANNO 1382.

III. Ex histor. Universit. Parisiens. Bulæi Tom. IV. pag. 604.

Adversus Mendicantes qui sacramentorum Administrationem & sacras Conciones habere, multa item Ecclesiastica munia obire contendebant: anno . . . .

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Religiosis cujuscunque Professionis vel Ordinis præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ET si animarum affectantes salutem &c. Nos igitur qui ex suscepti Apostolatus officio, & infra. Universitati vestræ per Apostolica scripta in virtute S. Obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus Parochianos diebus Dominicis & festivis non recipiatis de cætero in Ecclesiis, seu Oratoriis vestris temerè ad divina, nec ipsos sine licentia Sacerdotis, ad Pœnitentiam aliqualiter admittatis, cum si quis alieno Sacerdoti justa de causa sua voluit confiteri peccata sua, secundum statuta Concilii generalis licentiam prius postulare ac etiam obtinere debet à proprio Sacerdote, vel aliàs sibi primo confiteri, & recipere absolutionis Beneficium ab eodem. Aliter namque ipse absolvi non poterit, cum duplex in judicando funiculus pietatis & scientiæ requiratur, quorum alterum in alieno constat deficere Sacerdote. Et ne Parochialibus Ecclesiis, devotio debita subtrahatur ante missarum solemnia ad quæ audienda Parochiani prima diei parte in suis consueverunt, & debent Ecclesiis convenire. Nequaquam enim Ecclesiis vestris supra dictis nec hora ipsa solemnes eis faciatis sermones, ne propter hoc audiendos ad vos populus confluens Parochiales Ecclesias derelinquat. Sed nec ad prædicandum solemniter ad alias Parochias accedatis nisi à Sacerdotibus earum Parochiarum fueritis invitati, vel saltem ab illis humiliter petieritis & obtinueritis vos admitti. Et ut debitus honor Episcopis deferatur, eadem die, qua Diœcesanus Episcopus, vel alius loco ejus solenniter prædicat maximè in Ec-

ANNO 1383.

clesia Cathedrali, nullus vestrum in ea Civitate, vel loco prædicare præsumat, ne salubris prædicationis Doctrina ex frequenti inculcatione quasi tædium generet & contemnatur, si verò in casu licito Parochianos alterius ad sepulturam, quam nemo sine justa, & rationabili causa temerè debet eligere, antiquis Parentum suorum dimissis sepulturis, in vestris Ecclesiis vos recipere contingat, omnium quæ obtentu hujusmodi sepulturæ fuistis consecuti, medietatem, vel tertiam partem, vel quartam juxta felicis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri Decretum, & secundum consuetudinem regionis, etiam non requisiti infra octo dies à tempore receptionis eorum, Episcopo vel Sacerdoti de cujus Parochia mortuus est assumptus exhiberi curetis. Et infra. Si quis verò vestrum hujusmodi præcepti transgressor provisionis nostræ extiterit, vel contra prædicta, vel aliquid prædictorum venire præsumpserit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis sententiam, quam de facto ipsum incurrere volumus, gravi suo periculo subjaceat, & nihilominus à loci Diæcesano ad præmissa omnia & singula observanda censura Ecclesiastica omni appellatione remota districtius compellatur, nullis ei contra hoc Indulgentiis, vel Privilegiis Apostolicis valituris. Datum Neapoli XI. Calendas Decembris Pontificatus Nostri anno septimo.

IV. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 7. p. 392.

Ad Imperatorem contrà Confœderationes cum Hæreticis: anno 1383.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo filio Venceslao Romanorum & Bohemiæ Regi illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

NUper cum ad nostram pervenisset notitiam, quod olim tam tua serenitas, quàm etiam claræ memoriæ Carolus Romanorum Imperator, & Genitor tuus, simul vel successivè nonnullas confederationes, vel colligationes seu Ligas, aut Conventiones, cum diversis Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, Nobilibus, & aliis Magnatibus qui tunc erant, seu postea sunt effecti schismatici seu Hæretici manifesti, & ab unitate Sanctæ Romanæ & Universalis Ecclesiæ separati, quamvis per nos aliàs declarati non essent. Nos attendentes quod hujusmodi Confederationes, Colligationes, & Ligæ seu conventiones, factæ cum hujusmodi Hæreticis aut Schismaticis, postquam tales effecti fuerant, erant temerariæ, illicitæ, & ipso jure nullæ, & si forsan ante ipsorum lapsum in schisma seu Hæresim initæ, seu factæ fuissent, etiam si forent juramento, vel fide data firmatæ, aut confirmatione Apostolica, vel quacumque alia firmitate roboratæ, postquam tales, ut præmittitur fuerant effecti, eo ipso, tam Tu, quàm illi, qui forsan, una tecum hujusmodi confederationes, Colligationes, ligas, seu Conventiones cum talibus inierant, seu fecerant, & ad quos hujusmodi Confederationes, Colligationes Ligæ, seu Conventiones quomodolibet extendi poterant, & quorum interest, vel interesse poterat, ab eorum observatione absoluti eratis, illasque ipsis servare non debebatis, quinimò tu hujusmodi schismaticos & Hæreticos, ratione Imperii, ad quod Electus, & per nos approbatus existebas prout existit in favorem Sanctæ Romanæ, & Universalis Ecclesiæ, cujus es Advocatus, pro posse prosequi tenebaris, ac teneris, quodque omnis communio cum talibus Hereticis seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit prorsus nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, aut Christi ad Belial. Et cupientes super his tuæ & aliorum animarum saluti & honori, ac statui tuo & aliorum, quorum interest, ut præfertur, salubriter providere, ac periculis & scandalis, quæ tibi & ipsis exinde provenire poterant, utiliter præcavere. Et te, & alios omnes, quorum interest & interesse poterat, auctoritate Apostolica, per nostras litteras, declaravimus fuisse, & esse ab earumdem Confœderationum, Colligationum, Ligarum, & conventionum, observatione penitùs absolutos, & ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque, quatenus de facto processerant, cassamus, irritamus, & nullius esse decrevimus firmitatis: Et insuper cupientes animarum periculis obviare, tam tibi quàm omnibus, etiam hujusmodi aliis, quorum interest, seu interesse poterat, districtius inhibuimus, ne Confœderationes, Colligationes, ligas, aut Conventiones hujusmodi aliquatenus observaretis, seu ab illis servare quomodolibet permitteretis.

Decernentes ex tunc irritum, & inane quicquid, in contrarium, à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ideoque magnificentiæ tuæ paterno suademus affectu, ut præmissa prudenter consideres & hujusmodi declarationem & inhibitionem nostras diligenter studeas observare, & facere ab illis observare.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum XV. Calendas Maii Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO 1388.

V. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. pag. 1253.

Institutio Universitatis studii generalis ad Normam Academiæ Parisiensis in Urbe Coloniensi: an. 1388.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN supremæ dignitatis Apostolicæ specula superni dispensatione consilii, licet immeriti, constituti, ad universas fidelium regiones nostræ vigilantiæ creditas, earumque profectus, & commoda tamquam Universalis gregis Dominici Pastor, commissæ nobis speculationis apicem, quantum nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quærendum litterarum studia, & scientiæ margaritam, cujus, dum invenitur, gloriosa est possessio, & fructus suavissimi, per quam pelluntur ignorantiæ nubila, ac erroris eliminatâ caligine mortalium curiosa solertia suos actus, & opera disponit, & ordinat in lumine veritatis, per quam etiam divini nominis, fideique Catholicæ cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quàm privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur.

Ob hoc igitur magno, nec mirum, desiderio ducimur, ut litterarum studia, in quibus pretiosa ipsius scientiæ margarita reperitur, laudanda suscipiant incrementa, frequentiùs invalescant præsertim in locis illis, quæ ad multiplicanda doctrinæ semina, & germina

salu-

Anno 1388.

salubria producenda, apta, & idonea dignoscuntur.

Nos præmissa attendentes, & etiam fidei puritatem, & devotionem eximiam, quam dilecti Filii ..... Consules ..... Scabini, Cives, & commune civitatis Coloniensis devoti nostri & Ecclesiæ Romanæ filii ab olim ad ipsam Ecclesiam, & nos habuisse dignoscuntur, illamque successione temporum de bono in melius studuerunt augmentare, dignum ducimus, & æquitati consonum existimamus, ut civitas ipsa, quam divina gratia multarum prærogativa bonitatum, & fœcunditate virtutum gratiosè dotavit, scientiarum etiam ornetur muneribus, & etiam amplietur, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos honoribus, & diversarum facultatum dogmatibus eruditos, sitque ibi fons irriguus, de cujus plenitudine hauriant universi litterarum cupientes imbui documentis.

Præmissis igitur diligenti examinatione pensatis non solùm ad ipsius civitatis, sed etiam regionum circumjacentium incolarum commodum, & profectum, paternis affectionibus anhelantes, dictorum etiam Consulum, Scabinorum, civium, & communis gratiam nostram suppliciter implorantium, in hac parte devotis supplicationibus favorabiliter annuentes, ad laudem divini nominis, & fidei propagationem Orthodoxæ, auctoritate apostolica statuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta civitate Coloniensi sit de cætero studium Generale ad instar studii Parisiensis, illudque perpetuis futuris temporibus vigeat tam in Theologiæ, & Juris Canonici, quàm alia qualibet licita facultate, quodque legentes, & studentes ibidem omnibus libertatibus, & immunitatibus concessis Magistris in Theologia ac Doctoribus Legentibus, & Studentibus commorantibus in dicto Parisiensi studio generali gaudeat.

Insuper civitatem, & studium præfata ob profectus publicos, quos exinde provenire speramus, amplioribus honoribus prosequi intendentes auctoritate ordinamus eadem, ut si qui in eodem studio Coloniensi fuerint, qui processu temporis Bravium meruerint in illa facultate, in qua studuerunt, obtinere, sibique docendi licentiam, ut alios erudire valeant, ac Magisterij, seu Doctoratus honorem petierint elargiri per Magisterii, seu Magistros, Doctorem, vel Doctores illius facultatis, in qua examinatio fuerit facienda, Præposito Ecclesiæ Coloniensis, qui pro tempore fuerit, vel ejus sufficiente idoneo, quem ad hoc idem Præpositus duxerit deputandum, Vicario, Præpositurâ verò ipsius Ecclesiæ vacante, illi, qui ad hoc per dilectos filios Capitulum ipsius Ecclesiæ deputatus extiterit, præsententur, idemque Præpositus, vel Vicarius, aut Deputatus, ut præfertur, Magistris, & Doctoribus in eadem facultate actu inibi regentibus convocatis, illos sic præsentatos in his, quæ circa promovendos ad Magisterii, seu Doctoratus honorem requiruntur juxta modum, & consuetudinem, quæ super talibus in generalibus studiis observantur, observatis, examinare studeat diligenter, eisque, si ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint, hujusmodi licentiam tribuat, & Magisterii, seu Doctoratus honorem conferat, & etiam largiatur.

Illi verò, qui in eodem studio dictæ civitatis examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem hujusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examine, & approbatione alia, legendi, & docendi tam in civitate prædicta, quàm in singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint legere, & docere, statutis, & consuetudinibus contrariis Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, plenam, & liberam habeant facultatem.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostri statuti, & ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Perusii XII. Kalendas Junii Pontificatus nostri anno undecimo.

Anno 1392.

BONIFACIUS NONUS,

PONTIFEX CCV.

ANNO DOMINI MCCCLXXXIX.

Bonifacius priùs Petrus Thomacellus Urbano VI. successit eo tempore, quo Cardinales qui Avenione degebant Clementem VII. & Benedictum IX. elegerunt. Homo imperitus, Annatarum Auctor, nimium in Consanguineos indulgens. Obiit anno 1404. sedis anno 15. fermè. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1527. fol. 272. App.*)

Ex op. Diplom. Miræi Tom. 2. p. 1254.

Libertates, immunitates & Privilegia oppido Lovaniensi à Prædecessoribus suis, à Regibus, aliisque Principibus concessa confirmat: anno 1392.

BONIFACIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Abbati Monasterii Parchensis, Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Magnæ devotionis, & sinceritatis effectus, quem dilecti filii Scabini, & communitas villæ Lovaniensis Leodiensis Diœcesis, ad Nos, & Romanam Ecclesiam non sine magnæ laudis præconio, gerere dignoscuntur, dignè meretur, ut votis eorum, illis præsertim, per quæ ipsorum status augeri speratur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Sanè petitio pro parte prædictorum Scabinorum, & Universitatis nobis nuper exhibita continebat, quod olim felicis recordationis Urbanus Quartus, & successivè Gregorius XI. Romani Pontifices Prædecessores nostri litteras eorum ipsis Scabinis, & Universitati duxerunt concedendas, quas etiam nostræ petierunt confirmationis munimine roborari, quarum quidem litterarum tenores sunt tales.

Gregorius Episcopus, *Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scabinis, & communitati Villæ Lovaniensis Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Devotionis vestræ sinceritas, quam ad Nos, & Romanam Ecclesiam geritis, promeretur, ut paterno prosequentes affectu petitionibus vestris, quantum cum Deo possumus favorabiliter annuamus.

Tenores siquidem quarumdam litterarum felicis recordationis Urbani Papæ Quarti Prædecessoris

ANNO 1392.

cessoris nostri, quæ incipiunt *Vetustate consumi*, & quas inspici, & examinari fecimus diligenter de verbo ad verbum, ad vestræ petitionis instantiam, præsentibus annotari fecimus, qui tales sunt.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scabinis, & communitati villæ Lovaniensis Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ sedis benignitas sincerè obsequentium vota fidelium favore benevolo prosequi consuevit, & illorum personas, quas in sua devotione promptas invenerit, & ferventes, quibusdam titulis decentiùs decorare.

Ut igitur ex devotione, quam ad nos, & Romanam Ecclesiam habere noscimini, sentiatis vobis favorem Apostolicum accrevisse, vestris precibus inclinati, quod auctoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus, quæ de hac indulgentia plenam, & expressam de verbo ad verbum mentionem non fecerint, trahi extra villam Lovaniensem ad Judicium nequeatis inviti, quandiù parati fueritis coram vestro ordinario infra terminos ejusdem villæ de vobis conquerentibus stare juri, auctoritate vobis præsentium indulgemus, eadem auctoritate nihilominùs decernentes, ut si aliquid contra hujusmodi nostræ concessionis tenorem à quoquam extiterit propria temeritate præsumptum sit irritum, & inane, et si fortè aliquæ sententiæ in vos hac occasione prolatæ fuerint nullum robur obtineant firmitatis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii 16. Nonas Julii Pontificatus nostri anno primo. Item

URBANUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii Affligemensis Ordinis sancti Benedicti Cameracensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Cum dilectis Filiis Scabinis, & Communitati villæ Lovaniensis Leodiensis Diœcesis ex speciali gratia duxerimus concedendum, quod auctoritate litterarum sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus extra villam Lovaniensem ad judicium nequeant evocari quandiù parati fuerint coram suo Ordinario infra terminos ejusdem villæ de ipsis conquerentibus stare juri, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non permittas ipsos super his contra concessionis nostræ tenorem ab aliquibus indebitè molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo.

Datum Viterbii 6. Nonas Julii Pontificatus nostri anno primo. Item

URBANUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, dilectis filiis Scabinis, & communitati villæ Lovaniensis Leodiensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Ea propter, dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, ac immunitates sive privilegia, seu alias indulgentias, à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & Regibus, Principibus, & Comitibus, vel aliis Christi fidelibus, sub quacumque forma, vel expressione verborum rationabiliter vobis concessas, nec non bonas consuetudines, quas hactenus observastis, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Viterbii 3. Nonas Julii Pontificatus nostri anno primo.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati supra dictas litteras, & contenta in eis auctoritate Apostolica innovamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; per hoc autem nullum Jus nobis de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodò observari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum apud villam novam Ammonensis Diœcesis 6. Idus Augusti Pontif. nostri an. primo.

Nos igitur, qui de præmissis certam notitiam non habemus, hujusmodi Scabinorum, & Universitatis, ut etiam devotio hujusmodi eorum ad nos, & prædictam Ecclesiam ferventius augeatur, in hac parte supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de qua in his, & aliis fiduciam in Domino gerimus singularem, per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi litteris per te diligenter visis, & examinatis, si eas veras, & omni suspicione carentes, & per ipsos Prædecessores concessas fore inveneris, super quibus tuam conscientiam oneramus, eam auctoritate nostra approbes, & confirmes, non permittens eosdem Scabinos, & communitatem contra ipsorum Prædecessorum, prædictarum, & nostrarum litterarum hujusmodi tenorem per aliquem seu aliquos communiter, vel divisim molestari indebitè vel vexari. Nihilominus processus quos super his per te forsan haberi contigerit, quoties expedierit, & prout justum fuerit, aggravare procures, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio Brachii sæcularis; Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo, Non obstante si aliquibus communiter, vel divisim à sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Perusii II. Kalendas Novembris Pontificatus nostri anno tertio.

ANNO 1409.

ALEXANDER QUINTUS, PONTIFEX CCVIII.

ANNO DOMINI MCDIX.

VIde Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *fol.* 287.

Mendicantibus permittit ubique Evangelia prædicare, sacramenta administrare, cæteraque munia, quæ Parochi obire solent: anno 1469.

Ex histor. Parisiens. Universit. Bulæi Tom. V. pag. 196.

ALEXAN-

ANNO 1409.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus, universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Electis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

REgnans in excelsis triumphans Ecclesia, cui Pastor est Pater æternus, cuique sanctorum ministrant agmina & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris sibi Vicarium constituit, Ecclesiam militantem unigenito filio Dei vivi Domino nostro Jesu Christi ineffabili commercio copulatam; in hac quidem ipse Christus à Patre progrediens per illustrationem Paracleti qui ab utroque procedit, statuit fidei sacramentum ut ab ea velut à primitivo fonte ad singulas Orthodoxas Nationes ejusdem fidei rivuli deriventur, ad hujusmodi autem Ecclesiæ regimen voluit Christi Clementia Rom. Pontificem deputare ministrum, cujus instructionem, ac doctrinam eloquio veritatis Evangelicæ traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant & observent. Qui enim sub hac doctrina cursus vitæ non peregerint, aut errores contra illam tenuerint, damnationis sententia ferientur. Sanè dudum felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. Prædecessor noster in constitutione sua quæ incipit, super Cathedram, quam piæ memoriæ Clemens V. etiam Prædecessor noster postea Viennensi Concilio innovavit super prædicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum Confessionibus, pœnitentiis injungendis eisdem & tumulandis defunctorum corporibus qui apud prædicatorum & minorum ordinum fratrum Ecclesias seu loca suam eligerent sepulturam. Quæ quidem constitutio etiam successivè ad Eremitarum S. Augustini & B. Mariæ de monte Carmelo Ordinum fratres per sedem Apostolicam extensa fuit, authoritate Apostolica statuit & etiam ordinavit ut dictorum ordinum fratres in Ecclesiis & locis eorum, & in plateis communibus liberè valeant Clero & populo prædicare & proponere verbum Dei, horâ illâ duntaxat excepta in quâ vellent Prælati Ecclesiarum coràm se facere solemniter prædicare, in qua fratres ipsi prædicare cessarent, præterquam si aliud de ipsorum prælatorum consensu procederet ex licentia speciali. In studiis autem generalibus, ubi sermones ex more fieri solent diebus illis quibus prædicari solemniter consuevit, ad funera etiam mortuorum & in festis specialibus, seu etiam peculiaribus eorundem fratrum possent iidem fratres & liceret eis prædicare liberè, nisi forsan in illâ horâ quâ solet ad Clerum in prædictis locis, seu studiis proponi verbum Dei, Episcopus, vel Prælatus superior Clerum ad se generaliter convocaret, aut ex aliqua ratione, vel causa urgente Clerum ipsum duceret congregandum.

In Ecclesiis autem parochialibus fratres illi nullatenùs auderent; nec deberent prædicare, vel proponere verbum Dei, nisi fratres ipsi à Parochialibus Sacerdotibus invitati, vel vocati fortassis existerent, vel de ipsorum placito, vel assensu petita licentia, vel obtenta foret, nisi Episcopus, vel Prælatus per eosdem fratres prædicari mandaret. Statuit etiam & ordinavit idem Bonifacius Prædecessor authoritate prædictâ ut in singulis Civitatibus & Diœcesibus in quibus loca fratrum ipsorum consistere noscerentur, ac in Civitatibus & Diœcesibus & locis ipsis vicinis; in quibus locis hujusmodi non habentur Magistri, Priores Provinciales Prædicatorum & eorum Vicarii, ac Generales, ac Provinciales Ministri, ac Custodes minorum & Prædicatorum ordinum præfatorum ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferrent per se, vel fratres quos ad hoc idoneos fore putarent, ut fratres qui ad hoc electi forent, in eorum Civitatibus & Diœcesibus *Confessiones subditorum sibi confiteri volentium audire valerent*; & hujusmodi confitentibus, prout secundum Deum cognoscerent, imponerent pœnitentias salutares & eisdem beneficium absolutionis impenderent, gratia & beneplacito eorundem, ac deinde præfati Magistri, Priores Provinciales & Ministri ordinum prædictorum eligere studerent personas sufficientes idoneas, vita probatas, discretas atque peritas ad tam salubre Ministerium, & Officium exequendum, quas sic ab ipsis electas præsentarent, vel facerent præsentari prælatis antedictis, ut de eorum licentia & beneplacito in Civitatibus & Diœcesibus eorumdem hujusmodi personæ sic electæ confessiones sibi confiteri volentium audirent & eis imponerent pœnitentias salutares, ac beneficium absolutionis impenderent, prout superiùs est expressum. Et alia rationabilia & utilia dictus Bonifacius Prædecessor ordinavit & statuit, prout in eadem constitutione pleniùs exprimitur. Postea verò ad piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris notitiam deducto quod quondam Joannes de Poliaco in Sacra Theologia Magister in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ Sacramentum, non sobriè, sed perperam sapiebat, infra scriptos articulos periculosos continentes errores doceret publicè in suis prædicationibus & in scholis. Primum siquidem astruens quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones teneantur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. 2. Quod stante statuto: *omnis utriusque sexus*, in concilio generali Rom. Pontifex non potest facere quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat esse Parochialem curatum; nec Deus posset hoc facere; quoniam ut dicit, implicat contradictionem. 3. Quod Papa non posset dare tum generalem potestatem audiendi confessiones, imò nec Deus, quin confessus habens generalem licentiam, teneatur eadem iterum confiteri suo proprio Sacerdoti, quem dicit esse, ut præmittitur, Parochialem curatum. Prædictus Joannes prædecessor volens scire si suggesta sibi in ea parte veritatem haberent, præfatum Joannem de Poliaco de Fratrum suorum Consilio evocari, atque vinculorum suorum copiam eidem Magistro Joanni tradi fecit, & ad defensionem suam audientiam plenam sibi præbuit, tam in suâ dictorumque fratrum præsentiâ & in Consistorio, quàm alibi coram aliquibus fratribus ipsis per eum ad hoc deputatis; si præfatus magister dictos articulos & contenta in ipsis defendere nitetetur. Qui quidem Magister Joannes asserebat se paratum credere & tenere in præmissis & aliis quæ credenda & tenenda fides Apostolica definiret, præfatusque Joannes prædecessor attendens quod dictorum articulorum assertio, prædicatio & doctrina redundare poterat in multarum perniciem animarum, ipsos per plures Magistros in Theologia examinari fecit diligenter, & ipse etiam cum dictis fratribus suis collationem solemnem habuit super præmissis, per quas

ANNO 1409.

ANNO 1409.

quidem collationem & examinationem super hoc præhabitas comperit prædictos articulos doctrinam non sanam, sed periculosam multum & veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & singulos idem M. Joannes veris sibi rationibus opinioni suæ dudum habitæ contrariis in eodem Consistorio revocavit asserens eos non veros; sed contrarium verum esse, cum diceret se nescire rationibus sibi factis in contrarium respondere. Ideòque ne per assertionem, prædicationem & doctrinam hujusmodi in errorem, quod absit, animæ simplicium prolaberentur, omnes prædictos articulos & quemlibet eorum tanquam falsos & erroneos & à doctrina sana devios idem Joannes prædecessor authoritate Apostolica damnavit & reprobavit, de fratrum suorum consilio prædictorum doctrinam ipsis contrariam veram esse & Catholicam asserens, quòd illi qui prædictis fratribus confiterentur, non magis tenerentur eadem peccata iterum confiteri quàm si aliàs illa confessi fuissent eorum proprio Sacerdoti, juxta dictum Concilium Generale optans veritatis vias notas etiam fidelibus & cunctis erroribus aditum præcludere felicis recordationis, Alexandri Papæ IV. & Clement. IV. Rom. Pontificum Prædecessorum vestigia imitando universis & singulis districtiùs inhibuit ne quisquam dictos articulos per eundem Joan. Prædecessorem damnatos & reprobatos & contenta in eis, vel aliquo ipsorum ut pote à Catholicis mentibus respuenda tenere auderet, ac defensaret; ac universis & singulis Patriarchis Archiepiscopis, Episcopis & Electis per Apostolica scripta præcipiendo, mandavit ut in Civitatibus & Diœcesibus eorum, convocato Clero communiter præmissa omnia & singula per se vel alios publicaret solemniter: nec non eidem Joanni mandavit ut ipse in scholis, vel sermone Parisius prædictos articulos & contenta in eisdem tanquam veritati contraria propriæ vocis oraculo & assertione constanti publicè deberet revocare: Et etiam se facturum illud dictus Joannes de Poliaco efficaciter repromisit. Cum autem sicut nuper fratrum prædicatorum & Minorum prædictorum, ac etiam Eremitarum Sancti Augustini & B. Mariæ de monte Carmelo Ordinum lamentabilis querela ad nostrum perduxit auditum, nonnulli Clerici & Ecclesiasticæ personæ ac utriusque sexus homines, nedum prædictos damnatos articulos prorsus erroneos & sacris Canonibus contrarios etiam publicè non verentur astruere, & per illos proprias & multorum simplicium animas inficere, illosque à devotione eorundem fratrum ordinum prædictorum avertere, & ne Christi fideles sua peccata fratribus ipsis confiteantur, damnabiliter detrahere satagant, etiam contra eandem Constitutionem Bonifacii Prædecessoris super hoc editam, ut præfertur: qui quidem adjecti erronei articuli sequuntur per ordinem, in hæc verba. Primus ut videtur articulus talis est. *Confessus fratri admisso in forma, Dudum, tenetur, eadem peccata in numero iterùm Curato confiteri?* Damnatur per Joannem Papam XXII. in statuto quod incipit, vas Electionis. 2. Conclusiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joan. 22. Sunt satis veræ, & à quocunque litterato sufficienter possunt teneri. Statutum Joannis XXII. editum, Vas Electionis, est irritum & inane, quia cum illud fecit, erat hæreticus, & per consequens quidquid fecit prædictus Joannes sive mendicantibus, sive aliis ante revocationem, inane fuit. Stante statuto *omnis utriusque sexus*, nec Deus, nec Papa de potentia sua potest facere quin confessus fratri mendicanti admisso, iterum teneatur confiteri suo Curato. *Confessio fratribus admissis facta est dubitabilis & incerta*; quapropter omnes tenentur dimittere incertum; & sic solum confiteri suis sacerdotibus curam animarum habentibus sub pœna peccati mortalis. *Quamvis fratres admissi habeant authoritatem absolvendi & audiendi Confessiones*, tamen Populus subjectus non habet potestatem accedendi ad mendicantes admissos sine licentia proprii Sacerdotis; & fratres petentes privilegia pro confessionibus audiendis & sepulturis habendis, sunt in peccato mortali & excommunicati: & Romani Pontifices talia privilegia concedentes Mendicantibus, aut eisdem confirmantes, sunt in peccato mortali & excommunicati. *Fratres non sunt, aut fuerunt Pastores, sed fures, latrones & lupi.* Sacerdos curatus dans licentiam mendicantibus audiendi confessiones, magis dispensat cum statuto, *omnis utriusque sexus*, quàm Papa fratribus dans licentiam juxta formam decretalis *Dudum.* Nos verò attendentes quod minus perniciosum esset antiquos, dudum ut præmittitur, per eundem Joannem prædecessorem cum tanta solemnitate & maturitate damnatos & reprobatos & etiam hujusmodi novos articulos per nos veluti erroneos & etiam eisdem Canonibus contrarios severè adstruere, vel docere, nec non in hac parte salubriter providere volentes, eosdem novos articulos, & quos Nos etiam una cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus maturè, prout tanti negotii qualitas exigit, vidimus & examinavimus, nec non etiam per plerosque in sacra Theol. Magistros, ac quosdam Doctores in Jure Canonico recenseri fecimus diligenter, per quam quidem examinationem reperimus etiam ipsos novos fuisse & esse falsos, confictos & erroneos, ac eisdem Canonibus contrarios, & propterea ipsos, ut tales de eorundem fratrum consilio damnamus & reprobamus. Volentes quod si quis deinceps prædictos articulos asserere, aut in Scholis vel alibi glossare, defendere seu tenere, aut prædicare præsumpserit, tanquam hæreticus sit censendus, & excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, à qua nisi per summum Pontificem, præterquam in mortis articulo, non possit absolvi. Quo circa Universitati vestræ mandamus, quatenus universi & singuli vestrum convocato Clero Civitatum & Diœceseon vestrarum, eis præmissa omnia & singula per vos, vel alios ubi & quando super hoc per eosdem fratres, seu eorum aliquem, aut alios requisiti fuerint, authoritate nostra solemniter publicetis, ac etiam per Rectores ipsarum Parochialium Ecclesiarum, Civitatum & Diœceseon præfatarum in hujusmodi Parochialibus Ecclesiis publicari faciatis. Et si quos forsan hujusmodi damnatos articulos novos & veteres, aut eorum aliquem, seu aliquos astruere, vel tenere, sive prædicare repereritis, contra illos communiter, vel divisim tanquam hæreticos, seu de Catholica fide suspectos procedere, nec non ipsos & eorum quemlibet juxta tantorum excessuum qualitatem per censuram Ecclesiasticam & alia juris opportuna remedia, authoritate prædicta compescere, nec non ad observandam dictam constitutionem præfati Bonifacii prædecessoris juxta ejus tenorem compellere ratione prævia studeatis. Contradictores, &c. Non obstantibus prædictis quæ incipit, *omnis utrius-*

ANNO 1410.

que Sexus, ac aliis Constitutionibus contrariis quibuscunque. Datum Pisis 4. Id. Octob. Pontif. anno primo.

JOANNES XXII. DICTUS XXIII.

PONTIFEX CCIX.

ANNO DOMINI MCDX.

JOannes qui ultimus hujus nominis temerè Pontificatum iniit, nempè quum legatus à latere à Prædecessore suo Bononiam mitteretur, conducto milite eam cum magnâ Flaminiæ parte in potestatem Ecclesiæ redegit, tùm Alexandro defuncto Cardinalibus convocatis ipse militibus stipatus vi Petri Clamydem sibi imponens *Papa*, ait, *sum ego*. Demùm à Concilio Constantiensi cum aliis Schismaticis Pontificibus Pontificatui suo renunciare coactus fuit; sedit annos quinque. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1527. *Tom. I. fol.* 287. *App.*)

I. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæi Tom. 5. pag. 204.

Revocatoria Bullæ Alexandri V. Prædecessoris de Privilegiis Mendicantium propter turbas in Clero Gallicano obortas: ann. 1410.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

IN Apostolicæ sedis specula licet immeriti disponente Domino constituti ad procurandum cunctis Christi fidelibus pacis commoda libenter intendimus, eorumque scandalis quantum possumus, obviamus. Dudum siquidem cum querela dilectorum filiorum Fratrum ordinum Prædicatorum & Minorum, nec non Eremitarum S. Augustini, ac B. Mariæ de Monte Carmelo ad felicis recordationis Alexandri Papæ V. Prædecessoris nostri pervenisset auditum, quod nonnulli Clerici & Ecclesiasticæ personæ ac utriusque Sexus homines certos articulos quos iidem fratres dicebant erroneos tangentes materiam Clementinæ *Dudum* in præjudicium ipsorum fratrum astruere publicè præsumebant, præfatus Alexander Prædecessor 4. Id. Oct. Pontificatus sui An. I. per suas certi tenoris litteras quæ incipiunt, *Regnans in excelsis* certo modo super hoc providit, ac disposuit prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem prout nuper nobis qui dicto Alexandro Prædecessore sicut Domino placuit sublato de medio, fuimus divinâ favente Clementia, ad apicem summi Apostolatus assumpti, non sine gravi mentis turbatione innotuit in diversis mundi partibus inter alios Christi fideles, ac Episcopos fratres occasione publicationis dictarum litterarum magna scandala sint exorta, & nisi super his de opportuno remedio celeriter provideatur, majora verisimiliter timeantur in posterum exoriri. Nos super his prout ex debito nobis injuncti pastoralis tenemur officii salubriter providere & scandalis hujusmodi obviare cupientes, volumus, & Authoritate Apostolica de fratrum nostrorum consilio, tenore præsentium decernimus pro partibus ipsis, nec non rebus, juribus & causis, de quibus in eisdem litteris fit mentio, in eodem statu per omnia remanentibus prout erant ante confectionem dictarum litterarum, prædictæ litteræ ac processus habiti per easdem, & quæcumque inde secuta ex nunc in antea, perinde habeantur ac si litteræ, ac processus hujusmodi nullatenus emanassent. Districtius inhibentes ne quis in posterum dictis Prædecessoris nostri litteris uti, aut earum authoritati, vel vigori inniti præsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, &c.

ANNO 1412.

Datum Bononiæ 5. Kal. Julii Pontificatus nostri anno I.

II. ibid. Tom. 5. pag. 226. 227.

Parisiensi Universitati indulget, ut Cancellarius Parisiensis possit absolvere Magistros, & Scholares ab omnibus Censuris; & causæ universitatis quæ in Romanâ Curiâ disceptari solebant, in Curiâ Episcopali Parisiorum disceptentur: anno 1412.

JOANNNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Joanni de Gersono Cancellario Parisiensi, salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm juxta officii nostri debitum conversionem diligamus ab intimis peccatorum, libenter se convertentibus manum porrigimus adjutricem, ac modis quibus possumus, allicimus convertendo, scientes nihil Deo esse acceptius quàm lucrum perquirere animarum. Sanè cum nonnullas personas tam Ecclesiasticas quàm Laïcales dilectæ filiæ nostræ Universitatis Parisiensis studii, ac suppositorum ejus diversis peccatis, nec non excommunicationum, suspensionum & interdicti sententijs ac votorum emissorum observantiis innodari contigerit hactenus, sicut accepimus & possit contingere verisimiliter in futurum, & pro absolutionibus, dispensationibus ac votorum commutationibus & aliis in præmissis impetrandis ex multis ingentibus causis personis illis ad Rom. Curiam proficisci reddatur discriminosum quamplurimum, Nos animarum personarum hujusmodi saluti providere salubriter, illasque ad gremium S. Matris Ecclesiæ reducere ac earumdem parcere laboribus, periculis & expensis paternaliter cupientes, discretioni tuæ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate nostra in foro conscientiæ absolvendi in forma Ecclesiæ consueta quascumque personas Scholasticas actu Parisius pro tempore studentes de Universitate dicti studii, seu suppositorum ejus usque ad triennium proximè secuturum, si hoc humiliter petierint, à quibuscumque peccatis, excommunicationum, suspensionum & interdicti sententiis in eas à jure, vel ab homine latis, inflictis seu promulgatis etiamsi illorum absolutio foret sedi Apostolicæ generaliter, vel specialiter reservata, ac pœnis aliis in quas quomodolibet incurrissent, seu incurrere poterunt in futurum, dummodo personæ ipsæ injuriam pacis satisfaciant competenter, ac cum eisdem personis, si Ecclesiasticæ fuerint

super

ANNO 1410.

super Irregularitate quacunque, quâ sic ligatæ celebrando divina, vel immiscendo se illis, non tamen in contemptum Clavium contraxerint, eis priùs ad tempus de quo tibi videbitur à suorum ordinum executione suspensis. Et quod ad omnes sacros Ordines promoveri, ac in illis & in quibuscumque susceptis Ordinibus aliàs tamen ministrare valeant, dispensandi, injunctis eis pro modo culpæ pœnitentia salutari & aliis quæ de jure fuerint injungenda, ac omnem inhabilitatis & infamiæ maculam sive notam per easdem Scholasticas personas præmissorum occasione contractam abolendi, & eas ad quæcumque bona, dignitates tam spirituales quàm temporales, honores, statum, famam, privilegia, exemptiones, beneficia, officia Ecclesiastica, secularia & regularia quæcumque & qualiacunque fuerint, quæ hujusmodi personæ tempore dictarum sententiarum obtinebant, seu ad eas quomodolibet pertinebant, dum tamen Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales, seu Abbatiales dignitates non existant; nec non quod tempore absolutionum, dispensationum, abolitionum & restitutionum hujusmodi non fuerit in eis alicui specialiter jus quæsitum & alias in integrum, ac statum pristinum restituendi, reducendi & reponendi, ac etiam authoritate præfata personis hujusmodi vota peregrinationis & continentiæ, ac alia quæcunque, si qua personæ ipsæ, aut earum aliqua hactenus emisissent, aut emittere contigerit, dicto durante triennio, quomodolibet in futurum quæ omnimodo servare non possent, non obstante quod illorum commutatio, aut dispensatio esset præfatæ sedi specialiter reservata, in alia pietatis opera commutandi, prout secundum Deum ac saluti animarum personarum hujusmodi videris expedire; proviso quod de his de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, personis ipsis faciendam injungas quam personis hujusmodi facere quantocius teneantur, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem; præsentibus post dictum triennium à data præsentium minimè valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum Kal. April. Pontificatus nostri Anno 3. Sic Sig. F. de monte Peliciano, de Curia, Ja. de Hugolinis.

Altera Bulla dirigitur Gerardo Episcopo Parisiensi, ut ad triennium causas Universitatis quæ solebant in Curia Romana disceptari, judicet Parisius,

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Geraldo Episcopo Parisiensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

AD incrementa dilectorum filiorum Universitatis studii Parisiensis & ejus suppositorum qui in orbe terrarum splendore scientiæ rutilantis emicant, paternis & sollicitis studiis intendentes, & cupientes ut eo perfectius & diligentius studiorum gymnasiis lucubratis vigiliis intendere valeant, quo majori privilegio ne distrahantur à loco studiorum ratione causarum, seu litigiorum quæ illis possent quoquomodo contingere, si extra Parisiensem civitatem ad causas, vel judicia quomodolibet traherentur, fuerint communiti. Et sicut pro parte dictæ universitatis nuper accepimus occasione Beneficiorum Ecclesiasticorum quæ nonnulli Magistri & alii studentes in dicto Parisiensi studio vigore gratiarum per nos factarum illis assecuti fuerint extra Civitatem Parisiensem etiam ad Romanam curiam trahuntur in causam, & propterea gravibus tam realibus quàm personalibus prægraventur & affligantur incommodis & à studiosis vigiliis plurimum distrahantur. Nos ipsorum Magistrorum ac Doctorum in dicto Paris. Studio indemnitatibus & quieti volentes paterna diligentia providere, Magistris & Doctoribus universitatis Parisiensis studii ante dicti in Rotulo ipsius universitatis inscriptis, super expectativis gratiis per nos signato & per universitatem ipsam pro præsentibus reputatis, ut pro causis Beneficialibus super gratiis expectativis, eisdem in dicto Rotulo per nos concessis extra muros Paris. trahi non possint, nec debeant quoquomodo; sed quod causæ hujusmodi ibi tractari, terminari atque decidi debeant usque ad totalem & finalem terminum hujusmodi causarum tam motarum quàm quæ movebuntur in posterum usque ad triennium à data præsentium computandum: causis venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium motis & movendis agendo, vel defendendo & ipsos Cardinales, vel eorum aliquem quoquomodo tangentibus, duntaxat exceptis, authoritate Apostolica concedimus per præsentes. Et ad hoc quod causæ hujusmodi possint & valeant, authore Domino, tractari, decidi & omnino ut præmittitur etiam terminari & justitia ministrari, Fraternitati tuæ de qua in his & aliis plenam in Altissimo fiduciam obtinemus, omnes & singulas causas Beneficiales occasione Dignitatum, Personatuum, Administrationum, Officiorum & Prioratuum & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum secularium & Regularium vigore dictarum gratiarum in præfato Rotulo per Nos factarum quæ dicti Magistri, seu alii in dicto Rotulo denotati fuissent hactenus assecuti, sive assequentur in posterum movendas infra dictum triennium per quascunque personas, loca, Collegia, seu Universitates præfatis Cardinalibus duntaxat exceptis contra dictos Magistros & alios in dicto Rotulo inscriptos, & pro præsentibus, ut præmittitur, reputatos cognoscendas, decidendas & fine debito terminandas per te vel per alium intra muros dictæ Civitatis Parisiensis etiam usque ad ultimam & tertiam definitivam sententiam inclusivè, & etiam quotiens ante definitivam sententiam contigerit appellari cum omnibus suis incidentibus, dependentibus & connexis harum serie delegamus, faciens quod decreveris per te vel per alios & præsertim per Censuram Ecclesiasticam appellatione cessante firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per Censuram eandem, appellatione cessante compellas per te vel alios, ut præmittitur, veritati testimonium perhibere.

Datum Romæ Apud S. Petrum Kal. April. Pontificatus nostri anno 3. Sic Sign. F. de Montepoliciano. De Curia. Joan. de Bortzolle.

ANNO 1410.

Archiepiscopis

Anno 1412.

III. Ex Mem. du Clergé de France Tom. I. pag. 484.

Archiepiscopis quibuscumque edicit Conciliorum Provincialium celebrationem singulis trienniis an. 1412.

JOANNES EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

IN cassum Sacrorum decreta, Canonum leges, ac pletistica antiquis fuissent ordinata temporibus, si illorum executio cum se casus ingesserit, negligatur; hinc est quod nos statutum felicis recordationis Innocentii Papæ III. prædecessoris nostri in generali Concilio, de celebrandis per Metropolitanos Provincialibus Conciliis, multis tamen neglectum temporibus in generali Pisano Concilio innovatum, diligenter cupientes observari: statuimus, ut singuli Metropolitani qui hujusmodi statutum negligentes, per triennium Provinciale miserunt celebrare, à Pontificali Officio, nec non omni exercitio jurisdictionis Ecclesiasticæ per se vel alium, sint ipso jure suspensi, eorumque Jurisdictio Ecclesiastica, & illius liberum exercitium ad capitulum illius Metropolitanæ Ecclesiæ devolvatur, ac devoluta persistat, omniaque & singula emolumenta jurisdictionis ad ipsum capitulum pertineant, in publicum illius Ecclesiæ, non singularum personarum vel officiorum utilitatem convertenda, donec Metropolitanus ipse realiter hujusmodi congregaverit Provinciale Concilium. Si verò dicto tempore durante Metropolitanus ipse exercitio dictæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ, per se vel alium se immiscuerit, aut capitulum impediverit in præmissis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum quinto Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno tertio.

Anno 1417.

MARTINUS III. DICTUS V.

PONTIFEX CCX.

ANNO DOMINI MCCCCXVII.

MArtinus Romanus prius Otto Columna dictus à Concilio Constantiensi Papa Electus est post Schisma annorum 40. anno scilicet 1417. Ludovicum Andegavensem Neapolitanum Regem creavit, hinc ab Alfonso Arragonio Benedicti Antipapæ defensore infestatus. Dein Papiæ Concilium indictum Senas transtulit, ubi conclusum, ut ossa Wiclefi jàm 40. an. sepulta, exhumata cremarentur. Tùm Basileæ Concilium pro Reformatione status Ecclesiæ habitum. Obiit anno 1431. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1527. *fol.* 288. *App.*)

Anno 1419.

I. Ex Archiv. Angliæ Rimer Tom. 9. p. 766.

Ad Henricum Angliæ Regem super gestu, & summissione Johannis XXIII. Pseudo-Pontificis notificatio: anno 1419.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo Filio, Henrico, Regi Angliæ illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

DIvina Providentia, humanas actiones in melius, ac in Veritatis & Justitiæ iter, ineffabili sua bonitate, disponens, tanto majoris dilectionis ardore suæ Clementiæ oculos, in Ecclesiam suam dirigit, quanto, juxta successus rerum & temporum, magis suæ ædificationi viderit expedire, quod & vetera exempla nos edocent, & diebus nostris in facto Unionis Ecclesiæ possit manifestius apparere.

Nuper enim cum Baldassar Cossa, olim JOHANNES XXIII. in sua tunc obedientia nuncupatus quem assignari nobis debere Concilium Constantiæ decrevit, per quosdam à nobis deputatos, ad nos humanissimè duceretur applicans ad Castrum Felini Parmensis Diœcesis timore concepto ad carceres duceretur, quod tamen veritate carebat noctis tempore fugiens divertit ad Sarzanam, oppidum, amicissimo sibi Duci Januæ subjectum.

Ubi benignè susceptus, & de veritate certificatus, receptis etiam à nobis, & à communitate Florentinorum salvis conductibus, sponte, & sine mora iter arripuit, & hodie, Florentiam intrans priusque alio diverteret, ad nos, in generali Consistorio astantibus Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, sedentes, ac Prælatorum, aliorum spectabilium, & insignium virorum multitudine circumfusa, suppliciter venit, ac cum omni humilitate & laudabili devotione prostratus ante pedes nostros, cessionem, ac renunciationem, quas diù ante nostram assumptionem fecerat, sponte & liberè ratificans atque approbans.

Nos verbo factoque in Romanum Pontificem, ac in universalis Ecclesiæ sponsum indubitatum & unicum recognovit, propter quæ est meritò commendandus.

Hæc itaque contigisse, non hominum Consilio, sed inexhaustæ incomprehensibilisque, divinæ providentiæ ordini, cuncta suis locis & temporibus disponentis ascribendum esse censemus.

Quæ tuæ serenitati significare decrevimus ut hujus rei sentias veritatem, qui pro unione in Ecclesia Dei feliciter consummata, multos labores, multaque expensarum onera subivisti.

Datum Florenc. XVIII. Calendas Julii Pontificatus nostri anno secundo.

II. Ex Archivis Capituli Genevensis.

Confirmatio altera fundationis Capellæ, quam juxta Ecclesiam Genevensem erexerat Joannes de Brogniaco Cardinalis Episcopus Hostiensis; quam etiam prius confirmarat Benedictus XIII. ex bulla mox sequenti.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

TUnc injunctum nobis desuper Apostolatus officium peragere dignè non ambigimus, dum Apostolicis prosequimur ea favoribus, quæ

ANNO 1419.

Divini noscuntur respicere cultus incrementum. Cum itaque sicut Venerabilis frater noster Joannes Episcopus Hostiensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, nobis exponere curavit ipse qui pro hujusmodi augmento cultus, nec non sua & progenitorum suorum animarum salute, de bonis sibi desuper creditis capellam Beatæ Mariæ contiguam Ecclesiæ Gebenensi de novo fundavit construique, & ædificare fecit, nec non pro Archipresbytero tamquam Capite qui Archipresbyteratum, ac duodecim Capellanis quorum singuli Capellanias singulas inibi pro tempore obtinerent notabiliter dotavit desiderio, & intentione gessit, ac hujusmodi fundationi & dotationi adjecit quod quotiescumque ex dictis Archipresbytero, & Capellanis sedere, vel decedere contingeret illius loco reliqui eorum alium idoneum eligere haberent per Episcopum prædictum quoad viveret & eo sublato de medio per dictos filios Capitulum Gebenense ibidem instituendum dubitetque dictus Episcopus occasione præsertim expectativarum personis aliquibus à sede Apostolica vel legatis ejus inibi concessarum pro tempore gratiarum per quas personæ ipsæ dictos Archipresbyteratum & Capellanias sibi vendicare contenderent desiderium intentionem nec non adjectionem intercipi & adimi ac propter cultum hujusmodi divinum posse quomodolibet in futurum pro parte dicti Episcopi nobis fuit humiliter supplicatum,ut pro hujusmodi desiderii, & intentionis complemento super his opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui prædicti augmentum cultus studiis exquirimus indefessis hujusmodi supplicationi inclinati volumus,& auctoritate Apostolica statuimus, ac ordinamus, quod deinceps perpetuis futuris temporibus nullus vigore sive prætextu quarumcunque litterarum sedis vel legatorum hujusmodi sub quavis verborum forma, vel expressione super expectativis gratiis concessarum hactenus vel in posterum concedendarum sive desuper pro tempore habitorum processuum eundem Archipresbyteratum vel aliquem ex dictis Capellanis quotiescumque, & qualitercunque in antea vacaverit acceptare, seu de eo vel illa sibi provideri facere valeant quoquomodo, sed juxta desiderium intentionem, & adjectionem hujusmodi quotiescumque, dictos Archipresbyteratum & Capellanias simul vel successivè per sessum aut decessum eas obtinentium pro tempore vacare contigerit illi ex dictis Archipresbytero & Capellanis qui inibi tunc fuerint ad vacantem tunc Archipresbyteratum in Archipresbyterum, & quemlibet Capellanorum in Capellanum Capellæ hujusmodi personam idoneam eligere *& Episcopus quoad vixerit ipsoque rebus humanis exempto Capitulum præfati postquam electio hujusmodi personæ præsentata eis fuerit personam præfatam in Archipresbyteratu* vel ea ex Capellaniis prædictis, ad quem vel quam, ipsa persona ut præmittitur electa fuerit instituere liberè liciteque possint, per inde in omnibus, & per omnia, ac si gratiæ prædictæ vel Apostolicæ de super reservationes minimè forent decernentes, omnes, & singulos processus quos fieri, vel haberi, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliasque sententias, censuras & pœnas quas promulgari, nec non totum id & quidquid attentari contigerit à quoquam scienter vel ignoranter quavis authoritate, contra voluntatem statutum, & ordinationem hujusmodi nullius existere firmitatis, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ prædictæ juramento confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, statuti ordinationis, & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos octavo Kalendas Aprilis, Pontificat. nostri anno octavo.

ANNO 1419.

III. Ex Archiv. Cap. Genev.

BENEDICTUS XIII.

Dictus PETRUS de LUNA Anti-Papa.

Confirmatio fundationis, &, dotationis Capellæ Collegiatæ juxta Ecclesiam Genevens. a Cardinali Joanne Alarmet de Brogniaco Episc. Hostiensi erectæ, quam etiam confirmavit MARTINUS V, ut ex Bulla superiori.

BENEDICTUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Viennensi & Episcopo Aventonensi ac dilecto Filio Præposito Ecclesiæ sancti Andreæ Gracionopolitani, salutem & Apostolicam Benedictionem.*

HIs ex commisso nobis officio, quæ pro statu prospero Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum, & divini cultus augmento providè facta sunt, ut illibata consistant libenter adjicimus Apostolici muniminis firmitatem; exposuit siquidem nobis Venerabilis frater noster Johannes Episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, quod nuper ipse zelo devotionis accensus ac cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio commutare de bonis à Deo sibi collatis, quandam capellam in civitate Gebenensi juxta Ecclesiam Cathedralem fundari fecit, & in ea tredecim Presbyteros perpetuos,quorum unus Archipresbyter existeret & per quos tres missæ qualibet die una videlicet cum nota & aliæ duæ sine nota celebrarentur,nec non tredecim anniversaria generalia annuatim,& alia divina officia in dictâ Capellâ fierent & nonnulla alia statuta circa regimen & servitium dictæ Capellæ ordinavit & pro dote dictæ Capellæ quinque millia florenorum auri dedit, pro quibus omnia bona sua obligavit, & nihilominus in augmentum dotis ipsius omnia bona sua præsentia & futura donatione causa mortis eidem Capellæ reliquit & donavit prout in instrumento publico indè confecto, cujus tenor inferius est insertus & plenius continetur. Quare prædictus Episc. nobis humiliter supplicavit ut fundationi,donationi,dotationi ordinationibus & aliis in dicto instrumento contentis robur confirmationis adjicere,ac defectus si qui forsan intervenerint in eisdem supplere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, dotationem, donationem, & ordinationes prædictas, & alia omnia & singula in dicto instrumento contenta rata habentes & grata illa ex certa scientia auctoritate Apostolica confirmavimus, & scripti nostri patrocinio communivimus supplentes omnes defectus si qui forsan intervenissent in eisdem; tenor verò dicti instrumenti talis est.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, gloriosissimæque Virginis Mariæ matris ejus ac totius curiæ civium supernorum, Amen.

Noverint universi & singuli præsentes pariter & futuri hoc præsens publicum instrumentum visuri, lecturi, & etiam audituri, quod anno à Nativitate Domini millesimo quadragintesimo sexto indictione quartâ decimâ, die verò vigesimâ tertiâ mensis Martii Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Benedicti Divinâ Providentiâ Papæ decimi tertii, Anno duodecimo in præsentia ac testimonio nostrorum notariorum & testium infrà scriptorum existens & personaliter constitutus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Johannes miseratione divinâ Episco-

pus

ANNO 1379.

pus Hostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vicecancellaruis olim Vivariensis vulgariter nuncupatus scienter sponte gratis & ex ejus certâ scientiâ fundavit instituit & dotavit in Capellâ novâ quam à fundamentis construi & ædificari nuper fecit juxta Ecclesiam Gebenensem contiguâ, secùs introitum & frontem ipsius Ecclesiæ Gebenensis ex parte dextra Capellam suam Collegiatam in modum & formam subsequentem. In nomine Domini. Amen.

Quoniam quæ sine Ordine aguntur solent neglectum & confusionem inducere & diutiùs non subsistunt, personas quoque Ecclesiasticas in illius obsequiis qui cuncta quæ creavit sub ordine consistere voluit decet tam devotissimè quàm ordinatissimè permanere. Ea propter nos Johannes de Broniaco Gebenensis Diœcesis miseratione divinâ Episcopus Ostiensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Vicecancellarius olim Vivariensis vulgariter nuncupatus, attendentes quod nos nuper construi & ædificare fecimus in civitate Gebenensi, juxta venerabilem Ecclesiam Gebenensem contiguè secus introitum ipsius Ecclesiæ ad latus dextrum quandam Capellam pro divino servitio in eadem perpetuis temporibus celebrando ad honorem Dei & gloriosissimæ Virginis Mariæ totiusque curiæ civium supernorum & sub nomine seu vocabulo prædictæ Beatæ Mariæ Virginis Matris Dei & Domini Jesu Christi, & quod parum esset ædificia construxisse nisi congruè dotarentur & in ea divina officia perpetuò celebrarentur.

Volentes igitur animabus nostræ parentumque & benefactorum nostrorum prospicere & pro eo dictæ Capellæ fundator, & donator esse, divinorumque officiorum in ipsa fiendorum particeps & consors effici dictam Capellam ut præmittitur ad honorem & sub vocabulo Beatæ Mariæ Virginis Collegiatam & pro Collegio habentem tredecim Presbyteros in memoriam & honorem Domini nostri Jesu Christi & duodecim Apostolorum ejus, pro divino officio in eadem perpetuis temporibus celebrando fundavimus, instituimus & dotavimus ipsamque fundando instituendo & dotando & pro ejus fundatione & dotatione de præsenti damus & concedimus per præsentes quinque millia florenorum auri de Camera in memoriam & reverentiam quinque plagarum & passionis Redemptoris & Salvatoris humani generis atque nostri pro acquirendis censibus redditibus, possessionibus, & aliis proventibus de quibus divinum servitium valeat in eadem quandiu vitam duxerimus in humanis, fieri & etiam post & perpetuo Deo annuente continuari & augeri per modum & formam inferius annotatos, pro quibus quinque millibus florenorum dictæ Capellæ solvendis obligamus & hypothecamus per præsentes ac obligata & hypotecata esse volumus omnia bona nostra mobilia & immobilia præsentia & futura dictæ Capellæ & Archipresbytero ac Servitoribus ejusdem de quibus mentio infra latius habetur & ut futuris non sit modus Regiminis dictæ Capellæ incognitus quem volumus & desideramus inviolabiliter observari, in eadem ipsum hic duximus describendum, ut nullus prætextu ignorantiæ contra facere præsumens valeat se excusare; volumus siquidem & ordinamus quod perpetuis temporibus dictæ Capellæ sit Rector unus de Collegio seu gremio & incorporatus dictæ Ecclesiæ Gebenensi, tum tamen Canonicus præbendatus non existat qui dictæ Capellæ intituletur & nominetur Archipresbyter; eo quod duodecim aliis Presbyteris dictæ Capellæ conservitoribus præsidebit, qui quidem Archipresbyter vivens vel moriens teneatur alium Rectorem seu Archipresbyterum unum videlicet de dictis duodecim conservitoribus & consortibus suis post se nominare & ipsum Rectorem seu Archipresbyterum ibi successorem post se eligere & ordinare in Consilio & consensu dictorum duodecim conservitorum, vel ad minus sex antiquorum ex ipsis absque alicujus alterius requisitione vel mandato, & casu quo dictus Archipresbyter decederet, vel aliàs dictam Rectoriam relinqueret non electo aut non nominato ut præmittitur sibi successore in dicto Archipresbyteratu, eo tunc major & sanior pars dictorum servitorum potestatem habeat sibi eligendi Archipresbyterum de dicto Collegio vel de extra quod infra decem dies fiat, alioquin potestas eligendi dictum Archipresbyterum devolvatur ad venerabiles viros Præpositum & Capitulum dictæ Ecclesiæ Gebenensis, qui in primis Calendis post dictos decem dies proximè futuros in eorum Capitulo Generali ipsum eligere debeant, alioquin ad Reverendum in Christo Patrem pro tempore existentem Dominum Episcopum Gebenensem hujusmodi potestas devolvatur, qui in dicta Capella Archipresbyterum nominet successorem, qui successor Capellæ regimen propriâ potestate & auctoritate possit & sibi liceat recipere requisitione cujusquam vel licentia super hoc minimè expectata interveniente vel requirenda, ita tamen intelligendo in prædictis electionibus quando fieret per devolutionem vel Episcopum, quod dictus successor sit de numero servitorum dictæ Capellæ de quibus statim post mentio habetur.

Si verò Rector dictæ Capellæ quod absit, esset dissipator bonorum dictæ Capellæ, aut furiosus vel non sanæ mentis vel aliàs inutilis, eo casu duo electi Consiliarii seu coadjutores infra scripti bona dicta Capellæ regant & administrent absque eo quod dicto Rectori rationem reddere teneantur, sed dumtaxat in communi sicut ipse Rector teneretur si administraret ut infra dicetur: erunt etenim servitores dictæ Capellæ de præsenti duodecim numero ultra Archipresbyterum & duo Clericuli ad nutum seu arbitrium Archipresbyteri & sex antiquorum de dictis duodecim ponendi & mutandi, eruntque omnes prædicti servitores boni & idonei bonæ famæ, laudabilis conversationis & sufficientiores & idoneiores qui per dictum Archipresbyterum in dicta Ecclesia reperiri poterunt & continuò in ipsa Ecclesia residentes; volumus tamen quod Capellani instituti & instituendi, fundati & fundandi per quoscumque in altaribus in dicta nostra Capella consistentibus præferantur omnibus aliis; dùm tamen per dictum Archipresbyterum & sex antiquiores servitores dictæ Capellæ nostræ sufficientes & idonei approbentur, ita tamen quod illi qui erunt fundati per illos de genere nostro vel familiares nostros primo admittantur, electio quoque, provisio & receptio dictorum duodecim servitorum & Clericorum ad dictum Archipresbyterum pertinebit; vocatis tamen & consentientibus ad minus sex de antiquioribus servitoribus dictæ Capellæ videlicet post decessum nostrum & non ante; quoniam electionem ac provisionem hujusmodi tam Archipresbyteri quàm prætaxatorum duodecim servitorum ad vitam nostram nobis duximus reservanda & per præsentes reservamus ac ex nunc eligimus instituimus, ponimus & nominamus dictæ Capellæ primum Archipresbyterum dilectum familiarem nostrum Dominum Jacobum Bochardi Curatum Parochialis Ecclesiæ sancti Leodegarii prope muros Gebenenses, nec non Dominos sanctæ crucis Gebenensis qui nunc est & pro tempore fuerit, Hugonem Collogniex de Bardonnex, Hugonem Cholopon sancti Victoris Gebenensis, Thomam Fabri de Filiaco de Bernex, Richardum de Arthas sancti Ciriaci, Humbertum de Ponte de Assa, Petrum de Tallusriis, Joh.

ANNO 1379.

Genonis de Vallerier, Nicodum de Bolo de Onay, Franciscum Davidis Seyffelli, Johannem Michaëlis montis sancti Martini & Jacobum de Arcina de Villa in fallacio Presbyteros Curatos Gebenensis Diœcesis eligimus, nominamus & ponimus primos duodecim Servitores exhortando eos, & eorum Successores sicut in his & majoribus de ipsis confidimus & ad hoc eos eligimus ut velint diligenter & devotè in dicta Capella & servitio ejusdem juxta ordinationem & intentionem nostram hujusmodi Domino famulari eruntque dicti servitores perpetui & continue residentes bonæ vitæ & laudabilis conversationis, & uno cedente vel decedente aut quod absit amoto suis exigentibus demeritis alius de novo subrogabitur & eligetur per nos vita comite & post decessum nostrum per dictum Archipresbyterum ut supra, casu vero quo non residerent nec dictæ Capellæ deservirent ut ordinavimus aut non essent vitæ & conversationis honestæ vel aliter forent criminosi, sic quod merito venirent removendi nisi per dictum Archipresbyterum verbo vel in scriptis & absque alia juris solemnitate, sed solum charitativè, & alias sufficienter prout sibi de consilio duorum antiquorum Servitorum de prædictis tunc præsentium omni odio vel favore prætermissis videbitur faciendum moniti non resipuerunt infra duos menses residendo serviendo, honestè vivendo alii loco illorum subrogentur per dictum Archipresbyterum secundum modum & formam supra de dictorum Servitorum electione traditos, illique qui sic moniti se corrigere noluerint infra dictum tempus ipso facto sint à consortio & collegio dictæ Capellæ privati penitus & amoti, erit autem quoad præsens servitium dictæ Capellæ & onus dictorum servitorum in tribus missis qualibet die perpetuò celebrandis per eosdem una videlicet alta & cum nota seu cantu & aliæ duæ missæ bassæ in dicta Capella una cum tredecim Anniversariis singulis annis fiendis & aliis missis & suffragiis de quibus infra dicetur, deservietur enim in ipsa Capella dictum servitium missarum faciendo quanto ad præsens per dictos Servitores per septimanas, ita quod unus post alium in ordine suæ creationis in dicta Capella incipiendo ab Archipresbytero faciat suam septimanam in ordine suo per se vel per alium idoneum de dictis Servitoribus, ita quod quâlibet hebdomadâ erunt tres hebdomadarii, videlicet hebdomadarius magnæ missæ quæ erit alta & cum cantu, primus hebdomadarius secundæ missæ quæ prima erit inter duas bassas, secundus & hebdomadarius tertiæ quæ secunda erit inter missas bassas tertius in quibus quidem hebdomadis iste servabitur ordo. Archipresbyter in prima hebdomada celebrabit magnam missam & in diebus solemnibus cum solemnitate ista videlicet quod Antiquior dictorum Servitorum qui tenebit primum locum post Archipresbyterum Evangelium pronunciabit in dicta Missa & antiquior post illum qui tenebit secundum locum post Archipresbyterum leget Epistolam & alius antiquior post illum qui tertium locum post Archipresbyterum tenebit incipiet officium dictæ missæ, & faciet officium Cantoris, in aliis verò diebus non solemnibus cantetur dicta magna missa juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, Missas verò bassas dicta prima hebdomada celebrabunt dicti duo primi seu Antiquiores post dictum Archypresbyterum; secundam verò hebdomadam missæ altæ faciet primus post Archipresbyterum, & tertiam secundus, & sic deinceps usque ad ultimum dictorum Servitorum qui faciet hebdomadam tertiam decimam, quâ finitâ reincipiet Archipresbyter, & simili ordine finietur: Sed secundam hebdomadam primæ missæ bassæ faciet Archipresbyter, & secundæ missæ secundus servitor post eum, & tertiam hebdomadam primæ missæ bassæ tertius, & secundæ quartus, & sic consequenter donec quilibet in ordine suo fecerit dictas hebdomadas, & incipiet quâlibet hebdomada in die Dominico & finiet in die Sabbati.

Celebrabit autem quilibet Hebdomadarius in ordine suo dictam missam altam per modum qui sequitur, videlicet, quâlibet die quâ solemnitatis festivitas, vel alicujus sancti festum, vel etiam feria habens officium proprium evenerit, celebrabit de illa vel de illo, si vero proprium non habuerit officium die lunæ celebrabit de mortuis, die Martis de Angelis, die Mercurii de Trinitate, die Jovis de sancto spiritu, die Veneris de sancta Cruce, die Sabbati de Beata Maria Virgine, nisi ex justa causa & rationabili Archipresbytero consulto aliud videretur faciendum. Si autem eâdem die tria propria officia concurrerint, majus dicetur in missa alta, secundum in prima bassa, & tertium in secunda bassa; Si verò duo majus in missa alta & aliud in prima bassa, & si unum dumtaxat dicetur in missa alta, & officia missarum votivarum de quibus supra dictum est dicentur in prima bassa, & eo casu secunda bassa dicetur de mortuis vel ad arbitrium celebrantis, & si fuerit feria habens officium proprium & festum alicujus sancti non habens proprium quia proprium officium dicetur in missa alta, prima missa bassa celebrabitur de festo illius sancti, & alia ad arbitrium ut supra, ita tamen faciendo quod omnia officia qualibet die compleantur in dictis missis juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ Gebenensis, fient quippe in dictis missis Collectæ juxta consuetudinem dictæ Ecclesiæ, & nisi aliud impediat secunda Collecta fiet pro fundatore & ad ejus intentionem vita comite, illa videlicet; *Deus qui justificas* &c. & post ejus decessum illa *Deus qui inter Apostolicos* &c. & post illam, alia pro anima illius de dicto consortio seu numero qui illo anno decessit; *Quæsumus, Domine, famulo tuo* &c. & si duo vel plures eodem anno obierint eodem modo fiat singulari numero mutato in plurali exceptis tamen diebus in quibus non debet dici nisi una collecta vel duæ, præterea in missis prædictis celebrans specialem & expressam memoriam faciet in memento suo quod de vivis primo de fundatore Patre sorore & propinquis ejus quandiù Deo concedente supervixerint consequenter de familiaribus & servitoribus nostris qui in dicta Capella, & fundatione seu augmentatione dotis divini servitii ejusdem devotionem habebunt & participes esse voluerint cum effectu; deinde de Archipresbytero qui pro tempore erit & omnibus fratribus Conservitoribus tunc viventibus sigillatim, generaliter verò de cæteris Benefactoribus parentibus & amicis in memento de mortuis similem ordinem observabunt videlicet primo de felicis recordationis Domino CLEMENTE Papa septimo & de fundatore quando Deo placuerit ipsum ab hac luce distrahi, & sic de aliis sigillatim juxta Ordinem dictum de vivis quando de medio sublati fuerint & generaliter omnium Rectorum servitorum & benefactorum qui fuerint hactenus dictæ Capellæ; in fine verò dictæ Missæ faciet quilibet Hebdomadarius stationem cum aqua benedicta ut est moris ante altare dictæ Capellæ & dicetur *De profundis*, cum uno Re-

ANNO 1379.

sponsorio

ANNO 1379.

ſponſorio defunctorum & tribus Collectis quarum una principalis erit videlicet: *Deus qui inter Apoſtolicos* &c. & proferetur in ſingulari pro remedio animæ fratris illius qui illo anno deceſſerit, & ſi plures deceſſerint proferatur in plurali, alia generalis pro tota congregatione fratrum & benefactorum dictæ Capellæ, videlicet, *Deus veniæ largitor* &c. tertia generaliter pro cunctis fidelibus defunctis videlicet; *Fidelium Deus omnium* &c. iſta differentia ſervata in dictis miſſis quia poſt miſſam aliam prædicta dicentur alta voce cantando, & poſt duas miſſas baſſas voce ſubmiſſa; celebrabitur quoque dicta miſſa alia in ſolis ortu, niſi in feſtivitatibus Beatæ Mariæ & aliis ſolemnitatibus in quibus eligatur congruentior hora ad augmentationem Divini ſervitii, & erit ſupra dictam Capellam una Campana quæ pulſabitur, ad cujus pulſationem convenient dicti ſervitores ad dictam miſſam celebrandam, & tenebuntur omnes dicti ſervitores intereſſe in dicta miſſa & juvare ad ipſam celebrandam & intrare dum cantabitur introitus dictæ miſſæ vel ſaltem ante finitum ultimum *Kyrie-eleiſon*, alias deficiens careat diſtributione ſibi competenti in illa miſſa, & qui intraverint teneantur permanere donec ſint finita etiam ſuffragia & ſtationes mortuorum quas fieri ordinavimus in fine dictæ magnæ miſſæ altæ, aliàs nihil percipient de diſtributionibus in dicta miſſa liberandis ac diſtribuendis de quibus infra dicetur; duæ verò miſſæ baſſæ celebrabuntur in dicto magno altari videlicet prima ipſarum . . . dictam miſſam altam & ſecunda poſt vel immediatè poſt miſſam altam una poſt aliam arbitrio celebrantium tali ſcilicet hora quod propter hoc non diminuatur ſervitium in *Choro majoris Eccleſiæ* & quantum fieri poterit prima circa vel prope auroram & miſſa auroræ nuncupetur; ſecunda circa horam tertiam inter primam & tertiam, & miſſa tertia ſeu tertiarum vocari poterit & cum prædicta campana ſignum fiet modicum pulſando ut illi qui dictas miſſas audire voluerint poſſint in eis intereſſe & liberabitur cuilibet ex tredecim dictis Capellarii ſervitoribus dictæ Capellæ intereſſentibus in dictis miſſis altis & juvantibus ad ipſas celebrandas videlicet in qualibet ipſarum per Archipresbyterum ipſius Capellæ qui eſt & qui pro tempore fuerit ſummas infra ſcriptas & primo hebdomadarius qui miſſam altam celebrabit qualibet die hebdomadæ ſuæ habebit duodecim denarios Archipresbyter ſex qualibet die, & ille qui Evangelium pronunciabit & ille qui Epiſtolam leget, & ille qui officium Cantoris faciet quatuor denarios quando celebrabitur cum Diacono & ſolemnitate ſupra dicta, aliis autem diebus ſicut alii ſervitores habebunt; cæteri vero dictorum ſervitorum qui ut præmittitur interfuerint tres denarios monetæ ponibilis in Gebenenſi civitate quorum viginti ſolidi valeant unam libram Gebenenſem, alii autem duo hebdomadarii Miſſarum baſſarum quilibet eorum ultra prædicta habebit novem denarios dictæ monetæ qualibet die durante hebdomada ſua. Præterea volumus ultra præmiſſa ac fieri ordinamus ex nunc in perpetuum in dicta Gebenenſi Eccleſia, & infra dictam capellam noſtram tredecim Anniverſaria ſeu remembrata ſingulis annis videlicet duodecim pro ſingulis menſibus anni & tertium decimum fiet poſt deceſſum noſtrum die conſimili obitus noſtri pro remedio animæ noſtræ parentumque & felicis recordationis Domini Clementis Papæ ſeptimi benefactorum & amicorum noſtrorum atque alias ad noſtram intentionem. Fiet autem quodlibet dictorum anniverſariorum duodecim in principio cujuslibet menſis ita quod incipiet prima die menſis in veſpere ipſius diei & complebitur ſecunda die menſis in mane ſi commodè fieri poterit, alioquin fiat in craſtinum vel aliâ die ſequenti immediatè in qua non ſit impedimentum, ſed de tertio decimo anniverſario intelligendum ſcilicet quod die præcedenti diem dicti obitus incipiat & die ipſius obitus terminetur niſi foret impedimentum quo caſu die immediate ſequenti, in quo non eſſet impedimentum; quæ quidem anniverſaria ſeu remembrantia cum miſſis proceſſionibus & aliis fiant quemadmodum ſiunt & fieri conſueverunt anniverſaria & remembrantia Dominorum ſummorum Pontificum, Cardinalium Epiſcoporum dictæ Eccleſiæ & aliorum Prælatorum ſeu principum in dicta Eccleſia fieri ſolita tam in claſſis pulſatione campanarum, quàm aliis ceremonialibus & cæteris ibi obſervari conſuetis; incipiet quoque officium cujuslibet ipſorum anniverſariorum ut prædictum eſt veſpere primæ diei menſis, niſi impedimentum fuerit ſtatim & incontinenter poſt veſperas & prout eſt fieri conſuetum, & convenient in choro dictæ Eccleſiæ omnes Domini Canonici, Presbyteri, Altarienſes & alii de choro & gremio dictæ Eccleſiæ Gebenenſis qui voluerint intereſſe, & cantabunt ſolemniter vigilias & totum officium mortuorum cum Cantoribus & aliis ceremonialibus quæ fieri conſueverunt in choro dictæ Eccleſiæ Gebenenſis & remembrantiis Dominorum ſummorum Pontificum, Cardinalium Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, & Principum hoc addito quod prima die menſis cujuslibet antequam inceptum fuerit officium mortuorum, in medio chori dictæ Capellæ ante majus Altare ponetur unum feretrum ſeu Arca de poſtibus ſacra & deſuper pannus aureus cum armis noſtris ut eſt moris in talibus & unum aliud ante majus Altare dictæ Eccleſiæ ad memoriam videntium ut videntes moveantur ad rogandum Deum pro nobis, quos qui fecerint bonorum ſpiritualium dictæ capellæ volumus eſſe participes & remanebunt ibidem dicti panni cum feretris uſque in craſtinum poſt veſperas & in craſtinum videlicet ſecunda die menſis incontinenter poſt finitas matutinas in dicta Eccleſia Gebenenſi ſi fieri poſſit, alioquin hora magis propinqua & congrua pulſabuntur campanæ juxta conſuetudinem dictæ Eccleſiæ & ordinationem dicti Capituli, & iterum convenient omnes de Collegio dictæ Eccleſiæ videlicet illi qui voluerint ad dictam capellam & ibi celebrabunt unam miſſam de mortuis cum Diacono & Subdiacono & Cantoribus & duobus candelabris ſolemniter, in qua miſſa dicentur Orationes *Deus qui inter Apoſtolicos. Deus veniæ largitor, & fidelium*; miſſa autem finita fiet ibidem proceſſio ſeu ſtatio mortuorum juxta conſuetudinem ipſius Eccleſiæ, & ſecundum quod fieri ſolet in Anniverſariis ſeu remembrantiis in dicta Eccleſia Gebenenſi fieri ſolitis & dicet miſſam ipſe Presbyter qui fuerit per dictum Archipresbyterum ad hoc electus; finita autem dicta miſſa liberabitur in dicta capella cuilibet qui in dictis officiis ſeu vigiliis & miſſæ mortuorum interfuerit diſtributiones ſeu librationes per modum qui ſequitur videlicet cuilibet Canonico duodecim denarios, cuilibet Presbytero, ſex denarios, cuilibet Clerico tres denarios, & cuilibet Clericulo duos denarios. Archipresbyter verò, & Presbyter qui celebrabit miſſam habebunt duodecim denarios ultra ſex denarios, Diaconus verò & Subdiaconus

ANNO 1379.

ANNO 1379.

Cantores & Intonantes & alii qui facient in dictis officiis seu in vigiliis & missa mortuorum officia secundum consuetudinem dictæ Ecclesiæ Gebenensis habeant duplum, & hoc in duodecim Anniversariis in capite cujuslibet mensis fiendis; in Anniversario verò tertio decimo quod quando fiet consimili die obitus nostri volumus distributiones duplicari prædictas, & faciet dictus Archipresbyter librationes prædictas statim post dictam missam mortuorum durante adhuc dicto officio, ita tamen quod qui intererit in missa & non fuerit in officio seu in vigiliis quæ præcedenti vespere dictæ fuerint, non habeat nisi medietatem dictæ portionis seu distributionis quæ librabitur illis qui interfuerint in vigiliis & missis. Volumus tamen & ordinamus quod illi qui non venient ad dictum officium mortuorum antè inchoationem secundi Psalmi, & in Missa infra Epistolam libra illius horæ privetur & per hoc nihil innovamus quin fiat officium in dicta Capella in illa die. In aliis omnibus per nos ordinatis per servitores ipsius Capellæ cum emolumento consueto ut supra dictum est, & per præsentes supplicamus Dominis Præposito & capitulo dictæ Ecclesiæ Gebenensis ut prædictæ ordinationi velint consentire & eam ratificare. Et quia nolumus cum alterius jactura servitium divinum procurare fieri per eundem Archipresbyterum dabuntur & solventur matriculario dictæ Ecclesiæ vel illi ad quem onera super & infra tacta spectare consueverunt tam pro labore tactus campanarum quàm aliis ad ejus officium pertinentibus pro quolibet Anniversario seu remembrantia hujusmodi quatuor solidos dictæ monetæ, & rectori seu operario fabricæ dictæ Ecclesiæ totidem pro luminaribus in dictis Anniversariis & officiis faciendis manutenendis, quæ tredecim Anniversaria per dictum Archipresbyterum qui pro tempore fuerit solventur de bonis dictæ capellæ; Verum quia fiduciam gerentes in Domino speramus dotem & fundationem dictæ capellæ in futurum augeri saltem post decessum nostrum de bonis per nos eisdem capellæ in testamento nostro in quo eamdem instituimus hæredem universalem donatis, volumus & ordinamus quod juxta facultates fructuum & bonorum dictæ Capellæ quæ in futurum Deo annuente habebit & habere legitimè poterit, & eorum augmentum augeatur divinum servitium in eadem, etiam usque ad augmentationem numeri si & quando ipsæ facultates ad hoc sufficient & suppetent isto ordine servato, quod primo augeatur cultus divinus usque ad hoc quod horæ Beatæ Mariæ completæ omni tempore dicantur; & post modum quod vigiliæ seu officium mortuorum videlicet matutinæ vesperæ &c. primo diebus quibus in Ecclesia majori non cantabuntur & demum completæ omni tempore; tandem verò quando placuerit altissimo quod omnes horæ Canonicæ ibidem perfectè cantentur sicut in majori Ecclesia voce tamen tubali, & postremo si largiente Domino in tantum augeantur facultates hujusmodi numerus servitorum etiam augeri valeat in duplum vel plus vel minus secundum ipsarum possibilitatem facultatum, volumus & ordinamus quod illi servitores qui ultra tredenarium numerum prætaxatum pro tempore ad servitium dictæ Capellæ eligentur assumantur, tales quod ipsa quæ est matrix Ecclesia occasione dictæ capellæ debitis non fraudetur obsequiis & magis idonei qui reperiri poterint in se de Civitate & Diœcesi Gebenensi, inter quos illi de mandato & loco & Decanatu Anniffiaci atque etiam Comitatus Gebenensis cæteris paribus aliis præferantur, exceptis supra dictis, & quo ad alia omnia quantum fieri poterit casu quo ampliabitur dictum Collegium ut dictum est in dicta Capella conformetur, Collegio nuper facto in Ecclesia Beatæ Mariæ lætæ Anniffiaci & fiant quemadmodum in dicta Ecclesia Beatæ Mariæ lætæ factum est & est fieri consuetum, & insuper Nos Joannes Episcopus Cardinalis & fundator præfatus, desiderantes divinum officium in ea perpetuo indeficienter continuari & Deo favente semper augeri, damus ex nunc & concedimus magis per præsentes donatione pura, mera, & irrevocabili quæ dicitur inter vivos pro fundatione & dotatione dictæ Capellæ seu fundationis & dotis prædictorum augmentatione specialiter & expressè omnia & singula bona nostra mobilia & immobilia ubicumque existentia & nobis pertinentia retento nobis dumtaxat in bonorum ad vitam nostram usufructu, quæ donatio suum sortiatur effectum post mortem nostram & non antea; & quia dicta Capella bono indiget dispensatore bonoque regimine, volumus & ordinamus quod Archipresbyter qui pro tempore fuerit computet & computare ac reddere computum & rationem teneatur anno quolibet infra unum mensem, anno elapso sine defectu præsentibus sex Antiquioribus dictæ Capellæ habitu respectu in hoc & in omnibus aliis præmissis ad tempus quo dictæ Capellæ servierunt, non autem ad eorum ætates, & poterunt si voluerint alii servitores interesse; & ipsa die eligentur duo coadjutores de quibus pòst dicetur, & casu quo dictus Archipresbyter non computaret & rationem non redderet legitimam de bonis gestis & administratis dictæ capellæ in dictis diebus assignatis, perdat pro prima die unum grossum, pro secunda die duos grossos, pro tertia tres grossos, pro quarta quatuor grossos & sic multiplicando usque ad omnia emolumenta quæ in dicta capella habere posset & deberet & ultra si post ea per dimidium annum sustinuerit sit ipso facto à dicto regimine & fraternitate & omni emolumento Capellæ prædictæ omnino privatus, & dicti servitores aut major aut sanior pars eorumdem in hoc casu de Archipresbytero sibi providere possint & valeant auctoritate sua propria, & quia qui sentit onus commodum sentire debet, nullusque suis propriis militare teneatur stipendiis, & ut attentius & melius circa negotia & regimen dictæ Capellæ intendat Archipresbyter sæpe dictus decem florenos communis ponderis de fructibus dictæ Capellæ ultra alia emolumenta supra dicta quæ ut alii recipiet cum suam septimanam faciet & aliis librationibus & obventionibus communibus supra dictis & aliis quæ Deo concedente augebuntur habebit, & quia ea quæ cum consilio fiunt majori innituntur firmitati & sanius disponuntur, nec esset facilè omnes servitores pro singulis negotiis consultare, volumus quod anno quolibet post computum redditum supra dictum incontinenter concluso computo eligantur per Archipresbyterum & alios servitores vel majorem & saniorem partem eorum duo ex dictis Servitoribus aptiores qui teneantur dictum Rectorem juvare & consulere ac regimen dictæ Capellæ & ejus prosecutionem negotiorum ipsius Capellæ sumptibus & expensis qui electi jurent prædicta facere bene & fideliter & legitimè, excusatione quacumque non legitima cessante. Verum quia ubi charitas non est, cætera bona non sufficiunt, rogamus & volumus quod verus amor & fraterna dilectio sit inter dictos fratres & socios, &

si quod

ANNO 1379.

si quod absit totius boni æmulus inter ipsos Zizaniam seminaret, dictus Archipresbyter una cum dictis duobus electis ipsos ad concordiam possit & valeat redigere & quod eis videbitur super ipsa discordia ordinare, quorum ordinationi teneantur obtemperare sub fide & juramento infra præstandis, & quoniam vera fraternitas Charitasque fratrem non debet relinquere in adversitate desolatum, volumus & ordinamus quod casu quo aliquis dictorum Servitorum quod absit ad inopiam aut infirmitatem aliamque quamcumque miseriam deveniret, dictus Rector cum electis prædictis teneatur ipsum visitare & consolari, & pro posse juvare & curam de persona & bonis suis habere tanquam fratris hujusmodique infirmitate durante, si talis sit quod præsens esse non possit in emolumentis dictæ Capellæ percipiat tanquam præsens; quoniam verò dicta Capella vestimentis indiget & aliis ornamentis ad divinum cultum laudabiliter peragendum ibidem damus & concedimus per præsentes dictæ Capellæ atque realiter tradimus incontinenter Archipresbytero prælibato crucem & calices duos argenteos missale & tres casulas unam albam & viridem & nigram cum tunicellis, dalmaticis, albis & veniet amictibus paratis juxta colorem dictarum casularum & alia necessaria pro servitio mágni altaris & duos pannos aureos ad ponendum super feretris de quibus supra mentio habetur pro incipiendo ibidem Divinum servitium Deo annuente ampliandum, & quando eis tradetur realiter fiat inventarium ut infra dicetur & tam de prædictis quàm de aliis emolumentis dictæ Capellæ providebit Archipresbyter prædictus ipsi Capellæ in vestimentis luminaribus & aliis omnibus necessariis juxta ipsius Capellæ facultates & quod superfuerit in utilitatem & augmentum ipsius Capellæ convertet fideliter & discretè de Consilio sanioris partis dictorum servitorum vel saltem duorum sibi coadjutorum electorum de quibus supra dictum est quippe attestante Poeta non minor est virtus quàm quærere parta tueri, volumus & ordinamus quod in dicta Capella in armarijs seu Archiviis muro factis in ascensu superiori prout Archipresbytero & Servitoribus videbitur faciendum omnes litteræ instrumenta terreria & cætera documenta pro dicta Capella facientia reponantur conservanda, in quarum qualibet erunt tres claves quarum Archipresbyter unam, & coadjutores electi aliam, & Antiquior prædictorum Servitorum tertiam habebunt, & quod quando aliquod instrumentum seu documentum ab eadem Archa extrahetur, jurabunt quod illud in eadem reportabunt infra tempus quod in recipiendo rationabiliter ordinabunt, simili modo de pecuniis dictæ Capellæ volumus quod in aliquo dictorum Archivorum sub tribus clávibus custodiantur, exceptis illis quæ pro librationibus communibus fiendis expendenda fuerint, ut supra ordinatum est, quas Archipresbyter penes se custodire poterit in uno armariolo in dicta Capella, cujus solus clavem habebit, erunt & alia armaria pro vestimentis & ornamentis servandis quorum etiam regimen habebit Archipresbyter sæpefatus. Postremo tam Archipresbyter quàm Servitores qui pro tempore fuerint in dicto numero & servitio eligendi & ponendi, in sua nova electione seu creatione jurare teneantur; & jurabunt per juramenta sua ad sancta Dei Evangelia propriis manibus tacta, omnia & singula præmissa cum effectu adimplere ipsa inviolabiliter observare, nec quovis modo contraire vel venire, aut contraire volenti aliqualiter consentire. Antequam Archipresbyter ipse ad regimen & cæteri Servitores ad servitium dictæ Capellæ & consortium aliorum admittantur; reservantes nobis & executoribus nostris & per nos super hoc eligendi potestatem & facultatem liberam de & super præmissis omnibus augendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi prout melius videbitur faciendum, salva tamen semper dote & augmento ipsius quæ nullis unquam volumus diminui temporibus, sed Domino propitio augeri continuè peroptamus; de quibus omnibus & singulis supra dictis volumus nobis fieri publicum instrumentum & publica instrumenta per nos Notarios publicos infra scriptos conficienda, reficienda, semel & pluries ad dictamen & consilium cujuslibet in jure periti, facti tamen substantia in aliquo non mutata acta & publicata fuerunt. Hæc Saone in Domo habitationis nostræ, anno, indictione, die mense & Pontificatu quibus supra, Præsentibus Venerabilibus & discretis viris Dominis Archambalis de valle Canonico Pictaviensi Camerario, Johanne Juliani de Avignione Eleemosinario Presbyteris: Guillelmo Patriscari scutifero Aymoneto de Gerdili, & Johanne de Ponte alias Vacherii cubiculariis nostris Gebenensis Diœcesis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et me Petro Fabri de Filiaco Clerico Gebenensis Diœcesis, publico Apostolicâ & Imperiali auctoritatibus notario, qui præmissis omnibus & singulis dum sic ut præmittitur per dictum Dominum Episcopum Cardinalem fierent & agerentur una cum discreto viro Magistro Vualthero de Villa Clerico Gebenensis Diœcesis etiam publico Apostolicâ & Imperiali auctoritatibus notario, infra scripta & testibus supra scriptis præsens in testimonium fui eaque sic fieri vidi & audivi ac in notam recepi, ideoque huic præsenti publico instrumento per alium fideliter scripto me hîc scribendo signum meum apposui consuetum in testimonium præmissorum.

Et me Vualthero de villa Clerico Gebenensis Diœcesis publico Apostolica & Imperiali auctoritatibus notario, qui præmissis omnibus & singulis dum sic ut præmittitur fierent & agerentur per prædictum Dominum Episcopum Cardinalem & Vicecancellarium unà cum venerabili viro Magistro Petro Fabri Clerico Gebenensis Diœcesis eisdem auctoritatibus publico notario, supra scripto & testibus prænominatis præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi ac in notam recepi. Ideoque huic præsenti publico instrumento per alium fideliter scripto, signum meum apposui consuetum, in testimonium præmissorum requisitus & rogatus.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios faciatis, auctoritate nostrâ, ordinationes & alia contenta in dicto instrumento ut præfertur inviolabiliter observari, contradictores auctoritate nostra, appellatione postpositâ compescendo, non obstante si venerabili fratri nostro Episcopo & dilectis filiis Capitulo Gebenensi, & Archipresbytero, & Presbyteris aliis præfatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim à sede Apostolicâ sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Massiliæ apud Sanctum Victorem Nonis Decembris Pontificatus nostri anno tertio decimo.

MARTINUS

Ex Op. Diplom. Miræ. Tom. I. pag 223.

MARTINUS V.

Erectio Universitatis in oppido Lovaniensi ad preces Joannis IV. Brabantiæ Ducis, anno 1426.

MARTINUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SApientiæ immarcescibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus, omnem habens vigorem, & virtutis Altissimi dispensator, omniumque Chrismatum elargitor, ipse Dominus ad hoc suæ miserationis dignatu, nobis licet immeritis sponsæ suæ universalis Ecclesiæ regimen piâ dispensatione commisit, & nostræ debilitatis oculo jugum imposuit Apostolicæ servitutis, ut in Petri specula positi tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris; qui non nativitatis deposcunt fructus, sed intelligentiæ spiritu, eandem, unius initium verissima est disciplinæ concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxæ, quid statui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus attentiùs, & qualiter à fidelibus ipsis profugatis ignorantiæ tenebris, illi post supereminentissimam summi Opificis notionem, per ejusdem sapientiæ donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes eò ad quærendum ipsius sapientiæ alimenta litterarum studia, per quæ divini nominis, & ejusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiæ Respublica, in spiritualibus, & temporalibus cum animarum salute geritur, pax & tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanæ dilatatur prosperitas, nostræ provisionis, solicitudinis ope, Apostolicisque favoribus propensius excitemur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum, nobilis Viri Joannis Ducis Brabantiæ, ac Præpositi, Decani, Scholastici, & Capituli Ecclesiæ S. Petri, nec non Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis Oppidi Lovaniensis, Leodiensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat.

Quod licèt in Ducatu Brabantiæ & in aliis Dominiis ipsius Ducis, nec non etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi, & Tornacensi Diœcesibus, cæterisque ibidem circumvicinis partibus, & Dominiis, multa famosa, & insignia loca populo Christiano, & rerum copiâ admodum opulenta existant, nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem Generale vigeat studium literarum. Undè partium illarum plerique commodo, & usu studii carentes, vel hujusmodi literarum imperitiæ subjacent, vel in remoti partibus degere habent, scientiæ hujusmodi in eis sectantes incrementum.

Verùm oppidum præfatum, quod de temporali Dominio ipsius Ducis existit, adeò rerum copiâ, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum, & aliarum rerum necessariarum commoditate per Dei gratiam est refertum, quod ad hujusmodi receptandum, confovendumque studium, aptum plurimum, & idoneum existere perhibetur.

Quapropter ipsi, Dux, Præpositus, Decanus, Scholasticus, Capitulum, Burgi-Magistri, Scabini, & Communitas C. considerantes attentius, quòd inter cætera virtutum opera, quæ tamquam accepta Summo rerum auctori sacrificia, quæ per manus offeruntur humanas, illa divinæ Majestati grata plurimùm nullatenùs ambiguntur, per quæ ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earumdem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, & auxiliaribus commodis subventionis præsidium efficaciter impertitur, Generale literarum studium in eodem Oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinæ, atque sapientiæ se studiis exercentes, sibi & aliis meliores effici valeant, & partium illarum prosperitatis auctore Domino facilius incrementum sequatur.

Et nihilominus Dux ipse, unà cum Burgimagistris, Scabinis, & Communitate hujusmodi domos aptas, & loca convenientia illic cum scamnis, & aliis necessariis Officiis pro Magistris, Doctoribus, & Scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus, & audientibus deputare, nec non eisdem Magistris, & Doctoribus legentibus de salario competenti annis singulis, vel aliàs de beneficiis Ecclesiasticis providere.

Nec non quòd Rector Universitatis studiis hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem, & illorum servientes tam in Civilibus, quàm in criminalibus, & aliis quibuslibet causis, negociis, & excessibus, sine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coërcitionem, & emendationem dictis Duci, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis, & Communitati, communiter, vel diversim in eodem oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere, & jurisdictionem, coërcitionem, & correctionem hujusmodi à se penitùs abdicare, & in Rectorem ipsum plenariè transferre.

Singulis quoque Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, causâ studii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus pro tempore quæcumque sua, res, & bona secum asportandi, & ea pro suæ voluntatis libito deportandi, sivè ibidem vendendi libertatem tribuere intendunt pariter, & proponunt.

Quare pro parte dictorum Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgi-Magistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderantium etiam, quòd Magistri, Doctores, & Scholares supra dicti pro potiori dicti studii incremento condignis privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus aliorum generalium studiorum quantum in ipsis, Duce, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgi-Magistris, Scabinis & Communitate, & aliis ipsius Ducis subditis fuerit, gaudeant, & utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto oppido Generale litterarum studium in qualibet licita facultate erigere, & ordinare de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui relatione fida, post informationem diligentem super habilitate loci, & aliis circumstantiis præmissis de mandato nostro receptam, oppidum ipsum aëris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariarum ubertate refertum, & aliàs pro hujusmodi Studio locum aptum didicimus, pium, meritoriumque eorundem Ducis, Præpositi, Decani, Scholastici, Capituli, Burgimagistrorum, Scabinorum, & Communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem, & gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum, & dogmatum ornatibus rediminiti, succedat, plurimùm commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica præsentium serie statuimus, & etiam ordinamus: Quod à modo in dicto oppido generale in Facultate qualibet, præterquam in Theologia, sit Studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat, & observetur: Quodque omnes, & singuli Doctores, Magistri & Scholares inibi omnibus, & singulis libertatibus, immunitatibus, & indulgentiis, quibusvis Doctoribus, Magistris, & Scholaribus, Coloniæ, Wiennæ, ac Lipsiensis, Pataviensis, & Merseburgensis Diœcesium Oppidis studii causâ commorantibus per Sedem Apostolicam, vel aliàs qualitercumque concessis, gaudeant pariter, & utantur.

Singuli verò, qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, quâ hujusmodi inhæsere studio, bravium obtinere meruerint, sibique etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac Doctoratus, sive Magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi Doctores, sive Magistros Præposito, (quem Cancellarium Studii in oppido hujusmodi esse perpetuò volumus) si illic præsens fuerit, alioquin Decano dictæ Ecclesiæ pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis præsententur, ut ab illis, si servatis consuetudine, & modis, super talibus indictis Studiis generalibus observari solitis, ad hoc extiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam, & honorem sortiantur; eò reportent antedictos, & quam primum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine, & approbatione in ipsa facultate, quam licentiam & honorem attigerint, in eisdem legere, & docere liberè & licitè ubique possint, & valeant.

Rursus quoque omnium, & singulorum causarum, & negotiorum cognitio, atque decisio Doctorum, Magistrorum, Scholariorum, membrorum, atque servitorum eorumdem, sive Clerici, sive Laici fuerint, & etiam de quibuscumque criminibus, & excessibus, correctis & punitis, atque omnimoda super illis jurisdictio ad Rectorem Studii in eodem oppido C. quem dictum Scholasticum per primum quinquennium esse, & ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem Studiorum hujusmodi eligi volumus, & non ad Ducem, seu ejus Successores, Duces Brabantiæ, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Capitulum, Burgimagistros, Scabinos, & Communitatem præfatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve Officiales pertinere omnimodè dignoscantur, Præfatoque Duci, Successoribus, Præposito, Decano, Scholastico, Capitulo, Burgimagistris, Scabinis, Communitati, & Officialibus, & aliis quibuscumque de causis, & negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra, & servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, & excessibus eisdem quomodo libet corrigendi, vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem, vel jurisdictionem exercendi, facultate, & autoritate penitùs interdictis; non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & aliis contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod nisi infra annum à data præsentium computandum, Dux, & Præpositus, Decanus, Scholasticus, & Capitulum, ac Burgimagistri, Scabini, & Communitas supra dicti, prout eos communiter vel divisim contingere censetur, privilegia, & libertates concesserint, ac jurisdictionem à se abdicaverint, & eam in Rectorem, ac Universitatem prædictos transtulerint, antedicta realiter, & cum effectu, præsentes literæ, & quæcumque indè sequuta, nullius existant roboris vel momenti.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctos Apostolos 5. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno nono.

EUGENIUS QUARTUS,

PONTIFEX CCXI.

ANNO DOMINI MCDXXXI.

Eugenius Venetus, nomine Gabriel Gondolmerius anno 1431. Quo tempore Basileæ Concilium indictum erat. Hinc variæ turbæ exortæ; Quare Pontifex Eugenius à Concilio condemnatus, & depositus est, Surrogato Felice V. unde Schisma acerrimum. Tandem Eugenius obiit anno 1447. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. Tom. 1. Fol. 319. App.*)

Ad Archiepiscopum Cantuariensem, quâ eum ad Concilium Bononiæ habendum invitat: anno 1431. I. Ex Arch. Reipubl. Genev.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantuariensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quoniam ex multorum relatione sentimus murmurare nonnullos audita dissolutione Concilii, si quod esse congregatum videbatur in civitate Basiliensi, opinantes forsitan nos subterfugere velle Concilium, quod semper fieri optavimus & optamus, Nos Fraternitatem tuam avisatam facimus per præsentes, quod illam fecimus cum maturo Consilio & deliberatione justis ex causis in litteris nostris expressis, quæ non fuerunt confictæ, ut aliqui garriunt, sed verè efficaces; Fuerunt etiam, & sunt aliæ causæ, quas noluimus specificè exprimere, quia manifestari non poterant sine quorumdam Principum nota. Sed si omnes aliæ causæ defuissent, una potissimum fuit per se omnibus nota, infirma scilicet nostri corporis valetudo.

Nos enim, qui in minoribus constituti in Constantiensi Consilio reformari Ecclesiam cupiebamus, jam in Pontificatu nostro desiderium illud nostrum perficere, & in tam pio opere laborare personaliter plurimùm affectamus. Ideo Concilium indiximus in civitate Bononiensi. Neque enim cum

Anno 1431.

agendum sit de reformatione universalis Ecclesiæ, cujus directio & cura principaliter ad nos pertinet, & de nonnullis aliis gravissimis rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ, nobis inconveniens visum est, tantam rem fieri debere per Legatum sine nostra præsentia & venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Sed sicut ei placuit, cujus inscrutabilia Consilia sunt, gravissima Personæ nostræ supervenit infirmitas, à qua licèt paulatim convalescere incipiamus, tamen non omninò liberati sumus, ita ut possemus sine certissimo mortis periculo ad remotiores partes accedere.

Igitur in loco magis vicino Concilium celebrare, & in eo præsidere decrevimus. Quare nemo justè succensere nobis potest, si ex omni voluntate Dei, quam ostendit in nobis, illud dicimus, quod ei gratum & utile Ecclesiæ suæ fore non dubitamus.

Miramur itaque, venerabilis Frater, de quibusdam qui magis quærentes evertere & deformare quam stabilire & reformare Ecclesiam, hereses fovere, & bella suscitare, prout hactenus notoriè fecerunt, quam præmissa extirpare & in dulcedine pacis reducere, obloquuntur, & student contra voluntatem & decretum nostrum Episcopos & Prælatos in Basilea sub nomine Concilii congregare, non ut ibi per eos reformetur, sed ut penitùs obruatur Status Ecclesiæ & Fides Catholica confundatur. Licèt enim Archiepiscopi & Episcopi, quoad reformationem in vita & moribus, definitivas voces habeant in Concilio generali, tamen ex juramento per eos præstito parere & obedire mandatis Apostolicis sunt astricti, nec remanere Basileæ, qui erant, nec de novo accedere, sed potius ad veniendum Bononiam se præparare debuissent, postquam decreti nostri notitiam habuerunt. Verùm plerique stare & accedere sunt coacti, in quibus nec jus nec auctoritas Concilii generalis consistit, quorum voces & deliberationes minimè liberæ, cum ab eorum, qui compulerunt voluntate dependeant. Itaque digni non sunt neque habiles, qui dent legem Ecclesiæ, nec aliis nationibus, neque Religioni Christianæ. Nos enim in Concilio proximo celebrando Bononiæ in tempore constituto vel citiùs quam primùm sufficiens numerus Prælatorum aderit, videbimus & judicabimus cum Consilio in talibus oportuno, super causa eorum qui Basileæ remanserunt, vel illuc noviter accesserunt, & inspirante nos Domino, qui inspirat justa & Sancta Consilia, in his ad quæ Concilium Basiliensè fuit principaliter ordinatum, salubriter providere conabimur.

Quare Venerabilis Frater cum tibi etiam, qui in Ecclesia Dei notabile membrum existis, solers immineat cura præmissorum, qui de veritate rerum & statu Personæ nostræ es pleniùs informatus, qui vides in hoc turbine fluctuantium voluntatum sub hac informitate asserti Concilii rem Ecclesiæ periculosè committi, quæ majoribus Consiliis indigeret, quibus utinam omnes debito in tempore sufficere possemus, & sentire potes non per universalem Christianorum voluntatem, sed per aliquos conspiratores ad perniciem Ecclesiæ Prælatos fictis rationibus coloratisque argumentis induci, & nonnullos exquisitis modis & comminationibus impelli, ut ad id assertum Concilium vadant, quod & lapsu temporis & nostra est autoritate dissolutum, Fraternitatem tuam in Domino exhortamur, quatenus per Nuntios & Litteras tuas, quomodocunque noveris aptiùs convenire, retrahere procures Prælatos circumstantes, & temporales Dominos exhortari, ut ipsos retrahant à dicto asserto Concilio Basiliensi, & si qui jam ivissent hos penitus revocare, in quam majori numero fieri potest, ipsos inducendo & ad indictum per nos Bononiense Concilium supradictum, ut teneantur, debito tempore aut quantocyus poterunt venire procurent, & temporales Domini suos Oratores ad dictum Bononiense Concilium mittant, qui suis honoribus adsint, negotia dirigant, & justis deliberationibus faveant, sicuti de Christiana eorum devotione speramus, quo in tempore Tu etiam ad ipsum Bononiense Concilium debeas advenire. Qua in re omnem tuæ virtutis consuetum vigorem excitamus in hac justa causa Ecclesiæ Dei, ut omnis mundus intelligat, sancto operi sanctas te atque ferventes operas posuisse, & nos ad meritos tuos honores ferventiùs animemur. Nobis de tempore in tempus notificando, quantum, ut speramus, virtus tua profecerit, & prosecuta fuerit in prædictis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo III. Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Jac. de Arimino.

II. Ex Ibid.

Ad Ducem Bedfordiensem, quâ invitat ejus Deputatos ad Concilium Bononiæ indictum : Anno 1431.

EUGENIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Joanni Duci Bedfordiæ, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

QUoniam ex multorum relatione sentimus, murmurare nonnullos, audita dissolutione Concilii, si quod esse congregatum videbatur in civitate Basiliensi, opinantes forsitan nos subterfugere velle Concilium, quod semper fieri optavimus & optamus, Nos tuam Nobilitatem advisatam facimus per præsentes, quod illam fecimus cum maturo consilio & deliberatione, justis ex causis in Litteris nostris expressis, quæ non fuerunt confictæ, ut aliqui garriunt, sed vero efficaces, fuerunt etiam & sunt aliæ causæ, quas nolumus specificè exprimere, quia manifestari non poterant sine quorumdam Principum nota; Sed si omnes aliæ causæ defuissent, una potissimum fuit per se omnibus nota, infirma scilicet nostri Corporis Valetudo, Nos enim, qui in minoribus constituti in Constantiensi Concilio reformari Ecclesiam cupiebamus, jam in Pontificatu nostro desiderium illud nostrum perficere, & in tam pio opere laborare personaliter plurimùm affectamus. Ideo Concilium indiximus in civitate Bononiensi, neque enim, cum agendum sit de Reformatione Universalis Ecclesiæ, cujus directio & cura principaliter ad nos pertinet, & de nonnullis aliis gravissimis rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ, nobis conveniens visum est, tantam rem fieri debere per Legatum sine nostra præsentia & Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, sed sicut ei placuit, cujus inscrutabilia sunt Consilia, gravissima Personæ nostræ supervenit infirmitas, à qua licèt paulatim convalescere incipiamus, tamen non omninò liberati sumus, ita ut possemus sine certissimo mortis periculo ad remotiores partes accedere, Igitur in loco magis vicino Concilium celebrare & in eo præsidere decrevimus; Quare nemo justè succensere nobis potest, si ex omni voluntate Dei, quam ostendit in nobis, illud dicimus quod ei gratum & utile Ecclesiæ sue fore non dubitamus. Miramur itaque dilecte Fili de quibusdam, qui magis quærentes evertere & deformare quam stabilire & reformare Ecclesiam, hereses fovere & bella suscitare, prout hactenus notoriè fecerunt, quam præmissa extirpare, & in dulcedine pacis reducere, obloquuntur & student contra Voluntatem & Decretum nostrum Episcopos & Prælatos in Basilea sub

nomine Concilii congregare, non ut ibi per eos reformetur, sed ut penitus obruatur Status Ecclesiæ & fides Catholica confundatur, licèt enim Archiepiscopi & Episcopi quoad reformationem in vita & moribus distinctivas voces habeant in Concilio generali, tamen ex juramento per eos præstito, parere & obedire mandatis Apostolicis sunt astricti, nec remanere Basileæ qui erant, nec de novo accedere, sed potiùs ad veniendum Bononiam se præparare debuissent, postquam decreti nostri notitiam habuerunt, verùm plerique stare & accedere sunt coacti, in quibus nec jus nec autoritas Concilii generalis consistit, quorum voces & deliberationes minimè liberæ, cum ab eorum qui compulerunt voluntate dependeant, itaque digni non sunt neque habiles, qui dent legem Ecclesiæ nec aliis nationibus, neque Religioni Christianæ: Nos enim in Concilio proximo celebrando Bononiæ in tempore constituto, vel citiùs, quam primum sufficiens numerus Prælatorum aderit, videbimus & judicabimus cum consilio in talibus opportuno, super causa eorum, qui Basileæ remanserunt, vel illuc noviter accesserunt, & inspirante nos Domino, qui inspirat justa & sancta consilia, in his ad quæ Concilium Basileæ fuit principaliter ordinatum, salubriter providere conabimur; Quare, Fili dilecte, Nobilitatem tuam rogamus, quatenus tuos solemnes Oratores ad præfatum Concilium Bononiense transmittas, ac Prælatos Basileæ existentes ad recedendum inde, illosque & alios quam plurimos poteris ad Bononiam veniendi inducas, qui ibidem pro honore tuo adsint, in casibus occurrentibus negotia tua dirigant, justis deliberationibus faveant, & pro veteri consuetudine Christianissimæ Domus tuæ studeant Ecclesiam Dei à leonibus & draconibus eam impugnantibus defensare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo primo, III. Idus Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

R. de Valentia.

III. Ex ibidem.

Bulla Eugenii, quâ damnatur hæresis Bohemicorum, Concilium Basiliense dissolvitur, & Bononiam transfertur: anno 1431.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam alto & incompensibili Deo constituimus reddere vota nostra in conspectu omnis populi & in atriis sanctis ejus. Postquam claves Domini suscepimus, & Beati Petri naviculam gubernamus, suppressi magno pondere inter procellosos mundi motus esse videmur constituti, contuemur enim subortam istâ tempestate profanam hæresin Bohemicorum quasi venenum inficere præcordia fidelium, inque dies mortali contagio serpere, captareque animos titubantium populorum; & Græcorum errores, ad quorum extirpationem salutaribus experimentis providebatur, propter emergentia incommoda perdurare: Hostes adorandæ Crucis ab Asia & Africa imo intra Europam vasta cæde atque calamitate invalescere contra populum Christianum, & ipsos Principes populosque fidelium inter se concertantes desævire, universumque Clerum, paucis admodum exceptis, incedere per tramitem peccatorum.

His igitur malis afflictati clamare cogimur ad Dominum; Excita potentiam tuam, & veni ut salvos facias nos, Deus converte nos, ostende faciem tuam, & salvi erimus Domine Deus virtutum. His & aliis cogitationibus laniantibus mentem nostram, alta nos cura sollicitat, quonam modo tot malis obstare & Christianæ saluti providere possimus, & dum affectionem nostram flagrantissimam attendimus, vehementissimè concitamur, dum verò gerendarum rerum magnitudinem, loca & tempora mensuramus, necessitate conditionis humanæ retardamur. Quoniam res tam arduas tamque difficiles Catholicæ fidei necessarias lustrare brevi spatio non valemus; Attento maximè, quod cum felicis recordationis Martinus Papa V. Prædecessor dilectum Filium Julianum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem pro celebratione Basiliensis Concilii ad ipsam Civitatem Basileam Legatum destinavisset, dum nulla ibi Prælatorum congregatio adhuc facta foret, intervenerunt magnæ & necessariæ causæ, quibus obstandum fuit Bohemicæ cladi & saluti fidelium providendum, unde ipse Cardinalis, sicut notorium est, pro conservatione fidei in partibus illis magnis fuit exercitiis occupatus; secuta demum occulta Dei judicio Catholicorum fuga præmissis ad ipsam Civitatem Basileæ dilectis Filiis Johanne Polomar Palatii Apostolici causarum Auditore ac Johanne de Ragusio in Theologia Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum Procuratore, is Cardinalis profectus ad ipsam Civitatem requisitis Prælatis quam plurimis, parvaque ibidem Cleri congregatione secuta, de consensu eorum, qui in dicta Civitate existunt, dilectum Filium Johannem Pulcri patris in Theologia Magistrum, Canonicum Bisantinum, ad nos & dictos Fratres nostros transmisit, qui nobis inter cætera facundè atque prudenter explicata significavit deformationem Cleri in partibus illis, & nefandam ipsius hæresis pestem pullulare in dies, & jam usque ad partes Basileæ proximas advenisse, secutis inde scandalis & cladibus abominandis; nam hæresis prædictæ imitatores Clerum insequentes aliquos expulerunt, & nonnullos inhumaniter trucidarunt, addidit etiam discrimina initi belli inter dilectos Filios Nobiles Viros Burgundiæ & Austriæ Duces aliasque difficultates.

Ex quibus tamen novam Prælatorum vocationem ad Basileam affectare videbatur. Nos quidem examinantes conditionem mundi, temporum & locorum, quod instat tempus hiemis, quodque loca circumstantia Basileæ potissimè versus Austriam & Burgundiam minus esse transitu secura referantur, unde verisimile est, Prælatos in Basilea diutiùs expectatos non venisse, qui etiam consideratis difficultatibus, temporis ineptitudine, periculisque bellorum allegare possent non veniendi dignas rationes. Et si qui pauci venissent, tractandis rebus multis & magnis sufficere non potuissent, quodque præteriit tempus Septemnii, in quo debuissent secundùm Statuta Constantiensis Concilii sine alia vocatione congregari. Hæc omnia versantes animo nostro, etiam quia proximis diebus carissimus in Christo illustris Filius Johannes Palæologus Constantinopolitanus Imperator, & Venerabilis Frater noster apud Græcos Constantinopolitanus Patriarcha, suum Oratorem ad nos & venerabiles Fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales transmiserunt, qui nos requisivit juxta tractata per Prædecessorem nostrum cum Concilio ipsorum Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, pro unione Græcæ Orientalis Ecclesiæ cum Romana & universali Ecclesia in loco eis condicto celebrari, unde nos secundum dictas conventiones & propter executionem tanti boni obtulimus pro adventuris Græcorum Prælatis & Oratoribus pro transitu ad Italiam & reditu ad Græciam, pro galeis & aliis necessariis impensas opportunas, cum quibus Græcis de unione tractari potuisset; Dum nominatæ fuissent, Romæ, Ancona, & Bononia & alia Italiæ loca; Demum licèt Roma, Nobis & Fratribus nostris commodior extitisset, in Civitate Bononiæ putavimus aptiùs convenire, quæ propter habilita-


ANNO 1431.

tem navigationis eorum & propter viciniorem aditum Ultra montanorum ad Italiam, capacitatem loci & alias conditiones idonea reputatur.

Promiserunt itaque præfati Imperator & Patriarcha solemnes suos Oratores transmittere, sicuti ante notitiam obitus præfati nostri Prædecessoris transmittebant. Hæc omnia cum dictis Fratribus nostris considerantes, quòd ex tota Republica Christianorum nihil sanctiùs, nihil optabilius esse potest, quam Græcam Ecclesiam, olim tot sanctis & viris clarissimis illustrem, dimisso errore unam fieri cum Ecclesia Romana, comprehendimus necessarium esse ad conveniens spacium temporis in Bononia generale Concilium convocari; Quapropter si Prælati de novo ad Basileam vocarentur, quod convenire non posset sine temporis intervallo, utrumque Concilium fere uno tempore concurreret, & sic utrumque minus auctoritatis haberet, nec Prælati possent in utroque interesse, unde pro commoditate Prælatorum, ne bis habeant convenire, ex causis superius declaratis & aliis magnis & urgentibus suo loco & tempore declarandis, majus bonum minori præponentes, præter Concilium, quod secundum Statuta Synodi Constantiensis in decemnio venit celebrandum, quodque in ipso decemnio in civitate nostra Avinionensi volumus celebrari, ex abundanti in civitate Bononiæ pro ipsorum Græcorum reductione, reformationeque Cleri ac populi Christiani aliud generale Concilium decrevimus convocare, & in eo intendimus personaliter præsidere Apostolica autoritate & subscriptorum Fratrum nostrorum Jordani Sabinensis, Antonii Hostiensis, Hugonis Prænestrini, Episcoporum: Johannis tituli Sancti Laurentii in Lucina, Antonii tituli Sancti Marcelli, Johannis tituli Sancti Sixti, Francisci tituli Sancti Clementis, Angelotti tituli Sancti Marci Presbiterorum; Lucidi Sanctæ Mariæ in Cosmedin & Ardecini Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, unanimi Consilio & assensu indicimus & convocamus, ac præfatam Synodum Basiliensem, si qua ibi congregata videatur, dissolvimus & totaliter liberamus, Insuper in nomine Christi Dei, ad cujus populi salutem totis affectibus aspiramus, Universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis & Clericis, ad quos interest, ubicunque constitutis, indictis & dissolutis prædictis, declaramus & notificamus, ipsosque requirimus & monemus in Domino Jesu Christo, & in vim præstiti juramenti in Consecrationibus eorundem, in virtute Sanctæ obedientiæ ac etiam Apostolica autoritate nostra præcipimus & mandamus, sub pœna excommunicationis & aliis pœnis juris, quatenus in anno uno cum dimidio à publicatione præsentium computando ad præfatam civitatem Bononiæ pro hoc Sacro-Sancto Concilio celebrando, & subsequenter in decemnio in civitate Avinionensi debeant convenire, quos omnes præsenti scripto intendimus esse monitos peremptoriéque citatos, ac si eorum singulis directæ fuissent monitoriæ litteræ speciales.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dissolutionis, liberationis, declarationis & præceptionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo primo, secundo Idus Novembris, Pontificatus nostri anno primo.



Ego Jordan Episcopus Sabin. Domino nostro Eugenio aliqualiter impedito, & de ipsius mandato, præsentibus præscriptis Dominis Card. subscripsi
Ego Jordan Episcopus Sabin. nomine proprio subscripsi.
Ego Antonius Episcopus Hostien. subscripsi.
Ego H. Episcopus Prænestrinus subscripsi.

Ego Jo. tit. Sti. Laurentii subscripsi.
Ego Antonius tit. Sti. Marcelli subscripsi.
Ego Johannis tit. Sti. Sixti me subscripsi.
Ego F. tit. St. Clemen. me subscripsi.
Ego A. tit. Sti. Marci Pbr. Card. subscripsi.

Ego Lucidus Stæ. Mariæ in Cosmedin. Diacon. Card.
Ego Ardec. Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Card. subscripsi.

Ja. de Langusto.
De Curia,
M. de Guadagnie.

IV. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 2 pag. 895.

Per Breve Apostolicum mittit Philippo Bono Burgundiæ ac Brabantiæ Duci Hostiam miraculosam, quæ modo asservatur Divione in Burgundiâ: anno 1433.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Singularis devotionis zelus, quem ad fidem Catholicam, & Sacramentum Passionis Domini nostri Jesu Christi gerere Te videmus, meritò nos inducit, ut ea Tibi concedamus, quæ devotionem tuam, & aliorum Christifidelium augere valeant. Tuis igitur in hâc parte devotis supplicationibus annuentes, Tibi Hostiam quandam sub imagine Salvatoris in Throno sedentis, mirabile Sacramentum Dominici Corporis multis in locis à vesana cujusdam feritate gladii ictibus perforatam, & ex eo sanguine respersam in locis præfatis, quæ in sacrario nostro erat recondita, tuæ piæ devotioni concedimus, & donamus, volentes, & mandantes Tibi, ut eam in aliqua Ecclesiarum, quas possides, aut in alio loco celebri cum eo honore, & reverentia recondas futuris temporibus venerandam, prout tanti Sacramenti majestas & magnitudo requirit.

Datum Romæ apud Sanctum Laurentium in Damaso sub annulo nostro secreto die 17. mensis Septembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Bulla

ANNO 1435.

V. Ex Arch. Angliæ Rymer Tom. 10. pag. 620.

Bulla quâ Pontifex negat se Ducem Burgundiæ à juramentis Regi Angliæ, & Regis Patri præstitis absolvisse: anno 1435.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Henrico Regi Angliæ illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Reddidit nobis litteras tuas dilectus Filius Adam Moleyns, Nuncius, & orator tuus. Quem comissa sibi per Celsitudinem tuam prudenter exponentem, assistentibus sibi fidelibus tuis, venerabili Fratre & dilecto Filio Episcopo Ambianensi, & Andrea Holeys Referendario & Cubiculario nostris, libenter audivimus, illique ad singula benignè respondimus. Cæterum quia à nobis certiorari desiderasti super absolutionibus à juramentis, per aliquos ex Principibus & Nobilibus Regni Franciæ, claræ memoriæ Progenitori tuo, & Tibi præstitis; an scilicet eas petierint, & petitas per ipsos, aut ipsorum nomine concesserimus; tuam Celsitudinem certam reddimus, nos nullum ex ipsis ab hujusmodi juramentis absolvisse, nec etiam per eos, aut eorum nomine, de hujusmodi absolutionibus nobis supplicatum fuisse. In futurum autem credere debes, Nos in ea parte & reliquis, honorem & desiderium tuum concernentibus, ita dispositiuros, quod de nobis meritò contentus debebis remanere; Tuam itaque Excellentiam, quam ad bonum pacis benè dispositam esse cognoscimus, qua majori possumus affectione hortamur & stringimus, quod Te indies meliùs disponas, ut aliquando temporibus nostris, & tuis, tanta calamitas finem habeat, & anima tua spiritusque tui, omissis belli cogitationibus studiisque, quæ Deo displicent, ad pia Salutis consilia convertatur, cum magno apud Deum, bonorum hujusmodi operum Retributorem, merito, & maxima apud nos benevolentiæ gratia, immensaque apud seculi homines apud universum orbem perpetuæ famæ gloria.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo, trigesimo quinto: decimo septimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

VI. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Ad Concilium Basileense, respectu negociationum, cum Græcis initarum ob eorum adventum ad dictum Consilium: anno 1434.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in sacro Basiliensi Concilio congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Existimantes, olim etiam dum eramus in minoribus constituti, quantum esset grata & accepta Deo nostro reductio omnium, qui sub nomine Christiano censentur, ad unum ovile & unicum pastorem, ut vera fides in omnibus eluceret semper, & verbo & opere juxta possibilitatem nostræ infirmitatis egimus, ut Græci ad unitatem Romanæ atque Catholicæ Ecclesiæ reducerentur. Itaque ante annos plurimos rem hanc multa cum diligentia promovere curavimus, inter cætera quantum in nobis fuit apud felicis recordationis Martinum Papam V. Prædecessorem nostrum operam dedimus, ut Oratores suos ad charissimum in Christo Filium nostrum Romanorum Imperatorem & ipsorum Græcorum Patriarcham Constantinopolim præterea destinaret, qui cum suos diversos Oratores ad ipsum Prædecessorem misissent, continuatâ cura soliciti fuimus, ut res ipsa optatum finem sortiretur. Denuò post assumptionem nostram ad summi Apostolatus apicem eadem renovantes, ut alia prætereamus, anno præterito cum Oratoribus Præfatorum Imperatoris & Patriarchæ, qui Romam ad nos venerunt una cum venerabilibus Fratribus nostris, assistente etiam charissimo in Christo Filio nostro Sigismundo Romanorum Imperatore semper Augusto, multa practicavimus, cumque hi Oratores in hoc viderentur persistere, ut in Civitate Anconæ Prælati & alii in numero copioso ex utraque Ecclesia convenirent, inter quos & Præfatus Romanorum Imperator adesset, & Nos cognosceremus, rem hanc, prout petebatur, expensas maximas & difficultates inextricabiles parere, & forsitan sine fructu aliquo pro tunc cum eis nihil conclusimus, sed ad præfatos Imperatorem & Patriarcham aliquem mittere deliberavimus, qui negotium hujusmodi cum ipsis plenè tractaret, & super eo finale responsum ipsorum Imperatoris & Patriarchæ ac aliorum suorum intelligeret; Misimus itaque mense Julio anni præteriti dilectum Filium Magistrum Christoforum Garatonum Secretarium nostrum Græcæ Linguæ peritum, qui post multos sermones cum præfatis Imperatore & Patriarcha ac multis aliis ex Græcorum majoribus habitos, tandem comperit ipsos omnes id eligere, ut Legatus Sedis Apostolicæ cum Prælatis, & aliis ex nostris doctissimis viris ad Urbem Constantinopolim transmittatur, ubi & Prælati & alii majores ex ipsis Græcis una cum præfatis Imperatore & Patriarcha pari modo conveniant, ibique per viam disputationis, sicuti & aliàs in sexta Synodo factum fuit, veritate patefacta, utraque Ecclesia optatum unionis & pacis consequatur effectum, sic tam ex ipso Christoforo quam ex litteris Imperatoris & Patriarchæ prædictorum id continentibus planè percepimus, quodque magis est, charissimus in Christo Filius Imperator Trapezuntis & plurimi ei adhærentes in hoc etiam pari voto conveniunt, quæ cum per præfatum Christoforum ad nos revertentem delata essent, parato animo acceptavimus, nam & id nos plurimùm optabamus, quoniam per hunc modum de ipsa unione & concordia bona spes redditur, & multo minori impensa & quæ tolerabilis sit opus erit, accedit ad hoc, quod Patriarcha Armeniorum, veluti per litteras certas nobis constitit, eo tempore etiam Constantinopolim venturus sit, & in hanc rem pariter consensurus, sicut in Domino benè speramus. Propterea mense Julii præterito ipsum Christoforum Constantinopolim iterum destinavimus cum nonnullis Capitulis, quæ menti utriusque partis planè satisfacere videntur, ipsique injunximus, ut secundum ipsorum tenorem cum Imperatore & Patriarcha ac aliis supradictis omninò concludat, super quo sibi plenum mandatum dedimus, quod pro Dei miseratione modo factum esse existimamus, horum siquidem capitulorum copiam dudum per nostros Præsidentes ad vos deferri jussimus; Post hæc verò dilectus Filius Simon Freym Nuntius vester cum vestris litteris conclusa quædam inter vos & Oratores ipsorum Imperatoris & Patriarchæ continentibus ad nos venit, quæ legimus diligenter, vestramque affectionem circa tàm pium opus in Domino commendavimus, verùm hoc paulum admirari cogimur, quod in re tanta & tam gravi, tamque diu desiderata & à nobis tractata, aliquid per vos conclusum sit, non solùm nobis inconsultis, verum etiam irrequisitis & insciis, præsertim cum ea sint conclusa & promissa, quæ ex pluribus causis non tantùm difficilia sed etiam impossibilia multis esse videantur, & quæ non spem rei conficiendæ sed desperationem potiùs afferant menti nostræ, affectionem tamen vestram, ut præmisimus, meritis

ANNO 1434.

ANNO 1435.

laudibus commendamus. Ex quibus fit, ut ad eam rem diligentiùs animadvertendum esse videatur; A vobis namque uno modo conclusum est, Orator noster forsan & verisimiliter alio modo conclusit, quid si uno tempore de eadem re duæ variæ & diversæ fiant conclusiones, profectò ridiculum erit, & quod magis est fortè ex hac dissensione scandalum pariturum, saltem non parum dedecoris nobis omnibus allaturum, quid præterea si juxta modum conclusionis vestræ ad eam unionem pertingere, veluti expertissimi viri autumant, impossibile esse contingat, nonne ad pudorem & confusionem cedet totius Catholicæ militantis Ecclesiæ? Quæ ne accidant sumopere cavendum est; Illa igitur media nobis & venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus eligenda videntur, quæ breviora atque expeditiora sunt, & ad ejus sanctissimæ unionis finem consequendum magis verisimilia; Hæc non ad obviandum rebus per vos gestis scribimus, cum & ad eundem finem, quæ vos optatis, nostra tendat intentio, & idcirco nostra parum referat, quâ viâ aut quo medio is finis sequatur, sed ad pleniorem informationem vestram, verum tamen ut nostram sinceram & puram voluntatem planè perspiciatis, si omissis, quæ supra diximus, per eum modum, quo cum præfatis Oratoribus conclusistis, rem ipsam tandem prosequi intenditis, ex nunc purè & liberè nostrum, prout petitis, præbemus assensum.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo quarto, decimo septimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

Jo. de Steccatis.

VII. Ex Ibid.

Ad Concilium Basiliense quà suis Legatis fiducia à Concilio præstanda est: anno 1435.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in sacro generali Basiliensi Concilio congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PRo nonnullis Dei honorem ac bonum totius Reipublicæ Christianæ concernentibus, mittimus dilectos Filios *Nicolaum* tituli sanctæ Crucis in Jerusalem, ac *Johannem* tituli sancti Petri ad Vincula, Presbyteros Cardinales Apostolicæ Sedis Legatos. Eisque aliqua commisimus Fraternitatibus & devotionibus vestris ex nostra parte referenda, de quibus placeat ipsis tanquam verbis nostris impartiri plenam fidem.

Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, quarto decimo Kal. Martii, Pontificatus nostri año quinto.

Ja. de Arimino.

VIII. Ex Ibid.

Ad Concilium Basiliense, quà id monet se missurum esse Nuntium: anno 1436.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus & dilectis Filiis in sacro Basiliensi Concilio congregatis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

VEnerunt ad præsentiam nostram dilecti Filii Dyonisius Sabrevois & Henricus de Diest in Theologia Magistri Oratores vestri, nos inter cætera suis Orationibus præcipuè exhortantes ad unionem Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ, quæ res, dum in minoribus constituti eramus, cordi nostro insidebat ardenter, post autem assumptionem nostram ad apicem summi Apostolatus hoc sanctum opus ita desideravimus, ut nihil in animo nostro insit ardentius, quam videre ovile Domine Latinum & Græcum cum recta & vera Religione conjunctum. Cum autem nos ad pacem & Unionem Catholicæ fidei & Ecclesiæ sincerâ voluntate dispositi sumus, vos hortamur in Domino, ut omnes curas & cogitationes vestras ad hanc Dei & fidei causam, ea charitate quâ decet, conferre velitis. Cæterum quamvis assistentibus nobis venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dictis Oratoribus vivâ voce responderimus, tamen de dictorum Fratrum consilio ad sacram Basiliensem Synodum properè destinabimus venerabilem Fratrem nostrum Johannem Archiepiscopum Tarentinum, qui nostro & dictorum Fratrum nomine, super postulatis ab ipsis Oratoribus particularibus, rectè ac religiosè respondebit.

Datum Bononiæ, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo tricesimo sexto, sexto Kal. Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

G. Colini.

ANNO 1436.

IX. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. pag. 154.

Bulla, per quam recommendat Imperatorem Sigismundum Baronibus, cæterisque Nobilibus Pragensibus, aliisque Civitatibus Bohemiæ, affectionem suam erga Regnum ipsum, ejusque Incolas declarando: anno 1436.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Baronibus, Pragæ Civitatis Nobilibus, cæterisque Civitatibus Regni Bohemiæ, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

GRatus Nuntius dudum lætificavit Animum nostrum, dilecti Filii, cum *audivimus, quod pietas Altissimi infuderat Spiritum Concordiæ & veritatis* in Cordibus vestris cum reliquis Christi Fidelibus, de quâ re quantam consolationem in Domino susceperimus propter pacem & quietem vestram, & aliorum Christi fidelium, novit ille, cui corda & cogitationes hominum patent. Et quidem speramus, quod misericordia Altissimi, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus, augebit in vobis gratiam suam, quodque virtus & devotio vestra lucebit in Dei Ecclesia, & erga nos summum Pontificem ostendetis debitam obedientiam & fidem ad Salutem animarum vestrarum. Quemadmodum etiam nobis retulit venerabilis Frater noster *Johannes Episcopus Signensis*, quem, suis exigentibus meritis, paternâ dilectione prosequimur; multa afferens de vestrâ devotione & affectione sincerâ erga Nos, & Ecclesiam Romanam, ex quibus rebus charitatem vestram, meritis laudabilibus commendamus, exhortantes vos, piè in Domino vivatis, ut gratia, quæ data est vobis à Salvatore nostro, per vestra bona & laudabilia Opera fructum afferat uberem in odorem suavitatis. Inter cætera gratissimum fuit audire *concordiam bonam vestrûm, cum Charissimo in Christo Filio nostro Sigismundo, Romanorum Imperatore semper Augusto*, Rege vestro, quem cùm summa Charitate diligamus, prout tanti Principis virtus & merita requirunt, exaltationem & statum suum, cùm fuerit semper, & sit præcipuus noster & Ecclesiæ Dei Defensor & Protector, augeri tota mente exoptamus. Itaque (prout decet subditos suo Regi parentes, ac debitam reverentiam & obedientiam præstantes) diligatis ipsum in synceritate mentis & animi, cum ipse sit Princeps prudentissimus, ac diligat & amet vos, quotidie agens, quæ sperat pertinere ad bonum vestrum, & Regni utilitatem. Nam petivit à nobis aliqua pro quiete & honore vestro & regni per organum Episcopi præfati, quæ nos libenter concessimus, parati etiam in posterum omnia facere,

quæ

Anno 1437.

quæ concernant honorem, commodum & utilitatem vestram, tum propter bonum vestrum, quorum honestis desideriis semper intendimus complacere, tum contemplatione Imperatoris, cujus laudabilis & sincera voluntas semper nobiscum unita fuit, in fide pura, & charitate non ficta, ac pro nobis ac Ecclesiæ statu ea fecit, quæ laudem & gloriam perpetuam mereantur.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXVI. Quinto Idus Martii, Pontificatus nostri Anno VI.

D. de Vinariis.

X. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Ad Marchionem Brandenburgensem propter Electionem Imperatoris Sigismundo sufficiendum: An. 1437.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Frederico Marchioni Brandenburgensi, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Solemni natalis Domini nostri die certiores facti sumus, claræ memoriæ olim Sigismundum Romanorum Imperatorem Hungariæ ac Bohemiæ Regem viam universæ carnis ingressum esse, & licèt mœsti dolentesque audiverimus, eum Principem esse sublatum, quem speciali caritate dileximus, quemque rebus Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ affectum esse cognovimus, mœrorem tamen nostrum magna ex parte levarunt quæ de illius contritione quam moriens habuit, & quæ de illius placida & hilari aviditate ad suscipiendum Sacro-Sanctum Dominici Corporis Viaticum, & alia Ecclesiæ Sacramenta audivimus; Ejus itaque desiderio prædicta ratione parumper mitigato, in futura tempora in multiplices nomini Christiano, Nobis & Romanæ Ecclesiæ impendentes negotiorum anfractus curas cogitationesque nostras convertimus: De novo enim Imperatore deligendo injuncta tibi & aliis Electoribus cura nos etiam angit atque anxium facit, cum ea consideramus & ante oculos posita cernimus, quæ celsi animi, virtutis, prudentiæ singularis, & devotissimi inprimis ac deditissimi Ecclesiæ & Sedi Apostolicæ animi Imperatorem præsertim hoc tempore desiderari faciunt; qui imminentes cervicibus Christianorum infideles reprimere, & propulsare, qui dissidentes multis in provinciis Christianos una nobiscum ad pacem reducere, qui anhelantes ad Ecclesiæ scissuram plerosque impios continere, reprimere, deterrere, qui Sedis Apostolicæ Autoritatem, maximum Imperatoris munus, defensare & augere, qui denique Ecclesiam Romanam, cujus erit ipso Jure Advocatus, protegere sciat, possit, & pio ac ferventi Zelo id velit, Quamobrem licet non dubitemus, vos omnes ea quâ præditi estis virtute bonam & diligentem adhibituros tantæ rei curam, & diu multumque pensaturos, quem ad tanta tamque ardua munera obeundum deligatis; Ut tamen id nostris etiam exhortationibus ac suasionibus attenti faciatis, memoramus in primis, ut in facienda electione ipsa unanimes, concordes & idem ex omni partæ sentientes sitis, vos in Domino exhortamur, ea enim est nobis de vestra virtute & prudentia fides atque opinio, ut is quem uniti & concordes duxeritis eligendum, non nisi excellens, dante gratiam Domino, esse possit, & maximis quæ supra numeravimus in Ecclesia Dei & populo Christiano imminentibus negotiis satisfaciat, sin vero per vestram dissensionem, quod avertat Omnipotens, aliquid novi suboriretur disturbii, intolerabiles emergerent labores; Nihil ergo accuratius à vobis fieri oportere censemus, quam ut concordi & unanimi consensu ipsam electionem faciatis, vel si fortasse suberunt causæ, propter quas in unum eundemque eligendum convenire nequeatis, tutius fuerit electionem ipsam aliquantisper differre, efficiet namque, ut confidimus, longa & matura deliberatio, ut quod acceleratio nimia vetabat, dilata consultatio vos omnes unanimes & ejusdem voluntatis reddat. Quare si inspirante Domino cum bona caritate & communi consensu electionem prædictam facietis, rem nobis acceptatissimam, & cui an parem in humanis à vobis expectemus non facilè dixerimus, effeceretis, erimusque promti & parati, quod benè, condignè & laudabiliter factum à vobis audiemus, approbare & favoribus prosequi necessariis, ut per ipsius electi adjumentum impendentia populo Christiano pericula avertamus, discordias, bella & inimicitias tollamus, & tum Ecclesiæ Occidentalis unitatem servemus, tum maximè Orientalem, ad quod dante Domino videmur optima jecisse fundamenta, ipsi Occidentali etiam uniamus; Nam hodie in Consistorio generali fecimus Declarationem, cujus copiam mittimus introclusam, & Domino concedente ibimus de proximo ad Ferrariense Concilium, ubi Deo nostro puram, sinceram & piam voluntatem nostram dirigente ac juvante, ea solidè & cum effectu in prædicto Concilio faciemus fierique curabimus, propter quæ Concilium à principio fuerat congregatum, & cùm carissimum in Christo Filium Imperatorem Romanorum ac Venerabilem Fratrem Constantinopolitanum Patriarcham cum multis notabilibus Prælatis nobilibusque aliis propediem expectemus, jamque pars Familiæ prædicti Imperatoris Venetias applicuerit cum una ex nostris Galeis, unionem ipsorum Græcorum cum Ecclesia Occidentali concedente Domino facere speramus, quare velit tua Devotio Oratores & alios omnes tuos qui apud Basileam essent inde revocare, & alios Oratores omnesque qui videbuntur tibi ad prædictum Ferrariense Concilium mittere, & quantum in te est, postpositis æmulorum Sedis Apostolicæ & nostrorum qui scandala quærunt in Ecclesia Dei passionibus, ea possint in prædicto Concilio Ferrariensi fieri, quæ gloriam Dei & nominis Christiani exaltationem & Sedis Apostolicæ totiusque Ecclesiæ pacem & honorem respiciant, & per quæ tot olim desiderata seculis Græcorum unio, quam, nisi scandalosi & impii prohibituri sint, in manibus habere videmur, sequi possit.

Datum Bononiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo trigesimo septimo pridie Calendas Januarii, Pontificatus nostri Anno septimo.

Jac. de Viterbio.

Ad Nobilem virum Albertum Bavariæ Ducem, ut ad Dietam apud Nurimbergam ordinatam se transferat, & Sedi Apostolicæ faveat: Anno 1437. XI. Ex Ibid.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Nobili viro Alberto Bavariæ Duci, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Cum Venerabiles Fratres & dilecti Filii Sacri Romani Imperii Electores nobis per suos Oratores cum instantia supplicaverunt, ut in alium locum ab isto pro Oecumenico Concilio consentire, etiam & ab inceptis processibus contra aliquos, qui Basileæ in scandalum Ecclesiæ remanserunt, abstinere dignaremur, quæ quidem etiam, ut certi redderemur, petituri erant Oratores carissimi in Christo Filii nostri Alberti Regis Romanorum Illustris. Nosque de Consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium eisdem, prout in Copia præsentibus introclusa continetur, duxerimus respondendum. Tuam Nobilitatem

hortamur

ANNO 1438.

hortamur atque requirimus, ut ad dietam quam in responsione prædicta postulavimus, quæ postea apud Nurimbergam ordinata est, personaliter te conferre velis, & juxta tuam & progenitorum tuorum fidem atque devotionem Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritati favere, ac Justitiæ & Innocentiæ nostræ assistere studeas, quemadmodum plenè confidimus, atque speramus, ut per tuam & aliorum Principum assistentiam pestiferum illud & inveteratum schisma in natione Germaniæ tantis tamque piis laboribus extinctum, paucorum quorumdam hominum odio & ambitione non solum in eadem Natione non renovetur, sed pax detur Ecclesiæ, & unitas maneat illibata, super quibus tuæ Devotioni latiùs dicet dilectus Filius Gerardus Sacerdos Canonicus Sancti Stephani Moguntinus, Familiaris noster.

Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo tricesimo octavo, quarto Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno octavo.

L. de Riciis.

XII. Ex Ibid.

Instructio Papæ Eugenii ad suos Nuntios, missos ad Dietam Francofurti coactam, ad eligendum Imperatorem. Anno 1439.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Nicolao de Cusa Præposito Monasterii in Meynfelt, & Jacobo de Oratoribus Canonico Ferrariensi Nunciis nostris, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ACcepimus Litteras cujuscumque vestrûm, laudamusque prudentiam & diligentiam vestram in cunctis statum & honorem nostrum & Sedis Apostolicæ concernentibus. Commendantes pariter Cedulam illam per vos exhibitam Electoribus vigore Litterarum nostrarum, quas de Credentia habebatis, tanquam juxta mentem nostram bene & prudenter conceptam. Quæ scribitis de Dieta apud Franckfordiam tenenda in die Conversionis beati Pauli pro Electione Regis Romanorum intelleximus, Deumque oramus, ut talem eligi permittat, qui & possit & velit Sanctam Dei Ecclesiam, prout tenebitur, defensare. Spem tamen in Dei misericordia & in Electorum prudentia habemus, talem eligi, qualem Ecclesiæ & Religionis Christianæ necessitas postulat. Volumusque, ut quam primum Electio facta fuerit, eam nobis per nuncium proprium illicò nuncietis, & sive præsens erit electus sive absens, ad ipsum vos personaliter conferatis simul cum dilecto Filio nostro Cardinali Sancti Vitalis Augustensi nuncupato, cui etiam super hoc scribimus, si aderit in ipsa Dieta dictus Cardinalis; Alioquin vos dictum adeuntes Electum congratulabimini secum de hujusmodi assumptione, & illa eadem apud ipsum promovebitis, quæ ex nostra commissione apud Electores pridem promovistis, sumendo ex litteris nostris & cedula vestra rationes & alias prout dictaverit ingenium afferendo. Conveniet verò inprimis secum & cum suis Consiliariis agi, ut pro defensione Sedis Apostolicæ, à qua sola jus Imperii Romani fuit in Germanos translatum, velit, quemadmodum tenetur, viriliter laborare. Et cum Nos ac Sedem Apostolicam in cunctis & honorem suum concernentibus illi amplè obtuleritis, persuadebitis eidem atque Consiliariis suis, ut morem imitatus ipse Electus aliorum qui hactenus in Romanorum Reges electi fuerunt, suam Electionem per suas litteras nobis intimet. Suadebitisque pariter, ut mittat Decretum Electionis pro confirmatione à nobis juxta formam juris obtinenda. Nec ab ipso Electo, quocumque proficiscatur, aliqua ratione discedatis, sed illum quocumque iverit secuti quotidie & in Missis & alibi visitetis ipsum continuò, & suos de justitia nostra & Basiliensi pravitate ac de illa ambitione, impressione, coactione praticis, notariaque impudentia, quibus nefariè usus Sabaudiæ Dux in Idolum eligi quæsiverit, plenariè informantes, narrantesque è contra, quam magnifica & gloriosa fuerunt opera, quæ auctore Domino nostrâ impensâ, pro qua nullum oneravimus in Græcorum atque Armenorum reductione, effecimus, quo in sermone dicendum erit de numerositate populorum utriusque gentis noviter reductæ, quòdque non solum in hac tali operatione requisivimus, sed insuper Græcis post factam unionem obtulimus multa & ampla subsidia mari ac terra eorum Imperatori exhibenda Turcis ex Europa & Græcia expellendis. Cujus rei causâ claræ memoriæ Albertum Regem Romanorum defunctum requisiveramus, ut huic rei intendens operamque dans pararet exercitum contra Teucros in tempore ducendum. Nam Nos etiam constitueramus magnam classem cum auxilio Principum Christianorum eodem in tempore paratam habere dandam prædicto Græcorum Imperatori, qui ex partibus Constantinopolitanis contra dictos Teucros exercitum duxisset. Accommodè item tunc dicere potestis de periculis, quæ per mortem prædicti Regis imminent Hungariæ à Barbaris; Ex tam multis concludetis, oportere, ut Electus ipse tanquam Advocatus & Defensor Ecclesiæ viriliter se accingat ad protegendum Christianitatem; Ceterùm ibitis quam primum ad Dietam Franckfordiæ, ubi postquam negotium vobis commissum promoveritis, instare debebitis tam apud Electores quam alios Principes in dicta dieta convenientes, ut responsio vobis detur in scriptis super litteris Apostolicis, quas tu Jacobe tulisti, & super cedula per ambos exhibita, Informabitisque plenariè Cardinalem Augustensem de omnibus per vos promotis & dietim promovendis, quem vobis adstiturum non dubitamus usque ad felicem hujus rei expeditionem. Quod reliquum est misimus vobis pridie decretum. *Moyses*, & nunc transmittimus aliud de Armenorum reductione, vos curare debebitis, ut quæcumque in dies fiant scribi digna celeriter ad nos perferantur quam diligenter à vobis scripta, pariterque scribatis quid à vobis oportere fieri censeatis.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tricesimo nono Quarto Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

D. Palavicinus.

ANNO 1439.

XIII. Ex Histor. Univ. Bulæi Tom. 5. p. 447.

Confirmat Privilegia Universitatis Patavinæ ad instar Parisiensis Anno 1439.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

DUm intra arcana nostræ mentis solerti meditatione recolimus, quantum ad Populum nostræ solicitudini commissum Remque publicam debitè regendam viri litterarum scientia docti

confe-

conferant, curâ nobis injunctâ dignum, imò debitum nostrum reputamus, ut non solùm contenti simus Studia Generalia concessis sibi antè Privilegiis gaudere, verùm etiam ipsis alia ad ampliorem eorundem Studiorum famam & Gloriam utilia concedamus, ut qui in illis voluntarios in hujusce eruditionis subsidium labores suscipiunt, de tanto ipsorum Beneficio, præter Dominicum quod non deerit, aliquod in terris munus se reportasse lætentur.

Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus IV. Prædecessor noster pro felici statu & incremento Studii Patavini, quod inter cætera Italiæ Studia Generalia antiquissimum & celeberrimum esse constat, nonnulla per Doctores & Magistros ejusdem Studii salubriter statuta & ordinata ratificavit & approbavit, ac ex certa ipsius scientia confirmavit.

Deinde Clemens VI. Prædecessor etiam noster, quæ per ipsum Urbanum ratificata fuerant, grata habens & approbans, quædam alia pro ipsius Studii amplificatione statuit & ordinavit, prout in ipsorum Litteris pleniùs continetur.

Nos igitur attendentes, quòd à Generalibus Studiis omnis divinorum atque humanorum institutorum notitia proficiscitur, virique illâ insigniti existunt, per quorum salutarem doctrinam Effector omnium Deus agnoscitur & amatur, Justitia colitur, proficientes proficiunt; instruuntur indocti, & præmiis afficiuntur boni; versutis autem suorum erratorum pœnæ, quas merentur, adjiciuntur, omnisque humanæ eruditionis excellentia emanare dignoscitur; nec non ad dilectos Filios, Universitatem prædicti Patavini Studii, quos singulos omni favore prosequimur, nostræ benignitatis oculos convertentes, ne ipsi in sua exercitatione commendabili adversùs concessa sibi anteà Privilegia quomodolibet indebitè infestentur, verùm potius amplioribus gratiarum attollantur impendiis, motu proprio, non ad alicujus preces, omnia & singula Privilegia, libertates, exemptiones, concessiones & indulta alia, eidem Studio tam per prædictos & alios Rom. Pontifices Prædecessores nostros, quàm per Imperatores, aut alios temporales Dominos hactenus concessa, quorum formas & tenores in præsentibus pro expressis haberi volumus, rata & grata habentes, illa auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, omnes & singulos, si qui intervenerint, defectus iisdem motu atque auctoritate supplentes.

Et nihilominus, quò Studium ipsum aliquod singulare nostræ liberalitatis dono consequatur munus, ut omnes & singuli nunc & pro tempore in eodem Studio existentes Doctores & Scholastici, ac ipsorum Familiares & Officiales omnibus & singulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, favoribus & indultis aliis quibuslibet, quocunque nomine censeantur, & quorum formas & tenores in præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, gaudeant & utantur, quibus Romanæ Ecclesiæ, *Parisiensis*, *Oxoniensis*, *Bononiensis*, *Salmaticensis Studiorum* Doctores & Magistri, eorumque Familiares & Officiales ex quibusvis Apostolicis, Imperialibus, seu aliis Ecclesiasticis, vel temporalibus concessionibus aut indultis gaudent, & utuntur, gaudere & uti possunt, ac poterunt in futurum.

Utque omnes prædicti, qui Beneficiis Ecclesiasticis affecti fuerint, dum ipsi ibi resederint, omnium suorum Beneficiorum Ecclesiasticorum quæ nunc obtinent, & in posterum in quibusvis Ecclesiis, seu locis obtinebunt, quæcunque, quantacunque & qualiacunque sint & fuerint, etiamsi in illis personalem primam non fecerint Residentiam consuetam, fructus ac reditus & proventus cum ea integritate, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis, seu locis hujusmodi personaliter residerent, quotidianis duntaxat exceptis distributionibus, per septennium percipere queant.

Insuper ut ipsi singuli, etiam in sacris Ordinibus constituti, aut Dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, aut aliis Ecclesiis, vel Parochiales Ecclesias obtinentes, in eodem Studio & legibus per quinquennium studere, legere, & disputare, ac in eis Licentiæ Gradum, nec non Doctoratus insignia accipere liberè ac licitè valeant; motu & auctoritate prædictis tenore præsentium concedimus, ac de speciali dono gratiæ indulgemus; non obstantibus felicis recordationis Honorii III. Pontificis etiam Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis promulgatis Edictis, Constitutionibus & Ordinationibus, Statutis quoque & Consuetudinibus Ecclesiarum in quibus Beneficia hujusmodi fuerint, jurejurando, Confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis; cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque.

Volumus autem, ut Beneficia ipsa debitis propterea non fraudentur obsequiis sed debitè sustineantur eorum onera consueta.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ratihabitionis, confirmationis, suppletionis, concessionis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contravenire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem præpotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Florentiæ Anno Dominicæ Incarnationis 1439. Kalend. Decembris, Pontificatus nostri Anno 9.

Ad Universitatem Parisiensem, quâ Libri in Sedem Apostolicam scripti damnantur: Anno 1440.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Rectori & Universitati Parisiensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUia proximis temporibus nonnulla, ab iniquis perditissimis hominibus, scandalum in Dei Ecclesia ponere quærentibus, sunt disseminata, ut de auctoritate ac superioritate Romani Pontificis ac Sanctæ Sedis Apostolicæ, alia minorque quam debeat opinio habeatur, placuit Litteras Apostolicas in forma libri, quas lator harum, dilectus Filius Antonius de Boraciis Cubicularius & Familiaris noster, cui aliqua super prædictis & quibusdam aliis quædam commisimus referenda, defert ad vestram consolationem, mittere, ut visis solidissimis irrefragabilibusque rationibus ex sacro divinarum scripturarum fonte sumtis, quibus innituntur nostræ justitiæ fundamenta, gaudeatis, quòd piè & laudabiliter fecistis hactenus, prout continuò facitis, nobiscum sentire, similes etiam libros mittimus Carissimo in Christo

Filio nostro Regi Franciæ Illustri, & dilectis Filiis Nobilibus Viris ejus Regni Ducibus ac ceteris Universitatibus, ut dogma id verum, quò latiùs erit diffusum, eo commodiùs bonos & quæ Dei sunt sentientes repleat & lætificet, eos autem qui aut seducti ab iniquis aut suo infortunio minus rectè saperent, vel instruat & resipiscere faciat vel confundat. Amplectatur itaque vestra Devotio rem dignissimam, & quod hactenus probe fecistis, nostram & Sedis prædictæ auctoritatem contra malignos perfidosque homines tueatur.

Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quadragesimo primo. Nonas May, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

N. de Cremonensibus.

XV. Ex Hist. Universit. Paris. Bulæi, Tom. 5. p. 524.

Confirmatio Privilegiorum Ordinum Mendicantium: Anno 1442.

EUGENIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ad jugem divinæ scientiæ & Sacræ Theologiæ propagationem, ut peculiare illius Studium ad salubrem fidelium ædificationem undique suos funiculos longiores efficiat, continuas nostræ meditationis solicitudines impendimus, ac illis, quæ propterea singulis sublatis dispendiis profutura fore conspicimus, favores Apostolicos diffusiùs impertimur.

Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Generalium & F. F. Minorum, Prædicatorum, Eremitarum St. Augustini & Carmelitarum Ordinum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd licèt juxta antiquas & laudabiles, dudum etiam à tanto tempore, cujus contrarii non existit memoria, in Facultate Theologiæ Universitatis Studii Parisiensis inconcussè observatas consuetudines, singuli dictorum Ordinum Fratres, qui pro felici dicti Studii Theologiæ continuatione & salutari consummatione per Generalia cujuscumque ex dictis Ordinibus Capitula, vel per suos Generales, aut eorum Vicarios, seu alios ad id sufficientem potestatem habentes ad Universitatem Paris. missi & ad legendum Biblia publicè deputati & assignati fuerunt, si per Deputatos Facultatis Theologiæ dictæ Universitatis ad hoc reperti fuerint sufficientes, solutis Juribus ejusdem Facultatis sine mora alicujus præcedentis temporis ad legendum Biblia publicè hujusmodi ab eadem Facultate admissi & recepti sive acceptati fuissent. Nec non illi qui simili modo ad legendum Sententias deputati fuerunt, sine alicujus præcedentis temporis acquisitione, sine Bibliorum lectura, sine cursibus & absque ulla ipsorum cursuum persolutione, ab ipsa Facultate ad legendum Sententias, sive librum Sententiarum admissi extiterunt: & postquam dicti Fratres Baccalaurei formati in dicta Theologia facti fuerunt, quilibet ex eisdem Ordinibus Regens unum ex dictis Baccalaureis pro obtinenda Sententia in dicta Theologia Cancellario Ecclesiæ Parisiensis præsentare consuevit, ipseque Baccalaureus sic præsentatus ad immediatam sequentem tunc Sententiam, licèt etiam statuti temporis, videlicet 5. Annorum, dum tamen bis de ordinario respondisset, spacium non complevisset, protinus admissi extitissent, & ex præmissis plurimi dictorum Ordinum Fratres in eadem Theologia legendo & disputando, multipliciter profecerunt, ac plura exinde Deo grata & hominibus accepta bona successerunt; Tamen à multis annis citra nonnullis ex Facultate Theologiæ Universitatis hujusmodi dictis Fratribus, ac Ordinibus, eorumque utilitati se opponentes, ita fecerunt, ut eis exinde multa dispendia provenire noscantur. Pro parte Generalium & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super iis providere opportunè de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque uberes & commendabiles, quos dicti Fratres dudum in Dei Ecclesia afferunt fructus, propensiùs attendentes, ac eorum statui, ac indemnitati in præmissis opportunè consulere cupientes, ac observandas fuisse & in futurum perpetuò observari debere censentes, ac decernentes, præsentis perpetuò valituræ & irrefragabiliter observandæ Constitutionis Edicto, eadem autoritate sancimus, statuimus & ordinamus, quòd deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & singuli dictorum Ordinum Fratres, qui pro continuatione & consummatione Studii Theologiæ hujusmodi per aliqua ex Generalibus dictorum Ordinum Capitula, vel eorum aliquod, aut per suos Generales, vel eorum Vicarios, seu quoscunque alios sufficientes ad id potestatem habentes ad dictam Universitatem missi, & ad legendum inibi Biblia publicè deputati & assignati fuerint, ac per dictos Deputatos Facultatis Theologicæ ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, *Solutis juribus ejusdem Facultatis indilatè, & absque alicujus præcedentis temporis mora ad legendum Biblia publicè hujusmodi; necnon illi, qui simili modo ad legendum Sententias deputati fuerint, nulla cujusvis temporis exspectatâ morâ, sine lectura Bibliorum, sine cursibus, & absque ulla ipsorum cursuum persolutione ad legendum Sententias, sive librum Sententiarum à dicta Facultate, omnibus contradictione & difficultate penitùs cessantibus, liberè admittantur & admitti debeant*, ac postquam dicti Fratres formati in eadem Theologia Baccalaurei fuerint, quilibet ex eisdem Ordinibus Regens unum ex dictis Baccalaureis pro obtinenda Licentia in dicta Theologia prædicto Cancellario præsentet, & præsentare debeat, ipseque Baccalaureus sic præsentatus ad immediatam tunc sequentem Licentiam, licèt statuti temporis videlicet 5. annorum spacium non compleverit, dum tamen bis de ordinario responderit, sine aliqua contradictione protinus liberè admittatur. Mandantes nihilominus Cancellario dictæ Ecclesiæ pro tempore existenti, nec non Universis Doctoribus, Magistris & Scholaribus dictæ Facultatis, eisque & eorum cuilibet in virtute S. Obedientiæ, ac in suorum remissionem peccaminum districtè præcipiendo injungentes, quatenus Sanctionem, Statutum, & Ordinationem prædicta efficaciter observent, & ab omnibus faciant observari: ac decernentes irritum & inane, si secus super iis à quoquam quavis authoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiæ, Universitatis, Facultatis & Ordinum prædictorum confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate hactenus, vel in posterum roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque, quibus per præsentes volumus derogari.

Nulli ergo &c. Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1442. 3. Kalend. April. Pontificatus nostri Anno 12.

Institu-

XVI. Ex Op. Dipl. Miraei Tom. 1, pag. 896.

Institutio Capituli secundæ Fundationis Decem Canonicorum in Ecclesiâ Collegiatâ S. Petri Lovanii : Anno 1443.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Abbati Monasterii Beatæ Mariæ Middelburgensis Trajectensis Diœcesis, & Præposito Sancti Petri Trajectensis, ac Archidiacono Antverpiensi Cameracensis Ecclesiarum, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUm intra pectoris nostri Arcana revolvimus, & Paterna meditatione pensamus, quòd per Litterarum Studia Viri efficiuntur idonei, quorum doctrina salutaris Civitatem Dei lætificat, ignorantiæ nubila repelluntur, Divini nominis, fideique cultus protenditur, justitia colitur, tam publica, quàm privata res utiliter geritur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, meritò inducimur Curam Pastoralem circa ea sollicitiùs impendere, per quæ Studia hujusmodi vigere & incrementum suscipere valeant, ac venæ irrigui Fontis, scientiarum pocula, cum quibus illa haurientes, ignorantiæ profugatis tenebris, post acquisitam notitiam summi Opificis, in illius mandatorum via directi, per donum sapientiæ ad veri luminis claritatem perveniant, jugiter scaturientes, penuriâ rerum nullatenùs obturentur.

Sanè sicut pro parte dilectorum Filiorum Universitatis Studii oppidi Lovaniensis, Leodiensis Diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, licèt dicti Studii, quod in præfato oppido felicis recordationis Martinus Papa Quintus Prædecessor noster in omnibus, præterquam in Theologiæ, instituit primò, & deindè Nos, eodem Prædecessore, sicut Altissimo placuit, de medio sublato, divina favente Clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, etiam in ipsa Theologiæ ibidem vigere, & observari volumus Facultatibus, plantatio nova existat, illa tamen, Altissimo annuente plurimùm numero Suppositorum pollet, & ejus Universitas ab ejus initio intelligentiæ splendore illustratos palmites produxit, & enutrivit.

Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, licèt præfatum Studium Suppositorum multitudine polleat, ex eo tamen, quod quindecim, qui de Patronatu Brabantiæ pro tempore existentis Ducis etiam tunc existebant, in Collegiatis infra limites Ducatus Brabantiæ consistentibus Ecclesiis, Canonicatus, & Præbendæ pro remuneratione illorum, qui in ipso Studio pro tempore legent, & regent, sub certis modis, & formis deputati, etiamsi deputationes hujusmodi sortiri possent, sicuti nondum in omnibus sortitæ sunt effectum plenum, & debitum, pro illorum remuneratione non sufficiunt, & dictum Studium, licèt locus amœnissimus, copiâ rerum, & temperie aeris, atque aliis necessariis commoditatibus refertus, atque ad recipiendum, & sustentandum generale Studium plurimùm aptus, & idoneus existat, demptis gabellis, sive assisiis ibidem solvi, & recipi solitis, ac ex illis provenientibus emolumentis, quæ absque licentia, voluntate, seu permissione præfati Ducis recipi nequeunt, tantis facultatibus in communi non abundat, de quibus in his indeficiens provisio fieri valeat, ipsi, Universitas Studii, qui aliàs non habent, unde Magistris, Doctoribus, Licentiatis, & aliis in dicto Studio pro tempore Legentibus, & Regentibus, per quorum Doctrinarum Semina mortalibus omnibus ad benè, beateque vivendum via præbetur, & illi ad arcana mundi cognoscenda introducuntur, congruè provideri poterit, multipliciter timeant, quod sui alumni tam copiosè tamque fructuosè allecti, ob dotis, & alimentorum, præfatis Magistris, Doctoribus, Licentiatis, & aliis Legentibus, & Regentibus pro tempore necessariò ministrandorum, defectum, aliquo turbinis flatu etiam ex quacumque levi causa prorumpente, aut parvo familiaris rei detrimento, vel alia quavis necessitate occurrente, tamquam famelici dispergentur, ut dictum Studium ob rerum carentiam ad nihilum penitùs redigetur.

Pro parte dilectorum Filiorum nobilis Viri Philippi, Burgundiæ & Brabantiæ Ducis, ac Burgimagistrorum, Scabinorum, Consulum, & Rectorum oppidi, illiusque & Studii prædictorum Universitatum, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad profectum Orthodoxæ fidei, & salutem plurimorum, necessitatibus, & indigentiis Studii hujusmodi opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, in quorum manibus Universitas Studii hujusmodi, omnibus, & singulis aliis à præmissis provisionibus pro Legentibus, & Regentibus in dicto Studio per dictam Sedem, & ejus auctoritate quomodolibet constitutis spontè, & liberè cesserunt, quique cessionem hujusmodi admisimus, modum, & formam deputationis, ac verum annuum valorem, cum qualitatibus quindecim Canonicatuum, & Præbendarum, nec non Ecclesiarum, in quibus Canonicatus, & Præbendæ ipsi existunt, nomina, ac si specificè, singulariter, ac individualiter expressa forent, præsentibus pro expressis habentes: Attendentes etiam, quod præfata Sedes, quæ omnium spiritualium rerum provida administra existit, cujuslibet commendabilis exercitii constantissima adjutrix esse debet, & cupientes dictum Studium, ut ex ipso Ecclesiæ militanti, & Reipublicæ commoditas, præsidium, & decus assiduè præparentur, & adsint, tanquam firmis anchoris stabilitum, in prosperitatis portu absque timore futuri periculi immobile permanere, ac Magistros, & Doctores, Licentiatos & alios, ad continuationem tam laudabilis, & necessarii exercitii tantò ampliùs animari, quo ex hoc ibidem pro suis incumbentibus supportandis pro tempore oneribus sibi liberaliter sentiant provideri, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni vestræ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, si per summariam informationem super his per nos recipiendam præmissa vera esse repereritis, pro directione feliciori, subsistentia, & conservatione præfati Studii de Hakendovel, cujus viginti quinque, de Holsbeke, cujus decem & novem, de Cortbeke Over-Loe, cujus sexdecim, de Linckeris inferiori, cujus triginta quatuor, de Knexel, cujus etiam decem & novem marcarum Argenti, nec non de Brecht, cujus nonaginta, de Scelle, cujus octuaginta, de Arbore (Boom) cujus etiam octuaginta, & de Erps, cujus centum Librarum Turonensium parvarum fructus, redditus, & proventus, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, Leodiensis prædictæ, & Cameracensis Diœcesis Parochiales Ecclesias, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, Collegiatæ, & Parochiali Ecclesiæ S. Petri præfati Oppidi, in qua præter illius Plebaniam, cui ejusdem Parochianorum animarum cura imminet, decem & octo Canonicatus & Præbendæ, quorum quindecim de Patronatu dicti Ducis Braban-

ANNO 1443.

tiæ existentis pro tempore existunt, & alii ad Collationem, & provisionem dilectorum Filiorum Decani, & Capituli ipsius Ecclesiæ Sancti Petri Lovaniensis pertinent, fore noscuntur, ultra illos pro quindecim, vel tot, sicut singulis considerandis sollicitè consideratis nobis videbitur, inibi de novo creandis, & instituendis Canonicatibus, & Præbendis, qui per alios, quàm in ipso Studio Legentes, & Regentes pro tempore obtinere nequibunt, auctoritate nostra in perpetuum uniatis, annectatis, & incorporetis.

Ita quod simul, vel successivè cedentibus, vel decedentibus singulis dictarum Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, sive illas aliàs quomodolibet dimittentibus, liceat præfatis Universitati Studii per se, vel alium, vel alios corporalem possessionem singularum Parochialium Ecclesiarum, etiamsi ex quavis causa dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservatæ fuerint, juriumque, & pertinentiarum prædictorum auctoritate propria liberè apprehendere, ejusque fructus, redditus, & proventus, reservatis priùs, & ante omnia per vos de eis pro singulis perpetuis Vicariis in singulis Parochialibus Ecclesiis prædictis per locorum Ordinarios ad exercitium curæ animarum Parochianorum earundem instituendis, singulis congruis portionibus, de quibus ipsi Vicarii sustentari, Episcopalia Jura solvere, & alia eis incumbentia pro tempore onera supportare commodè poterunt, in usus, & utilitatem obtinentium pro tempore creandos & instituendos Canonicatus, & Præbendas hujusmodi percipere, convertere, & perpetuò retinere, Diœcesanorum Locorum, & cujuslibet alterius Licentiâ super hoc minimè requisitâ.

Et insuper si unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi per vos, ut præmittitur, vigore præsentium contigerit fieri, quamprimùm illæ per vos factæ fuerint, in ipsa Ecclesia Sancti Petri ultra dictos decem, & octo inibi existentes, quindecim, vel tot, sicut fructibus, redditibus, & proventibus, qui ex omnibus Parochialibus Ecclesiis prædictis, præfatis reservandis, pro Vicariis portionibus defalcatis, resultabunt, attentis, vobis videbitur pro formatis in Theologia Baccalaureis, sive in illa, aut Medicina, vel qui per triennium legerunt, vel rexerunt, post susceptionem Magisterii gradus in artibus Magistris, sive in utroque, vel altero Jure Doctoribus, aut cum rigore examinis Licentiatis, in eodem Studio Legentibus pro tempore eadem auctoritate creatis, instituatis, ac pro ipsorum dote resultantes fructus, redditus, & proventus prædictos, inter obtinentes pro tempore creandos, & instituendos Canonicatus, & Præbendas, eosdem æqualiter percipiendos, deputetis, & assignetis, illisque pro decore, venustate, profectu, & utilitate dictæ Ecclesiæ Sancti Petri, secundum vestræ discretionis arbitrium onera adjiciatis, & imponatis, nec non statuatis, decernatis, & ordinetis, quod ex tunc perpetuis futuris temporibus in præfata Ecclesia Sancti Petri Canonicatuum, & Præbendarum numerus, qui inibi usque non fuit, tot, quot in ea dicto vigore creabitis, & institutis, Canonicatuum, & Præbendarum numero sit, & censeatur adauctus, ac quod singulis Canonicatibus, & Præbendis creandis, & instituendis hujusmodi nullus Sacer Ordo annexus esse, quodque Magistri, Doctores, Licentiati, & Baccalaurei in dicto Studio Legentes, & Regentes, ac præfatos creandos, & instituendos Canonicatus, & Præbendas obtinentes pro tempore, cum resultantibus ex Parochialibus Ecclesiis, ultra portiones hujusmodi, atque aliis licitis modis acquirendis, præter, & absque hoc, quod aliqui percipiant de decem, & octo Canonicatuum, & Præbendarum prædictorum fructibus, redditibus, & proventibus contenti manere debeant, ac infra, & extra præfatam Ecclesiam Sancti Petri cum habitu, & Religione, ac sine illis incedere, nec non Stallum in Choro, locumque, & vocem in Capitulo habere, ac privilegiis, favoribus, libertatibus, immunitatibus, & indultis quibuslibet in omnibus singulis pari modo absque differentia quacumque uti, frui, gaudere possint, & debeant, sicuti personæ præfatos decem, & octo Canonicatus, & Præbendas obtinentes pro tempore solitæ fuerunt, & existunt, incedere, & habere, ac uti, frui, & gaudere; Ac quod ad singulos creandos, & instituendos Canonicatus, & Præbendas, primaria vice, & deinde Magistri, Doctores, Licentiati, & Baccalaurei, ut præfertur, nec non ad tres ex decem & octo Canonicatibus, & Præbendis, ad collationem, & provisionem Decani & Capituli pertinentes hujusmodi Canonicatus & Præbendas, & ad Plebaniam ipsius Ecclesiæ S. Petri perpetuis futuris temporibus, quoties illorum vacationes occurrerint solum, & duntaxat, ac in Theologia Magister, vel formatus Baccalaureus in dicto Studio Legentes, vel Regentes pro tempore, & nulli alii, per Burgimagistros oppidi præsentari, & in Plebania, cujus viginti octo, ac tribus ex decem & octo Canonicatibus, & Præbendis, quorum singulorum tredecim marcarum argenti, fructus, redditus, & proventus, secundùm æstimationem prædictam, valorem annuum, ut etiam asseritur, non excenunt, per Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Petri, in singulis quoque creandis, & instituendis Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi per Abbatem Partensem, Leodiensis Diœcesis, vel Præpositum (Monasterii) S. Gertrudis oppidi præfati per Præpositum gubernari soliti, dilectos Filios, sive eundem Decanum, ad quem fuerit pro tempore habitus recursus præsentandi, ut præfertur, toties, quoties institui, ac in corporalem possessionem illius, seu illorum, ad quem, seu quos præsentabuntur pro tempore, juriumque, & pertinentiam suorum omnium induci, & inductum defendi, amotis ex illa, seu illis illicitis detentionibus quibuscumque, ac præsentandos ad Præbendas, in quibus instituentur, in dicta Ecclesia Sancti Petri in Canonicos, & in Fratres recipi, Stallo eis in Choro, & Loco in Capitulo ipsius Ecclesiæ cum plenitudine Juris Canonici assignatis, & ad Plebaniam hujusmodi, ut est moris, admitti, illisque de Plebaniæ, ac trium ex decem, & octo Canonicatibus, & Præbendis, nec non creandorum, & instituendorum Canonicatuum, & Præbendarum, prout quemlibet eorum continget, fructibus, redditibus, & proventibus, Juribus, & obventionibus universis, integrè responderi facere, liberè ac licitè possint & debeant absque omni impedimento: Quodque sic præsentati, & instituti pro tempore Plebanus, & Canonici præbendati dictæ Ecclesiæ S. Petri solùm, & duntaxat censeantur, & existant, quamdiu in præfato Studio sine intermissione legerint, vel rexerint, ac quod eorum singulis, impedimento non extante legitimo in ipso Studio legere, vel regere cessantibus, cessantium legere, vel regere eorundem, nisi infra certum peremptorium competentem, per Abbatem, Præpositum, vel Decanum prædictos eis ad hoc assignandum terminum legere, vel regere cum effectu reinceperint, & sine fraude continuaverint, Plebania, Canonicatus, & Præbenda, per cessationem hujusmodi eo ipso vacare censeatur, ac in eorum Locis, quoties id evenire contigerit, alii modis, & formis similibus illico substituantur, & subrogentur.

Super quibus omnibus, & singulis nobis, & illis plenam, & liberam tenore præsentium licen-

tiam

ANNO 1362. tiam concedimus, & etiam facultatem. Cæterùm ut præmissa omnia singula debito quantocitius valeant demandari effectui, & per hoc fructus succedat exoptatus, à singulis Rectoribus singularum Parochialium Ecclesiarum, ac personis obtinentibus ad præsens Plebaniam, & singulos ex tribus de decem & octo Canonicatibus, & Præbendis præfatis Plebaniæ, & singulorum ex tribus Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi resignationes, si eas simul vel successivè in vestris manibus spontè, & liberè facere voluerint, auctorite præfata hac vice duntaxat recipiatis, & admittatis, eisque per vos receptis, & admissis singulis Rectoribus, & personis obtinentibus Plebaniam, ac tres Canonicatus, & Præbendas hujusmodi, ne propter resignationes ipsas nimium dispendium patiantur, super fructibus, redditibus, & proventibus per eis resignandorum Ecclesiarum, & Plebaniæ, ac Canonicatuum, & Præbendarum prædictorum, prout illas resignaverint, singulas annuas pensiones, de quibus secundum vestræ discretionis arbitrium se rationabiliter contentos reddiderunt, eisdem resignatoribus quoad vixerint, vel Procuratoribus suis ad hoc sufficientia mandata habentibus per universitatem Studii hujusmodi singulis annis in locis, & terminis per vos ad hoc constituendis, ac sub excommunicatione per nos in scriptis ferenda, quam singuli dictos creandos Canonicatus, & Præbendas obtinentes pro tempore, si Universitas Studii præfati in solutione singularum pensionum hujusmodi, in eisdem locis, & terminis, vel infra triginta dies, singulos terminos ipsos immediatè sequentes, hujusmodi facienda defecerint, sint negligentes, vel remissi fuerint, quoties hoc evenerit, sententiam, à qua aliquis ex ipsis, donec de singulis pensionibus eis, quos illæ contingent, vel etiam suis Procuratoribus integrè satisfactum, aut cum altero eorum amicabiliter concordatum fuerit, ab alio quam Romano Pontifice, præterquam in Articulo mortis constituus absolvi nequeat, lapsis singulis terminis eisdem incurrat: Et si, quod absit, ipsi Universitas Studii, obtinentes creandos Canonicatus, & Præbendas hujusmodi, eamque sententiam per sex menses ex tunc immediatè sequentes sustinere permiserint, singulæ incorporationes, annexiones, & uniones de singulis Parochialibus Ecclesiis, cum quorum Rectoribus defectus solutionum commissi fuerint pro tempore, facto hujusmodi dissolutæ sint, ac illorum Ecclesiæ Parochiales, nec non Plebania, ac singuli, ex resignandis Canonicatibus, & Præbendis prædictis per resignationes eorum, qui illas resignaverint, vacare censeantur eo ipso, integrè faciendam eadem auctoritate reservetis, constituatis, & assignetis, facientes singulis Rectoribus, ac Personis, Plebaniam, & singulos Canonicatus, & Præbendas resignandos obtinentibus, prædictas singulas pensiones, prout eos contingent, juxta reservationis, Constitutionis, & Assignationis per nos facendarum formas, continentias, & tenores integrè persolvi, contradictores auctoritate nostra, appellatione postpositâ, compescendo.

Noc obstantibus generalibus, & specialibus per Nos, & dictam Sedem, ac nostra, & ipsius Sedis, vel quavis alia auctoritate, de Ecclesiasticis Beneficiis pactis, & inantea faciendis, sub quacumque forma, vel expressione verborum, reservationibus, atque aliis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non præfatæ Ecclesiæ Sancti Petri Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & Consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui Apostolica vel alia quavis auctoritate in ipsa Ecclesia Sancti Petri in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis ejusdem Ecclesiæ Sancti Petri speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. ANNO 1436.

Quas quidem Litteras, & per illas habitos Processus, ad Parochiales Ecclesias, & ex illarum fructibus, redditibus, & proventibus creandos, & instituendos, nec non tres ex decem, & octo Canonicatibus, & Præbendis, Canonicatus, & Præbendas, & Plebaniam prædictos volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, seu Beneficiorum aliorum præjudicium generari: Aut si Venerabilibus Fratribus nostris Leodiensi, & Cameracensi Episcopis, ac præfatis Decano, & Capitulo, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim à dicta sit Sede indultum, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus, aut præstationem, vel solutionem cujusvis minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Canonicatibus, & Præbendis præfatæ Ecclesiæ Sancti Petri, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim vel separatim, spectantibus, nulli valeat provideri per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, ac quibuslibet Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis: Seu si præsentandi & instituendi pro tempore prædicti præsentes non fuerint, ad præstandum de observandis statutis & Consuetudinibus dictæ Ecclesiæ Sancti Petri solita Juramenta, dummodò in absentiis suis per Procuratores idoneos, & cum ad Ecclesiam ipsam accesserint, corporaliter ista præstent.

Attentè quoque provideatis, ne in aliqua resignationum earumdem, si fiant ex parte alicujus resignantium, & Universitatis eorumdem, aliqua pravitas interveniat, sive etiam corruptela.

Nos enim ex nunc irrita, & inania decernimus omnes & singulos processus, quos haberi, ac sententias, Censuras, & pœnas, quas ferri & promulgari, ac quicquid contra tenorem & effectum præsentium per Sedem eandem, sive aliàs per quemque Apostolica vel alia quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Senis Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo tertio, X. Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno tertio decimo.

XVII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. pag. 168.

Nuntiat Episcopo Trajectensi, quod Ducatum Clivensem ab omni Potestate Spirituali Archiepiscopi Coloniensis, & Episcopi Monasteriensis eximat, dictoque Trajectensi injungit, ut Episcopum Titularem deputet, qui Episcopalibus muneribus juxta beneplacitum Ducis fungatur: Anno 1444.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Trajectensi Salutem & Apostolicam Benedictionem.

PAstoralis officii desuper nobis divinâ providentiâ commissi debitum postulat & requirit, ut contra nostrorum & Romanæ Ecclesiæ rebellium temeri-

ANNO 1444.

temeritatem, eorum, qui in nostra & Sedis Apostolicæ obedientiæ devotione & fide firmi & immobiles permanserunt, statui & quieti, animarumque Saluti salubriter consulamus. Exhibita siquidem nobis pro parte dilectorum Filiorum nobilium virorum Adolphi Ducis Clivensis & Johannis ejus primogeniti petitio continebat, quòd cùm tam Seculares quam Ecclesiasticæ personæ, nec non Collegia, Capitula, Monasteria, Ecclesiæ & alia loca Ecclesiastica in suis Dominiis & Terris in Coloniensi & Monasteriensi Diœcesi consistentia, pro eo quòd Archiepiscopus Coloniensis Nobis & Apostolicæ Sedi inobediens & rebellis existit, & iniquitatis Filius Henricus, qui se gerit pro Episcopo Monasteriensi, damnationis Filio Amadeo, olim Duci Sabaudiæ, qui se Felicem V. ausu sacrilego nominare præsumit, & post, & contra processus Apostolicos, contra ipsum & adhærentes Fautores & sequaces per vos factos, adhærere præsumsit; plurima in spiritualibus & temporalibus detrimenta sustineant, & animarum pericula incurrant, cùm hæreticis & schismaticis, ac nobis rebellibus jure ordinario sint subjecta: Pro parte dictorum Ducis & Primogeniti nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum subditorum suorum statui & saluti providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, quibus pascendi oves Christi divinitùs est tributa potestas, volentes ne in perditionis baratrum animæ fidelium perducantur, sed potiùs ab hæreticorum contagione retrahantur, & ne illorum labes corda Christicolarum possit inficere, debito remedio providere: Omnia & singula, personas, Collegia, Capitula, Monasteria, Ecclesias, & loca quælibet Ecclesiastica, dominia, terras & loca supradicta, donec aliud super hoc duxerimus disponendum, ab omni jurisdictione, potestate & superioritate spirituali Coloniensis Archiepiscopi, & Episcopi Monasteriensis eximentes & liberantes. Fraternitati tuæ unum Episcopum, etiam titularem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui in dictis Dominiis, locis & terris, quæ dicti, Dux, primogenitus, & eorum Successores in præfata Coloniensi, & Monasteriensi Diœcesi ad præsens ubique tenent & in futurum quomodolibet obtinebunt, Clericos ordinare, & ad omnes sacros Ordines Ecclesiasticos promovere, chrisma, oleum sanctum conficere, ac omnia alia & singula pontificalia Jura, omnemque spiritualem Jurisdictionem, quæ Archiepiscopi Colonienses, & Episcopi Monasterienses pro tempore inibi habere & exercere consueverunt, & consuetudine vel de Jure tam in visitando, corrigendo, & reformando, quam alia necessaria pro bono regimine illarum partium Cleri faciendo exercere valeat: Nec non contra omnes & singulas personas Seculares & Ecclesiasticas cujuscunque status, ordinis, religionis, seu conditionis fuerint, Monasteria quæcunque, Prioratus, Collegia, Universitates, quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, quæ schismatis labe infecta essent, aut præfato Amadæo quomodolibet adhærerent seu faverent; Ac contra omnes & singulos non obedientes nobis & rebelles inquirere & procedere, illosque per censuras Ecclesiasticas & alia Juris remedia, appellatione postposita, ac per coercitionem realem & personalem, Beneficiorumque suorum quorumlibet, etiamsi Monasteria, Prioratus, & Dignitates Conventuales, Personatus, Administrationes & Officia fuerint privare, & realiter ab eisdem amovere possit; Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, nec non excommunicationis & interdicti, aliasque omnes & singulas sententias, censuras, & pœnas, quæcunque temerè fuerunt per ipsos Archiepisc. Henricum & Decanum Ecclesiæ Sancti Cuniberti Colon. ac quoscunque alios quacunque etiam authoritate in Personas, Monasteria, Prioratus, Collegia, Dignitates, Ecclesias, & Ecclesiastica Loca quæcunque præfata latæ & promulgatæ & imposterum ferendæ, authoritate nostra suspendere, revocare, tollere, & annullare queat, ac cum ipsis personis, quæ sic excommunicatæ se irregularitatis maculam forsan incurrisse putarent, super hujusmodi irregularitate dispensare, & eas habilitare, & in pristinum statum reponere valeat, deputandi & illum amovendi, aliumque sui loco ponendi, quoties pro parte dictorum Ducis & Primogeniti fuerit requisitus, auctoritate præfatâ tenore præsentium concedimus facultatem. Volentes similiter, & tibi eisdem auctoritate & tenore concedentes, ut omnia & singula dignitates, personatus, administrationes, & officia, Monasteria, Prioratus cæteraque Beneficia Ecclesiastica quæcunque in dictis dominiis, terris, locis, nunc vacantia, & imposterum sive per privationes hujusmodi seu aliàs quomodolibet vacatura, quæcunque, quodcunque, & qualiacunque, & cujuscunque valoris fuerint, quæ in turno sive mense ordinariorum vacare contigerit, dummodo non sint Sedi Apostolicæ reservata, personis idoneis per ipsos Ducem & Primogenitum tibi nominandis, auctoritate præfata conferre & de illis providere, ac personas, quibus hujusmodi Beneficia contuleris, in corporalem possessionem ipsorum Beneficiorum inducere, ac de ipsorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Synodalibus & Provincialibus Conciliis, Statutis quoque & Consuetudinibus Ecclesiarum & Monasteriorum prædictorum, in quibus Beneficia hujusmodi forsan fuerint, juramentis quoque per personas ipsas præfatis Archiepiscopo & Henrico hactenus forsan præstitis, quæ quoad hoc relaxantes nullius esse decernimus roboris vel momenti, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscunque. Per præsentes tamen non intendimus in aliquo Juribus Ecclesiæ Coloniensis, quæ, prout & cæterarum, augere cupimus in aliis, ut præmittitur, derogare.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, decimo septimo Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno quarto decimo.

XVIII. Ibidem pag. 168.

Ecclesiasticos, & Sæculares universos ditionis Clivensis à juramentis Archiepiscopo Coloniensi, & Episcopo Monasteriensi præstitis absolvit, & omnes eorum pœnas, sententias, censuras &c. nullius roboris existere decernit: anno 1445.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

Commissam nobis cælitùs gregis Dominici curam digni in Domino gerere tunc speramus, cùm illos, quos per fallacem suæ calliditatis suasionem à debita religionis cultura & sanctæ Sedis Apostolicæ obedientia & reverentia retraxit Minister Sathanæ & seduxit, ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium & unitatem, ad statum Salvationis & gratiæ piis exhortationibus reducimus, & salutarium eruditionum admonitionibus revocamus. Sane Nos dudum de notoria Theodorici de Muerse pro Archiepiscopo Coloniensi & Henrici ejus Fratris pro Episcopo Monasteriensi se geren-

tium

tium adversus nos & Sanctam Romanam Ecclesiam rebellione & inobedientia plenissimè informati, quæcunque juramenta dictis Theodorico & Henrico per quasvis Ecclesiasticas vel Seculares personas infra terras & dominia dilectorum Filiorum nobilium virorum Adolphi Ducis Clivensis, & Johannis ejus primogeniti illustrium, moram trahentes præstita, per alias nostras relaxavimus ac nullius decrevimus existere roboris vel momenti. Cùm autem, sicut veridicorum relationibus accepimus, nonnulla ex personis ipsis, nec non Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, Collegiis ac locis Ecclesiasticis, Secularibus & Regularibus, etiam ultra præmissa juramenta retroactis temporibus cum majori ac aliis Civitatis & Diœcesis Coloniensis Ecclesiis, Monasteriis, Capitulis, ac Collegiis & Locis de illis firmitur assistendo, adhærendo, seu cum eis tenendo, & ab eis ipsorumque statu, ordinationibus, stabilitate seu aliàs nullatenus recedendo, colligationes & stabilitates, etiam intervenientibus juramentis fecerint, & diversis pactis etiam juramento vallatis firmaverint; Et propterea ad segregandum se à colligationibus, stabilitatibus, pactis & posterioribus juramentis prædictis non modicas difficultates ingerant, etiam gravitates: Nos itaque, qui in præmissis ex Apostolatus tenemur officio providere, colligationes, stabilitates, pacta, & desuper præstita juramenta prædicta, nec non quæcunque inde secuta, tanquàm minus providè & irrationabiliter, ac contra Sanctam Romanam Ecclesiam, cujus auctoritas in quolibet juramento censetur excepta, gesta & facta, quamdiu, dicta Ecclesiæ Capitula Monasteria, & loca in rebellione erga Nos & Apostolicam Sedem perstiterint, pro infectis haberi, nec eos ad ipsorum observantiam teneri quoquo modo volumus & decernimus; Per præsentes districtiùs inhibentes, sub divini obtestatione judicii, quibusvis personis prædictis, ac aliis quibuslibet, ne prætextu dictorum colligationum, pactorum & juramentorum, quæ dicta rebellione durante irrita, cassa & manca nuntiamus, contra præsentium litterarum formam ac seriem alicui ex rebellibus Nobis & dictæ Sedi quomodolibet adhæreant, pareant, vel intendant, vel quicquam audeant attemptare, & insuper omnia & singula, pœnas, sententias, censuras & banna quacunque dignitate & auctorite & Cæsarea & Regia contra Personas Ecclesiasticas, Oppida, loca, dominia & terras, quæ Adolphus Dux & Johannes primogenitus præfati ad præsens ubique tenent, & in futurum quomodolibet tenebunt, lata & ferenda cassamus, irritamus, revocamns, annullamus, ac pro infectis, cassis & irritis haberi & reputari, nulliusque existere roboris decernimus per præsentes: Non obstantibus colligationibus, pactis, eo desuper præstitis juramentis prædictis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, inhibitionis, nunciationis, irritationis, revocationis, annullationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Siquis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se sciverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, sexto Idus Julii, Pontificatus nostri Anno quinto decimo.

XIX. Ex Ibid. Tom. 1. pag. ---

Super diversis Indultis, Dispensationibus, ac Concessionibus datis Friderico III. Imperatori & Principibus Germaniæ, qui recesserant à Neutralitate, & obedientiam Rom. Pontifici præstiterant: Anno 1446.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futurum rei memoriam.

INter cætera desideria cordis nostri Filios quoslibet ad nostram & Apostolicæ Sedis obedientiam exoptantes adduci, illa, temporum qualitate pensata, aliquando concedimus, ordinamus & statuimus, per quæ Christi fidelium tranquillitati & commodis, remotis dissensionibus & scandalis, consulatur, & exinde animarum Salutem valeant adipisci. Sanè cum propter dissensionem inter Nos & eos, qui Basileæ sub nomine generalis Concilii remanserant, dudum exortam, nonnulli Principes tam Ecclesiastici quam Seculares nationis Germanicæ in quadam neutralitate, & animorum suspensione, à die decima septima mensis Martii de anno millesimo quadringentesimo octavo usque in præsentem diem se tenuerint; Ea mente, ut asserunt, ut postmodum unanimi consensu in nostrâ, & Sedis Apostolicæ obedientiâ & reverentiâ paribus incedere possent: Et carissimus in Christo Filius noster Fridericus Rex Romanorum, Illustris ac Venerabilis Frater noster Theodoricus Archiepiscopus Moguntinensis: Et dilectus Filius, nobilis vir, Fridericus Marchio Brandenburgensis Sacri Imperii Electores, ac Venerabiles Fratres nostri Fridericus Magdeburgensis, Fridericus Salzeburgensis, & Gerardus Bremensis Archiepiscopi, ac quidam alii Prælati & Principes dictæ nationis nobis debitam obedientiam per suos Oratores præstiterint, ac nos solum Jesu Christi Vicarium recognoverint & professi fuerint. Nos, attentis, quod dictæ neutralitatis & suspensionis tempore plurima in ipsa natione acta, gesta, & facta fuerint, quæ confirmationem, indulgentiam & dispositionem super eis Apostolicæ auctoritatis requirunt; Præfatorum Regis, Archiepiscoporum, Marchionis cæterorumque Prælatorum & Principum Supplicationibus inclinati, omnes & singulos, tam Metropolitanarum, quàm Cathedralium aliarumque Ecclesiarum, nec non Dignitatum, etiam Abbatialium, ac post Pontificales Majorum, & in Collegiatis Ecclesiis principalium, & aliorum beneficiorum, ac officiorum Ecclesiasticornm quorumcunque, etiamsi Ecclesiæ curatæ, Canonicatus & Præbendæ fuerint; Electiones, postulationes, confirmationes, collationes, provisiones & dispositiones, nec non processus, sententias aliaque acta judiciaria autoritate ordinaria hujusmodi suspensionis & neutralitatis tempore factas, seu facta, quæ omnia, & singula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, ac ea rata, & grata habentes, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus. Volentes ac etiam statuentes, ut nulli qui in possessione Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi quacunque, etiam eorum, qui Basileæ post translationem & dissolutionem Concilii ibidem remanserunt, auctoritate ea fuerunt assecuti, super hujusmodi Ecclesiis, Dignitatibus, Beneficiis, & Officiis, ac sententiis & processibus, etiam si in Romana Curia,

vel extra eam lis, cujus ſtatum præſentibus habemus pro expreſſo, indeciſa pendeat, etiamſi ſuper eis, ad ea vel contra ea fuerit alteri jus quæſitum, ſeu jus aliqui ſe habere prætenderent, ex nunc in antea, in ipſa Curia, vel extra eam; Apoſtolica vel alia quavis auctoritate impediri, aut quomodolibet ex quavis ratione vel cauſa moleſtari poſſint, ſed in ſuis poſſeſſionibus pacificè remaneant.

Lites quoque & cauſas quaſcunque ſuper hujuſmodi Eccleſiis, Dignitatibus, Beneficiis & Officiis pendentes, illis dumtaxat exceptis, quæ coram ordinariis Judicibus, apud quos juxta formam dictæ ſuſpenſionis & proteſtationis exinde ſecutæ licuit litigare, indeciſæ pendent, ad nos advocantes, auctoritate, & ſcientia prædictis extinguimus, & ſuper eis adverſariis eorum perpetuum ſilentium imponimus; Poſſeſſores verò ipſos volumus in ſuis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Beneficiis & Officiis pacificè remanere, quibus omnibus ipſas Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, Beneficia & Officia, quocunque modo vacaverint, auctoritate & ſcientia præfatis tenore præſentium conferimus, & providemus de eiſdem: Ac illis, qui Pallium dictorum, qui Baſileæ poſt noſtram tranſlationem ſub nomine Generalis Concilii remanſerunt, auctoritate receperunt, ut illo uti poſſint, præſentibus concedimus, & indulgemus, illis autem, qui non habent, ſine difficultate dabimus, & etiam liberè concedimus: Illis tantùm perſonis exceptis, quæ occaſione privationum propter noſtram aut Baſilienſem adhæſionem factarum Beneficia detinent, in quibus habeat locum proviſio & diſpoſitio ſuper his, quæ contra proteſtationem facta forent, per præfatum Regem & Electores Imperii conjunctim vel diviſim promulgata. Per hoc autem nulli contendentium ſuper titulo & Juribus Eccleſiarum Friſingenſis, & Oſilienſis, volumus aliquod præjudicium afferri, aut etiam generari, ſed liberum ſit unicuique eorum jus ſuum proſequi juſtitia mediante.

Præterea omnia & ſingula, quæ dictis ſuſpenſione & proteſtatione durantibus in præjudicium, gravamen, vel læſionem Juriſdictionis, Juris, vel Poſſeſſionis Metropolitanorum, Dioceſanorum, Principatuum, Dominiorum, Terrarum Regis & Electorum ac Archiepiſcoporum, nec non aliorum Epiſcoporum, Prælatorum, Collegiorum Perſonarum ſeu rerum quarumcunque contra fœdus proteſtationis & ſuſpenſionis hujuſmodi quomodocunque vergentia, Apoſtolica vel alia quavis auctoritate conceſſa, ac in judicio vel extra obtenta: Inſuper Eccleſiaſticas cenſuras, mulctas & pœnas, nec non cujuſcunque irregularitatis & inhabilitatis maculas, tam à jure, quam ab homine propter præmiſſa quomodolibet promulgatas quoque ſeu infligendas, quoad Regem, Archiepiſcopos, & Marchionem præfatos, eorumque Dominia, Clericos, Subditos & Vaſſallos, & ad eos quoque, qui infra ſex menſes à dato præſentium computandos ſe declaraverint pro Nobis, aut eidem declarationi adhæſerint; Caſſamus, irritamus & annullamus, nulliuſque eſſe decernimus roboris vel momenti, omnem irregularitatis & infamiæ maculam ſive notam per eos præmiſſorum occaſione contractam penitùs abolentes, & eos rehabilitantes & reſtituentes ad eorum Eccleſias, Beneficia, Officia, Dignitates, & honores quæcunque, ac in priſtinum ſtatum, & eum in quo erant ante præmiſſa reponentes; nec non illis, qui contra ipſos impetratis, conceſſis vel obtentis ſeu impetrandis, concedendis & obtinendis quomodolibet niterentur, etiamſi eis, aut eorum alicui jus quæſitum foret, ex certa ſcientia de poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponentes. Inſuper quaſcunque obligationes ſuper annatis ſeu communibus & minutis ſervitiis, cæteriſque juribus, Nobis & Cameræ Apoſtolicæ ſeu Collegio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium cæteriſque Officialibus debitis, ſeu quæ deberi dicerentur occaſione quarumlibet Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum quorumcunque usque in præſentem diem, remittimus, de noſtra liberalitate relaxamus pariter, & donamus, eoſque qui in hujuſmodi debitis obligati eſſent ab omni eorum ſolutione abſolvimus & etiam liberamus. Diſpenſationes præterea quaſcunque, niſi tales forent, quas hactenus Sedes Apoſtolica concedere non conſuevit, Indulta quoque forum conſcientiæ reſpicientia, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, nec non novas pro poſſeſſoribus ſine præjudicio juris quæſiti, ipſa ſuſpenſione durante, vel etiam antea à Nobis, aut ab eis, qui Baſileæ ſub nomine Concilii remanſerunt, aut Legatorum ſuorum, vel alia quavis auctoritate obtentas, impetratas, conceſſas ſeu conceſſa, ac omnia inde ſecuta à die data conceſſionis earundem eadem auctoritate confirmamus, perinde ac ſi à Nobis impetrata fuiſſent. Super ſententiis autem in Romana Curia vel in Baſilea ſub nomine generalis Concilii ante ipſam ſuſpenſionem vel ea durante in cauſis, in quibus uterque litigantium extraordinario titulo nititur, latis, quæ executioni nondum ſunt demandatæ; volumus, ſtatuimus & ordinamus, quòd hujuſmodi ſententiæ coram Judice ordinario tractentur, & quicquid utraque pars vellet producere pro jure ſuo, coram eo debeat exhibere, qui quidem Judex ſummariè, ſimpliciter & de plano, ſolâ facti veritate inſpectâ, præcedens negotium ipſum unica valeat terminare ſententiâ, à qua nulli partium appellare liceat aut provocare, aut reſtitutionem aliquam obtinere; Per hoc autem nullatenus præjudicare intendimus, eis qui poſſeſſionem Dignitatum, etiam Metropolitanarum, Cathedralium, & Abbatialium ſeu Beneficiorum quorumcunque ordinaria, vel alia auctoritate, ſub eadem natione obtinentes, durante neutralitate vel ſuſpenſione prædictorum vigore proceſſuum in Romana Curia, vel in Baſilea ſub nomine Generalis Concilii obtentorum, aut aliàs violenter fuerunt ſpoliati; Sed tam ſpolia, quam jura eorum denuò coram Judicibus ordinariis cognoſcantur, & ſine debito terminentur. Inſuper omnes & ſingulas præfatæ nationis, aut alterius in ea Beneficia vel Officia obtinentes, perſonas Eccleſiaſticas & Seculares, etiamſi Regalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, vel alterius dignitatis fuerint, qui poſt diſſolutionem ſive tranſlationem præfati Concilii per Nos factam Congregationi Baſilienſium ſub nomine Generalis Concilii adhæſerunt, obediverunt, aut incorporati fuerunt, qui jam ad noſtram obedientiam ſunt reverſi, vel infra ſex menſes poſt declarationem pro Nobis factam redierint, ſeu Declarationi ipſi adhæſerint, ab omnibus & ſingulis juramentis, perjurii reatu, ac aliis cenſuris & pœnis, ſi quibus tenerentur aut incurriſſent, inflictis, & in tales promulgatis aut propterea infligendis, auctoritate præfata abſolvimus, & liberamus, ac omnem irregularitatem, inhabilitatem, & infamiæ maculam ſive notam exinde quandolibet forſan contractam abolemus, & in priſtinum ſtatum reſtituimus & reponimus, perinde ac ſi talia minimè emanaſſent. Præterea omnes & ſingulas perſonas nationis præfatæ, ſive alterius Beneficia in ea vel Officia, ſicut præmiſſum eſt, obtinentes, quæ ſub Declaratione hujuſmodi pro Nobis facta, vel facienda continebuntur, quæ poſt hujuſmodi Concilii tranſlationem Baſileæ remanſerunt, aut ipſi Congregationi adhæſerunt, faverunt

Anno 1446.

officiis in eadem præfuerunt, aut in legatione eorum nisi sunt quandoque, aut eis crediderunt ab omnibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque censuris & pœnis in eas per processus nostros, aut alias inflictis & promulgatis absolvimus, cum his qui ibidem seu à provisis ab ipsis aut eorum auctoritate sacros ordines dicto tempore receperant, ut in susceptis ordinibus ministrare valeant dispensantes. Volumus insuper, quòd singuli metropolitani nationis ejusdem, actu jam nobis obedientes, vel qui infra sex menses, ut præfertur nobis & Apostolicæ sedi debitam obedientiam præbuerint, consimiles bullas sive literas Apostolicas habeant, super quibus petentibus quibuscunque quoties opus fuerit sub eorum sigillis transumpta concedere valeant, eisque in judicio vel extra plena fides, sicut originalibus litteris, per omnia præbeatur. Super Ecclesiis autem Treverensi & Coloniensi, de quibus in petitionibus Regis, Archiepiscopi Maguntinensis & Marchionis præfatorum specialis est positus articulus, per alias nostras literas desuper editas specialiter providimus, prout in eis latius continetur. Ut autem præmissa eò firmius observentur pro nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio, & assensu, pollicemur omnia & singula supra dicta inviolabiliter observare, & contra ea, vel ipsorum aliquod in toto vel in parte, nullo unquam tempore quicquam innovare, & quod nobis licere non patimur eisdem successoribus indicamus; Decernentes ex nunc irritum & inane si secus super his à quoquam quavis etiam Apostolica auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; Quinimò, si adversus præmissa literæ aliquæ aut mandata ad cujuscumque instantiam, vel etiam si motu proprio seu ex certa scientia, etiam cum derogatoriis clausulis sub quacunque verborum forma à nobis seu nostra auctoritate ab alio quovis emanassent, seu in futurum emanarent; tales ex nunc pro infectis volumus haberi, quodque is, contra quem emanassent, aut concessæ fuissent, aut emanarent & in futurum concederentur, illis minimè obedire teneatur. Non obstantibus quibuscunque constitutionibus Apostolicis, & etiam cum decreto irritante, quocunque tenore existant in genere vel in specie, per nos seu prædecessores nostros concessis seu concedendis privilegiis vel indultis, de quibus ac totis tenoribus eorum specialis & expressa etiam de verbo ad verbum mentio in nostris literis foret facienda, nec non quarumcumque Ecclesiarum statutis & consuetudinibus etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate roboratis; cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, voluntatis, statuti, advocationis, extinctionis, impositionis, collationis, provisionis, concessionis, cassationis, irritationis, annullationis, constitutionis, abolitionis, rehabilitationis, restitutionis, repositionis, remissionis, relaxationis, donationis, absolutionis, liberationis, ordinationis, intentionis, dispensationis, pollicitationis, & indicationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo, quadragesimo sexto, septimo Idus Februarii, Pontificatus nostri, Anno sexto decimo.

Anno 1446. XX. Ex ibid. Tom. I. pag. 391.

Concessio ad instantiam Friderici Imp. facta, ut Decreta Concilii Basileensis ab Alberto Rege acceptata porrò in Germania observentur, usque ad futuram modificationem: Anno 1446.

EUGENIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD tranquillitatem & commoda omnium Christi fidelium, & præsertim nationis Germanicæ, quam Apostolica sedes singulari affectione prosequitur diligenti studio intendentes ea libenter concedimus, per quæ ipsius nationis personarum quieti & commoditatibus consulatur. Sanè ad instantiam carissimi in Christo Filii nostri Frederici Romani Regis illustris, & venerabilis Fratris nostri Theodorici Archiepiscopi Maguntin. ac dilecti filii nobilis viri Friderici Marchionis Brandenburgensis per alias nostras litteras nonnulla circa concilium Constantiense ejusque decreta, nec non futuri convocationem Concilii mentem nostram concernentia declaravimus, prout in ipsis literis pleniùs continetur. Super aliis autem decretis Basileæ editis, & per claræ memoriæ quondam Albertum Romanum Regem acceptatis ex quorum observantia natio Germanica præfata ex pluribus gravaminibus dicitur relevari; contenti sumus, volumus, ac decernimus, quod omnia & singula vigore decretorum hujusmodi cum suis modificationibus acceptatorum per eos, qui illa acceptarunt, vel acceptantibus in natione præfata adhæserunt usque in præsentem diem quomodolibet gesta vel acta sunt, cum omnibus inde secutis rata, firma, & inviolabilia persistant; nec in posterum à quoquam quavis auctoritate cassari, annullari aut irritari, quovis modo valeant, vel revocari: quodque omnes, & singuli, qui usi sunt illis, ac in vim dictorum decretorum, à die acceptationis eorundem quicquam consecuti sunt, securi sint & quieti, nec propterea impeti, turbari aut molestari possint, quomodolibet in futurum. Super observatione verò & modificatione decretorum eorundem, cum nonnulli Prælati nationis præfatæ ex eisdem decretis gravatos se fore conquesti sint, cumque in illis Apostolicæ sedis, quæ multum in suis juribus ex ipsis decretis gravata dignoscitur, recompensatio promissa sit, decrevimus legatum nostrum cum sufficienti potestate ad partes Germaniæ hujusmodi transmittere, qui mediantibus Rege, Archiepiscopo & Marchione præfatis ac aliis ejusdem nationis Principibus & Prælatis, cum quibus fuerit opus super observantia & modificatione decretorum hujusmodi, nec non super provisione sedi prædictæ faciendis, tractare poterit & finaliter concordare. Permittentes interim & indulgentes, quod omnes & singuli, qui præfata decreta receperunt vel recipientibus, ut præmissum est, adhæserunt in præfata natione, illis similiter cum modificationibus, quibus recepta sunt, libere, & licitè uti possint, quos etiam circa singula præmissa manuteneri & defensari volumus, donec per legatum hujusmodi, ut prædictum est concordatum fuerit, vel per Concilium, quod ad prædictorum Regis, Prælatorum & Principum ex hortationem convocare proponimus, aliter fuerit ordinatum, non contraventuri, nec contravenientibus consensuri quovis modo. Speramus autem & à certo tenemus dictos Regem, Archiepiscopum,

Anno 1446.

Marchionem, & alios Principes, & Prælatos tanquam devotis ipsius sedis non passuros medio tempore Romanam Ecclesiam remanere in suis juribus spoliatam. Hanc autem concessionem ad eos, qui declarationi vel obedientiæ per suos Prælatos vel superiores nobis factæ, aut infra sex menses faciendæ se opponerent, nullatenus extendi volumus, vel eis opitulari. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, permissionis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo, quadragesimo sexto, Nonis Februarii, Pontificatus nostri anno sexto decimo.

Anno 1447.

NICOLAUS QUINTUS, PONTIFEX CCXII.

ANNO DOMINI MCCCCXLVII.

NICOLAUS priùs Thomas dictus successit Eugenio IV. anno 1447. Fautor literarum, tria millia Librorum in Vaticanam Bibliothecam intulit. Fridericum IV. Imper. cum Eleonorâ Lusitanicâ coronavit. Magnificus in Græcos, Nobiles, Virgines egenas, literatos inprimis, quos undique in aulam suam accivit. Obiit anno 1455. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 357. *App.*)

I. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. 2. pag. 1264.

Confirmat Confraternitatem septem Capitulorum initam à Capitulis Flandro-Belgicis, quod frequentius quàm par esset ad Urbem Cameracensem prò litibus evocarentur: anno 1446.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei; dilecto Filio Archidiacono Antuerpiensi in Ecclesia Cameracensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

RAtioni convenit, & congruit æquitati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt licet ejus superveniente obitu Apostolicæ super illis litteræ confectæ non fuerint, suum consequantur effectum.

Dudum siquidem pro parte Filiorum dilectorum S. Gudilæ Bruxellensis, S. Rumoldi Mechliniensis, S. Petri Turnothensis, B. Mariæ Teneramundensis, & S. Gaugerici Halterensis Cameracensis Diocesis, Ecclesiarum Decanorum, Capitulorum, singulorumque Canonicorum, & personarum earumdem Ecclesiarum felicis recordationis Eugenio Papæ quarto Prædecessori nostro, exposito. Quod olim ipsi considerantes, quòd personæ, & subditi Ecclesiarum prædictarum tam per Vicarios, Officiales, & servitores Episcoporum Cameracensium pro tempore existentium, quàm alias diversas personas quandoque præter, & contra æquitatis, & justitiæ tramitem non nunquam verò pro minima re sæpiùs gravati fuerant, & in dies gravabantur, ac molestabantur.

Formidantesque, & ex præteritis quæ futurorum certitudinem, & cautelam præstant, colligentes ipsos per eosdem Vicarios, Officiales, & servitores in juribus, & libertatibus Ecclesiasticis ac aliàs successu temporis plus gravari, perturbari, & inquietari posse.

Ac etiam attendentes, quod multorum ex personis, & subditis prædictis ad defendendum se super motis eis pro tempore quæstionibus, ad prosequendum causas desuper facultates minimè suppeterent.

Ad obviandumque inconvenientiis, & dispendiis, quæ propterea plerumque proveneurant, nec non etiam succurrendum personis, & subditis eisdem in subortis pro tempore contra eos dissensionum, quæstionumque materiis, ac aliàs ad manutenendum, & conservandum jura, privilegia, & libertates Ecclesiarum, & personarum hujusmodi, quamquam honestam, & rationi, ac æquitati consonam, amicitiæ quoque, & tranquillitatis productivam inter se fecerant confraternitatem, sive societatem.

Ac inter alia matura deliberatione prævia ordinaverant, quod ipsi Decani, Canonici, & Capitula sese, ac quoscumque eorum subditos, nec non jura, privilegia, & libertates hujusmodi per viam justitiæ & æquitatis contra quoscumque tuerentur, & defenderent.

Quodque si quis ex eis ac subditis prædictis assereret se per quempiam gravatum, sive oppressum, vel se gravari, aut opprimi posse verosimiliter, hujusmodi gravaminis, sive oppressionis casum, & modum suo Capitulo seriatim, & ad longum, à veritate nullatenùs deviando exponeret, & ex tunc si Capitulum hujusmodi ipsum casum in præjudicium, dispendium, & læsionem jurium, privilegiorum, & libertatum Ecclesiæ, ubi dictum Capitulum foret, cedere, aut redundare reperiret, hujusmodi casum, & modum singulis aliis Capitulis præfatis, & singularibus ex illis personis transmittere, & insinuare teneretur.

Et desuper Decani, Canonici, & singulares personæ Capitulorum eorumdem, suas, utrùm casus ipse justus, & æquitati conformis, & per consequens defendendus foret, aut ne, opiniones, & motiva scribere, & super hoc avisare, ac ex tunc singuli eorumdem casum prædictum, si ut præmittitur justus foret, & defendendus videretur, communibus sumptibus, et expensis defendere tenerentur.

Si verò taliter gravatus, & oppressus suum Capitulum hujusmodi malè, & sinistrè informasse reperiretur, factas per ipsa Capitula propterea, & exindè necessariò faciendas expensas, & interesse, quoad hoc, si solvendo esset, solveret, alioquin juxta casus hujusmodi exigentiam puniretur, & corrigeretur taliter, quod aliis cederet in exemplum.

Non nulla quoque alia salubria, & honesta, ac commune bonum contingentia fecerant, & ordinaverant, prout in contentis desuper confectis litteris sivè Instrumentis publicis dicebantur contineri; ac subjuncto Prædecessori prædicto, quod fraternitas, sive societas hujusmodi per quam plures notabiles,

& pe-

& peritos commendata, & laudata fuerat, ac in præjudicium, vel dispendium sive læsionem Juris, ac jurisdictionis ordinarii loci, vel cujusvis alterius nullatenus processerat, ipsique Decanus, Canonici, Capitula, & personæ ordinario prædicto, aliisque suis superioribus in omnibus, in quibus tenentur, se obtemperaturos offerant, & obedire, & semper parati existerent.

Ac pro parte Decanorum, Capitulorum, Canonicorum, & Personarum eidem prædecessori supplicato, ut confraternitati, sive societati, nec non per ipsos Decanum, Capitula, & Canonicos circa conservationem Jurium, privilegiorum, & libertatum Ecclesiarum, ac aliorum præmissorum factis, & ordinatis hujusmodi, ac in dictis litteris, sive instrumentis contentis pro eorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ Confirmationis adjicere dignaretur.

Præfatus Prædecessor hujusmodi supplicationibus inclinatus, voluit, & concessit, videlicet decimo Kalendas Martii Pontificatus sui Anno sexto decimo, certo dari Judici in mandatis, ut si erat ita, circa confraternitatem, sive societatem hujusmodi, & pro illius conservatione facta, & ordinata, nec non prout illas contingebant, omnia, & singula in dictis litteris, sive instrumentis contenta auctoritate Apostolica approbaret, & confirmaret.

Ne autem Decani, Capitula, Canonici, & personæ prædicti, voluntatis, & Prædecessoris concessionis hujusmodi pro eo quod super illis litteræ hujusmodi prædecessoris, ejus superveniente obitu confectæ non fuerunt, frustrentur effectu, volentes, & eadem auctoritate decernentes, quod voluntas prædecessoris, & concessio prædictæ suum à dicta die decimo Kalendas Martii sortiantur effectum, ac si super eis præfati Prædecessoris litteræ sub ipsius diei data confectæ fuissent. Quodque præsentes litteræ ad probandum plenè voluntatem Prædecessoris, & concessionem hujusmodi ubi sufficiant, nec ad id probationis alteriùs adminiculum requiratur, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si confraternitatem, sive societatem prædictam justam, & rationabilem, nec non præmissa veritate niti compereris, super quo tuam conscientiam oneramus omnia, & singula per Decanos Capitula, & Canonicos supra dictos circa confraternitatem, sive societatem hujusmodi, ut illa vigeat, & conservetur, facta, & ordinata, nec non quæcumque in ipsis litteris, sive instrumentis contenta, & quæcumque inde sequuta, auctoritate nostra ratifices, approbes pariter, & confirmes, supplendo omnes defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus quibuscumque Apostolicis, ac provincialibus, & synodalibus edictis generalibus, vel specialibus constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, quarto decimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno octavo.

Amedeum omni Dominio Sabaudiæ privatum, atque illud ad Regem Franciæ devolutum declarat. Deinde fideles hortatur quod sumant arma in Amedeum, ejusque sequaces: Anno 1447.

I. Ex Cod. Leibnitii Tom. 1. pag. 378.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Quam sit plena periculis & horrenda schismaticorum immanitas, qui vineam Domini Sabaoth, & inconsutilem Christi vestem dividere satagunt & turbare nituntur, animarum illorum perditio docet, qui non veri baptismatis fonte renati, aliaque suscipientes nulliter sacramenta, viam universæ carnis ingressi in tetrum barathrum dilabuntur. Contra quos licet per felicis recordationis Eugenium Papam IV. Prædecessorem nostrum, sacrasque & œcumenicas Ferrariensem, Florentinam, & Lateranensem synodos plurimi processus tam generales quàm speciales habiti fuerint, diversas pœnas & sententias continentes, quas in suo robore volumus permanere, & habere præsentibus pro expressis: Ex pastoralis tamen sollicitudinis cura, quam habere erga gregem dominicum perurgemur, ad iniquitatis alumnum Amedeum olim Sabaudiæ Ducem, ejusque fautores adhærentes, complices & sequaces ne ipsorum invalescente malitia furor hujus tempestatis invaleat, & ad similia animos aliorum inducat, præsertim in Regno Franciæ, cui vicina Sabaudia est, & proxima, & à quo illius Regum opera infinita bona Catholicæ fidei, omnique Christiano populo continuatis temporibus provenerunt, oculos congrua animadversione convertimus, ut hujusmodi pravorum nequitiis, quantùm cum Deo possumus opportunis remediis occurramus. Considerationе igitur præmissorum diligenti cum Fratribus nostris deliberatione præhabita, ad ipsorum Amedei fautorum, adhærentium, complicum, & sequacium proterviam extirpandam carissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum Regem illustrem, quem post progenitores suos Franciæ Reges, qui ut exacti temporis antiquitas fidelis insinuat Romanam Ecclesiam multipliciter extulerunt, propugnatorem præcipuum & paratum semper invenit auctoritate Apostolica præsentium tenore vocamus, eique Ducatum Sabaudiæ omnemque ipsius Amedei notorii schismatici, hæretici excommunicati, & anathematizati terram, ac ejus fautorum, adhærentium, complicum, & sequacium, bona diversimodè hactenus confiscata donamus firma spe fiduciaque tenentes, quod populi, Ducatus, & terræ hujusmodi ad ovile domini, ipsius Regis potentia reducentur, & per se vel dilectum filium Ludovicum Delphinum Viennensem primogenitum suum, assumpto Crucis signaculo contra præfatos Amedeum & sequaces viriliter se accinget, & triumphum obtentum de hujusmodi nefandis hostibus reportabit. Et ut tam salubre negotium in manu forti & robusta procedat, omnes Christi fideles ad hoc fidei exercitium salutare non solum piis exhortationibus, sed etiam superabundantibus gratiis invocamus. Et ut universi, & singuli eò libentiùs & animosius ad id currant, quo spiritualia dona, quæ temporalibus præferuntur, perceperint potiora. Nos de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus qui cum Rege aut Delphino præfato contra Amedeum & sequaces eosdem in propriis personis, propriisque expensis processerint, ple

nam suorum peccatorum veniam indulgemus, & in retributionem justorum vitæ æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in propriis personis hoc fecerint, sed eorum expensis alios juxta facultates & qualitates suas viros idoneos destinaverint, ac iis qui alienis expensis, sed in propriis personis accesserint plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, pridie Idus Decembris Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag 384.

FASCICULUS CONCORDATORUM

Nationis Germanicæ cum Pontificibus Rom. sub *Martino* V. *Eugenio* IV. & *Nicolao* V. ex quibus postrema vulgo habentur, quæ tamen se referunt ad priora & ex iis capiunt lucem: itaque cætera quoque hic sub Nicolai Pontificatu referre placuit ad ann. 1447.

Concordia facta in Concilio Constantiensi inter Martinum *Papam V. & nationem Germanicam*, de Ecclesiæ Universalis administratione, *à Johanne Cardinali Ostiensi Ecclesiæ Romanæ Vicecancellario sub sigillo ipsius communicata Ecclesiæ Metropolitanæ Magdeburgensi.* Constantiæ 3. *Maii Pontificatus* Martini *anno primo.*

Universis & singulis JOHANNES *miseratione divina* Episcopus Ostiensis *Sancta Romanæ Ecclesiæ* Cardinalis *&* Vicecancellarius, *salutem in Domino & præsentibus fidem indubiam adhibere.*

SI juxta laudabilem antiquorum sententiam & providum sapientum consilium dignum est, ea quæ majorum consultissima providentia in subditorum gratiam & commoda geruntur, scripturæ testimonio redigere; dignum per consequens est, & rationi consentaneum, ut adeò nota fiat eorum veritas, quod inde nec desit pacificis opportuna provisio, nec usquam perversis sub ignorantia variandi supina facultas relinquatur.

§. 2. Cum itaque nuper inter Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum nostrum, Dominum *Martinum* divina providentia Papam *quintum*, & Reverendos Patres, Prælatos, nec non egregios & circumspectos viros Ambassiatores, Procuratores, Doctores & Magistros, cæterosque *venerabilem nationem Germanicam in generali Concilio Constantiensi repræsentantes* & facientes; nonnulla *capitula concordata ab utraque parte* sponte suscepta, nec non de dicti Domini nostri Papæ mandato *in libro Cancellariæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quo Romanorum Pontificum constitutiones & ordinationes solent conscribi* ad futuram rei certitudinem nobis operam dantibus, prout ad nostrum spectat officium, die quinta decima mensis Aprilis, Pontificatus dicti Domini nostri Papæ anno primo conscripta fuerunt, ac de simili mandato in *Audientia contradictarum* die secunda mensis Maii, anno quo suprà lecta & publicata: adjecto quod sub nostrarum literarum testimonio indigens quisque sibi testimonium sumere valeat, in toto vel in ea parte, quâ indiguerit earundem.

§. 3. Nos ad Reverendi in Christo Patris Domini Guntheri Archiepiscopi, ac Præpositi, Decani & Capituli Ecclesiæ Magdeburgensis instantiam, capitula hujusmodi, sic ut præfertur, concordata & sponte suscepta, ex integro libro prædicto de verbo ad verbum fideliter conscribi & præsentibus annotari fecimus, quorum tenor sequitur in hunc modum.

§. 4. De numero & qualitate Cardinalium, statuimus ut deinceps numerus Cardinalium sanctæ Romanæ Ecclesiæ adeò sit moderatus, quod non sit gravis Ecclesiæ, qui de omnibus partibus Christianitatis proportionabiliter, quantum fieri poterit assumantur, ut notitia causarum & negotiorum in Ecclesia emergentium faciliùs haberi possit, & æqualitas regionum in honoribus Ecclesiasticis observetur; sic tamen, quod num. XXIV. non excedant, nisi pro honore nationum, quæ Cardinales non habent, unus vel duo pro semel de Consilio & consensu Cardinalium assumendi viderentur, sint autem viri in scientia, moribus & rerum experientia excellentes, *Doctores in Theologia, aut in jure Canonico vel Civili, præter admodum paucos, qui de stirpe Regia vel Ducali aut magni Principis oriundi existent*, in quibus competens literatura sufficiat; non fratres aut nepotes ex fratre vel sorore alicujus Cardinalis viventis; nec de uno ordine mendicantium ultra unum; non corpore vitiati, nec alicujus criminis vel infamiæ nota respersi, nec fiat eorum electio per auricula vota solummodo, sed etiam cum Consilio Cardinalium collegialiter, sicut in promotione Episcoporum fieri consuevit, qui modus etiam observetur, quando aliquis ex Cardinalibus in Episcopum assumetur.

§. 5. De *provisionibus* Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, dignitatum & aliorum beneficiorum, Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus V. super provisionibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum quorumcumque utetur *reservationibus* juris scripti, ex *Constitutione execrabilis & ad Regimen*, modificatæ, ut sequitur. Ad regimen Ecclesiæ generalis, quanquam immeriti suprema dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiæ studium ad quarumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum regimina, & alia Ecclesiastica beneficia juxta divinum beneplacitum & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsint & prosint committendis eis Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis prælibatis. Præmissorum namque consideratione inducti, & suadentibus nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Episcopales Ecclesias, Monasteria, Prioratus, dignitates, Personatus & officia, nec non Canonicatus & præbendas ac Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura vel sine cura, regularia & secularia, quæcumque aut qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem Apostolicam, quocumque modo vacantia, & in posterum vacatura, nec non per dispositionem vel privationem, seu translationem per nos seu auctoritate nostra factas, & in antea faciendas ubilibet, nec non ad quæ aliqui in concordia seu discordiâ electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renuntiatio & admissa auctoritate nostra extiterit, seu quorum electorum, postulatorum, & in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari vel postulationem repelli, aut renunciationem admitti per nos seu autoritate nostra continget apud sedem

præ-

prædictam, vel alibi ubicumque, & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ ac officiariorum dictæ sedis, quàm diu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet Vice-Cancellarii, Camerarii, septem notariorum, auditorum literarum contradictarum, & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Scriptorum literarum Apostolicarum, & viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ sedis, & viginti quinque abbreviatorum, nec non verorum commensalium nostrorum & aliorum viginti quinque Capellanorum sedis ejusdem in Epitaphio descriptorum, ac etiam quorumcumque legatorum seu Collectorum ac in terris Ecclesiæ Romanæ rectorum & Thesaurariorum deputatorum seu missorum hactenus, vel deputandorum ac mittendorum in posterum, vacantia, & in antea vacatura, ubicumque dictos legatos vel collectores, seu Rectores, aut thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; nec non quorumlibet, pro quibuscumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, vel etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint, vel eos in antea transire de hâc luce contigerit; & etiam simili modo quorumcumque Curialium, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis seu alia quacunque causa, vel ad quævis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, jam forsan decesserint, vel in posterum eos contigerit de medio submoveri; nunc per obitum hujusmodi vacantia vel in posterum vacatura; rursus monasteria, Prioratus, Decanatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, Canonicatus, præbendas & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica secularia vel regularia, cum cura vel sine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos vel auctoritate nostra ad Patriarchalium, seu Archiepiscopalium, Episcopalium Ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant, tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocumque modo vacantia, seu in posterum vacatura; nec non etiam per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum, Ecclesiarum aut beneficiorum aliorum, per nos seu auctoritate literarum nostrarum immediatè collatorum seu conferendorum in posterum, præterquam si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiat, nunc vocantia & in antea vacatura: Plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabita & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni ac provisioni nostræ usque ad quinquennium de ipsorum fratrum consilio, auctoritate Apostolica reservamus, decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum per quoscunque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus quibuscumque constitutionibus à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus editis, quatenus obsistere possent super enarratis articulis, vel alicui vel aliquibus eorum dicto quinquennio durante. Nulli igitur &c.

§. 6. In Ecclesiis Cathedralibus & etiam Monasteriis Apostolicæ sedi immediatè subjectis fiant electiones canonicæ, quæ ad sedem Apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in constitutione Nicolai III. quæ incipit: Cupientes, Papa expectat; quo facto si non fuerint præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ fuerint, Papa provideat; si verò Canonicæ fuerint, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili & evidenti, & de fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerit providendum: proviso, quod confirmati & provisi per Papam nihilominus metropolitanis, & aliis præstent debita juramenta & alia, ad quæ de jure tenetur.

§. 7. In Monasteriis, quæ non sunt immediatè subjecta sedi Apostolicæ, nec non in aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem Apostolicam, non teneantur venire electi, seu illi quibus providendum est, ad curiam ad habendam confirmationem seu provisionem, nec etiam dicta beneficia regularia cadant in gratiis expectativis: ubi autem in Monasteriis ad Curiam Romanàm pro confirmatione venire, seu mittere consueverunt, ubi Papa non aliter confirmet aut provideat, quàm superius de Ecclesiis Cathedralibus est expressum.

§. 8. De Monasteriis monialium Papa non disponet, nisi sint exemta, & tunc per commissionem in partibus. De cæteris dignitatibus & beneficiis quibuscumque secularibus & regularibus vacaturis, ultra reservationes jam dictas majoribus dignitatibus post Pontificiales in Cathedralibus, & principalibus in collegiatis Ecclesiis, exceptis de quibus jure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet; nec computentur in turno seu vice eorum.

§. 9. Item Dominus noster Papa declarat, quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacumque verborum forma, per eum aut ejus auctoritate factam vel faciendam, non velit, neque vult, neque intendebat, nec intendit facere aut fieri, quo minus de media parte illarum & illorum, cum vacabunt alternis vicibus liberè disponatur per illos, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, aut alia quævis dispositio pertinebit, prout ad ipsos spectabit de consuetudine vel de jure: ita quod cum de una dignitate, personatu, officio vel beneficio, ex illis ad electionem, provisionem, collationem, seu quamvis aliam dispositionem alicujus spectante, fuerit auctoritate Apostolica provisum, aut aliàs dispositum, ille ad cujus electionem, collationem, vel quamvis dispositionem primo loco pertinebat, & ita consequenter de singulis hujusmodi dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis vacaturis auctoritate ejusdem Domini nostri Papæ & aliorum prædictorum alternatis vicibus disponatur; reservationibus aut aliis à præmissis dispositionibus auctoritate ejusdem Domini nostri Papæ factis vel faciendis non obstantibus quibuscunque.

§. 10. Quotiens verò aliquo vacante beneficio eadem, invito & gratia expectativa, non apparuerit infra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficii, quod alicui de illo secundum prædictas ordinationes fuerit Apostolica auctoritate provisum, ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo liberè disponat, nec sibi in suâ vice computetur. Beneficia quæ per simplicem renunciationem aut permutationem vacaverint, neutri parti computentur.

§. 11. De qualificatione beneficiandorum ſanctiſſimus Dominus noſter P. P. Martinus V. ad exaltationem fidei Catholicæ & ſpiritualibus profectibus populi Chriſtiani, *de conſenſu & beneplacito nationis Germanicæ* ſtatuit, ordinat & decernit, quod deinceps in Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis *nationis Germanicæ* ejuſdem, *ſexta pars Canonicatuum & præbendarum ſit pro Doctoribus aut licentiatis* in ſacra pagina vel altero jurium, vel in Theologia Baculariis formatis aut Magiſtris in Medicina, qui per *biennium*, ſeù Magiſtris in artibus, qui per *quinquennium* poſt Magiſterium in Theologia aut altero jurium, ſtuduerunt in *ſtudio generali;* Sic videlicet, quod ubicunque non fuerit ſaltem ſexta pars Canonicorum præbendatorum in Metropolitana aut Cathedrali Eccleſia taliter graduatorum, ibi quicunque deinceps vacaverit Canonicatus & præbenda, quacunque etiam Apoſtolica vel alia auctoritate, non niſi taliter graduatis conferatur, quouſque dicta ſexta pars compleatur taliter graduatorum. Si tamen infra menſem à tempore vacationis . . . . . à repertus fuerit taliter graduatus, & alius idoneus qui per ſe vel procuratorem voluerit acceptare, quod poſtmodum continetur, ut ad minus dictus numerus ſextæ partis Canonicorum taliter ut præmittitur graduatorum in ipſis Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis habeatur; Ubi autem *ſoli* conſueverunt *Illuſtres ac de Comitum vel Baronum genere, vel ex utroque genere militares* in Canonicos admitti, taliter graduati qui acceptare voluerint, ſi taliter nobiles, ut præmittitur fuerint in Eccleſiis, cæteris etiam nobilibus ſaltem uſque ad dictum numerum præferantur.

§. 12. Item quod in aliis collegiatis Eccleſiis ejuſdem nationis ſimiliter ſexta pars Canonicatuum & præbendarum, deinceps modo præmiſſo conferatur ſicut præmittitur graduatis, aut ſaltem in Medicina aut in artibus Magiſtris vel licentiatis, aut in Theologia, vel altero Jurium Baccalariis examinatis per rigorem.

§. 13. Item quod Parochiales Eccleſiæ habentes anni extimationem, quæ ſecundum famam publicam attendatur, duo millia communicantium vel plures; deinceps non conferantur etiam Apoſtolica vel quacunque alia auctoritate, niſi Doctoribus aut licentiatis in ſacra pagina, vel jure Canonico, vel Civili, vel Baccalariis in Theologia formatis. Si tamen infra menſem à tempore vacationis Eccleſiæ numerandum, reperiatur taliter graduatus, qui per ſe vel procuratorem voluerit acceptare; decernendo irritum & inane, ſi ſecus in præmiſſis, tam circa Canonicatus & præbendas, quàm parochiales Eccleſias vel eorum aliquid à quoquam quavis etiam Apoſtolica auctoritate fuerit attentatum. Salvis ſemper laudabilibus conſuetudinibus & ſtatutis Eccleſiarum, quæ præmiſſis non adverſantur in contrarium aut facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

§. 14. Item quatenus prædicta ordinatio pluribus profit, & humanæ ambitioni frenum imponatur, ordinat, ſtatuit & decernit idem Dominus noſter P. P. Quod vigore præſentis conſtitutionis ſeù ordinationis nemo graduatorum poſſit ultra unum beneficium Eccleſiaſticum adipiſci.

§. 15. De prærogativa graduatorum. Item vult quod in pari data ad eandem collationem graduatus non graduato præferatur prærogativis & diligentiis non obſtantibus quibuſcumque.

§. 16. Item quod Vicariæ ad certa chori officia in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis deputatæ non conferantur etiam Apoſtolica auctoritate, niſi talibus, qui hujuſmodi beneficia cantando & legendo, & aliàs ſciverint & poterint perſonaliter adimplere.

§. 17. De Annatis. De Eccleſiis & Monaſteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, ſolventur pro fratribus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur, ſi quæ verò exceſſivè taxatæ ſunt, juſtè retaxentur, & provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus ſecundum qualitatem rerum, temporum & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod dabuntur commiſſarii, qui diligenter inquirant & retaxent. Taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum, à die habitæ poſſeſſionis pacificæ totius vel majoris partis ſolventur, & pro media parte alia infra ſequentem annum. Et ſi infra annum bis vel pluries vacaverint, ſemel tantum ſolvatur, nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in Eccleſia vel Monaſterio tranſeat. De cæteris autem dignitatibus, perſonatibus, officiis & beneficiis ſecularibus quibuſcunque & regularibus, quæ auctoritate ſedis Apoſtolicæ conferentur, vel providebitur de eiſdem, (præterquam vigore gratiarum expectativarum aut cauſa permutationis) ſolvantur *annuata* ſeu medii fructus juxta taxam ſolitam à tempore unionis (poſſeſſionis) infra annum, & debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in beneficio non tranſeat. De beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum de Camera non excedunt, nihil ſolvatur; debitis omnibus præteriti temporis uſque ad aſſumtionem Domini noſtri communium ſervitiorum & annuatorum pro medietate relaxatis, ſolventibus aliam medietatem infra ſex menſes à die publicationis.

§. 18. De cauſis tractandis in Romana Curia vel non. Sanctiſſimus Dominus noſter P. P. Martinus V. ſtatuit & ordinat, quod nullæ cauſæ in Romana curia committantur, niſi quæ de jure & natura cauſæ in Romana Curia tractare debebunt, & quod *cauſæ, quæ ad forum Eccleſiaſticum de jure vel conſuetudine non pertinent*, per curiam Romanam etiam prætextu reſignationis laicorum extra tempus paſſagii generalis non recipiant de illis cognoſcendo in Curia vel extra committendo, niſi de conſenſu partium. Quæ verò ad forum Eccleſiaſticum pertinent, & de jure ſunt per appellationem aut aliàs ad Romanam Curiam devoluta, ac de ſui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea, cæteræ committantur in partibus, niſi forſan pro cauſæ & perſonarum qualitate, in commiſſione exprimenda illis tractare in Curia expediet, pro Juſtitia conſequenda, vel de partium conſenſu in Curia tractarentur.

§. 19. De Commendis. Ordinat Dominus noſter Papa, quod in poſterum Monaſteria, aut magni prioratus Conventuales (habentes) his temporibus ultra decem religioſos, & officia Clauſtralia, dignitates majores poſt Pontificiales in Cathedralibus, ſicut & Eccleſiæ parochiales nulli prælato, etiam Cardinali dentur in Commendam, datæ aut dati quam primum commendatariis loco illorum de æquivalenti providebitur poſt pacificam poſſeſſionem adeptam illas dimittant, una etiam Eccleſia Metropolitana uni Cardinali vel Patriarchæ antecedi poterit proviſionem officientem non habenti.

§. 20. De Simonia. Ut autem conſiderata malitia aliquorum temporum proximè præteritorum, quibus labes Simoniaca tàm in ordinibus quàm in beneficiis Eccleſiaſticis tunc conferendis & percipiendis ac religionibus ingrediendis fuit heu nimium frequentata, læſis in hoc conſcientiis ad pernitioſiorem adminiſtrationem & perceptionem ſacrorum Eccleſia-

ſtico-

fticorum, falubriter omnibus confulatur, & fingulis Patriarchis, Archiepifcopis, Epifcopis, Abbatibus, Abbatiffis, cæterisque Prælatis: nec non Clericis ac perfonis Ecclefiafticis, religiofis & fecularibus utriufque fexus: ut quælibet eorum infra tres menfes poft publicationem, aut infinuationem præfentium fibi, aut in Diocefi, ubi Domicilium habuerit factam, aliquem in Sacra Pagina, vel in jure Canonico Doctorem vel licentiatum vel Baccalarium formatum, ubi talis poteft commodè reperiri, vel ubi talis non reperiretur, lectorem aut aliàs intelligentem facerdotem difcretum, ac bonæ famæ, curatum vel non curatum *eligere valeat confefforem*, qui infra prædictum tempus, quantocius commodè fieri poterit, ejus confeffione audita ipfam perfonam confitentem à fuis peccatis & à quibufcumque excommunicationum fufpenfionibus & interdictis aliisque fententiis, cenfuris atque pœnis, quas forfan propter Symoniacam in ordine vel beneficio Ecclefiaftico, religionis ingreffu, aut aliàs qualitercumque activè vel paffivè, commiffam ufque ad tempus publicationis prædictæ dignofcitur incurriffe, *in foro confcientiæ duntaxat abfolvere*; nec non fecum fuper irregularitate, pro eo quod hujufmodi fententiis aut excommunicatione ligata forfan miffas vel alia divina officia celebraffe, aut fe illis immicuiffe cenfebitur; ufque ad tempus prædictum contracta, ipfaque propter præmiffa aut eorum aliquod à fui ordinis vel officii executione fufpenfa, quod in illis nihilominus miniftrare illa exercere & adepta beneficia, vel ftatum in quo eft retinere, & ad ulteriora promoveri poffit, in dicto foro valeat difpenfare; ac eadem beneficia, quæ obtinet, ab hoc forfitan vacantia vel vacatura, ficut poftquam dimiferit reconferre, omnemque inhabilitatis, irregularitatis nec non infamiæ maculam Simoniacam, atque aliam labem per eam occafione prædicta ufque ad tempus prædictum contractum in eodem foro totaliter abolere: *fructus* quoque beneficiorum Ecclefiafticorum, quos forfan indebitè percepit & quos percipere potuiffet, & ad quicque, occafione prædicta fuerit refundendum (dummodo perfona ipfa ad refufionem faciendam, deducto ne egeat, in ftatu in quo tunc fuerit, aut aliàs abfque nota vel fcandalo fufficiens non fuerit) in dicto foro remittetur, ac etiam de his quietare & liberare tenore præfentium (literarum) indulgemus; conftitutionibus Apoftolicis in contrarium facientibus non obftantibus quibufcumque.

§. 21. De non vitandis excommunicatis nifi fuerint denunciati. Infuper ad vitandum fandala & multa pericula, fubveniendumque confcientiis timoratis, omnibus Chrifti fidelibus tenore præfentium (literarum) indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicujus in facrorum adminiftratione vel receptione aut aliis quibufcumque divinis, vel ex prætextu, cujufcumque fententiæ, aut cenfuræ Ecclefiafticæ à jure vel homine generaliter promulgatæ teneatur abftinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclefiafticum obfervare, nifi fententia vel cenfura hujufmodi fuerit in vel contra perfonam, Collegium, univerfitatem, Ecclefiam communitatem aut locum, certam vel certum à judice publicata vel denunciata fpecialiter & expreffè: conftitutionibus Apoftolicis & aliis in contrarium facientibus, non obftantibus quibufcumque. Salvo fi quem pro facrilega manuum injectione in Clericum, fententiam latam Canone adeò notoriè conftiterit incidiffe, quod factum non poffit aliqua tergiverfatione celari, nec aliquo juris fuffragio excufari. Nam à communione illius licet denunciatus non fuerit volumus abftineri, juxta canonicas fanctiones.

§. 22. De difpenfationibus. Ordinat etiam Dominus nofter ad Ecclefias Cathedrales, Monafteria, prioratus Conventuales, aut Parochiales Ecclefias, fuper defectu ætatis ultra triennium nullatenus difpenfare; nifi fortè Ecclefiis Cathedralibus ex ardua & evidenti caufa, de confilio Cardinalium feu majoris partis illorum videretur aliter difpenfandum. Item Dominus nofter in arduis & gravibus cafibus *fine confilio Cardinalium non intendit difpenfare.*

§. 23. De provifione Papæ & Cardinalium. Romano Pontifici & fanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalibus pro illorum fuftentatione, *rebus Romanæ Ecclefiæ ftantibus, ut funt, non videtur aliter poffe provideri, quàm huc ufque factum eft, fcilicet per beneficia & communia fervitia, quæ vacantia nuncupantur*; verùm circa beneficiorum qualitatem taliter duximus providendum, quod nulli Cardinali Monafterium (vel) Prioratus conventualis, ultra numerum decem Religioforum fecundum moderna tempora habetur (habere) confueti, nulla major dignitas poft Pontificalem in Cathedralibus aut Parochialibus Ecclefiis, nullum officium Clauftrale, nullum Xenodochium, hofpitale, eleemofinaria aut leprofaria in titulum vel adminiftrationem conferantur; & fi quæ talia nunc obtinent, quem primum Papa loco illorum de alio æquivalenti providebit, illa dimittere teneantur, ficut fuperius de commodis eft dictum.

§. 24. De Indulgentiis. Cavebit Dominus nofter Papa in futurum nimiarum indulgentiarum effufionem, ne vilefcant & in præteritum conceffas, ab obitu Gregorii XI. ad inftar alterius indulgentiæ revocat & annullat.

§. 25. Item Sanctiffimus Dominus nofter & *inclita natio Germanorum* concefferunt & proteftati funt, quod omnia & fingula (fupra) fcripta durare & tolerari debeant, *ufque ad quinquennium duntaxat*, à dato præfentium numerandum; Conftitutionibus Apoftolicis, Regis Cancellariæ factis & fiendis, & aliis in contrarium facientibus, non obftantibus quibufcumque; quodque per obfervantiam eorum nullum jus novum Rom. Pontifici, aut alicui Ecclefiæ vel perfonæ acquiratur, feu præjudicium generetur. Sed lapfo dicto quinquennio, quælibet Ecclefia & perfona prædicta liberam facultatem habeat utendi quolibet jure fuo. Non obftantibus fuprà dictis. Et quod capitula prædicta & quodlibet eorum dentur cuilibet ea habere volenti, communiter feu divifim in autentica forma, feu figillo Vice-Cancellarii cum fubfcriptione Notarii, fic quod fidem faciant exhibita ubicunque; pro toto autem non folvantur ultra duodecim *groffi Turonenfes.*

§. 26. Hæc univerfitati veftræ tenore præfentium firmiter atteftantes, eadem noftras præfentes litteras in horum fidem & teftimonium præfato Domino *Archiepifcopo*, Præpofito, Decano *& Capitulo Magdeburgenfi* conceffimus, noftri Sigilli munimine roboraras, Datum Conftantiæ provinciæ Maguntin. in Domo habitationis noftræ, anno quo fupra, die tertia menfis Maii, Pontificatus fupra dicti Domini Papæ anno primo,

Quæ

Anno 1448.
IV.
Ex Spic. Dacheri Tom. 3. pag. 774.

Quæ Schismatis tempore sunt acta nulla vult, ac decernit: anno 1448.

NICOLAUS EPISCOPUS, *ad futuram rei memoriam.*

TAnto nos pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti convenit, quanto desideramus fructus uberrimos inde sequi. In eo quippe cor nostrum suavissimè delectatur, quòd diebus nostris sanctam Dei Ecclesiam in pacis & unionis pulchritudine, ac debitâ integritate florentem videre valeamus. Cum itaque superioribus temporibus propter divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum, & tunc Basiliense Concilium, plurimùm turbata, ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei, jam autem divinâ favente ac dirigente clementiâ, tractatu Oratorum carissimorum in Christo filiorum Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum; nec non Delphini Viennensis primogeniti Francorum Regis Illustris, integræ pacis & unionis consequendæ dispositio optima videretur, Amedeo in sua obedientiâ Felice V. nominato, juri quod in Papatu se habere asserit cedere volente, eis qui olim Basileæ, nunc autem Lausanæ, sub nomine generalis Concilii permanserunt & permanent concurrentibus in id ipsum, aliasque ad pacem Ecclesiæ laborantibus. Cupientes igitur, quantum omnipotens donaverit, id agere, quo universi Christi Fideles ipsius pacis jucunditate fruentes, animorum conjunctione sibi invicem cohæreant, & rejectis quæ ex discordiâ exorta fuerunt, status uniuscujusque, honor, fama, & reputatio illæsi, & integri remaneant, literas, processus, mandata, & decreta quæcunque; necnon excommunicationum, suspensionum, & interdicti anathematisationumque; etiam privationum beneficiorum, officiorum, ac dignitatum quorumcumque, sive Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcumque Ecclesiasticarum, vel mundanarum, inhabilitationum quoque, necnon declarationum, innovationum, damnationum, reprobationum, expositionum personarum, ac bonorum mobilium ac immobilium, juriumque & jurisdictionum publicationum & confiscationum, privationum feudorum, ac etiam quorumcumque jurium spiritualium, vel temporalium, & inhabilitationum ad illa: necnon absolutionum à fidelitatibus, & alias in eisdem literis processibus, mandatis & decretis, quomodolibet contentas sententias, censuras & pœnas quascumque & qualitercumque statutas, inflictas, & promulgatas, etiam si expressæ, pares, vel majores, aut alterius cujuscumque naturæ forent, per præfatum Eugenium prædecessorem nostrum, & quibuscumque suis literis quorumcumque tenorum & sub quacunque data existant, etiamsi cum expressione, approbatione Ferrariensis, seu Florentini, aut alterius Concilii generalis, sive per nos, aut per alium, seu alios, ipsius, aut nostrâ seu quâvis aliâ auctoritate contrà dictum Basiliense Concilium, & eos qui sub nomine generalis Concilii tam in Basiliensi quàm Lausanensi Civitatibus memoratis fuerunt, & perseverarunt, ut præfertur, ac in præsentiarum perseverant: necnon contrà præfatum Amedeum, Felicem V. in suâ obedientiâ nuncupatum, ac quasvis personas Ecclesiasticas, sæculares, vel regulares, ac etiam laicales eisdem conjunctim vel divisim adhærentes, assistentes, obedientes, obsequentes, credentes, recipientes, ac quovis modo faventes, eosque sequentes, qui sunt & fuerunt, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, status, gradûs seu conditionis existant, etiamsi Pontificali, Cardinalatûs, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant. Contrà dominia quoque, necnon communitates, universitates, etiam generalium studiorum, civitates etiam, præsertim Basiliensem, ac oppida, & alia loca quæcumque præmissorum occasione emanata, facta, concessa, decreta, & promulgata. Simili quoque modo declarationes, & confirmationes, super præmissis, & eorum singulis, nostrâ, seu dicti prædecessoris auctoritate, quomodolibet factas: necnon processus habitos per easdem, ac quæcumque inde sequuta, etiamsi ad sententiarum, censurarum, atque pœnarum declarationem, seu illarum, aut alicujus earum publicationem, vel plenariâ exequutione contrà personas, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida, & loca supra dicta, communiter, vel divisim quomodolibet fit processum: quorum omnium & singulorum tenores etiam si de illis plena & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda foret, hîc pro sufficienter expressis haberi volumus. Motu proprio, & ex certa nostrâ scientiâ, ac de Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu, decernimus, & declaramus nullum effectum penitùs sortiri, sed perinde haberi debere, ac si nullatenùs emanassent; eaque omnia & singula, cum inde sequutis, in Regestris ipsius Eugenii prædecessoris, & nostris, & locis aliis quibuscumque, aboleri & deleri mandantes, omninò tollimus, cassamus, irritamus, & annullamus, ac pro infectis haberi volumus. Et nihilominùs si, & in quantum opus esse, ad abundantem cautelam singulas ex personis, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida, atque loca supra dictas & supra dicta, ad famam, dignitates honores, status, & privilegia, quatenùs illis eâdem occasione privatæ & privata prætendi possent, in statum pristinum & debitum restituimus, reponimus, & redintegramus plenariè per præsentes, motu, scientiâ & plenitudine potestatis, ac consilio & assensu antedictis.

Et quoniam difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, dictâ auctoritate decernimus, quòd ipsarum transumpto manu publicâ & sigillo alicujus Episcopalis, vel Superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tanquam præfatis si originales exhiberentur literis plena fides exhibeatur, & stetur perinde ac si dictæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ: juribus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, declarationis, mandati, cassationis, irritationis, annullationis, voluntatis, restitutionis, repositionis, & redintegrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, quinto decimo Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno secundo.

V.
Ex Spicil. Dacheri Tom. 3. pag. 784.

Irritas decernit quascunque Censuras inflictas occasione Schismatis: anno 1449.

NICOLAUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

Tanta

TAnto nos pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti convenit, quanto desideramus fructus uberrimos inde sequi. In eo quippe cor nostrum suavissimè delectatur, quòd diebus nostris sanctam Dei Ecclesiam in pacis & unionis pulchritudine, ac debitâ integritate florentem videre valeamus. Cum itaque superioribus temporibus propter divisiones subortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum, & tunc Basiliense Concilium, plurimùm turbata, ac variis modis afflicta fuerit Ecclesia Dei: jam autem divinâ favente ac dirigente clementiâ, tractatu Oratorum Carissimorum in Christo Filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennensis primogeniti Francorum Regis Illustris, pacem Ecclesiæ redditam agnoscimus, dum percipimus venerabilem & Carissimum Fratrem nostrum Amedeum, primum Cardinalem Episcopum Sabinensem, in nonnullis Provinciis Apostolicæ Sedis Legatum, Vicariumque perpetuum, Felicem Papam V. tunc in suâ obedientiâ nominatum, juri, quod in Papatu asserebat se habere, ad hujusmodi pacem Ecclesiæ obtinendam cessisse. Eos verò qui Basileæ, postmodum Lausanæ, sub nomine generalis Concilii hactenùs permanserunt, ordinasse ac publicasse nobis tamquam unico & indubitato Summo Pontifici obediendum esse à cunctis Fidelibus; & præfatam Lausanensem dissolvisse Congregationem.

Cupientes igitur quantum Omnipotens donaverit id agere, quo universi Christi Fideles ipsius pacis jucunditate fruentes, animorum conjunctione sibi invicem cohæreant, & rejectis quæ ex discordiâ orta fuerant, status uniuscujusque, honor, fama & reputatio illæsi & integri remaneant: Literas, processus, mandata, & decreta quæcumque; necnon excommunicationum, suspensionum & interdicti, anathematizationisque, etiam privationis Beneficiorum, Officiorum, ac Dignitatum quorumcumque, sive Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcumque Dignitatum Ecclesiasticarum vel mundanarum: inhabilitationum quoque, necnon declarationum, innovationum, damnationum, reprobationum, expositionum personarum, ac bonorum mobilium & immobilium, jurium ac jurisdictionum, publicationum & confiscationum, privationum feudorum, ac etiam quorumcumque jurium spiritualium vel temporalium, & inhabilitationum ad illa: necnon absolutionum à fidelitatibus, & alias in eisdem literis, processibus, mandatis, & decretis quomodolibet contentas sententias, censuras, & pœnas quascumque & qualitercumque statutas, inflictas, & promulgatas, etiamsi expressæ, majores vel pares, aut alterius cujuscumque naturæ forent, per præfatum *Eugenium* Prædecessorem nostrum in quibuscumque literis suis quorumcumque tenorum, & sub quâcumque datâ existant; etiamsi cum expressione, approbatione Ferrariensis seu Florentini aut alterius Concilii generalis; sive per nos, aut per alium, seu alios: ipsius, aut nostrâ, seu quâvis aliâ auctoritate contrà dictum Basiliense Concilium, & eos qui sub nomine generalis Concilii tam in Basiliensi quàm in Lausanensi civitatibus memoratis fuerunt, ut præfertur: Necnon contrà præfatum venerabilem ac Carissimum Fratrem nostrum *Amedeum* primum Cardinalem Episcopum Legatum, & Vicarium supra dictum, Felicem V. in suâ obedientiâ nuncupatum: ac quasvis personas Ecclesiasticas, sæculares, vel regulares, ac etiam Laïcales, quæ eisdem conjunctim vel divisim adhærentes, assistentes, obedientes, credentes, recipientes, ac quovis modo faventes, eosque sequentes fuerunt, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, status, gradûs, seu conditionis existant, etiamsi Pontificali, Cardinalatûs, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant: Contrà dominia quoque, necnon communitates, universitates etiam generalium studiorum, civitates etiam, præsertim Basiliensem, ac oppida, & alia loca quæcumque, præmissorum occasione emanata, facta, concessa, decreta, & promulgata. Simili quoque modo declarationes & confirmationes super præmissis, & eorum singulis nostrâ, seu dicti prædecessoris auctoritate, quomodolibet factas: necnon processus habitos per easdem, ac quæcumque inde sequuta, etiamsi ad sententiarum, censurarum, atque pœnarum declarationem, seu illarum aut alicujus earum publicationem, seu plenariam exequutionem, contrà personas, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida & loca supra dicta communiter vel divisim, quomodolibet sit processum; quorum omnium & singulorum tenores, etiamsi de illis plena & expressa, ac de verbo ad verbum præsentibus mentio habenda foret, hic pro sufficienter expressis haberi volumus; motu proprio & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Sedis Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon de venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio & assensu decernimus, & declaramus nullum effectum penitùs sortiri, sed perinde haberi debere, ac si nullatenùs emanassent; eaque omnia & singula, cum inde sequutis, de Registris ipsius *Eugenii* Prædecessoris & nostris, & locis aliis quibuscumque aboleri & deleri mandantes, omninò tollimus, cassamus, irritamus, & annullamus, & pro infectis haberi volumus. Et nihilominus si, & in quantum opus esset ad abundantem cautelam, singulas ex personis, dominia, communitates, universitates, civitates, oppida ac loca suprà dictas & supra dicta, ad famam, dignitates, honores, status, & privilegia, quatenùs illis eâdem occasione privatæ & privata prætendi possent, in statum pristinum & debitum restituimus, reponimus, & reintegramus; plenariè per præsentes, motu scientiâ & plenitudine potestatis, ac consilio & assensu ante dictis. Et quoniam difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre: dictâ auctoritate decernimus, quòd ipsarum transumpto manu publicâ, & sigillo alicujus Episcopalis, vel Superioris Ecclesiasticæ Curiæ munito, tamquam præfatis, si originales exhibeantur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur, ac si dictæ originales literæ forent exhibitæ vel ostensæ; juribus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, constitutionis, declarationis, mandati, cassationis, irritationis, annullationis, restitutionis, repositionis, & reintegrationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Spoleti, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, quarto-decimo Kalendas Julii, Pontificatûs nostri anno tertio.

ANNO 1449.

VI. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Part. 1. pag. 379.

Renunciatio FELICIS V. qua deponit Papatum, in Concilio Generali Lausannæ 7. Id. April. 1449.

FELIX EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUas ob causas evocati & emoti curam Apostolici Regiminis suscepimus, toti sæpe numerò manifestavimus orbi. Quamquam enim imparitatem nostrarum virium ad sustinendam hujusmodi oneris gravitatem sentiremus; nihilominus ubi universalis Ecclesiæ Basileæ in spiritu Sancto legitimè congregatæ, pias exhortationes simul ac Sanctas supplicationes accepimus, quibus ad succurrendum authoritati Ecclesiæ suppressæ nimium instanter commovebamur; concaluit introrsum cor nostrum pietate, quæ ad omnia valet, & charitate, quæ omnia sustinet, animum formidolosum confirmantibus; atque confidentes in illo, qui omnia potest, & de cujus agebatur negotio, tranquillam solitudinem reliquimus, laboriosum & immensum aggredientes opus. Namque nihil immortali Deo placentius offerre posse existimamus, quàm conatus nostros in obsequium Ecclesiæ, grandibus insultibus & oppugnationibus conturbatæ. Quid nempè condignum reddi potest ab homine illi nostræ inclytæ Matri, cujus in gremio Fidelis quisque salutem consequitur, propter quam unigenitus Dei filius Deus & Dominus noster Jesus Christus de sinu Patris ad terras descendere, & sanguinem proprium effundere dignatus est.

§. 2. Cumque ipsam videremus tantis perplexam anxietatibus, ut nullus mortalium ab exhibitione possibilis auxilii debeat excusari; profectò cogente veritate, devotione suadente, spe denique in finem optimum ducendarum rerum freti, personam, operas, facultatesque nostras ex integro devovimus ei. Aderat namque tempus, quo ab omnibus vehemens restingui debebat incendium, & tanto velociore fortiorique præsidio opus erat, quantò sacrorum generalium Conciliorum authoritas fortius agitata, non modo fluctuaret, sed quasi conculcata prostrataque jaceret. Non enim evellatur à memoria nostra *sacri Constantiensis Concilii nulla unquam oblivione delenda diffinitio, quod videlicet Sancta Synodus in spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Principalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris ac pertinentibus ad eadem:* Satis etiam recenter editum Decretum Sacri Concilii Basiliensis audiebamus, hanc veritatem resumendò confirmans; circumspiciebamusque eandem ab Ecclesia Catholica susceptam practicatam esse.

§. 3. Proinde satagentes gravissimis & abhorrendis periculis possetenus obviare, ac ostendere cunctis fidelibus rectitudinem Deo inspirante voluntatis; quod non caducorum fictiliumque bonorum, sed communis salutis causâ sedem Apostolicam teneremus, non præesse, sed prodesse cupientes, in Sancta Synodo Basiliensi personaliter comparere voluimus, subireque communes pro salute publica labores. Cumque nobis in temporis processu luculenter exploratum foret, dissensionis & differentiæ materiam in Ecclesia Sancta Dei magis ac magis obscurari; dubitantes ne à quovis homine de scandalo possemus notari oblationes multas & pergrandes Regibus, & Principalibus orbis destinare curavimus, ex quibus quidem animadvertere potuerunt, Nos propria non quærere, sed quæ Jesu Christi, publicamque pacem. Nec veriti à formis modisque priscis à Patribus dum Schismata vigerent, pro unitatis & pacis obtentu traditis & practicatis, diutius liberali apertoque animo semper acquiremus (acquiesceremus) omnibus & singulis, quæ ad securitatem, reintegrationemque Ecclesiæ judicata fuerint quomodolibet opportuna; atque longè ferventiore studio invigilavimus per nostrarum cessionis & renuntiationis medium dissectos, distantesque animos Christi fidelium reunire, quam in sede Petri, manente scissurâ, diutius morari. Non ignoramus enim schismatis incommoda mortifera, scimus è contra Christianam religionem à pacis Authore fundatam, sine pacis vinculo damnosæ confusioni servire; Cumque pax, omnium rerum tranquillitas sit, & ea nihil gratius soleat audiri; nihil desiderabilius concupiri; nihil postremò melius inveniri; debito filiali astringebamur pietatis ipsi nostræ Matri luctuosæ venustatem, jucunditatem, integritatem, unionem & pacem extremâ possibilitate procurare. Quantumcunque pro hujusmodi excelsi, & desideratissimi boni consecutione perseveranter ac indefesse laboravimus apud ipsos Reges & Principes cæterosque fideles, ex nostris accuratissimis diligentiis, multipliciumque literarum tenoribus totus præcognovit orbis.

§. 4. Nunc igitur ut semper constituti sub ineffabili incomprehensibilique providentia Dei omnia dirigentis, & disponentis, melius post acerrimos continuosque labores, quos solius veritatis manifestandæ, authoritatisque sacrorum Conciliorum generalium confirmandæ gratiâ voluimus amplecti, post maximè carissimorum in Christo Filiorum *Francorum Angliæ & Siciliæ Regum, nec non Delphini Viennensis primogeniti, Francorum Regis* illustrium supplices frequentesque instantias, quorum saluberrimis suasionibus intentas semper accommodamus aures; Nostros omnes cogitatus per orbem dispersos, in arcem unicæ considerationis reducimus. Desiderantes namque toto corde in hoc dierum nostrorum residuo beatam pacem in Ecclesia Dei disseminari, quæ veluti à nostris egressa manibus in corda omnium fidelium dilabatur, sinceritatem nostræ intentionis per eum testatura: exemplo Domini nostri Jesu Christi, qui sic dilexit Ecclesiam, ut pro ea non modo formam servi acciperet, sed traderet semetipsum: sancta *in hâc Synodo Lausanensi in spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentante*, purè, liberè, simpliciter & sincerè, realiter, & cum effectu, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, *Papatui*, ejus oneri, dignitati, titulo & possessioni *cedimus & renunciamus per præsentes*; sperantes quod in futurum præfati cæterique Reges & Principes, Prælati & alii Catholici, quibus hujusmodi nostram Renunciationem, acceptissimam fore judicamus, authoritati Sacrorum generalium Conciliorum assistent, eamque tuebuntur & defendent; Quodque universalis Ecclesia, pro cujus dignitate supereminentia & authoritate totis viribus pugnavimus; nos apud clementiam primi & æterni Pasto-

ANNO 1449.

ris

ANNO 1450.

ris nostræ hujus pacificæ humilitatis contemplatu suis devotis jugibusque orationibus commendabit. Datum Lausannæ VII. Idus Aprilis, anno à nativitate Domini M. CCCCXLIX. Pontificatus nostri anno IX. signé au bas, Martinus. Et sur le repli, P. Hemon.

VII. Ex Cod. Leibnitii Tom. I. pag. 4..

Alfonso Arragoniæ, & Siciliæ Regi concedit Insulam Castri Rabei Rhodo vicinam: anno 1450.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

INter innumeras & multiplices curas, quibus continuo pro rerum & negotiorum varietate premimur illam libenter amplectimur, per quam nostræ provisionis auxilio & suffragiis Christianum nomen & fides orthodoxa nostris præcipuè temporibus defendatur, crescat, & augmentum suscipiat, ac pro hujusmodi defensione militantes, honorem gloriam & commoda consequantur. Cum itaque nuper fide dignorum relatione perceperimus juxta insulam Rhodi esse aliam parvam insulam, incolis & habitatoribus penitùs viduatam, in qua quoddam oppidum, quondam castrum rubeum nuncupatum, ad hospitale Joannis Jerosolymitani pertinens, cujus ædificia, turres & structuræ per Teucros & Saracenos, aliosque Christiani nominis hostes diruta & solo aquata sunt, nec spem ullam esse, quod hospitale illorum reparationi intendere possit, imò periculum maximum imminere, ne Teucri & Saraceni qui totam illam oram maritimam singulis annis, modò classe, modò copiis pedestribus, hostiliter discurrunt, dictam insulam occupent, & castrum ipsum reædificent, quod propter loci, & situs opportunitatem, maxima damna circumvicinis locis Christianorum, & maximè Rhodiis inferre posset; è contra verò, si dictum Castrum per aliquem Potentissimum Principem Christianum reædificaretur & muniretur magna exinde præsidia Christianis adversùs perfidos Crucis Christi inimicos parari possent. Nam cum eadem insula portum in mari habeat, classis Christianorum tutò se ibi recipere posset, & insula ipsa populo & habitatoribus fæcundaretur. Eam ob rem nos potentiam, existimationem, & devotionem charissimi in Christo filii nostri Alfonsi Arragonum Regis Illustris, considerantes, ac attendentes pium ejus propositum, & desiderium, ne dum ad Insulam Rhodi & Regnum Cypri, verum ad alias circumvicinas regiones Christianas conservandas, & à miserrima oppressione ac crudelissima vexatione infidelium liberandas qui pro infensissimo odio, & nefandissima cupiditate, qua flagrant ad nomen Christianum exterminandum, singulis annis, ut audivimus, multa millia Christianorum capiunt, & quod cum lacrymis, & ingenti animi dolore referimus miseras eorum animas dæmoniis fraudulenter prostituere conantur; cupientes quantùm cum Deo possumus hanc barbarorum rabiem in Christianos comprimere, ac animadvertentes, quod Rex Arragonum, potentissimam classem paret, & omnes vires suas exercere velle se obtulit, ad infringendam Teucrorum & Saracenorum superbiam, modò dominium ipsius insulæ & Castri ei concederemus, prædictis omnibus matura deliberatione pensatis, eidem Regi concedimus, ut dictum Castrum reædificare, & Insulam hominibus & habitatoribus fæcundare, ipsumque Castrum & Insulam tanquam Dominus liberè & licitè possidere possit quamdiù suæ celsitudini videbitur & placebit, non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac statutis stabilimentis, consuetudinibus, usibus ac naturis dicti hospitalis, quibus omnibus, etiamsi de illis, ac eorum totis tenoribus specialis & expressa mentio habenda foret, hac vice dumtaxat specialiter derogamus.

Nulli ergo &c. Datum Assisii anno &c. M. CCCCL. pridie Non. Octobris Pontificatus nostri anno IV.

ANNO 1450.

VIII. Ex Spicil. Dacherii Tom. 3. pag. 790.

Renuit Tributum Ecclesiasticis à Carolo Francorum Rege imponi: anno 1450.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Carissime in Christo Fili, salutem & Apostolicam benedictionem.

REceptis litteris tuæ celsitudinis, & intellecto desiderio tuo super gabella vini quod venditur per Ecclesiasticas personas Regni tui; Respondemus nos dolere vehementer, naturam rei de qua agitur esse talem, quæ per nos fieri non possit. Nam voto huic tuo sine magnâ infamiâ nostri, qui Ecclesiasticæ libertatis protectores, non oppressores esse debemus, & offensa Dei ac conscientiæ nostræ nullo modo satisfacere possemus. Certissima debet esse Tua Serenitas, nullam rem esse ita difficilem, quæ facilis non esset apud nos, quando videremus eam honori ac commodo tuo futuram: verùm auferre hanc Ecclesiasticam libertatem, nec nostro conveniret honori, neque tuo. Hortamur itaque Serenitatem ipsam, ut velis tamquam Christianissimus Princeps hanc Ecclesiasticam libertatem in Christianissimo Regno tuo, tempore tuo, non modò non infringere, verum etiam protegere, quemadmodum Christianissimi progenitores tui fecerunt: quo casu successus tuos Deus, cujus veneratione præfata libertas indicta fuit, continuò feliciores faciet, & Serenitatis tuæ statum augebit.

Si in alia re possumus Celsitudini tuæ complacere, libentissimè faciemus; & nobis, qui Serenitati tuæ multis respectibus quam maximè sumus obnoxii, jucundissimum erit.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 11. Maii M. CCCC. L. Pontificatus nostri anno quarto.

Pet. De Noxcto.

IX. Ex Archiv. Reip. Genev.

Bulla ad Syndicos Genevenses missa, quâ laudat eos posuisse obicem ne captivus è sua Urbe exiret Episcopus Montis-Regii, & hortatur eos ut illum tueantur: anno 1451.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sindicis & Communitati civitatis Gebennensis, salutem & Apostolicam benedictionem.

MAgnam laudem meremini dilecti Filii, qui tanquam boni, fideles & devoti, impedivistis quominus venerabilis Frater noster Americus Episcopus montis Regalis extra civitatem vestram captus duceretur, fecistis enim sicuti faciunt ii qui Deum timent & censuras ecclesiasticas verentur, & honorem suum illæsum cupiunt conservare. Itaque valde commendamus

ANNO 1452.

ex hoc vestram devotionem, exhortantes eandem in Domino, ut similiter in futurum, si ipse adhuc est in civitate præbeatis vos fortes & constantes in prohibendo ne malè tractetur aut perveniat in alterius manus, nos super hoc scribemus dilecto filio Nobili Viro Ludovico Duci Sabaudiæ & simul mittemus quamprimum aliquem prælatum pro hac causa & ejus liberatione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, Cal. Maii Pontificatus nostri anno Quinto.

X. Ex Spicil. Dacherii Tom. 3. pag. 790.

Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem hortatur ad Pacem ineundam: anno 1452.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio nobili viro FRANCISCO SFORTIÆ *Duci Mediolani, salutem & Apostolicam benedictionem.*

Licet desiderium nostrum semper fuerit, quòd Italia, quæ diu omni ex parte bellis lacessita fuit, & in dies magis lacessitur, pace & quiete temporibus saltem nostris potiretur, & ad id superioribus annis operam omnem dederimus, mittendo Legatos nostros primo anno assumptionis nostræ Ferrariam, & postmodum ad alia loca; & etiam anno præcedenti Oratores Partium hîc apud nos pluribus mensibus fuerint, & nihil omiserimus ut pax ipsa sequeretur: tamen peccatis nostris & aliorum sic exigentibus non placuit illi, à quo pax & omne bonum procedit, ut votis nostris pro tunc potiremur; impræsentiarum verò diligenter considerato, quot mala, quot hominum interitus, prædæ & devastationes clarissimarum Civitatum, & Rerumpublicarum ex his continuis Italiæ bellis proveniunt, visum est nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, dignitati nostræ convenire, nec id absque Dei offensâ prætermittere posse, iterum hoc negotium pacis aggredi, omnique studio, ingenio, & diligentiâ procurare, ut præfato desiderio nostro satisfiat: & quamquam dictæ pacis concedendæ, certam spem habere non possimus, in illo tamen, qui est auctor pacis, & omnium bonorum largitor, confidentes, longè meliorem spem nunc habemus, quàm hactenùs. Nam credimus Nobilitatem tuam, & omnes alias Italiæ Potentias, satis cognitum & exploratum habere quot sint bellorum incommoda pariter & discrimina, quæ talia sunt, ut aliquando potentiores, & qui vicerunt, propiores fuerint periculo. Quare ut tantum bonum pacis sequi possit, hortamur eamdem Nobilitatem tuam, ut Oratores tuos huc citissimè mittere velis benè instructos de omnibus, & cum pleno ac sufficienti mandato ad hanc pacem concludendam, ad quam ut totis affectibus inclineris, eamdem Nobilitatem tuam ex corde rogamus. Idem scribimus ad alias Potentias quarum interest, & credimus firmiter eas Oratores suos fine morâ missuras. Nos enim quamprimùm præfati Oratores advenerint, ipsi paci, omnibus aliis postpositis, omni sollicitudine incumbemus, sperantes in clementiâ Dei nostri qui preciosissimum Sanguinem suum in remissionem peccatorum nostrorum effundere dignatus est, & non habito respectu ad peccata nostra, sed ad suam ineffabilem misericordiam, hac vice nos fortassis compotes faciet hujus optimi desiderii nostri, & ita Majestatem suam supplices deprecamur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, octavo Idus Januarii, & Pontificatûs nostri anno sexto. DE LUCA.

XI. Ex Spic. Dacherii Tom. 3. pag. 790.

Carolo VII. Francorum Regi, quod nonnulla postulet contra Canonum Sancita, concedere non posse significat: anno 1452.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Carolo Francorum Regi illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Accedens ad præsentiam nostram Venerabilis Frater noster Joannes Archiepiscopus Turonensis, tuæ Serenitatis literas detulit, ex quibus intelleximus ipsum à tuâ sublimitate Oratorem & Ambaxiatorem suum ad nos destinari. Intelleximus ipsum & graviter & ornatè referentem quantum semper Religionis, pietatis, & fidei, & præcipuè devotionis in Apostolicam Sedem antecessores tui Francorum Reges Illustres indesinenter ostenderint, quantumque curæ, sollicitudinis & operæ pariter adhibuerint, ne tyrannicâ factione vel Longobardorum, vel aliorùm quorumvis simili factione nitentium, Sedes Apostolica suis juribus & dominiis spoliaretu; & cum ita divinæ Providentiæ placuisset, ut Celsitudo tua tantorum Principum & successor & heres existeret, eamdem postquàm rerum dominata est, sicut nominis ita & religionis & devotionis in seipsâ velle officium adimplere, nec pati ut in tam sancto & divino proposito præsentium Principum te aliquis antecedat.

Verùm hoc unum nobis velle significare, quòd propter superiora tempora, quibus ferè per quadraginta annos Regnum tuum bellicis calamitatibus sine cessatione vastatum est, ea onera non posse tolerare quæ cum florentissimum & pacatissimum erat, & libenti, devoto & grato animo toleravit. Itaque congruis precibus obsecrabat, ut æquo animo ferre vellemus, si vastatum bellicis concussionibus Regnum, donec convalesceret, florentis temporis onera consueta non ferret. Nam non minus erat devotionis & fidei, sed ita filiis nostris pro temporum qualitate censebat tua Serenitas à nobis meritò providendum. Respondimus, Serenissime Princeps, Fraternitati suæ nos omnipotenti Deo immortales gratias habere, quòd Sublimitatem tuam temporibus nostris tanti Regni tenere gubernacula præstitisset, in quâ tot præsidia in necessitatibus Ecclesiæ sumus experti, quòd vix plura scivissemus optare. Nonne ingrati animi esset non meminisse quantâ impensâ, cura & sollicitudine in principio Pontificatûs nostri, cùm Ecclesia esset in schismate, pacem & unitatem tuæ pietatis operâ consequuta sit? Nonne omni humanitati & gratitudini esset adversum, non semper memoriter tenere quanta Serenitati tuæ cura fuerit, ut res & loca Romanæ Ecclesiæ, quæ in natione Gallicanâ consistunt, intactæ & incolumes permanerent, quibus tuendis semper & auxilium & consilium præstitisti? Nonne impium esset & penè sacrilegum non jugiter attendere, & ante cordis oculos infixum tenere, quantâ pietate plurimorum voluntates & studia, quibus Ecclesiam magnis discriminibus agitare contenderent, compescuisse & silentio compressisse? Dedit Serenitatem tuam misericors Deus temporibus istis, quibus multorum frigescente caritate superabundavit iniquitas, Christianissimi illius Regni moderamina tenere, multâ & admirabili Christi caritate ferventem. Servet Ecclesiæ suæ, servet & nobis personam tuam incolumem misericors Dominus, & si fieri possit, faciat immortalem: servet & hoc sanctum, hoc pium, hoc divinum propositum, ut te Christia-

nissimo

nissimo Principe tutore ac defensore frui diutiùs valeamus.

Hæc licet prolixiori oratione coram venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus præfato Archiepiscopo perstrinximus: adjicientes nos Christianissimi Francorum Regni non aurum sitire, non divitias, sed animarum salutem: & cum à nobis Oratores & Legati destinati fuêre, non insedit cordi nostro ulla rerum temporalium cupiditas, ulla sitis habendi quæ temporalia sunt & transeuntia, nec permanent; sed nos de æternis rebus, hoc est, de animarum salute fuisse sollicitos. Unde & impræsentiarum pariter obsecramus, ut non credat Serenitas tua, nos aliud velle, aliud intendere, nisi quæ animarum saluti consulant, & ab itineribus damnationis eripiant. Nam in his excusationis locus non est propter ignorantiam. Nam in hoc præcipuè verificatur illud Apostolicum dictum: *Qui ignorat, ignorabitur.* Itaque rogavimus & rogamus, ut quæ sine læsione conscientiæ servari non poterunt, dignaretur tua Serenitas è medio removere. Nam quid prodest homini si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Una est enim Ecclesia, una est fides ipsius, eædem debent esse leges, quibus tota & in toto orbe gubernatur & regitur. Nec licet alicui quâcumque potestate præfulgeat, qui vult esse ovis gregis Dominici, & inter illas numerari, quæ Petro à Christo commissæ sunt, cum dictum fuit illi: *Pasce Agnos meos*: se ab illis legibus propriâ auctoritate subtrahere: nec dubitare debet qui contrarium fecerit, se illas pœnas incurrere, quæ Canonum & Ecclesiasticarum legum transgressoribus infliguntur; & contrarium sentire, idem esset quod dubitare de potestate clavium. Nos si ista taceremus aut non nosceremus, Nos successorem Petri, cui oves Dominicæ commissæ sunt; aut Celsitudinem tuam à Dominicarum ovium numero videremur excludere, & apud illum æternum Pontificem qui judicaturus est vivos & mortuos, cujus vicem in terris gerimus, silentii nostri rationem minimè assignare possemus. Hæc quæ impræsentiarum summatim attingimus, latiùs diximus præfato Archiepiscopo, Serenitati tuæ per ipsius organum uberius explicanda, cui fidem plenam tua Celsitudo adhibere dignetur super his, ac etiam super nonnullis aliis particularibus negotiis, quæ sibi commisimus præfatæ Serenitati tuæ referenda. Cui nos & Apostolicam sedem cum universa Christi Ecclesia affectuosissimè commendamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, Kalendas Februarii, Pontificatûs nostri anno sexto.

XII. Ex Anecd. Martene Tom. I. Col. 1829.

Concedit Indulgentias Festum Beatæ Mariæ de Nive in Provincia Rothomagensi celebrantibus: Anno 1454.

NICOLAUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Etsi Propheta dicente, Dominum in sanctis suis laudare deceat: quanto magis Regina Cœlorum Virgo Dei Genitrix gloriosissima: flos sanctitatis, vas Cælestis gratiæ, mundissima, omnium Virtutum floribus redimita, Mater Gratiæ, Mater misericordiæ, humani generis consolatrix, quæ illum, quem Cœli capere non poterant, suo gremio pertulit, pro tàm salubribus, tamque copiosis beneficiis, quæ ejus intercessione populus Christianus evidentibus Miraculis quotidiè recipit, devota meretur singulis diebus, & præsertim his, in quibus eidem Populo manifestè apparuit, & prodigia fecit, veneratione collaudari, ut ejus memoria celebrior habeatur, ac fideles ipsi, præter temporalia commoda, spiritualia etiam stipendia consequantur. Cum igitur dilectus frater noster Guillelmus, tituli S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de Estoutevilla Archiepiscoqus Rothomagensis ferventissimo Zelo devotionis indutus, cupiat ut in suis provincia & Diœcesi Rotomagensi, festum beatæ Mariæ de Nive, quod est quinta die mensis Augusti, annis singulis perpetuo celebretur, mandantes omnibus singulis Episcopis, ac Prælatis ejusdem Provinciæ, quatenùs publicè in Ecclesiis præcipiant eisdem Fidelibus per hujuscemodi, eadem die debeant, & teneantur celebrare. Et nihilominus ut Fideles ipsi eo libentius ad colendum festum ipsum inducantur, quo inde dono gratiæ cœlestis uberius conspexerint se refectos: de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus, & confessis dictum festum devotè colentibus, qui in Rotomagensi, & aliis Cathedralibus, Collegiatis, Conventualibus, & Parochialibus Ecclesiis, Monasteriis, & Prioratibus quoruncunque Ordinum etiam mendicantium exemptis, & non exemptis dictæ Provinciæ, majori Missæ in die ejusdem Festi personaliter interfuerint septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis perpetuò misericorditer relaxamus.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, mandati, & relaxationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1454. non. April. Pontificatûs Domini nostri anno octavo.

XIII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 406.

Alfonso Lusitaniæ Regi cujus Filius Henricus studio iter in Indiam Orientalem aperiendi usque ad Guineam & Nigrum Fluvium penetraverat, & Insulas varias detexerat, Imperium Guineæ, & potestatem Barbariæ Regna subjiciendi concedit, prohibens ne alii sine Lusitanorum permissione ad eas oras navigent: Anno 1454.

Romanus Pontifex Regni cœlestis clavigeri *successor, & Vicarius Jesu Christi*; cuncta mundi climata omniumque nationum in illis degentium qualitates paternâ consideratione discutiens, ac salutem quærens & appetens singulorum, illa perpensâ deliberatione salubriter ordinat & disponit, quæ grata divinæ Majestati fore conspicit, & per quæ oves sibi divinitus creditas ad unicum ovile Dominicum reducat & acquirat eis felicitatis æternæ præmium, ac veniam impetret animabus, quæ eò certius, auctore Domino provenire credimus, si condignis favoribus & specialibus gratiis eos Catholicos prosequamur Reges & principes, quos veluti Christianæ fidei athletas & intrepidos pugiles, non modo Saracenorum cæterorumque infidelium Christiani nominis inimicorum feritatem reprimere, sed etiam ipsos eorumque regna ac loca, etiam in longissimis, nobisque incognitis partibus consistentia, pro defensione & augmento fidei debellare, suo-

que temporali dominio subdere, nullis parcendo laboribus & expensis, facti evidentia cognoscimus, ut Reges & principes ipsi, sublatis quibusvis dispendiis ad tam saluberrimum tamque laudabile prosequendum opus per amplius animentur.

§. 2. Ad nostrum siquidem nuper, non sine ingenti gaudio, & nostræ mentis lætitia pervenit auditum, quod dilectus filius nobilis vir *Henricus Infans Portugalliæ*, charissimi in Christo filii nostri *Alfonsi Portugalliæ & Algarbii regnorum Regis* illustris, patriis inhærens vestigiis claræ memoriæ *Joannis* dictorum Regnorum Regis *ejus genitoris* ac zelo salutis animarum, & fidei ardore plurimum succensus, tanquam Catholicus & verus omnium Creatoris Christi miles, ipsiusque fidei acerrimus ac fortissimus defensor, & intrepidus pugil, ejusdem Creatoris gloriosissimum nomen per universum terrarum orbem etiam in remotissimis & incognitis locis divulgari, extolli & venerari, nec non illius ac vivificæ, qua redemti sumus crucis inimicos perfidos Saracenos videlicet, ac quoscumque alios infideles ad ipsius fidei gremium reduci, ab ejus ineunte ætate totis aspirans viribus, post *Ceptensem civitatem in Africa* consistentem per dictum Joannem Regem, ejus subactam dominio, & post multa per ipsum Infantem nomine dicti Regis contra hostes & infideles prædictos, quam etiam in propriâ persona, non absque maximis laboribus & expensis, ac rerum & personarum periculis & jactura, plurimorumque naturalium suorum cæde gesta bella, ex tot tantisque laboribus, periculis & damnis non fractus neque territus, sed ad hujusmodi laudabilis & pii propositi sui persecutionem in dies magis atque magis exardescens, *in Oceano mari quasdam solitarias insulas* fidelibus propalavit, ac fundari & construi inibi fecit ecclesias, & alia pia loca, in quibus divina celebrantur officia, ex dicti quoque Infantis laudabili opera & industria quamplures diversarum in dicto mari existentium insularum, incolæ seu habitatores, ad veri Dei cognitionem venientes, sacrum baptismum susceperunt ad ipsius Dei laudem & gloriam, ac plurimarum animarum salutem, orthodoxæ quoque fidei propagationem, & divini cultus augmentum.

§. 3. Præterea cum olim ad ipsius Infantis pervenisset notitiam, quod nunquam, vel saltem à memoria hominum non consuevisset per hujusmodi Oceanum mare versus orientales plagas navigari, illudque nobis occiduis adeò foret incognitum, ut nullam de partium illarum gentibus certam notitiam haberemus, credens se maximè in hoc Deo præstare obsequium, si ejus operâ & industriâ mare ipsum usque ad *Indos, qui Christi nomen colere dicuntur*, navigabile fieret, sicque cum eis participare, & illos in Christianorum auxilium adversus Saracenos, & alios hujusmodi fidei hostes commovere posset, ac nonnullos gentiles seu paganos nefandissimi Machometi sectâ minimè infectos populos inibi medio existentes continuò debellare, eisque incognitum sacratissimum Christi nomen prædicare, ac facere prædicari, regiâ tamen semper auctoritate munitus, *à viginti quinque annis citra*, exercitum ex dictorum regnorum gentibus, maximis cum laboribus periculis & expensis in velocissimis navibus, caravellis nuncupatis *ad perquirendum mare*, & provincias maritimas *versus meridionales partes & polum antarcticum annis singulis fere mittere non cessavit*, sicque factum est, ut cum naves hujusmodi quamplures portus, insulas & maria perlustrassent, *ad Ghineam provinciam tandem pervenirent*, occupatisque nonnullis insulis, portubus ac mari, eidem provinciæ adjacentibus, ulterius navigantes *ad ostium cujusdam magni fluminis Nili communiter reputati* pervenirent, & contra illarum partium populos, nomine ipsorum Alfonsi Regis & Infantis per aliquos annos guerra habita extitit, & in illa quamplures inibi vicinæ insulæ debellatæ, ac pacificè possessæ fuerunt, prout adhuc cum adjacenti mari possidentur. Exindè quoque multi Ghinei & alii *Nigri* vi capti, quidam etiam non prohibitarum rerum permutatione seu alio legitimo contractu emptionis ad dicta sunt regna transmissi. Quorum inibi in copioso numero ad Catholicam fidem conversi extiterunt, speraturque divinâ favente clementia, quod si hujusmodi cum eis continuentur progressus, vel populi ipsi ad fidem convertentur, vel saltem multorum ex eis animæ Christo lucrifient.

§. 4. Cùm autem, sicut accepimus, licet Rex & Infans prædicti, qui cum tot tantisque periculis, laboribus & expensis, nec non perditione tot naturalium regnorum hujusmodi, quorum inibi quamplures perierunt, ipsorum naturalium dumtaxat freti auxilio, provincias illas perlustrari fecerunt, ac portus, insulas & maria hujusmodi, acquisiverunt & possederunt, ut præfertur, ut illorum veri domini; *timentes ne aliqui* cupiditate ducti, *ad partes illas navigarent*, & operis hujusmodi perfectionem, fructum & laudem sibi usurpare, vel saltem impedire cupientes, propterea seu lucri commodo aut malitiâ ferrum, arma, lignamina, aliasque res & bona ad infideles deferri prohibita portarent vel transmitterent, & ipsos infideles navigandi modum edocerent, propter quæ eis hostes fortiores ac duriores fierent, & hujusmodi prosecutio vel impediretur, vel forsan penitus cessaret, non absque offensa magna Dei, & ingenti totius Christianitatis opprobrio, ad obviandum præmissis, ac pro suorum juris & possessionis conservatione, sub certis tunc expressis gravissimis pœnis prohibuerint, & generaliter statuerint, quod *nullus, nisi cum suis nautis ac navibus, & certi tributi solutione, obtentaq; prius desuper expressâ ab eodem Rege vel Infante licentia, ad dictas provincias navigare, aut in earum portubus contractare, seu in mari piscari præsumeret*; tamen successu temporis evenire posset, quod aliorum regnorum seu nationum personæ invidiâ, malitiâ, aut cupiditate ducti contra prohibitionem prædictam absque licentia & tributi solutione hujusmodi ad dictas provincias accedere, in sic acquisitis provinciis, portubus & insulis, ac mari navigare, contractare, & piscari præsumerent, & exinde inter Alfonsum Regem ac Infantem, qui nullatenus se in iis sic deludi paterentur, & præsumentes prædictos, quamplura odia, rancores, dissensiones, guerræ & scandala in maximam Dei offensam, & animarum periculum verisimiliter subsequi possent & subsequerentur. Nos præmissa omnia & singula debita meditatione pensantes, & attendentes, quod cum olim præfato Alfonso Regi quoscumque Saracenos ac paganos, aliosque Christi inimicos ubicumque constitutos, ac regna, Ducatus, Principatus, Dominia, possessiones, & mobilia & immobilia bona quæcumque per eos detenta ac possessa invadendi, conquirendi, expugnandi, debellandi & subjugandi, *illorumque personas in perpetuam servitutem redigendi*, ac Regna, Ducatus, Comitatus, Principatus, Dominia, possessiones & bona sibi & successoribus suis applicandi, appropriandi, ac in suos successorumque usus & utilitatem convertendi, *aliis nostris literis* plenam & liberam inter cætera concessimus facultatem; dictæ facultatis obtentu idem Alfonsus Rex, seu ejus auctoritate prædictus Infans juste & legitimè insulas, terras, portus & maria hujusmodi acquisivit ac possedit, & possidet, illaque ad eundem Alfonsum Regem & ipsius successores de jure spectant & pertinent, neque quivis alius ex Christi fidelibus, absque ipsorum Alfonsi Regis & successorum suorum licentia speciali de illis se hactenus intromittere

licitè

licitè potuit, nec poterit quoquo modo ut ipse Alfonsus Rex ejusque successores & Infans eò sincerius huic tam piissimo ac præclaro, & omni ævo memoratu dignissimo operi, (in quo cum animarum salus, fidei augmentum, & illius hostium depressio procurentur, Dei ipsiusque fidei ac Reipublicæ universalis Ecclesiæ rem agi conspicimus,) insistere valeant & insistant, quos sublatis quibusvis dispendiis, amplioribus, seu per nos & sedem Apostolicam favoribus & gratiis munitos fore conspexerint; de præmissis omnibus & singulis plenissimè informati, *motu proprio*, non ab ipsorum Alfonsi Regis & Infantis vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, maturaque prius desuper deliberatione præhabita, auctoritate Apostolicâ, & ex certa scientia de Apostolicæ potestatis plenitudine; literas facultatis præfatas, (quarum tenores de verbo ad verbum præsentibus haberi volumus pro insertis, cum omnibus vel singulis in eis contentis clausulis) ad Ceptensem & prædicta, & quæcunque alia, etiam ante datam dictarum facultatem literarum acquisita, & ea, quæ in posterum nomine dictorum Alfonsi Regis, suorumque successorum & Infantis in ipsis ac illis circumvicinis, & ulterioribus ac remotioribus partibus de infidelium seu paganorum manibus acquiri poterunt, provincias, insulas, portus & maria quæcumque, extendi, & illa sub ejusdem facultatis literis comprehendi, ipsarumque facultatis & præsentium literarum vigore, jam acquisita, & quæ in futurum acquiri contigerint, postquam acquisita fuerint; ad præfatum Regem & successores suos ac Infantem, ipsamque *conquestam*, *quam à capitibus de Burador & de Nam usque per totam Ghineam*, videlicet versus illam meridionalem plagam extendi, harum serie declaramus, etiam *ad ipsos Alfonsum Regem*, successores, suos ac Infantem, *& non ad aliquos alios spectasse* & pertinuisse, ac in perpetuum spectare & pertinere de jure; nec non Alfonsum Regem, & successores suos ac Infantem prædictos in illis & circa ea, quæcumque prohibitionis, statuta & mandata etiam pœnalia, & cum cujusvis tributi impositione facere, & de ipsis, ut de rebus propriis & aliis ipsorum dominiis disponere & ordinare potuisse, ac nunc & in futurum posse liberè & licitè tenore præsentium decernimus & declaramus. Ac pro potioris juris & cautelæ suffragio, jam acquisita, & quæ in posterum acquiri contigerit, provincias, insulas, portus, loca, & maria quæcumque, quotcumque & qualiacunque fuerint, ipsamque conquestam à capitibus *de Baradoch & de Nam* prædictis Alfonso Regi & successoribus suis Regibus dictorum regnorum ac Infanti præfatis perpetuò, donamus, concedimus & appropriamus per præsentes.

§. 5. Præterea cum ad perficiendum opus hujusmodi multipliciter sit opportunum, quod Alfonsus Rex & successores ac Infans prædicti, nec non personæ, quibus hoc duxerint, seu aliquis ipsorum duxerit committendum, illius dicto Joannis Regi, per felicis recordationis *Martinum V.* & alterius indultorum, etiam inclytæ memoriæ *Eduardo* eorundem Regnorum Regi, *ejusdem Alfonsi Regis genitori*, per piæ memoriæ *Eugenium IV.* Romanos Pontifices prædecessores nostros concessorum versus dictas partes cum quibusdam Saracenis & infidelibus, de quibuscumque rebus & bonis ac victualibus emptiones & venditiones, prout congruit, facere; nec non quoscumque contractus inire, transigere, pacisci, mercari, ac negotiari, & merces quascumque ad ipsorum Saracenorum & infidelium loca, dummodò ferramenta, lignamina, funes, naves, seu armaturarum genera non sint, deferre & ea dictis Saracenis & infidelibus vendere; omnia quoque alia & singula in præmissis, & circa ea opportuna vel necessaria facere, gerere vel exercere, ipsique Alfonsus Rex, successores, & Infans in jam acquisitis, & per eum acquirendis provinciis, insulis, ac locis quascumque Ecclesias, monasteria & alia pia loca fundare, ac fundari & construi nec non *quascumque voluntarias personas Ecclesiasticas*, seculares, quorumvis etiam mendicantium ordinum regulares (de superiorum tamen suorum licentia) *ad illa transmittere*, ipsæque personæ inibi etiam, quæ advenerint, commorari, ac quorumcunque in dictis partibus existentium, vel accedentium confessiones audire, illisque auditis, in omnibus, præterquam sedi prædictæ reservatis casibus, debitam absolutionem impendere, ac pœnitentiam salutarem injungere, nec non Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant, liberè ac licitè decernimus; ipsique Alfonso & successoribus suis Regibus Portugalliæ, qui erunt in posterum & infanti præfato, concedimus & indulgemus, ac universos & singulos Christi fideles, Ecclesiasticos, seculares, & ordinum quorumcumque regulares, ubilibet per orbem constitutos, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint, etiamsi Archiepiscopali, Episcopali, imperiali, regali, reginali, ducali, seu alia quacumque majori, ecclesiasticâ vel mundanâ dignitate præfulgeant, *obsecramus* in Domino, & *per aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, cujus, ut præmittitur, res agitur, exhortamur, eisque in remissionem suorum peccaminum injungimus, nec non hoc perpetuo prohibitionis edicto districtius inhibemus, ne ad acquisita, seu possessa nomine Alfonsi Regis, aut in conquista hujusmodi consistentia provincias, insulas, portus, maria, & loca quæcumque, seu aliàs ipsis Saracenis infidelibus vel paganis arma, ferrum, lignamina, aliaque à jure Saracenis deferri prohibita quoquo modo; vel etiam absque speciali ipsius Alfonsi Regis, & successorum suorum & Infantis licentia, merces, & alia à jure permissa deferre, aut per maria hujusmodi navigare, seu deferri, vel navigari facere, aut in illis piscari, seu de provinciis, Insulis, portubus, maribus & locis, seu aliquibus eorum, aut de conquista hujusmodi se intromittere; vel aliquid, per quod Alfonsus Rex & successores sui, & infans prædicti, quo minus acquisita & possessa pacificè possideant, ac conquistam hujusmodi prosequantur, & faciant per se vel alium seu alios, directè vel indirectè opere vel consilio facere aut impedire quoquo modo præsumant.

§. 6. Qui verò contrarium fecerit, ultra pœnas contra deferentes arma & alia prohibita Saracenis quibuscunque à Jure promulgatas, quos illos incurrere volumus ipso facto, si *personæ* fuerint *singulares*, *excommunicationis sententiam* incurrant; si *communitas* vel universitas, civitas, castri, villæ, seu loci, ipsa civitas, castrum, villa seu locus *interdicto subjaceat* eo ipso, nec contra facientes ipsi vel aliqui eorum ab excommunicationis sententia absolvantur, nec interdicti hujusmodi relationem Apostolicâ, seu alia quavis auctoritate obtinere possint, nisi ipsi Alfonso, & successoribus suis ac Infanti prius pro præmissis congruè satisfecerint, aut desuper amicabiliter concordaverint cum eisdem: Mandantes per Apostolica scripta venerabilibus fratribus nostris *Archiepiscopo Ulixbonensi, Silvensi, ac Ceptensi Episcopis*, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium seu alios, quotiens pro parte Alfonsi Regis & illius successorum ac Infantis prædictorum, vel alicujus eorum desuper fuerint requisiti, vel aliquis ipsorum fuerit requisitus, *illos*, *quos excommuni-*

ANNO 1454.

cationis & interdicti sententias hujusmodi incurrisse constituit, tamdiu dominicis aliisque festivis diebus in Ecclesiis, dum inibi major populi multitudo convenerit ad divina, *excommunicatos & interdictos*, aliisque pœnis prædictis innodatos fuisse & esse auctoritate Apostolica declarent & *denuntient*, nec non ab aliis nuntiari & ab omnibus arctius evitari faciant, donec pro præmissis satisfecerint seu concordaverint, ut præfertur. Contradictores &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis dominicæ MCCCCLIV. VI. Id. Januarii. Pontificatus nostri Anno VIII.

ANNO 1455.

CALLIXTUS TERTIUS, PONTIFEX CCXIII.

ANNO DOMINI MCDLV.

CALLIXTUS Hispanus, prius Alfonsus Borgia Anno 1455. Nicolao V. successit. Hic primus Campanas pro Pace contra Turcas pulsari indulgentiis eô fine distributis, instituit. Immo totam Europam contrà illos excivit, sed nullo successu: Monitus à Turca: Christum nunquam imperasse, ut homines ad suscipiendam suam legem vi & armis adigerentur. Obiit Anno 1458. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 362. *App.*)

Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 417.

Declaratio quod per obitum Alfonsi Aragonii Neapol. Regis, Regnum ad Romanam sedem devolutum: Anno 1458.

CALLIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

REgis æterni per cujus inscrutabilem providentiam Reges regnant, vices (quamvis immeriti) gerentes in terris, si de singulorum Christianorum regnorum Regiminibus, ut in spiritualibus salubriter regantur cogitare debeamus de illorum etiam regnorum, quæ ad Romanam Ecclesiam immediatè pertinent, & quæ per prædecessores nostros in sacri Petri sede sedentes in feudum interdum concessa fuerunt, cum concessio hujusmodi cessat, salubri nedum in eisdem spiritualibus, verum etiam in temporalibus gubernaculo cogitare nos convenit; ut Petri hæreditas nullo modo distrahatur, sed ad manus ejusdem Ecclesiæ omnium regnorum matris & dominæ reducatur, & personis, de quibus præsidentis in specula circumspectioni visum fuerit, prudentia ac matura deliberatione prævia regenda committatur, & subditi Regis pacifici quieta gubernatione lætentur.

Sanè cum *regnum Siciliæ citra Pharum*, quod de Patrimonio B. Petri existit, & quod olim per nonnullos Romanos Pontifices prædecessores nostros diversis Regibus & aliis dominiis temporalibus successivè *in feudum* sub certis modis & formis, quos præsentibus haberi volumus pro expressis, *concessum extitit*, quodque nuper claræ memoriæ Alfonsus Rex Aragonum à Romana Ecclesia in feudum obtinebat, per obitum ejusdem Alfonsi Regis, qui sicut Domino placuit, debitum naturæ persolvit, infeudatione hujusmodi per ipsius obitum cessante, sit *ad eandem Ecclesiam* legitimè devolutum, atque in ipsum regnum quod ad nos pertinet, nemo se intromittere quoquomodo debeat sive possit. ANNO 1458.

Nos cupientes singulos ipsius Regni regnicolas tanquam nobis, & nulli alteri immediate subditos per nostræ provisionis ministerium sub nostro felici regimine in pacis & quietis amœnitate gubernari, universis & singulis ipsius Regni Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiasticis Prælatis; nec non Ducibus, Marchionibus, Principibus, communitatibus, universitatibus, Baronibus, militibus civibus, regnicolis & habitatoribus quibuscumque tam Ecclesiasticis; secularibus & ordinum quorumcumque regularibus, quàm laicis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, conditionis & præeminentiæ existant, sub interminatione divini judicii, nec non anathematis, maledictionis æternæ, excommunicationis in singulos & interdicti in communitates, universitates, capitula, conventus, & Collegia pœnis, quas ex tunc prout ex nunc, in singulos contra facientes proferimus ipso facto; de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio pariter & assensu, ac potestatis plenitudine districtiùs inhibemus, ipsi aut eorum aliquis per se vel alium seu alios directè vel indirectè quovis quæsito ingenio vel colore, alicui præterquam nobis aliquod fidelitatis juramentum ratione civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum, locorum, aut feudorum, quæ in dicto Regno obtinent præstare præsumant seu præsumat.

Quod si fortè ipsi aut eorum *aliquis* hujusmodi *juramentum hactenus* præstiterint seu *præstiterit*, nos omnes & singulos, qui juramentum ipsum præstiterint, ut præfertur, *ab hujusmodi juramentis* & temeritate jurandi auctoritate Apostolica tenore præsentium *absolvimus*, ipsaque juramenta eis & eorum cuilibet relaxamus, ipsosque & quemlibet eorundem ad hujusmodi juramentorum observationem minimè teneri, dictumque regnum per obitum hujusmodi ad nos & Romanam Ecclesiam prædictam devolutum fuisse & esse, ac ad nos dictam Ecclesiam immediatè & nullum alium tum pertinere & de illo per alium quàm per nos ordinari seu disponi nullo modo potuisse sive posse, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus.

Si verò aliquis in ipso Regno vel ad illud jus habere prætenderit, aut super eo sua interesse quomodolibet putaverit, *nos ad justitiam cuilibet desuper ministrandam*, cum in ea singulis debitores simus, *offerimus nos paratos*. Est denique officium Pastorale nostrum sic utiliter providere, ne regnum ipsum tyrannide devastetur, aut vepribus laceretur, sive in prædam detur, ut oves gregis Dominici regni nostri illæsæ & integræ conserventur in pace & quietè vivendò; justitia enim & pax osculatæ sunt.

Præterea ne quis de præmissis ignorantiam prætendere possit, seu quomodolibet allegare, præsentes litteras in valvis Basilicæ B. Petri Apostolorum Principis de Urbe, ad quam de diversis mundi partibus quam plurimi continuè confluunt, affigi publicè mandamus, ita ut minimè sit ambigendum, quin ad Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum, Ducum, Marchionum, Principum, Comitum, Baronum, Communitatum, universitatum, militum, procerum, civium, regnicolarum, & habitatorum, aliorumque notitiam quantocius deveniant &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno M. CCCCLVIII. VI. Idus Julii, Pontificatus nostri Anno IV.

Anno 1458.

Pius Secundus, Pontifex CCXIV.

Anno Domini MCDLVIII.

Pius, antea dictus Æneas Sylvius Picolomineus Senensis, anno 1458. Pontifex electus est, ipse in Juventute suorum Operum auctor, idemque in Pontificatu censor; nam quum nonnulla scripserit tempore Constantiensis Concilii pro Concilii auctoritate supra Papam, ipse Pontifex retractavit, dicens: *Æneam rejicite, Pium* recipite: Obiit anno 1464. sedis sexto. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 365. *App.*)

I. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. I pag. 418.

Institutio novæ Militiæ in Turcas, cujus sedes debet esse in Insula Lemno: anno 1459.

Pius Episcopus,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Licet olim nonnullæ ex Christianis religionibus, quibus tanquam variis gemmis ornata Christi sponsa gloriabatur Ecclesia in pretio, ac magna fidelium devotione esse consueverint, tamen partim aliorum supervenientium ordinum origine, partim ipsa temporum diuturnitate, ac fidelium populorum diminutione, religiones ipsæ à veteri statu ita deflexerunt, ut quod maximè dolendum est, vix in quibusdam ex eis tot personæ quot loca valeant reperiri, ipsæque jam Religiones sine ullo propè fructu nomen dumtaxat suæ fundationis nuncupationisque obtineant: ex quo animum nostrum non indignè subiit meditatio, indecens esse eos in Ecclesia tolerari, qui talentum sibi creditum in terra abscondentes, si non plura, unum aliud tamen Domino in lucrum non noverint cumulare. Itaque in hac nostra, quæ animum nostrum dies noctesque angit vehementi cura, principes & populos Christianos in unum congregandi locum, ubi resistendi impiis Christiani nominis hostibus Turcis, vel potius eos, dante Domino, exterminandi, fiant apparatus necessarii; id etiam cogitamus, non parvo futurum Christianorum provinciis adjumento, si ad Hellespontisive ut dicunt stricti Callipolitani fauces per quas infidelibus in Christianorum Aegæi pelagi Insulas, & maritimas regiones navigio est discursus, præsidium imponetur, de quo transitus illis impeditior difficiliorque reddatur; cum tamen nostri eo ex loco invadendi illos facultatem maximam sint habituri: habitaque cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consultatione, novam Religionem unam in Lemmo & aliis Insulis instituere decrevimus, quæ sicut Rhodiensium quingentis inde semota milliaribus à Mauris & pariter à Turcis in amplum mare discurrentibus Christianos protegit, ita portum Turcas ad ipsam navigaturos maris amplitudinem impediat, & detineat, & ipsos in Callipolitano canali dies noctesque infestet. Cum tamen interea non parum esse videatur eandem Lemnum aliasque Insulas Christianis frequentatam habitatoribus, ita omni studio & animi ardore à Turcis defensare, sicut illius habitatores se se dilecto filio Ludovico Cardinali Aquileiensi Camerario nostro, sedis Apostolicæ Legato, postquam recepti per arma fuerunt, fidelissimos exhibuerunt, pro hujusque nostri propositi consummatione ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & gloriosissimi filii sui unigeniti, Genitricis Mariæ, nova hæc militaris religio ipsius B. Mariæ Bethlemitanæ vocabulo appellabitur, hospitale sicut & Rhodiense, Lemni Insulæ habitura. Pro fundamento autem, ac substantia dictæ religionis novæ, alias religiones sive militias, ac hospitalia infra scripta, videlicet S. Lazari ubilibet consistentia S. Mariæ de Castello Britonum de Bononia, ac S. sepulchri, nec non S. Spiritus in Saxia de urbe, & omnia ab eo dependentia, aut illius habitum seu crucem duplicem deferentia, & beatæ Mariæ cruciferorum, nec non hospitale S. Jacobi de altopassu Lucanæ diœcesis, cum eorum domibus, prioratibus, hospitalibus, & membris quocumque nomine censeantur præfatæ novæ religioni, de consilio, auctoritate & potestate prædictis tenore præsentium dedicamus, applicamus, appropriamus, & annectimus, & incorporamus, nec priores ordines, & nomina religionum ipsarum, ac priorales, & alias dignitates in eisdem omnino supprimimus, extinguimus, illaque de cætero ejusdem Religionis militaris, ac hospitalis B. Mariæ Bethlemitanæ, nuncupari, esse, censeri, ac appellari volumus. Hujus autem Religionis erunt fratres, ac milites etiam Sacerdotes, sicut & in Rhodiensi prædicta, quorum ac dicti hospitalis B. Mariæ Bethlemitanæ caput erit Magister, ab eisdem fratribus pariformiter eligendus. Pro habitu quoque regulari deferent crucem rubeam in campo Albo, ac in cæteris omnibus omnino parem fratribus Rhodiensibus &c. Plura alia decernit ad novum equestrem ordinem constituendum, pluribusque privilegiis eum exornat.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. XV. Kal. Februarii Pontificatus nostri anno.

Anno 1459.

II. Ex Archiv. Reip. Genev.

Ad Vasallos Ecclesiæ Genevensis, qua illis recipiendus Episcopus, J. L. Sabaudus: an. 1459.

Pius Episcopus,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Vasallis Ecclesiæ Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Hodie dilectum filium Johannem Ludovicum de Sabaudia Electum Gebennensem, Ecclesiæ Gebennensis tunc certo modo pastoris solatio destitutæ, de fratrum nostrorum consilio, in spiritualibus & temporalibus perpetuum administratorem, donec & quousque vicesimum septimum suæ ætatis annum attingeret, fecimus, constituimus & etiam deputavimus, & ex tunc quamprimum dictum vicesimum septimum annum attingeret, de dicti Johannis Ludovici persona eidem Gebennensi Ecclesiæ de eorumdem fratrum consilio dicta auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & pastorem, curam regimen & administrationem ejusdem Ecclesiæ sibi in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, prout in nostris desuper confectis litteris pleniùs continetur. Quocirca universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatinus eundem Electum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devotè suscipientes & debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam, nec non consueta servitia & jura sibi à vobis debita exhibere integrè studeatis. Alioquin sententiam sive pœnam quam idem Electus rite tulerit in rebelles

Anno 1459.

ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadragesimo quinquagesimo nono, octavo Id. Februarii, Pontificatus nostri anno II.

Crusiliati.

III. Ex ibid.

Ad Populum Urbis & Diœcesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus I. L. Sabaudus: anno 1459.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Civitatis & Diœcesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie dilectum filium Johannem Ludovicum de Sabaudia Electum Gebennensem Ecclesiæ Gebennensis tunc certo modo Pastoris solatio destitutæ, de fratrum nostrorum consilio, in spiritualibus & temporalibus perpetuum administratorem, donec & quousque vicesimum suæ ætatis annum attingeret, fecimus, constituimus & etiam deputavimus & ex tunc quamprimum dictum vicesimum septimum annum attingeret, de dicti Johannis Ludovici persona eidem Gebennensi Ecclesiæ de eorundem fratrum consilio dicta auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam, regimen & administrationem ejusdem Ecclesiæ sibi in Spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis mandantes quatinus eundem Electum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens Patrem invenisse benivolum gaudeatis.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, octavo Id. Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Crusiliati.

IV. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæi Tom. 5. pag. 649.

Littera Apostolica Pontificis pro tollenda pragmaticâ Sanctione, cum Responso Ludovici Francorum Regis: anno 1460.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Charissimo in Christo filio Ludovico Regi Franciæ, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ACcepimus ex litteris Venerabilis Fratris nostri Joannis Episcopi Atrebatensis quanta cum charitate complexus sis, & quàm pium erga nos, & Romanam Ecclesiam geras affectum, & quam ad tollendum è Regno tuo constitutionem illam quæ Pragmatica dicta est, volenti & & erecto sis animo.

Laudamus Deum & suæ Majestati benedicimus, qui talem tibi mentem dedit: Nam quid aliud dicere possumus, nisi quod Dei beneficio ex maximis periculis liberatus es, & in hæc tempora reservatus ut esses qui suscepto Regno paterno sublatis erroribus libertatem S. Romanæ Ecclesiæ instaurares atque restitueres, & Majorum tuorum æquatâ gloriâ Christiano nomini quietem fundares.

Benedictus Dominus qui tuæ personæ custos fuit, & spiritum tuum erexit ut cogitares quæ pia & omni laude digna sunt.

Anno 1460.

Sic Magnus Constantinus, sic duo Theodosii, sic Carolus Magnus & plures ex tuis progenitoribus immortale nomen & inextinguibilem consecuti sunt gloriam, quia Romanam Ecclesiam matrem suam debito sunt honore prosecuti, quorum te vestigiis inhærentem & diligimus totis præcordiis & laudamus, & omnis te posteritas laudabit & celebrabit.

Illud autem inter cætera commendamus, & quod absque Conventu & Consultatione multorum Pragmaticam auferri constituisti, quemadmodum idem Episcopus nobis significavit.

Sapis certè & Regem te magnum ostendis, qui non regaris, sed regas.

Optimus enim Princeps est qui per se recta cognoscit & operatur, qualem te esse confidimus.

Nec scriptura quæ ait, *ubi multa consilia, ibi salus, multorum multitudinem requirit, sed consiliorum maturitatem & digestionem, quæ res in paucis magis quàm in multis reperiuntur.*

Neque enim, aut honestas, aut justitia multitudini facilè suadetur, quæ variis fluctibus agitata ad prona frequenter inclinat; confusioni subdita est consulentium multitudo, neque bene se res habet, ubi suffragia numerantur non ponderantur.

Sæpè enim fit ut major pars meliorem vincat.

Facis quæ te decent, qui sciens Pragmaticam esse absque Deo, eam de Regno tuo eliminare decrevisti; nec vis in disceptationem ducere an fieri debeant, quæ tu ipse facienda novisti.

Hoc est Regem esse, & bonum Regem, & quem boni ament, mali timeant: Nam qui per alios reguntur, nec per se intelligunt quæ sunt agenda, contemtui sunt.

Probamus igitur & commendamus admodum quæ de tua deliberatione circa Pragmaticam Episcopus Atrebatensis scribit, hortamurque ut quæ proposuisti in animo, cito affectu facias, neque cum possis hodie benè facere, cras faciam, dicas.

Hilarem datorem diligit Deus; quæ justa & honesta sunt, nolunt moras.

Fac tuam sapientiam sicut nos cognoscimus, ita & mundus omnis quamprimum cognoscat, neque aliquis dicere possit, diu noluit, quia diu deliberavit.

Quod si *Prælati* tui & *Universitas aliquid ex nobis desiderent, te mediatore ad nos recurrant.*

Nam si quis unquam Pontifex fuit Gallicæ Nationi affectus, ut multi fuerunt, nos certè inter primos reperiemur, qui nomen & Gentem hujusmodi honoremus & diligamus, nec unquam postulatis honestis adversabimur, scimusque dignum esse ut Fratribus nostris Episcopis in multis deferamus, eosque honoremus pariterque viris doctis, & qui docti esse cupiunt, in universitatibus litterarum studia sectantibus, subveniendum esse non ignoramus.

Ab his enim Catholica fides defenditur & doctrinæ lumen propagatur.

Age igitur, perfice, quod in animo geris, & confide nos tibi & Regno tuo animo concessuros, quæ ratio & honestas suadebit.

Cæterum quia Regina Cypri, ad nos ex Regno suo dejecta & ex terris profecta est, & ad tuam credimus Serenitatem proficiscetur, consilium & auxilium petens, nam Regnum ejus Soldani Egyptii gente occupatum est.

Et quia sicut accepimus, Mahometes Turcorum Dominus Greopin & Trapesuntem & multas alias in Asia Civitates, ac Provincias de novo sibi subjecit, & in Europam victor ac tumens eo proposito revertitur; ut Christianitatem proterat & conculcet, Serenitatem tuam

rogamus

rogamus & flentes petimus, ut respicias in quo statu est Catholica fides, quomodo ex uno latere Turci, ex alio Saraceni urgent.

Pone ante oculos lamentabiles Christianorum voces, qui per Asiam & Græciam in medio Nationis perversæ constituti miserabilibus modis affliguntur.

Cogita in quo loco est sacrum Domino sepulchrum, quod inspicere absque Mahometorum voluntate non possumus, &c.

Datum Romæ die 26. Octob. Anno 1461. Pontificatus nostri Anno 4.

RESPONSIO REGIS.

Ludovicus Dei Gratia Francorum Rex.

Tibi sanctissimo & Beatissimo Patri nostro PIO Papæ II. Obedientiam Filialem, & plenos devotionis affectus.

Deum solum scientes esse cujus providentia benè consulitur rebus humanis, meliusque regna & urbes religione cingi atque defendi quàm armis & membris: Te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut sacra præsertim in Ecclesiasticis rebus tua monita veluti vocem Pastoris audire, illisque parere promptâ mente velimus.

Quapropter Beatissime Pater, etsi Constitutio quædam in Regno nostro, quam Pragmaticam vocant, magno Prælatorum Conventu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & jam callum obducta quietum propè fixerit statum, tu tamen tuis ad nos litteris illam à Regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas.

Nobis quoque dilectus ac fidelis Consiliarius noster Joannes Episcopus Atrebatensis, quem cum potestate Legati de latere ad hoc nostrum Regnum misisti, commemoravit ea ad quæ per ipsum tibi nostro nomine pollicenda, vovenda & promittenda, nos antequàm Regnum suscepissemus Religionis instinctus quidam deduxerat: Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum Ecclesiasticarum tuâ auctoritate studemus ac volumus.

Et id quidem tantò volumus animo propensiori, quantò nobis Regnum Franciæ florens & bello vacuum tuetur Deus & protegit. Omninibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes assensi sumus his quæ tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet Pragmaticam Sanctionem tibi tuæque sedi esse infensam, ut pote quæ in seditione & schismatis tempore, atque per seditionem sectionisque à tua sede figuram nata sit, & quæ dum tibi à quo sacræ Leges oriuntur & manant, quantumlibet eripit auctoritatem, omne jus & omnem legem dissolvit.

Illud enim exoritur quod idem Consiliarius noster nomine tuæ sanctitatis astruxit, ut dum per Pragmaticam ipsam summæ in Ecclesia tuæ sedis auctoritas minuitur, dum Prælatis in Regno nostro quoddam scientiæ Templum per illum perstruitur, dum congruens unitas ad alia Regna conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa Pragmatica pellendaque à Regno nostro.

Quippe quæ adversus tuam sedem omnium Ecclesiarum matrem ab inferioribus Prælatis lata sit, tanquam ut scriptura loquitur: Quomodo si elevetur virga contra levantem se, aut baculus qui utique lignum est; quæ quidem Beatissime Pater! licet plerique docti homines confutare niterentur atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam; te tamen principem totius Ecclesiæ, te antistitem sacrorum; te dominici Gregis Pastorem profitemur & scimus, teque jubentem sequimur. Tibi & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus & jungimur. Itaque sicut mandasti, Pragmaticam ipsam à nostro Regno, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostrâ per præsentes pellimus, dejicimus, penitusque stirpitusque abrogamus.

Et quam qualemve ante Pragmaticæ ipsius editionem, circa Ecclesiarum, Beneficiorum, aliarumque rerum Spiritualium dispositionem censuram, moderationem in Regno nostro, omnique ditione nostra, tui Prædecessores Martinus V. & Eugenius IV. Romani Pontifices habebant & exercebant, talem eandemque nostro adjutori Beatissimo Petro, tibique ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus cum summo Imperio, cum Judicio libero, cum potestate non coarctata.

Tu enim cum scias quid auctoritate divinitùs tibi tradita possis, quas pro Regni nostri & Ecclesiarum in eo tranquillitate postulabimus, non negliges res necessarias, poterisque semper quod optimum fuit, judicare. Utere igitur deinceps in Regno nostro potestate tuâ, ut voles, atque illam exerce: nam ut hominum membra nulla contentione capite uno atque unâ mente ducuntur, sic tuis sacris decretis Ecclesiæ Prælati in Regno nostro & Delphinatu consonantiam & obedientiam plenam refundent. Quod si forte obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in verbo Regio pollicemur tuæ Beatitudini atque promittimus exequi facere tua mandata, omnium appellationum, aut appellationis obstaculo prorsus excluso, eosque qui tibi contumaces fuerint, pro tuo jussu, comprimemus & refrenabimus.

Datum Turonis sub magno sigillo nostro die 27. Mensis Novemb. an. 1461. & Regni nostri anno I. Sic signata per Regem in suo Consilio Veroni Solloit.

V. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. I. Pag. 241.

Fridericum Imperatorem declarat Ducem Generalem Exercitus Christiani contra Turcas: anno 1460.

PIUS PAPA II.

Frederico Romanorum Imperatori.

Bello jam contra Turcas indicto, & peracta Mantuana dieta, in qua octavum mensem propemodum agimus, & rebus etiam ita compositis, ut juvante divina Clementia expectari communis salutis secundus exitus possit: de Duce ad tantum bellum præficiendo a modo est cogitandum: hæc enim una est res, in qua apparatuum nostrorum pars maxima consistat, & quæ non solum ad perterrendos hostes, sed nostros confirmandos plurimum spectet; virtute siquidem Ducis & benè præparata successum felicem inveniunt, & quæ dura conditio rerum difficilia exhibet, converti in melius solent.

§. 2. Hæc igitur cogitatione nostra volventes meditantesque, quinam potissimum propter dignitatem & excellentiam suam eligi ad talem provinciam posset, tu nobis, charissime Fili primus occurristi, non solum *cui tantum munus ex Imperiali officio debitum censeatur, sed cui omnes gentes parere & subesse non dedignentur.* Accedit ad hoc zelus & charitas tua singularis ad hoc sanctissimum opus, accedit auctoritas, & bellicis in rebus doctrina. Illa quoque non desunt, quæ in præsenti Duce laudari consueverunt, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: in tractandis insuper animis hominum gratissima lenitas, omnibusque in rebus singularis modestia.

ANNO 1460.

§. 3. Et si igitur *Cæsarea dignitas ex debito tibi hoc imponit*, nihilominus ut nostrum & sanctæ sedis auctoritatem tecum tanta in re deferas, sperantes in eo, à quo nitor est belli, & qui pro justitia certantibus exploratam victoriam repromittit, quod tua celsitudo, quæ non ad effundendum, sed ad conservandum sanguinem Christianum, non ad humanas, sed ad Salvatoris nostri ulciscendas injurias est profectura, concupitum exitum dabit; de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & assensu, te contra Turcorum impiam gentem aliosque infideles legis nostræ hostes, illisque adhærentes, & complices *Ducem* ac *Capitaneum generalem* tenore præsentium facimus ac declaramus, serenitati tuæ generales & particulares exercitus in auxilium defensionemque Christianorum *per nos & quoscumque Reges, Potentatus* & Principes, equestres pedestresque undequaque, quomodocunque & quandocunque mittendos, seu etiam ab omnibus provinciis, & regionibus per se confluentes durante hâc sanctâ expeditione generali, gubernandi atque ducendi ipsius bellum toto conatu contra eosdem Turcos illosque infideles gerendi, nec non si forte (quod absit) tu ipse personaliter promissa implere, & ad sanctam hanc expeditionem proficisci non posses, hæc ipsa nihilominus, per alium Vice-Capitaneum, quem virtute & factis insignem ex Principibus nationis Germanicæ duxeris eligendum, nomine tuo, sicut si præsens adesses, gerendi atque exequendi, omnia denique alia & singula in dicti belli administratione jubendi atque curandi, quæ ad complementum injuncti tibi operis necessaria quomodolibet videbuntur & optima, facultatem plenariam ac potestatem in nomine Altissimi concedentes, hortantesque in Domino tuam Serenitatem, & per salutem Christiani populi, cujus tu unà nobiscum Deo es debitor, toto corde obtestantes ut præclarum hoc opus celso animo amplectens, talem te geras in obsequium Christi, ut quæ de te Apostolica sedes expectat, quæ desideria Christianorum omnium flagitant, quæ honori tuo imperioque conveniunt, ex demandatis tibi laboribus cum gloria sempiterna & pia fidelium exultatione proveniant.

Datum Mantuæ XII. Januarii anno II.

VI. Ex Goldastus Monarchia Tom. 2. pag. 1576.

Narratio Gestorum Sigismundi Austriæ Ducis contra Cardinalem de Cusa: mox sequitur citatio ejusdem: anno 1460.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus ad quos hæ literæ pervenerint, salutem & Apostolicam Benedictionem.

JUstissima quamvis judicia, & honestissima sint quævis Apostolicæ sedis decreta, & opera ejus mortalis arguere nemo potest, quia tamen multi reperiuntur iniquæ mentis homines, qui erecto supercilio tollere os in cœlum non verentur, & gradiente lingua eorum super terram in Christi vicarium jactantes opprobria, facta ejus damnare sæpe numero audent, & nitidam veritatis faciem, confictis mendaciorum tenebris obnubilare conantur, operæ precium esse censemus, quæ per hos dies adversus Sigismundum ex Princibus Austriæ, sua contumacia, & iniquitate requirente, per nos, & sacrum Collegium nostrum, statuta, ordinata, & judicata sunt, ad notitiam vestram his scriptis perducere, nè fama velox præcurrens, falsa pro veris persuadere, & suo more aut addens gestis, aut adimens fallere possit. Rem igitur sicuti gesta est ante oculos vestræ mentis ponemus, vos benevolas aures adhibere & boni consulentes matris vestræ & omnium fidelium nostræ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, primæque sedis digna, & solita reverentia, decretum sententiamque suscipite. Ecclesia Brixinensis, quæ olim Sabiensis, & aliquando Brixinensis est appellata, in Alpibus sita est, quæ Germaniam ab Italia sejungunt, admodum insignis; siquidem Romanorum Pontificum privilegiis quamplurimis honestate & Imperatorum largitate donata, non solùm prædia sed arces, & oppida munitissima possidet, & ipsius Brixinensis urbis civile Dominium habet. Diœcesis ejus ad Enum fluvium protenditur, qui Danubio in Bavaria apud Passaviam miscetur, & in Athesim respicit, qui Tridentum, Veronamque præterfluens insignes urbes in Adriaticum exoneratur pelagus. Episcopus ejus inter Principes Imperii collocatur, & ab Imperatore absque medio in feudum recipit principatum, ac regalia. In Ecclesiasticis negotiis Ecclesiæ Saltzburgensis suffraganeus est, & metropolitico jure illi subjectus. Advocatus ejus in temporalibus causis si quid adversi patiatur, Comes Tyrolis ab Imperatoribus constitutus est, qui tueatur Ecclesiam, non qui impugnet: ob eam rem non parum utilitatis quotannis accipiens. Nàm feuda opulenta, & amplissima ab ipsa Brixinensi Ecclesia noscitur obtinere. Principium autem advocationis in Comite Alberto fuit, qui primò per Conradum ipsius Ecclesiæ Pontificem, non sine pluribus conditionibus assumptus, & de ipsa advocatia, quæ feudum est Ecclesiæ investitus, ab Imperatore confirmationem obtinuit. Vacante autem hac Ecclesia, sedente Nicolao V. Prædecessore nostro, Nicolaus ipse de Fratrum consilio dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, in Episcopum, & Pastorem præfecit. Qui etsi diù contradicente, & reluctante Sigismundo, possessionem tamen pacificam, & quietam Ecclesiæ suæ denique constitutus est, & utiliter plebi per plures annos prædicando, monendo, hortando, & pontificale officium exercendo præfuit. Sed cum sedente Calixto III. qui noster fuit immediatus Prædecessor, Cardinalis ipse atque Episcopus Brixiensis more boni patris-familias, & diligentis, atque attenti Prælati, pia loca reformans, & jura Ecclesiæ suæ exactè perquirens, invenisset Sigismundum emendationi Monasterii in Sonnenberg ex eo adversum, quod nihil sine ejus assensu fiendum præsumeret, ac eum Tyrolensem Comitem pleraque magni momenti feuda ab Ecclesia sua obtinere, quæ minimè ut moris est recognovisset, hortareturque spiritualem jurisdictionem nè perturbaret, & novam reciperet investituram, jusque jurandum præstaret, mox dissensiones ortæ sunt, & ipsius Sigismundi grande odium adversus Cardinalem excitatur. Propter quod, cùm statuisset Cardinalis, ut fidelis archimandrita, suas oves diligentius respicere, & à noxiis itineribus retrahere, cunctosque malos mores eradicare, & plantare bonos, eliminare vitia, & seminare virtutes, surrexissentque propterea maligni quidam homines, tàm Clerici, quàm Laici, quibus amara erant præcepta justitiæ, & adversus salutiferam Cardinalis reformationem contumaciæ, & rebel-

ANNO 1460.

lionis cornua erigerent, cepit Sigismundus malignantium patrocinium. Et quamvis esset ipse quoque ex ovibus, Cardinali tanquàm Episcopo Brixinensi commissis, in pastorem tamen, & patrem, ac magistrum animæ suæ sese extollere non expavit, sed omni studio, atque conatu adorsus est, ne salutifera morum reformatio, aut in Clero aut in Populo Brixinensi locum haberet, adeòque bonis actibus ipsius Cardinalis obicem se præbuit, ut monialium quoque, quarum suprà meminimus, dissolutè, & turpissimè viventium, ne recludi, reformarique possent, protectionem, & tutelam adversus Cardinalem acceperit, adeòque ab honestate procùl abiit, ut Cardinalem ipsum neque in sua Diœcesi, neque in civitate tutum esse, aut pontificale munus exercere posse permitteret, introductis, & persuasis sicariis, qui vitæ ejus insidiarentur. Quod cum Calixtus antedictus accepisset, mox literas monitorii adversus Sigismundum decrevit, præcipiens ei, ne Cardinalem in Ecclesia sua, in qua Pontificio fungeretur ab executione sui officii quoquo pacto deterreret, eumve suum munus exercentem impediret. Si secùs ageret, anathema afferet, pœnas læsæ Majestatis incurreret, & omni territorio suo sacrum interdictum ipso facto intelligeret. Obaudivit Sigismundus Pontificis maximi vocem, atque contempsit, & interposita quâdam appellatione, malo deceptus consilio à Romano Throno (quod nulli permissum est) contra jus fasque provocavit, & in rebellione perseverans novis dictum contumeliis Cardinalem affecit. Crevere suprà modum Sigismundi odia adversus Cardinalem, nec poterat ei quicquam pacificè loqui. Ob quas res cum tuto sibi esse in Ecclesia sua non posse Cardinalis animadverteret, ad nos confugit. Per idem tempus jam propemodum accincti eramus recedere, Mantuanum conventum petituri, quem pro tuitione Fidei adversùs Turcos indixeramus. Eum igitur ab Ecclesiâ suâ quemadmodum profugum cepimus benignè, & pro tempore consolati, legatum de latere, qui vicem nostram in Urbe Romanâ, & circumjacenti regione impleret, consulentibus fratribus, & cohortantibus reliquimus; ipsi Mantuam pro communi salute cum Romanâ curiâ petimus. Ubi cum aliquibus mensibus commorati essemus, & Sigismundum ad nos venientem intellexissemus, ut componere inter eos concordiam, & tam atroces inimicitias amputare possemus, Cardinalem accessimus, quo veniente, & Sigismundo præsente, pluribus diebus modo per Cardinales, & alias interpositas etiam illustrium personas Principum, modo per nos ipsos reconciliare alterum alteri conati sumus, atque huic pacis negotio summo nisu operam dedimus; sed nihil profecimus, in cassum abiere studia nostra, irriti omnes labores fuerunt; quamvis Cardinalis judicio nostro se submittens, & arbitros non suspectos accepturum se dicens viam juris nunquam recusaverit, aut refugerit. Abiit ex Mantua Sigismundus in Patriam suam infecta pace, minarum plenus & iræ, & cum paulo pòst, nos quoque translato conventu domum repetere statuissemus, Cardinalis ex permisso nostro ad Diœcesim suam se transtulit, asserentibus amicis adhuc pacem inveniri posse, nec Brixinam petiit: nihil enim tutum ibi esse sciebat, sed in arcem quandam sui Episcopatus munitissimam se recepit. Ubi cum aliquandiù consedisset, hortantibus nonnullis non parvæ auctoritatis viris, qui se partibus ambabus amicos ostendebant, & nihil periculi, nihil insidiarum timendum esse dicentibus, ad Brunekam se contulit, quod & ipsius Ecclesiæ Brixinensis non parvi momenti oppidum, literis maximè fretus, quibus idem Sigismundus suo signo obsignatis, bona fide promittit, Ecclesiam Brixinensem, & Cardinalem quoad vixerit se protecturum, ad quem locum misit mox Sigismundus unum ex Consilio suo nobilem virum inter aulicos suos primarium, qui Cardinalem in suam traheret voluntatem, sed is multa cum Cardinale prolocutus, cum nihil posset ei injustum suadere, quia Ecclesiæ suæ jura nollet projicere, concordia tamen in omnibus reperta est, unico excepto articulo, qui regalia concernebat, & cum in eo aliter conveniri non posset, de suspensione temporali actum est. In qua cum Orator biennales admissurus esset, pendente adhuc tractatu, & Oratore non à Brunegka digresso, Sigismundus non tam concordiam ut opere comprobavit, quàm confusionem Cardinalis, & furoris sui cursum quærens turgidus, & nimium tumens non iracundiam cohibere, non se ullo pacto vincere potuit, cessit audaciæ, succubuit temeritati, rancori, atque odio paruit, jussit accersiri milites, exercitum congregari, belli machinam apparari, quibus expeditis, misso caduceatore, qui bellum Cardinali indiceret, quamvis esset major, & sacra hebdomada, & tempus pœnitentiæ datum, copias eduxit, & iter faciens ipsa die Paschæ ante Brunegkam armatas militum acies collocavit, machinas admovit, insultum fecit, oppidum cepit. Non moratus arcem quoque summa vi oppugnare aggressus est, in qua cum familia Cardinalis sese receperat. Pugnatum est aliquandiù non parva contentione, sed cum persuasum esset Cardinali, arcem diù defendi non posse, & pereundum omnibus esse, nisi se dederint intervenientibus mediatoribus, certis conditionibus conclusa est pax: in quibus erat comminatum, quod vel arx, vel Cardinalis in potestatem Sigismundi venirent: & nihilominùs cum jussisset pacem, & securitatem publicari, claves arcis extorquens, & munitionem, ac Cardinalem arctissima custodia servari jussit, sicque per aliquot dies cum summo probro, & ignominia, & omni contumeliarum genere, Cardinalis in potestate Sigismundi retentus est, nec libertatem obtinere potuit, nisi remissis injuriis, Castro quodam Ecclesiæ, tradito magno auri pondere soluto, restituto creditorum Chirographo, compluribus aliis extortis conditionibus, præter eas, quibus pax antea fuerat publicata, omnibus denique Ecclesiæ juribus, & privilegiis ereptis. Neque his contentus, sed iniquitatem iniquitati congeminans, cum Sacerdotes ob piaculum commissum juri parentes, à sacris abstinerent, non veritus est necem Cardinali denunciare, nisi ad prophanationem sacrorum illos compelleret. Temerarius, atque infelix, qui talia gerens, nihilominus ejus Ecclesiæ protectorem se jactat, cujus est eversor inventus, quæ singula cum nobis ex ordine renunciata essent, mirum in modum horruimus, congelatum est ilico pectus, & in stuporem sumus conversi, nec satis detestari, aut abominari facinus tàm horribile poteramus, in Sacerdotem, in pastorem, in Episcopum suum, in Cardinalem Ecclesiæ Romanæ, in fratrem nostrum, in excellens Apostolicæ sedis membrum violentas manus Sigismundi temeritas non exhorruit. & quo tempore anni patrata sunt, nempe in die Paschæ, in die illa maxima, & sanctissima,

in die, qua Victor mortis & inferni triumphator Dominus resurrexit, in die qua Christiani singuli, redemptori gratias agunt, & expurgato veteri fermento, sacratissimo Christi corpori, & sanguini communicant, in qua die nemo tàm sceleratus est, tàm impius, tàm immanis, si modo Christianus est, qui non Sacerdotibus sese subjiciat, eosque summis prosequatur honoribus. Sed qua die suarum rectoribus animarum cæteri præcipuè student, ea die Sacerdotem suum Sigismundus invasit, cepit, in carcerem conjecit, inhonestavit, sprevit, turpiter habuit. Fuimus diu anxii, & admodum dubii his cognitis, nec satis tenebamus quid esset agendum, quamvis non dubius rumor, sed certissimus nuncius perpetrati sceleris ad nos pervenisset.

Nam hujus atrocissimi sceleris notorium factum, ad exigendam ultionem, pœnamque invitabat: Inde vetus benevolentia, quâ quondam Sigismundo conjuncti fuimus ad clementiam, & misericordiam provocabat. Nos enim cum in minoribus ageremus, apud Fridericum Romanum Imperatorem tunc Dominum, nunc Filium charissimum diù conversati fuimus, ac consiliariatus munere honestati, multisque gratiis, & favoribus cumulati, plurimos annos in ejus curiâ, atque familiâ mansimus, nec unquam indignatum, aut nubilosum erga nos ipsius Imperatoris vultum invenimus, semper læta, semper blanda nobis ejus facies fuit, semper benigna & affecta mens, & nostri honoris percupida. Sigismundus, cum primò Imperatorem adivimus, puer bonæ admodum indolis erat, & sub tutela patruelis sui degens, modestis imbutus moribus, amorem in se omninò alliciebat. Alloquebatur nos sæpè blando sermone, quærebat nostras epistolas, & legebat, ut qui tàm benè vivendi cupidus, & literarum cultor, & nostri amans videbatur dimissus extrà tutelam, & in adolescentiâ suâ, ad regendam Patris provinciam profectus, sæpè ad nos literas dedit, & nostras accepit, sæpè sua negotia apud Imperatorem juvimus, cum eo nonnumquam domi suæ fuimus, neque sinè honore, & singulari gratia ab eo recessimus. Et cum gesta ejus in Cardinalem nondum cognita nobis essent, ad conventum usque Mantuanum, continuata est ut anteà, semper caritas nostra; ad quem Sigismundus ipse splendidum, & magnificum duxit comitatum, ut qui gratias nobis referre statuerat, pro pace Suitentium, bellicosarum, & fortissimarum gentium, quos sibi missis legatis, apud Constantiam reconciliavimus. Vertebantur hæc omnia in mente nostra, & tanquam recenter gesta essent, ante cordis oculos volvebantur.

Suadebant Imperatoris infinita ergà nos beneficia, ut patrueli, & sanguini suo ignosceremus, exposcebat ipsius Sigismundi, quâ nos longo tempore complexus est, ingens benevolentia, ut hanc sibi culpam condonaremus. Urgebant inclytæ domus Austriæ, quæ hunc Sigismundum genuit, ingentia in nos, & diù continuata merita, ut sublimi, & alto sanguini veniam largiremur. Instare & Albertus videbatur, alter Sigismundi Patruelis, & ipse Dux Austriæ, atque Imperatoris Germanus, & cum eo pariter illustris memoriæ Ladislai Ungariæ, & Bohemiæ Regis, paulò ante vita defuncti, proximi ejus consanguinei petere vehementer, ac rogare per veterem amicitiam (ambo enim aliquando nos dilexerunt, & verbis & factis ornarunt) ne suam ex familia vindictam exigeremus, occurrebant infinitæ Regum, & magnorum Principum facies, qui Austriacæ domui conjuncti sanguine hanc nobis prosapiam summis precibus commendaturi offerebant.

Sed cum hæc jam penè victi consentientes animo volvimus, & ad veniam tracti jamjam misericordiæ justitiam cedere mandaturi fuimus, excitata in adversum conscientia nostra, & miris calefacta modis: Quid tu (inquit) Pie Pontifex agis? An ignoras quem tenes locum, quam geris personam? Non tu modo ille Aeneas es, qui Silvio quondam genitus Patre Friderico Imperatori servivisti.

Mutata est conditio tua, mutata persona, nosce te ipsum; Tu Pius & Romanæ Præsul Ecclesiæ, Christi Vicarium, & Petri Successorem geris, te Caput Ecclesiæ militantis, te Ducem, te Magistrum, te Doctorem, te Judicem Christiani Populi constituit Dominus, & claves tibi Regni cœlorum tradidit. *Noli quærere fieri Judex*, inquit sapiens, *nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Super gentes & Regna moderator cœli, & mundi Dominus te Christus ordinavit, ut destruas, & evellas, ædifices, & plantes. Et quid agis? quid dubitas malas evellere plantas? Nemo justè judicat, qui vel odio, vel gratia, vel metu flectitur. An ignoras Sigismundus, quàm scelestum, quàm atrox, quàm tetrum, ac horrendum admisit facinus? In Episcopum, in Cardinalem, in te ipsum, si tui Corporis Cardinales, ut jura volunt, partes habentur, injurius, & improbus fuit? Non Presbyteratui, non Episcopatui, non Cardinalatui, non Papatui, non Christo pepercit, cujus sacratissimum diem, pugna iniqua, & Cardinalis captivitate fœdavit.

Et quis Clericorum posthæc tutus habebitur? si Episcopi, si Cardinales armis, atque insidiis capiuntur? & qui deinceps vindictam timebit, si violatores tantarum dignitatum impunè abeant? Actum de omni Clero, deque omni Religione fuerit, si qui tecum unum sunt. absque ultionis periculo violantur. Summa Sacerdotalis dignitas, B. Petri auctoritas, Jesu Christi Majestas palam in hoc scelere læsa est: & tu tanti piaculi vindictam assumere dubitas, putasve Imperatorem, vel alium quemvis Principem, ægrè laturum, si judicium feceris.

Absit à te hic metus, nihil est, cur hæc nomina timeas. Justus est Imperator, & honesti tenax, justus Albertus, justi & cæteri Principes, qui non consanguineos solum, sed ipsos quoque filios ex se genitos legum vinculis coërceri, plectique, si peccaverunt non indignè ferent, magna vis Justitiæ est, quæ vel damnatum, jure se passum esse fateri cogit. Nihil Imperatori magis cordi est, quàm justitia, communis, & sanctissima virtus. Scit sua mansuetudo, quia justitia pacem quærit, gentem elevat, solium, & Regnum confirmat, lætitiam gignit, & amatores suos beatos, & immortales efficit, utiliùs Imperatori videbitur, infructuosum palmitem amputari, quàm in perniciem bonæ vitis retineri. Nec propterea Domus Austriæ gloria interibit, quia unus aut alter ex Principibus ejus damnatur, quæ Rudolphos, Albertos, Fridericos, Leopoldos, Ernestos, Willelmos, & alios quamplures illustres animas peperit, non Austriæ solum ac Sueviæ, sed Hungariæ, Bohemiæ, & ipsius Romani Imperii Gubernatores. Aeacidarum quippè decus, Orestis infamia non extinxit, nec splendorem Juliæ Gentis Neronis turpitudo delevit, nec Francorum lucem Hilderici obfuscavit ignavia, nec Senatus Apostolici puritatem, atque nitorem impurùs, ac fœtidus

Judas

Judas commaculare potuit. Illustrium Familiarum non texisse, sed non habuisse maleficium vera est, & solida laus. Rara prosapia est, quæ non aliquando monstra pepererit. In omni gente, & in omni domo Catilinam invenies, & Cethegum.

Citatur SIGISMUNDUS *Dux ad respondendum de fide.*

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, universis, & singulis Christi fidelibus, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Contra Sathanæ Adversarii Christi Domini, & Ecclesiæ membrum fuerat in sacratissima Paschalis Festi celebritate, in Sathanicam se à Catholicorum cœtu abscissus præcipitavit ingluviem, & ab Apostolica Ecclesia transfuga effectus sub Diaboli cœpit vexillo militare, anathema proh dolor, incurrit, & demum infamias cumulando, & sese apostatare superbiendo facto quoque se unitatis Ecclesiæ fidem auctoritatisque ejus rationem per censurarum contemptum non habere palam demonstravit, & demum ut eum in malorum omnium profundum pervenisse omnibus certum foret, eadem jactat temeritate, nec sacrosanctos Canones nec Apostolicæ præcepta justissima nec judicia ex canonicis sanctionibus facta solennissimè, eum in ullo posse contingere, quamquam ipse Dei nefarius derisor, & Ecclesiæ contemptor, de Christiano adhuc non erubescat nomine gloriari, ob quas res tametsi propter facti notorietatem unusquisque ipsum rectissimè hæreticum judicavit, ut tamen ex suo ore judicium etiam prodeat, habentes priores nostros processus, in quibus anathematis, criminis læsæ majestatis, & fautoriæ hæresis declaratus est, pœnas incurrisse, in his litteris pro inviolatis, & expressis, quo constare valeat, non solum ex operum improbitate scelestorum, sed sua etiam propria confessione, an sit hæreticus, vel non, novum denuò processum inchoavimus adversus dictum Sigismundum tanquam de damnatissima hæresi, quæ est omnium hæresum hæresis, non solum suspectum notoriè, sed sensibiliter maculatum tanquam sanctæ Fidei non recipientem articulum, quem per hæc Symboli Apostolici verba Fidelium exprimit unusquisque: *Credo in unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Nam cum ipsius Ecclesiæ Romanus Pontifex caput sit, canonesque, & censuræ sic sint Ecclesiæ, quod quisque in Ecclesia positus est, & credens capiti, Canonibus, & ejus censuris teneatur obedire.

Dictus quidem Sigismundus non solum illis non obedit, sed prædicat insuper, quod minimè obedire teneatur, atque in suam protervam sententiam, tam subditos, quàm quoscunque potest, accedere compellit, & hæc ubique sunt notoria, nec hodièque cessat per se, & suos hanc suam perfidiam divulgare, quæ cum ad vehementissimam suspicionem plus quàm satis sint aperta, idcircò ipsum Sigismundum notoriè de hæresi suspectum per præsentes auctoritate Apostolica peremptoriè citamus, & requirimus & sexagesima die ab hac die datæ, quæ & affixionis hujus, ad valvas Ecclesiæ Principis Apostolorum de urbe, & ut sequitur, successivè computanda, personaliter coram nobis compareat, & de fide catholica, præsertim in prætacto articulo unitatis Ecclesiæ, & quæ ad ipsum ex sanctorum doctorum doctrina sequuntur respondeat, & verbo, & facto se purget de suspicione, sub confessi, & convicti criminis hæresis pœna, alioquin nos contra ipsum, tanquam confessum, & convictum Dei omnipotentis nomine ad diffinitivam sententiam, justitia mediante procedamus.

Similiter etiam Georgium pro Tridentinense Episcopo se gerentem, ob notoriam ejus adhæsionem, quam facto quotidie Sigismundo ostendit, cum quo & idem sentire videtur censuras contemnendo, & ideo de fide catholica vehementer suspectum, nec non Gregorium de Heimburg, Laurentium Slomenow erroneos doctores, Parcifalum de Hannenberg, Jacobum Traff, Balthasarem de Welschburg, & Osualdum Wolckensteiner, aliosque omnes ipsius Sigismundi Consiliarios, & domesticos, atque etiam oppidanos, & incolas oppidorum de Meran, Curiensem Halis, Ispruch, & Sterzingen Brixinensis Diœcesis, civesq; Brixinenses, & illius Ecclesiæ subditos qui interdictum Ecclesiasticum, & Ecclesiasticas vilipendunt censuras, ac Wolffgangum Nidlinger, Stephanum Steinhorn assertos Canonicos Brixinenses; Georgium in Stams, Ingeminum in Wiltina, Johannem in monte S. Gregorii Abbates; Casparum Præpositum Novæcellensem, & Barbaram assertam Abbatissam in Sonnenburg, monasteriorum dictæ Brixinensis Diœcesis, atque etiam universos & singulos Canonicos ipsius Ecclesiæ Brixinensis, Plebanos quoque, sive Vicarios Ecclesiarum Parochialium Civitatum, & Diœceseon prædictarum, ac cunctos Presbyteros etiam religiosos exemptos, & non exemptos, qui temerè prophanando Apostolicum interdictum non observare, & se per sedem Apostolicam, & nos prohibitis divinis intromittere non verentur, quorum omnium, ac singulorum nomina, & cognomina, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, quos omnes censurarum, & Apostolicorum mandatorum contemptores, de hæresi vehementer non immerito suspectos reputamus, ut die & sub pœna prædictis compareant personaliter coram nobis, de ipsa fide Catholica, & præsertim articulo prædicto legitimè responsuri, & se modo prædicto purgaturi.

Cum certificatione, modoque, & forma præmissis citamus etiam per præsentes. Volumus autem & dicta auctoritate tenore præsentium decernimus, quod hæ nostræ literæ, sicut præmittitur, affixæ, & executæ, prædictos omnes, & singulos sic arceant, & astringant, ac si eis omnibus & singulis in specie, & in genere, ac præsentialiter lectæ, & insinuatæ fuissent, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus extitit publicatum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1460. decimo Kal. Febr. Pontificatus nostri anno tertio.

Declaratio Apostolica pœnalis contra Sigismundum Austriæ Ducem: anno 1460. VII. Ex Mon. Goldasti Tom. 2. P. 1583.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ineffabilis summi Providentia Patris super gentes, & Regna, juxta Prophetæ verbum, licet insufficientibus meritis constituti officii nostri debitum, ut tenemur exequimur, de vinea Domini Sabaoth evellenda evellimus, in eaque plantanda plantamus, ac recta regimus, & dirigimus indirecta, perfidosque ac facinorosos quosque cum scandalo Corpori Ecclesiæ sint, à Fidelium cœtu præscindimus; Nam sacro testante Evangelio, inutilibus membris à corporis compage divisis, eis carere magis proficiat ad

salutem

salutem, quàm cum illis æterna supplicia introire. Nuper siquidem postquam nobis innotuerat quod dilectus Filius noster Nicolaus tituli S. Petri ad vincula presbyter Cardinalis, & ex dispensatione sedis Apostolicæ Episcopus Brixinensis, dum curæ dictæ suæ Ecclesiæ Brixinensis intenderet, & in castro Brunegk, suæ Brixinensis Diœcesis ad Ecclesiam curandam pleno jure spectantem resideret, per Sigismundum tunc Austriæ Ducem hostiliter primò per suos in aurora diei Paschæ in dicto castro obsessus fuerat; & quod castro ipso per eosdem nomine ipsius Sigismundi recepto, idem Sigismundus die sequente præfatum Cardinalem, missis ad eum duobus Tubicinis, suo, & omnium subditorum suorum nomine publicè diffidaverat, atque cum magna armatorum copia, bombardis, & aliis instrumentis bellicis, eundem Cardinalem tunc in arce dicti castri existentem, minaciter valde & hostiliter fuerat persecutus, quousque ipsius Cardinalis Personam in suam redegisset potestatem, & sic diebus multis tenuisset, & quod infra dies illos quoddam castrum nomine Taufers, nec non notabilem quantitatem pecuniarum, obligationesque, & literas plures ab eodem Cardinale, & Capitulo Brixinensi extorsisset, ac damna multa sibi, & suis intulisset, quæ summam triginta quinque millium Florenorum transcendere, & in enervationem Ecclesiasticæ libertatis, totalemque exinanitionem privilegiorum dictæ Ecclesiæ vergere dicebantur. Et postquam præmissa, & etiam certa alia ea concernentia in consistorio generali, promovente dilecto Filio Michaele de Prato causarum Cameræ Apostolicæ procuratore per dilectum filium Andream de Sancta Cruce; utriusque juris Doctorem dictique Consistorii, & & Fisci nostri Advocatum, petendo Sigismundum ipsum, & alios culpabiles in præmissis etiam omnes, & singulos, sententias, ac pœnas in constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri quæ incipit *Felicis*, contentas, & alias in tales à jure inflictas, & promulgatas incidisse declarari, & contra eos procedi, aliasque, & alios fieri, & decerni; prout in commissione tunc publicè exposita continetur, nos tunc facinoris hujusmodi (quod adeò notorium erat, ut nulla posset tergiversatione celari) enormitatem, & gravitatem causæ pensantes, antequam in ea quicquam ageremus, ad majorem rei certitudinem, & nostram informationem dicto procuratore ex suo officio promovente, dilecto Filio nostro Johanni tituli Sanctæ Priscæ Presbytero Cardinali, ac venerabilibus Fratribus nostris Johanni Attrebatensi, & Dominico Torcellanensi Episcopis, vivæ vocis oraculo commisimus, ut se super expositis hujusmodi informarent, & nobis quæ reperirent veritate subniti referrent. Postmodum verò facta per eosdem nobis relatione fideli, invenimus, quod dolenter referimus, præmissa & alia tunc exposita, veritate fulciri, habito tunc per nos cum eisdem commissariis, ac aliis Venerabilibus fratribus nostris S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, super his maturo consilio tantam Dei, & Ecclesiæ offensam, tantamque temeritatis audaciam inultam & sub dissimulatione pertransire nequeuntes, ipsum Sigismundum; ac omnes alios, & singulos cujuscunque, etiam Pontificalis dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis forent Ecclesiasticæ, vel mundanæ, qui eidem Sigismundo in præmissis consilium, auxilium, vel favorem dederant, arma contra dictum Cardinalem susceperant, hujusmodique nefandum facinus facto reatum habuerant, seu Sigismundum, & alios prædictos postea receptaverant, seu defensaverant, eosdem, & eos qui diffidationi per ipsum Sigismundum eidem Cardinali factæ adhæserant, aut Cardinalem ipsum per suas litteras diffidaverant, aut in diffidatione ipsius Ducis comprehensi erant, ac eos, qui eidem Cardinali defecerant, atque Sigismundum, & suos contra eundem Cardinalem hostiliter venientes in castris, & locis etiam ad præfatam Ecclesiam Brixinensem spectantibus admiserant, Ecclesiasticos, & Sæculares, eorum nomina, & cognomina pro expressis habenda, per edictum publicum Apostolica auctoritate per alias nostras certi tenoris litteras ex abundanti moneri fecimus peremptoriè, & requiri, ut certa die per nos eis præfixa in consistorio generali coram nobis personaliter comparerent, allegaturi caussas, si quas haberent rationes, cur ad declarationem pœnarum tam in constitutione ipsa, quàm dictis nostris litteris monitorialibus contentarum, procedere non deberemus.

Alioquin quod tam ad declarationem ipsam, irritationemque omnium, & singulorum vi & metu sic per ipsum Cardinalem gestorum, & ab ea extortorum hujusmodi, etiam juramento vallatorum, nec non restitutionem tam mobilium quàm immobilium sic ab eodem Cardinale ablatorum, interdicti Ecclesiastici in locis, in quibus præmissa commissa fuere, & omnibus aliis locis ipsis Sigismundo, & aliis præfatis subjectis etiam novam positionem, atque ad ulteriora, & ad omnia ea procedemus, quæ nobis juxtà tanti excessus exigentiam, & rei notorietatem justa viderentur fieri, & decerni, prout hæc, & alia, literis nostris aliis desuper emanatis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, haberi volumus pro sufficienter expressis, pleniùs continentur. Verùm etsi dictum Sigismundum, quem anteà semper speciali favore fuimus prosecuti, & in visceribus dileximus caritatis, cujusque desideria quantum cum Deo licuisset fuimus exaudire parati, & etiam alios prædictos speraremus pendente termino dicti monitorii ad cor redire, & tam gravem eorum reatum recognoscere, seque nobis tanquam Christi Vicario, cujus vices quamvis immeriti in terris gerimus, totaliter submittere debuisse; ipsi tamen (de quo ab intimis dolemus præcordiis) diabolica fraude seducti, in profundum malorum se præcipitantes, animarum suarum salutem negligentes, & honorem suum pro nihilo habentes, in Sathanicâ superbia perseveraverunt. Sicque adveniente termino in ipso nostro monitorio expresso, & eis non comparentibus, comparuit dictus Michael de Prato, Procurator noster fiscalis, & eo nomine in consistorio publico, per nos propterea celebrato, literasque monitoriales nostras antedictas unà cum earum executionibus in locis assignatis legitimè factis, scripto producens, monitorum eorumdem contumaciam accusavit, & eos contumaces reputari, ac omnes, & singulas pœnas prædictas incurrisse, ac incidisse, ac aliàs juxta monitorii illius contumaciam declarari, ulteriusque contrà eosdem monitos, prout juris esset procedi per nos debitâ cum instantiâ postulavit. Eoque facto, comparuit ibidem quidam Laurentius nomine, qui se Doctorem & dicti Sigismundi nuncium asseruit, ac ejusdem Sigismundi ex parte audiri petiit, quem etiam aliàs ad partem super his extensè satis, & sæpiùs audiveramus,

veramus, quàm plura minùs vera dicti Sigismundi, & suorum complicum parte, nobis referentem, à quo tunc, ut mandatum, ad termino monitionis satisfaciendum, quoddam procuratorium ad nobis insinuandam quandam prætensam appellationem, tanquàm à nobis malè informato ad nos meliùs informandum exhibuit. Considerantes autem, quod Sigismundus ipse, & alii prædicti ex abundanti, & de merâ nostrâ gratiâ moniti fuerunt, ut si quid dicere vellent, cur juxta monitorium per nos emissum declarari non debeant, tunc die Lunæ quarta mensis Augusti coram nobis personaliter comparerent ità quod per aliud id facere eis concessum non fuerat; ut tamen omnis nostra mansuetudo appareret, procuratorium illud audire decrevimus, si fortè ipse Sigismundus cum suis complicibus per procuratorem idoneum se nobis personaliter submittere, & absolutionem à sententiis, censuris, & pœnis incursis petere, aliàsque juxtà canonicas sanctiones facere vellet, quo casu eundem Laurentium libenter utique audivissemus, sed cum audito procuratorio illo, quod ibidem publicè altâ, & intelligibili voce legi fecimus, consideraremus etiam quod ipse Laurentius solùm ad nos illudendum, & obedientiam, & correctionem fugiendum advenerat, ad idque mandatum haberet; quodque opus non erat, nos, qui jàm de notorietate commissi sacrilegii, & tàm nefando actu hujusmodi, plenè, & pleniùs essemus informati, ita quod ampliùs nos informari opus non erat, prætensam, & ineptam appellationem illam, de quâ in dicto procuratorio mentio fiebat, ac quamcunque aliam contrà præmissa interpositam, forsan, ac interponendam, frivolam, & non admittendam, sed tanquam injustam rejiciendam esse decrevimus, & rejecimus, ipsi Laurentio silentium imponentes. Venerabilibus verò Fratribus nostris Clusiensi, & Ortonensi Episcopis mandavimus, ut ad portas Ecclesiæ Senensis cum nuntiis ad hoc deputatis accederent, & per eosdem Nuncios altâ voce vicibus tribus ibidem vocari facerent, si adesset ipse Sigismundus, aut alii prædicti per se aut Procuratores legitimos, & juxtà dicti monitorii nostri continentiam aliquid dicere vellent, nam eos benignè audire parati eramus. Cumque Episcopi ipsi mandatum nostrum hujusmodi exequentes, ad nos in eodem Consistorio rediissent, retulerunt, nec Sigismundum ipsum, nec complices suos, seù monitos hujusmodi, aut eorum nomine aliquem procuratorem comparuisse, seù advenisse. Idcirco nos ad dicti Procuratoris Fiscalis instantiam Sigismundum, & alios monitos præfatos non comparentes reputavimus merito, prout erant quoad actum, & terminum hujusmodi justitiâ id exigente, contumaces. Et licèt tunc contra monitos ipsos ad declarationem hujusmodi, & aliàs, proùt petitum fuerat, procedere potuissemus, & debuissemus: Nos tamen, qui præmissa ea molestiùs fecimus, quò ipsum Sigismundum ab ineunte ejus ætate dileximus ad omnem nostram, ob ejus specialem dilectionem, quæ claræ, & omni laude dignæ, Domui Austriæ, ex qua ipse Sigismundus originem traxit, conjungimur, mansuetudinem ostendendam, utque ipsi moniti penitùs convincerentur, dictum terminum usque in præsens continuavimus, mandantes ad ipsius Sigismundi, & aliorum prædictorum malitiam, & cordis ipsorum duritiam convincendum, eosdem iterùm per edictum publicum in valvis dictæ Senensis Ecclesiæ affigendum vocari, quatenùs die datæ præsentium coram nobis in Consistorio publico, quod etiam propterea tenere decrevimus, personaliter comparerent, ad audiendum sè pœnas, sententias, & censuras in dicto monitorio nostro contentas incidisse declarari, vel causas cur id fieri non deberet, si quas haberent rationabiles, allegandum. Cum autem facta executione hujusmodi nostræ vocationis in dictis valvis, eaque reproducta hodiè coram nobis, tanta fuerit ipsius Sigismundi, & aliorum monitorum, & vocatorum rebellio, atque protervia, ut nec hodierna die nefandissimum eorum excessum hujusmodi piis actibus humiliter recognoscere, & expiare, nec sè excusare, nec Creatori omnium, & Ecclesiæ Sanctæ Dei satisfacere, nec aliàs juxtà Canonicas sanctiones, & Sanctorum Patrum, ac Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum instituta agere curarunt, cuncta internè rimantes, censuimus non dedecori, sed maximæ gloriæ, & honori esse ipsi inclytæ domui Austriæ, si contrà dictum Sigismundum, ejusdem, atque progenitorum suorum splendorem, & famam denigrantem, & scandalisantem, qui etiam honoris, & dignitatis tàm præclaræ domus, ejus demeritis indignum se reddidit, armis Justitiæ insurgamus, ipsum tanquam palmitem, fructum non ferentem, & membrum putridum ab eadem domo resecemus. Ad Dei igitur laudem & gloriam, hac nostrâ summâ in perpetuum valitura, de consilio eorundem fratrum decernimus, & auctoritate apostolicâ tenore præsentium declaramus, dictum Sigismundum ac eos omnes, & singulos qui dictum Cardinalem, & Episcopum diffidarunt expressè, & cæteros quosque cujuscunque etiam Pontificalis dignitatis, status, gradus, Ordinis, vel conditionis forent Ecclesiasticæ vel mundanæ, qui eidem Sigismundo & aliis prædictis in præmissis præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem, & qui arma contrà dictum Cardinalem susceperunt, hujusmodi quoque nefandum facinus ratum habuerunt, seu Sigismundum aliosque prædictos posteà receptarunt, aut defensarunt, nec non eos, qui diffidationi ipsius Sigismundi hujusmodi adhæserunt, aut in diffidationibus ejusdem Sigismundi, & diffidantium aliorum prædictorum comprehensi sunt atque eos, qui dicto Cardinali in fidelitate, & auxilio, cùm potuerunt, eo tempore defecerunt, ipsumque Sigismundum, & alios prædictos contrà præfatum Cardinalem hostiliter venientes in castris, & locis etiam ad ipsam Ecclesiam Brixinensem spectantibus, & specialiter dictum Castrum Brunegk, & ejus inhabitatores, qui ipsum Sigismundum & suos sic admiserunt, & eos, qui præfata facinora rata habuerunt Ecclesiasticos, & seculares eorum omnium, & singulorum nomina, & cognomina, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes, ob præmissa sunt reos criminis læsæ Majestatis, anathematisatos, perpetuò infames, diffidatos, bannitos, & intestabiles, atque ab omni successione expulsos, ædificia etiam eorum in ruinam danda, & eis de nullo debito respondendum, seù responderi debere, omnia pacta promissa etiam sacramento firmata, & quæcumque fœdera etiam pacis servandæ cum dictis, Sigismundo, & aliis præfatis inita, fore irrita, & inania, dictorumque Sigismundi, & aliorum declaratorum hujusmodi bona quæcunque mobilia, & immobilia Fisco nostro, & Romanæ Ecclesiæ, cui in persona Cardi-

ANNO 1460.

Cardinalis, & Episcopi injuriatum existit, penitùs applicanda & nostræ, & Apostolicæ sedis dispositioni totaliter reservanda, ità ut nihil de illis transmittatur ad posteros, ac eos omnesque, & singulos in præmissis culpabiles, sivè Episcopi, Abbates, Præpositi, Decani, aut etiam Cononici Brixinensis, aut cujuscunque alterius Ecclesiæ fuerint: in specie, & in genere omni honore, & dignitate Ecclesiasticâ, seu sæculari, omnique feudo, locatione, officioque, & beneficio quocunque spirituali, & temporali, quæ à quacunque Ecclesiâ, monasterio, sive Prælato obtinent, privatos. Quorum feudorum ad Ecclesiam devolutorum collationem, & ordinationem ex certis causis animam nostram moventibus, nostræ & Apostolicæ sedis dispositioni similiter reservamus. Eorundem etiam filios, & nepotes per rectam lineam descendentes, beneficiatos, quovis beneficio Ecclesiastico, etiam pontificiali dignitate privatos, eisque omnis promotionis spem sublatam. Nobis etiam ipsorum filiorum atque Nepotum ex virili secùm descendentium ab eisdem, alicujus dignitatis, aut honoris Ecclesiastici vel mundani, aut alicujus loci regiminis januam aperiendam, ac eis quodlibet officium publicum, seù ministerium interdictum, atque in judiciis eorum dictis & depositionibus nihil fidei, aut credulitatis contrà quemcunque adhibendum, & ad testimonia perhibenda esse indignos, eisque ad beneficium & officium Ecclesiasticum, & ordines sacros [illegible]gatum ascensum, & ad actus legitimos nullum eis patere aditum absquè omni spe dispensationis super aliquo præmissorum. Nec non omnes, & singulos præfatos excommunicationis majoris sententiam, aliasque sententias censuras & pœnas in tales à jure latas, inflictas, & promulgatas damnabiliter incidisse. Eosdem quoque Sigismundum, & alios suprà dictos excommunicationis sententia innodamus, anathematizamus, bannimus: Infames, bannitos, intestabiles, honore, & bonis, ac successione privatos esse, ac aliis omnibus pœnis supra dictis cum terris per eos possessis sivè occupatis subjacere decernimus per præsentes. Terras quoque, & dominia per ipsum Sigismundum & alios prædictos occupata, & possessa quæcunque, ubicunque, & in quibuscunque Diœcesibus consistant, ac omnia alia loca, ad quæ eos aut eorum aliquem declinare, & quandiù ibi moram trahere contigerit, Ecclesiastico, & strictissimo interdicto fore suppposita declaramus, & etiam ipsum interdictum in prædictis locis Apostolica auctoritate de novo ponimus. Mandantes omnibus & singulis Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis Provincialium, Ecclesiarum Rectoribus, & Presbyteris aliis, ut ipsum Sigismundum, & alios prædictos etiam nominatim singulis diebus Dominicis, & festivis in divinis, sic excommunicatos, anathematisatos, infames, diffidatos, privatos, & aliàs ut præfertur per nos declaratos in eorum Ecclesiis denuntient, & denuntiari faciant, universis, & singulis Christi fidelibus districtiùs injungentes, ut dictos excommunicatos, anathematisatos & declaratos ubilibet evitent, & faciant evitari, nec cum eis, aut eorum aliquo post spacium unius mensis à data præsentium computando, quævis commercia sivè salis, sivè mineræ argenti, aut alterius generis cujuscunque emendo vel vendendo quodlibet habeant, aut eis communicent, nec ipsis aliquod humanitatis opus aut solatium exhibeant, seù etiam victualia, aut merces alias eis vendant, aùt ab ipsis emant, sed eos omnes, & singulos pro excommunicatis & anathematisatis, ac pro diffidatis habeant inimicis. Et quoniam firmum esse nequit, quod vi & metu constat esse factum harum serie dicta apostolica auctoritate similiter pronuntiamus, decernimus, & declaramus, extorsionem, & traditionem dicti castri *Zauffers* cum suis adhærentiis, necnon sex millia Florenorum Rhenensium dicto Sigismundo par ipsum Cardinalem prompto, & dicto tempore solutorum, promissionemque de solvendo per eundem Cardinalem quatuor millium Florenorum similium, ipsi olim Duci in terminis duobus, nec non quitantiam de tribus millibus Florenorum eorundem eidem olim Duci per ipsum Cardinalem prius amicabiliter mutuatorum, ac quod ipse Cardinalis capitulum Brixinense ad regimen Civitatis Brixinensis, castrorumque, & oppidorum Ecclesiæ suæ Brixinensis ponere, Castellanosque nonnullos ipsi Cardinali, & dictæ suæ Ecclesiæ fideles amovere. Et quod ipsum Brixinense capitulum dicto olim Duci omnia castra, & oppida Ecclesiæ præfatæ aperta tenere, nec in eis alios quàm eidem Sigismundo gratos Castellanos, seù Officiales instituere debeant, seù teneantur, & alia quæcunque à dicto Cardinale dùm in ipsius Sigismundi potestate, ac ut præmittitur detinebatur, atque etiam quæ tunc à dicto capitulo per præfatum Sigismundum, aut suos extorta, ac per ipsum Cardinalem seù etiam capitulum ante dictos tùnc promissa, seù literaliter facta, nec non sigillationem ejusdem literæ inter alia continentis, quod ipse Cardinalis eidem capitulo omne regimen civitatis, castrorum, & oppidorum suæ Ecclesiæ committeret, quam eodem tempore quidam sè nominantes dictum capitulum, à præfato Cardinale eorum Episcopo tunc angustiato, & oppresso similiter extorserunt. Omnia quoque alia inde secuta, cum non solum sint violenta, & injustissima, sed & contra omnem honorem, & honestatem damnabiliter extorta, fuisse, & esse nulla, irrita, & invalida, nulliusque efficaciæ, roboris, vel momenti: Ipsumque Cardinalem ad ea observandum, nunquam fuisse obligatum, neque se sic in præjudicium Ecclesiæ obligare potuisse, eademque omnia, & singula ad cautelam cassamus, irritamus, & annullamus, ac ipsum Cardinalem ad ea observandum nullatenùs obligatum fore, ac ipsum Castrum *Zauffers* cum suis adhærentiis universis, & inde perceptis ab eodem tempore fructibus, ac sex millia florenorum prædicta, & damna illata alia, nec non litteras sic extortas tam per olim Ducem, quàm Capitulum præfatos nobis, aut nostro Commissario infra duorum mensium spatium à die datæ præsentium computando, sub pœnis antedictis liberè restitui debere decernimus. Quodque nisi ipsum Capitulum infra dictum spatium litteras per ipsum à dicto Cardinale, & Episcopo eorum sic extortas, Civitatemque Brixinensem, castra, & oppida ejusdem Ecclesiæ, amotis inde novis jam positis Castellanis, & repositis inibi illis, quos ipse Cardinalis ibidem posuerat, nobis, aut nostro Commissario plenè restituerunt, ex tunc lapso duorum mensium spatio huiusmodi omnes incorporationes quaruncunque provincialium Ecclesiarum, quas ipsum Capitulum obtinere dignoscitur, ad mensam Episcopalem Brixinensem eo ipso revertantur, & Capitulum ipsum hujusmodi incorporationibus Ecclesiarum, omnesque, & singulas personas ejusdem capituli in prædictis culpabiles, quorum nomina, & co-

gnomina

ANNO 1463.

gnomina præsentibus habere volumus pro expressis ultrà pœnas jam dictas, omnibus, & singulis eorum beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, Canonicatibus, & Præbendis, dignitatibus, Personatibus, officiis, seù administrationibus, absque alia declaratione, quacunque privatos esse volumus, atque privamus per præsentes, eaque sic vacare decernimus. Per præmissa tamen, tàm carissimo in Christo Filio nostro Friderico Romanorum Imperatori, quàm dilecto filio nobili viro Alberto Duci ejus Germano ex eadem domo Austriæ oriundis, & etiam omnibus juribus, nec non etiam doti, aut donationi propter nuptias dilectæ in Christo Filiæ Eleonoræ de Scotia dicti Sigismundi conthoralis, quæ, ut veridicè accepimus, præfatis facinoribus, & nefandis nequaquam consentit, nolumus in aliquo præjudicare, sed ea sua bona sibi quoad vixerit, illæsa remanere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reservationis, innodationis, anathematis, bannimenti, constitutionis &c. infringere vel ei ausu temerario contravenire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ, 1460. sexto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

VIII. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæi Tom. 5. pag. 661.

Erectio Universitatis Nannetensis anno 1463.

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Inter felicitates quas mortalis homo in hac labili vita ex dono Dei nancisci potest, ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat scientiæ margaritam, quæ benè, beateque vivendi viam præbet, & peritum, ab imperito sua preciositate longè faciat excellere, & ad mundi arcana cognoscenda dilucidè inducit, suffragatur indoctis, & in infimo loco natos inducit in sublime. Et propterea Sedes Apostolica rerum spiritualium, & etiam temporalium provida ministratrix, cujusvis laudabilis exercitii perpetua, & constans adjutrix, ut eo faciliùs homines ad tam excelsum humanæ conditionis fastigium acquirendum, & acquisitum in alios refundendum semper cum augmento quæsiti faciliùs inducantur. Cum aliarum rerum distributio massam minuat, scientiæ verò communicatio quantum in plures diffunditur, tantò semper augeatur & crescat, illos hortatur, eis loca præparat, & opportunæ commoditatis auxilia impartitur, Catholicorum Principum notis favorabiliter annuendo. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Franciscus Britonum Dux sui Ducatus Britanniæ, in quo novem Ecclesiæ Cathedrales, Civitates insignes, & totidem diœceses ab invicem distinctæ, notabilia monasteria, & Beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, copiosusque, tam Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, nobilium, & ignobilium Populi numerus consistunt, ac ejusdem populi statum prosperari cupiens, ac cognoscens, quod si in aliqua Civitate earumdem studium vigeret Litterarum generale, quam plures ejusdem Populi quorum aliqui studiorum litterarum per eos incæptorum desertores efficiuntur, alii verò, qui ipsi studio operam dare cogitant, ab eo retrahuntur, perfectam acquirerent scientiæ margaritam, non mediocriter ipsi statui profuturam. Cupit pro Reipublicæ, ac Incolarum ejusdem Ducatus, aliorumque ad ipsam margaritam anhelantium utilitatem in una Civitatibus ipsis uberrima, videlicet Nannetensi, ad quam flumen Ligeris spatio ducentorum milliarium & ultra navigabilis à partibus Franciæ, & deinde ad portum maris ipsi Civitati Nannetensi multum accommodum tendit, & per quod omnia vitæ humanæ necessaria, & ad eandem Civitatem navali, & carbasorum usu vehi possunt, & in qua aëris temperies viget, victualium ubertas, cæterarumque rerum ad usum vitæ humanæ hujusmodi pertinentium copiam reperitur, plurimùm desiderat fieri, & ordinari per eandem sedem studium generale in qualibet licita facultate.

Nos igitur præmissa, & etiam eximiam ipsius Ducis, & prædecessorum Britanniæ Principum fidei devotionem sinceritatem quam ad nos, & Romanam Ecclesiam, cui semper plenariè, ac constanter obedivisse sine varietate comprobantur, attentè considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod Ducatus prædictu scientiarum ornetur muneribus, ita ut viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diversarum facultatum dogmatibus conditos, sitque ibi fons irrigans, de cujus plenitudine hauriant universi Christi fideles undique illic affluentes & litterarum documentis insistentes. Horum igitur consideratione inducti ad laudem divini nominis, & orthodoxæ fidei propagationem, ipsius Reipublicæ, & partium earumdem commodum, atque profectum

Auctoritate Apostolica concedimus, statuimus, & ordinamus, quod in dicta Civitate Nannetensi, de cætero sit, & perpetuis futuris temporibus vigeat studium generale, & Universitas existat studii generalis tam in Theologia, quàm Jure Canonico, Civili, & Medicina, quàm quavis alia licita facultate, in quibus sicut in Parisiensi, Bononiensi, Avenionensi, Senensi, & Andegavensi generalibus studiis, Ecclesiastici quicumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica obtinentes, & Laici, Magistri, & Doctores doceant, & studere volentes undecumque fuerint studeant, & proficere, ac benemeriti Baccalariatus, Licentiæ Doctoratus, & Magisterii, & quoscumque alios gradus recipere illis sic bene meritis, impendi valeant, atque possint.

Volentes, & ordinantes, quòd Venerabilis Frater Guillermus modernus, & pro tempore existens Episcopus Nannetensis sit studii, & Universitatis hujusmodi Cancellarius, qui aut per eum, seu sede Nannetensi vacante per Capitulum quoad hoc deputatus Vicarius in qualibet dictarum facultatum commendabilis vitæ Scholaribus, quos ad hoc Rector studiis, Regentes Magistri, sive Doctores Facultatis, in qua graduari singuli postulabunt, seu major pars eorum idoneos reputaverint, Baccalariatus, & Licentiæ gradus conferat, ac singuli ipsius studii Magistri, sive Doctores in facultatibus, in quibus ibidem rexerunt aliis cum rigore examinis Licentiatis quibuscumque Magisterii, sive Doctoratus insignia de consilio, & assensu aliorum Doctorum, sive Magistrorum præfatæ facultatis inibi impendere, sive dare valeant, & ex tunc illi, qui insignia hujusmodi receperint, licentiam habeant tam in prædicto, quàm ubique terrarum quocumque alio studio, absque alio examine, aut approbatione legendi, do-

ANNO 1463.

cendi, & cætera faciendi, quæ Magistri, & Doctores, in altero dictorum studiorum facere possunt, ac quod ipse Cancellarius, seu Vicarius, & qui pro tempore Rector ipsius Studii fuerit: & Doctores inibi residentes vocatis secum in competenti numero, prout eis videbitur, de qualibet facultate aliquibus Licentiatis, & Scholaribus providis dicti studii Nannetensis, ac duobus ad minus de Ducis Britanniæ pro tempore existentis Consiliariis, pro felici directione dicti studii salubria statuta, & ordinationes concedere possint. Super quibus omnibus, & singulis auctoritate Apostolica, & ex certa scientia facultatem, & etiam potestatem concedimus per præsentes. Præterea omnibus, & singulis Magistris, Doctoribus, Licentiatis, Scholaribus, & Studentibus, ac studere volentibus, licentiam elargimur ad ipsam Civitatem Nannetensem accedendi, & inibi legendi, docendi, & studendi, ac gradus, & insignia hujusmodi modis præmissis recipiendi, & impendendi, nec non ipsis pro tempore regentibus, vel studentibus; & qui gradus vel insignia hujusmodi receperint. Quod ipsi omnes, & singuli, omnibus, & singulis prærogativis, privilegiis, præeminentiis, antelationibus, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, honoribus, & indultis per nos, & Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & aliis quavis Apostolica Ecclesiastica, vel mundana auctoritate, sive potestate quovis modo concessis, & ab eis emanatis. Quorum omnium, & hac desuper confectarum litterarum, & inde sequutorum quorumcumque formas, continentias, & tenores, ac si de illis, & eorum singulis specialis specifica, & expressa mentio, & designatio, nec non tenorum eorumdem de verbo ad verbum insertio facta foret, præsentibus haberi volumus pro expressis quibus Parisiensis, Bononiensis, & Andegavensis generalium studiorum Universitates, ac in eis graduati Scholares, & Studentes uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet uti, frui, & gaudere possint, valeant, & debeant, seque illis defendere possint, valeant, & debeant pariformiter, & absque ulla differentia perinde in omnibus, & per omnia, ac si illæ prærogativæ, privilegia, præeminentiæ, antelationes, voluntates indulta, libertates, exemptiones, immunitates, honores, & concessiones ipsi studio Nannetensi, ac in eo legentibus, & studentibus, & graduatis Scholaribus, & suppositis specialiter, & expressè concessa forent, & in eorum favorem emanassent: Et insuper, & eo ferventius ipsi Magistri, Doctores, & Studentes in dicto Nannetensi studio erga studia valeant insudare quo adversus eorum turbatores vivacis protectoris suffragio cognoverint se munitos moderno, & qui pro tempore fuerit Episcopo Nannetensi præfato per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus prædictis Magistris, Doctoribus, Scholaribus dicti Studii Nannetensis, & in illo graduatis efficacis defensionis, protectionis auxilio, & præsidio existens, per se, vel alium, seu alios faciat, eosdem Magistros, Doctores, Graduatos, Scholares, & Studentes, præmissis prærogativis, privilegiis, præeminentiis, antelationibus, voluntatibus, concessionibus, honoribus, & indultis pacificè, & quietè uti, frui, & gaudere. Nec permittat illos contra ea & præsentium nostrarum litterarum continentiam, & tenorem, vel alias à quoquam quavis auctoritate, etiamsi regali, aut Archiepiscopali, vel alia Ecclesiastica, vel mundana perfulgeat dignitate, impeti, seu etiam indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia Juris remedia quibuslibet appellationibus postpositis compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, illa præsertim, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad Judicium evocetur, sive ne Judices à sede Apostolica deputati extra Civitatem, & Diœcesim, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vires suas committere, seu aliquos extra suam Civitatem, & Diœcesim, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vires suas committere, seu aliquem extra suam Civitatem & Diœcesim evocare præsumant, & de duabus dietis in Concilio generali edita, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, aut si aliquibus communiter, vel divisim à dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu quod studia generalia nisi ab aliis studiis similibus ad certam locorum distantiam remotis locis, erigi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac aliis privilegiis quibuscumque quibusvis aliis generalibus studiis concessis, & eorum statutis, & consuetudinibus &c. juramento, & Apostolica auctoritate roboratis illis præsertim, quibus forsitan in eisdem studentes, sive Licentiati, quod alibi ratione Studii non residéant, vel gradum, sive insignia non recipient ante dicta Jurejurandi Religione affirmari distinguantur; quæ quidem juramenta hactenùs præstita duntaxat penitùs tollimus, & ad illorum observationem non teneri auctoritate, & scientia similibus decernimus, ac ipsa juramenta habemus, & haberi volumus pro infectis, cæterisque contrariis quibuscumque.

ANNO 1464.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, concessionis, commissionis, mandati, Constitutionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo pridie nonas Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo, D. de Piscia.

PAULUS SECUNDUS.

PONTIFEX CCXV.

ANNO DOMINI MCDLXIV.

PAulus Venetus prius Petrus Barbus Eugenii IV. nepos, Pio II. successit anno 1464. Cardinales purpura donavit. Jubilæum ad annum 25. contraxit. Obiit (quâ morte incertum) anno 1471. ætatis 53. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 380. *App.*)

Privilegia

ANNO 1465.

I. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæi Tom. I. pag. 674.

Privilegia aliarum Universitatum concedit Universitati Bituricensi: anno 1465.

PAULUS EPISCOPUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

ET si à summo rerum omnium conditore cujus inæstimabili providentia cuncta miro ordine disponuntur, & à quo omnium charismatum dona proveniunt ad exequendum Pontificalis ministerii debitum, licet insufficientes meritis deputati, de his, quæ ad fidei catholicæ fideliumque profectum conferunt, sedulò nos cogitare conveniat, de litterarum tamen studiis, & virorum (qui incomparabilis thesauri divinarum, & humanarum rerum cogitationem apprehendere cupiunt) incrementis felicibus, & eò magis cogitare nos convenit, quo ex his propulsis ignorantiæ nubibus Domini nostri, & ejusdem Fidei cultus prætenditur, justitia colitur, publica quoque, & privata res utiliter geritur, & omnis humanæ conditionis prosperitas adaugetur. Decet igitur Pastoralem sollicitudinem non immeritò adhibere, ut hujusmodi studia vigeant, & continuò augeantur, per quæ, sicut experientia rectè comperimus universali Ecclesiæ, cunctisque credentibus major potest utilitas provenire. Cum itaque sicut nuper pro parte charissimi in Christo Filii nostri Ludovici Regis Francorum illustris, & dilecti filii nobilis viri Caroli Ducis Bituricensis ipsius Regis Germani nobis fuit expositum, ipsi ejusdem Reipublicæ utilitati, & præsertim Ducatus Bituricensis, ac etiam Regis Franciæ Incolarum, nec non aliarum partium vicinarum habitationem, qui scientiæ margaritam adipisci desiderant laudabiliter intendentes, ut Civitate Bituricensi, quæ inter alias Ducatus Aquitaniæ Civitates primatum obtinet, tanquam in loco magis insigni, & accommodo, liberalium artium generale studium in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, & erudiantur indocti, servetur æquitas Judicis, vigeat ratio, illuminentur mentes simplicium, & eorum, ac quorumlibet intellectus, opitulante Altissimo, illustrentur, erigi, & stabiliri desiderant; nos prævisa omnia, ac etiam eximiam fidei, devotionisque constantiam, quam ipsi Rex, & Dux ad nos, & Romanam gentem, & Ecclesiam attenta meditatione pensantes, ac etiam cupientes, quod civitas ipsa scientiarum muneribus decoretur, virosque producat consilii maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, & diversarum facultatum scientiis eruditos, de quorum plenitudine hauriant universi alii litterarum documentis imbui appetentes, eisque præmissis omnibus, & præcipuè dictæ civitatis, quæ ad multiplicanda sanæ doctrinæ germina magis congrua, & accommoda fore perhibetur, idoneitate attenta interna meditatione pensatis, non solum ad ipsius civitatis, sed etiam Regni Ducatus, ac Regionum circajacentium profectum paternis affectibus anhelantes, Regis, & Ducis prædictorum in hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem divini nominis, & propaginem fidei ante dictæ, ipsorum quoque Regis, & Ducis gloriam pariter, & honorem, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ut de cætero in eadem civitate Bituricensi generale studium per præsentes erigimus, quod instar aliorum studiorum generalium tam in Theologia, & Jure Canonico, atque Civili Medicina quoque, & artibus, quàm alia qualibet licita facultate vigeat, quodque Doctores, Magistri, Legentes, ac etiam Scholares studentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus tam Magistris in eadem Theologia, ac Doctoratibus, Legentibus, & studentibus in Parisiensi, Tholosensi, Pictaviensi, & aliis dicti Regni universitatum studiis concessis, ac etiam concedendis utantur, & gaudeant: Cancellarius verò Ecclesiæ Bituricensis pro tempore existens (qui, ut accepimus, dispo nere Scholares dictæ civitatis ab antiquo consuevit) similiter Cancellarius Universitatis Studii Bituricensis existat, possitque auctoritate præsentium illis, qui processu temporis adeo litterarum studio insudaverunt, & in eo profecerunt; quod ad hoc idonei reputentur, quique in facultate, in qua studuerunt, gradum obtinere, ac docendi licentiam, & ut alios erudire valeant, Magisterii, seu Doctoratus honorem sibi concedi petierint, & per Doctores, seu Magistros ejusdem facultatis, in qua examinatio eorum facienda fuerit, sibi, vel ejus vicegerenti (qui Doctor, aut saltem Licentiatus, & ipsius Ecclesiæ Canonicus sit), aut si Cancellaria ejusdem Ecclesiæ litigiosa fuerit; vicegerenti per ejusdem universitatis Bituricensis Magistros, & Doctores deputato præsenti, convocatis tamen aliis Magistris, atque Doctoribus in eadem facultate post eorum diligentem examinationem, si ad hoc sufficientes, & idonei reperti fuerint, licentiam hujusmodi tribuere, ac etiam Magisterii, & Doctoratus honorem liberè impertiri, ita tamen, quod idem Cancellarius, aut vicegerens personis idoneis præsentatis, & examinatis debitos, ut præfertur, gradus eis continentes derogare non possit, vel aliquid pro eorum collatione recipere; & si contrafecerit, sententiam excommunicationis incurrat. Examinati verò, ut præmittitur, approbati, postquam in eadem civitate Bituricensi docendi licentiam, atque honorem hujusmodi obtinuerint, ex tunc absque examine, sive approbatione alia legendi, & docendi tam in prædicto ipsius civitatis, quàm in singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint legere, & docere statutis, & consuetudinibus quibuscumque contrariis Apostolica, vel quasi alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus plenam, & liberam habeant facultatem, & insuper quòd Doctores, Magistri, & Scholares Universitatis ejusdem, dummodò regulares non sint, Leges publicè in Scholis legere, & audire, ac in eis gradus recipere possint, nullusque nisi Doctor, aut Magister, seu Licentiatus in eadem civitate, in Medicina practicare debeat, nisi à Professoribus facultatis obtentâ licentiâ, & per eos pro idoneo fuerit approbatus. Ipsique Doctores, Magistri, & Studentes litterarum studio, in eadem Universitate pro tempore commorantes fructus redditus, & proventus omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ pro tempore obtinuerint, quotidianis tamen distributionibus duntaxat exceptis cum ea integritate per septennium duntaxat percipere valeant, cum qua illos perciperent si in Ecclesiis, & locis, in quibus beneficia hujusmodi forsan fuerint, personaliter residerent.

Hæc ad residendum interim in eisdem compelli possint inviti, dictoque septennio durante, ratione beneficiorum, eorundem se ad Presbyteratus ordinem promoveri facere minimè teneantur, dummodo infra annum ad Subdiaconatus ordinem sint promoti. Præterea Doctoribus, Magistris, Scholaribus, & Studentibus ante dictis, ut extra muros dictæ Civitatis Bituricensis aliquâ quavis auctoritate ad Judicium evocari, trahi, aut conveniri nequeant, auctoritate præfata tenore præsentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, erectionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum

ANNO 1469.

necessaria ministrare deberetis, & teneremini, auctoritate prædicta concesserit, prout in quodam publico instrumento sigillato ipsius Thomæ de Gauberiis pleniùs dicitur contineri: Cum itaque hodie dilectus Filius Guillelmus de Sanctis, nuper ipsius Parochialis Ecclesiæ Vicarius perpetuus, dictam Parochialem Ecclesiam, quam tunc obtinebat per dilectum filium Joannem Coutelier Clericum Tornacensis Diœcesis Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris spontè, & liberè resignaverit, nosque resignationem ipsam duxerimus admittendam, nullusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit, sive possit, pro eo quod nos dudum omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, apud sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nos indemnitatibus ejusdem Ecclesiæ occurrere cupientes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, volumus, & apostolica auctoritate vobis concedimus, quod singulæ Apostolicæ litteræ hujusmodi, & processus habiti per easdem, nec non unio, annexio, & incorporatio prædictæ, ac quæcumque inde sequuta à data præsentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac si in eisdem litteris, quod etiamsi Parochialis Ecclesia per cessum, vel decessum hujusmodi apud sedem eandem vacaret, expressum, vel concessum extitisset, & insuper ut facilius onera prædicta supportare valeatis, de alicujus subventionis auxilio nobis providere volentes, quod liceat vobis dictæ Parochiali Ecclesiæ, per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio Ecclesiæ vestræ hujusmodi, vel aliundè assumendum, ac pro vestro nutu, removendum, deinceps deserviri facere, ita quod vos dicto Presbytero de fructibus Parochialis Ecclesiæ hujusmodi pro vitæ subsidio necessaria ministrare debeatis, & teneamini, singulis aliis oneribus pro tempore eidem Parochiali Ecclesiæ incumbentibus vobis reservatis, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus: proviso, quod dicta Parochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera ante dicta.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo, octavo Kalendas Decembr. Pontificatus nostri anno septimo.

IV. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. pag. 427.

Fœdus initum inter summum Pontificem, & Rempublicam Venetam 28. Maji 1469.

In Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac B. Marci Evangelistæ, totiusque cœlestis curiæ triumphantis, Anno à Nativitate Domini MCCCCLXIX. *Die verò* XXVIII. *Mensis Maji Indictione* II. *Pontificatus sanctissimi Domini nostri, Domini* PAULI *Divina Providentia sacro sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis anno* V. *&c.*

PRimo ipse Reverendissimus Dominus S. Marci, nomine sanctissimi Domini nostri pro se & successoribus suis canonicè intrantibus & pro sanctissima Romana Ecclesia suisque adhærentibus confœderatis, complicibus & obligatis; etiam præfatus magnificus Dominus Orator nomine Serenissimi Domini Ducis, & Illustrissimi Dominii Venetorum faciunt, firmant, ineunt, & contrahunt bonam meram, & veram invicem *Confœderationem*, intelligentiam, & ligam duraturam *usque ad annos* XXV. & ultra ad illud totum tempus, quod ipsis partibus placitum fuerit, ad mutuam conservationem, & defensionem statuum, & contra omnes de cætero, non provocatos, ac lacessitos offendere volentes sanctissimum Dominum nostrum, & Illustrissimum Dominium Venetorum, vel eorum alterum, seu eorum status: & hoc fieri intelligatur pro conservatione & tranquillitate Pacis Italiæ.

§. 2. Item convenerunt & concordarunt, quod ipse *Sanctissimus Dominus noster tenere & habere debeat equites quatuor mille, & pedites tres mille paratos, & ipsum illustrissimum Dominium similiter tenere & habere debet equites quatuor mille & pedites tres mille*, ut supra prædictum est, propriis sumtibus uniuscujusque partis, declarando, quando dictas gentes illustre Dominium prædictum mittere debeat facta Sigillatione capitulorum in Romandiolam ad omnem requisitionem Sanctissimi Domini nostri, ireque debeant ad ea loca, ad quæ sua Sanctitas, & illustrissimum Dominium prædictum judicaverint mittendas esse, habita omni consultatione, & deliberatione ad defensionem status & terrarum sanctissimi Domini nostri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: *quo casu sanctitas prædicta ipsis gentibus sic missis*, vel earum parti, *providere facere debeat de allogiamentis, stationibus & victualibus, quæ* vendi debeant gentibus prædictis *eo pretio & avantagio, quo venderentur gentibus sanctissimi Domini nostri.*

§. 3. Item convenerunt, & concordes remanserunt dictæ partes, quod illustrissimum Dominium prædictum, cum omni tempore super mare teneat potentem classem, obligatum sit, & se obtulit occurrente bello, quod Deus avertat, quocumque modo successerint negotia, quod maritimas vires attinet, sufficienter, & tempestivè providere ad omnia commoda statuum, & rerum Sanctissimi Domini nostri prædicti, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ supra dictæ, absque aliqua impensa sanctitatis suæ.

§. 4. Item convenerunt & concordarunt partes prædictæ, quod occurrente casu, quo illustrissimum Dominium prædictum ab aliquo Dominio vel potentatu non lacessito sive provocato offenderetur, sanctissimus Dominus noster prædictus obligetur præstare, & *mittere in succursum præfati illustrissimi Dominii, equites duo mille, & pedites mille*; illosque tenere propriis impensis toto tempore belli; quemadmodum præfatum illustrissimum Dominium præstare, & mittere se obligat in Romandiolam, & aliò, ubi necessarium judicatum fuerit per communem consultationem ambarum partium, & tenere usque ad bellum finitum prædictos equites quatuor mille, & pedites tria millia suis propriis impensis. (Additæ sunt aliæ pactiones, ut *fœdus cum nullo Principe*, vel populo Italico inire posset, nisi pars altera pari conspiratione consentiret: Daretur autem singulis facultas ut huic fœderi accederent: *Lapso ab hujus promulgatione mense, socios pars quaque suos designaret: si bello pars altera implicaretur altera pacem conficere, altera dissentiente, nequeat.*)

SIXTUS

SIXTUS QUARTUS, PONTIFEX CCXVI.

ANNO DOMINI MCDLXXI.

VIde Compendium Vitæ in *Magn. Bullar. Roman. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. I. fol.* 387.

I. Ex histor. univers. Parisiens. Bulæ: Tom. 5. pag. 698.

Ad subvertendam Pragmaticam sanctionem hanc Bullam edit circa Beneficia in Galliarum Regno, Ordinariis sex menses concedens ad Beneficia conferenda, totidem sibi retinens: anno 1472.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD universalis Ecclesiæ Regimen disponente clementia, vocatis inter alia pro communiorum Populorum votiva dilectione nil occurrit præstantius, quàm exorta inter Personas Ecclesiasticas Principis tenebrarum astutia, discordiarum fomenta per nostræ sollicitudinis occursum protinus extinguere, ut cujusvis alterationis salubriter evulsis seminibus pacis, & tranquillitatis dulcedinem inter creditos nobis populos, divina nobis assistente gratia, imponere, & conservare valeamus. Cupientes itaque, ut suscitata retroactis temporibus discordia, proh dolor! in Regno Franciæ Delphinatu aliis Terris, & Dominiis illustrissimi in Christo Filii nostri Ludovici Francorum Regis illustris, inter nonnullas ex eisdem personas occasione cujusdam constitutionis, quæ in eodem Regno diutiùs inolevit, quam Personæ prædictæ Pragmaticam sanctionem vocant, ne quod absit, majora fomenta sumeret, damna pariter, & graviora scandala subsequerentur, fine debito claudatur, & totaliter secludatur, auctoritate Apostolica ex certa scientia, de fratrum nostrorum consilio, omnibus, & singulis Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis Regni, Delphinatus, Terrarum, & Dominorum eorumdem collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet de quibusvis dignitatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, nec non aliis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quæ deinceps in Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus futuris, perpetuis temporibus vacare contigerit, dummodo dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali in corpore Juris clausa, aut per alteram ex constitutionibus felicium recordationum Benedicti XIII. quæ incipit ad regimen; aut Joannis XXII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quæ incipit: Execrabilis: per constitutiones, & regulam Cancellariæ Apostolicæ per nos super hoc editas reservata generaliter non existant, perinde ac si aliquæ à sede Apostolica, vel ejus Legatis expectativæ litteræ non emanassent, liberè disponendi facultatem concedimus per præsentes. Et quia isti summi Pontifices Prædecessores nostri consueverunt se in concessionibus Gratiarum expectativarum personis bene meritis exhibere liberales, nostræ intentionis existit concedere in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis concessas, quibus in aliquo præjudicare non intendimus per præsentes, quasque in suo robore permanere volumus, sex personis idoneis Regnicolis, sex alias Gratias expectativas ad quamlibet collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem singulorum ex Prælatis, & aliis personis prædictis. Ex quibus quidem sex gratiis duæ gratiæ expectativæ concedantur duobus Clericis regnicolis idoneis, pro quibus Rex ipse Christianissimus, & charissima in Christo filia nostra Regina, ac dilectus Filius nobilis vir Delphinus Viennensis, nec non Magistri, & Præsidentes, ac alii Officiarii in aliquo ex Parlamentis Regis ejusdem Regni nobis super hoc unanimiter supplicabunt, qui duo nominati per Regem, & Reginam, Delphinum, Magistros, Præsidentes, & Officiarios præfatos gaudeant prærogativis ad instar familiarium nostrorum continuorum commensalium. Ipsisque sex gratiis consumptis, alias sex gratias similes aliis sex gratiis personis idoneis modo, & forma præmissis concedere intendimus. Volumus autem, ac eisdem auctoritate, & tenore præsentium decernimus, & declaramus Beneficia, quæ Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium familiares, continui commensales eorum familiaritate durante in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis obtinent, & in posterum obtinebunt, dispositioni Apostolicæ in posterùm censeri reservata, quandiù duntaxat Cardinales præfati vitam duxerint in humanis, ac post obitum eorundem Cardinalium per sex annos continuè sequentes. Quibus quidem sex annis elapsis, alii ad quos eorundem Beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio aliàs pertinet de Beneficiis familiarium hujusmodi in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis consistentibus in prædictis mensibus disponere valeant, hujusmodi reservatione non obstante. Concedimus etiam, quod Beneficiorum, quæ promovendi per nos ad dignitates, seu Beneficia consistorialia prædicta, ac munus consecrationis eisdem promovendis impendendum, seu lapsum temporis de consecrandis Episcopis à Sacris Canonibus definiti vacaturorum, si promotiones ipsæ in aliquo ex supra dictis mensibus fiant, nisi Beneficia ipsa essent aliis dispositioni Apostolicæ, ut præfertur, reservata ad Prælatos, & personas supra dictas. Si verò in aliis mensibus promotiones eisdem fieri contingat, ad nos & Romanos Pontifices Successores nostros, collatio, provisio & omni-

Anno 1472.

& omnimoda dispositio pertinebat. Et quoniam Notariorum, qui habitum per ejusdem sedis Notarios gestari solitum publicè & continuè gestant, & in posterum gestabunt, Beneficium in eisdem Regno, Delphinatu, & Terris consistentia duntaxat censeantur reservata; Quodque omnes, & singulæ causæ Beneficiales in partibus coram Judicibus competentibus, usque ad definitivam inclusivè, & in prima duntaxat instantia, in qua nulli ante definitivam liceat appellare nec appellatio, si fuerit emissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, vel à gravamine negotium principale minime concernente, quod non possit per appellationem à diffinitiva sententia reparari: In aliis verò instantiis in Curia Romana tractentur, cognoscantur, & fine debito terminentur. Causæ verò Beneficiales pendentes in dicta Curia inter nos, aut dictorum Cardinalium familiares continuos commensales, ipsis Cardinalibus in eadem Curia præsentibus, seu in aliqua Legatione, aut recreationis causa secedentibus, nec non præfatæ sedis Officiales officia actum exercentes, aut alios à præmissis, qui per sex menses curiam prædictam sequuti sunt, & sequuntur de præsenti, Curiales, & quoscumque alios eorum Adversarios super quibusvis Beneficiis eisdem Adversariis auctoritate ordinaria collatis, per illos, quibus commissæ reperiuntur, seu alios per nos ad id deputatos, seu etiam deputandos Judices audiantur, cognoscantur, decidantur, fineque debito terminentur, ac exequutioni debitæ demandentur. Cæteræ verò causæ similes Beneficiales inter quoscunque alios pendentes, & quæ quibusvis Judicibus seu Auditoribus commissæ reperiantur, aliquibus Judicibus competentibus in Regno Franciæ auctoritate Apostolica audiendæ, cognoscendæ, decidendæ, & fine debito terminandæ, cum necessaria earumdem causarum advocatione. Præterea quia aliquæ ex supra dictis causis in eadem Romana curia super petitorio à diversis curiis ipsius Regni super possessorio tractatur, volumus, quod in eisdem causis in diversis curiis super petitorio, & possessorio unico, & eodem contextu pendentibus, suspenso petitorio, & censuris super hoc latis, in possessorio, in curiis eorundem Judicum coram quibus causæ possessorii pendent de præsenti procedant causæque ipsæ super hujusmodi possessorio intra biennium terminentur, & finiantur. Alioqui biennio elapso liceat Partibus ipsis procedere super petitorio, & alterius dictis causis expeditis super possessorio, aut hujusmodi biennio elapso altera partium litigantium coram Judice competente auctoritate Apostolica deputato, poterit Jus suum prosequi, ipseque Apostolicus Judex intra aliud biennium causam in petitorio terminare teneatur. Quod si non fecerit causa ipsa ab ea evocata, & lis penitus extincta censeatur. Et si forsan aliquis eorumdem Judicum uniusvis sibi commissæ causæ expeditionem malitiose prorogare, aut differre præsumpserit, excommunicationis, & omnium Beneficiorum privationis pœnas ipso facto incurrat, à qua quidem excommunicationis pœna absolvi nequeat, nisi à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, præterquam in mortis articulo; quodque de cætero in litteris expediendis in Regno Franciæ, Delphinatu, & Terris, aliisque Dominiis prædictis serventur taxæ super hoc editæ per Joannem XXII. Papam præfatum, & excessus, si qui fuerint, corriguntur. Et quia propter assiduas guerras, & novitates, quæ continuè vigent in dicto Regno, prætenditur Ecclesias, dum vacant, gravatas in taxa etiam reformata in Concilio Constantiensi, quæ reducta est ad medietatem antiquæ taxæ, quod gravatus in eadem taxa Prælatus promovendus solvat communia, & minuta servitia, quæ plures ex Gallis Annatam vocant, tantùm pro vera æstimatione fructuum Ecclesiæ, & monasterii, ad quæ sit promotus, eaque in dicta Cancellaria, & Camera Apostolica inviolabiliter servari mandamus, & quia supra dictis concessionibus Regnum, ac Regem maxima sumus charitate complexi, credendum est non immeritò, ut se devotos, & obedientes erga Sanctam Romanam Ecclesiam exhibeant. Quare volumus, & eisdem auctoritate, & tenore statuimus, quod præfatus Rex intra quatuor menses præmissa acceptare, & observare, ac in Regno, Delphinatu, & Dominiis hujusmodi observari facere, nec non intra alios duos præfatos quatuor immediatè sequentes menses super acceptatione, & observatione, aliisque præmissis omnibus, & singulis per suas patentes litteras nos, & sedem præfatam certificare teneatur. Alioquin præsentes litteræ, & inde sequuta quæcumque sint cassa & irrita, nulliusque roboris, vel momenti. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1472. Idus Augusti, Pontificatus nostri anno primo.

Anno 1474.

II. Ex spicil. Dacheri Tom. 3. pag. 844.

Ad LUDOVICUM Francorum Regem; conqueritur quod concordata non observet, quæ extant inter extravagantes communes Cap. *ad Universalis de Treuga & Pace*: anno 1474.

SIXTI PAPÆ IV.

Carissime in Christo Fili noster, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quotidie ad nos præfertur ex querelis multorum, concordata inter nos & te non observari, sed provisiones Apostolicas deferentes capi, & contumeliis & injuriis affici; quod est nobis & molestum, & de Majestate tua, quæ Christianissima est & Apostolicæ sedis observantissima, semper fuit creditu admodum difficile: quamquam existimamus tuorum potius quàm Celsitudinis tuæ culpâ id fieri.

Hæc cum apertè tendant in diminutionem honoris tui, & sedis Apostolicæ contemptum, non debes pro singulari sapientia tuâ id ullo modo tolerare. Non enim te latet, quanta cum difficultate Venerabiles Fratres nostros adduxerimus, ut hujusmodi concordatis & conventionibus assentirentur: quod libenter quidem fecimus; primo ne tanta animarum multitudo, quæ in inclyto tuo Regno

est,

ANNO 1474.

est, hujusmodi Pragmaticæ labe ampliùs involveretur & periclitaretur: cùm etiam ut & honori tuo, qui Christianissimus es, & quem singulari caritate prosequimur, & honori sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariter consuleretur: quod secus evenire intelligimus, & plurimum admiramur; nam postquàm hujusmodi concordata Oratores tui ad te detulerunt, ratificationem quamdam transmisisti per dilectum Filium Ludovicum de Amboisiâ Procuratorem tuum, quam ad te remisimus, propter quod insufficiens erat, petentes ut pleniorem ad nos remitteres, quæ nunquam postea missa est, neque aliquid ampliùs audivimus in tanto temporis spatio, non sine magnâ omnium admiratione. Quamobrem hortamur & rogamus Celsitudinem tuam, ut aut ratificationem plenam ad nos mittat, & concordata faciat inviolabiliter observari, aut Bullam ipsam concordatorum remittat.

Aliter enim non videmus quomodo & honori tuo consuli possit & sedi Apostolicæ, quæ dum in dies promissa adimpleri expectat, magno afficitur detrimento.

Quod te pro singulari religione animi tui & devotione, quâ nos & sedem hanc sanctam prosequeris, diligenter consideraturum & adimpleturum esse non dubitamus. Hac in re latiùs ipsam tuam Majestatem alloquetur dilectus filius Andreas de Spiritibus Nuntius noster, cui fidem indubiam hortamur adhibeas.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Decembris, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, Pontificatus nostri anno tertio.

L. Grifus.

III. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. 2. Pag. 1266.

Quod in Ecclesiâ Metropolitanâ Coloniensi nullus ad octo præbendas Presbyterales assumatur nisi Doctor: anno 1474.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

CReditam nobis desuper regendæ militantis Ecclesiæ providentiam exsequi Deo adjuvante cupientes, ad ea libenter intendimus, ut debemus, per quæ singulæ Orbis Ecclesiæ, præsertim Metropolitanæ insignes & famosæ, personarum utilium fulcitæ præsidiis, ad altissimi laudem & gloriam condignis honoribus & venustatis proficiant incrementis; eorumque bona & jura à quorumcumque occupatione observari valeant illæsa.

Sanè pro parte charissimi in Christo Filii nostri Friderici Romanorum Imperatoris semper Augusti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ecclesia Coloniensis insignis Metropolitana, cujus Sanctus Maternus, S. Petri discipulus, primus Præsul extitit, adeò inclyta & præclara existit, quod nulli nisi illustres, & magni nobiles, qui ex sextodecimo adscendente & ex illo gradatim descendentibus nobilibus Antecessoribus suis rectâ lineâ sunt procreati, illius Canonicatus, & præbendas assequi possent; octo Canonicatibus & Præbendis totidem duntaxat exceptis, quorum duo pro Graduatis in Universitate studii Coloniensis reservati existunt, reliqui verò per ignobiles & plebejos; frequentiùs quoque per humiles personas, aut familiares quorumdam Canonicorum dictæ Ecclesiæ, qui familiares ipsos in Canonicos dictæ Ecclesiæ recipi procurant; seu rudes & indoctos, qui illos vigore gratiarum expectativarum ipsis concessarum assequuntur. Et quod valdè decori & utilitati dictæ Ecclesiæ & Jurium illius conservationi, nec non qualitatibus & præeminentiæ nobilium Canonicorum prædictorum convenire videtur, quod dictæ octo Præbendæ duntaxat per viros illuminatos & scientia præditos, etsi non carne, scientia tamen & virtute nobilitatos, quorum prudentia & consilio dicta Ecclesia, quæ destructa & depauperata existit, sua recuperare posset, duntaxat obtineantur; prout in nonnullis Alemannicæ nationis Ecclesiis tam ex statutis, quàm ex laudabilibus consuetudinibus, quæ per nonnullos Romanos Pontifices Prædecessores nostros confirmata fuerunt, hactenus observatur.

Quare pro parte ejusdem Imperatoris, qui ad Ecclesiam ipsam specialem gerit devotionis affectum, nobis humiliter fuit supplicatum, ut quod de cætero perpetuis futuris temporibus dicti sex Canonicatus & Præbendæ, dum pro tempore vacaverint in quibuscunque mensibus, per dilectos Filios Decanum & Capitulum Ecclesiæ Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, aut in utroque vel altero jurium, qui cum rigore examinis in Universitate alicujus studii, loco in quo illud viguerit, generalis promoti fuerint, duntaxat conferri debeant & de illis provideri.

Nos igitur qui dictæ Ecclesiæ splendorem & venustatem appetimus, hujusmodi petitionibus inclinati Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certa nostra scientia statuimus & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus prædicti sex Canonicatus & Præbendæ, non ignobilibus plebeis, humilibusque personis & familiaribus prædictis, sed duntaxat Doctoribus, & Licentiatis in Theologia, vel altero Jurium, in aliquo studio generali cum rigore examinis duntaxat conferri possint, & debeant.

Datum anno MCCCCLXXIV. Pontificatus anno tertio.

ANNO 1482.

IV. Ex Archiv. Rep. Genev.

Bulla Pontificis SIXTI IV. ad populum Urbis & Diœcesis Genevensis, quâ recipiendus Episcopus Joannes de Compois: anno 1482.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Populo civitatis & Diocesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie dilectum filium nostrum Dominicum tituli sancti Clementis Presbyterum Cardinalem ab eo quo Gabennensi cui ex concessione & dispensatione Apostolica, illius Regiminis & administrationis ac bonorum possessione vel quasi per eum non habita, &

ANNO 1483.

venerabilem fratrem nostrum Johannem Gebennensem tunc Taurinensem Episcopum, ab eo quo Taurinensi cui tunc præerant Ecclesiis vinculis tenebantur, de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes Dominicum Cardinalem ad Taurinensem, & Johannem Episcopum præfatos ad Gebennensem Ecclesias prædictas per hujusmodi translationes respective vacante de eorundem fratrum consilio, duximus auctoritate Apostolica transferendos, præficiendo eundem Johannem præfatæ Ecclesiæ Gebennensi in Episcopum & Pastorem, ac curam & administrationem ejusdem Ecclesiæ Gebennensis sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca universitatem vestram rogamus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis mandantes, quatinus eundem Johannem Episcopum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ita quod ipse in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis.

9. Cal. Aug. 1482. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo. Nono Cal. Augusti Pontificatus nostri anno undecimo.

G. Bonattus.

V. Ex Archiv. Reip. Genev.

Bulla SIXTI IV. quâ præcipit Duci Sabaudiæ aut ejus Consiliariis ne ulteriùs infesti sint Episcopo Genevensi, utque omnia tollant obstacula, quibus non permittitur ipsi libera & suprema suæ Ecclesiæ possessio: Et si desint obsequio ferit interdictô omnes inobedientes, Urbem & Diœcesim ipsam Genevensem, & omnes terras & Dominia Ducis Sabaudiæ ultra montes. Eâ in Bullâ inserta est revocatio summi Juris in Genevam, Duci Zeringuen concessi, & cessi Comiti Genevensis, facta anno 1162. ab Imperatore Friderico; an. 1483.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Solicitudo pastoralis officii studia nostræ mentis solicitare non desinit, sic rebus singulis executionem adhibere justitiæ, quod ea quæ minus rite, & in Ecclesiarum præsertim Cathedralium, illarumque Prælatorum præjudicium processerunt, ad statum debitum reducantur. Dudum siquidem à claræ memoriæ Friderico Romanorum Imperatore semper Augusto emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Fridericus Dei gratia &c....... acta sunt hæc &c.... septimo Id. Septembris ac præsenti pagina sigilli aurei assueti impressione munita; in fine verò dictarum litterarum Imperialium, scripta sunt hæc verba videlicet, signum Domini Friderici Imperatoris invictissimi, in extremitate verò scripta sunt hæc verba, videlicet, Ego Herolfus Cancellarius vice Arnoldi Maguntinensis Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi; Et insuper emanarunt litteræ diversorum aliorum Imperatorum, videlicet Vinceslai & Caroli, multipliciaque alia privilegia Imperialia dictæ Ecclesiæ Gebennensi concessa, nec non litteræ patentes multiplicatæ Principum Sabaudiæ, quarum omnium tenorem pro expressis haberi volumus, ac si præsentibus insererentur per quas petebant sibi de gratia speciali per Episcopum ac suos officiales dari territorium, quo tempore ibidem morabantur ut possent ibidem suis ducalibus subditis civilem justitiam ministrare, per quæ omnia constat civitatem Gebennensem cum castris pleno jure in spiritualibus & temporalibus pertinere ad Episcopum & Ecclesiam Gebennensem. Cùm autem sicut non sine grandi displicentia intelleximus iniquitatis filii Amadeus de Gingino & Amadeus de Griliaco Ancehinus copini Gebennensis, Johannes Antonius Gambe Thaurinensis Diœcesis, cum nonnullis eorum complicibus & sequacibus, de commissione & mandato ut asseruerunt dilecti filii Nobilis Viri Caroli Ducis Sabaudiæ, armata manu, vi & violentia Venerabilem Fratrem nostrum Johannem Episcopum Gebennensem, quem à vinculo quo Ecclesiæ Thaurinensi cui tunc præerat de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ad Ecclesiam ipsam Gebennensem tunc certo modo vacantem de eorundem fratrum consilio transtulimus, præficiendo eum eidem Gebennensi Ecclesiæ in Episcopum & pastorem, quasi possessione jurisdictionis & Superioritatis temporalis Civitatis prædictæ Gebennensis ac castrorum & bonorum dictæ Ecclesiæ, in qua erat & per aliquos menses permanserat, spoliare & ejusdem Civitatis cives & incolas præfatæ Gebennensis Ecclesiæ Vasallos & subditos ne dicto Episcopo & ejus Officialibus quoquomodo pareant, & obediant, sed præfatum Ducem & inibi pro eo ad jurisdictionem & superioritatem hujusmodi in eisdem temporalibus exercendam deputatos, in suos superiores in hujusmodi temporalibus recognoscat compellere temerario ausu veriti non fuerunt, & continuo in hujusmodi eorum præsumptuosa temeritate perseverare non vereantur in Apostolicæ auctoritatis contemptum, perniciosum exemplum & scandalum plurimorum & præfati Episcopi qui propter hoc de sua Sede expulsus ad Romanam curiam se contulit & in ea residet de præsenti, maximum præjudicium & gravamen. Nos, quorum interest hujusmodi pravis conatibus evidenter ad perniciem tendentibus salubriter obviare & ut Ecclesiarum Prælati potiorum præsertim dignitatum titulis insigniti, in suis juribus conserventur, opportunum adhibere remedium, ne si universis universa licerent par videatur in singulis jurisdictio singulorum, & Petri navicula, quam Dominus noster Jesus Christus ad humani corporis formam figuravit, ponens in ea Romanam Ecclesiam velut caput, sine remige fluctuari, de præmissis, quæ adeo etiam in præfata curia Romana notoria sunt, & nulla possint tergiversatione celari, informati, motu proprio, non ad præfati Episcopi aut alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione & ex certa nostra scientia auctoritate apostolica præsentium tenore, præfatum Ducem Sabaudiæ & ejus in Ducatu Sabaudiæ regimine consiliarios cujuscunque status, gradus, ordinis & conditionis existant, requirimus & monemus, ac eis & cuilibet eorum per hæc Apostolica scripta mandamus, quatinus infra triginta dies post affixionem præsentium in valvis Gebennensium vel aliarum Ecclesiarum seu locorum circumvicinorum, quorum decem pro primo, & alios decem pro secundo, ac reliquos decem dies pro ultimo & peremptorio termino canonica monitione promissa, assignamus, deputatos nomine ipsius Ducis ad exercitium

tempora-

ANNO 1483.

temporalis jurisdictionis & superioritatis, ac Palatii, castrorum dictæ Ecclesiæ Gebennensis custodiam, officiales, & Castellanos, ac custodes, reliquosve præmissa & quæcunque alia impedimenta, eidem Johanni Episcopo & suis Officialibus in suæ superioritatis & jurisdictionis temporalis & spiritualis libero exercitio in civitate, Palatio & castris suis prædictis, cum effectu revocent, & ab illis ex toto desistant, ac ipsum Episcopum per se & ejus Officiales quasi possessione jurisdictionis & superioritatis hujusmodi etiam temporalis, in civitate, Palatio & Castris prædictis, pariter & in spiritualibus, in illis & Dioecesi Gebennensi, libere & sine ullo ipsorum Ducis & Consiliariorum impedimento pacifice potiri & gaudere permittant cum effectu, nec non de damnis & interesse, quæ idem Episcopus & sui Officiales præmissorum occasione incurrerunt, eis debitam satisfactionem impendant, aut alias cum eisdem desuper concordent & componant: Alioquin si non paruerint, in singulos ejusdem Ducis Sabaudiæ Consiliarios sic monitos non parentes, ex nunc prout ex tunc, si Episcopi & superiores Ecclesiastici interdicti ingressus Ecclesiæ, si verò alii ab eis inferiores fuerint, majoris excommunicationis & anathematis sententiam promulgamus, à qua ab alio quàm Romano Pontifice præterquam in mortis articulo, constituti nequeant absolutionis beneficium obtinere, & si excommunicati & anathematizati prædicti hujusmodi excommunicationis sententiam per octo dies dictos posteriores, decem dies immediate sequentes, animo quod absit sustinuerint indurato, ex nunc prout ex tunc dictis octo diebus decursis, Dioecesim Gebennensem & illius castra & loca omnia, Ecclesiastico subjicimus interdicto: Et si sub interdicto hujusmodi per sex dies dictos octo dies immediate sequentes permanere obstinata duritia non formidaverint, ex nunc prout ex tunc, quæcunque civitates, castra & loca temporali Dominio dicti Ducis ultra montes mediate vel immediatè subjecta pari Ecclesiastico subjicimus interdicto, ita ut hujusmodi interdicto durante, inibi præterquam in festivitatibus & casibus à jure permissis, & in illis duntaxat clausis januis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, submissa voce, ex quovis etiam Apostolico privilegio, etiam ordinariis locorum vel personis aliis aut Ecclesiis sive locis concesso, missæ & alia divina officia nequeant celebrari; Et volentes non solum adversus hujusmodi sic præstita dicto Johanni impedimenta, sed etiam ne alia imposterum sibi præstentur, neve ipse Johannes Episcopus Gebennensis spirituali & temporali jurisdictione & superioritate hujusmodi illiusque pacifica quasi possessione & libero exercitio uti impediatur; eisdem motu & scientia, statuimus & ordinamus quod si præfatus vel pro tempore existens Dux Sabaudiæ aut alius superior vel inferior eodem Duce, Ecclesiasticus vel Secularis, cujuscunque status, ordinis & conditionis, seu quævis communitas vel universitas, præfatum Johannem Antistitem Gebennensem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, possessionem vel quasi regiminis & administrationis dictæ Ecclesiæ Gebennensis & superioritatis ac temporalis jurisdictionis prædictæ, in totum vel in parte assequatur, vel postquam assecutus fuerit, illis libere utatur, impedire, aut incolas civitatis prædictæ, quæ inter loca dominii ipsius Ducis sita est, commercium cum incolis circumvicinorum locorum aut delationem victualium & mercantiarum ex illis ad civitatem ipsam Gebennensem denegare, directè vel indirecte publicè vel occulte, præsumpserint, totiens quotiens id egerint, quicunque fuerint etiam quacumque Ecclesiastica vel mundana dignitate præfulgentes, auxilium, consilium vel favorem dantes, litteras præcipientes scribentes, signantes, sigillantes, impetrantes & exequentes, Personis ipsius Ducis, Fratris, patruorum ejusdem & suarum conjugum exceptis, Episcopi & Superiores interdicti & anathematis sententiam prædictam, incurrunt, à qua pari modo nequeant ab alio quàm nobis & Romano Pontifice pro tempore existente præter quam in mortis articulo constituti absolutionis beneficium obtinere. Et si post publicationem & affixionem præsentium vel earum transumpti autentici manu publici notarii subscripti & sigillo alicujus Prælati muniti, in valvis Gebennensis prædictæ aut alicujus circumvicinæ Ecclesiæ de mandato præfati Johannis Episcopi & suarum litterarum causam publicationis & affixionis continentium, præstita tunc impedimenta quæcumque non revocaverint & de damnis ac interesse quæ propter illa Johannes Episcopus Gebennensis passus fuerit, ei non satisfecerint, aut alias secum desuper amicabiliter non concordarint, ex tunc lapsis decem, Dioecesim Gebennensem, & viginti diebus post hujusmodi publicationem & affixionem loca quæcumque ultra montes dominii Ducis præfati, excommunicatorum eorundem mediata vel immediata simili Ecclesiastico subjaceant interdicto. Et nihilominus omnibus & singulis locorum circumvicinorum ordinariis, ac in eisdem locis consistentibus Ecclesiarum quarumlibet Cathedralium, etiam Metropolitanensium nec non Collegiatarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum & Religiosorum locorum, ordinum quorumcunque etiam mendicantium, exemptorum & non exemptorum, Capitulis, Canonicis, Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Guardianis, Fratribus & Personis Ecclesiasticis quibuscunque & eorum cuilibet, ita quod alter alterum in exequendis non expectet, sub excommunicationis sententiæ pœna si non paruerint incurrenda, motu scientia & auctoritate prædictis mandamus quatinus ipsi & quilibet eorum, cum tenor præsentium litterarum ad eorum notitiam pervenerit, fuerintque pro parte dicti Johannis & pro tempore existentis Episcopi Gebennensis desuper legitimè requisiti, has nostras litteras, seu earum transumptum prædictum, cui in judicio & extra ubique locorum sicut præsentibus stari volumus, in ipsarum Ecclesiarum valvis affigant, & alias in eorum sermonibus ad populum publicent, & prædicent in locis præeminentibus in quibus & de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad ipsorum quos pro tempore contingeret notitiam possit verisimiliter pervenire, eosdemque Ducis Sabaudiæ Consiliarios & alios monitos prædictos pro tempore statuto prædicto contravenientes, in Ecclesiis singulis diebus Dominicis & aliis festivis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit excommunicatos & Diocesim ac alia loca prædicta, Ecclesiastico interdicto subjecta esse publice nuntient, faciantque ab aliis nuntiari, & ab omnibus arctius evitari, donec spiritum assumentes consilii sanioris ab illatis impedimentis desistent, & satisfactione prævia meruerint absolutionis beneficium à dicta excommunicationis sententia, & interdicti præfati relaxationem obtinere: Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis

ANNO 1483.

quibus-

quibuſcunque ſeu ſi Duci & Conſiliariis præfatis vel quibusvis aliis communiter vel diviſim à Sede præfata indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem quod præſentium litterarum publicatio in valvis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe & audientiæ litterarum contradictarum facta, perinde ipſum modernum Ducem & ejus Conſiliarios ac præfatos monitos arceat, ac ſi eis & cuilibet eorum perſonaliter & præſentialiter inſinuatæ fuiſſent, Perſonas ipſius Ducis fratrum & Patruorum ſuorum ac eorum conjugum à ſupra dictis cenſuris eximentes, pœnis juris & Conſtitutionum Apoſtolicarum in ſuo robore permanentibus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginem requiſitionis, monitionis, mandati, aſſignationis, promulgationis, ſubjectionis, ſtatuti, ordinationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contra ire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio, Tertio Non. Februarii, Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

Jo. de Madiis.

INNOCENTIUS OCTAVUS PONTIFEX CCXVII.

ANNO DOMINI MCDLXXXIV.

INnocentius Genuenſis nomine Joan. Baptiſta Cibo anno 1484. Principibus Chriſtianis contrà Turcam concitatis, rem ſuam impensè ampliavit: à Carolo VIII. Galliarum Rege, Zizimum Fratrem Bajazetis obtinuit, hac lege nè Româ egrederetur: Obiit anno 1492. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. I. fol. 429. App.*)

I. Ex Archiv. Capituli Genevenſis.

Bulla Innocentii Papæ VIII. pro confirmatione ſtatutorum Eccleſiæ Cathedralis Genevenſis: an. 1484.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

SAcro Sanctæ & militantis Eccleſiæ gubernacula divina diſponente clementia meritis licet imparibus tenentes in terris de benignitate Sedis Apoſtolicæ provenire debere cenſemus, ut ea quæ honeſtate pace & tranquillitate, ac ſtatu proſpero Eccleſiarum quarumlibet prudenter, ac ſalubriter facta fuiſſe noſcuntur, humilibus præſertim deſuper votis petentium intervenientibus Apoſtolico munimine roborentur.

Sanè pro parte dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Gebennenſis nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim ipſi pro felici ſtatu dictæ Eccleſiæ & illius perſonarum quiete ac divini cultus in illa augmento quam plura ſtatuta & ordinationes rationabilia & honeſta, & ſacris canonibus minimè contraria diverſis ſucceſſive temporibus ediderunt pro ut in quibuſdam litteris autenticis ſeu quodam libello ejuſdem capituli conſuetis ſigillis munitis, ſeu munito plenius continetur. Quare pro parte tam dictorum capituli quàm dilecti filii Antonii Depoldo ipſius Eccleſiæ Canonici decretorum Doctoris in Romana curia cauſaque procuratoris nobis fuit humiliter ſupplicatum ut ſalutis, & ordinationibus prædictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere aliasque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui cunctarum Eccleſiarum directionem ac ſtatum proſperum & felicem interiori mentis deſideramus affectu, quique litteras ſeu libellum hujuſmodi & in illis contenta ſtatuta prædicta in Cancellaria noſtra per aſſiſtentes in eadem viros probos & honeſtos inſpici & examinari diligenter ac præſentibus inſeri fecimus ſingulares perſonas capituli hujuſmodi ac præfatum Antonium ab omnibus & ſingulis excommunicationis ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt quoad hoc præſentium dumtaxat conſequantur effectu abſolventes & abſolutos fore cenſentes hujusmodi ſupplicationibus inclinati ordinationes & ſtatuta prædicta ac prout illa concernunt omnia & ſingula in litteris, ſive libello hujusmodi contenta auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus & approbamus ac præſentis ſcripti patrocinio communimus ſupplentes omnes & ſingulos defectus tam juris quàm facti ſi qui forſan intervenerint in eisdem. Et nihilominus qvia difficillimum eſt futuris eventibus in omnibus providere, contingere poſſet quod nonnulla ex inſtitutis hujuſmodi ſucceſſu temporis aliquâ etiam de cauſa minus utilia eſſe viderentur & propterea corrigenda forent eiſdem capitulo, dummodo illorum majoris & ſanioris partis ad hoc expreſſus accedat aſſenſus ſtatuta & ordinationes prædicta corrigendi & mutandi illiſque addendi & ab eis minuendi ſecundum quod pro honore & utilitate dictæ Eccleſiæ ipſis viſum fuerit, plenam & liberam auctoritate & ſcientia prædictis harum ſerie concedimus facultatem.

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuscunque. Tenores verò litterarum, ſeu libelli, & ſtatutorum, ac ordinationum prædictorum ſequuntur, & ſunt tales.

Quamvis ſacri Canones ſanctorumque Patrum & Conciliorum generalium ſanctiones gravi perpenſato conſilio edicta promulgata fuerint, non adeo negotiis occurrentibus propter naturæ humanæ varietatem quæ ſemper conatur novas invenire negotiorum formas, proinde potuerunt quin etiam nova jura condere antiquis non ſufficientibus ſalubre viſum extiterit, imo & Eccleſiis Cathedralibus ſuppoſitiſque earumdem Dominis venerabilibus Canonicis circa ipſarum regimen Eccleſiarum ac conſervationem ut in pace & quiete ipſi & minores Eccleſiarum manerent ac viverent ſtatuta & ordinationes condere neceſſariumque fuerit alia interdum ſtatuta ſecundum variatum tempus primis addere quibus per Venerabiles Dominos canonici inſignis Eccleſiæ Cathedralis ſancti Petri Gebennenſis pro tempore exiſtentes attentè conſideratis ſtatuta & ordinationes quæ ſequuntur diverſis tamen temporibus pro bono & con-

ANNO 1484.

servatione ipsius Ecclesiæ status & omnium suppositorum ejusdem ediderunt, statuerunt, ac promulgarunt. Et quia ceremonialia in quacunque Ecclesia rite ordinata ad Dei cultusque divini honorem inventa populum ac fideles Christianos devotos reddunt pariter & attentos; circa igitur Ecclesiasticas cærimonias in divinis servandas ipsius domum de capitulo de anno in primos Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo die lunæ post pascha in generali capitulo tunc celebrato statuerunt & ordinarunt in hunc qui sequitur modum.

Primò quod horæ canonicæ pulsentur secundum temporis distinctionem & secundum horologii bene ordinati ac horarum pulsationem tempora veris & æstus distinguendo juxta consuetudinem hactenùs observatam.

Item quia in cimbalis bene sonantibus laudatur Deus & concitantur fidelium corda ad devotionem, statuerunt quod in matutinis & vesperis fiant quatuor modi distincte ultra classum ultimum de quibus prima pulsatio seu moda tantum duret quantum quis moram faceret in dicendo septem psalmos, cæteræ verò pulsationes seu modæ, seu bona posa seu intervallo fiant de unâ ad aliam, ita quod omnes durent per horam integram, & ultra si festum propter ejus solemnitatem requirat.

Item matutinæ à pascha usque ad festum Beati Michaelis pulsentur horâ tertiâ & alio tempore hora quarta vel circa post mediam noctem.

Item ut magis in solemnitatibus populus ad devotionem excitetur, & differentia dierum solemnium ac ferialium cunctis appareat distincta, ordinaverunt quod dictis diebus solemnibus & duplicibus omnes pulsationes seu modæ horarum officiorum solemnitatum prædictarum cum duplicibus campanis ad longum tractum & debitum intervallum pulsentur tintinnabulum, seu tricodonum bene ordinatum melodiosum cum debita mensura faciendo; cæteris verò diebus pro qualibet pulsatione seu modâ solâ & unica campana modo proxime ordinato pulsentur.

Item ordinaverunt quod campana secunda post majorem pro idibus pulsetur in aurora & tunc in continenti missa prima auroræ in Ecclesia celebretur, qua finita secunda in continenti incipiatur & successivè aliæ ordinariæ modo prædicto sine defectu secundùm tabulam celebrantur, pulseturque prædicta campana pro sermonibus & processionibus generalibus ac confratriis, nisi aliter capitulum & causa legitima dixerit faciendum.

Item prima seu officium primæ à pascha usque ad festum Beati Michaëlis pulsetur horâ septimâ & à festo beati Michaelis usque ad pascha annis singulis pulsetur hora octava cum duabus modis certis vetochetis intermediis secundum quod est consuetum subsequenter officium tertiæ pulsetur antequam incipiatur exultabunt. Sexta verò in continente post elevationem corporis Christi magnæ missæ.

Item nona cum vesperis tempore æstuali subscripto pulsetur hora secunda post meridiem & tempore vernali hora prima vel circa ita quod omnes modæ durent per horam integram modo & forma quibus supra in matutinis extitit ordinatum.

Item statuerunt & subsequenter post offertorium magnæ missæ in elevatione corporis Christi ad excitandum corda fidelium prædicta secunda campana ab una parte tangatur, imo & tintinnabulum clochetarum ut adstantes in Ecclesia ad devotionem commoveantur.

Item statuerunt quod officium primæ in quadragesima pulsetur hora septima & duret usque ad horam nonam vel circa & completorium tempore prædicto pulsetur hora prima post meridiem & duret usque ad tertiam horam cum dimidia, alio verò tempore per annum completorium hora octava pulsetur demptis solemnitatibus in quibus hora septima pulsetur.

Item statuerunt quod capitula ordinaria quæ sunt duo in septimana videlicet mercurii & veneris, à pascha usque ad festum beati Michaelis pulsentur horâ sextâ & alio tempore horâ septimâ quæ in quadragesima propter sermones horâ octavâ mutentur & tunc Martis ac Jovis propter processiones ordinariè capitulum congregetur, & duret ipsius capitulum per horam in quibus singulis capitulis tres solidi præsentibus distribuantur & præsens dicatur quilibet qui infra horam ordinatam venerit & durante capitulo in eodem fuerit.

Item quia diebus festivis maxime solemnibus Domini Canonici missas suas circa prædictam horam capitularem communiter celebrent, ut in officio chori & missa majori post modum valeant interesse, hoc ideo ordinaverunt dicta capitula cum Kalendis, si & quando prædictis diebus solemnibus occurrere contigerit transferri retro majus altare in exultabunt in quibus omnes interessentes describuntur.

Item statuerunt & ordinarunt quod facta & negotia capituli maximè in rebus arduis, & alicujus importantiæ semper expediantur in loco capitulari ordinato ad sonum campanæ, nec alibi expediri possint; quod si contrarium factum fuerit illud sit irritum & inane & in præmissis omninò sanctæ crucis interdicitur archa.

Item ordinaverunt & statuerunt quod in prædictis capitulis & negotiis capituli peragendis post Dominos Præpositum, qui semper in primo & cantorem qui in loco præsident quilibet ex Dominis canonicis sedere debeat vocem que suam dare & notare in gradu suo secundum ordinem suæ receptionis à primo recepto incipiendo & cum reverentia, ac honestate debitis usque ad ultimum prosequendo sine qua cunque alterius loquentis interruptione & quod per majorem partem capituli visum fuerit & ordinatum illud per Dominum Præpositum resolvi debeat & concludi, ac vota singulorum exquiri vel per Dominum Cantorem, in ejus absentia aut per seniorem Canonicum in receptione tunc præsentem in defectu & absentia prædictorum.

Item statuerunt quod si contingat quod absit aliquem de capitulo in eodem dicere aliqua verba iniuriosa proferre in personam singulorum & cujuslibet ipsorum eo ipso & in continenti de capitulo ejiciatur distributionesque octo dierum sequentium omnino perdat & ulterius secundum quantitatem delicti per capitulum puniatur.

Item statuerunt & ordinarunt quod matutinæ & aliæ horæ canonicæ magna missa omniaque officia & cætera quæ in choro cantantur officium quoque mortuorum dicantur & cantentur cum debitis intonationibus & pausis secundum dierum occurrentiam & differentiam videlicet ferialium novem lectiones duplicium & solemnium.

Item statuerunt quod si in matutinis vel aliis horis canonicis fiat defectus seu scandalum per aliquem intabulatum non propter hoc cessetur à matutinis vel aliis officiis quemadmodum

temporibus retroactis factum extitit, sed defectus talis per alium sine murmure suppleatur etiam si jam officiaverit morem metropolitanum.

Item nostræ Viennensis Ecclesiæ insequendo, sed pœnam debitam sic deficiens persolvat.

Item morem antiquum insequendo ordinaverunt quod matutinæ totius anni semper dicantur & cantentur de mane in continenti post pulsationem ultimæ modæ, seu classis sine magno intervallo demptis & exceptis quatuor solemnitatibus sequentibus, in quibus de sero dicantur propter indulgentias in ipsis ordinatas videlicet Eucharistiæ Domini nativitatis, Apostolorum Petri & Pauli beati Joannis Baptistæ, Petri ad vincula, etiam & assumptionis Virginis gloriosæ.

Item ordinaverunt, quod Dominus Canonicus vel alius die Dominica celebrare debens cum Diacono, & Subdiacono vestibus sacris indutus cruce præeunte cum cereis ardentibus aquam alta voce & solemnitate in choro benedicat.

Item statuerunt & ordinarunt quod cum venerabilis Dominus Canonicus vel alius ad missam principalem celebrandam deputatus venire voluerit introitu missæ per cantores in choro finito, & per ipsos incipiendo Gloria Patri, exeat tunc à Sacristia præcedentibus Diacono & Subdiacono vestibus sacris indutis composito passu incedentibus, cum ingenti devotione ordinate processionaliter & simul ut non fiat pausa, & distantia inter eos inveniendo ante altare Diacono, à dextris, & Subdiacono à sinistris celebranti assistentibus & Introibo more solito incipientibus procedant ad divinum officium, & qui in præmissis defuerit pro qualibet vice sex denarios perdat levandos super salario & suis primis emolumentis applicando fabricæ pro medietate & supplenti defectu pro alia.

Item ordinaverunt quod omnibus diebus solemnibus & duplicibus in matutinis majori missa & utrisque vesperis per parvum operarium sumptibus fabricæ horis debitis, & ordinatis præparetur incensum.

Item ordinaverunt quod matricularius Ecclesiæ in celebratione missarum magni & parvi altaris hostiam puram & vinum rubrum bonum sine quocunque malo sapore sumptibus suis ministret pro quibus ministrandis, à capitulo certam percipit pensionem.

Item ordinaverunt quod omnia ornamenta altaris & quæcunque indumenta sacerdotalia necessaria parvus operarius ministrare teneatur, & sub custodia regere & gubernare, ac illa mundificare & manutenere expensis operis.

Item statuerunt quod cum Diaconus & Subdiaconus vadent ad dicendum Evangelium per chorum in pulpitro superiori, incedant gravi & lento passu præcedentibus semper cereis & in solemnibus & duplicibus festivitatibus thuribulo quo Evangelio expleto, librum quem portavit Diaconus reportet Subdiaconus celebrante osculandum, demum si festum solemne fuerit per altas sedes chori Dominis Canonicis liber portetur osculandus thuribulo præcedente.

Item statuerunt quod nullus in altari officians, vel celebranti assistens portare præsumat chirothecas in manibus, neque calopedia seu pativos nemoreos in pedibus ad strepitum vel sonitum pedum per chorum evitandum, sub pœna pro quolibet & qualibet sex denariorum fabricæ applicanda.

Item statuerunt quod nullus de habitu intret chorum per aliquam portam ipsius quin intrando faciat reverentiam, & humiliter versus magnum altare se incliner.

Item quia contra omnem honestatem est chorum absentare tempore quo horæ canonicæ vel divina in illo dicuntur & celebrantur officia, igitur statuerunt quod nullus ex Dominis Canonicis Vicariis aut Capellanis eo tempore maximè diebus solemnibus debeat retro altare majus revestiario vel pulpitro, ubi leguntur lectiones & Evangelia tam in matutinis quàm in missa cum socio horas dicere & chorum dimittere vel absentare sine legitima causa videlicet officiandi, vel aliàs, quod si quis fecerit distributione illius horæ omninò careat & pro absente reputetur.

Item ordinarunt & statuerunt quod nullus Canonicus aut quicumque alius Ecclesiasticus in eodem choro dum ut supra celebrabuntur divina cum socio officium suum dicere debeat nisi cantando & cum aliis de choro psalmodiando, neque breviarium proprium eo tempore tenere, sed cum devotione si cantare non possit divinum audiat officium.

Item ordinaverunt quod nullus ex Dominis Canonicis, Vicariis, Capellanis, vel alius cujuscunque conditionis existat, dum in choro celebrabuntur divina confabulari vel murmurationes facere præsumat in eodem neque in aliqua varia & otiosa verba dicere, aut gestos inhonestos facere sed debitum & honestum silentium ibi servetur, quod secus fuerit factum per aliquem & reprehensus in continenti non desisterit, percutiantur formæ in ejus confusionem, & distributionibus illius diei careat.

Item quod nullus ex Dominis Canonicis vel alius de choro habituatus prope magnum altare vel parvum retro missam magnam audiat, sed postquam ibi dixerit, confiteor retrahat se missam auditurus ad chorum in stallo suæ receptionis sub pœna perditionis illius missæ & pro absente reputetur.

Item quod nullus ex Dominis Canonicis vel de choro habituatus tempore missæ magnæ, nec etiam quo horæ in choro cantabuntur canonice orationem peculiarem coram ipso magno altari facere præsumat; sed installatus in choro suæ receptionis Deum humiliter ac devotè exoret.

Item ordinaverunt quod quilibet ex Dominis Canonicis dum divina celebrabuntur officia ac horæ cantabuntur canonicè cum ingenti devotione stet installatus in choro superiori, in quo fuit receptus & secundum ordinem suæ receptionis videlicet seniores Canonici primo recepti gradatim post Dominum Præpositum ab uno latere, & ex alio choro post Dominum Cantorem, & si aliqui ex senioribus voluerint (est) potuerint installare in summitate chori à parte magni altaris, & quilibet contra faciens pro absente reputetur.

Item statuerunt & ordinarunt quod nullus ex Dominis Canonicis vel habituatis de choro ad chorum transire vagando prosumat, quando horæ dicentur, nisi causa officiandi, vel alia urgente necessitate, neque inter magnum altare, & Lampadarium quovis modo, sed maneat installatus in loco suæ receptionis & qui contra fecerit pro absente reputetur.

Item statuerunt, quod nec etiam, cum causâ legitimâ quis transire debeat de choro ad chorum, inter cordas campanarum chori, & lectrinum ante cantores, sed per retro dictos cantores, & supra cordas, à parte majoris altaris, & tunc cum magna humilitate caput inclinando ad magnum altare devotè transeat.

ANNO 1484.

Item statuerunt quod dum horæ in choro dicentur canonicæ nullus debeat in eodem dormire, neque sedere maxime dum dicentur Hymni & Psalmi sequentes videlicet (*Te Deum laudamus*) (*Laudate Dominum de cœlis*) (*Benedictus Dominus Deus Israël*) *quicumque vult* (*magnificat*) (*nunc dimittis*) nec quando missa major celebrabitur, nec quando dicetur Requiem æternam in horis defunctorum.

Item statuerunt quod nullus Dominus Canonicus sedes superiores chori ascendat nisi fuerit in sacris ordinibus constitutus, nec ad electiones vel alios actus capitulares admittatur nisi fuerit requisitus, nec alias recipiat distributiones, nullamque vocem habeat in capitulo donec fidem fecerit de præmissis super quibus nullatinus dispensetur.

Item statuerunt & ordinarunt quod nullus in Canonicum recipiatur in insigni Ecclesia Gebennensi nisi legitimæ ætatis de legitimo matrimonio nobilisque ex utroque parente vel altero jurium graduatus, seu in Theologia aut medicina magister fuerit, ac existat, & alias qualificatus secundum Bullam Martini Papæ & per totum capitulum generaliter congregatum hoc fieri debeat.

Item ut tollatur via litibus & discordiis, quæ nuper temporibus præmissis exortæ fuerunt, & cum gravibus expensis sedatæ statuerunt & ordinarunt quod quilibet ad Canonicatum & præbendam Gebennensem admittendus teneatur & debeat ante ejus admissionem & omnia super sanctis Dei Evangeliis intrare statuta Ecclesiæ edicta & edenda per venerabile capitulum penitus ac inviolabiliter observare & totis pro viribus adimplere, nec super dicto juramento relationem vel dispensationem petere, aut impetrare, neque etiam obtenta quod absit, uti, non obstantibus dispensatione & aliis quibuscumque contrariantibus etiam auctoritate Apostolica vel aliàs quovis modo impetratis vel impetrandis.

Item statuerunt & ordinarunt quemadmodum temporibus retroactis extitit observatum, quod novus Canonicus postquam fuerit receptus antequam ad residentiam seu fructus præbendæ vel ad aliquas distributiones admittatur ad decorem Ecclesiæ & cultus divini augmentum solvat unam capam de panno Sirico sive de aurato usque ad valorem centum florenorum currentium in patria vel ipsos centum florenos realiter & in promptu numeret fabricæ Ecclesiæ applicandæ, nec pro ipsis centum florenis debeat recipi pignus, aut fieri venditio redditus annualis.

Item statuerunt quòd cuilibet ex Dominis Canonicis solvat & expediat ut supra unum bonetum de escarlata pro suo jucundo adventu, octo habilitatis chori quatuor florenos Diacono & Subdiacono duos florenos, sex Innocentibus Clericulis chori duos florenos & matriculario pro pulsatione campanæ in sua receptione quinque solidos, quemadmodum hactenus ut supra extitit observatum & hoc faciat etiam si alias ad alium præbendam fuerit receptus & præmissa adimpleverit.

Item quia ex diversis ad unum Canonicatum & præbendam admissis interdum tribulationes & disceptationes venerabili capitulo evenerunt. Igitur statuerunt & ordinarunt quod nullus Canonicus quamdiu super canonicatu & præbenda litem habuerit, etiam si fuerit possessor, nullo modo ad distributiones quotidianas admittatur, sed solum grossi fructus, si requisita adimpleverit sibi cedant, & sufficiant, nec etiam ipsa lite pendente aliam præbendam vacaturam, vel vacantem optare possit quovis modo morem nostræ Metropolitanensis Viennensis Ecclesiæ insequendo.

Item ordinaverunt quod hebdomadarius in choro habens officium nullo modo matutinas incipiat introitum missæ, neque vesperas, nisi prius tribus lampadibus accensis ut est consuetam, videlicet una inter duo altaria majora alia ante magnum altare & altera ante imaginem crucifixi.

Item statuerunt quod nullus in choro intonet officium sedendo, sed reverenter stando capite discoperto & devote crucis signaculo munitus cum bono tractu incipiat.

Item ut cultus divinus à dignioribus maxime diebus solemnibus, magis digne impleatur, ordinaverunt quod diebus solemnibus quibus Reverendus Dominus Episcopus habet officium, fiant officia per Dominos canonicos videlicet cantoria per Dominos Præpositum & cantorem.

Item sex primæ lectiones per juniores canonicos septima & octava per Seniores nona per Episcopum tertium & sextum respónsoria per magis antiquos & nonum responsorium per cantores secundum in tabula describentur, & thuribulum per juniorem canonicum, & tunc Epistola, & Evangelium missæ dicantur per canonicos in prædicta tabula descriptos.

Item ordinaverunt quod diebus solemnibus quibus Domini Præpositus, & cantor vel alii loco ipsorum facient cantoriam nullus ex ipsis alium solum relinquere præsumat; nisi causa Prælato, seu officianti officium præcipiendi, nec alicubi cantare debeat, nisi cum cantore suo sub pœna perditionis distributionum illius diei fabricæ applicandarum.

Item ordinaverunt quod quandocunque alicui ex Dominis Canonicis Vicariis, aut de choro habituatis denuntiatum seu injunctum fuerit aliquod officium in choro fiendum per clericulos chori vel alios habituatos illud, cessante necessitate adimplere teneatur sub pœna perditionis anniversarii illius diei.

Item statuerunt, quod si quis ex Dominis Canonicis in præmissis, vel altero ipsorum secundum quod in tabula erit inscriptus defecerit pro quolibet defectu: quinque solidos perdat qui in continenti per procuratorem supplenti defectum super emolumentis deficientes pro medietate distribuantur, alia verò medietas Rectori fabricæ pertineat de qua computare tenetur.

Item ordinamus quod nullus in choro duo officia facere præsumat nisi qui in matutinis dixerit tertium responsorium, qui potest legere septimam lectionem & qui sextum responsorium dixerit potest legere octavam & in duplicibus vel solemnibus diebus defectu aliorum cantores possint dicere quintam & sextam lectiones.

Item statuerunt & ordinarunt quod in officiando in choro inferior non possit supplere vicem superioris, nec cum ipso facere officium, sicut curatus civitatis, pro nec cum canonico, nec curatus forensis pro nec cum curato civitatis, nec capellanus simplex pro curato & cætera.

Item statuerunt quod nullus in dicta Ecclesia neque in civitate portet armutiam de variis grisis, nisi sit Canonicus aut Prælatus sive de octo habilitatis, vel quibus talis habitus per capitulum ad beneplacitum est concessus, & tunc per tales non canonicos neque Prælatos ad quatuor cursus tantummodo deferatur, nec aliquis dictum habitum grisum extra clausum nisi in processionibus generalibus deferat sub pœna privationis ejusdem.

Anno 1484.

Anno 1484.

Item quia temporibus retroactis dictus habitus griſus quaſi omnibus petentibus indifferenter datus fuit & conceſſus etiam probis ſimplicibus nullius auctoritatis & modicæ reputationis, ita quod præ nimia multitudine portantium dictus habitus vili penditur & contemnitur, ſtatuerunt & ordinarunt quod de cætero nulli detur, nec concedatur, niſi de perſonis honorabilibus idoneis & qualificatis ad præbendas Gebennenſis obtinendas, & tunc fieri debeat in capitulo ordinario non alibi, & loco deputato; habitus verò communis ubique in Eccleſia detur per cantorem & in ejus abſentia per canonicum ſeniorem.

Item ad divini cultûs augmentum ordinarunt quod in feſtis duplicibus intonetur prima Antiphona matutinarum per primum clericulum & innocentem chori intabulatum ad primum reſponſorium & prima antiphona de laudibus per ſecundum.

Item ſecunda antiphona matutinarum per primum clericum ſecundi reſponſorii & ſecunda antiphona de laudibus per ſecundum.

Item tertia antiphona matutinarum per intabulatum quarti reſponſorii & quarta antiphona matutinarum, per ſecundum.

Item quinta antiphona matutinarum per Lectorem tertiæ lectionis.

Item ſexta antiphona matutinarum per primum intabulatum ad quintum reſponſorium & tertia de laudibus per ſecundum.

Item quarta antiphona de laudibus per lectorem quartæ lectionis.

Item ſeptima antiphona matutinarum per primum intabulatum ad ſeptimum reſponſorium & quinta antiphona de laudibus per ſecundum.

Item octava antiphona matutinarum per primum Cantorem octavi reſponſorii & nona antiphona matutinarum per ſecundum.

Item ſtatuerunt quod in feſtis ſolemnibus intonentur prima antiphona matutinarum & prima de laudibus per pueros ad candelabra intabulatos.

Item ſecunda antiphona matutinarum & ſecunda de laudibus per magnos clericos primi reſponſorii.

Item tertia & quarta antiphona matutinarum per intabulatos ad ſecundum reſponſorium ordine prædicto.

Item quinta antiphona matutinarum per primum ſcriptum, ad quartum reſponſorium & tertia antiphona de laudibus per ſecundum.

Item ſexta antiphona matutinarum per primum altarienſem quinti reſponſorii & quarta de laudibus per ſecundum cætera ut ſupra in duplicibus.

Item ordinarunt quod nullus de habitu Eccleſiæ illam & minus chorum intrare præſumat tempore quo in dicto choro cantatur vel pſallitur, aut fit officium mortuorum ſine ſuo integro habitu conſueto, neque ante fores Eccleſiæ ſtare, nec poſtquam claſſi matutinarum miſſæ vel veſperorum pulſati fuerint ſub pœna quinque ſolidorum fabricæ applicandorum, ſi canonicus fuerit, ſi verò inferior trium ſolidorum.

Item ſtatuerunt quod nullus intrare chorum imo nec Eccleſiam nudis tibiis præſumat, ſed habeat caligas coloris convenientes honeſtati clericali ſub pœna pro qualibet vice ſex denariorum fabricæ applicandorum.

Item ordinarunt quod nullus de collegio præſumat ipſum chorum intrare dum in eodem pſallitur, niſi prius fecerit primam reſidentiam quæ prima reſidentia fit ante finem verſiculi primi pſalmi videlicet de gloria patri usque ad Amen, & dicto Amen, nullus debeat intrare, neque ſi poſt primam dictam reſidentiam chorum exiverit poſſit in ſecunda reſidentia intrare poſt Deo gratias de priori Benedicamus & hoc quoad matutinas veſperas vel alias horas quæ reſidentiam requirunt; in miſſa vero prima reſidentia fiat ante finem ultimi verbi epiſtolæ, poſt quod nulli liceat intrare; neque in ſecunda reſidentia poſt finem primæ collectæ communionis in fine miſſæ exceptis quatuor ſolemnitatibus videlicet Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes & Aſſumptionis Beatæ Mariæ in quibus quandocunque quilibet intrare poſſit reſidentia non facta, aliis verò diebus non liceat niſi Rectori parvæ fabricæ procuratoribus capituli & cleris chori ac matriculatis dictæ Eccleſiæ qui pro negotiis peragendis poſſint intrare & exire etiam in prima, tertia, ſexta & nona quolibet de Collegio quandocunque intrare poſſit de conſuetudine niſi aliud obſtet ex aliqua fundatione.

Item ſtatuerunt & ordinarunt quod in matutinis vel in magna miſſa & veſperis illius diei exiſtentes & reſidentiam proxime ſcriptam facientes ſuas diurnas reſidentiæ diſtributiones lucrentur; quemadmodum hìc & multis aliis eccleſiis Cathedralibus de longæva conſuetudine extitit obſervatum.

Item ſtatuerunt & ordinarunt quod eo tempore quo in choro horæ Canonicæ dicentur, vel miſſæ magnæ, aut etiam parvæ in capellis & altaribus per Eccleſiam celebrabuntur in quibus ſacrum Dominicum tractatur ſacramentum eo tunc nullus ex Dominis Canonicis Vicariis habilitatis capellanis aut de choro habituatis debeat ſpatiando deambulare cum ſocio per medium navis Eccleſiæ nec per curſus laterales horas ſuas dicendo ſive cum eodem ſocio vel laico confabulando; & murmurando nè turbent & ſcandalizent tam celebrantes quàm in choro pſallentes, & qui contra fecerint ſi canonici fuerint arbitrio Domini Præpoſiti & capituli ſi inferiores Domini Cantoris puniantur.

Item ordinaverunt quod nullus portans habitum Eccleſiæ intra ipſam Eccleſiam; dictum ſuum habitum teneat, aut reponat conſervandum, & qui contrarium fecerit pro qualibet vice ſolvat, ſi canonicus duos ſolidos, ſi habituatus ſexdecim denarios, ſi altarienſis duodecim denarios, ſi magnus clericus ſex denarios fabricæ applicandos & exigendos per procuratorem dictæ fabricæ ſuper emolumentis anniverſariorum ſine remiſſione.

Item ſtatuerunt quod nullus generalem vel aliam quandocunque particularem intret proceſſionem niſi poſt crucem quæ antefertur de choro in gradu ſuo exierit, antequam ipſa crux fuerit in navi Eccleſiæ extra portam chori, quam poſtquam debite intraverit usque in finem non liceat abſentare.

Item ordinarunt quod omnes proceſſiones generales Dominus Cantor ex ejus officio habeat ordinare, & per ſuam bidellam, illas dirigeret conduci facere, niſi per Dominos de capitulo aliter fuerit diſpoſitum & ordinatum.

Item ſtatuerunt & ordinarunt; quod proceſſio cum cruce magnam portam clauſtri non exeat pro funere alicujus aut ſepulturæ, niſi fuerit corpus vel ſupra, aut ex comitibus marchionibus vel aliis principibus ſuperioribus.

Item ordinarunt quod in proceſſionibus tam generalibus quàm particularibus omnes de collegio habituati in gradu ſuæ receptionis & vocationis Bini & Bini incedant innocentes clericuli chori primi poſt crucem, & deinde magni

ANNO 1484.

Clerici subsequentur Capellani non Altarienses, deinde ipsi Altarienses, & post curati forenses, deinde curati civitatis & post habitum grisum deferentes, deinde habilitati & postremo Domini Canonici juniores, qui semper seniores procedant secundum ordinem suæ receptionis, ita quod post Dominum Cantorem Dominus Præpositus ultimum locum obtineat qui dignior & honorabilior reputetur.

Item ordinarunt quod Canonicus in prædicta Ecclesia per summum Pontificem ercatus sub expectatione præbendæ incedat in processionibus cum ultimo habilitato, vel grisum deferente, si dispar fuerit, vel cum juniore Canonico præbendato & etiam idem junior Canonicus præbendatus cum ultimo habilitato vel grisum prædictum deferente, si fuerit dispar, incedere debeat, nec tamen idem Canonicus creatus in Ecclesia aliquas percipiat distributiones, donec præbendam aliquam pacifice fuerit assecutus.

Item ubicunque fuerit processio sive in Ecclesia vel extra statuerunt quod nullus de choro habituatus, qui in ea cum aliis non fuerit se in conspectu dictæ processionis audeat præsentare sub pœna pro quolibet & qualibet vice duodecim denariorum fabricæ applicandorum.

Item ordinarunt, quod singula nomina Dominorum Canonicorum per ordinem secundum eorum receptionem in libro Regulæ scribantur, ut in processionibus, & actibus capitularibus appareat quis primus vel posterior fuerit, & ille prior vel primus esse dicatur, & senior qui primum manualiter in choro extiterit libratus, licet alius forte primo extiterit installatus & receptus, sed non libratus.

Item ordinarunt quemadmodum à longo tempore extitit observatum, quod die sancti Joannis Evangelistæ Canonicus per capitulum deputatus cum choro processionaliter vadat ad prioratum Sancti Joannis prædicti extra muros civitatis missam magnam celebraturus & ibi per chorum solemniter dicantur, & cantentur prima, tertia, sexta cum missa prædicta oblationes ibidem provenientes quascunque ab horâ quâ intrat ipsam Ecclesiam usque ad exitum, nomine capituli recepturi.

Item statuerunt quod tam Domini Canonici quàm cæteri de collegio habituati omnes deferant vestes honestas, non nimia longitudine vel brevitate notandas, non viles nec nimis pretiosas ad latus & retro consutas, nec apertas more laicorum, neque rubri seu viridis coloris, manicas non nimis latas, vel arctas, neque in aliqua sui parte incisas secundum prohibitionem sacrorum canonum & qui contra fecerit, si Canonicus Capituli, si inferior Domini Cantoris arbitrio puniatur.

Item statuerunt quod comam neque barbam nutriant, sed cum debitis coronis radi faciant ad minus infra quindecim dies & ii qui circa altare inserviunt infra octo dies radantur.

Item ut distinguantur Clerici à laicis ordinarunt quod nulli ex Dominis Canonicis, seu de collegio habituati in baptisamentis, sponsalibus, sepulturis vel quibuscunque honoribus fiendis, vel aliter qualitercunque per civitatem ipsos contigerit ambulare pileis, seu capellis vel cornatis more laicorum utantur.

Item ut fidelis populus magis ad devotionem trahatur, solemnitatem Epiphaniæ quæ inter alias solemnitates suum locum obtinet ordinatum statuerunt quod ipsa die festi Epiphaniæ horæ missæ fiant tres Reges videlicet unus & primus ex Dominis Canonicis secundum ordinem suæ receptionis tam præsentibus quàm absentibus & qui in posterum fuerint. Deinde secundus Rex, unus ex curatis civitatis ordine inter ipsos servato & tertius Rex & curatus forensis senior & altariensis residentiam faciens in Ecclesia Gebennensi, licet sit junior altariensis dum tamen res ederit per annum integrum, qui cum solemnitate consueta in Ecclesia dicant Evangelium, & oblationem faciant in missa ut est consuetum.

Item ordinarunt pro oneribus supportandis habitatorum seu Vicariorum chori quod Canonicus qui fuerit Rex illo anno solvere teneatur in manibus procuratoris capituli sine quacunque contradictione viginti quinque florenos pro quibus omnia emolumenta in Ecclesia per ipsum lucrata una cum præbenda sua maneant obligata.

Item statuerunt quod curati prædicti forenses & altarienses in Ecclesia residentes & percipientes in communitatibus altariensium vel clericorum chori intabulentur per annum in matutinis ad septem responsoris.

Item ordinarunt quod si quis ex Dominis Canonicis habilitatis curatis Vicariis Altaristis vel constis ipsius Ecclesiæ in præmissis cæremoniis in non observando negligens fuerit, vel ipsa præcepta, & ordinationes transgrediendo excesserit, & contravenerit vel non observaverit correctioni quoque directè vel indirecte restiterit, & defectum vel errorem in continenti aut monitus non emendaverit ultra pœnas in singulis statutis descriptas arbitrio capituli, si canonicus fuerit, si verò inferior Domini cantoris puniatur.

Item statuerunt quod quæcunque beneficia cum curâ vel sine cura exceptis præbendis & dignitatibus superioribus ad provisionem capituli in habenda seu communi spectantia cum eo vacare contigerit, tunc si sint capellæ per capitulum in iisdem Rectores instituantur, si vero beneficia curata revertendo Domino Episcopo per præfatum capitulum Rectores instituendi præsententur.

Item ordinarunt quod si prædicta beneficia cum cura vel sine cura solita sint dari aut conferri per particularem hebdomadarium, tunc officium habentem in cantoria illa in septimana sua capitulo præsentabit, si sint beneficia non curata, seu capellaniæ, si verò beneficia curata fuerint, illa capitulo præfato nominabit, per eundem, Reverendo Domino Episcopo præsentandum, & si periculum sit in mora ad illa beneficia duobus præsentibus vel tribus Dominis canonicis nominare vel præsentare possit.

Item ordinarunt, quemadmodum extitit observatum, quod quandocunque vacabit cantoria vel sacristia tunc per hebdomadarium sine contradictione quacunque capitulo præsentetur instituendus.

Item ordinarunt quod nullus Canonicus jam intabulatus absens, à civitate sine licentia generali vel mandato speciali capituli ad prædicta beneficia in sua septimana vacantia nominare ut supra vel præsentare possit nisi in Ecclesia seu capitulo sit præsens, & infra suam septimanam usque ad cujus finem expectetur, antequam sequens hebdomadarius possit providere.

Item ne per ignota præmissa procedant, quando septimana incipiat pro Domino Canonico cantoris, quia de vespera ad vesperam quoad officia & solemnitates solemnisantur dies; igitur statuerunt quo ad jus ad beneficia vacantia nominandi vel præsentandi per hebdomadarium septimanam incipere debere in vesperis die Sabbati in continenti intonato, Deus in adjutorium vesperarum in choro, quæ septimana revolutis octo diebus eadem hora terminetur & successori hebdomadario acquiratur.

ANNO 1484.

Item quia tempore quadragesimali vesperæ ante prandium dicuntur, & cantantur. Igitur ordinarunt quod septimana quoad prædicta beneficia per hebdomadarium nominanda, vel præsentanda ut supra in completorio intonato (converte nos Deus & cætera) incipiatur & eadem hora revolutis diebus octo finiatur.

Item statuerunt quod nullus Canonicus de novo receptus, & in sua prima residentia ad officium Cantoris pro hebdomadario admittatur, nisi se tali tempore præsentaverit, quod suam residentiam integram centum & duodecim dierum in Cathedra sancti Petri poterit finire, & sic circa festum omnium sanctorum se habeat præsentare quemadmodum temporibus retroactis extitit observatum, aliis verò Canonicis residentibus qui prædictam residentiam modo ordinato adimpleverint, sufficiat quod ante recollectionem fructuum futurorum dictam residentiam faciant & impleant.

Item ordinarunt quod si casu aliquo contingat quod absit, infirmum hebdomadarium in sua septimana ab hoc sæculo migrare, tunc capitulum quoad collationem beneficiorum sibi succedat usque ad finem suæ hebdomadæ seu septimanæ.

Item ut reducantur ad debitum ordinem statuta in ordine facta ordinarunt quod habens septimanam officii ad altare majus in ipsa septimana habeat, & cantoriam & collationem seu nominationem aut præsentationem ad beneficia ipsa septimana vacantia sublato ordine hactenus observato.

Item si recurrat septimana nativitatis Domini, paschæ, pentecostes, vel alia solemnis ordinaverunt quod illi dies qui hebdomadario substrahi consueverunt nullo modo amplius substrahantur, sed in sua septimana quoad beneficia vacantia sicut alio tempore communi computantur & septimana integra maneat.

Item statuerunt quod si aliquis ex Dominis Canonicis sine licentia generali vel speciali mandato capituli absens à civitate mensem integrum fuerit, reducatur ad epistolam, nec debeat postquam venerit intabulari nisi in vesperis proximis die Sabbati sequentis, & tunc si petierit de mandato duorum Canonicorum intabuletur ita quod si in crastinum videlicet Dominica die residentiam non fecerit pro non intabulato illa septimana habeatur.

Item ut voluntates defunt eorum adimpleantur, quibus communiter cavetur, quod interessentes in suis anniversariis eorum portionem lucrentur, ordinarunt, quod supervenientes canonici in prædictis anniversariis etiam si non fuerint intabulati suas percipiant portiones, in omnibus autem aliis donec dicta die Sabbati ut supra fuerint intabulati pro absentibus reputentur.

Item quia inter opera misericordiæ computantur mortuos condere, innocentes baptisare & matrimonium solemnisare, statuerunt quod quotiescunque aliqui ex Dominis Canonicis fuerint vocati in præmissis, vel in aliquo eorundem in civitate Gebennensi & in ipsis interfuerunt pro præsentibus in choro quoad residentias & anniversaria communia habeantur.

Item quia per multiplicem Dominorum Canonicorum residentiam cultus augetur divinus, & jura Ecclesiæ melius defenduntur, ordinarunt quod nulli ex Dominis Canonicis immo nec capitulo liceat aliquibus ex canonicis uni vel pluribus licentiam dare se à civitate absentandi vel Ecclesia, nisi in communi daretur licentia generalis, ex urgenti guerra peste vel alia legitima causa vel in specie alicui seu aliquibus pro negotiis urgentibus capituli, quæ tamen licentia fiat capitulariter de consensu omnium, quibus in casibus suas lucrifaciant distributiones.

Item statuerunt quod illi qui præsentes in Kalenda cujuslibet mensis fuerint in omnibus laudemiis & aliis obventionibus quibuscunque in illo mense provenientibus vel præsentes vel quando dicta laudemia vel obventiones fiant in ipsis interfuerint & intabulati in illis omnibus suas recipiant portiones.

Item ordinarunt quod absentes ex justis causis suprà mentionatis pro residentibus reputantur, & ad beneficia in sua septimana vacantia per procuratorem cum speciali mandato nominare, vel præsentare possint, quæ tantum valeant quantum si in propria Ecclesia vel capitulo fierent.

Item statuerunt quod quilibet ex Dominis canonicis residentibus pro præbendæ suæ suisque particularibus negotiis urgentibus, vel aliàs per quadraginta dies continuos vel per partes infra annum, residentiæ suæ Ecclesiam & civitatem in Diœcesi tamen, non extra absentare possit in quibus residentias & anniversaria communia lucretur statuto de absentibus sine licentia per mensem integrum in suo robore permanentem.

Item ut honestius & dignius ad decorem Ecclesiæ officium divinum expleatur maximè in Evangeliis, & Epistolis dicendis, ordinarunt probos honestos, & scientificos ad prædicta exercenda quibus statuerunt per quemlibet ex Dominis Canonicis absentem & non residentem super fructibus suæ præbendæ, anno quolibet dari & expediri tres florenos monetæ cursalis omni cessante contradictione.

Item sicut temporibus retroactis ex longissima consuetudine extitit observatum, statuerunt quod nullus Canonicus prædictæ Ecclesiæ postquam de novo fuerit pacifice receptus, & in sua prima residentia faciat grossos fructus suæ præbendæ suos, nisi residentiam in civitate Gebennensi fecerit spatio centum & duodecim dierum Ecclesiæ sancti Petri in propria servitурus incipiendam in festo omnium sanctorum, ita quod finire debeat illam continue vel per partes in Cathedra sancti Petri sub quo nullatenus dispensetur, nisi maneret in studio generali, vel esset Reverendi Domini nostri Gebennensis Episcopi commensalis assiduus vel ad negotia Ecclesiæ peragenda, à Capitulo destinatus; in his enim omnibus prædictus canonicus grossos fructus suæ præbendæ recipiat omni contradictione cessante; aliis verò Canonicis residentibus sufficiat ante quod ante recollectionem fructuum futurorum dictam residentiam adimpleant, ut sibi dictos fructus acquirant.

Item ordinarunt quod Canonicus Scholaris migrare volens ad studia generalia licentiam à capitulo accipere debeat & jurare super missale quod ad studium principaliter migrat, causa studendi ne tali velamento Ecclesia defraudetur, fidemque facere debeat capitulo quomodo in tali studio studet litteris Doctoris sui vel Rectoris studii debite sigillatis infra festum omnium sanctorum anni residentiæ fiendæ cujus prætendit habere fructus occasione studii sine residentia alios dictos fructus nullatenus lucretur; sed fabricæ accrescant.

Item sicut aliàs fuit statutum iterum statuerunt quod quicumque canonicus prætendens causam grossos fructus suæ præbendæ habendi absque residentia personali consueta ex aliqua prærogativa, vel privilegio quod de illa vel

illis

ANNO 1484.

illis omni anno fidem facere teneatur residentiæ faciendæ cujus prætendit habere dictos fructus sine residentia infra festum omnium sanctorum aliter dictos fructus nullatenus lucretur, sed fabricæ applicantur.

Item ordinarunt quod si contigerit aliquem ex Dominis Canonicis decedere ab humanis residentia prædicta centum & duodecim dierum per ipsum non completa, etiam si pro parte illam fecerit, fructus quicunque suæ præbendæ & emolumenta quæ sibi lucrifecit in vita, Cellerario vel fabricæ Ecclesiæ accrescant, nec de talibus fructibus vel emolumentis partim lucratis, aliquatenus inter vivos causa mortis disponere possit.

Item statuerunt quemadmodum de longæva consuetudine fuit observatum quod si contigit aliquem ex Dominis Canonicis ab hoc sæculo migrare residentia integra & debita per ipsum penitus completa, tunc grossi fructus sequentes pendentes cum distributionibus in vita sua lucratis omnino suis hæredibus accrescant.

Item ordinaverunt quod si contigit Dominum præpositum Cantorem vel Sacristam Ecclesiæ Gebennensis decedere ab humanis residentia prædicta per ipsum non completa, tunc fructus quicunque ut supra & emolumenta præposituræ prædictæ cantoriæ vel sacristiæ Cellerario vel fabricæ penitus accrescant, si verò residentiam requisitam in Dominis Canonicis ut supra compleverit, tunc dicti fructus quicunque cum emolumentis ut suprà hæredibus suis omnino pertineant.

Item quia dignum & honestum est ut antiquiores canonici præbendis potioribus utantur, illasque habeant juxta consuetudinem tanto tempore in ipso venerabili capitulo observatam, cujus initii memoria in contrarium non existit statuerunt quod vacantibus Canonicatu & præbenda in ipsa Gebennensi Ecclesiâ per cessum, vel decessum etiam si generaliter vel specialiter reservati præbenda dicti decedentis, aut cedentis vel alias ut supra qualitercunque vacet, possit, & valeat infra viginti dies, à die vacationis notitiæ per antiquiorem, & seniorem canonicum residentem, si voluerit optari, & acceptari, & sua dimitti, quæ per proximiorem Canonicum seniorem semper infra alios viginti dies possit, ut supra optari & sua dimitti optanda proximiori & sic per ordinem semper de Canonicis antiquioribus successive usque ad ultimum Canonicum fieri possit, si verò aliquis optare nolit illo prætermisso alius succedat & sic semper de una præbendâ ad aliam optatis procedat Canonicatu non mutato, ita quod Canonicatum & præbendam requirens illam habeat dumtaxat præbendam quæ in optata remanebit & de illa sit contentus possessionemque illarum præbendarum optatarum per quemlibet Dominorum optantium de consensu capituli auctoritate propriâ intrare possint absque alterius collatione facienda.

Item statuta antiqua in sequendo de novo ordinarunt quod nullus Canonicus præbendam vacantem vel aliam optare possit nisi præsens vere non interpretative vel fictione juris in civitate Gebennensi tempore vacationis præbendæ sic optandæ fuerit & semel residentiam centum & duodecim dierum in persona propria fecerit Ecclesiæ serviendo.

Item statuerunt quod Domini Canonici præbendas suas quas obtinent vel obtinebunt pro tempore cum suis fructibus proventibus & obventionibus unus cum alio cessante omni fraude & sine alterius detrimento, ac præjudicio possint permutare si voluerint absque auctoritatis vel decreti cujuscunque superioris requisitione ita tamen & taliter quod Canonicus senior relinquens meliorem & pinguiorem præbendam juniori postmodum aliam supervenientem optare non possit, nisi post locum & ordinem junioris cum quo permutavit, quas permutationes capitulo infra mensem teneatur intimare & manifestare alioquin nullum sortiatur effectum.

Item ordinarunt quod quilibet Canonicus refusiones quas debet capitulo, vel suo concanonico ratione præbendæ suæ vel alia de causa illas solvat annis singulis infra festum Beati Andreæ Apostoli quod nisi fecerit ab inde in antea pro residenti nullatenus reputetur.

Item statuerunt quod de obventionibus vel distributionibus quotidianis & minutis manualibus, seu capitulis generalibus quæ communiter inter præsentes dividuntur absentes nihil quomodocunque percipiant quacunque prærogativâ vel privilegio tueantur non obstante.

Item quia alienationes vel bonis beneficiorum nisi in casibus à jure permissis valde sunt prohibitæ ordinarunt quod nullus ex Dominis Canonicis de possessionibus reditibus proventibus proprietatibus aliisque quibusvis immobilibus præbendæ suæ in emphiteosim de novo dare vendere vel quemcunque alienationis contractum facere possit nec valeat nec meliora prospicere & hoc arbitrio & de auctoritate Capituli.

Item statuerunt quod Domini Canonici ad claves secreti pro tempore deputati dictas claves in capitulo generali Kalendæ omnium sanctorum apportare & remittere debeant inde capitulariter distribuuntur per ordinem consuetum videlicet unâ uni ex senioribus, alia ex junioribus Dominis Canonicis dempto sacristâ qui semper suam servet sine mutatione.

Item ordinarunt quod si aliquis Canonicus habens domum particularem promoveatur ad aliquam dignitatem pontificalem ubicunque fuerit, seu dignitatem vel officium in Ecclesia Gebennensi, cui dignitati vel officio sit domus connexa, tunc illa domus capitularis quam possidebat tempore promotionis tanquam vacans capitulo liberâ debeat remanere.

Item statuerunt quod quandocunque vacabit domus capitularis per mortem aut assecutionem dignitatis, vel officii, tunc illa domus per capitulum alicui Canonico Ecclesiæ illam haberi volenti, & de eadem plus offerenti quandiu fuerit canonicus & non ultra vendatur & expediatur reservatis prærogativis seniorum qui in præmissis proferuntur.

Item ordinarunt, quod si Canonicus habens domum capitularem aliam de novo vacantem habere voluerit, tunc primam domum infra dies, menses alteri Canonico vendere teneatur, quod si in dicta venditione morosus extitit lapso termino illa capitulo tanquam exhibita omnino requiratur.

Item statuerunt quod si à casu Canonicus non reperiatur domum sic vacantem habere voluerit eo tunc illa alicui honeste Ecclesiastico viro ad vitam dumtaxat vendi possit, & debeat nec in præmissis venditionibus claves domorum prædictarum emptoribus ipsarum expediri debeant, donec & quousque de pretiis earundem integre sit satisfactum.

Item ordinarunt quod quandocunque vacabit domus capitularis deputentur duo ex Dominis Canonicis qui audiant secrete illam habere volentem, & referant capitulo pretium oblatum, absque eo quod manifestetur offerens ad tollendum invidias odia vel favores.

Item statuerunt quod quandocunque vacabunt

domus capitularis deputentur duo ex Dominis canonicis qui audiant secrete illam habere volentem, & referant capitulo pretium oblatum, absque eo quod manifestetur offerens ad tollendum invidias odia vel favores.

Item statuerunt quod quandocunque vacabunt domus capitulares habentes operatoria quæ possint conduci & locari illa nullatenus cum domo vendantur, sed retineantur & ad opus capituli locentur & tradentur.

Item ordinarunt quod nullus Canonicus domum suam capitularem vendere aut permutare possit in infirmitate constitutus si probabiliter dubitetur, quod sit in proximo vacatura & nisi vivat per tres menses ad se venditionis domus prædictæ pro tempore omnis suspicio tollatur.

Item statuerunt quod pecuniæ, seu pretia dictarum domorum pro medietate in acquirimentum ponantur, alia verò medietas inter illos Canonicos qui fuerint præsentes in civitate tempore mortis illorum per quos dictæ domus dicuntur vacare & intabulati vel in Kalenda illius mensis fuerint distribuantur.

Item ordinarunt quod nullus ex Dominis Canonicis de possessionibus quæ Ecclesiæ communes dicuntur habere nec tenere possit, & nisi unam quam dimittendo & non alias, alia recipere & tenere possit & sua quam dimisit alteri expediatur semper secundum ordinem de modo optationis præbendarum.

Item statuerunt quod quilibet ex Dominis Canonicis debeat ad minus habere unum equum, mulum, vel mulam adeo honestum, ut illum equitare possit cum honestate debita valoris ad minus viginti florenorum ita & taliter quod sine illo esse non possit ultra mensem sed illo vendito donato, aut alias alienato alium habeat ejusdem pretii vel majoris quantitatis.

Item cum nullus missori probri quem scit indubitanter concubinam habere, audire debeat nec etiam concubinario celebranti assistere, aut ab ipso sacramenta Ecclesiastica recipere ipsi Domini Canonici ordinarunt, quod nullus ex Dominis Canonicis Vicariis seu habilitatis Capellanis, Altaristis aut de choro Ecclesiæ habituatis concubinam sive focariam habeat de actu venereo suspectam quod si secus quis fecerit, & super iis vel altero ipsorum fuerit infamatus, vel si notorium, aut manifestum, & domum dicti Canonici vel alterius de choro habituati cujuscunque dignitatis aut præeminentiæ existant ipsa mulier sic suspecta frequentaverit, tunc talis si Canonicus fuerit & in horis divinis, seu Canonicis intersit, etiamsi non celebret distributiones quotidianas nullatenus lucretur, nec in illis in toto vel in parte portionem recipiat, sed pro absente reputetur donec & quousque de dicto crimine se emendaverit, si verò inferior Canonico fuerit ab interessentia chori & Ecclesiæ, ac habitu privetur, nec ad celebrandum aut cantandum alicubi admittatur supra quorum probatione examen per deputatos à Capitulo sufficiat sei notorietas & infamia laborans.

Item statuerunt quod quilibet ex Dominis Canonicis postquam debitam residentiam per annum fecerit fructusque suæ præbendæ receperit teneatur & debeat in ipsa Ecclesia facere & fundare unum anniversarium viginti quinque librarum Gebennensis quod si morte præventus non fecerit ejus hæredes & bona possidentes ad illud faciendum omnino teneantur, & omnia ejus bona remaneant capitulo obligata & hypothecata donec & quousque præmissa fuerint completa.

Item ordinarunt quod quilibet ex Dominis Canonicis ubi voluerit in quacunque parte Ecclesiæ demptis & exceptis choro & sancta sanctorum suam possit eligere sepulturam.

Item statuerunt quod sacrista Ecclesiæ habeat lectum Canonici defuncti pro medietate & pro alia medietate habeat Rector parvæ fabricæ, & matricularius qui potest redimi si fuerit Præpositus, vel cantor pro sex florenis, si vero simplex Canonicus pro quatuor florenis.

Item prædictus matricularius habeat in solidum armutiam & luminare.

Item ordinarunt quod nobiles laici cives Burgenses & honesti mercatores pro remedio animarum suarum usque ad sexaginta solidos annuales; Altarienses verò Capellani & alii viri notabiles Ecclesiastici usque ad triginta solidos similes ipsi Ecclesiæ sanctæ Legatum facientes possint sibi & valeant in eadem eligere sepulturam videlicet à capellis sanctæ crucis & sanctæ Catharinæ usque ad portam majorem prædictæ Ecclesiæ.

Item statuerunt quod oblationes quæ fiunt in luminaribus sepulturarum prædictarum, de facibus vel intorsitiis corpore defuncti in Ecclesia existente tres partes fabricæ pertineant & quarta matriculario sibi per Rectorem fabricæ distribuenda, quod si corpus præsens non fuerit, aut fiat alia solemnis pro principibus, vel aliis commemoratio tunc matricularius in eadem nihil percipiat; alia verò quæcunque emolumenta ex prædictis sepulturis vel commemorationibus provenientes continuo cedant Rectori fabricæ sine quacunque diminutione.

Item ordinarunt quod quando aliquis ex Dominis Canonicis diem suum claudat extremum, corpus suum intra chorum cum habitu completo & ordinato per probos deferatur super quo corpore unus pannus Ecclesiæ honestus per operarium ponatur pro quo panno quinque solidos fabricæ ejus hæredes solvere teneantur.

Item ordinarunt quod quotiescunque aliqui per venerabile capitulum vel hebdomadarium ad aliquod beneficium sive quamcumque capellaniam in Ecclesia Gebennensi instituentur præstare debeant juramenta debitum officium secundum fundationem dictorum officiorum & capellaniarum facere & adimplere, nec non debitam residentiam in choro facere saltem solemnibus duplicibus & novem lectionum interessendo in divinis maxime in primis vesperis matutinis missa magna & ultimis vesperis cum completoriis cum choristis cantando & psalmodiendo & ad præmissa per substractionem anniversariorum vel fructuum suorum beneficiorum primo per Dominum Cantorem & in defectu ipsius per venerabile capitulum compellantur.

Item statuerunt quod si ex fundatione Capellæ Rector ejusdem ad aliquas missas teneatur ibi celebrandas, tunc dictus Rector infra annum ad Sacerdotium promoveri teneatur, etsi fundatio ad hoc arctaverit illam sub pœna juris observare teneatur.

Item ordinarunt quod nulli ad titulum Capituli mandetur ad sacros ordines promoveri quibus eo tunc ad sustentandum, aut beneficiandum dictum capitulum eisdem obligatur & raro providetur.

Item statuerunt quod Rectores vel Altaristæ Ecclesiæ Gebennensis ad residentiam capellarum suarum ex ipsarum fundatione obligati omnino debeant & teneantur residere missasque in illis celebrare vel celebrari facere, ac omne aliud debitum persolvere juxta fundationis & tabulæ, ut præmittitur ordinationem, quod si à talibus servitiis vel officiis, ut supra eis incumbentibus vel injunctis justo impedimento cessante per tres menses continuos cessaverint, vel à civitate absentes fuerint nullis per ipsos ad dictis capellis

Anno 1484.

ſerviendum deputatis ipſis capellanis per venerabile capitulum ad quod providere ſpectat, priventur & aliis idoneis qui poſſint & velint deſervire Rectoribus libere conferantur.

Item ordinarunt quod quandocunque aliquis cujuscunque gradus, ſtatus, aut conditionis extiterit aliquam capellam in Eccleſia Gebennenſi fundaverit, tunc collatio ipſius omnimoda & pleno jure quandocunque vacabit ad capitulum pertineat abſque alterius cujuscunque auctoritate ſuperioris requiſitione, ſicut in aliis omnibus pridem fundatis à longo tempore extitit obſervatum, ſuper quo tamen ad voluntatem fundatoris pro primo rectore diſpenſari poſſit.

Item ſtatuerunt quod omnes capellani ſive Rectores N. inſtituti vel inſtituendi per venerabile capitulum in capellis Eccleſiæ Gebennenſis teneantur & debeant ſuas conſtitutiones capellarum ſub nomine capituli receptæ juxta formam ſubſcriptam & morem in talibus conſuetum ſub ſigneto Secretarii & ſigillo ipſius capituli nos capitulumGebennenſis notum facimus univerſis harum noſtrarum teſtimonio litterarum quod nos attendentes altare ſeu capellam N. fundatam & dotatam in Eccleſia noſtra Gebennenſi per N. vacantem de præſenti per mortem N. ultimi Rectoris ejusdem ipſius altare & capellam ut præmittitur vacans & quocunque modo vacare dignoſcantur cum ipſis juribus & pertinentiis ad nominationem viri venerabilis Domini N. Concanonici noſtri nunc hebdomadarii in officio cantoriæ noſtræ Gebennenſis Eccleſiæ conferimus & concedimus per præſentes N. ſufficienti & idoneo ad regimen ipſius altaris & capellæ obtinendum, in ipſis altari & capella eundem inſtituentes & ipſum in Domino ſalubriter gubernando ponentes, & etiam inducentes ipſum N. in poſſeſſionem prædictorum altaris & capellæ cum ipſis juribus & pertinentiis tenore præſentium qui quidem N. nobis ad ſancta Dei Evangelia juravit in prædictis altari & capella ac choro noſtræ Eccleſiæ bene, & fideliter deſervire ut decet per ſe vel per alium ſervitorem & in feſtis ſolemnibus duplicibus & novem lectionum in matutinis, miſſa magna & veſperis in choro perſonaliter intereſſe continue jutaque præfata altaris & capellæ manutenere, bona non alienare & alienata pro poſſe ad ſtatum debitum reducere & ſtatuta Eccleſiæ facta, & fienda obſervare ſuo poſſe.

Dat. Gebennenſis & item ut devote & ordinate altarium miſſæ ſeu capellarum Eccleſiæ ac alia officia chori celebrentur & dicantur ordinarunt fieri tabulam juxta conſuetum per Dominum Cantorem in loco publico chori tenendam de miſſis prædictis per ordinem celebrandis de officio Cantoris ſeu hebdomadario ad beneficia conferenda, ac aliis omnibus officiis in choro fiendis ſecundum quam ſeu deſcriptionem ipſius, ipſi Rectores capellarum per ordinem celebrare debeant hebdomadarius beneficia conferre & cæteri alia officia chori ut decet adimplere, & ſi quis in præmiſſis defecerit ultra pœnas deſcriptas arbitrio Domini Cantoris puniatur, & corrigatur, quod ſi negligens fuerit capitulum ſuppleat.

Item quia Domini Canonici pro negotiis capituli & manutenentiis ne jurium rerum temporalium ipſius pro quibus à Dominis temporalibus multipliciter ſunt infeſtati, & inquietati, ita quod divino officio interdum ut decet vacare non poſſunt, ſtatuerunt quem ad modum temporibus retroactis extitit ordinatum quod in futurum ſint in ipſa Eccleſia octo Vicarii perpetui incluſis duobus fundatis per Dominum Guillermum Chone, at quondam Canonicum Gebennenſem qui ſint de legitimo matrimonio procreati & actu probi & erunt majores in Eccleſia poſt Canonicos & nuncupabuntur octo perpetui Vicarii ſeu habilitati Eccleſiæ Gebennenſis & privilegiis prærogativis ac honoribus gaudebunt Canonesque totius divini cultus & officii Eccleſiæ, in ſe habebunt duo Vicarii per dictum Dominum Guillermum, fundati fuerunt aggregati & adjuncti ſex aliis ordinatis per capitulum in omnibus ſine differentia quacunque.

Item ordinarunt quod dicti octo Vicarii ſeu habilitati impoſterum quotiescunque locus alicujus vel aliquorum vacabit per capitulum ponantur aſſumantur, & conſtituantur, ita quod honeſtiores & magis commendati & compoſiti in vita & moribus gravioresque in verbo & in inceſſu ac ſufficientiores in officio divino & habentes organa vocis melius diſpoſita ad cantandum qui ubicunque ſic reperientur & commode haberi poterunt aſſumantur & recipi debeant.

Item ſtatuerunt quod dicti octo Vicarii, vel habilitati continuo intereſſe debeant & ſine intermiſſione ſint in omnibus & ſingulis horis in Eccleſia Gebennenſi celebrandis & pſallendis nocturnis pariter & diurnis etiam in omni officio Beatæ Mariæ Virginis & mortuorum quod ſe facturos in ſua prima aſſumptione, & receptione, ſolemniter intrare tenebuntur.

Item ordinarunt dictos habilitatos eſſe inſtallatos videlicet quatuor in dextra parte chori ſuperiotis & alios quatuor in ſiniſtra juxta ordinem ſuæ receptionis ut qui primò fuerit aſſumptus præcedat ſedeatque primus in dextra parte in quarta ſede chori ſuperioris incipiendo à parte magni altaris & alii mediate ſequentes receptis id idem ſervabitur in ſiniſtra parte chori & in tribus ſtallis præcedentibus utriusque chori erunt Canonici præbendati.

Item ſtatuerunt quod duo ex dictis habilitatis primo recepti teneantur & debeant principiare, & intonare omnes pſalmos in omnibus & ſingulis horis nocturnis & diurnis quilibet in choro ſuo prout ſit in Eccleſia Metropolitana matrice Viennenſis & qui in parte dextra erit primus, vocabitur Succentor, qui verò in ſiniſtra Scholaſticus. Succentor autem in dextra parte tenebitur incipere miſſas omnes per circuitum anni exceptis feſtis duplicibus & ſolemnibus quæ inchoari debent per duos Cantores in medio chori, & hymnos, antiphonas & Reſponſoria in proceſſionibus quibuscunque principiare debeat ipſe Succentor, & quotiescunque vacabit locus dictorum Succentoris, & Scholaſtici dictum capitulum de ipſis habent providere & ſi quis dictorum Vicariorum legitime fuerit præpeditus officium ſuum alius ex ipſis ſupplere poterit.

Item ordinarunt quod in poſterum dicti octo Vicarii vel habilitati poſſint debeant & teneantur ſupplere vices canonicorum tam in miſſis dicendis in majori & minori vivorum & defunctorum lectionibus & reſponſoriis officii diei & mortuorum quàm in aliis omnibus ad quæ vel in quibus ipſi Canonici quomodocunque poſſint teneri exceptis Epiſtola & Evangelio & in lectionibus matutinarum quæ per Dominos Canonicos diebus ſolemnibus ſecundum deſcriptionem tabulæ dicentur, quando tredecim candelæ accenduntur & officiant Præpoſitus & Cantor, & quando Epiſcopus vel Prælatus Eccleſiæ celebrabit, & tunc in Epiſtola & Evangelio Canonici in miſſa officiare tenebuntur.

Item ſtatuerunt per capitulum deputari aliquem ex dictis habilitatis vel aliis habituatis qui jurare expreſſe in capitulo tenentur fideliter defectus dictorum Vicariorum & altarienſium

Anno 1484.

ANNO 1484.

residentium in choro debentium scribere & notare, nulli quovis modo partendo qui pro labore suo tertiam partem defectuum recipiat, residuum cedat cellario & qui præsens non fuerit nihil lucretur nisi sit infirmus, sed perdat tantum de suo proprio quantum illa hora esset lucraturus & cum quolibet singulis mensibus computabit & defectus procuratori tradet qui de lucratis eis habebit satisfacere.

Item ordinarunt quod non obstante ordinatione prædicta de missis per habilitatos dicendis in majori altari vel minori possit & libere valeat in iisdem missam celebrare Canonicus præbendatus, si ex devotione moveatur quandocunque voluerit sitque eo tempore illud emolumentum quod assequebatur per prius sine quacunque diminutione percipiat eo casu quo officium missæ esset eidem ascriptum in tabula videlicet pro qualibet magna missa duodecim denarios, alias non nec alteri committere possit.

Item statuerunt quod quicunque Doctorum Vicariorum & duorum altaristarum defuerit in missa dicenda in majori altari vel minori Evangelioque vel quis tota pro missa perdat quatuor solidos pro Evangelio, vel Epistola duos & hæc super universariis percipiantur.

Item ordinarunt quod si contigerit aliquem octo habilitatorum esse altaristam in Ecclesia Gebennensi propter præsentes ordinationes non eximatur à celebratione missarum in suis altaribus fundatarum.

Item statuerunt quod nullus ad aliquod beneficium in Ecclesia Gebennensi admittatur nisi de habitu ipsius Ecclesiæ fuerit tempore admissionis quod si secus factum fuerit illud Domino sit irritum & inane.

Item ordinarunt quod in dicta Ecclesia sint, & perpetuò esse debeant sex parvi innocentes clericuli chori nuncupati, talesque recipiantur, & affirmantur per capitulum, investianturque & habituentur, si non sint prius habituati per Cantorem prout fieri est consuetum qui de legitimo matrimonio sint procreati; facundi sine difformitate, quæcunque organa vocis bene disposita ad cantandum habentes & qui in choro ac Ecclesia deservire debeant quandiu puberes fuerint & usque ad plenam pubertatem videlicet ætatis decem, & octo annorum donec notabiliter mutent vocem ad ipsos quoque pertineat officium ceroferarii & gestare candelabra in missis & processionibus atque aliis horis quibus portari consueverunt.

Item statuerunt quod duo ex dictis clericulis singulis diebus feriatis esse debeant in matutinis, missa & vesperis & aliis horis canonicis ad antiphonas ante psalmos intonandos versiculos responsoriorum & alios in horis suis versiculos dicendum atque Benedicamus in fine & requiescant in pace in officio mortuorum ut est consuetum, diebus verò novem lectionum duplicium & solemnium omnes maxime in matutinis, missa, & vesperis interesse debeant.

Item ordinarunt quod perpetuo esse debeat unus magister per capitulum deputatus sufficiens & idoneus ad præfatos innocentes instruendum in cantu lectura brevibus longis & accentu debito, atque eos imbuendum in bonis gestis & moribus, sitque de eis sollicitus & singulis diebus post vesperas debeat audire ab illis quid in crastinum habent officiare ea quæ tunc debent cantare & facere si perfecte sciant, & illos qui nescient, seu alias offenderint cum discretione corrigere.

Item cum maximè Reverendus in ipso pater Dominus Episcopus Gebennensis pro tempore existens minusque officiarii ejusdem venerabiles capitulum & Dominos illius cononicos omnimodam jurisdictionem non habebant statuerunt quod quotiescumque ipse Dominus Episcopus vel ejus officiarii qualiscunque suam adversus ipsos venerabiles capitulum Dominosque Canonicos alterumve eorumdem voluerint potestatem exercere ultra quam sua in eos jurisdictio se extendet tanto ac eo casu ipsi venerabiles, capitulum Dominique Canonici tandiu possint ac debeant, impune à divinis cessare & cessari facere protinus officiis donec ab hujusmodi exercitio potestatis omnino abstinuerint, & res fuerint pristino statui restitutæ.

Item ut omnis materia tollatur dubitandi super præmissis & jam conditis statutis ordinarunt quod si aliqua inter ipsa statuta tam edita quàm edenda contrarietas, vel in aliquo diminuta, aut nimis ampla vel obscura seu dubia reperiantur quod ipsum venerabile capitulum ad sonum campanæ congregatum tales, dubia & obsuritates declarare, emendare, corrigere, nec non diminutis addere, ac superflua tollere possit & valeat, suisque declarationibus, decisionibus, emendationibus & correctionibus omnes quorum interest stare debeant, manere ac omnia justa declarata observare.

Item quia plura sunt negotia quàm vocabula adeo ut legis negotiis omnibus vix valeant providere, statuerunt quod si in omnibus ac singulis circa regimen Ecclesiæ per præmissa statuta tam in ceremoniis quàm in quibuscunque aliis non fuerit sufficienter & legitime provisum & provisio in aliquo esset quovismodo necessaria tunc recurratur & recursus haberi debeat ad illud quod in casu simili servatur in Ecclesia Metropolitana Viennensi secundum cujus statuta talis defectus qui fuerit suppleatur.

Item ut nullus amplius materiam habeat vagandi per varia & diversa statuta ordinarunt quod omnes ac singuli Domini Præpositi Cantores & Canonici nec non Altaristæ, Capellani, Choristæ & habituati & cæteri quos præmissa statuta concernunt tam præsentes quàm futuri illa teneantur & debeant in posterum servare quantum erit possibile & de illis servandis juramentum præstare aliis quibuslibet statutis extravagantibus & in diversis libris quomodolibet descriptis ex nunc penitus retroactis & amplius non servandis quibus nec aliquam ab inde fidem præstari voluerunt, sed illa omnino per præsentes statuta, ac ordinationes revocarunt & annullarunt, revocantque & annullant istis solis præsenti & supra scriptis in robore permansuris.

Quæ quidem capitula & ordinationes supra scriptæ numero centum, & quinquaginta incluso earum exordio cum hac conclusione in præfato Venerabili capitulo in quo præsentes aderant reverendi ac venerabiles *Guillermus de Fitigniaco* Præpositus, *Petrus de Viriaco. Petrimandus de Saconay. Franciscus de Saconay de Charonesonay. Petrus de Lonay. Antonius de Villiaco decretorum Doctor Apostolicus Prothonotarius. Philippus de Compeisto Apostolicus Prothonotarius. Martinus de Biolea. Joannes de sancto amore. Joannes de Lornay Apostolicus Prothonotarius. Guillermus de Gregres. Ludovicus de Lornay. Richardus de Rossilione. Andreas de Grossets*, & *Jeronimus de sancto Michaele*, Juris utriusque Doctor Canonici prædictæ Cathedralis Ecclesia sancti Petri Gebennensis fuerunt discrepanter conclusæ, & per me *Guillermum Fagefauyer*, Civem Gebennensem Apostolicum, ac Imperiaem Notarium Ducalemque Sabaudiæ & ejusdem

venerabi-

ANNO 1486.

venerabilis capituli secretarium in forma qua supra de mandato Praenominatorum Reverendorum ac venerabilium Dominorum Praepositi, & Canonicorum praesentium suis, ac caeterorum Reverendorum & Venerabilium Dominorum Canonicorum absentium ejusdem Capituli ac futurae in illo totius posteritatis nominibus redactae & signo meo assueto die vigesima quarta mensis Septembris anno Domini currente millesimo quatercentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Sixti PP. iiij. anno tertio decimo manualiter subsignatae in testimonium veritatis eorum omnium, ac singulorum sub appositione utriusque sigillorum ejusdem Capituli.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, confirmationis, approbationis, comminationis, suppletionis & concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc autem attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex. Arch. Angl. Rimer Tom. XII. pag. 297.

Bulla super Successione in Regno Angliae approbatoria, & contra Rebelles excommunicatoria; anno 1486.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, in quo potestatis plenitudo consistit, inter curas multiplices, quibus rerum negotiorumque varietatibus continuè premitur, ad ea ex debito Pastoralis Officii sibi commissi sollicite intendere debet, per quae inter Catholicos Principes eorumque Vasallos & subditos pacis, & quietis coadjuvante Domino conservetur amoenitas, & quae his contraria sunt, ac scandala producunt per suae Vigilantiae studium radicitus extirpentur, prout personarum locorum & temporum qualitate pensata, id in Domino conspicit salubriter expedire. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo Filii nostri Henrici VII. Angliae Regis illustris, & dilectae in Christo filiae nobilis mulieris Elizabetae clarae memoriae Eduardi IV. dicti Regni olim Regis Primogenitae, Nobis exposito quod ipsi, ad submovendum contentiones, quae de Regno ipso fuerant inter eorum Praedecessores de Lancastria de qua Henricus ipse Rex, & Eboracensis inclitis domibus, & familiis dicti Regni, de qua Elizabet, praefati originem trahebant, quarum occasione in Regno ipso grandia scandala retroactis temporibus exorta fuerant, desiderabant invicem matrimonium contrahere. Sed quia quarto & quarto consanguinitatis, & forsan affinitatis gradibus invicem conjuncti erant, eorum desiderium hujusmodi in ea parte adimplere non poterant dispensatione Apostolica desuper non obtenta, Nos, tunc cupientes perpetuae tranquillitati paci & quieti dicti Regni, quemadmodum decet pium, & communem Patrem & Pastorem, omnium Christianorum providere, ac discordiis, quae in eo Regno diu inter descendentes ex Domibus praedictis, cum maximo ipsius Regni detrimento, viguerant, finem imponere, illudque futuris dissensionibus occurrendo pacatum & quietum perpetuis temporibus reddere, ac Christiani Sanguinis effusionem evitare cum eisdem Henrico Rege & Elisabetha, ut hujusmodi consanguinitatis & forsan affinitatis impedimentis non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & in eo postquam contractum foret remanere liberè & licitè possent, per alias nostras litteras gratiosè dispensavimus, suscipiendam ex hujusmodi matrimonio prolem legitimam nuntiando. Cum autem sicut accepimus, Henricus Rex praefatus, quanquam non modo jure belli ac notorio & indubitato proximo successionis Titulo, verum etiam omnium Praelatorum, Procerum, Magnatum nobilium totiusque ejusdem Regni Angliae Plebis Electione & Voto, nec non Decreto statuto & ordinatione ipsius Angliae Regni trium statuum in ipsorum Conventu, Parliamento nuncupato, propter hoc publicè & generaliter celebrato, Jus ipsius Regni Angliae ad ipsum Henricum VII. Angliae Regem suosque Haeredes suo ex corpore procreandos indubitanter de Jure pertineret eidemque delatum foret. Ad omnes tamen discordias & dissensiones, quae olim inter illustres Lancastriae & Eboracensem Domos praedictas viguerant tollendas atque in perpetuum abolendas, ac pro firma & perpetua pace in eodem Regno observanda ad praecipuam & specialem ipsorum trium statuum dicti Regni requisitionem, assenserit eandem Elizabetham Principissam, immortalis famae Regis Eduardi praefati primogenitam & veram haeredem, ducere habereque in uxorem, dummodò primitus à nobis opportuna dispensatio super impedimentis praedictis obtinerent. Nos qui una cum Venerabilibus Fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus omnia & singula supra dicta paterna caritate considerantes non solum super matrimonio hujusmodi inter Henricum Regem & Elizabetham Principissam praefatos ut praefertur contrahendo, ex causis supra dictis, per dictas nostras litteras dispensavimus, sed etiam Prolem suscipiendam ex eo ad succedendum eisdem Regi & Elizabethae legitimam nuntiavimus, prout in ipsius dispensationis litteris Apostolicis plenius continetur, motu proprio, non ad Henrici Regis, aut Elizabethae praedictorum aut alterius pro nobis super hoc oblatae, petitionis instantiam sed de nostra mera liberalitate & ex certa nostra scientia, hujusmodi dispensationem nec non matrimonium, illius vigore praedictae contrahendum, seu cujusvis alterius dispensationis desuper à sede Apostolica, vel illius poenitentiaria aut Legatis, sive Nunciis, ad id facultatem ab eadem

ANNO 1486.

ſede habentibus, forſan obtentæ, pro tempore contractum, quarum quidem litterarum noſtrarum, & aliarum prædictarum diſpenſationum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum insererentur habere volumus pro expreſſis, ligitimamque liberorum ſucceſſionem, ac etiam declarationem pronunciationem, & decretum Parliamenti, tam ſuper titulo ipſius Henrici Regis, quàm ſuper ſucceſſione liberorum ac hæredum ſuorum nec non omnia alia & ſingula præmiſſa auctoritate Apoſtolica præſentium tenore confirmamus & approbamus, ac robur perpetuæ & inviolabilis vere firmitatis obtinere eadem auctoritate pronuntiamus, decernimus atque declaramus ſupplemusque omnes & ſingulos defectus, tam juris, quàm facti, ſi qui forſan intervenerint in eisdem aut aliquo præmiſſorum. Monemusque, & requirimus, motu ſcientia, & auctoritate prædictis omnes & ſingulos dicti Regni incolas & ejusdem Henrici Regis ſubditos, cujuscumque gradus, ſtatus, ſeu conditionis exiſtant, etiamſi Ducali, vel majori dignitate præfulgeant, eisque, & cuilibet eorum diſtricte præcipiendo inhibemus, ne ipſi, aut aliquis eorum novos tumultus, occaſione juris ſuccedendi hujusmodi, vel quocumque quovis quæſito colore, aut quacumque alia cauſa, in eodem Regno per ſe, vel alium ſeu alios movere ſeu moveri facere, diſpenſationi, declarationi, & decreto hujusmodi, aut paci & tranquillitati ipſius Angliæ Regni contraveniendo quovis modo præſumant, ſub excommunicationis & majoris anathematis pœna. Quam omnes & ſinguli hujusmodi tumultus novos excitantes vel excitari facientes atque pacem & Regni præfati tranquillitatem poſthac nequiter perturbantes aut prædictis contravenientes ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc cujuscumque, ut præfertur dignitatis ſtatus, gradus, ſeu conditionis exiſtant, etiam ſi Ducali aut majori præfulgeant dignitate, eo ipſo incurrant, eosque incurrere & illius vinculo innodatos & involutos ipſo facto eſſe eisdem motu ſcientia & auctoritate volumus, ſtatuimus, decernimus, atque declaramus. A quo quidem excommunicationis & Anathematis vinculo ab aliquo quàm ſede Apoſtolica præfata, aut cui ipſa ſedes id ſpecialiter & ſpecificè commiſerit, præterquam in mortis articulo conſtituto, nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Et ſi, quod Deus avertat, contingat ipſam Elizabetham, prole ex dicto Henrico Rege non ſuſcepta, vel ſuſcepta non tamen tunc ſuperſtite, decedere ante ipſum Regem, eo caſu prolem ex ipſo Rege Henrico & alia quacunque ejus legitima uxore, ab eo ſuperducenda, in omni jure hæreditario Regni hujusmodi juxta ante dictum ipſius Parliamenti Decretum, & hujusmodi noſtrum, illius approbationem, & confirmationem ſuper hujusmodi Decreto, & aliis prædictis, ut præmittitur, factam ſuccedere debere ſimilibus motu, ſcientia, & auctoritate decernimus & declaramus. Et ne in hujusmodi eventum, quispiam prolis præfatæ ſucceſſionem hujuſmodi, quovis quæſito colore, impedire aut impediendum novos tumultus in eodem Regno per ſe vel alios excitare, vel excitari facere, vel procurare præſumat, ſub præfatis cenſuris, & pœnis, quas omnes & ſinguli novos tumultus ut præfertur, ex quacunque cauſa in contrarium excitantes, aut excitari facientes, eo ipſo incurrant, & à quibus ab alio quàm ſede prædicta, & cui ſedes ipſa id ſpecialiter commiſerit abſolvi nequeant, præterquam in mortis Articulo conſtituti, pari motu ſcientia & auctoritate prohibemus. Et quoscunque, tam Principes, quàm dicti Regni incolas præſtantes opem & ſuccurſum, eidem Henrico Regi, ejusve deſcendentibus in eodem Regno ſucceſſoribus Angliæ Regibus, contra eorum Rebelles, aut aliqua contra præmiſſa quovis pacto molientes, eisdem motu ſcientia & auctoritate benedicimus, & illis, quos ſic faciendo in tam juſta cauſa decedere continget, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam & remiſſionem elargimur. Et nihilominus univerſis, & ſingulis Epiſcopis Monaſteriorum Abbatibus Metropolitanis, & aliarum Cathedralium, & Collegiatarum Decanis, Archidiaconis, Canonicis, Parochialiumque, & aliarum Eccleſiarum Rectoribus, ſive Vicariis perpetuis, Prioratuum & Domorum cujusvis etiam mendicantium ordinum Prioribus & Guardianis, & quibuscumque aliis Eccleſiaſticis Perſonis exemptis & non exemptis ſimilibus motu ſcientia, & auctoritate, ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ in Epiſcopos, & ſuperiores, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ in inferiores ab eis, eo ipſo per eos ſi non paruerint incurrenda, mandamus quatinus ipſi & quælibet eorum, cum pro parte præfati Henrici Regis hæredum & ſucceſſorum ſuorum hujusmodi quorumcunque fuerint deſuper requiſiti, contravenientes hujusmodi & novos tumultus excitantes in Eccleſiis ſuis, & aliis locis publicis inter miſſarum, & aliorum divinorum officiorum ſolemnia, nec non aliis temporibus congruis, totiens quotiens requiſiti fuerint, excommunicatos, & Anathematizatos eſſe, & hujusmodi ſententias & cenſuras incurriſſe publicè nuntient, faciantque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctiùs evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis Proceſſibus, cenſuras & pœnas hujusmodi iteratis vicibus aggravent, Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam & alia Juris remedia appellatione poſtpoſita, compeſcendo invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus ordinationibus Apoſtolicis, cenſuris quoque per nos & ſedem præfatam privilegiis & litteris Apoſtolicis, quibus illa etiam ſi de eis eorumque totis tenoribus, ſeu quævis alia expreſſio habenda eſſet, & in eis caveretur expreſſè quod illis non intelligeretur unquam derogatum, niſi dum & quotiens ſub certis inibi expreſſis modo & forma contingeret derogari præſentibus, pro expreſſis & inſertis habentes quoad præmiſſa ſpecialiter & expreſſe derogamus contrariis quibuscunque, ſeu ſi eisdem Epiſcopis, Abbatibus, Decanis, Archidiaconis, Rectoribus, Vicariis perpetuis, Prioribus, Guardianis, & aliis Eccleſiaſticis Perſonis ac Ducibus, & aliis prædictis vel quibusvis communiter vel diviſim à dicta ſit

ſede

ANNO 1486.

sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Pronuntiationis, Constitutionis, Declarationis, Suppletionis, Monitionis, Requisitionis, Inhibitionis, Voluntatis, Statuti, Decreti, Prohibitionis, Benedictionis, Concessionis, Mandati, & Derogationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quadringentesimo octuagesimo sexto, sexto Calendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

III. Ex ibid. pag. 313.

Bulla de matrimonio inter Henricum septimum & Elizabetham Filiam Eduardi Quarti: anno 1486.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Redemptoris & Domini nostri Jesu Christi, qui ut humanum genus propter primi parentis lapsum Deo patri reconciliaret in Crucis ara mortem subire, & tandem ad cœlos ascensurus, pacem discipulis suis testamento relinquere dignatus est, vices licet immeriti tenentes in terris, ea quæ sacrorum Canonum temperato rigore pro fidelium quorumlibet, potissime dignitatis & prosapiæ prærogativa fulgentium perpetua pace, & quiete, ac animarum salute, & ut fideles ipsi, suppressis quibusvis contentionum & diffidiorum fomentis, pacis & quietis amœnitatis fruantur, provide sedis Apostolicæ auctoritate facta, & concessa cognoscimus, ne in dubietatis scrupulum prolabantur, sed perpetuo, firma & illibata persistant, uberiori ejusdem sedis munimine roboramus, prout rerum & personarum qualitatibus inspectis, cognoscimus in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem cum carissimus in Christo filius noster Henricus septimus Angliæ Rex, & carissima in Christo filia Elizabetha Regina, & primogenita claræ memoriæ Eduardi Quarti dicti Regni nuper Regis, illustres quarto & quarto consanguinitatis gradibus invicem conjuncti, pro pace in eorum Regno Angliæ nutrienda & confovenda, invicem matrimonialiter copulari desiderarent. Venerabilis Frater noster Jacobus Episcopus Imolensis noster & sedis prædictæ in Angliæ præfato & Scotiæ Regnis cum potestate Legati de latere Orator, & Commissarius, vigore quarumdam aliarum nostrarum litterarum per quas inter cætera eidem Jacobo Episcopo cum duodecim personis, quarto affinitatis vel consanguinitatis gradibus invicem se attingentibus & desiderantibus invicem matrimonialiter copulari, ut matrimonia inter se contrahere, & in eis sic contractis etiam remanere possent, dispensandi, prolemque per eos suscipiendam legitimam decernendi, facultatem concessimus; cum eisdem Henrico Rege, & Elizabetha Regina, ut impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante, matrimonium inter se contrahere, & in eo postquam contractum foret licite remanere possent, dispensavit, prolem ex hujusmodi inter eos tunc contrahendo matrimonio suscipiendam legitimam decernendo, prout in ipsius Jacobi Episcopi litteris ejus sigillo munitis, quarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri. Postmodum vero, ut accepimus, Henricus Rex & Elizabetha Regina præfati litterarum Jacobi Episcopi & dispensationis hujusmodi obtentu, matrimonium inter se per verba legitime de præsenti contraxerunt, & cum solemnitatibus in dicto Regno Angliæ observari solitis solemnizarunt, & tandem carnali copula consummarunt. Cum autem, sicut similiter accepimus, Henricus Rex & Elizabetha Regina præfati cupiant præmissis, pro eorum subsistentia firmiori, robur nostræ confirmationis adjici. Nos, qui Regis pacifici vestigia imitando inter fideles quoslibet, præcipue præclari generis sublimitate conspicuos, ex quorum votivo successu plurimorum dependet salus fidelium, pacis & tranquillitatis commoda supremis desideriis affectamus, ut Henricus Rex & Elizabetha Regina præfati, libere & quiete, absque aliquo conscientiæ scrupulo, in hujusmodi sic per eos contracto matrimonio perpetuo permanere valeant, & ne imposterum de viribus ipsius matrimonii per quempiam hæsitari contingat providere volentes, motu proprio, non ad ipsorum Henrici Regis & Elizabethæ Reginæ, vel alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra deliberatione & voluntate, obtentam per eos, à dicto Episcopo & Nuncio dispensationem prædictam, & prout illam concernunt omniaque & singula in ejusdem Episcopi litteris prædictis contenta & inde secuta quæcunque auctoritate Apostolica, ex certa scientia & de plenitudine potestatis, tenore præsentium, confirmamus & approbamus, ac plenum firmitatis robur obtinuisse & obtinere, ipsumque matrimonium legitime contractum fuisse, & legitime fore in omnibus & per omnia perinde ac si cum eisdem Henrico Rege & Elizabetha Regina, ut impedimento prædicto non obstante, invicem matrimonialiter copulari, & in contracto postmodum per eos matrimonio remanere possent, suscipiendam ex illo prolem legitimam nuntiando alias juxta dictarum litterarum Episcopi præfati continentiam atque formam ab initio per nos dispensatum fuisset, & quæ in præmissis à dicto Episcopo facta fuerunt à nobis immediate, nostroque proprio ore processissent, motu, scientia, & auctoritate similibus decernimus supplemusque omnes & singulos defectus tam juris, quàm facti, ac etiam

ANNO 1487. solemnitatis forsan omissæ, si qui forsan intervenerint in eisdem. Eosdem Henricum Regem & Elizabetham Reginam ac matrimonium ipsum per eos contractum, Redemptoris præfati, ac Beati Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate benedicentes. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, constitutionis, suppletionis, benedictionis, & voluntatis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo, octuagesimo sexto, Decimo Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

IV. ibidem pag. 324.

Commissio Archiepiscopo Cantuariensi pro absolutione Tumultuantium: anno 1487.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Cantauriensi, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ sedis indefessa clementia lapsis, ad eam post excessum cum humilitate recurrentibus, personis libenter se propitiam, & benignam exhibere, & dum id humiliter petierint suæ pietatis gremium aperire consuevit. Dudum siquidem, pro conservanda pace, & quiete in Regno Angliæ, & ex certis aliis tunc expressis causis, per alias nostras litteras, motu proprio, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica monuimus & requivisimus omnes & singulos dicti Regni incolas & carissimi in Christo Filii nostri Henrici septimi Angliæ Regis illustris subditos, cujuscumque gradus, status, seu conditionis existerent, etiamsi Ducali vel majori Dignitate fulgerent, eisque & cuilibet eorum, districte præcipiendo inhibuimus ne ipsi aut aliqui eorum novos tumultus occasione juris succedendi in dicto Regno, vel quovis quæsito colore aut quacunque alia causa in eodem Regno per se vel alium, seu alios movere seu moveri facere, aut paci & tranquillitati dicti Regni contravenire quovis modo præsumerent sub excommunicationis & majoris anathematis pœna, quam omnes & singuli hujusmodi tumultus novos excitantes vel excitari facientes, atque pacem & Regni præfati tranquillitatem perturbantes, aut prædictis contravenientes, ex tunc, cujuscunque, ut præfertur dignitatis, status, gradus, seu conditionis existerent, etiamsi Ducali, aut majori præfulgerent dignitate, eo ipso incurrerent eosque incurrere, & illius vinculo innodatos, & involutos ipso facto esse, eisdem motu, scientia, & auctoritate voluimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus. A quo quidem excommunicationis & anathematis vinculo, ab alio quam sede præfata, aut cui sedes ipsa id specialiter & specifice committeret, præterquam in mortis articulo constituti nequirent beneficium obtinere, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem sicut præfatus Rex nobis nuper exponi fecit, aliqui ex prædictis monitis, qui hujusmodi excommunicationis sententiam incurrerunt, desiderent, pro serenitate conscientiarum suarum ab illa absolvi, pro parte ejusdem Regis nobis fuit humiliter supplicatum ut ipsos, & eorum singulos ab hujusmodi excommunicationis sententia absolvi mandare, aliasque eis & eorum statui in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, attendentes quod præfatæ sedis exuberans clementia cum humilitate petentibus veniam non consuevit denegare, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus quatinus per te, vel alium, seu alios idoneos, quos ad hoc duxeris eligendos, super quo tuam conscientiam oneramus omnes & singulos excommunicationis sententia hujusmodi innodatos, qui id humiliter petierint, ab illa auctoritate nostra, hac vice duntaxat absolvas in forma Ecclesiæ consueta; injunctis eis inter alia, sub virtute præstandi juramenti, quod de cætero talia non committent nec ea committentibus præstabunt auxilium, consilium, vel favorem, ac pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda: Non obstantibus præmissis ac Apostolicis, nec non bonæ memoriæ Ottonis & Ottoboni, olim in dicto Regno ejusdem sedis Legatorum, ac in provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo, octavo Id. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio.

Bulla

V. Ex. Arch Angl. Rimer Tom. XII. Pag 332.

Bulla contra Hibernicos Prælatos qui Lambertum Symnell prætensum de jure, de Facto in Regem coronarunt: anno 1488.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Casselensi, & Tuamensi Archiepiscopis, ac Clochorensi, & Ossoriensi Episcopis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ROmani Pontificis providentia circumspecta ad ea libenter intendit, per quæ excessus & crimina per Ecclesiasticas personas præsertim Pontificali dignitate prædictas, quæ omni debent carcere macula vitiorum & alios eorum bonis operibus & exemplis ad bene vivendum & suis Principibus obediendum inducere & à rebellionibus ac seditionibus præcavere, debitè puniantur, ut alii, hujusmodi exemplo ducti, à similibus de cætero studeant abstinere. Nuper siquidem ad nostrum non sine maxima animi nostri perturbatione pervenit auditum, quod Venerabiles Fratres nostri Octavianus Armachanensis, & Valterius Dublinensis, Archiepiscopi, ac Johannes Midensis & Modernus Darensis Episcopi, nescitur quo Spiritu, nisi maligno, ducti, monitionibus, mandatis, & inhibitionibus per nos contra novos tumultus in Regno Angliæ moventes, seu moveri facientes, aut paci, & tranquillitati dicti Regni contravenientes, nec non carissimo filio nostro Henrico ejusdem Regni Regi illustri & Hiberniæ Domino inobedientes sibique Rebelles, Factis, ac Sententiis, Censuris, & pœnis contra eos promulgatis, contemptis, proprio postergato honore, Deique Timore postposito Hostibus & Rebellibus præfati Regis adhærere, ac opem consilium, auxilium & favorem præstare non erubuerunt, quinimo, quod pejus & abominabilius est, ad magis perturbandum quietem & tranquillitatem dicti Regni quemdam puerum, de illegitimo thoro natum, & quem Filium quondam Ducis clarentiæ fore falso confingebant, in ipsius Regni Regem ausu temerario quamvis de facto erexerunt & coronarunt, quem præfatus Rex, Victoria potitus jam in manibus suis habuit, Crimen læsæ Majestatis committendo, nec non sententias censuras, & pœnas prædictas damnabiliter incurrendo, in non modicum ejusdem Regis præjudicium, & detrimentum, pacis & quietis Regni & sui Dominii Hiberniæ prædictorum perturbationem animarum suarum periculum, dignitatis Pontificalis opprobrium perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum. Nos igitur, volentes desuper, antequam majora scandala sequantur, prout ex debito Pastoralis tenemur Officii, debitè providere, & eosdem Archiepiscopos, & Episcopos, juxta suorum exigentiam demeritorum comperta veritate punire.

Fraternitati vestræ, de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus vos, vel duo vestrum per vosmetipsos, de præmissis omnibus auctoritate nostra vos secretè diligenter informetis & inquiratis. Et quicquid desuper compertis, id totum nobis per processum vestrum, vestris, vel duorum vestrum sigillis signatum, ad nos per proprium nuncium quem quantocius destinabitis fideliter significare curabitis. Ut exinde, omnibus diligenter examinatis, de Consilio fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium secundum Canones & Decreta Sanctorum Patrum contra eosdem Archiepiscopos & Episcopos debitè procedere possimus. Super quibus omnibus & singulis vobis, quoad hoc, plenam, liberam, & omnimodam harum serie concedimus facultatem. Non obstantibus Apostolicis, nec non in provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus cæterisque contrariis quibuscunque. Vos autem in hujusmodi negotio ita accurate, diligenter, fideliter & prudenter, prout de vobis confidimus vos gerere studeatis, quod apud nos, & hanc sanctam sedem non immerito possitis commendari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo, octuagesimo septimo, non. Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1488.

VI. Ex ibid. P. 341.

Bulla contra tumultus excitantes super Jure succedendi in Regno Angliæ: anno 1488.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SEdis Apostolicæ Providentia plurimum circumspecta intenta saluti animarum CHRISTI fidelium, ac Paci, quieti, & tranquilitati Catholicorum Regum & Principum, Regnorumque, & Dominiorum eorundem conservationi dubia quæ ex ordinatis propterea per eam pro tempore oriuntur dilucidat & declarat, & sic ordinata ampliat & extendit prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem ad obviandum Bellis & dissensionibus quæ in Regno Angliæ, retroactis temporibus, occasione Juris succedendi in eodem Regno inter Prædecessores carissimi in Christo filii nostri Henrici septimi Regis, & carissimæ in Christo filiæ nostræ Elizabethæ Reginæ Angliæ illustrium, humani generis hoste procurante, diù viguerant inter cætera, motu proprio, & ex certa nostra scientia, per alias nostras litteras, monuimus, & requisivimus, omnes & singulos dicti Regni incolas, & ejusdem Henrici Regis subditos cujuscumque gradus, status & conditionis existerent, etiamsi Ducali vel majori dignitate præfulgerent, eisque & cuilibet eorum districtè præcipiendo, inhibuimus, nè ipsi aut aliquis eorum novos tumultus, occasione dicti Juris succedendi in dicto Regno, vel quovis quæsito colore, aut quacunque alia de causa, per se vel alium seu alios movere seu moveri facere, aut paci & tranquillitati ipsius Regni contravenire quovis modo præsumerent, sub excommunicationis & majoris Anathematis pœna: Quam omnes & singuli, hujusmodi tumultus novos excitantes vel excitari facientes, ac Pacem & Regni præfati tranquillitatem perturbantes, aut prædictis contravenientes, ex tunc eo ipso incurrerent, eosque incurrere & illius vinculo innodatos & involutos ipso facto esse eisdem motu & scientia volumus, statuimus, decrevimus, & declaramus. A quo quidem excommunicationis & anathematis vinculo ab ullo quàm sede prædicta, aut cui ipsa sedes id specialiter, & pacificè committeret, præter quam in mortis articulo constituti nequirent absolutionis beneficium. Et quoscunque tam Principes exteros, quàm dicti Regni Incolas præstantes opem & succursum eidem Henrico Regi ejusque descendentibus in eodem Regno successoribus Angliæ Regibus, contra eorum Rebelles, aut aliqua contra præmissa quovis pacto molientes, eisdem motu & scientia benediximus, & illis quos sic faciendo in tam justa causa decedere contingeret, plenam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem elargiti fuimus. Deputatis etiam super his executoribus, qui tales publicarent & facerent ab aliis publicari, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas prædictas iteratis vicibus aggravarent. Prout in eisdem litteris, quarum tenorem, ac si de verbo ad verbum præsentibus insereretur, haberi volumus pro sufficienter expresso plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, à nonnullis revocetur in dubium an in monitione, requisitione, inhibitione, & litteris prædictis includantur Hiberniæ, & aliorum locorum temporali Dominio dicti Regis subjectorum, extra tamen Regnum prædictum consistentium, Incolæ monitioni, Requisitioni, & Inhibitioni prædictis non parentes? Vereanturque Rex & Regina prædicti nè Ecclesiasticæ Personæ Regni & Dominiorum prædictorum, in prædictis litteris non inclusæ, hujusmodi novos tumultus & perturbationes excitent & faciant ac procurent ab aliis excitari. Nos, Quibus ex Pastorali Officio præcipue conservandæ Pacis & quietis inter Populos & Regna Christiana cura incumbit, super his debitè providere, ne fidelium animæ aliquorum perversorum suasione censuris & pœnis prædictis illaqueatæ remaneant, hujusmodi ambiguitatis dubium summovere, & ne Ecclesiasticæ Personæ prædictæ ad ea quæ secularibus Personis interdicta sunt impunè prorumpant, providere volentes, motu simili, non ad eorundem Regis & Reginæ, aut ad alicujus alterius pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex simili scientia auctoritate Apostolica tenore præsentium, declaramus Hiberniæ, & aliorum locorum & Dominiorum dicto Regi subjectorum extra dictum Regnum consistentium Incolas seculares, qui hujusmodi novos tumultus, occasione dicti juris succedendi, in eisdem Regno, & Dominiis, vel aliàs movere & excitare non verebuntur, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis, conditionis, vel Præeminentiæ sint vel fuerint, in prædictis monitione, requisitione, inhibitione, & litteris inclusos esse, & illos ex eis, qui monitioni, requisitioni, & inhibitioni prædictis non paruerint excommunicationis, & anathematis sententiam prædictam incurrere debere, & eosdem executores ac ab eis deputatos subexecutores excommunicatos & anathematizatos publicè nunciare; & ad censuram earumdem aggravationem contra eos procedere, & alia eis demandata facere posse juxta litterarum earumdem continentiam atque formam, & sic nostræ intentionis esse, ac per quoscunque Auditores & Judices etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa judicari & interpretari debere, sublata eis, & cuilibet eorum quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, eis-

dem motu, scientia, & auctoritate decernimus. Ac easdem monitionem Requisitionem, & inhibitionem ad personas Ecclesiasticas, etiam cujusvis ordinis, Religiosas exemptas non exemptas in præfatis Regno & Hiberniæ, ac illis Dominiis ipsius Regis constitutas, cujuscunque status, Gradus, Ordinis & Conditionis existant, etiamsi Episcopali, vel alia quavis etiam majori Ecclesiastica dignitate præfulgeant, similibus motu, scientia & auctoritate extendimus, & extendendo easdem Ecclesiasticas Personas & quamlibet earum dicta auctoritate pari modo monemus, requirimus & inhibemus eisdem, ne novos tumultus hujusmodi suscitare movere, seu jam motos fovere nutrire, & manutenere, seu quempiam ad illos incitare, neve paci & tranquilitati ipsius Regni & Dominiorum ejusdem Regis, etiam extra Regnum ipsum consistentium, contravenire, quovis modo præsumant, sub interdicti ingressus Ecclesiæ per Episcopos & superiores ab eis, & excommunicationis ac anathematis latæ sententiæ pœnâ per alios inferiores ab eis qui contravenerint eo ipso incurrenda, ità ut si Episcopali & majori dignitate Ecclesiastica fungentes sub hujusmodi interdicto per decem dies permanere non formidaverint, ex tunc, lapsi Diebus eisdem à suarum Ecclesiarum regiminibus suspensi existant, & si suspensionem eandem per viginti dies, præfatos decem dies immediatè sequentes, animo quod absit, sustinuerint indurato excommunicationis, & majoris anathematicis sententia, prout & alii inferiores innodati sint & esse censeantur eo ipso. Non obstantibus præmissis ac Apostolicis, nec non bonæ memoriæ Ottonis & Ottoboni olim in dicto Regno Angliæ ejusdem Sedis Legatorum, ac in Provincialibus, & Sinodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & Ordinationibus, necnon omnibus illis quæ in litteris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque, & quia difficile foret præsentes & alias litteras prædictas, ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus & eadem auctoritate decernimus quod illarum transumptis, manu publici notarii inde rogati subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae aut curiae Ecclesiasticae munitis, ea prorsus in judicio & extra, & alias ubilibet fides adhibeatur quæ præsentibus & aliis litteris praedictis adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, constitutionis extensionis, monitionis, requisitionis, Inhibitionis, voluntatis, & decreti, infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo, quadringentesimo, octuagesimo sexto, X. Calendas Junij, Pontificatus nostri anno quarto.

Bulla Innocentii VIII. pro receptione Antonii Championis nominati ab illo ad Ecclesiam Gebennensem: an. 1490.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis populo Civitatis & Diœcesis Gebennensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie siquidem venerabilem fratrem nostrum Antonium Episcopum Gebennensem à vinculo quo Ecclesiae montis regalis, cui tunc praeerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & apostolicae potestatis plenitudine absolvimus, & ad Ecclesiam Gebennensem tunc certo modo vacantem de eorundem fratrum consilio auctoritate Apostolica transtulimus, ipsumque eidem Ecclesiae Gebennensi praefecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem dictae Ecclesiae Gebennensis sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Quocirca universitatem vestram monemus & hortamur attentè per Apostolica scripta vobis mandantes; quatinus eundem Antonium Episcopum tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devote suscipientes & debita honorificentia prosequentes, ejus monitis & mandatis salubriter & humiliter intendatis, ita quod ipse Antonius Episcopus in vobis devotionis filios, & vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo nonagesimo, non. Novembris, Pontificatus nostri anno septimo. 5. Novemb. 1490.

B. Bagarethus.

ANNO 1095.

non deffidebunt, hoc Deo beneplacito redimite obsequio, ut delictorum, quibus Dominum ad iracundiam provocastis, celerem indulgentiam pro vobis obtineant hæc pietatis opera, & deprecatio collata Sanctorum. Monemus igitur, & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum injungimus, ut fratribus nostris, & cælestis Regni cohæredibus (omnes enim invicem sumus membra, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi) qui Hierosolymis, & in finibus ejus habitant, afflictioni, & laboribus compatientes, infidelium insolentiam, qui sibi regna, principatus, & potestates subjicere contendunt, debita compescatis animadversione, & illis totis viribus occurratis, quibus est propositum nomen delere Christianum. Alioquin futurum est ut in proximo Ecclesia Dei jugum indebitæ perferens servitutis, fidei sentiat dispendium, prævalente Gentilium superstitione. In quanta enim positi sint afflictione noverunt ex nobis nonnulli, qui hæc, quæ loquimur occulta conspexerunt fide, & præsens illorum per manum Petri viri venerabilis, qui præsens est ad nos delata docet epistola. Nos autem de misericordia Dei, & Beati Petri, & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem ibi in vera pænitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam & fructum externæ mercedis se non dubitent habituros. Interim verò eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione, & Beatorum Petri, & Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, & ab universis inquietationibus tam in rebus, quàm in personis statuimus manere securos. Si verò quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit, per Episcopum Loci excommunicatione feriatur, & tandiù sententia ab omnibus observetur, donec & ablata reddantur, & de illatis damnis congruè satisfiat.

Episcopi verò, & Presbyteri, qui talibus fortiter non restiterint, officii suspensione mulctentur, donec misericordiam sedis Apostolicæ obtineant.

ADDENDA pag. 30. Ex Act. Titres &c. du Clergé de France Tom. II. pag. 172.

Mandat Archiepiscopo Senonensi, quod vetet Monachis, Canonicis, & Regularibus excommunicare, & ab excommunicatione absolvere, nisi facultatem exhibuerint authenticam, undè eis hoc liceat: anno . . . . . .

LUCIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Senonensi Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem.

SI quando postulatur à nobis quod juri conveniat & Ecclesiasticæ consonet honestati, petentium desideriis facilem debemus impertiri assensum eorumque vota effectu prosequente complere; ea propter tuis justis postulationibus inclinati authoritate tibi Apostolica indulgemus, *ut monachos & canonicos & alios* Religiosos qui in Diœcesi tua excommunicatos absolvunt vel excommunicant absolutos, nisi scriptum authenticum unde hoc liceat exhibuerint ab hujusmodi præsumptione appellatione remota authoritate nostra compescas. Datum velleti XIV. Kal. Julii.

Sigillatum uno Sigillo in plumbo, quod continet hæc verba: Lucius P. P. III. cum duabus effigiebus & his literis S. P. A. S. P. &c.

Exemplar supra scriptum cum illius archetypo in archivio Archiepiscopatus Senonensis existente composuit Jocobus le Riche, Clericus authoritate Apostolica & Archiepiscopali Senonensi Notarius dicti archivi claviger & custos, Senonis degens die vigesima prima mensis Octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

Le Riche.

ANNO . . . . .

ADDENDA pag. 41. Ex Cod. 128. Bibl. Colbert. Descr. V. Cl. Stef. Baluzius.

Epistola contra Falsatores, & contrà Censores malignos.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

UNiversis Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis, nec non & universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis. Pridem eo Bullæ nostræ confracto typario, quò Apostolorum Petri, & Pauli capita signabantur, aliud ut cunque consimile fecimus continuò subrogari, nè ob bullæ defectum personis & negotiis ex vacatione dispendium immineret. Porrò quia subrogatum hujusmodi corpulentiores solito eorumdem capitum effigies exprimebat; dum per hoc discrepabat notabiliter à priori, aliud postmodum, cujus impressione præsentes Literæ muniuntur, aptius in opus bullandi perpetuum fecimus, reposito in otuum sic altero, alterius opificis ministerio fabricari, donec corruptione, seù vetustate defecerit, non mutandum. Verum quia Falsariorum perniciosa subtilitas, si partem vigilet cauta prudentia ex adverso, ex mutatione prædicta præsumeret fortasse malignandi materiam, & moliendi sibi nova nequitiæ instrumenta; perspicaciori est considerationis oculo providendum, ut si letalis sibi ipsi & toti corpori suo manus falsis incudibus simile quicquam effigiare tentaverit intrà pestilentes proprii latibuli officinas id per transumptam de veris exemplaribus speciem, fallere nequeat oculos inspectoris arguti, vel evadere ad communis utilitatis incommodum severi Judicis ultionem. Quocircà mandamus, quatinus contrà litterarum nostrarum falsarios manus sollicitæ indaginis porrigentes, iniquitates ipsorum satagatis ad perfectum odium invenire; ità quod hæc radix quæ per suffragia maligni temporis pullulavit, disciplinalis falcis acumine succidatur. Cum aliquibus vestrum apostolicas litteras contingerit præsentari, circà præsentantis personam, maximè si privilegium, vel litteras super concessionibus, vel indulgentiis, quæ à nobis non nisi de certa scientia conceduntur, vel committuntur, obtulerit; diligens consideratio habeatur, utrum ex illius opinione, vel meritis aliquis in ejus actionibus sinistræ suspensionis scrupulus oriatur. Deindè qui literas hujusmodi receperit, eas in Bullâ filo, cartâ, stilo dictaminis, scripturâ, formâ, & aliis, in quibus notari, vel deprehendi falsitas potest, circumspiciat diligenter: & si certum in illis falsitatis apparuerit argumentum, reprobentur protinùs tanquam falsæ, & contrà impetratores earum, vel scientèr utentes eisdem ad incarcerationem, & alias pœnas juxtà rigorem canonum procedat exacta diligentia Prælatorum, contradictores, si & ipsi noluerint Canonicam effugere disciplinam; proviso ut literis ea bulla quam subrogabimus,

priori

ANNO 1225. ANNO 1225.

priori confrictæ signatis nullatenùs derogetur. Ità tamen, quod si super earundem literarum aliquibus de veritate Bullæ contigerit rationabilitèr dubitari, per subtilem collationem aliarum similium; de quibus non dubitatur, ad illam hujusmodi hæsitatio sinè difficultate qualibet dirimatur. Ut autem aliquibus supèr hoc de culpa, vel negligentia impetrantis nullum frivolum defensionis vel excusationis pallium relinquatur; volumus, & districtè præcipimus ut singuli Prælatorum subditos suos proposito eis publico commonitionis edicto præmuniant, & informent per literas Apostolicas quibus uti disponunt, & quas de aliorum quàm nostris, vel illorum, qui ad illud deputati noscuntur officium manibus receperunt apud se ipsos adhibito, si opus fuerit Peritorum consilio, discutiant diligenter, & eas tunc in publicum proferant, cum districto fuerint judicio approbatæ. Si verò eas intellexerint reprobas, eas statim destruant, vel resignent quod postquam eis publicè uti cœperint, ipsas contigerit argui falsitatis; sciant sibi seram ignorantiam, si tunc eam prætenderint, quominùs canonicæ pœnæ subjaceant, nullatenùs profuturam. Caveant autem singuli, ne quod ad medelam cogitavimus in hac parte, per abusum tendat ad noxam: quia si nobis obviantibus sceleri falsitatis, aliqui ex hoc materiam sumpserint in personas, vel negotia malignandi, hanc gravem malitiæ culpam, quæ facilè poterit deprehendi, non dimittet Apostolicæ disciplinæ severitas impunitam.

ADDENDA pag. 44. Ex Baluzii Miscellaneorum Lib. 2. pag. 255.

Ludovicum VIII. Francorum Regem hortatur Albigenses Regno exterminare: anno 1225.

HONORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo Filio Ludovico illustri Regi Franciæ salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm Reges & Principes Christiani propter Ecclesiam matrem suam, ex qua specialiter nati sunt, & quam à Christo, ut eam temporibus suis foveant, suscepere fovendam, Deo teneantur reddere rationem, grave nimis debes gerere ac indignum quod intra terminos regni tui, videlicet in partibus Albigensibus, hæretici manifestè ac intrepidè impugnant Ecclesiam, fidem Christianam evacuant, & dilacerant ipsum Christum. Certè Nabuchodonosor Rex decrevit, dicens: *Quicunque locutus fuerit blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenego, in interitu erunt, & domus eorum in dispersione.* Si ergo taliter fuit Rex alienigena, ne deberet Deus Israel blasphemari, commotus, tu Regum Christianissime, devotissimorum Principum successor, & hæres, cum quo devotio Christiana convaluit, evacuari fidem nostram, lacerari Christum, & Ecclesiam dissipari à talibus patieris? Denique si potestates seculi & rectores raptores persequuntur & fures, tu, qui regni solium obtines, terram tuam hæreticis, qui animas pretiosiores cunctis substantiis furantur & rapiunt, non purgabis? sanè præceptum à Domino legitur: » Si audieris in una ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic » dicentes, eamus, & serviamus diis alienis » quos non nostis, pones illos in ore gladii & igne civitatem incendes. Nimirum etsi pro immensis in hoc sæculo beneficiis Deo, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum ut pro ipso in fidei subversores, à quibus blasphematur, animosus insurgas, & pro catholica puritate, quam de partibus illis attendentes dæmoniorum doctrinis ejecisse noscuntur viriliter te opponas, porro non absque dolore cordis & gravi mentis amaritudine recolere possumus quod cum ad stirpandum inde pestem hæreticam multis sit personarum & rerum dispendiis laboratum, penè omnia in confusionem antiquam, populi Christiani peccatis exigentibus, sunt reducta, & ille qui felicibus invidet actibus, sic armavit in Antichristi præambulos partes suas ut diffundentibus illis intrepidè ac latiùs pravi dogmatis sui virus, verendum est plurimum ne ipsorum veneno regnum tuum in fide ac devotione præ aliis radicatum, cui Dominus benedixit, inficiant, & ex hoc contra totam Ecclesiam, tanquam in principalem partem concussam, nova persecutio excitetur. Multò ergo desiderio expectantes ut per te Catholicorum Principum successorem impiis eorum conatibus celeriter obvietur, ne illud modicum terræ, quod adhuc tenent Catholici, amittatur, & pestis hujusmodi regnum Franciæ maculet, cui iam apertè suos extendendo laqueos appropinquat, Celsitudinem regiam monemus, rogamus, & obsecramus in Domino quatenus zelo, ut decet, fidei & devotionis accensus, oblatis Deo tuæ coronationis primitiis, causam hujusmodi, quæ Christi est, tibi per quem post Deum posse feliciùs agi æstimatur, assumas, pro certo sciturus quod super hoc licet multum Romana Ecclesia laboraverit, non solum spirituale, sed temporale auxilium in personis & rebus quod potuit impendendo, nihilominus tamen parati sumus adhuc & laborem assumere & consilium, & auxilium impertiri. Cum autem hoc negotium summæ pietatis se ingerat, & ex eo videatur agi etiam causa tua, quod pestis ipsa loca iam tibi vicina venenat, citò, carissime fili, Christo, & Ecclesiæ potenter & patenter, prout dominus tibi posse tribuit, in hac parte succurras. Nam potestatem propterea suscepisti, ut per se persecutores Ecclesiæ temporaliter, quod ipsa non potest facere conterantur. Eo quidem si, prout confidimus, Christi & fidei orthodoxæ opprobria in te cadunt, ut zelum, sicut potes, habeas tantam injuriam vindicandi, quod quippe Regis honori expedit, ne defectui tuo tantam fidei subversionem contingeret imputari, speramus in eo qui pueri propositum provehit, & consilium dissipat peccatorum, quod negotium in manu tua prosperabitur, & magnitudo tuæ devotionis, & fidei contritis hæreticis clarius elucescat. Ceterùm cùm, sicut intelleximus, nobilis vir Amalricus Comes Tolosanus quicquid juris habet in terra tibi sit offerre paratus in dominio tuo illud recipias, à te ac hæredibus tuis liberè deinceps, & quietè jure perpetuo possidendum. Ad hoc pro certo noveris quod Raymundum Tolosanum Comitem, & Filium ejus cum eorum fautoribus dudum excommunicavimus, nec ad emendationem, licet benigne admoniti, revertuntur, sed contumaciter in sua malitia perseverant. Venerabiles verò Fratres nostros Archiepiscopum Bituricensem, & Lingonensem & Sylvanetensem Episcopos, qui de tuo regno existunt, & tibi favorabiles credimus & devotos, & tui non dubitamus honoris existere Zelatores, specialiter propter hoc ad tuam duximus præsentiam destinandos; quibus solita benignitate susceptis, oblatam tibi per eos, quibus in virtute obe-

Dan. 3.

ANNO 1227.

dientiæ hujusmodi onus injunximus, nostram & Ecclesiæ petitionem tam necessariam affectuose ac efficaciter studeas exaudire.

Datum Laterani, decimo nono Kalendas Januarii, Pontificatus nostri; Anno octavo.

ADDENDA pag. 48. Ex Act. Ang. Tom. I. pag. 297.

Institutio Festivitatis Beati Edwardi: Anno 1227.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prælatis per Angliam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

UT notam faciat filius hominum potentiam suam Dominus & Gloriam magnificentiæ Regni sui, nonnumquam electos suos, quos in hac vita justificat & coronat, in patria signanter honorat, dans eos miraculis corruscare, dum, omni perfidiâ confutatâ, roboratur fides catholica, spes erigitur, & caritas dilatatur.

Quare Christi fideles quos taliter ipse clarificat, pio complectentes amore, devotione debent celebri venerari, ut, in sanctis sanctificantem suppliciter honorantes, illius propitiationem & istorum suffragia salubriter mereantur. Ex literis siquidem fælicis recordationis Alexandri Papæ, prædecessoris nostri, nobis exhibitis extitit declaratum, quod, tàm claræ memoriæ Henrico Anglorum Rege, quàm omnibus Prælatis Angliæ qui tunc erant ei supplicantibus humiliter, & instanter, ut Beatum Eduardum gloriosum quondam Regem Anglorum ascriberet Sanctorum Catalogo in Ecclesia militanti, quem attestantibus miraculorum suorum insignibus, in triumphanti regnare minimè dubitant, ipse diligenti cum Fratribus deliberatione præhabita, & libro miraculorum inspecto, quibus ipsum in mortali carne viventem, & exutum ab ea Dominus multipliciter illustrarat, visisque literis Innocentii Papæ, cui idem successerat, & receptis testimoniis supplicantium; quamvis negotium tàm arduum non frequenter soleat, nisi forte in solemnibus Conciliis de more concedi, de Fratrum tamen consilio juxta votum, & desiderium petentium, prædictum sanctum inter Beatos Confessores censuit numerandum, dirigens Universis Ecclesiarum Prælatis Angliæ monita, & mandata, ut veneratione debita prædictum colerent Confessorem. Nuper autem venerabilis Frater noster Cantauriensis Archiepiscopus suis nobis literis humiliter supplicavit, ut supplentes quod à prædicto prædecessore nostro omissum videtur, mandaremus Festum ejus solenniter celebrari, quem gloriosus Deus in sanctis suis, adhuc miraculis clarificat gloriosis.

Ne igitur videatur quodammodo ipsius gloriæ derogari, quem digne glorificari possibilitas humana non sufficit, cum reputandum sit in Canonizatione Festi celebratio fore concessa, universitatem vestram monemus attentè per Apostolica scripta mandantes, quatenùs ipsius sancti Festum annua celebratione colentes, pro nobis, & vobis ejus apud Deum suffragia suppliciter imploretis.

ANNO 1243.

Datum Laterani quinto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Primo Filis Sericis Flavi rubrique coloris.

I. ADDENDA pag. 51. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 417.

Quod Angliæ Reginæ Devotionis gratiâ possit ingredi Oratoria, & Claustra Religiosorum cum decem mulieribus: anno 1243.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Carissimæ in Christo Filiæ Reginæ Anglorum Illustri salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ILla Personam tuam prærogativa prosequimur gratiæ specialis, quod preces tuas, præserti.n quæ in se opus continent pietatis libenter admittimus, quantum cum Deo, & Nostra possumus honestate.

Tuæ itaque devotionis precibus inclinati præsentium tibi Auctoritate concedimus, ut, cum interdum causâ devotionis ad nonnulla Cistercensium, & aliorum Religiosorum Monasteria Regni Angliæ divertere te contingat, liceat tibi cum decem bonis, & honestis mulieribus, orationis causa, oratoria, & claustra ingredi eorumdem, consuetudine aliqua, vel statuto confirmato per sedem Apostolicam, seù firmitate alia non obstante.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani septimo Kal. Maji, Pontificatus nostri Anno primo.

Plumbeo sigillo pendente à filis Sericis flavi, rubrique coloris.

De Beneficio Absolutionis Regni impendendo.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Bonifacio Electo Cantauriensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Angliæ devotis precibus inclinati, præsentium tibi Authoritate concedimus, ut si quando pro violenta injectione manuum in Clericos, & Personas Ecclesiasticas contigerit incidere in Canonem Sententiæ promulgatæ, impendas ei per te, vel per alium vice tua juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium vice nostra, & injungas illi, quod de Jure fuerit injungendum. Quod si fuerit gravis, & enormis excessus ipsum nequaquam absolvas absque sedis Apostolicæ licentia speciali, præsentibus post quadriennium minimè valituris.

Datum Lateran. septimo Kal. Maji Pontificatus nostri Primo.

Plumbeo sigillo pendente à Filo Canabeo.

Solemnizatio

ANNO 1243. Ex Archiv. Rymer Tom. I. p. 438.

Solemnizatio Festi Edvvardi in Ecclesia universali celebranda: anno 1243.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archibresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos Litteræ istæ pervenerint, salutem & Apostolicam Benedictionem.

UT notam faciat Filiis Hominum Potentiam suam Dominus, & gloriam magnificentiæ Regni sui, nonnumquam electos suos, quos in hac vita justificat, & coronat in Patria signanter honorat, dans eis miraculis coruscare, dum omni perfidia confutata, roboratur Fides Catholica, spes erigitur, & caritas dilatatur.

Quare Christi fideles quos taliter ipse clarificat pio complectens Amore, devotione debent celebri venerari, ut in sanctis sanctificantem suppliciter honorantes, illius Propitiationem, & istarum suffragia salubriter mereantur.

Ex litteris siquidem felicis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri nobis exhibitis, extitit declaratum, quod piæ memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, tàm claræ memoriæ Henrico Anglorum Rege, quam omnibus Prælatis Angliæ, qui tunc erant ei humiliter supplicantibus, & instanter, ac Beatum Eduardum gloriosum quondam Regem Anglorum ascriberet Sanctorum Catalogo in Ecclesia militanti, quem attestantibus miraculorum suorum insignibus in triumphanti regnare minimè dubitant.

Ipse diligenti cum fratribus deliberatione præhabita, & libro miraculorum inspecto, quibus ipsum in mortali carne viventem, & exutum ab ea Dominus multipliciter illustrarat. Visis quoque Litteris Innocentii Papæ cui idem Alexander successerat, & receptis Testimoniis supplicantium, quamvis negotium tàm arduum non frequenter soleat, nisi forte in solemnibus Conciliis de more concedi, de fratrum tamen consilio juxta actum, & desiderium petentium, prædictum sanctum inter Beatos Confessores censuit numerandum, dirigens universis Ecclesiarum prælatis Angliæ monita & mandata, ut veneratione debita prædictum colerent Confessorem.

Idem quoque prædecessor noster Gregorius, Bonæ memoriæ Cant. Archiep. sibi humiliter supplicante, ut supplens quod à prædicto Alexandro videbatur omissum, mandaret Festum ejusdem Confessoris solemniter celebrari, quem Gloriosus Deus in sanctis suis adhuc miraculis clarificat gloriosis, dedit supra dictis Prælatis suis litteris in mandatis, ut ipsius Festum cujus celebratio reputanda est in canonizatione fuisse concessa, celebratione annua colere procurarent.

Cæterum quod Carissimus in Christo Filius noster Rex Anglorum illustris, nobis nuper suis literis supplicavit, ut sicut in omnem terram sonus miraculorum ejusdem gloriosi Confessoris exivit, sic natales ipsius quos Non. Januarii, & Festum Translationis quod tertio Idus Octobris celebri veneratione in Anglicana Ecclesia præcoluntur, in universali mandaremus Ecclesia celebrari: Nos attendentes quod humana possibilitas, digne glorificare non sufficit Divina Bonitas tanta gloria sublimavit, universitatem vestram monemus attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus festa prædicta annua celebritate colentes pro nobis, & vobis ejusdem Confessoris apud Deum suffragia suppliciter imploretis.

Dat. Lateran. 4. Kal. Junii Pontificatus nostri anno primo.

III. Ex Archiv. Rymer Tom. I. p. 437.

Bulla de Pluralitate Beneficiorum: anno 1245.

INNOCENTIUS QUARTUS.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis per Regnum Angliæ constitutis salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm sedes Apostolica illo affectu Anglicos prosequatur, ut ipsos inter alios ejus filios, & multiplici favore proponat attollere, ac specialis dono gratiæ honorare, magno desiderio cupimus eosdem Anglicos devotionis studio insistere perseveranter, ac laudabiliter exercitio proficere bonitatis, ut accepti, & digni merito inter cæteros habeantur.

Hinc est quod universitatem vestram monemus, rogamus & hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vestrarum civitatum, & Dioc: Clericos, & eos, qui ascribi desiderant militiæ Clericali (præsertim nobilium, & magnatum filias) attentis, & sedulis exhortationibus inducatis, ut honestati morum, Scientiæ literarum, & virtutum cultui intendant ferventer, studentes omni diligentia se gratos, & idoneos exhibere, ac sedis prædictæ gratiam, aliorumque benevolentiam, probitatis meritis vendicare. Nos enim parati sumus Clericis Regni Angliæ, benè meritis, provisionis Ecclesiasticæ dexteram liberaliter aperire, ac etiam cum illis quos velut Nobiliores, & probiores ampliori gratia noverimus esse dignos super beneficiorum pluralitate honorificè dispensare. Dat. Lugdun. tertio Non. Augusti, Pontificatus Nostri Anno tertio sub Filo Canabi.

IV. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. I. pag. 437.

Quod universi Ecclesiarum Patroni in Regno Angliæ possint ad Ecclesias in quibus habent Jus-patronatus liberè præsentare absque contradictionis obstaculo: Anno 1245.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

FErvens Anglorum meretur devotio, ut eos Apostolica sedes tanquam speciales Filios Brachiis maternæ affectionis amplectens, & favore ipsos muniat opportuno, ac efferat gratiæ privilegio potioris.

Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, volentes jura vestra illæsa servari universitati vestræ ut ad Ecclesiastica beneficia, in quibus jus Patronatus habetis, cum ea vacare contigerit, præsentare illis ad quos eorumdem beneficiorum spectat collatio, personas idoneas, quæ velint & possint in eis utiliter deservire, absque cujuslibet contradictionis obstaculo liberè, prout ad vos pertinet, valeatis, auctoritate præsentium indulgemus.

ANNO 1246.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire;

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat. Lugdun. tertio Non. Augusti, Pontificatus nostri Anno tertio.

Plumbeo sigillo pendente à filis Sericis flavi rubeique coloris.

V. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1246.

Bulla continens Privilegium Abbati Britoliensi concessum, ut in Festo S. Constantiani in adventu Domini possint Monachi cantare in Missa *Gloria in excelsis Deo*, & *Ite Missa est*: anno 1246.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Abbati & Conventui Monasterii de Britolio Belvacensis Diœcesis, salutem & Apostolicam benedictionem.

QUoties à nobis petitur quod laudi Divini nominis convenire dignoscitur: animo nos decet libenti concedere, & piis petentium desideriis favorem benevolum impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Festum beati Constantiani Confessoris, cujus corpus in vestro Monasterio requiescit, nonnunquam in adventu Domini celebrari contingat, & in Festo ipsius ad dictum Monasterium propter miracula evidentia, quæ Dominus ipsius sancti meritis frequentèr operatur, ibidem caussa devotionis fidelium Christi conveniat multitudo, cantandi *Gloria in Excelsis Deo*, & *Ite Missa est* in celebratione Missæ dicti Festi vobis licentiam largiri dignaremur. Nos igitur vestris postulationibus grato concurrentes assensu, vobis hujusmodi licentiam auctoritate præsentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni 15. Kal. Octob. Pontificatus nostri anno quarto.

VI. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1026.

Quod Abbates Cisterciensis Ordinis nullum ex Fratribus Prædicatorum recipiant: an. 1247.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Universis Abbatibus, & Conventibus Ordinis Cisterciensis ad quos literæ istæ pervenerint salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUm olim felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster de Religiosorum finibus omnem turbationis materiam amputare desiderans, vobis in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandaverit, prout in registro ipsius Prædecessoris continentur expressè, ut nullum de ordine Fratrum Prædicatorum prætextu alicujus Indulgentiæ, nisi priùs sedis Apostolicæ, vel Prioris sui petitâ licentiâ & obtentâ, in vestrum admitteretis consortium, & receptos ad sui resumptionem habitûs remittere curaretis: Vos, sicùt accepimus, non solum admissos restituere contempsistis ad plenum, verum etiam plures postmodum ex ipsis Fratribus præter formam à dicto Prædecessore nostro vobis impositam, non absque inobedientiæ vitio recepistis. Volentes igitur, ut ejusdem Prædecessoris nostri mandatum, ut pote pluribus salutiferum, & Seminarium pacis firmiter observetur à vobis: Universitati vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs omnes, quos de ordine prædicto vos, vel Antecessores vestri contrà mandatum hujusmodi recepistis, ad priores ipsorum sinè difficultatis obice remittentes, studentes à receptione talium propter quietem ordinis utriusque, de cetero abstinere. Alioquin ne hoc per aliquorum insolentiam impedire contingat, Venerabilibus nostris Archiepiscopis & Episcopis locorum vestrorum Diœcesanis nostris damus literis in mandatis, ut eos qui ex vobis hujusmodi mandato Apostolico noluerint humilitèr obedire, ad id monitione promissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota compellant: indulgentia sedis Apostolicæ contraria non obstante.

Datum Lugduni 8. Kal. Junii Pontificatus nostri anno quarto.

ANNO 1250.

VII. Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. I. pag. 452.

Bulla continens Indulgentias Cruce - signatis concessas, & mandatum de prædicanda Cruce: anno 1250.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus Fratribus Cantuarien. & Eboracen. Archiepiscopis; & Cicestren. Exonien. & Meneven. Episcopis; ac dilectis Filiis Priori prædicatorum, & Ministro minorum Fratrum, Provincialibus Angliæ, salutem & Apostolicam benedictionem.

FIliorum dextera Pia Mater Sancta Romana Ecclesia jugiter lamentatur, quia Domus cœlestis Panis Mons Sion unde Lex exiit: Civitas Regni magni de qua multa dicta sunt gloriosa: Terra, quam Dei Filius suso pro nobis suo sanguine, conservavit, Regni robur, & Pulcritudinem perdidit: Flet, quia quondam libera, sub impiæ Tirannidis Jugo servit; Luget quia ubi pacem multitudo cœlestis militiæ cecinit, ibi pressura Gentes immundissimæ scandala, simultates, & schismata suscitavit; ac innovans excidia plurimorum, misit ad venerabilia manum suam Sacerdotis, & Sacrorum Ordinem, pias Leges, & ipsius Naturæ jura relegans à Templo Domini; diversis ibidem spurcitiis, & abominationibus introductis.

Et ideò in suis decisa Sabbatis obsorduit quasi polluta menstruis, inter hostes illa nostris olim promissa Patribus Sanctorum Patrum nostrorum Patria, & hæreditas Domini, terra sancta, quam Salvator Noster ad exhibenda ibidem Mysteria humanæ redemptionis elegit; Ubi confusione contempta, sputo conspersus, cæsus colaphis, flagellis afflictus; coronatus spinis coram Pilato sisti, tamquam multorum reus criminum, pertulit crucifixus ad ultimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido spiritum pro conditionis humanæ viribus reparandis, cursum præsentis vitæ saturatus injuriis consummavit.

Hic

Hic est, ut repetamus altiùs, qui de Paterno solio gloriæ, cœlis mirabiliter inclinatis ad nostræ mortalitatis ima descendens, non dedignatus est.Deus homo, creator creatura fieri, suscipere Dominus formam Servi, ut qui non poteramus per nostram Justitiam sperare veniam, consecuti per hæc gratiam inauditam, hæredes Dei, cohæredes verò Christi Divinitatis consortium felicitatis æternæ participium sortiremur; quis igitur poterit ei, qui tot bona nobis contulit negare subsidium.

Propterea sedes Apostolica illius Terræ miserabilem statum, & conditionem considerans emittit luctus, multiplicat fletus, & inter singultus, & suspiria vix respirans clamat ad proximos, recurrit ad notos, & exponit Domesticis Fidei Salvatoris instantiam, qui sine intermissione singulos Fideles ad tirocinium suum vocat, & necessitatem urgentissimam Terræ Sanctæ, quæ nisi (quod absit) his temporibus de Paganorum manibus liberetur, vix poterit postea de ipsius recuperatione sperari.

Attendite itaque universi Catholici, quàm ignominiosum sit locum illum salutis nostræ primordium coinquinari spurcitiis? Et tanto tempore ab immundissimis gentibus contrectari? Consideret quilibet, quam detestabile sit largitori omnium claudere dexteram? & non succurrere Salvatori? & apparebit apertè, quod nec ad profligandum hujusmodi opprobria, nec ad impendenda ei, qui omnia largitur auxilia est ipsius Fidelibus dormiendum. Nonne crimine læsæ Majestatis involvitur, qui temporali Domino inter inimicos posito negat auxilium? ejusque Terram ab hostibus non defendit. Undè cum plus sit divinam quàm humanam lædere majestatem, non debet aliquis ad succurrendum Deo vivo Domino Jesu Christo excitantis Tubæ sonitum, vel hortantis vocis præconium expectare, sed sine interpellatione currere, ut non tàm pœnam effugiat, quàm Regni cœlestis mereatur fieri particeps, & cohæres.

Consurgite strenui Angliæ Pugiles, Domini Athletæ Divini, ac milites redemptores ad tàm sanctum laudabile opus more progenitorum vestrorum, qui ferventiores in necessitatibus existebant, virium vestram extrema conflantes armemini protinùs crucis Galea contra eos qui sancta sanctorum coinquinant, & abominationes in ea, & immunditias introducunt.

Festinate dùm tempus habetis, & est manus Domini contra illos, ne fortè avertatur ab eis, propter fidelium segnitiem, furor ejus, quia tunc non esset tutum cum eis congredi, nec cum tanta multitudine dimicare.

Considerate quæsumus, ut sitis in hujusmodi negotio promptiores, quod carissimus in Christo Filius noster Rex Angliæ Illustris, zelo Fidei, ac devotionis accensus assumpto crucis signaculo, postpositis regalibus, opibus, & fastigiis dignitatum, ad transfretandum in Terram sanctam potenter, & magnificè prout decet tantum Principem, se accingit.

Undè ut sitis una cum eo hujusmodi momentanei laboris participes, & æterni præmii non expertes exsurgite viriliter, apprehendentes arma, & scutum ad ulciscendum illius injuriam, qui probra nostra diluit, se ipsum in cruce pro Nobis vivam hostiam immolavit. Et ut ad ideo libentiùs, & animosiùs intendatis, quo exinde bona spiritualia, quæ temporalibus præferenda sunt perceperitis potiora, Nos de omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Authoritate confisi, & illa quam Nobis Deus licèt indignis ligandi, atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem istum in propriis Personis subierint; & expensis plenam suorum peccatorum veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum: Eis autem, qui non in propriis Personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinarint, & illis similiter, qui licèt in alienis expensis in propriis tamen Personas accesserint; Et eis, qui quartam, seu majorem partem proventuum, & obventionum de redditibus suis pro subsidio dictæ Terræ eidem Regi, cum iter transmarinum arripuerit, vel collectoribus deputatis ad opus ipsius erogaverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, & concedimus esse particeps juxtà quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius Terræ de bonis suis decimam, vel aliam partem dicto Regi, tempore sui Passagii, vel ad opus ipsius, collectoribus ministrarint, aut circa prædicta Consilium, vel auxilium impenderint opportunum, & qui pro eodem negotio authoritate nostra prædicaverint verbum crucis.

Volumus etiam cruce signatos illo privilegio, eaque immunitate gaudere, quæ in generali Cruce signatorum indulgentia continetur; Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur astricti, creditores ipsorum, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant de plano, & absque solemni strepitu, veritate cognita, ecclesiastica præcipimus districtione compelli.

Quod si quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum, sub forma prædicta, simili cogi animadversione mandamus. Judæos verò ad restituendas usuras ea, qua convenit, præcipimus censura compelli, & donec illas remiserint, fidelium eis communio denegetur. Presbyteris autem, & Clericis qui assumpto, vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi; Et Clericis Parochiales Ecclesias habentibus, qui fideliter tantum transmiserint per Bellatores idoneos, quantum expenderent si personaliter illuc irent, præsentium auctoritate concedimus, ut proventus Beneficiorum suorum, quos perciperent tempore passagii, vel missionis, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis integrè percipiant per triennium, ac si personaliter in Ecclesiis in quibus Beneficia ipsa obtinent residerent; & si necesse fuerit eos per idem tempus vendere, vel pignori valeant obligare, non obstante ipsarum Ecclesiarum contraria consuetudine, vel statuto, Juramento, vel confirmatione sedis Apostolicæ, aut quacumque firmitate alia roboratis, vel literis Apostolicis de quibus specialem, & expressam oporteat in præsentibus fieri mentionem, seù etiam quod ipsorum aliqui de non impetrandis aliquibus indulgentiis, vel non utendis impetratis, vel concessis juramento præstito promiserunt. Et tàm cruce signatos, quàm cruce signandos, post quàm receperint signum crucis cum uxoribus, familiis, & omnibus Bonis ipsorum, sub Apostolicæ sedis protectione suscipimus; eisque nihilominùs indulgemus, ut extrà suos diœceses Authoritate literarum Apostolicarum sedis, vel legatorum ejus, nequeant ad Judicium evocari; statuentes ut Bona ipsorum ex tunc integra maneant, & quieta, donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur.

ANNO 1250.

Archiepiscopi verò, & Episcopi diocesani & eorumdem cruce signatorum, nec non & Archidiaconi, & eorum officiales nostra freti Authoritate non permittant eosdem cruce signatos contrà protectionis, & indulgentiæ nostræ tenorem, ab aliquibus indebitè molestari: Molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiastica appellationem postposita compescendo.

Præterea volumus, & præsentium Authoritate concedimus, ut Clerici, & Laici cruce signati, & cruce signandi Regni Angliæ Decimas non ratione Ecclesiarum pacificè detinentes fructus earum hactenùs perceptos in Terræ sanctæ subsidium convertere valeant propter seipsos, vel eidem Regi, cum transfretare voluerit, secura conscientia exhibere.

Quo circa discretioni vestræ propter Apostolica scripta mandamus quatenus vos Fratres Archiepiscopi, & Episcopi propter vestras civitates, & Diœceses, ac Provincias, & totum Regnum Angliæ proponatis, & proponi faciatis per alios, quos ad hoc idoneos noveritis, verbum Crucis; eos ad id si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compellendo.

Et ut Fideles Christi liberiùs, & ferventiùs currant ad verbum Domini audiendum, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad vestram, & illorum quibus id commiseritis solemnem prædicatione accesserint in qualibet civitate, Villa vel Oppido, in qualibet convocatione, seù stationem, decem, vel viginti, seu triginta, vel quadraginta, seù sexaginta dierum indulgentiam, vos, & illi, quibus officium prædicationis committendum duxeritis, largimini proùt videritis expedire.

Ut autem nihil omnino desit ad commissum vobis officium exequendum, absolvendi juxtà formam Ecclesiæ manuum injectores in Clericos, seculares, & Personas religiosas, ac incendiarios, & excommunicatos pro decima, vel vigesima deputata pacis, & Fidei, ac ejusdem terræ negotio, non soluta, nec non sacrilegos, sortilegos, & eos qui contrà Apostolicæ sedis, vel Legatorum ipsius sepulcrum Domini visitarunt.

Illos quoque qui in Partibus Albigensibus, hereticis contrà Catholicos auxilium impenderunt (dummodo heretici, vel eorum credentes non sint) ac eos qui portaverunt Ferrum, Arma, lignamina, & merces prohibitas Saracenis, vel aliàs contra Christianos dederunt eis consilium, auxilium, vel favorem.

Nec non Clericos, qui excommunicationis sententias incurrerunt per Legatos sedis Apostolicæ in concubinarios promulgatas, & illos Clericos in Prælaturis dignitatibus, vel Personatibus constitutos, & Ecclesiarum Rectores, & Religiosos quoslibet, qui contrà constitutiones Ecclesiæ leges, vel Physicam audierunt.

Ac dispensandi cum irregularibus, quos præmissa occasione, vel prò eo quod fortè excommunicati, vel suspensi aliàs, irregularitatem aliquam incurrant, dùm tamen cruce signati existant, vel recipiant signum crucis, vel propriis expensis alios pro se miserint bellatores, vel juxtà qualitatem Culpæ, & facultates suas congruam ad arbitrium vestrum de facultatibus propriis miserint portionem, nisi adeò gravis, & enormis excessus fuerit manuum injectorum, quod merito debeant ad sedem Apostolicam destinari.

Ac reconciliandi Pœnitentes, dummodo sint cruce signati, vel recipiant signum crucis; Et alia vota Peregrinationis, & abstinentiæ, commutandi in votum hujusmodi Pietatis, & dispensandi cum Clericis, qui occasione hujusmodi irregularitatem aliquam incurrerunt.

Plenum vobis concedimus facultatem; proviso tamen, quod prædicti manuum injectores, & incendiarii injuriam, & damna passis satisfaciant competenter, & debitores decimæ, ac vicesimæ debitam satisfactionem impendant. Si verò aliqui eorundem legitimo fuerint impedimento detenti, eis redimendi votum crucis, & vobis recipiendi hujusmodi redemptiones nomine ipsius Regis, ac absolvendi eos à voto prædicto, & indicendi ferias diebus prædicationis juxtà vestræ discretionis arbitrium libera sit de nostra commissione facultas.

Volumus etiam, & mandamus, ut pecunia per nos, & alios deputandos à vobis, ob causas prædictas Authoritate sedis Apostolicæ recipienda, vel colligenda inposterum eidem Regi cum iter transmarinum arripere voluerit, vel mandato ipsius pro subsidio Terræ sanctæ integrè assignetur; dummodo non sit alio Authoritate sedis Apostolicæ deputata.

Et illi qui pecuniam hujusmodi promiserint solvere, vel etiam tenebuntur ad solutionem ipsius, per censuram Ecclesiasticam per vos, vel per alios compellantur.

Cæterum vos & illi quibus verbum hujusmodi commiseritis prædicandum, Rectores Ecclesiarum Regni ejusdem, & prædictarum Civitatum, & Diœcesium, moneatis diligenter, & efficaciter inducatis eos ad id si necesse fuerit per censuram Ecclesiasticam compellendo, ut ipsi, cum Parochianis suis ad audiendum verbum crucis devotè, ac reverenter accedant; & in ipsis prædicationibus vestris ubi expedire videritis harum literarum tenorem legatis, & faciatis legi cùm debita reverentia, & exponi.

Ceterum quia sicut accepimus prædicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus vobis, & aliis per quæstuarios impeditur, nè ipsi negotio impedimentum, vel obstaculum aliquod ingeratur, quæstuariis universis, si qui præsentes fuerint proponendi aliquid Populo, dum à vobis proponitur verbum crucis licentiam pænitùs interdicere procuretis, temeritatem eorum, qui contra præsumpserint, per censuram eamdem appellatione postposita compescendo.

Nè vero os Bovi trituranti claudatur liceat vobis filii Prior, & Minister in eodem officio laborantibus si expedire videritis pro quinque evectionibus, & totidem Personis ad hoc necessariis procurationes recipere moderatas; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compellendo.

Præcipimus autem, ut tam vos, quàm illi quibus hujusmodi officium commiseritis, qui vobiscum authoritate funguntur, ità sitis universi, & singuli in præmissis exequendis solliciti, quod sine dilatione, absque ullo mandato, nec expectet unus alium, exequamini ea fideliter, & prudenter, ità tamen, quod executione hujusmodi alter alterum non impediat, nec perturbet.

Non obstantibus, si aliquibus, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non valeant à Sede Apostolica sit indultum, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seù literis ab eadem sede obtentis, vel obtinendis, per quæ prædicta impediri vel differri possint, & de quibus specialem oporteat in præcedentibus fieri mentionem.

Dat. Lugdun. sexto Kal. Maji, Pontificatus Nostri Anno septimo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

Bulla

ANNO 1252.

Bulla de Negotio Crucis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Centaurien. & Ebaracen. Archiepiscopis, ac Hereforden. Elien. & Danelmen. Episcopis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm Carissimo Filio nostro Regi Angliæ Illustri ad exequendum magnificentius votum crucis, decimam Ecclesiasticorum proventuum Regni Angliæ, ac aliarum Terrarum, quæ sunt ipsius Jurisdictioni subjectæ, de vestro, & aliorum Regni ejusdem assensu duxerimus per triennium concedendam.

Fraternitati vestræ præsentium Authoritate mandamus, quatenus postquàm statutum fuerit ejus Passagium, & juratum, per biennium ante idem passagium, decimam ipsam, nec non redemptionis votorum, legata relicta, seù alio modo concessa in prædictis Regno, & Terris subsidio Terræ Sanctæ à tempore crucis signationis ipsius, dummodo aliis concessa, vel assignata non sint, & alios per vos, quos ad hoc idoneos videritis de consilio ipsius Regis fideliter colligentes, conservetis ipsa in aliquibus tutis locis, assignaturi ea integrè prædicto Regi, cum iter arripuerit transmarinum.

Non obstantibus aliquibus indulgentiis, privilegiis, seù literis in generali, vel speciali ab Apostolica sede obtentis, & quibuslibet aliis, per quæ id impediri, vel differri valeat, & de quibus specialem oporteat præsentibus fieri mentionem, & constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, quatuor, vel tres, aut duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Dat. Lugd. 2. Kal. Maji Pontificatus nostri anno septimo.

VIII. Ex Act. Ang. Rymer. Tom. I. pag. 456.

Quod Fratres Prædicatores equitare possint: anno 1250.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio Regi Angliæ illustri salutem & Apostolicam Benedictionem.

CElsitudinis tuæ precibus benignum impertientes assensum, Fratribus prædicatoribus & Minoribus, quos tecum duxeris ultra mare, equitandi, quotiens à te requisiti fuerint, non obstante contrario statuto suorum ordinum, liberam concedimus facultatem.

Dat. Lugdun. 2. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno septimo.

IX. Ex Act. Angl. Rymer Tom. I. pag. 470.

Bulla de Collectoribus Redemptionum votorum Cruce signatorum: anno 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Burdegaliæ, & Episcopo Vasaten. salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm carissimo in Christo filio nostro Regi Angliæ illustri cruce signato redemptiones votorum cruce signatorum, & obventiones, & legata seu relicta Terræ sanctæ subsidio, in Regno Angliæ, & aliis Terris ejusdem Regis, ad opus Terræ sanctæ duxerimus concedenda, certis super his collectotibus d...... nonnulli Clerici & Laïci locorum ipsorum, quibus similem gratiam, usque ad certas summas, antequam idem Rex ...... feceramus, ultra prædictam summam plurima perceperunt; fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatinus ipsos, quod omnia, quæ ultra easdem summas ex prædictis percepisse noscuntur, vobis ad opus ejusdem Regis cnm integritate restituant, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis.

Non obstante si eis, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint, à sede Apostolica sit indultum; & quavis alia ipsius sedis indulgentia, per quam id impediri seu differri valeat; & de qua, ejusque toto tenore, ac de verbo ad verbum similem oporteat in præsentibus fieri mentionem; & constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali.

Dat. Perusii Non. Martii, Pontificatus nostri anno quarto.

Plumbeo sigillo.

X. Ex Archiv. Angl. Rymer Tom. I. apg. 471.

De decima danda, de Maneriis Episcoporum & Prælatorum Regi Angliæ, in subsidium Terræ Sanctæ: an. 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis, collectoribus decimæ Ecclesiasticorum Proventuum, carissimo in Christo filio nostro Regi Angliæ illustri, concessæ in subsidium Terræ Sanctæ, salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm sicut carissimus in Christo filius Rex Angliæ Illustris sub nobis petitione monstravit, nos sibi usque ad triennium decimam Ecclesiasticorum Proventuum in subsidium Terræ sanctæ in Regno Angliæ, Vallia, Hibernia, & Vasconia, videlicèt in Terra sua duxerimus concedendam. Nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, & alii eorumdem Locorum Prælati concessionem nostram interpretatione voluntaria restringentes asserunt eam extendi ad sua Maneria non debere dictam decimam eidem Regi solvere de iis indebitè denegantes.

Nè igitur Rex præfatus per Interpretationem hujusmodi provisionis nostræ frustretur effectu, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs faciatis eidem dicta interpretatione repulsa de Maneriis eisdem decimam hujusmodi juxtà formam traditam exhiberi.

Datum Perusii Id. Martii Pontificatus nostri anno decimo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

ANNO 1252.

XI. Ex Archiv. Angl. Rymer tom. I. pag. 472.

De Querela facta per Clerum Angliæ de gravibus oppressionibus, Anglis illatis per Curiam Romanam, ratione provisionum &c. anno 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis Regni Angliæ, salutem & Apostolicam Benedictionem.

HAbet Ecclesia Romana humeros communibus oneribus assuetos, & pronos ad sublevanda gravamina singulorum: Habet & animum qui caritatis necessitudine suggerente quibuslibet non afflictionis cogitet consilia, sed medelæ, quam experiuntur assiduè in Apostolicæ sedis uberibus non deesse, qui ejus implorare coguntur in necessitate præsidium diversis laboribus fatigati.

Si qua ergo super iis quæ ab eadem sede pro tempore imponuntur aliquorum tamquam hæc eorum gravent obedientiam, querela submurmurat facile paterna compatitur pietas, & succurrit, quæ tamquam propriis afficitur incommodis proximorum.

Nuper sanè per communes nuncios, quos ad nostram præsentiam destinastis, fuit ex parte vestra propositum coràm Nobis, quod Anglicana Ecclesia in Beneficiorum provisionibus pro alienigenis intolerabiliter per sedem Apostolicam est gravata in ejusdem grave dispendium, & scandalum Anglicorum; cum eædem Provisiones summam quinquaginta millium marcarum annis singulis excedere asserantur, super quo provideri per Apostolicæ sedis clementiam iidem Nuncii vestro nomine supplicarunt.

Novit Deus, conscientiæ nostræ testis, quod quibuslibet ejusdem Ecclesiæ gravaminibus, ut internis cordis nostri visceribus condolemus his maximè, quæ nostris temporibus sunt adjecta; Quia etsi ex merito devotionis qua Romanam Ecclesiam Anglicana semper coluisse recolitur, onera sibi quibuscumque temporibus ingesta nos premant, ipsiusque gemitus ex quibuscumque nobis causis expressi, animam nostram amaritudine compassionis afficiant, tamen quæ nostris noscuntur causam habuisse temporibus gravius nos conturbant.

Sed malitia fratrum nostrorum temporum longam futuris seculis relictura memoriam, & majorem posteris, qui hæc acceperint illatura stuporem, quam percipiat ætas ista sensibus præsentium exercitata malorum, nec non & importunitas plurimorum, aut temporis, aut causæ, aut personæ sivè loci fulta suffragiis, nos ad multa, quæ displicent, nec habere debent consequentiam interdum invitos, interdum parum voluntarios impulserunt, qua ratione perpensa, suis potest mentibus in multis salutem æquanimitas patientiæ suadere.

Quod autem aliquibus Clericis provisionis Apostolicæ gratia in Regno Angliæ prosequentibus, post sumptuosos labores attritis multipliciter, & exhaustis paterna sumus miseratione compassi, eis per aliquod providæ ordinationis, vel decisionis compendium consulendo.

Quod etiam quibusdam quibus provisionis nostræ manus claudi non potuit, pro quibus interdum non solum ipsorum, verùm etiam Ecclesiarum, in quibus eis providendum videtur, interpellat utilitas à principio, ne ipsi damnosa difficilis prosecutionis dispendia patiantur per aliquam præventionis gratiam duximus præcavendum, quod quidem justiorem præstare potest laudi materiam, quam querelæ, cum per hoc, & hominum obvietur malitiis, quod non ambigitur prudentis justitiæ opus esse.

Et non minùs interdum Ecclesiarum, quàm Personarum incommodis occurratur, quod laudabili est circumspectionis consilio ascribendum, compertum est enim per quot malorum incommoda, per quot difficultatum anfractus Clerici hujusmodi distrahantur, quam quam acceptos ipsos efficiat in gratia, & judicio consequendis, aut meritum proprium, aut alienus favor, aut reverentia mandatorum.

Vota igitur vestra vobis super hoc prædictorum nunciorum supplicationibus intimata, in pectoris nostri secreto colligimus diligenti meditationis examine digerenda, & nobis modos, per quos honestè à prædictis provisionum oneribus Anglicana relevari possit Ecclesia recolentibus diligenter, hoc remedium relevationis occurrit, si super eo cum cogitationibus nostris conveniant sensus vestri ut ait.

Aliquorum de Clericis Italicis per sedem Apostolicam in Regno Angliæ beneficia consecutis, prout vobis videbitur usque ad summam octo millia marcarum in bonæ voluntatis patientia provisionibus toleratis (quoniam, nec possumus, nec debemus privare quemquam, sine causa legitima jure suo, qui sumus omnibus injustitiæ contrà injuriam defensores) cogendo cæteros, quibus in eodem Regno, & Apostolicæ Sedis authoritate provisum, ad personalem residentiam in suis beneficiis faciendam, & susceptionem ordinum, sicut beneficia ipsa requirunt, ac privandos eisdem beneficiis residere, aut ordinari contumaciter recusantes, eaque aliis, qui hæc implere velint, & valeant conferendi libera singulis vestrum in suis Diecesibus à sede Apostolica possibilitas, cui nulla obstet obtenta, vel obtinenda indulgentia concedatur.

Nos insuper, qui pluribus hactenùs annis ità cessavimus à beneficiis in Regno Angliæ conferendis, ut ferè nulli, vel paucissimi debeant, aut possint se dolere gravatos, deinceps ab iis nostræ potestatis plenitudinem taliter curabimus continere, quod singuli benignitatem apostolicam sentiant vobis in multa honorificentia detulisse, & nihilominus de prædicta octo millium marcarum summa, si unquam tolerabiliter fieri poterit, adimemus, ut caritati vestræ uberiùs satisfiat.

Nec volumus, aut intendimus, quod hujusmodi octo millium marcarum summa in posterum ad consequentiam detrahatur, ut usque ad eam Anglicana Ecclesia per sedem Apostolicam gravari debeat in provisionibus faciendis, vel manere gravata; sed propositi, ac desiderii nostri esse scitote, ut eadem Ecclesia à provisionibus factis etiam intrà summam eamdem, in qua etiam duximus æquanimiter tolerandas, taliter relevetur; & à faciendis in posterum sic habeatur immunis, quod super iis nulla eidem suppetat ratio gemitus, aut querelæ.

Hoc fiat tempore nostro, prout Vita nobis comes fuerit, & ad hoc præstiterit in rebus humanis dispositio Divina favorem; fiet quoque pleniùs successorum nostrorum Deo dante, temporibus, pro ut illis Deus inspirabit, & pleniorem dabit exequendi hujus propositi facultatem.

ANNO 1252.

Itaque

ANNO 1252.

Itaque si hoc, quod super præmissa supplicatione nostra excogitavit attentio, vobis videatur acceptum, id nobis per vestras communes literas declararetis, ut in effectum congruum animi nostri conceptio, secundum communem approbationis nostræ libitum, proferatur; Et ut super hoc meliùs procedatur, singuli vestrum Clericorum nomina beneficia in suis Diecesibus ea provisione prædictæ sedis obtinentium, & quam summam secundum extimationem communem attingat beneficia singulorum, nobis studeant fideliter intimare.

Datum Assisii undecimo Kal. Junii Pontificatus nostri anno decimo.

XII. Ex Cod. Diplom. Leibnitii p. 240. Mant.

Ad Comitem Pictavensem super tractatu cum Fratre ejus Comite Provinciæ, de transferendo in hunc Regno Siciliæ, tamquam Romanæ Ecclesiæ aperto: an. 1252.

INNOCENTIUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, salutem & Apostolicam Benedictionem.

QUia nonnunquam ardua negotia desiderant longum tractatum, mirari non debes aliquatenus, nec moveri, si tantus tractatus, qui habitus est inter Ecclesiam Romanam & dilectum filium, nobilem virum *Carolum, Comitem Provinciæ fratrem tuum*, super dando sibi Regno Siciliæ, ad eandem Ecclesiam legitime devoluto, non est adhuc, ut desideratur, hinc inde diversis impedimentis emergentibus, consummatus; maximè cùm non referat, quantacunque sit in agendis dilatio, si feliciter terminentur, soleantque cum quodam augmento venire, si protrahantur non malitiosè, sed inevitabiliter concupita. Verum cum nos & fratres nostri diu super hoc diligenti deliberatione præhabita, jam in personam ejusdem comitis, quam ad id præeligimus, concordemus, sperantes firmiter & pro certo tenentes, quod per ipsum, in quem non tam nostra, quàm aliorum fere omnium, quos tangit negotium, vota concurrunt, quique, veluti filius dexteræ, pacis Princeps & matutinus lucifer expectatur, quiescet orbis, tumultuosa quassatio Ecclesiæ tranquillitatem recipiet & prosperabitur, ut ipsamet hæc omnia, sicut toto credimus corde, desiderat negotium terræ sanctæ: Dilectum filium magistrum Albertum notarium nostrum ad tuam & ipsius præsentiam cum pleno mandato consummandi prædictum negotium, & faciendi omnia, quæ ad illud pertinent, de fratrum nostrorum consilio, destinamus; cui tanquam tui & ejusdem Comitis honoris & commodi Zelatori, adhibeas in omnibus, quæ tibi ex parte nostra dixerit, plenam fidem. Rogamus itaque devotionem tuam attentius & hortamur, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatenus considerato clementer quam magnifice, quàm utiliter quamque virtuosè dictus Comes Deo & Ecclesiæ ac toti Christianitati, hujusmodi onus & honorem suscipiendo, deserviet; cum per hoc, summota turbatione Seculi, quam ipsius regni opulentia nutrit, tranquillitas desiderata proveniat, intendatur ad laudem Domini latius & salubriter futuris periculis occurratur, nec præsumatur, quod eum ad id temporalium rerum cupiditas, sed solus Zelus Domini & fervor fidei ac devotionis inducant; præfatum Comitem tua magnificentia moneat & inducat, ut idem regnum, ei & in ipso tibi desideranter oblatum, pro Divina & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia, cum humilitate ac hilaritate recipiat, ut de terreno ad cœleste, ac de temporali corona pervenire, propitiante illo, cujus in hac parte negotium agitur, valeat ad æternam; Sciturus pro certo, quod universa & singula, quæ super his cum eo præfatus notarius ordinabit, adimplebimus & servabimus immutabiliter, sine aliqua diminutione prout per eum fuerint ordinata.

Datum Perusii, Non. Augusti, Pontificatus nostri anno decimo; Sigillatum sub plumbo cum cordula canabis.

ANNO 1255.

I. ADDENDA pag. 53 Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 553.

Ad Henricum Angliæ Regem quod præstet juramentum fidelitatis Romanæ Ecclesiæ nomine Edmundi Filii sui pro Regno Siciliæ: anno 1255.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Angliæ, Salutem & Apostolicam benedictionem.

CUm Nos Regnum Siciliæ, & totam terram, quæ est citra Farum, usque ad confinia Terrarum Ecclesiæ Romanæ carissimo in Christo Filio, nostro Edmundo illustri Regi Siciliæ, nato tuo duxerimus concedenda, prout in Apostolico Privilegio confecto exinde pleniùs continetur.

Ac inter alia in eodem Privilegio habeatur expressè quod tu, ipsius Edmundi nomine, nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, pro præfatis Regno, & Terra, juramentum Fidelitatis sub forma in ipso Privilegio contenta præstabis.

Et in manibus illius, quem ad hoc specialiter mittimus, nobis & ipsi Ecclesiæ pro eodem Edmundo ligium homagium facies.

Ac formam juramenti hujusmodi seriatim per tuas Patentes literas sub tuo sigillo & ipsius Edmundi Bulla aurea nobis mittes.

Nosque Venerabilem Fratrem Nostrum Bononien. Episcopum propter hoc, & pro recipiendis obligationibus, & pro universis aliis, quæ in præfato privilegio declarantur ad te specialiter destinemus.

Serenitatem tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus hujusmodi Juramentum Fidelitatis nobis, & successoribus nostris, ac Romanæ Ecclesiæ præstes.

Et in ejusdem Episcopi manibus Nobis, & prædictæ Ecclesiæ pro ipso Edmundo ligium homagium facias.

Ac formam Juramenti hujusmodi seriatim per tuas patentes literas nobis sub tuo sigillo, & prædicti Edmundi aurea Bulla transmittas. Dat. Neapoli ipsi. Kal. Junii Pontificatus nostri, anno primo.

Plumbeo sigillo pendente à filo canabeo.

Anno 1255.

II. Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. I. Pag. 893.

Conditiones sub quibus Siciliæ Regnum conceditur Edmundo Filio Henrici Regis Angliæ: anno 1255.

ALEXANDER QUARTUS,

Carissimo in Christo Filio Edmundo Illustri Regi Siciliæ &c. salutem & Apostolicam Benedictionem.

ASsueta Sedis Apostolicæ circumspectio habens in sua liberalitate Providentiæ studium, attentè propensat quibus dexteram aperiat largitatis ut ampliori erga illos munificentia exuberet, qui potioribus circa eam fulgere meritis dignoscuntur. Undè quia semper inclitum genus tuum puritate Fidei, devotionis sinceritate sedulique prosequutione servitii erga Romanam Ecclesiam matrem suam excellenter effulsit. Idcirca ipsa, quæ prompta in gratia, in dono benivola, copiosa in præmio, & in retributione magnifica invenitur, majoribus genus ipsum cupit ampliare beneficiis, & altioribus honoribus sublimare, ut quanto abundantiùs de materni dulcedine uberis auxerit, tanto in ipsius matris beneplacitis vehementiùs delectetur.

Sanè dilectus Filius Magister Albertus Notarius Noster Apostolicæ sedis legatus Tibi, & hæredibus tuis, sicut ex parte tua nobis relatum extitit Regnum Siciliæ, ac totam terram, quæ est citra Farum, usque ad confinia Terrarum Ecclesiæ Romanæ, cum omnibus juribus honoribus, districtibus, & pertinentiis suis (excepta civitate Beneventana cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis) in Feudum de speciali Authoritate, ac mandato Felicis recordationis Innocentii Papæ quarti Prædecessoris nostri concessit, salvis libertatibus, & immunitatibus Ecclesiarum prædictorum Regni, & Terræ tàm in electionibus, quàm in aliis spectantibus ad eadem.

Idem verò Prædecessor ut asseris concessionem hujusmodi supplendo defectum, si quis in ea fuerat de plenitudine Potestatis, Authoritate Apostolica confirmavit tibi, Regnum, & Terram præfata in Feudum de novo concedens, proùt in ipsius literis pleniùs dicitur contineri.

Nos itaque tuis supplicationibus inclinati concessionem, & confirmationem hujusmodi sub conditionibus infra scriptis ratas, & gratas habentes, ipsas de Fratrum nostrorum approbamus consilio, & assensu, & sub eisdem conditionibus illas Authoritate Apostolica innovantes, Regnum, & Terram prædicta, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis de Fratrum ipsorum Consensu, tibi, & hæredibus tuis utriusque sexus in Feudum sub eisdem conditionibus perpetuo concedimus, & etiam confirmamus.

Conditiones autem sunt istæ quod tu, & hæredes tui Regnum, & Terram præfata nullatenùs dividetis, sed semper illa unus tantùm, sub ipsis conditionibus immediatè, ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit, & tàm tu, quàm ipsi hæredes nobis, & successoribus Nostris canonicè intrantibus, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatis præstabitis sacramentum, & ligium homagium facietis secundum formam inferiùs annotatam, & singulis ipsis successoribus, & eidem Romanæ Ecclesiæ renovabitis, tàm ipsum homagium, quàm hujusmodi sacramentum.

Quolibet verò Anno in Festo Beat. Petri, & Pauli Apostolorum, vel infrà ipsius Festi octavas, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, tu, tuique hæredes pro prædictis Regno, & Terra, duo millia unciarum boni, & puri Auri de Tarenis ad pondus Romanum censûs nomine Romanæ Ecclesiæ persolvetis.

Quandocumque autem Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit asseruerit Ecclesiam indigere, tu, & hæredes tui pro præfatis Regno, & Terra requisiti ab eo ad urbem in Patrimonium Beati Petri & Ecclesiæ, in Ducatum Spoletanum, in Marchiam Anconitanam, & in omnes alias Terras Ecclesiæ per Italiam trecentos Milites, Equis, & Armis benè, & decenter paratos, & munitos, in obsequium, & subsidium ipsius Ecclesiæ transmittetis per tres menses integros in vestris sumptibus, & stipendiis semel tamen in Anno in servitio ejusdem Ecclesiæ moraturos, mensibus ipsis à die quo iidem Milites dictum Regnum egressi fuerint, per vulgares dietas, & solitas computandis.

Omnes quoque Ecclesiæ de Regno, & Terra prædictis, tàm cathedrales, quàm aliæ regulares, & seculares, nec non & universæ Ecclesiasticæ Personæ illis libertatibus, & immunitatibus omnino gaudebunt, quæ ipsis competunt secundum canonicas sanctiones; ità quod circa easdem Ecclesias, & Personas, tàm in faciendis provisionibus, & electionibus confirmandis, quàm omibus aliis Romanus Pontifex, & Romana Ecclesia Jurisdictionem, & Authoritatem omnimodam liberè exercebunt, salvo tibi, tuisque hæredibus Jure patronatus, si quod Reges Siciliæ, seù ejusdem Regni, & Terræ Domini hactenùs in aliqua vel aliquibus Ecclesiarum ipsarum consueverunt habere; in tantùm tamen in quantum Ecclesiarum Patronis in hac parte canonica instituta concedunt.

Universæ insuper Ecclesiæ de præfatis Regno, & Terra tàm regulares, quàm seculares de plano ad omnia bona immobilia ipsis ablata, seù occupata ab aliis in quorum possessione ipsas fuisse constabit restituentur ad plenum, super aliis verò de quorum possessione non statim constare poterit fiet eis absque difficultate, ac dilatione justitiæ complementum.

Porro tu, & singuli Hæredes tui nobis, & singulis successoribus nostris, & Ecclesiæ Romanæ, quando Juramentum præstabitis fidelitatis, jurabitis, vos ad hæc specialiter obligatos, quod numquam per vos, vel per alios, seù quocumque modo procurabitis, ut in Regem, vel Imperatorem eligamini Romanorum, & si electionem ad Imperium de vobis celebrari contigerit, nullum hujusmodi electioni assensum præstabitis, nec intromittetis vos de Regimine Imperii ullo modo. Quod si tu, vel aliqui hæredum ipsorum studentibus, vel procurantibus vobis ad Imperium electi fueritis, & præbueritis assensum electioni taliter factæ de vobis, si hoc verum, & manifestum fuerit, vel si post talem electionem, & consensum de Imperii Regimine vos manifestè intromiseritis, eo ipso à Jure prædictorum Regni, & Terræ cadatis ex toto, ipsaque pænitus amittatis. Si autem electioni factæ non procurantibus aut etiam procurantibus vobis consenseritis, & ut huic electioni, vel Juri renuntietis omninò, & quod de Imperio vos nequaquam intromittatis admoniti infrà quatuor mensium spatium, post monitionem hujusmodi tali Juri non renuncia-

veritis

ANNO 1255.

veritis, vel de ipso Imperio vos intromiseritis quoquo modo ex hoc ipso suis præmissis Regno, & terra, & eorum prorsùs Jure privati: si verò ad te vel ipsos hæredes non poterit commode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicèt, quod moneri commodè non possitis, credetur, & stabitur assertioni Romani Pontificis, sive dicto, sufficiet pro ea publica super hoc ipsius Romani Pontificis monitio, & solemnis, ita quod si infra sex Menses post illam non renunciaveritis, vel de Imperio vos quomodolibet intromiseritis, ex hoc ab omni Jure prædictorum Regni, & Terræ cadatis, cæterum si contigerit aliquem de tuis hæredibus, qui deberet in Regno, & Terra prædictis de Jure succedere in Romanorum Imperatorem eligi, vel assumi nullatenùs possessionem eorumdem Regni & Terræ nanciscatur, vel habeat, nec se de illorum cura, Dominio, vel Regimine per se, vel per alios aliquatenùs intromittat, nisi priùs Imperio, & omni Juri sibi competenti in illo prorsùs renuntiet, & ipsius Imperii regimen nec de Jure illud, nec de facto gerens, vel retinens, omnino dimittat, nullo umquam ipsum tempore resumpturus: alioquin cadat ab omni successione, ac jure, quæ in eisdem Regno, & Terra sibi competeret ipso facto, ita quod Regnum, & Terra præfata ad Romanam Ecclesiam, ejusque dispositionem plenè, & libere devolvantur.

Si autem tu, aut aliquis tuorum hæredum contra hæc veneritis, sitis eo ipso excommunicationis sententia, quam ex nunc profe.imus innodati, & insuper resperfi, & notati labe, ac reatu perjurii maneatis, cum nostra perpetua, & firma voluntas existat, ut numquam Regnum Siciliæ uniatur, vel jungatur Imperio, videlicèt, quod unus, & idem, & Romanorum Imperator, & Siciliæ Rex existat.

Civitatem quoque Beneventanam cum omnibus libertatibus, immunitatibus, privilegiis, tenimentis, districtibus, Juribus, & pertinentiis suis Romana semper habebit, sibique retinebit Ecclesia, & tu, tuique hæredes ad ipsius reædificationem & reparationem exhibebitis vos favorabiles, benevolos, & benignos, & nullum in hoc prorsùs impedimentum præstabitis, aut obstaculum opponetis, incolis etiam ejusdem civitatis, & totius sui districtus per te, ac hæredes ipsos fidantiæ remittentur, & renovabitis insuper eis privilegia, cum super hoc ab Ecclesia, vel ab ipsis fueritis requisiti, & in cunctis suis libertatibus & immunitatibus eadem plenè conservabitur civitas; Ità quod Beneventani per totum Siciliæ Regnum liberè ire, morari valeant, & redire, ac negociationes, & mercimonia exercere, nec eis aliqua specialis servitus imponetur. Sylvas etiam lapides Arenam, seù Puteolanam aliaque materialia, & quæque necessaria ad reparationem civitatis ejusdem, tu, tuique hæredes, ut citiùs, & commodiùs reparari valeat liberaliter exponetis.

Universi autem comites, Barones, & Nobiles, ac omnes civitates, & specialiter Neapolitan. & Capuan. cunctaque Castra, Villæ, ac alia loca de Regno, & Terra prædictis, & omnes omninò Regnicolæ per te, tuosque hæredes in bono regentur statu, ipsisque boni usus, jura, & bonæ consuetudines servabuntur.

Centum millia verò librarum, quæ præfatus prædecessor tibi ad prosecutionem Negotii ejusdem Regni concedere, vel mutuare promisit, ut dicitur, Nobis, & Ecclesiæ Romanæ, tuo, & hæredum tuorum Nomine omnino dimittes, faciendo pactum, & sufficientem Cautelam de illis a te, vel ipsis hæredibus ulterius non petendis.

Verùm Cariſſimus in Christo filius noster Illustris Rex Angliæ Pater tuus tuo nomine nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ pro præfatis Regno, & Terra juramentum fidelitatis sub forma inferiùs contenta præstabit, & in manibus illius, quem ad hoc specialiter destinamus, nobis, & ipsi Ecclesiæ pro te ligium homagium faciet, & formam Juramenti hujusmodi firmatam per suas Patentes literas sub suo sigillo, & tua Bulla aurea nobis mittet: Tu verò cum ad ætatem quindecim annorum perveneris, Juramentum, & homagium hujusmodi personaliter renovabis; forma autem juramenti hæc est.

Ego plenum, & ligium Vassalagium faciens Ecclesiæ Romanæ pro Regno Siciliæ, & tota terra, quæ est citra farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta civitate Beneventana, cum ipsius Juribus, & pertinentiis universis ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, & Domino meo Papæ Alexandro, suisque successoribus canonicè intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; non ero in consilio aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione; Consilium verò quod mihi crediturі sunt per se, aut per nuncios suos, sive per literas ad eorum damnum me sciente nemini pandam, & si scivero fieri, vel procurari, seù tractari aliquid, quod sit ad ipsorum damnum, illud pro posse meo impediam, & si impedire non possem, illud eis significare curabo; Papatum Romanum, & Regalia S. Petri tàm in Regno Siciliæ, quàm alibi existentia adjutor eis ero ad retinendum; & defendendum, & recuperandum, & recuperata manutenendum contrà omnem hominem, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

In optione quoque, & beneplacito erit Romanæ Ecclesiæ vel te, & hæredes tuos vocare ad præstandum, & faciendum personaliter sacramentum fidelitatis, & ligium homagium Romano Pontifici, & eidem Ecclesiæ, dummodo ad hoc tibi, & hæredibus ipsis tutum locum statuant, & assignent, vel aliquem Cardinalem ipsius Ecclesiæ, seù alium, qui vice Romani Pontificis Sacramentum juxtà formam quæ superius est expressa, & homagium recipiat destinare.

Cæterum donationes, concessiones, confirmationes, & privilegia à prædicto prædecessore, vel à nobis cum subscriptionibus fratrum nostrorum facta dilectis Filiis Nobilibus Viris Bertoldo, Oddoni, & Ludovico Fratribus Marchionibus de Houmbourch, firma ipsis, integra, & illibata manebunt, iidemque tenebuntur in bono statu, & eis concessa sibi libertates, gratiæ, cæteraque alia servabuntur, ac omnia donata, confirmata, & concessa eis à sede Apostolica per te confirmabuntur ipsis, & de novo etiam per tua Privilegia concedentur, ac privilegiorum Apostolicorum quæ super his habent, confirmatio eis, & de verbo ad verbum renovatio per te fiet.

Recti autem redditus horum omnium (exceptis senescalcia ejusdem Regni, & ipsius senescalciæ redditibus in Apostolico privilegio expressis, ac mille quingentis unciis auri annuis eidem Bertoldo Marchioni quoad vixerit concessis) summam, seu valentiam quatuor

millium

ANNO 1255.

millium unciarum auri annis singulis non transcendant.

Nolumus tamen si forte de iis tanta summa prædictis Marchionibus non proveniat annuatim, quod occasione hujus expressionis possint aliquid petere, ultra donata, & confirmata hujusmodi: vel concessa, pro quibus si quidam tibi, & hæredibus tuis ad servitia in Apostolicis expressa privilegiis teneantur eisdem etiam Marchionibus de damnis, de quibus ipsis satisfacere promisimus, nos ad hoc, & Romanam Ecclesiam obligantes, satisfactionem ad quam te obligabis impendes.

De donationibus verò, & concessionibus ab eodem prædecessore, vel à nobis de fratrum nostrorum consilio factis dilecto filio nobili Viro Comiti Casectan. simile per te fiet, & servabitur, ità tamen, quod redditus ex iis provenientes, duarum millium unciarum auri annuatim valentiam non excedant.

Sanè prædictus Rex Angliæ Pater, & dilectus filius nobilis Vir Oodouardus frater tui, ac plures de Proceribus, & consiliariis ipsorum, & tuis jurabunt, quod procurabunt pro posse, ac bona fide laborabunt, & facient, quod postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, juramentum fidelitatis pro prædicto Regno, & terra Roman. Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ præstabis, ac propter hoc ligium, & homagium facies, & jurabis, & servabis quæcumque supra circa Articulos de Imperio continentur, & omnia promissa, prout scripta sunt superiùs, & expressa concedes, & approbabis, & acceptationem eorum, ac promissionem de servandis iis omnibus renovabis. Et præfatus insuper Rex pater tuus tuo nomine, ac tu etiam modo super horum omnium approbatione, acceptatione, concessione, ac promissione de ipsis servandis, de recognitione, quod Regnum, & terram prædicta sub præfatis condictionibus recipitis, & tenetis à Romana Ecclesia facietis, & concedetis nobis, & ipsi Ecclesiæ privilegia, & tu cum ad prædictam quindecim annorum ætatem veneris, similia super hiis privilegia iterato, & de novo concedes. Etsi forte quod absit, infra eamdem ætatem decesseris, hæres tuus hæc omnia, si minor quindecim annis extiterit similiter faciet. Si verò major, vel quindecim annorum fuerit infra sex menses post decessum tuum, ista peraget, & complebit; quia quæ in iis, circa te suprà, & infrà dicimus, circa tuum etiam hæredem intendimus, & volumus esse dicta. Quod si per eumdem Regem Patrem tuum tuo nomine, ac per te omnia, & singula supradicta approbata, concessa, & acceptata, & Privilegia super his facta, & per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Cantaurien. & Hereforden. ac Elien. Episcopos, & dilectos Filios Abbatem Vestmonasterii, Joannem Mansel Præpositum Bedeuacen. ac Nobiles Viros Rodulphum filium Nicolai, Bertrandum de Olivel, & Rogerium de Torquelin, vel aliquos ex eis, aliis nequeuntibus, vel nolentibus interesse, ordinata, & stabilita, & per eundem Regem, & te admissa, & recepta sub illorum, & ipsius Regis ac tuo sigillis infra Kal. Decembris proximo venturas non fuerint supradictæ approbatio, innovatio, concessio, & confirmatio, quas tibi & hæredibus suis sub præmissis conditionibus facimus, nullius penitùs sint valoris, sed vacuæ prorsùs, & inanes existant, ità quod tibi, & hæredibus tuis in præfatis Regno, & terra nullum omnino jus tribuant, nullumque afferant commodum vel effectum, salvo tibi, & hæredibus ipsis omni Jure, sibi quod tibi, & eis competit ratione præfatæ concessionis de Authoritate, ac mandato prædecessoris à memorato Notario, & etiam ratione prædictarum confirmationis, & concessionis ab eodem prædecessore nostro factam tibi, & ipsis hæredibus, sicut dicis, ac salvis etiam nobis, & Ecclesiæ Romanæ omni Jure, ac defensione, quæ nobis, & ipsi Ecclesiæ competunt contrà illas. Prædictos enim Archiepiscopum, Episcopum clien. Abbatem Rodulphum, Bertrandum, & Rogerium loco dilecti filii nostri D. Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, & dilecti filii Electi Lugdunen. Præfati Magistri Alberti Notarii nostri, & Nobilium Virorum Thomæ de Sabaudia Comitis Petri de Sabaudia, & quondam Petri Cavepore Archidiaconi Villen. quia istorum, & prædictorum Episcopi Hereforden. & Joannis Mansel arbitrium in opponendis in hoc negotio conditionibus dictus Rex Pater tuus olim tuo nomine acceptavit, duximus de assensu ipsius Hereforden. tui, & ejusdem Regis Procuratoris, & Nuntii subrogandos pro eo quod prædictus Petrus Cavepore erat jàm mortuus, & reliqui propter nimiam distantiam non possent commode, vel facilè infrà Kal. ipsas in Anglia convenire.

Si autem cum ad jam dictam ætatem quindecim annorum perveneris, & sacramentum fidelitatis Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ non exhibueris, & ligium eis homagium non feceris, & non juraveris ea quæ circa capitula de Imperio superiùs sunt expressa, & præmissa omnia de novo non acceptaveris, & concesseris, & privilegia super iis non renovaveris, vel non feceris iterato post quàm requisitus de iis per sedem Apostolicam fueris, & post requisitionem hujusmodi per sex mensium spatium expectatus eo ipso ab omni Jure prædictorum Regni & Terræ cadas totaliter, & penitùs illa perdas.

Sub præfatis igitur conditionibus eundem Hereforden. Episcopum, Nuntium, & Procuratorem tuum tuo nomine de Regno, & terra prædictis per annulum de consilio, & assensu fratrum nostrorum investivimus, quem in signum hujus investituræ tibi duximus destinandum, possessionem prædictorum regni, & terræ sub eisdem condictionibus procuratores assignantes eidem, & ab ipso postmodum recipientes tuo nomine possessionem eamdem, quam utique pro te interim retinemus, ut cum per eundem Regem Patrem tuum tuo nomine, ac per te præmissa acceptata, & approbata fuerint, & per præfatos Archiepiscopum, & alios ordinata, & stabilita, secundum modum superiùs declaratum, & postquam etiam ea, quæ de expensis, & aliis inferiùs dicuntur, & experimuntur adimpleta extiterint, eadem Possessio ad te, tuosque hæredes liberè revertatur.

Verum postquam ad ætatem quindecim annorum perveneris, & prædictis assenseris, ipsaque acceptaveris, si ante nihilominus per Regem prædictum, & te approbata, & per nominatum Archiepiscopum, & alios ordinata, & firmata ut præmissum est fuerint, Romana Ecclesia tibi, & hæredibus tuis si per vos de hoc extiterit requisita, concessionem de præfatis Regno, & terra de novo faciet sub condictionibus antedictis, illæ tamen, quæ poterunt interim totaliter, & finaliter adimpleri de ipsis fuerit medio tempore plenariè satisfactum, ità quod prò eis nihil ampliùs exigi possit, vel debeat in futurum minimè inferentur.

ANNO 1255.

Denique

ANNO 1255.

Denique nominatus Rex pater tuus omnes expenſas ab Eccleſia pro negotio d. Regni Siciliæ factas hactenùs, quæ aſcendunt usque ad ſumam centum, & triginta quinque millium, & quingentarum, & quadraginta, & unius Marcarum bonorum, novorum, & legalium Sterlingorum, in qua utique ſumma viginti millia Marcarum Sterlingorum ſimilium nobis, & fratribus noſtris ex liberalitate oblata regia includuntur plenè reſtituet & perſolvet, ac inſuper de damnis, expenſis, & intereſſe, ac aliis, quæ hac occaſione intervenient plenam ſatisfactionem impendet. Hujus autem ſummæ ſolutio ità fiet videlicet, quod idem Rex decem millia Marcarum de prædictis viginti millibus usque ad feſtum Nativitatis Dominicæ proximo venturum; Alia verò decem millia poſtmodum uſque ad ſequens feſtum S. Michaelis nobis, & eisdem fratribus exhibebit, & ſi forte in ipſo feſto S. Michaelis dictus Rex deputabit, & ſtatuet aliquos idoneos, & ſufficientes Mercatores acceptos nobis, qui pro prædictis reſiduis, & ultimis decem millibus ſe nobis, & eisdem fratribus obligent, & principales in iis conſtituant debitores, iidem Mercatores, ſi voluerint dilationem uſque ad aliud Feſtum Dominicæ Nativitatis primo ſequens poſt idem Feſtum S. Michaelis pro prædictis reſiduis, & ultimis decem millibus perſolvendis habebunt. Totam verò aliam ſummam expenſarum factarum Rex ipſe infrà annum computandum à Feſto Beati Michaelis proximo futuro perſolvet integrè vel concedet, ſeù deputabit Mercatores ſufficientes, & idoneos, ſcilicet Senen. vel Florentin. ſeù Bononien. vel alios de Italiæ partibus Eccleſiæ Romanæ devotos, ità quod ipſis contenti ſimus, qui ſe ſufficienter, & ſpecialiter obligabunt ad ſolvendum hujusmodi ſummam infra terminum ipſum Nobis, & Eccleſiæ Romanæ, vel illis, quibus mandaverimus eam ſolvi, & ſe in eadem ſumma Nobis, & ipſi Eccleſiæ debitores conſtituent principales.

Reſervamus autem Nobis, & in noſtra voluntate, ac poteſtate remanet dicere, pronuntiare, vel proferre in ſcriptis, vel ſine ſcriptis de conſilio, vel ſine conſilio fratrum noſtrorum prædicto Rege, & te, ac alio etiam quocunque cujus forſitan intereſſet, nequaquam vocatis, & absque omni juris ſolemnitate ſupra dictas approbationem, innovationem, conceſſionem, & confirmationem, quas tibi, & hæredibus tuis, ſub condictionibus facimus ſupraſcriptis vacuas omnino eſſe, nullumque robur, vel valorem habere, aut revocare, caſſare, & irritare ipſas, & caſſas, & irritas nuntiare, ſi præfatus Rex dicta ultima decem millia Marcarum, ſaltem in his ultimis Terminis non perſolverit, ſi forte ipſa omiſerit ſolvere in primo Termino, eorum ſolutioni præfixo ità quod poſt hujusmodi pronuntiationem, ſeù irritationem noſtram, vel dictum præfatæ approbatio, innovatio, conceſſio, & confirmatio nullius ſint, vel habeantur efficaciæ, vel momenti ſalvo tibi, & tuis hæredibus jure ſi quod vobis competit ratione conceſſionis à ſupradicto Notario, & obtentu confirmationis, & conceſſionis à præfato prædeceſſore factarum tibi, & ipſis hæredibus, ſicut dicis, omni jure, ac defenſione, quæ nobis, & Eccleſiæ contrà tales conceſſiones, & confirmationem competunt, ſalvis ſemper manentibus, & illæſis.

Idem autem Rex veniet, vel transmittet Capitaneum cum militia competenti, ſecundum negotii qualitatem, quod ſi non venerit, nec taliter miſerit in prædicto termino videlicet usque ad annum computandum à Feſto beati Michaelis proximo futuro, in noſtro reſervamus beneplacito, ſine approbatione, innovatione, conceſſione, & confirmatione prædictis ſimili modo procedere, & proferre, nequaquam tamen veniat, vel mittat, nec prædictum Regnum Siciliæ, nec poſſeſſionem ipſius recipiat, niſi prius de præfatis tota ſumma, & viginti millibus marcarum, juxta præſcriptum modum ſatisfecerit infra terminos videlicet ſupra dictos, quod ſi venerit, vel miſerit, ſatisfactione primitùs de iis omnibus plene facta prædictæ approbatio, innovatio, conceſſio, & confirmatio habeant firmitatem, dictu[m]que tuo nomine recipiat Regnum, & poſſeſſionem ejusdem, dummodo, & alia omnia, & ſingula ſupra ſcripta approbata conceſſa, & acceptata, ordinata, & ſtabilita infrà præfatum ad hoc terminum priùs extiterint, ſicut ſuperiùs plenius eſt expreſſum, & memoratus Odouardus frater tuus, ipſius Regis primogenitus, primo fecerit, quod ab eo faciendum erit, ut inferiùs continetur.

Si verò Rex ipſe ante confirmationem ejusdem negotii debitum, quod abſit, carnis perſolverit, prædictus Odouardus dictum negotium efficaciter proſequetur, & idem Rex procurabit, & faciet, quod præfatus Odouardus ſe ad id ſpecialiter obligabit. Quod ſi ad hoc ſe non obligaverit, & non fecerit in hac parte, ea quæ ſuper iis facere Rex ipſe deberet, ut ſupra narratur, in noſtra remanet poteſtate pronunciare ſuper approbatione, & aliis prædictis, ſicut ſuperius eſt præmiſſum. Et nihilominùs ſi præfatus Rex, præmiſſa omnia non ſolverit, vel de illis non ſatisfecerit, ut dictum eſt ſuprà, vel ſi non venerit, nec miſerit, aut ſi idem Odouardus prædicta non fecerit, ipſe Rex, & ejus hæredes ſuper pecunia quam ſupra dictus Epiſcopus Hereforden. Procurator, & Nuntius ſuus mutuo ejus recepit nomine, & pro negotii proſecutione perſolvit: & ſuper pecunia etiam, quam deinceps idem Rex pro eodem exhibebit negotio nullam contra Nos, & Eccleſiam, ſeu quemquam alium repetitionem habebunt, nec aliquam actionem, ſed ex toto illas amittent, eritque dictus Rex eo ipſo excommunicationis vinculo innodatus, & totum Angliæ Regnum Eccleſiaſtico ſuppoſitum interdicto. Miniſtrabit quoque dictus Rex pro poſſe ſuo ex nunc Eccleſiæ ad proſequendum idem negotium expenſas faciendas usque ad præmiſſum terminum, ſcilicet usque ad annum à Feſto S. Michaelis Archangeli proximo venturo, & ad id ſe, filios, ac hæredes ſuos, nec non & Regnum Angliæ, & omnia alia bona ſua ſpecialiter obligabit, & ſi ultra id, quod ipſi miniſtraverit Eccleſia, ſumptus aliquos vel expenſas in acquiſitione, vel conſervatione Regni Siciliæ vel terrarum ipſius fecerit pro hujusmodi ſumptibus, & expenſis terram monaſterii Caſinen. terram Laboris terram Principatus Baſilicatam, & terram Beneventan. liberè, ac pacifice ipſa tenebit Eccleſia pignori obligatas; Nec idem Rex, neque tu Eccleſiam ipſam (ſuper iis Terris) moleſtabitis aliquatenus, vel turbabitis, donec de hujusmodi ſumptibus, & expenſis fuerit eidem Eccleſiæ ab ipſo Rege, vel à te plenariè ſatisfactum. Et ſi Eccleſia ipſa ultrà fructus, & proventus, quos de prædictis Terris percipiet aliquos ſumptus fecerit in tenendis, & defendendis, & conſervandis eisdem ipſas propter hoc etiam tenebit quousque plenè ſibi de talibus ſumptibus ſatisfiet, & nihilominus idem

Rex

ANNO 1255.

Rex se ad restituendum Ecclesiæ istos sumptus, quos ipsa pro acquisitione, & conservatione Regni, & pro tenendis, & defendendis prædictis terris faciet sufficienter, & specialiter obligabit se, suumque Regnum, ejus terras nostræ, ac sedis Apostolicæ Jurisdictioni quoad hæc totaliter supponendo.

Proventus verò, ac obventiones qui de præfato Regno Siciliæ medio tempore ad manus Ecclesiæ pervenient tibi vel cui volueris deductis ex inde necessariis expensis integrè persolventur. Sed super quantitate, seù valore horum proventuum & obventionum, ac etiam fructuum & proventuum dictarum terrarum soli dicto nostro stabitur, & adhibebitur firma fides, nec exigetur, vel requiretur super hoc alia certitudo.

Cæterum reservamus Nobis quod prout utilitas, & necessitas exegerit, donationes, & concessiones in Regno aliquibus de ipso, de quibus expedire viderimus conscio eo, qui pro prædicto Rege, vel pro te apud sedem Apostolicam, vel in Regno ipso remanserit, facere interim valeamus.

Porro si cum Manfredo quondam Principe Tarentin. & aliis Emulis, & Hostibus ipsius Regni aliquam compositionem vel concordiam, seù conventionem fecerimus tibi nihilominus, & tuis hæredibus Jus, in eodem Regno Siciliæ remaneat semper salvum, nec per compositionem concordiam, & conventionem hujusmodi Juri tuo aliquatenus derogetur.

Hæc autem omnia, & singula placuerunt præfato Episcopo Hereforden. tuo, & ipsius Regis Nuntio, & Procuratori, & in his plena, & stabili voluntate consensit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, concessionis, & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Locus Monagrammatis.

Sanctus Sanctus
Petrus Paulus
Alexander
Papa IIII.

Domine servum tuum in Bonum suscipe.

Ego ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Stephanus Prænestinus Episcopus.

Ego frater Johannes tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.

Ego frater Hugo tituli Sanctæ Sabinæ Presbiter Cardinalis.

Ego Ricardus sancti Angeli Diacon. Cardinalis.

Ego Octavianus Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego Willielmus Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis.

Dat. Neapoli per manum Guillielmi Magistri Scolarum Parmen. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Viccecancellarii, quinto idus Aprilis, indictione decima, tertia incarnationis Dominicæ Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ quarti Anno Primo.

Sub filis Sericis flavi rubeique coloris.

ANNO 1257.

III. Ex Anecd. Martene Tom. I. col. 1086.

Ad Magistrum Generalem, Prioresque Ordinis Prædicatorum; quod dati in socios quibusdam Prælatis possint corrigi, & ad ordinem revocari: anno 1257.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Prioribus provincialibus, eorumque Vicariis Ordinis Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem.

Sacræ Religionis vestræ fama clarissima est ab universis, & singulis ipsam profitentibus mente vigili conservanda, sed ab illis potissimè, quos pro causis legitimis oportet aliquando se de suis conventibus sicut obedientiæ virtus exigit absentare. Sanè nonnulli ex fratribus ordinis vestri, qui venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis quandòque in sociis deputantur, illa, prout accepimus, præsumunt sæpè committere, quæ in ejusdem ordinis scandalum, & in suarum vergunt periculum animarum. Cùm itaque super hæc per sedem Apostolicam deceat salubriter provideri, nos devotioni vestræ, præsentium auctoritate concedimus, ut singuli vestram illos ex Fratribus eisdem, de quibus auctoritate literarum sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus dictis Archiepiscopis, vel Episcopis, vel quibuscunque aliis est provisum, aut contigerit in posterum provideri, corrigere, ac etiam, non obstante conditione aliqua possint ad eundem ordinem revocare. Monemus tamen vos, & hortamur, quod si postmodum iidem Archiepiscopi, & Episcopi apud vos, vel aliquem vestrum pro habendis in societate ipsorum aliis idoneis fratribus duxerint insistendum, eorum in hac parte desiderio annuatis, dummodò id vobis conveniens, & expediens videatur. Ceterum per literas Apostolicas jam obtentas, vel in posterum obtinendas, quæ de præsentibus plenam, & expressam non fecerint mentionem, nullos de fratribus ipsius ordinis præfatis Archiepiscopis, & Episcopis in socios teneamini deputare, nisi hoc honestati ordinis, & illorum saluti videritis expedire.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem &c.

Datum Viterbii 5. Idus Junii Pontificatus nostri anno tertio.

IV. Ex Arch. Angl. Rymer Tom. I. pag. 716.

Edwardo Primogenito Regis Angliæ invasionibus Tartarorum resistendi potestatem largitur: anno 1260.

ALEXANDER QUARTUS,

Dilecto filio, Nobilo Viro Edvvardo primogenito carissimi in Christo filii nostri, Regis Angliæ illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

Clamat in auribus omnium, eosque, quos animorum torpor non hebetat in attentionis vigilantiam excitat horrendi præconii tuba terribilis, quæ fide rerum attestantium invalescens adeò certo sono generalis

cladis

cladis bella prænunciat, quibus flagellum iræ cœlestis in manu immanium Tartarorum, quasi ex abditis erumpentium inferi finibus premit, & conterit orbem terræ, ut jam non oporteat Populum Christianum ad cognoscenda hæc, quasi adhùc ambigua, certiori relatu aures arrigere; Sed eum, ut ingruenti, & publicè festinanti providè occurrat periculo admonere.

Cum enim iidem Tartari dicentes, quod totam Terram eis obtinendam tradidit Deus cœli, quem utique non noverunt, jam omnibus orientis Partibus occupatis, & populis conculcatis, jàm Saracenorum duritia, quæ multorum temporum Bella tulit extrema pene desolatione concussa, jam Principali eorum Civitate Baldach, Damasco, atque Alapia, cum plurimis aliis famosis eorumdem Regionibus captis hostiliter, & eversis, nec non, & Calipho Infidelitatis ipsorum Principe, ac maximè Populi ejus multitudine postquam eos, ut dicitur in deditionem receperant interemptis ad Regni Jerlimitan. fines pervenerint, eosque impetant invadendos Christiano Regno Armeniæ, Antiochia, & Tripoli, famosis Christianorum urbibus, proh pudor! suo nomine subjugatis, cumque à Parte septentrionali, per Ungariam, atque Poloniam, Imperio Romano conterminas, ubi, proh dolor! non parum Christiani sanguinis profuderunt, valida in populis illarum partium cæde bachati hostilem attentent aditum in Europam, ubi fortia Christiani capita conterere cogitant, & Regum Tronis eversis sedibusque Potentium, sibi totius orbis ascribere Monarchatum.

Potiùs est contrà incumbentia è vicino periculo de opportunis remediis cogitandum, quàm eorum certior, & serior enunciatio expetenda, omnis igitur est securitatis, ac tarditatis ignavæ submovenda socordia, quæ periculorum improvidos ad perniciem præparat, & disponit, & urgentissimo attentionis stimulo eos præcipuè convenit excitare, qui præsunt, ne sub manu eorum repentina invadat calamitas homines inerti negligentia soporatos, quia ruina malorum imminentium, priùs interdum, quàm in solicitudinis curam evigilent, obruuntur; Quemadmodum prædictis Sarracenis, aliisque innumeris nationibus, quas destitutas Prudentiæ Consilio, & indignas cœlesti Præsidio, prædictorum Tartarorum invasit oppressio, noscitur contigisse.

Palàm est enim, quod pestilentior pernicies, & perniciosior pestis ad quiescentes ingreditur, & securos; Et Deum tempto imminente periculo, qui illud in præsumptuosa cœlestis auxilii confidentia, negligit humanæ providentiæ remediis prævenire.

Nos igitur attendentes in eorumdem Tartarorum manu adversus Peccata humani generis divinæ indignationis sævire flagellum, quæ tamen erga fideles magnum ostendit pietatis indicium, dum Nobis illud imminere noluit improvisum; sed ut divinæ placationis antidoto, & Providentiæ Consilio excludi valeat diù antè provisum: ac de Clementis Dei Misericordia confidentes, quod si visitaverit in virga iniquitates suorum, & peccata eorum in verberibus disciplinæ, misericordiam suam tandem non abscidet ab eis.

Cogitavimus cùm Fratribus nostris, quemadmodum à Nobis expostulat speculæ Pastoralis officium, cui licèt immeriti præsidemus, contrà idem flagellum utilia salutis remedia ordinare, & quidem pro talis necessitatis tàm universalis articulo, videbatur non solum Ecclesiasticorum, sed, & secularium Principum, & fidelium populorum generale concilium convocandum, ut de communi omnium discrimine, ac provisionis opportunæ remediis, ad quæ solas ecclesiæ vires liquet non posse sufficere intentis singulorum sensibus, communis deliberatio haberetur.

Hæc etenim causa neminem præterit communissima omnium, & privatissima singulorum, quia etsi tangat maxime maximos (à quibus primum ordini solet instantis cujusque desolationis initium, ut cæteri faciliùs velut acephali, & dispersi ad perniciem adducantur.) Unumquemque talem specialiter de universitate contingit, ruinam, & statum, mortem, & vitam continens singulorum. Nam apud eosdem Tartaros Patrocinium nulli præstat fortunæ conditio, vel sexus infirmitas, aut ætatis miseratio seù reverentia dignitatis, qui non quorumdam, sed omnium exitia, & exterminia moliuntur, nulli pacti federis fidem servant, quam quidem habere nequeunt infideles, propter quod dum simulant se ad Christianos privatæ affectionis habere propositum, hoc ipso magis est Christianis astutæ fraudolentiæ illorum laqueus, quem hujusmodi simulationis Pallio subtegunt præcavendus, quia eos subtilioribus dolis supplantare conantur, quos invenire credunt ad repugnantiam fortiores.

Verùm quia ipsis Tartaris nequitiæ suæ proposito vigilanter instantibus dilationis diutinæ non capit res ista dispendium, & absque longi temporis tractu gravaminibus personarum rerumque detrimentis, convenire nobiscum universitas concilii non valeret; Necessitati, qua generalitàs premitur de prædictorum consilio fratrum ad præsens duximus hoc compendio consulendum, ut in singulis Regnis, atque provinciis fideles moneantur attendere causas illas propter quas præcipuè ad Sarracenos, & alias nationes cum eisdem Tartaris, pestis desolationis intravit.

Offensam videlicet altissimi Domini Dei nostri, cujus contrà se subjectæ à perfidis Nationes perfidiæ Judicium irritarunt.

Defectum insuper humanæ providentiæ, qui eis segnitia, inertiaque sepultis, & varia ad invicem seditione disjectis oppottuna remedia defensionis ademit, quatinus ipsi fideles de alienis periculis sumpta cautela, medelis contrariis à malis imminentibus præserventur.

Propter quod carissimum in Christo Filium Nostrum Regem Anglorum illustrem per literas nostras sub certa forma rogamus attentiùs, & hortamur, ut habito colloquio cum Baronibus, & Magnatibus Regni sui adversus tàm diræ cladis perniciem fidelibus imminentem curet mansuetudinis Regiæ pietate prospicere quo modo, quo ordine, quibusque consiliis ad resistendum eisdem Tartaris, confluentur in unum vires populi Christiani.

Denique super omnibus deliberatione habita diligenti, usque ad octavam Apostolorum Petri, & Pauli Apostolorum proximo futuram, quoniàm profusius tempus rei necessitas, absque periculo non admittit ad sedem Apostolicam destinet Nuncios suos, viros providos, & prudentes, per quos nobis super his regiæ circumspectionis voluntas, & consilium innotescant, & quorum communicato consilio, Apostolica sedes providè disponat, & ordinet quidquid in tàm arduæ necessitatis negotio, publicæ salutis utilitas suadebit.

Quocircà Nobilitatem tuam monemus rogamus, & hortamur attentè, per Apostolica tibi

ANNO 1261.

scripta mandantes quatenus cum tua interfit de tàm communi cogitare discrimine, quo utique tangeris, tamquam egregia portio universi eidem Regi super præmissis, quod circà prædictum negocium publicè expedire cognoveris, sano studeas consilio Deum, & universalem causam habens præ oculis suadere.

Dat. Lateran. 15. Kal. Decembris Pontificat. nostri anno sexto.

Plumbeo sigillo à filo Canabeo.

I. ADDENDA pag. 53. Ex Archiv. Angl. Rimer Tom. I. pag. 731.

Bulla Regi Angliæ super gravaminibus illatis Hiberniæ Clericis per Ministros Romanæ curiæ: anno 1261.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei carissimo in Christo filio Regi Anglorum illustri, salutem & Apostolicam benedictionem.

PRæ ceteris rebus quibus Christiana Regnà fundantur solidiùs ea statuit status Ecclesiasticæ libertatis.

Propterea cum de illo præservando in terra tuæ Ditioni subjecta, & præsertim in civitate, Dioc. & Provincia Dublinen. ubi status ipse novæ malignitatis adinventionibus, prout intelleximus injuriosè deprimitur admonemus.

Advertere debet regalis providentia sibi non tàm aliena, quàm propria, imo communia commoda suaderi, & quoties illos, qui eumdem statum in suis Juribus, aut interdum in favore tui nominis (non tamen tuæ ut credimus pietatis motum, sed propriæ voluntatis impetum prosequentes) illidant vigore discretionis Ecclesiasticæ cohibemus, intelligas tunc non lædi, sed geri salubriter in tutela fidei curam tuam.

Sanè, ad audientiam Apostolatus Nostri pervenit; quod in civitate Dioc. & Provincia supra dictis de antiqua, & approbata, & hactenùs pacificè ovservata consuetudine, & obtentum, ut Venerabiles Fratres Nostri Dublinen. Archiepiscopus, ejusque suffraganei, & officiales ipsorum, ac alii Judices Ecclesiastici eorumdem civitatis, Dioc. & Provinciæ (ad quos de hujusmodi consuetudine causarum cognitio pertinet) de causis quas super pecuniarum summis, seù possessionibus inter Laicos sibi subditos verti contingit, possint cognoscere dummodo pactum firmatum fide, vel juramento intervenerit inter partes.

Et si aliquis Laicus conqueritur coram illis, quod quisquam Laicus eorum subditus ipsum super aliquo crimine diffamaverit, iidem super hoc de hujusmodi consuetudine judicant, & cognoscunt.

Clerici quoque injuriatores suos Laicos consueverunt à tempore cujus memoria non existit coràm Ecclesiasticis judicibus convenire.

Sed Justiciarii, & Ballivii tui in Hibernia, quominùs Archiepiscopus suffragenei officiales, & Judices prædicti de hujusmodi causis cognoscant, & judicent contrà justitiam impedire præsumunt; prohibentes (quod nequiùs est) nè Clerici Clericos in causis pecuniariis, aut Ecclesiarum Rectores super aliquibus cappellis ad Ecclesias ipsas spectantibus, aut super decimas aliarum Ecclesiarum Rectores coram Judice Ecclesiastico convenire præsumant.

Iidem etiam judiciarii, & Ballivi, non permittunt quod condemnati legitimè per Archiepiscopum, suffraganeos, & alios prædictos, aut alios Judices, etiam à sede Apostolica delegatos, propter contumaciam, vel offensam in aliqua pecuniæ quantitate ad solvendam condemnationem hujusmodi compellantur, sive quod Archiepiscopus, suffraganei, vel alii prædicti cognoscant de causis usurariis, vel puniant usurarios secundum Canonica instituta, seù quod de usuris, adulteriis, aut aliis criminibus inquirant; prout ad eorum officium noscitur pertinere de Jure, ac consuetudine supra dicta.

Porrò si inter Virum, & uxorem per Ecclesiasticum Judicem celebrato divortio coram eo super dote restituenda quæstionem oriri contingat, prædicti Judiciarii, & Ballivi, ne dictus judex virum ad restituendam dotem mulieri compellat, prohibent pro suæ libito voluntatis, quamquam cognitio causarum hujusmodi ad Ecclesiasticum Judicem pertinere noscatur, tàm de hujusmodi consuetudine, quàm de jure.

Præterea si aliqui cives, vel Burgenses in aliqua civitate, vel Burgo, aliquam domum, vel fundum, aut prædium Urbanum, ad eos pertinentes (qui Burgasia vulgariter appellantur) alicui Ecclesiæ sive religioso loco in ultima voluntate legant pietatis obtentu, præfati Judiciarii, & Balivi, ne Judex Ecclesiasticus executores testamentorum civium, & Burghesium eorundem ad exequendam in hac parte voluntatem extremam testamentorum ipsorum compellat, proût de præfata consuetudine est obtentum impediunt minùs justè.

Cæterum si aliqui Laici ascripti Electæ (qui Betagii vulgariter appellantur) aliqua de Bonis suis Ecclesiasticis, vel religiosis, aut piis locis legant pietatis intuitu in voluntate sæpe dicti Judiciarii, & Ballivi impediunt, ne per ipsos Archiepiscopum suffraganeos, & judices, sicut de præfata consuetudine obtenta est in hoc voluntas Testatoris executioni mandetur.

Ad hæc si dictis Archiepiscopo suffraganeis, & Judicibus inhibeas ne ulteriùs procedant in aliqua causa de qua cognoscere inceperint, iidem Judiciarii, & Ballivi ipsos pro eo, quod de causa inceperunt cognoscere etiamsi hujusmodi inhibitioni paruerint puniri præsumant pæna pecuniaria, & interdum carceri mancipare.

Insuper prælibati Judiciarii, & Ballivi Archiepiscopum suffraganeos & officiales prædictos, si per inquisitionem factam super hoc contrà eos eos constiterit, quod ipsi cognoverint de aliquibus causis, quæ non fuerint matrimoniales, vel Testamentariæ, pecuniaria pœna mulctare, & interdum eosdem in carcere detinere præsumunt.

Quod si aliquem Judicem Ecclesiasticùm occasione alicujus quæstionis quæ vertitur coràm eo, contingat in aliquem Laicum exigente justitia, excommunicationis sententiam promulgare, Laicus ipse eidem Judici per dictos justiciarios, & Ballivos exhibere procurat ne in hujusmodi causa procedat.

Post inhibitionem autem hujusmodi dictus Laicus non vitatur tamquam excommunicatus prohibentibus in prædictis Justiciarii, & Ballivis.

Cum igitur regalem magnificantiam in suis libertatibus, & antiquis consuetudinibus foveamus libenter, & quantum cum Deo possumus toleremus; quia Deo, ut nobis pari vice respondere te convenit Serenitatem Regiam rogandam duximus attentiùs, & hortandam quatinus prædictos Judiciarios, &

Ballivos

Ballivos à Violatione libertatis Ecclesiasticæ, nec non ab usurpatione Iurium Divinorum præcipuè in præmissis (ad quorum tutelam Distributor Regnorum omnium temporali gladio te accinxit) ac molestatores personarum Ecclesiasticarum Regali Authoritate compescas.

Preces & exhortationes nostras taliter impleturus quod exinde salvatorem tuum, qui Ecclesias suas proprii Sanguinis pretio libertate donavit, tibi, tuæque Proli, & Regno propitium habeas, & Nos in his, quæ sublimitati vestræ utilia sunt, & placita reddamur exinde meritò promptiores.

Et quia timemus ne tu, nisi corrigas hæc, nosque tecum, si illa dissimulaverimus incorrecta, in durius severitatis Divinæ Iudicium incidamus, quod hi, qui terram iudicant, debent, (ò Rex) potissimum formidare, Venerabili Fratri Nostro Episcopo Drunimorensi & Dilecto Filio Priori Fratrum Prædicatorum de Ponte Armachan. Dioc. per Nostras damus literas in mandatis, ut (si est ita) dictos Iudiciarios, & Ballivos, quod Archiepiscopum Suffraganeos, & Iudices supra dictos de præfatis causis libere cognoscere, & eas exequi patiantur, prout eis de Iure competit, & consuetudine supra dicta, & à qualibet super præmissis eorum, & aliarum Ecclesiarum, Personarum Civitatis, Diocesis, & Provinciæ prædictarum, indebita molestatione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam Appellatione postposita compellant.

Sub Plumbeo Sigillo pendente à Filo Canabeo.

Datum Viterbii I. Idus Novembris, Pontificatus Nostri anno primo.

II. Ex Archiv. Ang. Rymer Tom. I. pag. 762.

Citatio Ricardi Romanorum Regis ad sedem Apostolicam super controversia Electionis inter ipsum, & Alfonsum Castellæ Regem: anno 1263.

URBANUS QUARTUS,

Ricardo in Romanorum Regem Electo.

Qui Cælum Terramque regit is nimirùm Cœli novit ordinem, & in Terris potest cœlestis ponere originis rationem.

Is exempla de superioribus ad inferiora derivans, sicut in Firmamento Cæli duo luminaria magna constituit, ut Mundum vicibus suis illustrent, & sic & in Terris maxima dona sua, Sacerdotium videlicet, & Imperium ad plenum spiritualium, mundanorum regimen ad firmamentum Ecclesiæ militantis instituens, utriusque potestatis ità discrevit officia, ut eorum officiosa diversitas nulla sibi adversitate dissentiat; Sed in Commissi executione Regiminis, ex officii debito in Voti unitate concordet, & ipsorum procul dubio, profutura concordia alteruttius fulta præsidiis, ac utriusquemutuis fota favoribus opus Justitiæ liberiùs operetur Pacem Mundo pariens, tranquillitatem inducens, & nutriens unitatem.

Imperium siquidem ad salutem Sacerdotali Authoritate dirigitur, & ipsius adjutum suffragiis, sedatis procellosis interdum imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur, & quietum.

Sacerdotium verò pium, ac tutum debet habere Refugium Imperialem Mansuetudinem, cum sua Veneratione conjunctam, ut Imperii Romani fastigium, & ejus culmini præsidens, specialis Advocati, & Defensoris præcipui circà Ecclesiam gerat officium, & in ipsius fortitudine brachii defensentur Ecclesiæ libertates, & jura manuteneantur, ipsarum extirpentur hæreses, cultus Christianæ Fidei amplietur, & inimicis consternatis ejusdem in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus, & in requie opulenta quiescat.

Verùm Humani generis inimicus, Pacis impatiens, amator litium, discordiæ seminator, utriusque profectibus invidens claræ memoriæ Villielmo Romanorum Rege rebus humanis exempto inter te & Carissimum in Christo Filium Nostrum Regem Castellæ, ac Legionis Illustrem in Romanorum Regem electum, circa obtinendam ejusdem Imperii dignitatem contentionis materiam suscitavit, ut vobis circa hoc contendentibus, careret Imperialis regiminis commodis Orbis Terræ, & tanti Brachii, tàm utilis, tàm necessarii, tàm clari, carentiam, ex ipsius Imperii vacatione diutina, molestam, admodum, & nocivam, damnosa experientia Ecclesia prædicta sentiret.

Sentit utique, sentit Mater Ecclesia tàm Populi sibi commissi, quàm suam gravem de hujusmodi contentione jacturam; evenit namque perversorum audacia, & ipsorum abundante malitia, dùm eodem vacante Imperio, ipsi Ecclesiæ defensionis debita suffragia subtrahantur, liberiùs peccatis insistitur, hæreses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cædes, & strages, injuriæ invalescunt, in persecutionum turbinibus Petri navicula fluctuat, & interdum, qui fidelium ipsius censeri nomine gloriantur in Arcum perversum fideli debitum non versando, conversi, eam in suis juribus injuriosè impetunt, & molestant, illa nunc denegando pro libito, nunc illicitè occupando.

Propter quod eadem Ecclesia non immeritò hujusmodi vacationem deplorat imperii, & de Animarum periculis, quæ peccandi libertas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria, ingemiscit.

Ex eo insuper quàm durè? quàm graviter? materna ejus viscera quatiuntur, quod ipsa tàm charos Filios, tàm inclitos Principes in suo sentiens utero collidentes, prudenter advertit tuam, & prædicti Regis potentiam, in Christo blasphemos, & inimicos Nominis Christiani, potenter, & magnificè more solito exercendam in proprium, & grande Domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari.

Hæc ergo, & alia incommoda dissentionis hujusmodi eadem Ecclesia Materno pensans affectu, in iis auxilii sui dexteram non substraxit, sed vigilavit attentiùs, attentione sollicita vigiliter intendit, multaque sollicitudine pervigil laboravit, ut discriminibus tantis occurreret, teque, ac ipsum Regem à discordiarum dispendiis præservaret.

Et licet inter vos Iudicis Partis assumere non sine causa distulerit, præsertim, cum tàm tui, quàm ipsius Regis nuncii in recordationis Felicis Alexandri Papæ prædecessoris nostri, nostra, & Fratrum præsentia nostrorum constituti super prædictis Iudiciorum Apostolicæ sedis examen expresse usque ad hæc tempora declinarint.

Dilationem tamen hujusmodi illa etiam utilitatis utriusque Partis consideratio, & paternæ

ANNO 1263.

paternæ pietatis cautela, pro vobis consilium capiens, persuasit, ut vestris animis ad hoc habilitatis, interim ad reformanda inter vos amicitiæ federa congruentia tempora captarentur, & remedia promptiora pararentur.

Per quæ discordiæ occasione sublata, vos glutinum solidæ caritatis uniret, ac in vestræ soliditate concordiæ, quam tractatus, qui super hoc inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui Principis Ducatu pacifico, daretur eidem sabatismus Imperio; & sedatis scandalis, ipsius subditi quietis optata jucunditas proveniret, pestis exterminaretur hæretica, animarum pericula vitarentur Ecclesia, cæsareo munita præsidio, ab hostibus erepta, de persecutorum incursibus respiraret, ac eorum, qui sub stimulatæ fidelitatis audacia, nocent fidentiùs temeraria nocendi confidentia refrenata, suorum jurium integritate gauderet.

Hæc quidem hactenus expectavimus anxii hæc desideravimus anxia expectatione diutiùs in his prædecessoris nostri, & fratrum nostrorum sollicitudo non defuit, secundum Apostolicæ circumspectionis judicium de contingentibus nil omittens.

Et quamquam, ut Votis Nostris satisfiat in hac parte, hujusque non fuerit ex alto concessum, tamen ad id semper nostra suspiravit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur, non proponentes à ceptis desistere, quin circa negotium hujusmodi, sub spe illius, qui facit magna, & inscrutabilia, qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis semitas intendamus, quidquid per Nuncios, & Procuratores partium coràm Nobis novissimè his diebus propositum, petitum fuerit, & responsum.

Et quidem Venerabilis Frater noster Laurentius Episcopus, & dilectus filius Villelmus Archidiaconus Roffen. ac Robertus de Baro (Procuratores, & Nuncii tui, à te plenariam potestatem habentes, ut in nostro Consistorio tua proponerent negotia, & peterent cum solemnitate, qua conveniret, vocationem tuam solemniter ad coronam, ac universa, & singula circa hæc gererent, agerent fideliter, ac procurarent, quæ per vestros Nuncios, ac Procuratores ad hoc specialiter deputatos legitimè possent agi peti, & etiam procurari) coràm Nobis, & eisdem fratribus proponere curaverunt quasdam consuetudines, circà electionem novi Regis Romanorum (in Imperatorem postea promovendi) apud Principes vocem in hujusmodi electioni habentes, qui sunt septem numero, pro jure servari, & fuisse hactenus observatas à tempore cujus memoria non existit.

Secundum quas infrà annum, & diem post quam vacat Imperium talis debet electio celebrari, quacumque parte ipsorum Anni, & diei, quam ad hoc iidem Principes duxerint deputandam.

Et ad Archiepiscopum Moguntinum, & Comitem Palatinum Rheni, vel ipsorum aliorum, altero nequeunte, vel forsitan non volente pertinet ad electionem ipsam celebrandam diem præfigere, ac cæteros Electores Principes convocare: Quibus omnibus, vel saltem duobus ex ipsis die præfixa convenientibus, apud oppidum de Frankenford intùs, vel extrà ipsum oppidum, quod dicitur Frankeferde (loco quidem ad hoc deputato specialiter ab antiquo) ad electionem ipsam procedi potest, & debet secundum morem ipsius Imperii approbatum.

Et electione taliter celebrata, electus si electioni consenserit apud Aquisgranum per dies aliquot facta mora infra annum, & diem post celebrationem eamdem quando electus voluerit per Coloniensem Archiepiscopum, ad quem id ex officio suo spectat, injungatur, consecretur, & etiam coronetur.

Quo facto cuilibet via præcluditur contrà electionem, vel electum jam Regem Romanorum effectum dicendi aliquid, vel etiam opponendi, sed idem electus, prædictus prædicto modo inunctus consecratus, & coronatus pro Rege habetur: Et ei, tamquam Regi debent à subditis juramenta præstari, assignari civitates, oppida, castra, & specialiter castrum de Treveles, ac aliqua Jura Imperii infrà annum, & diem à tempore coronationis ejusdem; Ità quod si qui de Vassallis Imperii ei homagia non præstiterint consueta, & non reddiderint civitates, castra, & alia supradicta, illis, quæ ab Imperio tenent sint eo ipso privandi.

Et si votis Principum ad quos spectat eligere ad eligendum convenientium, divisis in plures, duo in discordia eligantur, vel alter electorum per potentiam obtinebit, vel ad prædictum Comitem Palatinum, tamquam ad hujusmodi discordiæ judicem est recursus habendus; ni forsan super electione, vel coronatione hujusmodi suborta discordia, per appellationem, vel querelam prædictorum Principum ad Examen sedis Apostolicæ (quo casu ipsius est in tali causa cognitio) deferatur.

Intelligitur autem is electus esse concorditer in quem vota omnium Electorum Principum, vel saltem duorum tantummodo in electione præsentium diriguntur.

In discordia verò is etiam reputatur electus, de quo in loco non solito electio celebratur, & in termino de communi consensu dictorum Principum non statuto, quem si forsan prædicti Principes infrà annum, & diem à tempore vacantis Imperii, concorditer statuant, licèt non exprimant, quod ipsum peremptorium esse debeat, terminus tamen ab eis præfixus taliter peremptorius reputatur.

Porrò iidem Procuratores iis, & aliis quibusdam prælibatis consuetudinibus, adjecerunt, quod vacante Imperio Romano, die per omnes prædictos Principes, pro celebranda Regis Romani in Imperatorem postea promovendi electione, statuto in octavis Epiphaniæ anno Domini millesimo, quinquagesimo sexto apud memoratum oppidum Franckeford quinque tantum de dictis Principibus tùm per se, tùm per alios.

Videlicèt Bonæ Memoriæ Coloniensis Archiepiscopus pro se, & Bonæ Memoriæ Moguntinus Archiepiscopus, ea vice, in hoc commiserat vices suas, & dilectus filius nobilis Vir Comes Palatinus, apud Franckeford.

Bonæ memoriæ verò Treverensis Archiepiscopus, & dilectus filius Nobilis Vir Dux Saxoniæ intrà dictum oppidum convenerunt.

Cumque iidem Treverensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ præfatum Archiepiscopum Coloniensem, & Comitem, nec ipsum oppidum intrare permitterent, nec ad eos exire vellent, super hoc sæpiùs requisiti, dicti Archiepiscopus Coloniensis, & Comes, attendentes ex lapsu temporis periculum imminere, si forsan non fieret electio illa die, quæ ad hoc fuerat peremptoriè constituta, præsertim cum de anno, & die post vacationem Imperii, quindecim dies solummodo supereffent (infrà quos nullo modo potuissent, propter locorum distantiam, & alias facti circumstantias præfati Principes iterum convenire) cum

prælatis

ANNO 1263.

ANNO 1263.

prælatis, Ducibus, & aliis ibidem præsentibus deliberatione præhabita de ipsorum communi Consilio, & assensu, ad electionem procedere decreverunt.

Et tandem præfatus Coloniensis pro se, ac dictis Maguntino, cujus vices gerebat, & Comite præsente, ac consentiente divino nomine invocato te in Regem Romanorum elegit, & mox electionem hujusmodi Magnatum, & aliorum astantium copiosæ multitudini publicavit.

Cui electioni, per carissimum in Christo Filium Nostrum Regem Bohemiæ illustrem post paucos dies, consensu præstito, demum tu ad tuorum Electorum, & aliorum Imperii Optimatum, qui propter hoc ad te in Angliam accesserunt instantiam, & requisitionem instantem eidem electioni, post diligentem super hoc tractatum habitum, consensisti.

Ac personaliter Alemanniæ Regnum ingressus, & moram apud Aquisgranum quantum decuit faciens, nec inveniens resistentem, postmodum fuisti per sæpedictum Coloniensem Archiepiscopum, (ad cujus id spectabat officium) consecratus inunctus, coronatus, ac intronizatus Regio nomine in sede Magnifici Caroli, nullo se inibi coronationi tuæ realiter, aut verbaliter opponente.

Recepisti quoque homagia magnati Regni ejusdem, ac fidelitatis etiam Juramenta, obtinuisti ornamenta, & insignia Imperialia, quibus Rex Romanorum solet ornari, dum Romæ inungitur, & consecratur per manus summi Pontificis, & sacrum Imperii suscipit Diadema, & sine quibus aliquis ad inunctionem, coronationemque hujusmodi, nec solet, nec debet admitti, reddita insuper tibi fuerunt quamplurima oppida, castra, villæ, ac jura Imperii tamquam Regni, tuque ipsius Regni possessionem adeptus, ipsam tenes, & per sex annos adeptam tenuisti.

Ex his autem Procuratores tui arguere nitebantur, cum memorati Trevirensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, recusando dicto die præcedente, reliqui verò, non veniendo ad terminum concorditer assignatum, se ab electione reddiderint ea vice, tu ab omnibus Principibus, vel saltem ab iis in quos totaliter jus eligendi reciderat, censeri debes electus.

Et pro certo, & indubitato ponentes Jus in Regno, & Imperio supra dictis, tibi electo prædictis consuetudinibus observatis, ubi, & à quibus id fieri debuit, & nulli alii acquisitum, ac Regium nomen, & Imperii diadema indubitatè deberi, supplicaverunt instanter, & humiliter petierunt tibi hujusmodi nomen ascribi.

Maximè cum ante dictus prædecessor id tibi de fratrum suorum consilio adscripsisset, te in eisdem Regno, & Imperio quibuslibet aliis præferendo, sicut per ipsius literas ostendere nitebantur, teque per Nos inungendum, consecrandum, & coronandum in Romanorum Imperatorem advocatum, ac Defensorem Ecclesiæ, ad ipsum diadema de Nostris suscipiendum manibus sine dispendio alterioris moræ vocari, & apostolicum tibi favorem impendi; præsertim cum, non tantùm major Pars Principum prædictorum, imò omnes, (excepto Nobili Viro Marchione Brandeburghensi, qui etiam paratus est tibi obedire, ut iidem Nuntii proponebant) electioni de te factæ consentiant, & tibi tàm ipsi, quàm alii Magnates Alemaniæ generaliter tamquam suo Regi obediant, & intendant.

Petitionem suam illa indubitatata sicut asserunt in Imperio, & jure munitam, consuetudine fulcientes, qua dicunt electo in Regem Romanorum secundum solitum morem Imperii, ubi, & à quibus debet, & postmodum per supradictum Coloniensem Archiepiscopum inuncto, consecrato, & coronato, eo ipso Regium nomen acquiri, & si electæ personæ impedimenta non obvient, vocando sine dilatione aliqua per summum Pontificem ad coronam, ad id non solum morem Imperii approbatum, sed etiam quondam, felicis recordationis Innocentii Papæ Tertii Prædecessoris Nostri decretalem Epistolam allegantes.

Ac dicentes per contradictionem memorati Regis Castellæ, vel electionem quæ de ipso facta dicitur, petitionem non debere aliquatenus impediri, cum secundum prædictas consuetudines, sit ei jàm cujuslibet contradictionis via præclusa, & electio ipsius nulla fuerit ipso jure, utpote post annum, & diem contrà easdem Imperii consuetudines, & terminum ad hoc statuto de communi Principum prædictorum consensu, transacto, & post electionem tuam legitimam non cassatam; à solo nominato Treverensi, qui (propter nova pedagia, quæ in terra sua imposuit, erat tunc excommunicatione ligatus) nulla omnino forma servata in Camera ejusdem Treverensis Archiepiscopi contemptis aliis Principibus, clandestinè attentata, cum nullam ab eisdem Principibus super hoc potestatem haberet, quam, si etiam ab aliquibus habuisset (sicut quædam pro altera exhibitæ literæ innuebant) formam tamen ipsius, quæ secundum tenorem literarum ipsarum ad exitam diem se tantummodo extendebant, non eligendo ipsa die minimè observavit.

Ex parte verò supra dicti Regis Castellæ (per venerabiles Fratres nostros Garsium Sylvensem, & Fratrem Dominicum Abulensem Episcopos, ac dilectum filium magistrum Joannem Cappellanum Nostrum Archidiaconum Compostellanum, ipsius Procuratores, Actores & Negotiorum gestores Generales, & speciales omnes in solidum, ità quod occupantis non sit melior conditio, mandatum habentes ab ipso ad petendum pro eo, & suo nomine à Nobis, & prædictis Fratribus Nostris coronam Imperii, & assignari sibi diem ad recipiendum ipsam, & ad agendum, respondendum, defendendum, & tractandum jura sua, & Imperii, & quidquid honori ejus expedire viderent, sive in ordinario, sive in extraordinario judicio ageretur) fuit e contrà propositum, quod prædictus Dies Octabanum Epifaniæ non ad eligendum, sed ad tractandum super electione facienda Regis, & Imperatoris, & ad assignandum diem ad celebrandum electionem eamdem, non per omnes, sed quosdam ex ipsis Principibus extitit assignatus.

Qua die præfati Treverensis Archiepiscopus, & Dux Saxoniæ, pro se ac dilecto filio nobili viro Marchione Brandenburghensi, qui eidem Treverensi Archiepiscopo vices suas commiserat, nec non, & Procurator memorati Regis Bohemiæ ad prædictum Oppidum tamquam viri pacifici accesserunt.

Supradicti verò Coloniensis Archiepiscopus, & Comes cum ingenti Armatorum multitudine ad loca circumvicina ipsius oppidi advenientes requisiti per Treveriensem Archiepiscopum Ducem, & Procuratorem prædictos (qui eorum impressionem verisimiliter formidabant) ut idem oppidum intrarent cum societate decenti, de assignando die ad electionem celebrandam,

ANNO 1263.

ANNO 1255.

proùt terminus exigebat (si ad hoc essent habiles) una cum ipsis pacificè tractaturi, non solùm id facere contempserunt, verum etiam proprii prosecutores Arbitrii præsumpserunt te in Regem Alemanniæ, non sine multo contemptu aliorum Principum nominare.

Memorati autem Treverensis Archiepiscopus, Dux, & Procurator, nominationem hujusmodi attendentes penitùs esse nullam.

Præsertim cum Coloniensis Archiepiscopus pro eo, quod in bonæ memoriæ P. Sancti Gregorii ad velum aureum Diaconum Cardinalem tum legatum in Alemanniæ Partibus manus injecerat, ac Venerabilem Fratrem Nostrum Padebornensem Episcopum detineret captivum, propter quod per eumdem etiam Legatum excommunicatus extitit.

Comes verò propter Clericorum, & religiosorum cædes, & notarias captiones, & quia contra sententiam felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris Nostri quondam Friderico olim Romanorum Imperatori, & Conrado nato ejus præstiterat publicè consilium, auxilium, & favorem erant ipsius electionis tempore tàm à Canone, quàm ab homine variis excommunicationibus innodati, & Moguntinus Archiepiscopus cujus idem Coloniensis Archiepiscopus se vices gerere asserebat in vinculis teneretur; propter quod carens arbitrii libertate, præstare non potuit proùt jura exigunt liberum in electione consensum, nec etiam facto præstitit ad electionem celebrandam.

Certum terminum statuerint subsequentem Dominicam Passionis, quo quidem termino usque ad proximam Dominicam Palmarum continuato de die in diem, & memorato Maguntino, (tunc à vinculis liberato) Coloniensi Archiepiscopo, & Comite requisitis, & nolentibus interesse, dictus Trevirensis Archiepiscopus (à Rege Bohemiæ Duce, & Marchione sibi super hoc potestate commissa) dictum Regem Castello suo, & illorum nomine publicè, & solemniter in eodem oppido de Franckenford Dei Nomine invocato Romanorum Regem, & Imperatorem elegit, & electionem ipsam omnibus astantibus publicavit. Idemque Rex Castellæ (ipsa electione sibi per quam plures Magnates Imperii ad ipsum propter hoc in Hispaniam accedentes) postmodum præsentata, electioni consensit eidem.

Ex præmissis sanè iidem Procuratores, & Nuntii prælibati Regis Castellæ dicentes electionem ipsam ubi, & à quibus debuit celebratam legitimè allegabant electionem eamdem impediri non potuisse per tuam, quæ sicut dicunt nulla extitit ipso jure.

Nàm cum prædictus dies Octavarum non ad eligendum, sed ad tractandum de statuto die ad electionem celebrandam novi Regis fuerit non per omnes prædictos Principes, sed per aliquos ex eis, ut præmittitur, assignatus, (qui etiamsi ad eligendum statutum fuisset per majorem partem eorumdem Principum, minoris Partis non obstante contradictione mutari, & prorogari potuit, & extitit prorogatus) constat electionem de te maximè per pauciores de ipsis Principibus excommunicatos ipso die Octavarum factam nullam penitùs extitisse.

Excommunicationem etiam contrà memoratum Archiepiscopum Treverensem objectam; & consuetùdinem, quæ de celebranda tempore vacantis Imperii infra annum, & diem Regis Romanorum electione præponitur, ac alias omnino negantes, allegabant, quod si veritate hujusmodi propositio fulciretur, electio tua, quæ quindecim diebus de ipso tempore adhuc existentibus celebrata fertur, ex hoc etiam nulla esset, cum non licuerit minori parti majore contempta diem ultimam ipsius temporis prævenire.

ANNO 1255.

Per quæ apparere dicebant quod electores ejusdem Regis Castellæ nolendo die illo eligere, non fuerunt eligendi jure privati, nec si etiam, ut pars adversa proponit, ad minorem partem renuissent exire: Nam cum infrà prædictum oppidum de Franckeford Romani Regis, & Imperatoris, & non alibi debeat electio celebrari, minor pars non poterat ad locum alium coarctare majorem.

Adjecerunt, præterea inunctionem, consecrationem, coronationem, ac possessionem prædictas (quam quidem possessionem omninò negabant) & cætera pro parte tua inducta, (cum ex electione tua, quæ ut prædicitur nulla extiterat secuta fuerint) tamquam nulla nullum potuisse suo munimentum afferre, aut ejusdem Regis Castellæ tum præjudicium generare; subjungentes Colonienses Archiepiscopum supra dictam consecrationem, vel inunctionem, seù coronationem, quæ jus tribuant, dare non posse, nisi ei, qui à majori, & saniori parte prædictorum Principum est electus, alioquin illa sequeretur absurditas, quod solus Coloniensis Archiepiscopus precibus inductus, vel corruptus pretio, cui vellet Imperium dare posset.

Quod autem de literis Prædecessoris Nostri supradicti Alexandri præmittitur, (in quibus tibi Regium nomen dicebatur ascriptum, teque in prædictis Regno & Imperio aliis fuisse prælatum) multipliciter confutabant.

Tam, quia quoties coràm ipso Prædecessore Alexandro, ac Fratribus suis de Imperii negotio agebatur, idem prædecessor Alexander publicè asserebat, quod super eodem negotio nihil in dicti Regis Castellæ præjudicium attentaret (quod etiam ipsi Regi Castellæ, per literas per quondam A. de Ferentino suum Cappellanum, & nuntium intimavit) propter quod prædictæ pro te inductæ literæ meritò sunt suspectæ, nec credendæ de ejusdem Prædecessoris Alexandri conscientia emanasse.

Tùm etiam quia, si de ipsius conscientia, & Fratrum suorum consilio processissent, cum injuriosæ sint debent merito revocari.

Undè iidem Regis Castellæ Procuratores, & Nuntii, electionem, de ipso factam electione tua prædicta, & iis, quæ pro te fuerunt objecta, nequaquam obstantibus, fore legitimam, utpote celebratam à majori parte ipsorum Principum (quos iidem Procuratores, & Nuntii variare non potuisse allegant, & variasse non credunt (imò fictione juris ab omnibus) cum alii utpote inhabiles electioni non potuerint, vel saltem noluerint in loco solito, & tempore debito interesse) ac ipsum potiorem in prædictis Regno, & Imperio arguentes, cum instantia postularunt ipsi Regi Castellæ consuetam facerem, videlicet, quod quando aliqui ad Imperium in discordia Principum eliguntur, sedes Apostolica illum, qui electus est à parte maiori, personæ impedimentis cessantibus, denunciat electum canonice, ac Regem nominat, & ei favorem præstat, illique terminum ad recipiendum coronam assignat, etiam si alter taliter electorum, Regni possessionem præsumpserit occupare (sicut in electionibus Lotarii, & Conradi, & Othonis, & Philippi, ac aliorum plurium observatum fuisse dicebant) ad

hoc

hoc prædictam decretalem Epistolam inducentes.

Eisdem autem præfati Regis Castellæ Nuntiis petitioni prædictæ super debita Justitia exhibenda porrectæ insistentibus, Nos memoratum Roffensem Episcopum, & alios tuos Procuratores, de prædictorum Fratrum Consilio, duximus requirendos, si vellent super præmissis subire tuo nomine nostrum, & Apostolicæ sedis examen. Qui habito consilio, responderunt, quod cum sis Princeps Catholicus Ecclesiæ Romanæ devotus, ipsam Caput Christianitatis, & Fidei, tuamque Matrem, & Dominam recognoscens, nec intendas illius declinare Judicium in quibus illud subire debes, & de Jure teneris, & in Imperio jus habens, ac Regni Alemanniæ, & ejus Iurium possessionem obtineas, parati erant in quantum prædicti Mandati quod à te habebant, se vires extendunt, prò se, ac tuo nomine, tamquam prò Rege vero, ac legitimo possessore Judicium nostrum, & Ecclesiæ Romanæ subire si quis appareret, qui te super præmissis velit impetere aut aliquid quocumque modo proponere, per quod tibi possit aliquod præjudicium generari.

Salvis semper in omnibus, & per omnia iurisdictione, potestate, officio, authoritate, dignitate, honore, ac libertate Sacri Romani Imperii, ejusque Principum ad quos specialiter spectat Romani Regis electio, & quibus præjudiciare non intendebant, vel alias quomodolibet derogare, petitionem tuo præmissam nomine nihilominus repetentes.

Ecce Fili carissime dum ad petitionem Justitiæ ab una parte proceditur, nec ab altera judicio ceditur, sed per ipsorum Regum concordiam, & concordem supra dicti ordinationem imperii diu desiderata quietis nobis serenitas arridet, in Iudiciorum inquietos anfractus ingrimur, & expetitæ Iustitiæ instantia in ipsorum nos fluctus impellit.

Ecce! Pacem expectavimus, & non venit, petivimus bona, & turbatio strepitus judicialis offertur.

Profecto non id desiderabat Ecclesiæ Imperiali auxilio relevanda necessitas, non id exigebant laceræ partes Imperii occupatricibus expositæ manibus direptorum, non id requirebat Christianitatis his temporibus miseranda conditio, quam intrinseca plusquam Tartareæ feritatis affligunt; quibus potius debebatur, ut per tractatus pacificos Cæsarei Culminis acceleranda provisio in unitate capitis juribus redintegratis Imperii, contra tot discrimina provideret.

Nos itaque Pacis cogitationes solicitè cogitantes, ac de illius sperantes omnipotentia, & immensa virtute, sub quo curvantur qui portant Orbem, qui ventis imperat, & ad ejus nutus stat Spiritus procellarum, pacis tractatibus providimus insistendum.

Et ideo hinc indè propositis à nobis, & prædictis Fratribus Nostris in discussionem exactæ deliberationis inductis de ipsorum Consilio, tam ad magnificentiæ tuæ præsentiam, quàm ad ipsum Regem Castellæ Nuncios deliberavimus destinandos, qui vos ad pacem invitent.

Ad quod dilectum Filium Magistrum Guillelmum Cappellanum Nostrum Archidiacorum in Ecclesia Parisiensi, Virum utique providum Consilii maturitate conspicuum, à nobis, ac eisdem Fratribus plurimum merito suæ probitatis acceptum, de cujus industria, & Fidelitate, Nos, & ipsi Fratres planè confidimus ad tuam magnificentiam specialiter destinamus.

Et nihilominus cum simus omnes Justitiæ debitores, non debemus eam Personis denegare sublimibus, qui super ipsa etiam ab humilibus requisiti nostri partes efficii non negamus te, ac eundem Regem Castellæ citandos decrevimus, & de sæpe dictorum fratrum consilio peremptoriè, præsentium tenore citamus ut, secundo die Maji primo venturi, Apostolico conspectui per Procuratores idoneos, te præsentes qui tuæ conscientiæ conscii legitimum, & plenum à te mandatum habeant ad pacis tractatum si Dominus dederit ineundum; & ad procedendum in toto negotio, prout honori Ecclesiæ, ac personæ talis, & tanti conditione negotii, sine offensa judicis videbimus expedire.

Datum apud urbem veterem primo Kal. Septembris.

III. Ex Archiv. Ang. Rimer Tom. I. pag. 769.

De Conditionibus à Rege, & Edmundo Filio non observatis, & de Regno Siciliæ alteri concedendo.

URBANUS QUARTUS,

Servus Servorum Dei, carissimis in Christo filiis H. illustri Regi Angliæ, & nobili viro Edmundo nato ejus salutem, & Apostolicam benedictionem.

NOn solum ad vestram, sed ad generalem, & publicam totius mundi credimus pervenisse notitiam, qualiter quondam Freder. olim Romanorum Imperator, ejusque Nati, & posteri Romanam Matrem Ecclesiam sub diversitate temporum vexaverunt.

Hi etenim, aliorum persecutorum excedentes Tirannidem gravioribus eam affecerunt injuriis, & oppressionibus durioribus afflixerunt, & velut in cædem, & exterminium ejus tendentes furoris arcum, & feritatis gladium amentes diris illam tribulavere flagellis, & usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt: Quoniam in hoc pravo genere patrum in Filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione sic imitatione operum nati genitoribus successerunt.

Et licèt Ecclesia eadem ubique locorum ad quæ persecutorum ipsorum se extendit potentia, crudelissimas eorum persenserit punctiones, in Regno tamen Siciliæ, quod ad ipsam Ecclesiam pertinet pleno jure, tanto duriores, & asperiores persecutiones pertulit ab eisdem, quanto liberiùs iidem Persecutores sunt in eo longis temporibus debachari, quantoque severiùs, & atrociùs inibi antè ipsius Ecclesiæ oculos uteri sui filios oppresserunt: Quia nèc etiam Ecclesias, nec Personas Ecclesiasticas ipsius Regni, earumque jura, libertates, & Bona, Draconum illorum præterire furores; sed in hæc eo excanduere ferociùs, quò quicquid ecclesiastico discernitur nomine abhorruerunt odio graviori.

Et ideo prædicta Ecclesia memorato Freder. & Conrado nato ipsius sublatis de medio, ad Regnum ipsum habens maternæ compassionis affectum, quia erant adhuc lacrimæ in maxillis ejus, & in vultu suo apparebat squalor diutinæ passionis, ardenti desiderio consurrexit, ut benignitatis suæ linteo lacrimas ipsas dilueret, & squalorem dextera propitiante

ANNO 1255.

detergeret, dictumque Regnum, ad optatæ salutis, libertatis solitæ, pacisque solidæ statum plene reduceret, ut illud in eo firma stabilitate favente Domino præservaret.

Verùm quia regnum ipsum cum omnibus districtibus, & pertinentiis suis, erat ad eamdem Ecclesiam ejusque dispositionem specialiter devolutum felicis recordationis Alexander Papa Prædecessor Noster dictum Regnum (pro cujus recuperatione ipsa Ecclesia importabilibus non parcendo sumptibus, ac multorum laborum minimè devitando tædia diutiùs laboravit, rem utique ipsi Ecclesiæ, inter cætera sua bona temporalia carissimam) Tibi fili Edmunde præferendo te in hoc universis Catholicis orbis terræ Principibus, liberaliter contulit sub certis conditionibus, atque pactis, prout in Apostolico Privilegio super hoc obtento pleniùs continetur.

Et quia sincera, & firma voluntas in dilectionis, & operis prosecutione cognoscitur (cum hujusmodi negotium propter ipsius Regni statum nondum tunc in toto tranquillum, multo indigeret consilio, & favore, magnamque requireret solertiam, & substentationis fulcimenta non modica, valida defensionis munimina, & indeficientis subsidii firmamentum) idem Prædecessor è diversis partibus magnificos instauravit exercitus, deputavitque legatos ad prosecutionem ipsius negotii, ut posset illud Domino adjutore perducere ad statum honorabilem, & quietum.

Cumque idem negotium laudabiliter convalesceret, & successibus prosperis firmaretur; tandem, (quia quorumdam Proditorum, qui eidem Ecclesiæ fraudolenter adhæserant faciente nequitia, inopinato casu extitit impeditum propter quod tanto festinantiùs erat eidem succurrendum negotio, quanto sibi propinquius imminebat confusio, & discrimen) dictus Prædecessor te fili Rex pluries requisivit, tibi cum instantia persuadens, ut quia prædicta Ecclesia erat ulterius ad ferendum tantum pondus penitùs impotens, ac multis, & gravibus debitis obligata, succursum cum omni festinantia præparares, ità quod omni difficultate, ac tarditate remota, copiosa, & strenua militia, cum idoneo capitaneo mitteretur pro conservatione quarumdem terrarum ipsius Regni, quæ adhuc in devotione ipsius Ecclesiæ persistebant, & per quas alias ejusdem Regni partes liber haberi poterat transitus, & processus.

Sed qualiter hæc, quæ memoratus prædecessor tibi, pro ejusdem negotii sustentatione ac promotione, persuasisse dignoscitur, feceris non ignoras; qualiter etiam negotium ipsum adjuveris, ac super illo provideris, cunctis luce clariùs innotescit, cum nec tuas, nec aliorum curas, & vires ad hujus rei prosecutionem curaveris adhibere.

Quin imò sic ipsum negotium per te, ac tuos omissum extitit, quod eo tuis speratis, ac opportunis subsidiis non suffulto, prædictæ terræ, per quas residuum ipsius Regni recuperari poterat, adversarii ejusdem Ecclesiæ Manfredi, videlicet quondam Principis Tarentin. aggressibus paruerunt, qui postquam Regnum ipsum totaliter occupavit, sic protinùs in superbiæ altitudinem est elatus, & in sævitiæ acerbitatem obriguit, quod de virtute divina non tremuit, humanamque parvi pendit potentiam, & honorem Ecclesiæ, ac libertatem hominum dicti Regni tyrannide furibunda depressit.

De multiplicis enim necessitatis angusto in quo serpens iste latuerat ad affluentis opulentiæ amplitudinem famelicus, & sitibundus exiliens rabido cepit ore Regnum laniare præfatum, sicque in bona, & personas ipsius anxia exarsit ingluvie, quod hæc insatiabili rapacitate discerpens, illud proh dolor! ferus absorbuit in utrisque, nec sexum, nec ætatem, neque ordinem prætermittens.

Propter quod multoties dolorose suspirat & lacrimatur amarè Apostolica sedes, quod Regnum juris, & proprietatis suæ carum, quippe sibi dira, & dura pharaonicæ oppressionis mole prosternitur, nec finitur pia, & leni consolationis apostolicæ dextera relevari.

Expectans enim, expectavit diutiùs, quod sublime regni Angliæ solium, cum strenua domus Gentis Anglicanæ potentia, quam dictus prædecessor in ipsius Regni collatione specialiter honoraverat, apprehenderet Arma, & scutum, & exurgeret in adjutorium matris suæ, dictumque negotium constanter assumeret: Et præfatam Ecclesiam liberando magnificè ab inimicis ejus, qui in circuitu ejus sunt, ac extrahendo prædictum Regnum, ejusque populum de faucibus persequentes, jugum oneris ejus, & sceptrum exactans ejus magnificentiùs superaret.

Sed hujusmodi expectatio, & spes, quam in vobis sedis eadem posuit, nullum sibi prorsùs commodum attulit, vel profectum; quin imò sedes ipsa hujusmodi spe frustrata, multas, & innumerabiles propter hoc injurias, & ignominias pertulit, pluraque, & inextimabilia substinuit detrimenta.

Dictus namque Manfredus occupatione ipsius Regni Siciliæ non contentus, ad Anconitan. Marchiam, & quam plures alias terras de Patrimonio ipsius Ecclesiæ, & demum ad quamdam partem Tusciæ, quæ Romano Imperio subjacet, avidas, & occupatrices manus extendens, memoratam Ecclesiam diversis persecutionum generibus incessanter affligit: Adeò quod eadem Ecclesia multis malis afflicta diversis attrita molestiis, & variis flagellis oppressa, vix potest ab hujusmodi oppressionibus respirare.

Quoniam ex hoc liberè pullulant hereses, cultus divini nominis dispendia minorationis incurrit, incendia urbium, castrorum depopulationes strages Christianorum, & quamplura alia abominabilia committuntur, quæ divinæ oculos majestatis offendunt, scandulum in Ecclesia commovent, & tremendum Ecclesiasticæ censuræ vigorem debilitant, & conculcant; nec potest ipsa Ecclesia invalescentibus ejusdem Manfredi viribus opportunum super iis remedium adhibere.

Nos igitur, postquam fuit nostris cervicibus jugum Apostolicæ servitutis impositum, diligentiùs attendentes, quod à prædicto Regno Siciliæ omne malum ipsius Ecclesiæ pandebatur, & causa periculorum hujusmodi procedebat, considerantes etiam, quod dicta Romana Ecclesia, per vos non potuit, neque poterat (quod inviti referimus) à suis calamitatibus, & ærumnis quantumcumque vos diutiùs expectaverit liberari, propter quod omnino expediebat, tàm nobis, quàm ipsi Ecclesiæ de præfato Regno Siciliæ aliter cogitare, necessario disposuimus in Animo Nostro de Regno ipso tractare, ac ordinare utiliter, prout expedire honori, & profectui prædictæ Ecclesiæ viderimus.

Cumque hujusmodi nostræ intentionis propositum producere vellemus, in actum tu Fili

Rex

ANNO 1255.

Rex hoc intelligens in grave tulisti sicut accepimus, & molestum, de quo & vehementiorem admirationem in mente accepimus, quo pleniorem semper de te prædicta Ecclesia fiduciam habuit, quod in cunctis necessitatibus sibi potenter, & patenter assistere ipsiusque honorem, & commodum, non solum penes te, sed etiam penes alios affectuoso studio procurares, retroactis temporibus dinosceris id laudabiliter peregisse.

Quia ergo liberum est nobis, & ipsi Ecclesiæ de prædicto Regno Siciliæ disponere, ac juxta nostrum beneplacitum ordinare, cum conditiones, sub quibus Regnum ipsum à præfato prædecessore concessum extitit adimpletæ non fuerint, sicut nostis; Nos intendentes omnino urgente ad id nos necessitatis articulo (in quo est prædicta Ecclesiæ statu expedire viderimus, providere) Magnificentiam vestram de Fratrum nostrorum consilio rogandum duximus attentius, & hortandam in remissionem vobis peccaminum nihilominus injungentes, quatinùs præmissa omnia infra vestrorum claustra pectorum meditatione provida revolventes, & gerentes ad prædictam Ecclesiam super tot ejus angustiis, habito ad radicem veritatis in hac parte respectu filialis compassionis affectum nullum deinceps nobis, & ipsi Ecclesiæ super hujusmodi dicti negotio ingeratis impedimentum, nullumque contradictionis obstaculum opponatis, sed ab iis penitùs desistentes, non solùm permittatis Nos, & eamdem Ecclesiam libere de Regno ipso tractare, ac facere sicut viderimus faciendum, verum etiam, & verbis ostendatis, & literis, quod Vobis non displicet, immò placet si dicta Ecclesia super ipsius Regni negotio tractet cum aliquibus Mundi Principibus, suamque possit de ipso Regno conditionem facere meliorem.

Preces super hoc Apostolicas taliter impleturi, quod Regem Regum constituatis exinde vobis propitium, & benignum, & prædictam Romanam Ecclesiam reddatis propter hoc votis perpetuis temporibus in vestris opportunitatibus favorabilem adjutricem.

Et ecce Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Casentin. Virum utique expertæ providentiæ, ac examinatæ virtutis, cujus super his acquiescatis monitis, & exhortationibus propter hoc specialiter ad vos de ipsorum Fratrum consilio destinamus.

Datum apud urbem veterem quinto Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Plumbeo sigillo à Filo canabeo.







INDEX
RERUM ET MATERIARUM,

Quæ in hoc Nono Volumine, sive Continuationis Parte Tertia continentur.

Angliæ

Quod

Capellæ

Capitulum.

Cardinalis.

Carolus.

Castella.

Castellanus.

Causa.

Celestinus.

Con-

E

Ecclefiæ

Electio.

Engildruda.

Episcopus.

Franciæ

Franciscus.

Frater.

Hære-

Offi-

P

Pactum.

Pontifex

Q

R

Siciliæ

T

Taxa.

F I N I S.

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM,

SEU EJUSDEM

CONTINUATIO,

Quæ SUPPLEMENTI loco fit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt EDITIONIBUS ROMANÆ, & LUGDUNENSI.

Accedunt, prout in Editione Romanâ, eorum Pontificum Vitæ, quorum Bullæ hîc recèns prodeunt; Appendices insuper suis quique locis assignati.

CUM RUBRICIS, SUMMARIIS, SCHOLIIS, ET INDICIBUS.

TOMUS DECIMUS.

CONSTITUTIONES VARIORUM PONTIFICUM in præcedentibus Editionibus desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas perinde ac reliquas BENEDICTI XIII. *hodiè sedentis*, recens promulgatas complectens.



Juxta Exemplar ROMÆ, Ex Typographia REVERENDÆ CAMERÆ APOSTOLICÆ.

LUXEMBURGI,

Sumptibus ANDREÆ CHEVALIER, Bibliopolæ & Typographi.

M D C C X X X.

CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAJESTATIS.

INDEX
VIGINTI-QUATUOR ROMANORUM PONTIFICUM

Quorum Constitutiones juxta temporum seriem continentur in hac Continuatione, Parte quartâ.

INDEX

INDEX
INITIORUM OMNIUM, ET QUARUMCUMQUE CONSTITUTIONUM,

Quæ in hoc Operé continentur.

A

B

C

D

E

G

H

I

INDEX
INITIORUM QUARUMCUMQUE CONSTITUTIONUM AC RUBRICARUM PONTIFICUM;

Quæ in hoc Opere continentur.

HADRIANUS VI.

PAULUS III.

PAULUS IV.

PIUS IV.

PIUS V.

GREGORIUS XIII.

SIXTUS V.

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS DECIMUS,

SIVE

CONTINUATIO, PARS QUARTA.

ALEXANDER SEXTUS, PONTIFEX CCXVIII.

ANNO DOMINI MCDXCII.

Anno 1492. ALEXANDER ex Illustri Borgiæ Stirpe post Innocentium VIII. Pontifex evasit. Ferdinando Hispano Regi Maurorum, Victori *Catholici* titulum concessit, atque inter eum, & Lusitaniæ Regem Indias divisit. Hoc sedente Carolus VIII. Galliæ Rex Neapolitanum Regnum sibi subjecit. Tandem, non sine Veneni suspicione, obiit anno 1503. Pontificatus II. Anno 1492.

(Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. App. fol. 452.)

I. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. XII. p. 541.

Renovat Innocentii VIII. Constitutionem pro moderandis Immunitatibus in Regno Angliæ: anno 1492.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.



Provisionis nostræ debet provenire subsidio, ut Jus suum cuilibet conservetur; Hinc est quod nos tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, in Registro ipsius repertum, pro eo quod, sicut exhibita nobis nuper pro parte Carissimi in Christo Filii nostri Henrici Septimi Angliæ Regis illustris Petitio continebat, ipse hujusmodi tenore ex certis causis asserit se indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad ipsius Henrici Regis supplicantis instantiam Præsentibus annotari fecimus, qui talis est.

Innocentius Episcopus Servus Servor. Dei &c. Romanum decet Pontificem concessas Immunitates, quibus mali se tuentur, & in dies ad pejora perpetrandum magis inducuntur, taliter moderari, quod exinde non præbeatur eis imposterum tanta delinquendi facultas; Sane sicut accepimus, in Angliæ Regno nonnulla Ecclesiastica tam Secularia quam Regularia & Religiosa Loca fore noscuntur, quæ tali gaudent Immunitate, ut quicunque facinorosi & scelestissimi Homines quæcunque Homicidia, Incendia, Sacrilegia, atque Furta, & alia mala committentes, etiam Latrones publici & Agrorum Populatores, ac rei Læsæ Majestatis, & debitorum aliorum ad illa recurrentes, & in illis moram trahentes, inde extrahi, & in eorum bonis & personis molestari non possint. Ex quo sequuntur continue, causa Immunitatis hujusmodi, in dicto Regno quamplura damna, atque mala, ac creditores defraudantur in Pecuniis, & aliis Rebus eis per alios debitis, cum illas, dum præfati debitores in dictis locis moram trahunt, nequeant recuperare.

Contingit etiam sæpenumero, quod hujusmodi mali, & facinorosi Homines videntes habere locum tutum, in quo dum moram trahunt, in Personis & Bonis nequeunt molestari, interdum exeunt ad aliquod maleficium perpetrandum, quo perpetrato, ad locum eorum redeunt, videntes se tutos fore, & per Justitiam puniri non posse.

Nos igitur Immunitatem hujusmodi aliquatenus moderari volentes, ut hujusmodi improbi homines de cætero magis studeant à malis abstinere, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ Petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, statuimus, decernimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Fures, Homicidæ, Latrones publici, Agrorum Populatores nocturni, prout etiam hoc à Jure permittitur, & in dictis Locis permanentes, ac ad committendum aliqua maleficia exeuntes, & ad dicta Loca redeuntes, inde de mandato Regis dicti Regni pro tempore existentis, aut officialium suorum extrahi & capi liberè & licitè, & absque alicujus censuræ, & pœnæ Ecclesiasticæ intercursu possint, quodque debitoribus aliorum ad dicta loca confugientibus, ex quo hoc in fraudem fecerint creditorum, quoad bona eorum, immunitas eorum in eis in aliquo non suffragetur. Si qui vero in dictis locis erunt suspecti de Crimine Læsæ Majestatis, qui fuerint convicti, ne exire possint ad pejora perpetrandum, eis per dictum Regem deputentur Custodes, qui illos habeant custodire;

dire; non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, nec non bonæ memoriæ Ottonis & Octoboni olim in dicto Regno Apostolicæ Sedis Legatorum, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel Specialibus constitutionibus & ordinationibus, statutis quoque, & consuetudinibus locorum prædictorum, & ordinum quorum illa fuerint, nec non ejusdem Regni Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque indultis, ac Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, eis Locis in genere & specie, ac sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti Derogatione Specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, Tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quoad præmissa, motu & scientia similibus Derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque; Verum quia difficile foret præsentes Litteras ad singula quæque loca in quibus expediens fuerit deferre, volumus, ac præfata auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu alicujus publici Notarii inde rogati subscriptis, & Sigillo ejusdem Regis, vel alicujus Curiæ Spiritualis munitis, ea prorsus in Judicio & extra, & alias ubilibet fides adhibeatur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ Constitutionis, Statuti, Ordinationis, Derogationis, Voluntaris, & Decreti, infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo octuagesimo septimo, octavo. Id. Augusti Pontificatus nostri anno 3°. &c.

II. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom I. Part. I. pag. 471.

Ferdinando Regi Castellæ, & Aragoniæ concedit jus in novum orbem à Columbo detectum cum designatione limitum per ductum certi Meridiani: anno 1493.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Ferdinando Regi, & charissimæ in Christo filiæ Elisabeth Reginæ Castellæ, Legionis, Arragonum, Siciliæ, & Granatæ illustribus, salutem & Apostolicam benedictionem.

INter cætera Divinæ Majestatis beneplacita Opera & cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum existit, ut fides Catholica & Christiana Religio nostris præsertim temporibus exaltetur ac ubilibet amplietur & dilatetur, animarumque salus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur & ad fidem ipsam reducantur. Unde cum ad hanc Sacram Petri Sedem, divina favente clementia, meritis licet imparibus, evecti fuerimus, cognoscentes Vos tanquam veros Catholicos Reges & Principes, quales semper fuisse novimus, ut à vobis præclare gesta, toto penè jam orbi notissima demonstrant, nedum id exoptare, sed omni conatu, studio & diligentia, nullis laboribus, nullis impensis, nullisque parcendo periculis, etiam proprium Sanguinem effundendo efficere, ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc jam dudum dedicasse, quemadmodum recuperatio Regni Granatæ à tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis gloria facta testatur; duximus non immerito & debemus illa vobis etiam sponte & favorabiliter concedere, per quæ hujusmodi sanctum & laudabile ac immortali Deo acceptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius Dei honorem & Imperii Christiani propagationem prosequi valeatis.

Sane accepimus, quod vos, qui dudum animo proposueratis aliquas Insulas & terras firmas remotas & incognitas, ac per alios hactenus non repertas, quærere, & invenire, ut illarum incolas & habitatores ad colendum Redemptorem nostrum, & fidem Catholicam profitendum reduceretis, hactenus in expugnatione & recuperatione ipsius regni Granatæ plurimum occupati, hujusmodi Sanctum & Laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis, sed tandem, sicut Domino placuit, regno prædicto recuperato, volentes desiderium adimpleri vestrum, dilectum filium Christophorum Colon, virum utique dignum & plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum, cum navigiis & oneribus ad similia instructis, non sine maximis laboribus & periculis ac expensis destinastis, ut terras firmas & insulas remotas & incognitas hujusmodi per mare, ubi hactenus navigatum non fuerat, diligenter inquireret. Qui tandem divino auxilio facta extrema diligentia in mari Oceano navigantes certas insulas remotissimas, & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant, invenerunt: in quibus quam plurimæ gentes pacificæ viventes, & ut asseritur, nudæ incedentes, nec carnibus vescentes inhabitant, & ut prætacti nuntii vestri possunt opinari, gentes ipsæ in Insulis & terris prædictis habitantes, dum credunt unum Deum Creatorem in cœlis esse, & ad fidem Catholicam amplexandum, & bonis moribus imbuendum satis apti viderentur, spesque habetur, quod si erudientur, nomen Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in terris & Insulis prædictis facile induceretur, ac præfatus Christophorus in una ex principalibus Insulis prædictis jam unam turrim satis munitam, in qua certos Christianos, qui secum iverant, in custodiam, ut alias Insulas & terras firmas, remotas & incognitas inquirerent, posuit, construi & ædificari fecit, in quibus quidem Insulis & terris jam repertis, aurum, aromata, & aliæ quamplurimæ res pretiosæ diversi generis, & diversæ qualitatis reperiuntur, unde omnibus diligenter, & præsertim pro fidei Catholicæ exaltatione, & dilatatione (prout decet Catholicos Reges & Principes) consideratis, more Progenitorum vestrorum claræ memoriæ Regum terras firmas, & Insulas prædictas, illarumque incolas & habitatores vobis, divina faciente clementia, subjicere, & ad fidem Catholicam reducere proposuistis. Nos igitur hujusmodi vestrum Sanctum & Laudabile propositum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, ut illud ad debitum finem perducatur, & per ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quam plurimum in Domino & per Sacri Lavacri susceptionem, quâ mandatis Apostolicis obligati estis, & viscera misericordiæ Domini Jesu Christi attente requirimus, ut cum per expeditionem hujusmodi in Insulis & terris degentes ad Christianam Religionem suscipiendam inducere velitis & debeatis, nec pericula, nec labores ullo unquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod Deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur. Et ut tanti negotii provinciam Apostolicæ gratiæ largitate donati liberius & audacius assumatis, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes Insulas, & terras firmas inventas, & inveniendas, detectas & detegendas versus Occidentem, & Meridiem; fabricando & construendo unam lineam à Polo Arctico, scilicet Septentrione, ad Polum Antarcticam, scilicet Meridiem, sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcunque partem, quæ linea distet à qualibet Insularum, quæ vulgariter nuncupantur *de Los Azores & Cabo verde*, centum Leucis versus Occidentem & Meridiem: ita quod omnes Insulæ & terræ firmæ repertæ & reperiendæ, detectæ & detegendæ à præfata Linea versus Occidentem & Meridiem per alium Regem aut Principem Christianum

non

non fuerint actualiter possessæ usque ad diem Nativitatis Domini nostri Jesu Christi proximè præteritum, à quo incipit annus præsens millesimus quadringentesimus nonagesimus tertius; quando fuerint per Nuntios & Capitaneos vestros inventæ aliquæ prædictarum Insularum, auctoritate omnipotentis Dei nobis in B. Petro concessa, ac Vicarius Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum Dominiis, Civitatibus, Castris, Locis & Villis, juribusque & jurisdictionibus, ac pertinentiis universis, Vobis Hæredibusque & Successoribus vestris Castellæ & Legionis Regibus in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus, assignamus, vosque & Hæredes ac Successores præfatos illarum Dominos cum plena, libera, & omnimoda potestate, auctoritate, & jurisdictione facimus, constituimus, & deputamus; decernentes nihilominus per hujusmodi donationem, concessionem, & assignationem nostram nulli Christiano Principi, qui actualiter præfatas Insulas & terras firmas possederit usque ad dictum diem Nativitatis Domini Jesu Christi jus quæsitum, sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ, sicut pollicemini, & non dubitamus pro vestra maxima devotione & Regia magniminitate vos esse facturos, ut ad terras firmas & Insulas prædictas viros probos & Deum timentes, doctos, peritos & expertos ad instruendum incolas & habitatores præfatos in fide Catholica & bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmissis adhibentes. Ac quibuscumque personis cujuscunque dignitatis, etiam Imperialis & Regalis Status, gradus, ordinis, vel conditionis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam eo ipso, si contrafecerint, incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas & terras firmas inventas & inveniendas, detectas & detegendas versus Occidentem & Meridiem, fabricando & construendo Lineam à Polo Arctico ad Polum Antarcticum, sive terræ firmæ & insulæ inventæ & inveniendæ sint versus Indiam, aut versus aliam quamcumque partem, quæ Linea distet à qualibet insularum, quæ vulgariter nuncupantur de Azores y Cabo Verde, centum leucis versus Occidentem & Meridiem, ut præfertur, pro mercibus habendis, vel quavis alia de causa accedere præsumant, absque vestra, ac Hæredum & Successorum vestrorum prædictorum Licentia Speciali; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque: in illo à quo Imperia & dominationes ac bona cuncta procedunt, confidentes, quod dirigente Domino actus vestros, si hujusmodi sanctum & laudabile propositum prosequamini, brevi tempore cum felicitate & gloria totius populi Christi vestri Labores & Conatus exitum felicissimum consequentur &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M CCCC XCIII. IV. Nonas Maij Pontificatus nostri Anno I.

III. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 12. p. 573.

Facultas tradita Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Dunelmensi ad absolvendos seditiosos & deturbatores Regni Angliæ: Anno 1495.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Carissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri, salutem & Apostolicam Benedictionem.

ALiàs felicis recordationis Innocentii Papæ VIII. Prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Cantuariensi, & Episcopo Dunelmensi, eorum propriis nominibus non expressis, facultatem concessimus absolvendi omnes & singulas personas Regni tui, quæ censuras in quibusdam aliis Litteris nostris contra Seditiosos & novos tumultus excitantantes contentas editis incurrissent, quoties expediret in forma Ecclesiæ consueta, prout in nostris desuper confectis Litteris, pleniùs continetur.

Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, contingere posset, quod Archiepiscopus & Episcopus præfati præmissa exequi semper commodè non possent; Nos animarum Saluti consulere volentes, omnibus & singulis Archiepiscopis & Episcopis præfati Regni, quos ad id pro tempore Majestas tua, aut tui Successores duxerint requirendos, & non alias, ad executionem dictarum Litterarum, aliàs in omnibus, & per omnia illarum forma servata, quoties opus fuerit, per se, vel alium, seu alios omnes & singulas personas Regni prædicti, quæ censuras tam in prædictis nostris, quam ipsius Innocentii Litteris contra Seditiosos ipsos contentas editis incurrissent, absolvendi ulteriusque procedendi, perinde ac si eis à principio directæ fuissent, & dirigerentur, plenam & liberam facultatem concedimus per præsentes, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in aliis litteris prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo quinto Id. Julii, Pontificatus nostri anno tertio.

Concessio, ut Equites Ordinum Militarium Lusitaniæ à Voto Castitatis absolvantur, ut salvo Ordine matrimonia inire possint: anno 1496.

IV. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 1. P. 1. pag. 475.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAne pro parte charissimi in Christo filij nostri Emanuelis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illustris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in regnis prædictis, in quibus militiæ Jesu Christi & de Avis Cisterciensis Ordinis pro infidelium expugnatione & depressione ad militandum contra eos ab eorum primæva fundatione institutæ, fere universi milites dictarum militiarum pro majori parte continentiæ & castitatis voto, quod in eorum professione emittunt, contempto, concubinas etiam plures, & in eorum ac Præceptoriarum & Prioratuum dictarum militiarum propriis domibus & locis, non sine magno religionis opprobrio, publicè tenere & eis cohabitare, ac etiam adulteria cum aliis mulieribus conjugatis committere non verentur; ex quo ab eorundem regnorum incolis & habitatoribus maximo odio habentur, dissensiones & inimicitiæ oriuntur, diversa scandala quotidie concitantur, ac non parva militum eorundem imminent pericula animarum. Verum si statueretur, & ordinaretur, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in dictis militiis profiteri volentes professionem solitam, & continentiæ votum matrimoniale, prout milites militiæ Sancti Jacobi de Spatha, Ordinis S. Augustini emittunt, emittere deberent, & ad eorum instar matrimonium contrahere possent, ex hoc profecto incontinentiæ adulteriis, odijs, dissensionibus, inimicitiis, scandalis, & animarum periculis hujusmodi obviaretur, ac multi nobiles regnorum eorundem, qui militiis prædictis adversus ipsos infideles plurimum utiles & fructuosi essent, videntes se matrimonium contrahere posse, ad profitendum in dictis militiis inducerentur, ac quam plures nobiles mulieres, quæ cum difficultate nuptui tradi possunt, cum eisdem militibus possent matrimonio collocari, quod ad maximum incolarum regnorum eorundem consolationem cederet pariter & quietem.

Quare pro parte tam præfati Emanuelis Regis, qui dictæ Militiæ Jesu Christi in temporalibus per Sedem Apostolicam administrator seu gubernator deputatus existit, quam dilectorum filiorum universorum Priorum, Præceptorum, & Militum dictarum

Jesu Christi, & de Avis militiarum maxima cum instantia & sæpenumero nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis oportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui animarum periculis ac scandalis & dissensionibus, ne eveniant, quantum cum Deo possumus, libenter obviamus, attendentes, quod Dominus noster Jesus Christus beato Petro Apostolo, cujus vices, meritis licet imparibus, tenemus in terris, nunquam tantam tribuisset potestatem, ut diceretur: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit ligatum in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum in cœlis; Nisi ipsum Petrum, & ejus Successores ea potestate aliquando uti oportere indicasset, ex præmissis, & ex aliis nobis expositis causis, facta etiam super hoc, per Venerabilem Fratrem nostrum Georgium Episcopum Albanenensem Cardinalem Ulixponensem nuncupatum, de ipso Portugalliæ regno oriundum, in Sacra Theologia peritissimum, ac in magnis & arduis rebus longa experientia comprobatum, vitæ exemplaris & morum honestate decorum, aliisque virtutum donis, quæ in eo divina propagavit clementia, multipliciter insignitum, asserentem, se de hoc plurimum informatum esse, ac ita in regnis prædictis omnino expedire, idque etiam dudum antea cum felicis recordationis Sixto V. &c. Innocentio VIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, dum in humanis agebant, conclusisse, qui morte præventi ad finalem expeditionem devenire nequiverunt; Nos relatione fideli hujusmodi & instantissimis supplicationibus inclinati, & rationibus, in dictis Jesu Christi, & de Avis militiis profiteri volentes solitam & quoad continentiæ votum matrimonialem, prout milites militiæ Sancti Jacobi de Spatha hujusmodi emittunt professionem, emittere debeant, & ad eorum instar matrimonium aliàs tamen ritè contrahere, & in eo postquam contractum fuerit, remanere liberè & licitè possint; Auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, ac Apostolicæ Potestatis plenitudine tenore præsentium statuimus pariter & ordinamus, ac cum eis hoc dispensamus, prolem ex hujusmodi matrimoniis suscipiendam legitimam pronuntiantes; firmis tamen in reliquis institutis dictarum Jesu Christi & de Avis militiarum omnino remanentibus, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis earundem Jesu Christi & de Avis militiarum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXCVI. XII. Kal. Julii, Pontificatus nostri anno IV.

V. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. I. Part. I. pag. 476.

Confirmatio Militiæ S. Michaelis à Rege Galliæ institutæ: anno 1496.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRO parte Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Francorum Regis illustris nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim claræ memoriæ Ludovicus etiam eorundem Francorum Rex ejusdem Caroli Regis genitor, tunc in humanis agens, singularis devotionis fervore accensus, cupiens pro tuitione & defensione Fidei Catholicæ, ac regni sui, totiusque Reipublicæ Christianæ, in honorem Sancti Michaelis Arcangeli certam militiam, seu auratam Societatem in sincera & cara fraternitate & unione mutua se perpetuo habituram, quæ regalis ordo in posterum nuncuparetur, instituere, triginta sex milites seu auratos, quorum ipse seu Successores sui Francorum Reges essent Caput, haberentque superioritatem, congregavit, seu congregari voluit, indixitque pro conservatione, & manutentione Societatis, fraternitatis & unionis prædictarum certa statuta nonnullasque ordinationes & consuetudines perpetuò duraturas, & deinde pro augmentatione & magnificentia dictæ militiæ regalis votum emisit solemne, æternæ, increatæ, immensæ, summæ, omnipotenti, & gloriosissimæ, ac individuæ Trinitati Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui Sancto, de erigendo, seu erigi faciendo per Romanum Pontificem pro tempore existentem, Sedemque Apostolicam ad honorem ipsius Trinitatis, intemeratæ Virginis Mariæ, ipsius humani generis Redemptori piæ Matris; dicti S. Michaelis, totiusque Curiæ Cælestis in Capella ejusdem S. Michaelis sita in Palatio Regalis Parisiensis, in quo Parlamentum teneri consuevit in inferiori parte, & sitam prope portam introitus ipsius Palatii unum Collegium Virorum Ecclesiasticorum Sæcularium, qui inibi Divinum Officium horis congruis & competentibus diurnis pariter & nocturnis decantare, pariterque celebrare deberent &c. Constituit Alexander Leges in divino cultu peragendo in ea Sacra Ædicula observandas, ac Sacerdotum munera distinguit, nec non prærogativis illustrat. Datum Romæ apud Sanctum Petrum MCCCCXCVI. Idibus Novembris, Pontificatus nostri anno V.

VI. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 12. pag. 762.

Excommunicatio & Interdictum contrà Ludovicum Galliæ Regem communicatum, si defecerit in solutionibus Regi Angliæ promissis: anno 1500.

ALEXANDER EPISCOPUS.

Ad futuram rei memoriam.

ILlius vices licet immeriti gerentes in Terris, cujus in pace locus factus est, ad ea vigilantiæ nostræ Curas libenter convertimus, per quæ inter Catholicos Reges ac Principes Pacis Fœdera conserventur, & Populi sibi subjecti in pulchritudine Pacis sedeant & Fiduciæ Tabernaculis inhabitent, & ea quæ pro hujusmodi Pace conservanda per eosdem Reges providè gesta & inita comperimus, libenter, cum à nobis petitur, Apostolico munimine roboramus.

Sanè pro parte charissimi in Christo Filij nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi nobis nuper exhibita petitio continebat, quod. Cum olim, claræ memoriæ Carolus, tunc eorumdem Francorum Rex, præfati Ludovici Regis immediatus Prædecessor, dum in humanis ageret, cum Charissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliæ Rege illustri pacem & concordiam sub certis modo & forma iniens, pro adimplemento ac observatione quarumdam obligationum, in quibus Charissima in Christo Filia nostra Anna Francorum Regina, & etiam tunc Britanniæ Ducissa, pro Stipendiis armatorum, qui eidem Annæ ante contractum inter eam & præfatum Carolum Regem matrimonium ex parte dicti Henrici Regis succursum præbuerant, præfato Henrico Regi obligabantur, & etiam pro Arreragiis certorum debitorum inter recolendæ memoriæ Ludovicum etiam Francorum, & Eduardum Angliæ Reges, dum viverent, in Tractatu de Picquigni contractorum, ac ex certis aliis causis in summa septingentarum, & quadraginta quinque millium Coronarum Auri eidem Henrico Regi, ac suis extunc imposterum Successoribus in certis tunc expressis Loco & Terminis, annuatim persolvenda, se obligasset, & extunc solutionem dictæ Summæ facere incepisset. Præfatus Ludovicus Rex modernus, eodem Carolo Rege, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, ad Fastigium Regiæ Celsitudinis immediatè assumptus, obligationem ipsam bona fide agnoscens, sub pœnis obligationis formæ Cameræ Apostolicæ, & aliàs se & Hæredes suos Regnum, Patrias, & Dominia ac Bona sua tunc

præſentia & futura, nec non ſingulos ſubditos ſuos & eorum Bona obligando, promiſit promiſſa per dictum Carolum Regem obſervare, & reſiduum dictæ ſummæ perſolvere, & confirmationem Promiſſionis & Obligationis hujuſmodi infra certum tunc expreſſum tempus à Sede Apoſtolica & Nobis impetrare & obtinere, appoſitis pœnis interdicti in Regnum, Patrias & Dominia ſua antedicta, atque Excommunicationis in perſonam ſuam, ſi & quatenus promiſſa per eum minimè adimplerentur, prout in quibuſdam litteris Patentibus ipſius Ludovici Regis deſuper confectis; quas diligenter inſpici & omiſſis characteribus & ſignis, de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, pleniùs continetur.

Quare pro parte præfati Ludovici Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut promiſſioni & obligationi prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, aliàsque in præmiſſis oportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur,

Nos igitur, qui inter cunctos Chriſti fideles, præſertim Catholicos Reges & Principes, pacis amœnitatem vigere & augeri, noſtris potiſſimè temporibus ſupremis deſideramus affectibus, quique tempus, infra quod præſens Confirmatio obtineri debebat, cauſa maturiùs procedendi, hactenus prorogavimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, obligationem & promiſſionem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & ſingula in dictis patentibus litteris contenta & indè ſecuta quæcunque præfata, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.

Mandantes illas juxta dictarum litterarum patentium continentiam & tenorem, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, firmiter obſervari, quam ſi idem Ludovicus Rex contrafecerit, eo ipſo incurriſſe noſcatur, ac decernentes, præſentes litteras ad probandum plenè prorogationem prædictam ubique ſufficere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri, irritum quoque & inane quicquid ſecùs his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Et nihilominus, ſi contingat præfatum Ludovicum Regem ejuſque Hæredes aut Succeſſores Promiſſioni & Obligationi præfatis contravenire.

Nos ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc Regnum, Patrias, & Dominia ſua prædicta Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, tamdiù firmiter obſervando, donec de Debitis fuerit eidem Henrico Regi ejuſve Hæredibus & Succeſſoribus juxta dictarum Patentium Litterarum Seriem & Tenorem, realiter & cum effectu integrè ſatisfactum; non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Tenor vero Litterarum Ludovici *Regis hujuſmodi ſequitur, & eſt talis:*

LUDOVICUS Dei gratia, Francorum Rex univerſis & ſingulis præſentes litteras inſpecturis, Salutem.

Cum dudùm claræ memoriæ, Chariſſimus Dominus Frater & Prædeceſſor noſter Rex Carolus, quem Dominus abſolvat, volens adimplere, & executioni debitè demandari ea, quæ promiſſa & concluſa fuerant per Tractatum Pacis, & amicitiarum inter certos Ambaſiadores & Commiſſarios Chariſſimi Fratris & Conſanguinei noſtri Henrici Angliæ Regis parte ex altera, apud Stapulas propè mare factum & concluſum in hac forma; videliter.

Quòd pro aquietamento & redemptione obligationum, quas ipſe Conſanguineus noſter habebat & tenebat de chariſſima ac dilectiſſima Conſanguinea noſtra Anna de Britannia tunc Conſorte, nunc vero relicta dicti Fratris noſtri Regis Caroli, ante matrimonium inter eas contractarum, quibus obligationibus dicta Conſanguinea noſtra promiſerat ſolvere, & reſtituere eidem Regi Angliæ & ſuis Hæredibus omnes & ſingulas expenſas, ac pecuniarum ſummas, quas ipſe Rex Angliæ expoſuerat, & exinde expoſiturus eſſet pro ſtipendiis armatorum, & aliis oneribus & ſumptibus factis & fiendis pro Exercitibus Succurſu & Subſidio per dictum Fratrem noſtrum Angliæ Regem diverſis vicibus antedictæ Conſorti ſuæve ſubditis de Britannia tunc ſuam partem tenentibus miſſis, & traditis, & etiam pro acquietamento ſeu redemptione obligationum, quas defunctus Eduardus Rex Angliæ habuerat per tractatum de Picquigni à quodam Ludovico Rege Progenitore dicti Fratris noſtri Regis Caroli, etiam Prædeceſſore noſtro, & pro Arreragijs quinque terminorum ad ſummam centum & viginti quinque millium Coronarum Auri aſcendentium, ipſe Frater noſter Rex Carolus ſuique Hæredes ſolverent, aut ſolvi facerent dicto Chariſſimo Fratri & Conſanguineo noſtro Henrico Regi Angliæ & ejus Hæredibus ſeptingenta & quadraginta quinque millia Coronarum Auri, unaquaque corona valente triginta quinque Solidos Turonenſes, in terminis, modo & forma in litteris dictorum ſuorum Ambaſciatorum latiùs contentis, & expreſſis, per ſuas patentes litteras manu ſua ſignatas, Dat. Ambaſſiæ tertia decima menſis Decembris Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, & regni ſui decimo, confeſſus fuerit & declaraverit, ſeque & Hæredes ſuos obligaverit, ac pro ſe & eiſdem ſuis Hæredibus conſenſerit, & promiſerit ſolvere, & deliberare, ſeu ſolvi & deliberari facere dicto Chariſſimo Fratri, & Conſanguineo noſtro Henrico Regi Angliæ, & ejus Hæredibus ſeu ipſius aut ipſorum Deputato, aut Deputatis dictam ſummam ſeptingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum prædicti valoris monetæ, in Regno Franciæ, tunc curſum habentis, ſub modo & forma ſequentibus; videlicet.

In villa Caleſia, die primo menſis Maij tunc proximè futuro, viginti quinque millia Francorum in Coronis Auri valoris ſupradicti, uno quoque Franco valente viginti Solidos Turonenſes.

Et primo die menſis Novembris ex tunc etiam proximè ſequenti viginti quinque millia Francorum in Coronis Auri valoris antedicti in Villa Caleſiæ. Et ſic, de anno in annum & de termino in terminum, ipſe Dominus & Frater Rex Carolus, & ſui Hæredes ſolverent, & deliberarent, ſolvive, & deliberari facerent dicto Conſanguineo noſtro Chariſſimo Regi Angliæ & ejus Hæredibus, aut ejus ſeu eorum Deputato ſeu Deputatis loco & terminis prædictis, donec & quouſque dicta ſuma ſeptingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum Auri plenè & integrè ſoluta & contentata foret, prout in dictis litteris ſuis pleniùs continetur.

Et deinde dictus Dominus & Frater noſter Rex Carolus, ad executionem præmiſſorum ſupradictorum ritè procedens, ſolvi & deliberari fecerit annuatim prædicto Fratri & Conſanguineo noſtro Regi Angliæ, ſeu Deputatis ab eo ſummam quadraginta millium Francorum in Coronis Auri valoris antedicti, ac in terminis & locis, ut ſupra præfixis, prout per Quietantias, & Recognitiones deſuper habitas latiùs apparet.

Notum facimus, quod Nos, qui poſt obitum dicti Domini & Fratris Prædeceſſoriſque noſtri Caroli Regis ad Regnum & Coronam Franciæ hæreditaria Succeſſione venimus, cupientes tanquam Hæres ſuus debitis ſuis ſatisfacere, promiſſaque per eum, ut prædicitur, ad unguem complere, ob cauſas antedictas, & alias conſiderationes, in hac parte nos moventes. Deductis prius, & defalcatis de prædicta ſumma ſeptingentarum, & quadraginta quinque millium Coronarum Auri, omnibus & ſingulis ſummis & ſolutionibus per eundem Fratrem & Prædeceſſorem noſtrum Regem Carolum antedicto Fratri & Conſanguineo noſtro Chariſſimo Regi Angliæ, ſeu ejus Deputatis quolibet anno factis & ſolutis, de quibus conſtat, ut prædicitur.

Confitemur & declaramus, Noſque, & Hæredes noſtros per has præſentes nomine noſtro ſubſignatas obligamus, & pro nobis, & dictis noſtris

Hæredibus consentimus & promittimus persolvere, & deliberare, seu persolvi & deliberari facere charissimo Fratri & Consanguineo nostro prædicto Henrico, Regi Angliæ, & ejus Hæredibus, seu ipsius aut ipsorum Deputato aut Deputatis, totum Residuum, & res tam dictæ summæ septingentarum, & quadraginta quinque millium Coronarum, unaquaque Corona valoris triginta quinque solidorum Turonensium monetæ, nunc in Regno nostro cursum habentis, secundum quod inter præfatos Fratres nostros conventum fuit, ipsumque Residuum dictæ summæ septingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum Auri.

Nos & Hæredes nostri solvemus & deliberabimus, solvive & deliberari faciemus, eidem Angliæ Regi, & ejus Hæredibus, aut ejus, seu eorum Deputato, seu Deputatis in Villa Calesia, die primo mensis Novembris proximè futuro, viginti millia Francorum in Coronis Auri, valoris supradicti, unoquoque Franco valente viginti solidos Turonenses, & primo die mensis Maij ex tunc proximè sequenti viginti quinque millia Francorum in Coronis Auri, valoris supradicti, in villa Calesiæ, & sic de anno in annum, & de termino in terminum, Nos & Hæredes Nostri solvemus & deliberabimus, solvivè & deliberari faciemus dicto Consanguineo Nostro, & ejus Hæredibus, aut ejus, seu eorum Deputato, vel Deputatis, loco & terminis prædictis, donec & quousque dicta summa septingentarum & quadraginta quinque millium Coronarum Auri æstimationis prædictæ, per Nos & Hæredes Nostros, præfato Regi Angliæ & Hæredibus suis, ut prædictum est, plenè & integrè soluta & contentata fuerit.

Ad quam quidem solutionem fideliter & firmiter, sicut præmittitur, faciendam promittimus, astringimus, & obligamus bona fide, & in Verbo Regio Nos & Hæredes Nostros Regnum, Patrias, & Dominia & Bona nostra præsentia & futura, singulos subditos nostros, ac eorum bona ubicunque reperta fuerint. Renunciantes in hac parte omni Privilegio, Cautelæ, Juris Beneficio, Exemptioni non numeratæ pecuniæ, & aliis Exceptionibus atque Defensionibus quibuscunque. Et ad omnium & singulorum præmissorum securiorem observantiam obligamus Nos, sub pœnis Cameræ Apostolicæ & per obligationem de nisi.

Et ultra, ac citra præmissa Rescriptum Apostolicum sigillo plumbeo munitum, sumptu & expensis Nostris impetrabimus & obtinebimus, ipsique Serenissimo Regi Angliæ, vel ejus Hæredibus, infra decem & octo menses, datam præsentium proximè sequentes, deliberabimus deliberarive realiter faciemus, quo omnia & singula Præmissa Sedis Apostolicæ confirmabuntur auctoritate, appositis pœnis interdicti in Regnum, Patrias, & Dominia nostra antedicta, atque excommunicationis in Personam Nostram, si & quatenus omnia & singula præmissa, quantum nos concernunt, ut præfertur, minimè conservaverimus & impleverimus. In quorum omnium & singulorum Præmissorum Fidem & Testimonium his præsentibus Litteris nostris patentibus, manu nostra subscriptis, Sigillum Nostrum magnum fecimus apponi, Datum Parisiis die decima quarta mensis Julii, Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, & Regni Nostri primo.

Per Regem, Dominis Cardinalibus Gurciæ, ac Remensi Duce de Nemours, nobis Archiepiscopis Rothomagensi, & Bituricensi Comite de Linei, Episcopis Parisiensi & Tricensi, Dominis de Guise, Marescallo Franciæ, & aliis præsentibus,

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Approbationis, Confirmationis, Communitionis, Mandati, Decreti & Suppositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationis Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, Pridie Id. Junii, Pontificatus Nostri anno octavo.

JULIUS SECUNDUS.
PONTIFEX CCXX.
ANNO DOMINI MDIII.

JUlius ex Familia Roverea Sixti Quarti, ex Fratre Nepos: anno 1503. Pontifex renunciatur. Primus contrà Prædecessorum consuetudinem barbam alere cœpit, quâ majorem sibi reverentiam conciliaret. Vir excelsi animi, cui quum Claves Petri non essent satis, Pauli gladio usus est ad Ecclesiasticam ditionem asserendam; novem annis Pontificatum tenuit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *App. fol.* 464.)

Contrà abutentes Immunitatibus Ecclesiarum in Regno Angliæ, anno 1504. I. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 13.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem taliter providere, quod immunitates, quæ Ecclesiis ob Reverentiam Divini Nominis, & ad Præsidium Innocentium provida moderatione concessæ fuerunt, malis ad pejora perpetranda audaciam non præbeant, sed illas taliter moderari, quod exindè & Ecclesiis Privilegia conserventur, & delinquentium effrænata temeritas compescatur. Sanè sicut accepimus in Regno Angliæ sæpenumero contingit, quòd rei, vel suspecti Criminis Læsæ Majestatis, Homicidæ voluntarii, publici Latrones, ac Itinerum, & publicarum viarum Effractores, & Insidiatores, ad Loca Ecclesiastica, tàm sæcularia, quàm regularia confugiunt, confidentes, indè se propter Immunitatem Ecclesiæ concessam extrahi non posse; ac etiam postquam in locis prædictis sunt constituti, de novo etiam prædicta crimina, ac alia similia, vel pejora committere non verentur, indè exeuntes, & deindè pro eorum defensione, ne capiantur, ad dicta loca, vel alia quæcunque immunitate gaudentia se retrahentes.

Nos igitur in præmissis debitè providere volentes, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod deinceps, quoties contigerit in dicto Regno hujusmodi Criminis Læsæ Majestatis Reos, vel suspectos ad dicta loca etiam quovis exemtionis Privilegio munita confugere, quamvis de criminibus hujusmodi, aut eorum aliquo convicti non fuerint, custodes ad custodiendum illos in dictis locis, ne indè aufugiant, deputari debeant, & si dicti Criminis Læsæ Majestatis, Rei vel Suspecti, aut Homicidæ, Latrones, vel Itinerum, & publicarum viarum Effractores seu Insidiatores, in dictis locis moram trahentes, vel indè exeuntes, de novo prædicta crimina, vel eorum aliqua, aut deteriora, vel alia similia committere præsumpserint, vel indè recedentes ad prædicta, vel alia quæcunque loca etiam quacunque immunitate gaudentia confugerint, ab illis licitè extrahi, & Justitiæ committi possunt.

Non obstantibus præmissis, ac bonæ memoriæ Ottonis, & Ottoboni olim in dicto Regno Apostolicæ Sedis Legatorum, in Provincialibus quoque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & Statutis, Consuetudinibus Ecclesiarum, & locorum prædictorum, & etiam Ordinum quorum illa fuerint, nec non ejusdem Regni Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Privilegiis, quoque Indultis, ac Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, etiam sub

quibus-

quibuscunque censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ipsis Ecclesiis, & locis in genere vel in specie, & sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam Derogatoriarum Derogatoriis concessis, & concedendis imposterum, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi pro sufficienter expressis habentes, hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Verùm quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, manu publici Notarii indè rogati subscriptione, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, seu Curiæ Ecclesiasticæ munitis, ea prorsus Fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostrorum Statuti, Ordinationis, Derogationis, Voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quarto, tertio decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri anno primo.

Sigismundus
D. de Comitibus.

II. Ex Archiv. Reipubl. Genevens.

Bulla ad Viennensem, Lugdunensem, & Gebennensem Officiales, quâ eis jubetur, ut executioni mandent, quæ in Bulla eodem die scriptâ continentur: Data ad Confirmationem Decreti in Conventu generali Civium Gebennensium editi; ita ut uti possint pecuniis, quas variæ Fraternitates ad cultum supra necessaria possident ad præbenda Stipendia Nosocomio peste laborantium aliquot abhinc annis ædificato in plano Palatio suburbiorum Civitatis Gebennensis: anno 1505.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Viennensi, & Lugdunensi, ac Gebennensi Officialibus Salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie à nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis: Julius Episcopus, Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Illis quæ pro infirmorum & aliarum miserabilium personarum pia subventione, & ne alii Christi Fideles, ex contagiosa conjunctione eorumdem infirmorum, inficiantur, proindè facta dicuntur, libenter, cum à Nobis petitur, adjicimus Apostolici muniminis firmitatem. Sanè pro parte dilectorum filiorum Communitatis Civitatis Gebennensis, Nobis nuper exhibita petitio continebat.

Quod cum ipsi Communitas quoddam Hospitale à paucis annis citra in plano Palatii suburbiorum civitatis prædictæ, pro infirmis pestiferis recipiendis, construi & ædificari fecisset, & ad illud morbo pestilentiali infecti confugientes seu declinantes visitarentur, & vitæ alimenta, ac alia necessaria susciperent. Communitas præfati, seu eorum Sindici, & alii cives dictæ civitatis, totam Communitatam repræsentantes, considerantes intolerabiles expensas, pro præmissis necessarias ex facultatibus seu fructibus dicti Hospitalis supportari non posse, cum illius facultates sive fructus admodum exigui, imo quasi nulli sint, nisi prout per Christi Fideles, pro hujusmodi oneribus supportandis in Eleemosinam erogatur, cupientes que tam pio & necessario ac charitativo operi subventionis ipsarum personarum morbo pestifero infectarum salubriter provideri. Habito super hoc generali Concilio, ubi dilecti filii Priores & Confratres Confratriarum civitatis prædictæ interfuerunt, concorditer statuerunt & ordinaverunt, quod pro oneribus prædictis supportandis omnes pecuniæ in quibuscunque Confratriis dictæ civitatis, & penes Confratres dictarum Confratriarum existentes, ultra onera in eisdem Confratriis supportari solita, & ipsis oneribus in ipsis Confratriis priùs supportatis & deductis, ad opus dicti Hospitalis pestiferi pro oneribus prædictis erogarentur, hujusmodique statutum & ordinationem seu deliberationem Venerabilis Frater Noster Aymo, Episcopus Lausannensis, & Ecclesiæ Gebennensis in spiritualibus & temporalibus per Sedem Apostolicam Administrator deputatus, ordinaria auctoritate approbavit & confirmavit, ac mandavit ejus Officialibus in spiritualibus & temporalibus, mediatis & immediatis, ipsorumque loca tenentibus, sub pœna excommunicationis, & centum Librarum Gebennensium, pro quolibet eorum, quatenus præmissa attenderent, & observarent, & in nullo contravenirent, omnesque & singulos Priores & Rectores quarumcunque Confratriarum, cujuscunque status vel conditionis forent, Ecclesiasticos vel Sæculares cogerent & compellerent, censuris & aliis modis fortioribus ad reddendum quolibet anno computum, & legitimam cautionem prædictis Sindicis, seu Deputatis ab eis, de gestis & administratis per eos, occasione præmissorum & prædictarum Confratriarum, & reliqua supportatis oneribus eisdem Confratriis incumbentibus, dictis Sindicis seu Deputatis ab eis traderent & solverent, quibuscunque oppositionibus rejectis, prout in instrumento super deliberatione præmissorum per dictum Concilium generale habito, ac litteris Episcopi & Administratoris, super confirmatione & Approbatione prædictis habitis, dicitur plenius contineri.

Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, præmissa cedant non solum ad piam & miserabilem subventionem dictorum peste pro tempore infectorum in dicto Hospitali recipiendorum, sed etiam ut bona dictarum Confratriarum benè & laudabiliter dispensentur, & ex illorum laudabili dispensatione etiam prædictis pestiferis subveniatur. Pro parte earumdem Communitatis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Statuto & Ordinationi, nec non Approbationi, Confirmationi & Mandato prædictis, pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ Confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportunè providere, de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui singulorum pauperum miserabiliumque personarum indigentiis piè subveniri sinceris desideramus affectibus, Communitatem præfatos ipsiusque Communitatis singulares personas à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis & Pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos forè censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Statutum & Ordinationem, nec non Approbationem, Confirmationem & Mandatum prædicta, ac prout illa concernunt omnia & singula in Instrumento & litteris prædictis contenta, Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus; supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominùs pro potiori cautela præmissa omnia de novo eadem Auctoritate Apostolica statuimus & ordinamus, ac perpetuis futuris temporibus, modis & formis in Instrumento & litteris prædictis contentis, observari debere decernimus & mandamus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Civitatis, juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & Consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, suppletionis, statuti, ordinationis, decreti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo quinto, Pridie Cal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, litteras prædictas & in illis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Communitatis præfatorum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate vestra statutum & ordinationem prædicta firmiter observari, ac eosdem Communitatem pacifica possessione vel quasi statutorum, ordinationum, approbationum, confirmationum, suppletionis, decreti & mandati prædictorum, juxta dictarum litterarum continentiam, gaudere, non permittentes Communitatem præfatos per Priores & Rectores prædictos seu quoscunque alios contra earundem litterarum tenorem quomodolibet indebite molestari, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus omnibus quæ in dictis litteris noluimus non obstare, seu si Prioribus & Rectoribus præfatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo quinto, Pridie Cal. Martii, Pontificatus nostri anno tertio.

D. de Comitibus.

III. Ex Archiv. Reipub. Genev.

Ad Viennensem, Lugdunensem & Gebennensem Officiales, ut conficiatur Inventarium, & Sequestrium bonorum defunctorum, quorum hæreditas beneficio Inventarii assumitur: anno 1505.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Viennensi & Lugdunensi ac Gebennensi Officialibus salutem & Apostolicam benedictionem.

HOdie à nobis emanarunt litteræ tenoris subsequentis. Julius Episcopus Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ea quæ pro singulorum Christi fidelium indemnitatibus providè facta statuta & ordinata dicuntur, ne impugnationi subjaceant, libenter cum à nobis petitur Apostolico munimine roboramus, & alias in his nostris pastoralis officii parte favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sane pro parte dilectorum Filiorum Communitatis & Syndicorum Civitatis Gebennensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod exposito alias per tunc Syndicos dictæ Civitatis, etiam tunc Vicario in Spiritualibus generali Venerabilis Fratris nostri Aymonis Episcopi Lausannensis & Ecclesiæ Gebennensis in Spiritualibus & Temporalibus Administratoris per Sedem Apostolicam deputati, quod alias & moderno temporibus plerique Mercatores Burgenses & diversorum statuum Incolæ & habitatores dictæ Civitatis Territorii & Jurisdictionis Episcopalis Gebennensis, dum viverent, diversis suis Creditoribus obnoxii, licèt plura bona mobilia & immobilia debita & credita possiderent, undè suis commode satisfacere possent creditoribus, tamen cum postmodum decessissent, Successores in eorum bonis per longa tempora bona hujusmodi contractaverant, primo illa occultaverant & dissipaverant, & volentes suos Creditores defraudare se heredes dictorum defunctorum cum beneficio legis & Inventarii appellabant seu constituebant, & bonis prædictis pro parte dissipatis de eis tale quale juramentum faciebant citatis prius creditoribus dicentes, decreto Juris infra quadraginta dies à morte sui Antecessoris hæreditatem ipsam si ipsi Creditores vellent acceptare, & aliquando post lapsum quadraginta dierum se ad pristina tempora restitui petebant, & alias discussionem bonorum in tantum differebant, quod bona ipsa & illorum fructus sibi interim appropriabant, & alia tunc expressa faciebant in grave ipsorum creditorum præjudicium, & aliquando ad miserabile beneficium cessionis bonorum admitti fraudulenter petebant, pauca ex bonis suis manifestantes & alia retinentes, in simile grave præjudicium dictorum creditorum & etiam reipublicæ. Idem Vicarius habita prius cum Syndicis & Concilio Episcopali dictæ Civitatis deliberatione matura, ut præmissis fraudibus obviaretur, dictorum Syndicorum Supplicationibus in ea parte inclinatus ordinaria auctoritate perpetuo statuit, quod defunctis aliquibus tam in Civitate prædicta & ejus Suburbiis, quam aliis Territoriis Episcopali Jurisdictioni Gebennensi tam mediate quam immediate subjectis Ecclesiasticis vel Secularibus, cujuscumque Status, gradus vel conditionis forent, si aliqui eorum Successores & in eorum hæreditatibus & bonis prætendere volentes illorum hæreditatem cum beneficio legis & Inventarii adire, & si illorum hæredes ita appellari voluerint, illico aut saltem infra tres dies, & antequam aliqua ex bonis dictorum defunctorum contractare seu de illis quomodolibet immiscere deberent, de ipsis bonis legale & decens Inventarium in manibus Justitiæ conficere, etiamsi Testator prohibuerit, & bona ipsa omnia ipsius defuncti sine fraude distribuere tenerentur, & ipsis inventario & descriptione factis bona ipsa omnia ipsius defuncti mobilia & immobilia debita & credita quæcumque, in manibus duorum proborum idoneorum similis defuncti conditionis Status & facultatis per ipsum Vicarium seu Judicem & Vicarios loci talis defuncti vocatis Syndicis & Procuratoribus dictæ Civitatis & aliorum locorum Episcopatus eorum quibus fiet discussio eligendorum, sub ipsis descriptione & Inventario remitti & reponi deberent, qui bona ipsa ac fructus & emolumenta eorum pro dictis Creditoribus conservarent, donec & quousque bona ipsa fuerint discussa, & ipsis sic electis pro eorum labore de dictis bonis satisfieri deberet, & si secus factum fuerit, decrevit & declaravit eosdem tales contractatores pro veris hæredibus ipsorum defunctorum appellari & contra eos tanquam veros hæredes per dictos Creditores agi, ac mandavit præmissa omnia per singulos Judices & Officiales in Temporalibus & Spiritualibus sub pœna excommunicationi observari, quæ omnia postmodum dictus Aymo Episcopus & Administrator sua ordinaria auctoritate approbavit, & confirmavit, prout in litteris Vicarii & Administratoris prædictorum desuper confectis & eorum Sigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Communitatis & Syndicorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuto, decreto, declarationi, mandato & approbationi ac confirmationi prædictis pro illorum subsistentia firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui singulorum indemnitatibus, quantum cum Deo possumus, libenter consulimus, Communitatem & Syndicos præfatos ipsius Communitatis singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Eccle-

siasticis

siasticis Sententiis, Censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Statutum, Decretum, Declarationem, Mandatum, Approbationem & Confirmationem prædicta, nec non prout illa concernunt omnia & singula in litteris prædictis contenta, Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautela præmissa omnia de novo dicta Auctoritate Apostolica statuimus, decernimus & observari mandamus, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ & Civitatis prædictarum juramento vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Absolutionis, Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Statuti, Decreti & Mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, pridie Calendas Martii, Pontificatus Nostri Anno Tertio. Quocirca Discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus; quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios litteras prædictas & in illis contenta quæcumque, ubi & quando expediens fuerit, & quoties super hoc pro parte Communitatis, seu Syndicorum prædictorum, aut alicujus eorum requisiti fueritis, solemniter publicantes eisque in præmissis efficacis defensionis assistentes, faciatis eos auctoritate vestra pacifica possessione, vel quasi Statuti, Decreti, Declarationis, Mandati, Approbationis & Confirmationis prædictorum & aliorum præmissorum, juxta tenorem dictarum litterarum gaudere, non permittentes eos desuper per quosvis contra Statutorum, Decretorum, Declarationum, Mandatorum, Approbationum, & Confirmationum hujusmodi tenorem quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris Nostri, qua cavetur ne aliquis extra suam Civitatem & Diocœsim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra dietam à fine suæ Diocœsis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica Deputati, extra Civitatem & Diocœsim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris noluimus non obstare contrariis quibuscunque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes, plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinto, pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

D. de Comitibus.

IV. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Bulla ad Viennensem, Lugdunensem, Gebennensem Officiales, pro Syndicis Civitatis Gebennensis, de Administratione Pauperum, & Hospitalium Leprâ infectorum, quorum reditus pro utilitate leprosorum collocandi, quorumque Cura Rectoribus, & Piis Ecclesiasticis habenda traditur: Modus autem de conservandis & explicandis ipsorum reditibus in futurum servandus statuitur: anno 1506.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EA quæ pro Pauperum quorumlibet præsertim Dei judicio morbro lepræ infectorum, pia necessariaque subventione, & ne alii ex eorum conversatione morbida contagione inficiantur, providè pieque facta dicuntur, cùm à nobis petitur, libenter Apostolico munimine roboramus, ac etiam in iis Nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum modernorum Syndicorum & Communitatis Civitatis Gebennensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod exposito alias pro parte tunc Syndicorum dictæ Civitatis quondam Amadeo Felici Sexto, in sua obedientia, de qua partes illæ tunc erant, nuncupato, quod cura & administratio pauperum & infirmorum in Hospitalibus prædictæ Civitatis, ac vicinis leprosariis degentium, per nonnullos ipsorum Hospitalium & Leprosariarum Rectores plus solito negligebantur, ipsisque pauperibus & leprosis victus, & alia necessaria subtrahebantur, in Rectorum animarum dispendium, & pauperum, infirmorum & leprosorum prædictorum præjudicium non modicum, & gravamen, dictus Felix eorumdem Syndicorum in ea parte supplicationibus inclinatus, bonæ memoriæ Bartholomeo tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, tunc Episcopo Cornetanensi, in dicta Civitate Gebennensi, seu curia obedientiæ ipsius Felicis residenti, tam per suas litteras, quam alias speciales commissiones etiam ad supplicationem prædictorum Syndicorum eidem Bartholomæo Episcopo factas commisit & mandavit, ut vocatis Syndicis & Rectoribus Leprosariarum hujusmodi & aliis, qui forent evocandi, ad Hospitalia & Leprosarias prædicta personaliter accedens, in eisque debitæ visitationis officium exercens Hospitalibus & Leprosariis prædictis personisque in eis degentibus, opportunæ reformationis officium propensius impenderet, ac omnia & singula instrumenta & litteras fundationum, donationum, legationum, Eleemosinarum, quæstorum & aliorum quorumcunque jurium, ad Hospitalia & Leprosaria, hujusmodi pauperesque in eis degentes pertinentium, visitaret & examinaret, de ritibus & consuetudinibus laudabilibus Hospitalium & Leprosariarum eorumdem se diligenter informaret, ac illa ex eis, quæ sibi pro felici eorumdem Hospitalium & Leprosariarum statu & regimine, & rationabilia viderentur observari mandaret, quæ verò dubia, obscura, aut minùs utilia forent interpretaretur, declararet, irritaret, corrigeret, & in meliùs reformaret, nec non de statu Hospitalium & Leprosariarum, hujusmodi fructibus, redditibus & proventibus, nec non vitâ, regimine & administratione omnium & singulorum Rectorum eorundem ipsorum, qui in eodem regimine & defectibus inquireret, ac eosdem Rectores juxta excessuum & defectuum exigentiam & qualitatem, per sanctiones canonicas, prout eorum animarum saluti, ac Hospitalium & Leprosariarum statui, pauperumque leprosorum prædictorum necessitati ac calamitati prospiceret expedire, corrigeret, ac debitis pœnis & Censuris Ecclesiasticis compelleret, Hospitaliaque & Leprosarias hujusmodi ad formam Constitutionis, per felicis recordationis Clementem Papam V. Prædecessorem Nostrum, super hoc in Concilio Viennensi editæ reduceret, ac omnia & singula statueret & ordinaret, qua in præmissis & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna, & præsertim pro Rectorum animarum salute, pauperumque & infirmorum ac leprosorum confovendis viribus videret expedire, & quæ in præmissis & circa ea statueret, ordinaretque vel

alias disponeret, seu faceret, firmiter observari faceret, super quibus omnibus sibi facultatem concessit, quarum litterarum & commissionum vigore dictus Bartholomæus Cardinalis tunc Episcopus habita, super præmissis diligenti informatione ac inquisitione inter cætera ad acceptandum omnem controversiam, quæ fuerat, aut esse possit inter Rectores & Leprosos Leprosariarum Maledariarum nuncupatarum de Canegio & Quercu infra limites Parrochialium Ecclesiarum Sancti Leodegarii, extra & propè muros ejusdem Civitatis Gebennensis, Sancti Petri de Thonay Gebennensis Diocœsis, ac pro felici salubri quieto & honesto successu seu statu Rectorum tam Parrochialium Ecclesiarum, quam Leprosariarum Maledariarum nuncupatarum & Hospitalium prædictorum juribus conservandis, nonnulla Satuta laudabilia & honesta, etiam animarum salutem & modum vivendi ipsorum leprosorum, & qualiter de lepra infecti, etiam si Clerici vel Presbyteri & Beneficiati essent in dictis Leprosariis recipi, & ut ad illos, ne cum aliis conversando alii ex eorum conversatione inficerentur, accedere tenerentur, & cogi possent, & si Beneficiati forent eis Coadjutores juxta dispositionem juris dari deberent, & qualiter ipsi leprosi in dictis Leprosariis recipi & admitti, & postquam ac antequam admitterentur, qualiter de eorum bonis, tam ante receptionem, quam post disponere possent, qualiterque vivere, eisque Ecclesiastica Sacramenta per Rectores dictarum Leprosariarum seu Maledariarum pro tempore deputatos ministrari ac corrigi, castigari & puniri, & si aliquis ex dictis leprosis Sacerdos fuerit, & in Capella dictorum leprosorum celebrare voluerit, ad celebrandum admitti, Calixque & Paramenta separata ei deputari deberent, qualiterque tam dicti leprosi, quam Quietonus Nuncupatus & Procurator ac Camerarius, seu alii eorum Officiales, pro negotiis dictarum Leprosariarum tractandis, insimul capitulariter convenire, ac eleemosinariè pro eisdem leprosis peti & colligi, tam in dictis Leprosariis, quam extra, etiam per Civitatem Gebennensem, & per quas personas, qualiterque ipsæ eleemosynæ & alii reditus & proventus inter Officiales & leprosos, & alios Ministratores distribui & dividi, quantumque unicuique eorum, ac etiam pro fabrica dictarum Leprosariarum assignari deberent, & aliàs laudabilem & honestam gubernationem Leprosariarum & leprosorum prædictorum concernentia, ad supplicationem Syndicorum dictæ Civitatis fecit & edidit, ac juramenta per Rectores Ecclesiarum, & aliquos ex dictis Officialibus præstanda ordinavit, præmissaque omnia etiam sub certis pœnis pecuniariis, levibus tamen, in utilitatem Leprosariarum & fabricam aliorum leprosorum prædictorum respectivè convertendis seu distribuendis, & Censuris Ecclesiasticis per omnes & singulos, quos præmissa concernerent, observari præcepit, ac quascumque alias Ordinationes, Statuta & Consuetudines, sive pacta eatenus quacumque authoritate factas, conditas & observatas revocavit, cassavit & annullavit, ac viribus omninò evacuavit, ac præmissa omnia postmodum per Advocatum, Procuratorem & Camerarium pauperum leprosorum, ac tunc Rectores dictarum Parrochialium Ecclesiarum, pro se, suisque successoribus ratificata & approbata fuerint, prout in quibusdam Instrumentis publicis desuper confectis dicitur pleniùs contineri. Quare pro parte moderni Syndici, ac Communitatis, ac universorum leprosorum earundem Leprosariarum prædictorum asserentium, præmissa cum magna deliberatione & examinatione super præmissis habita facta, & quantum possibile fuit, hactenus observata fuisse, nobis humiliter fuit supplicatum, ut præmissis omnibus & singulis per dictum Bartholomæum Cardinalem tunc Episcopum, Statutis, Ordinatis, Mandatis & Præceptis ac Revocatis & Annullatis pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ Confirmationis adjicere, ac alias in præmissis opportunè providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum pauperum, præsertim leprosorum, quo graviori paupertatis & infirmitatis genere laborare noscuntur, piæ subventioni & quantum possibile est, eorum dolori alleviationis remedium adhiberi sinceris desideramus affectibus, modernum Syndicos & Communitatem, ac leprosos præfatos ipsorumque singulos, ac dictæ Communitatis singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis conditione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes & absolutos forè censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præmissa omnia & singula per dictum Bartholomæum Cardinalem tunc Episcopum, Statuta, Ordinata, Mandata, Præcepta, Revocata vel Annullata, ac prout illa concernunt omnia & singula in dictis Instrumentis contenta, cum modis, formis & pœnis, ac aliis in eis contentis, præmissa tamen concernentibus, cum Authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, & juxta illorum tenorem perpetuis futuris temporibus observari debere decernimus & mandamus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem, & nihilominùs pro potiori cautela præmissa omnia modis & formis ac ordine pœnis & censuris in eis contentis de novo perpetuò statuimus ac ordinamus, non obstantibus Apostolicis ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumq;. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Absolutionis, Approbationis, Confirmationis, Decreti, Mandati, Suppletionis, Statuti & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexto, Pridie Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno tertio. Quocirca Discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrûm, per vos vel alium seu alios, litteras prædictas & in illis contenta quæcunque, ubi & quando ac quoties opus fuerit, ac pro parte modernorum & pro tempore existentium Syndicorum dictæ Civitatis Gebennensis, nec non Communitatis & leprosorum prædictorum seu alicujus eorum, desuper requisiti fueritis, solemniter publicantes, eisdem Syndicis, Communitati & leprosis, & aliis, quos ipse litteræ & in illis contenta concernent, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate vestra Statuta, Ordinata, Mandata & Præcepta ac Revocata & Annullata prædicta juxta illorum & Litterarum nostrarum prædictarum tenorem firmiter observari, ac eos pacifica possessione vel quasi, Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Decreti, Mandati, Statuti & Ordinationis prædictorum & aliorum præmissorum gaudere, non permittentes eos desuper contra eorum Statutorum Ordinationum ac litterarum prædictarum tenorem quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet & rebelles per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, qua cavetur, ne aliquis extra suam Civitatem vel Diocœsin nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diocœsis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica Deputati extra Civitatem vel Diocœsin, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, & aliis Apostolicis Constitutionibus, nec non omnibus illis, quæ in

dictis litteris nolumus non obstare, contrariis quibuscunque, seu si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium trahi non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum indulti hujusmodi mentionem.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo sexto, Pridie Cal. Aprilis, Pontificatus nostri, anno tertio.

D. de Comitibus.

V. Ex Arch. Reipub. Genev.

Bulla ad Populum Gebennensem, pro receptione CAROLI ad Episcopatum, anno 1509.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Populo Civitatis & Diœcesis Gebennensis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

HOdie Ecclesiæ Gebennensis, tunc certo modo, quem haberi voluimus pro expresso, pastoris solatio destitutæ de persona dilecti Filii Caroli Electi Gebennensis, nobis & fratribus nostris, ob suorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem Consilio Apostolica auctoritate providimus, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca Universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus eundem Carolum Electum, tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, & debita honorificentia prosequentes, ejus monitis & mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse Carolus Electus in vobis devotionis Filios, & vos in eo per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo nono, Nonis Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Ge. de Prato.

VI. Ex Miscell. Bibliot. Casanat. Tom. 141. in 4to.

Bulla Censurarum in singulos de Consilio, & Interdicti generalis in Ducatum Mediolanensem ob occupationem Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticoaum, & fructuum eorundem sequestrationem seu distributionem in laicali abusu è potentia factas, anno 1510.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INter graves sollicitudines & curas, quibus pro pastoralis Officii & Apostolicæ servitutis debito continuo premimur, una est, ut defensioni & custodiæ Ecclesiarum, beneficiorum & bonorum, ac fructuum, & redditũum eorundem continuo vigilemus, ac ne perversorum temerariis ausibus à Laicis, quos Clericis infestos oppido tradit antiquitas, fructus, & proventus prædicti, qui inter cætera pro servitio Ecclesiarum, & pro sustentatione Ecclesiastici status, & dignitatis, & Ministrorum ejus provide à SS. Patribus statuti & ordinati sunt, occupentur, & dissipentur, omnibus remediis, & juris auxilio opportune prohibere, quod tanto periculosius negligitur, quanto exinde turbatio, & confusio Ecclesiastici Status & Ordinis de facili causaretur, & auctoritas minueretur, cum Spiritualia sine temporalibus diu esse non possent; Ordo etiam rationis exposcit, ut justitiam cuilibet præsertim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui in partem sollicitudinis nobiscum assumpti sunt, & aliis Ecclesiasticis Prælatis, & Personis ministremus, & opem, ac operam efficaces exhibeamus, ut Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac dignitatum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum auctoritate Apostolica vel alias in titulum vel commendam commissorum possessionibus, & illorum fructuum, & proventuum perceptione, sublatis quibuscunque obstaculis & impedimentis, quietè & pacificè gaudeant, & ne illis priventur, omnibus juris remediis, ubi etiam perversorum audacia exiget, vibrato Apostolicæ potestatis mucrone per censuras Ecclesiasticas providere. Sane sicut non sine gravi animi nostri displicentia accepimus, dilecti Filii Carolus de Ambosia Dominus temporalis de Ciamonte, seu de Calidomonte, ac pro charissimo filio nostro Ludovico Francorum Rege in Ducatu Mediolanensi Gubernator Magnus Magister, nec non ipsius Regis in Parlamento, seu Consilio Mediolanensi Consiliarii nuncupati, nescitur quo nisi maligno ducti Spiritu, & non considerantes, quod Laicis super ipsos Cardinales, ac Pontificali dignitate præditos, ac alias Personas Ecclesiasticas, eorumque Ecclesias, Monasteria, ac beneficia Ecclesiastica illis commissa, illorumque redditus & proventus hujusmodi, nulla est attributa jurisdictio sive potestas, fructus, redditus & proventus nonnullorum, Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum Ecclesiarum, ac Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum hujusmodi, quæ ipsi Cardinales, ac Prælati, & Personæ Ecclesiasticæ in titulum, commendam, vel administrationem aut alias etiam ex concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in Ducatu & Dominio Mediolanensi obtinent, eorum auctoritate, immò verius temeritate propria, & de facto in manibus Laicorum sequestrare, & partem illorum in proprios usus convertere, & dissipare præsumpserunt, & in Animarum suarum periculum, divinæ Majestatis offensam, Apostolicæ Sedis Auctoritatis contemptum, Ecclesiarum damnum, ipsorumque Cardinalium, Prælatorum, & Personarum Ecclesiasticarum grave præjudicium & jacturam, perniciosum quoque exemplum, ac scandalum plurimorum. Nos igitur, ad quos supra alios pertinet Ecclesiarum jura defendere, & tueri, ac similes excessus etiam per eosdem in eisdem Ecclesiis, Monasteriis, & beneficiis Ecclesiasticis alias impunè commissos, & perpetratos, ac dictorum præsumptorum, & temerariorum ausus corrigere, ac Cardinalium, Prælatorum, & Personarum Ecclesiasticarum, jura & libertates defendere volentes, dictos Præsumptores, nisi ad Cor reversi resipuerint, tali plectere pœnâ, ut in posterum à similibus abstineant, sintque aliis in exemplum, & tandem metus pœnæ sit meta malorum, dictorum Cardinalium, & Prælatorum, & aliarum Ecclesiasticarum Personarum querelis & lamentationibus permoti, nomina, cognomina, titulos Cardinalium, qualitates, nobilitates, & præeminentias præsentibus pro expressis habentes, æquitate & justitia id nobis suadentibus, ex nostra certa scientia, & matura deliberatione præhabita, præfatos Carolum Gubernatorem, & Magnum Magistrum, ac omnes & singulos Dominos de Parlamento, seu Consilio Mediolanensi nuncupatos, cujuscunque dignitatis, nobilitatis, & præeminentiæ & conditionis existant, nec non dictorum Fructuum Sequestratores & Custodes, Distributores, sivè Dispensatores, ac eis auxilium, consilium, vel favorem directè, vel indirectè, quovis quæsito colore præstantes, in virtute suæ obedientiæ, ac sub pœnis infrascriptis, quas contrafacientes ipso facto incurrere volumus, auctoritate Apostolica tenore præsentium monemus, quatenus

infrà duodecim dierum ſpatium poſt publicationem præſentium in locis infraſcriptis faciendum computandorum, quorum quatuor pro primo, & quatuor pro ſecundo & reliquos quatuor dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione Canonica aſſignamus, ſequeſtra, & arreſta prædicta tollant, revocent, ac revocari & tolli faciant, & permittant, & ablatos fructus, vel ipſorum juſtam extimationem reſtituant, ac ipſos Cardinales & Prælatos, ac Perſonas Eccleſiaſticas ad perceptionem integram omnium, & ſingulorum fructuum ſequeſtratorum, & arreſtatorum hujuſmodi reſpectivè reſtituant, & reponant, ac ipſos fructus, redditus, & proventus eis percipere pacificè permittant, ac de illis eiſdem Cardinalibus, & Prælatis, ac Perſonis, ſeu eorum Procuratoribus à tempore dicti ſequeſtri, ſeu arreſti, & ablationis, vel eorum juſta extimatione integrè reſpondeant & reſponderi faciant. Alioquin lapſis dictis duodecim diebus tam illos, quam eis auxilium, vel favorem præſtantes, ex nunc prout ex tunc & è contra, majoris excommunicationis ſententia innodamus, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi non poſſint. Si vero per alios novem dies dictos duodecim dies immediatè ſequentes, quorum tres pro primo, ex alios tres pro ſecundo, & reliquos tres pro ultimo & peremptorio termino aſſignamus, dictam excommunicationis ſententiam animo indurato ſuſtinuerint, & mandatis noſtris effectualiter non paruerint, ſententiam ipſam aggravamus, ac ex nunc prout ex tunc Mediolanenſem, Papienſem, Parmenſem, Cremonenſem, & alias Civitates, terras, caſtra, oppida, & loca Ducatus Mediolanenſis hujuſmodi, ac ſub gubernio D. Caroli in Lombardia conſtituta, ac quæ in illis ſunt Metropolitanas Cathedrales, ac alias Eccleſias, Monaſteria, ac Religioſa & pia loca quæcunque, ubi dictæ Eccleſiæ Cathedrales, ve aliæ dignitates & beneficia, ac quorumvis Ordinum Monaſteria, & Prioratus hujuſmodi ſequeſtrata, ſituata & poſita fuerint, & generaliter omnia loca, etiam extra Italiam, ad quæ ipſos excommunicatos declaratos declinare, & in quibus ipſos ſcienter ſtare permitti contigerit, dicta auctoritate ſimili modo generali Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto, ita quod illo durante in illis etiam prætextu cujuſvis etiam Apoſtolici indulti perſonis, ordinibus, vel locis conceſſi, præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac etiam in illis alias, quam januis clauſis, ac excommunicatis & interdictis excluſis, nequeant Miſſæ, & alia divina officia celebrari, decernentes, illud ſtrictiſſimè fore obſervandum, donec ibidem fuerint, & poſt triduum eorum inde diſceſſum, necnon monitos excommunicatos, & reaggravatos prædictos omnes & ſingulos dignitatibus & honoribus, etiam Doctoratus, ſivè Magiſtratus, in quibus conſtituti exiſtunt, & tam ipſos quam Civitates, Caſtra, Oppida, & loca prædicta omnibus privilegiis, & indultis, etiam ſtudii generalis conceſſionibus, & gratiis, dignitatibus, honoribus, quibus utuntur, & gaudent, ſeu munita ſunt, nec non bonis omnibus quæ in feudum, vel emphyteoſim ſeu alias à Romana, vel aliis Eccleſiis, monaſteriis, beneficiis, & locis Eccleſiaſticis obtinent, penitus privamus, dictaque bona feudalia, & emphyteutica, & alia ab Eccleſiis obtenta, ad Dominos ſuos reverti debere, ita ut de illis liberè diſponere poſſint, & ſi aliquis ex monitis excommunicatis, & reaggravatis prædictis Clerici ſeculares, aut Regulares, quovis modo beneficiati, & in Sacris Ordinibus conſtituti fuerint, illos Prælaturis, adminiſtrationibus, & regiminibus, ac omnibus & ſingulis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Perſonatibus, & Præbendis, cæteriſque beneficiis Eccleſiaſticis, quæ obtinent, ac Ordinibus, etiam Sacerdotalibus, ad quos promoti forent, ſine ulla ſpe reſtitutionis privatos eſſe decernimus, & nihilominus Venerabilibus Fratribus noſtris Sipontinenſi, Dirrachienſi, & Sedunenſi, ac univerſis, & ſingulis aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, Capitulis & perſonis aliis Eccleſiaſticis, etiam quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium Religioſis exemptis, & non exemptis ubicunque locorum conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus præmiſſa omnia, & ſingula, ubi, quando, & quoties expediens fuerit, ac pro parte Cardinalium, & Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum prædictorum fuerint requiſiti, in Eccleſiis, & aliis locis ſolemniter publicantes, Carolum, Magnum Magiſtrum & Conſiliarios Viros de Parlamento Mediolanenſi nuncupatos, ac omnes & ſingulos prædictos, quos conſtiterit præſentium vigore monitos non paruiſſe, excommunicatos, privatos, & inhabiles, præfataque Mediolanenſes, & alias Eccleſias, Monaſteria, Civitates Dominii Mediolanenſis, ac illius & alia ad quæ eoſdem monitos, excommunicatos, privatos, & inhabiles pro tempore declinare, & in quibus ſcienter ſtare permitti contigerit, ut præfertur, loca Eccleſiaſtica ſuppoſita interdicto publicent, & denuncient, ac ab aliis publicari, & denunciari, & hujuſmodi interdictum firmiter obſervari faciant, & procurent, donec ſequeſtrum, ſeu Arreſtum hujuſmodi revocent, & fructus reſtituerint, ipſique Cardinales, Prælati, & Perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeu eorum legitimi Procuratores in pacifica poſſeſſione Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Præpoſiturarum, & aliorum beneficiorum ſuorum, & ad integram perceptionem fructuum hujuſmodi realiter, plenariè, & integrè poſiti fuerint reſpectivè, & inducti, ipſique ſic excommunicati privati, & interdicti meruerint abſolutionis, ac hujuſmodi interdicti relaxationis beneficium obtinere. Contradictores, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, per cenſuras Eccleſiaſticas compeſcendo: Et inſuper ut præſentes litteræ ad notitiam monitorum prædictorum facilius pervenire valeant, cum ad illos de præmiſſis certiorandos, perſonaliterque monendos tutus non pateret acceſſus ob illorum potentiam, volumus, & mandamus, eaſdem literas vel earum transſumpta autentica, cum manu publici Notarii, ſivè præfati Archiepiſcopi Sipontini ſubſcriptis, quibus fidem adhiberi volumus, in Bononienſis, Mutinenſis, aut Imolenſis Eccleſiarum circumvicinorum locorum, de quibus veriſimilis conjectura ſit, quod ad ipſos monitos poſſit de facili pervenire, valvis affigi, quas poſt affixionem hujuſmodi eoſdem monitos perinde arctare decernimus, ac ſi eis præſentialiter & perſonaliter intimatæ eſſent, & intimarentur: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non quibuſcunque privilegiis, & indultis Apoſtolicis, eiſdem excommunicatis, privatis, & interdictis perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, Civitatibus, terris, & locis conceſſis, per quas effectus præſentium perturbari, aut alias quomodolibet differri poſſet, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quæ etiam ſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialiter ſpecifica, & expreſſa mentio præſentibus habenda foret, eiſdem excommunicatis, privatis & interdictis, quoad præmiſſa nolumus aliquatenus ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Seu ſi excommunicatis aggravatis, & interdictis perſonis, Eccleſiis, Monaſteriis, Civitatibus, & locis præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab Apoſtolicâ ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, & privari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi, ac eorum nominibus, cognominibus, dignitatibus, qualitatibus, & ordinibus mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ monitionis, aſſignationis, innodationis, aggrava-

tionis,

tionis, subjectionis, decreti, privationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo decimo, Septimo Idus Octobris, Pontificatus nostri, anno septimo.

Sigismundus.

VII. Ex Miscell. Biblioth. Casanat. Tom. 141. in 4to.

Bulla declarationis incursus censurarum & pœnarum contentarum in Bulla privationis Alphonsi Estensis, tunc Ducis Ferrariæ, contra Magnificum D. Carolum de Ambosia, de Ciamonte Magnum Magistrum, & nominatim contra reliquos Capitaneos, & Duces Exercitus Christianissimi Regis Francorum, & generaliter contra omnes, qui in defensionem & auxilium D. Alphonsi Estensis, contra S. D. N. & S. Rom. Ecclesiam militant, & ejus Terras & loca hostiliter invaserunt, & deprædati sunt: anno 1510.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Decet Romanum Pontificem, ex divina tradita sibi potestate, pœnarum spiritualium, & temporalium pro meritorum diversitate dispensatorem constitutum, pro animarum salute, in eos qui monitionum suarum, & mandatorum Apostolicorum transgressores, ac censurarum, & Apostolicæ auctoritatis, & Clavium contemptores existunt, debitè animadvertere, & acrius insurgere, ne tales sic damnati, & contemptores dati in reprobum sensum eorum exemplo alios decipiant, & in errorem, & ruinam secum trahant, ac eorum participatione, ex conversatione alios Fideles inficiant, & contaminent, necnon ad ipsorum damnatorum confusionem, quàm formidabilium censurarum, & pœnarum rei existant, ad omnium aliorum publicam, & certam notitiam deducere, & declarare, ad hoc ut ipsi sic declarati, & publicati, confusi, & compuncti ad cor reverti, & saluti propriæ consulere valeant, & alii eorum exemplo discant à similibus abstinere, & ab eorum excommunicatorum, & anathematizatorum prohibita conversatione, & participatione, & obedientia se subtrahant, ut divinam ultionem evadant, & eorum damnationis participes non existant. Sanè licèt nuper iniquitatis filium, & perditionis alumnum Alphonsum Estensem suis excessibus, erroribus, & nefandis delictis, per eum perpetratis exigentibus, majoris excommunicationis, & anathematis sententiam, perjurii & Sacrilegii reatus, ingratitudinis, rebellionis, & Læsæ Majestatis crimina, damnabiliter incidisse, omnibus & singulis indulgentiis, remissionibus, tolerantiis, gratiis, privilegiis, libertatibus, & immunitatibus in Vicariatu, & Ducatu Ferrariensi, aliisque Feudis, Locationibus, Honoribus, Dignitatibus, etiam Confaloneriatus, Civitatibusque, Terris, ac castris, oppidis, fortalitiis, locis, juribus, jurisdictionibus, & bonis quibuscunque, quæ quovis modo obtinebat, ac in quibus, & ad quæ jus sibi quomodolibet competebat, ac propter iniquitates reiteratas, ingratitudines, ac delicta ejusdem Alphonsi, omnes & singulos ejus ex quondam Hercule ex Marchionibus Estensibus, Fratres germanos, aliosque de eorum familia existentes, etiam in præmissis, seu eorum aliquibus, vel ad illa jus habentes, & habere prætendentes, quorum nomina & cognomina, ac qualitates pro expressis haberi volumus, ac omnium eorum Posteros, & Successores quoscunque prædicto, & omni Successionis jure in perpetuum omninò privatos, ac inhabiles, & indignos ad illa, & quælibet alia similia, vel dissimilia imposterum obtinenda, & quoslibet actus legitimos exercendos, Civitatesque, Castra, Oppida, Terras, Fortalitia, loca, & alia omnia prædicta confiscata fuisse, & tunc fore, ac à prædictis privationis, & inhabilitatis pœnis neminem ex familia sua, etiam prætextu minoris ætatis, aut sexus excusari, seque tueri posse, quominus pœnis hujusmodi omninò irretiti, & innodati censerentur, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio pariter, & assensu, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac ex certa nostra scientia declaraverimus, ac sententiando privaverimus, & inhabilitaverimus, dictosque Ducatum, & Vicariatum Ferrariensem, cum omnibus Civitatibus, castris, oppidis, & feudis, quæ à dicta Romana Ecclesia quomodolibet obtinebat, cum omnibus juribus, & perinentiis suis, ac omni integritate ad dictam Romanam Ecclesiam legitimè devoluta, ac reversa fore decreverimus. Universis quoque Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Domicellis, Feudatariis, & Vasallis, ac aliis quibuscunque, etiam præfatæ Romanæ Ecclesiæ non subjectis, districtè præceperimus, & mandaverimus, ne extunc in anteà ad stipendia dicti Alphonsi, aut ei faventium militare, seu eorum Stipendia capere, vel ad Stipendia hujusmodi, seu aliàs cum eis se, vel suos armigeros, & sequaces locare, eisque etiam prætextu cujuscunque protectionis, confœderationis, & Ligæ, quominùs dictum Alfonsum debitè punire, & castigare valeamus, Consilium, auxilium, vel favorem quoquomodo præstare auderent. Quinimò si qui tunc cum eisdem militabant vel in ejus auxilium, vel favorem venerant, infrà certum tunc expressum terminum, ab ipso Alfonso, ejusque obsequiis, auxilio, & Stipendiis, omninò recederent, quacunque obligationis, seu protectionis & defensionis formula, quâ obligati erant, non obstante, ac in omnes & singulos eæ eis, qui contrà mandatum nostrum hujusmodi facere, vel etiam venire temptarent, quoque modo per se vel alium, seu alios directè, vel indirectè dictæ excommunicationis majoris, anathematis, maledictionis, & privationis, & inhabilitatis, necnon in Terras, Dominia, & loca eorum si qua haberent, seu eos habere contingeret interdicti, ac in eos, & eorum descendentes, privationis dignitatum, dominiorum, Feudorum, & bonorum, ac privilegiorum, gratiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, nec non inhabilitatis ad illa, ac bonorum confiscationis, sententias, censuras, & pœnas, extunc prout ex eâdem die, promulgaverimus, eosque illas absque alia ulteriori monitione post literarum nostrarum desuper concessarum publicationem, & notitiam incurrere voluerimus eo ipso, aliasque, & alia fecerimus, prout in dictis nostris literis desuper confectis, quarum veriorem tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, quasque ut ad Alfonsi, & aliorum monitorum, & privatorum, ac sub eisdem literis comprehensorum notitiam deducerentur, in certis tunc expressis locis affigi, & publicari jussimus, & fecimus, ac volumus, ut illos literæ illico post affixionem prædictam perindè arctarent, ac si eis eædem literæ personaliter intimatæ forent, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, sicut non sine gravi animi displicentia accepimus, iniquitatis filius Carolus de Ambosia, qui pro Gubernatore Ducatus Mediolanensis, nomine charissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Francorum Christianissimi, necnon Galeatius, & Marcus Antonius Pallavicini, Theodorus, Georgius, & Alexander de Trivultio, Dominus de Montison, Dominus della Pelliza, Bajardus Dominus Dembrecort, ac Domini de Conti, de Bernia, de Satigliono, de Fontraglia, & Defojis, necnon Joannes Tuardus, Aloysius de Arsi, & Badinus, ac alii, qui ac

dictus Carolus pro Capitaneis & Ductoribus gentium armorum dicti Regis, ac militibus, seu stipendiariis D. Alphonsi se gerunt, post affixionem, & publicationem priorum Litterarum Nostrarum prædictarum, post quod lapsum singulorum terminorum in eisdem litteris per Nos præfixorum, ipsarum Litterarum ac Mandatorum Nostrorum prædictorum notitiam habentes, suæ propriæ salutis immemores, Nobis ad partes Romandiolæ pro recuperatione Vicariatus, Ducatus & Feudorum, nec non Civitatum, Terrarum, Locorumque prædictorum personaliter venientibus, & in Bononiensi Nostra Civitate cum Curia, ac Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus moram trahentibus, recuperationi hujusmodi temerè renitentes, dicto Alphonso nedum præstita aliàs per eos subsidia subtrahere, ut debuerant & tenebantur; verùm arma & gentes armorum, ac nova auxilia, & suffragia præstare, & magnas copias, tanquam Nostri, & dictæ Sedis publici & manifesti hostes, ad servitia, beneficium, & succursum publicè & notoriè dicti Alphonsi contra Nos & Sedem prædictam, palàm & publicè subministrare, ipsumque Alphonsum in suis inobedientiâ, contumacia, & rebellione, ac Vicariatus, Ducatus, & Feudorum prædictorum occupatione & detentione confovere, non verentur, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ exercitui, & gentibus Nostris pro expulsione dicti Alphonsi existentibus, tanquam Nostri & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostes se manifestè opponentes, & quod deterius est, velut hostes Territorium Bononiense hostiliter invadere & deprædare, & homines occidere, & captivos quamplures ex subditis Ecclesiæ abducere, Arces & Fortalitia, seu Castra Ecclesiæ Romanæ hujusmodi comburere cum hominibus in eis existentibus, & aliqua invadere, ac capta custodire palàm & publicè non sunt veriti, pœnas contra talia perpetrantes temerè incurrendo excommunicationis & maledictionis, ac anathematis, aliasque in prioribus Nostris Litteris prædictis contentas sententias, censuras & pœnas damnabiliter incurrendo: Ut igitur cum Alphonso, & aliis præfatis, & anathematizatis, ac maledictis meritò computentur, & sicut in delinquendo dicti Alphonsi pertinaciam sequuntur, ita pœnarum etiam participes, ac secum portent pœnas, cum præmissa adeò manifesta & notoria sint, & facti etiam permanentis, ita ut nulla probatione, vel monitione aut citatione indigeant, prout sic forè decernimus, & declaramus Carolum & Galeatium, & Marcum Anthonium, Theodorum, Georgium, & Alexandrum, ac Dominum de Montison, Dominum della Pelliza, Bajardum Dominum Dembrecort, ac Dominos de Conti, de Bernia, & de Satigliono, de Fontraglia & Defoys, ac Johannem Aloysium, & alios prædictos, ac omnes & singulos alios Capitaneos gentium, Armorum Ductores, Conestabiles, ac milites quoscunque, tàm equestres, quàm pedestres, qui contra Nos & Sedem prædictam, ac pro dicto Alphonso, tàm illius, quàm quorumcunque & Regum, seu aliorum Principum, aut eorum propriis stipendiis militarunt & militant, seu arma quomodolibet sumpserunt & sumunt, aut auxilium, consilium, vel favorem quovis modo præstare, & subministrare præsumpserunt & præsumunt, quorum omnium nomina & cognomina, ac qualitates, etiamsi quâvis celsâ, & grandi præfulgeant dignitate, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, ac in illorum publicatione vigore præsentium facienda nominatim exprimi posse decernimus, majoris Excommunicationis, & divini anathematis, nec non maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos, & eorum descendentes dignitatum, honorum & bonorum privationis, & inhabilitatis ad illa, necnon bonorum confiscationis, & alias sententias, censuras & pœnas prædictas damnabiliter incidisse, civitates quoque, terras, castra, oppida & loca, in quibus tunc, & pro tempore fuerint, & ad quæ eos declinare contigerit: ac quæ in illis sunt Ecclesias, etiam Cathedrales & Metropolitanas, Monasteria, & alia Religiosa, & Pia Loca etiam exempta quæcunque Ecclesiastico Interdicto supposita esse, ita ut illo durante in illis etiam prætextu cujusvis Indulti Apostolici, præterquam in casibus à jure permissis, & in illis non aliàs quàm januis clausis, ac excommunicatis & interdictis exclusis, nequeant Missæ, & alia Divina Officia celebrari, dicta Apostolica Auctoritate tenore præsentium declaramus, illosque pro excommunicatis, anathematizatis, maledictis, interdictis, privatis & inhabilibus, ubicunque locorum denunciari & publicari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctiùs evitari præcipimus & mandamus. Et ut omnibus præmissa innotescant, universis & singulis Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis & Personis Ecclesiasticis, etiam quorumvis Ordinum, etiam mendicantium Religiosis, exemptis & non exemptis, ubilibet constitutis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub dictæ Excommunicationis latæ sententiæ pœnis mandavimus, quatenus ipsi, & quilibet eorum, si & postquam vigore præsentium requisiti fuerint infra tres dies, quorum pro primo, & alium pro secundo, ac reliquum pro tertio & peremptorio termino, ac Canonica monitione præmissa assignamus, eosdem excommunicatos, anathematizatos, maledictos declaratos, aggravatos, interdictos, privatos & inhabilitatos, si non paruerint, in eorum Ecclesiis Dominicis & aliis Festivis Diebus, dum major inibi populi multitudo convenerit ad Divina, cum Crucis Vexillo pulsatis Campanis, & accensis candelis, ac demùm extinctis, & in terram projectis & conculcatis, cum trina lapidum projectione, aliisque Ceremoniis in similibus observari solitis, publicè nuntient, ac faciant & mandent ab aliis nunciari, ac ab omnibus Christi fidelibus arctiùs evitari. Verum quia impossibile foret præsentes nostras declarationis, & publicationis litteras, ad præsentiam & personam propriam dictorum excommunicatorum personaliter deducere, propter eorum potentiam, volumus, ut affixio & publicatio præsentium litterarum in Valvis Cathedralium Ecclesiarum Mutinensis & Bononiensis. Civitatum facta, ita eos liget, & arctet, & declaratos, & damnatos demonstret in omnibus & per omnia, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter intimatæ & præsentatæ fuissent. Postremò quia difficile foret, præsentes declarationis litteras ad singula quæque loca deferre, in quibus earum publicatio necessaria foret, volumus, & præfata Auctoritate Apostolicâ decernimus, quod earum transumptis manu Notarii Publici subscriptis, & Sigillis alicujus Prælati Ecclesiastici munitis, ubique stetur, ut pro originalibus litteris staretur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ in prioribus Litteris Nostris prædictis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Constitutionis, Declarationis, Præcepti, Assignationis, Mandati, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo, pridiè Idus Octobris, Pontificatus Nostri anno septimo.

Sigismundus.

Bulla Monitorii Apostolici contra tres Reverendissimos Cardinales, ut redeant ad obedientiam S. D. N. Papæ, ne schisma in Ecclesia Sancta Dei oriatur. anno 1511.

VIII. Ex Misc. Biblioth. Casanat. Tom. 141. in 4.

In No-

In Nomine Domini, Amen. Noverint universi & singuli hoc præsens publicum transumptum inspecturi, quod Nos Hieronymus de Shinuccis, Canonicus Senensis, U. Jur. Doct. Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus Litteras Apostolicas monitoriales Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri; Domini JULII, Divinâ Providentiâ Papæ Secundi, infrascripti tenoris: Ejus verò Bulla plumbea, cum cordulis sericeis rubei croceique coloris, more Rom. Curiæ pendentibus bullatas, & omnimoda suspitione carentes, una cùm earundem Litterarum Apostolicarum publicatione & affixione à tergo per tres præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ cursores in locis in dictis Litteris Apostolicis designatis; debitæ executioni demandatas, quarum quidem tenor sequitur, & est talis:

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Cœlestis Altitudo Potentiæ, Divinâ Providentiâ cuncta disponens, ut Ecclesiæ triumphanti militantem Ecclesiam similem faceret, voluit Summo Pontifici, Christi Vicario, Dominici gregis Pastori adesse in regenda & gubernanda Universalis Ecclesiæ Monarchia Consiliarios, & Ministros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ut ipsi tanquam ejusdem Pontificis, & Ecclesiæ Membra suo Capiti deservirent, & submissis humeris ad regendum Universalis Ecclesiæ firmamentum operosa sedulitate cum ipso Pontifice laborarent, & tàm ipsius Ecclesiæ, quam totius Ordinis incumbentia onera indefessis cum eo sollicitudinibus partirentur, ac cum eo Universalem Ecclesiam repræsentarent. Hi sunt; quos dilexit Dominus; & velut præcipuos; ac sublimes ejusdem Ecclesiæ Cardines prærogativâ sublimavit honoris. Horum cœtus in orbe magnificus omnes & singulos; quibuscunque titulis decoratos excellit, descriptique dicuntur in diademate Principis. Horum Altitudo Consilii, & expertæ circumspectionis industria circa dirigenda quælibet; & agenda Sanctæ Romanæ, atque Universali Ecclesiæ majora commoda salubriter afferre dignoscitur; ideoque à Nobis tanquàm Membra à Capite per Canonicas Sanctiones illicentiati discedere prohibiti sunt. Hi sunt, quos ideò ultrà alia ornamenta galero rubro insignitos esse constat, ut præ cæteris Sanctam Sedem Apostolicam, Romanæque Ecclesiæ Unitatem in eis ipsis (ut præfertur) repræsentatam, quantum fieri potest, verbo & exemplo constanter & intrepidè usque ad sanguinis effusionem tueantur, & defendant, & quo majori honoris prærogativa honestati sunt, tantò magis peccant, cùm eorum & Ecclesiæ Unitatem hujusmodi scindunt, aut à Summo Pontifice eorum Capite quoquo modo illicentiati recedunt, vel ab ipsius obedientia deficiunt. Sanè nuper in Consistorio Nostro Secreto Dilectus Filius Justinus Carosus, Juris utriusque Doctor, & Fisci Nostri Advocatus, nomine suo, ac Dilecti Filii Mariani de Cuccinis, Fisci Cameræ Apostolicæ Procuratoris, quandam sub iis verbis querelam exposuit: Quamquam, Beatissime Pater, Vosque Reverendissimi Domini Cardinales, unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam Spiritus Sanctus ex Persona Domini nostri Jesu Christi in Cantica Canticorum designet, dicens: Una est Columba mea, una est perfecta mea, & una est Matri suæ electa, & ut ait Beatus Cyprianus, Non habet Ecclesiæ Ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet Unitatem. Nihilominus ab ipsius (ut ita dixerim) Ecclesiæ incunabulis quorundam pestiferorum hominum effrenata libido hanc Sanctam Ecclesiæ Unitatem scindere & lacerare temptavit. Quisquis igitur hanc sanctam & immaculatam Ecclesiæ Unitatem ausu sacrilego, & diabolica persuasione violare præsumpserit, hic (ut Sacri Canones edocent) alienus est, prophanus est, hostis est, habere non potest Deum Patrem, qui Universalis Ecclesiæ non tenet unitatem, nec potest is cum aliquo convenire, qui cum corpore ipsius Ecclesiæ; & cùm universa fraternitate non convenit. Et cum, Pater Sancte, Sanctitas vestra intenta, (ut decet) Recuperationi Terrarum, & Jurium Sanctæ Rom. Ecclesiæ; præsertim Civitatis Ferrariensis; ejusque Ducatus; Territorii, ac Districtus, quibus iniquitatis filium Alphonsum Estensem, ob ejus demerita per sententiam consistorialiter latam, privaverat; Bononiam cum exercitu accessisset; monuissetque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; quos tàm pro prædictis; quàm aliis gravibus eidem Ecclesiæ incumbentibus oneribus consulere intendebat; ut ipsam Sanctitatem vestram sequi deberent; prout par erat. Inimico tamen humani generis suadente; ac scandalum & zizaniam in Dominico Agro seminante, aliqui (quod dolenter referimus) ex dictis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus monitionem Sanctitatis vestræ hujusmodi implere simulantes, iter eorum Florentiam versus cœperunt; ac spretis litteris Sanctitatis vestræ, ac monitionibus & exhortationibus; per devotam Creaturam vestram, Franciscum; tituli S. Clementis Presbyterum Cardinalem, tunc in minoribus constitutum Episcopum Concordiensem; Datarium vestrum, quibus illos hortabatur, & monebat; ut ad eandem Sanctitatem vestram Bononiæ cum sua cura existentem vocati se conferrent, prout iidem Cardinales eidem Francisco Cardinali se facturos obtulerunt, initis & firmatis priùs inter ipsos secretò, & per manus Publici Notarii certis conspirationibus & capitulis, ac conventionibus illicitis, & inhonestis, contra Sanctitatem vestram, Papiam illicentiati adierunt; & deindè Mediolanum se conferentes; ibidem contra Sanctitatem Vestram, & Sedem Apostolicam, ac Sanctæ Dei Ecclesiæ Unitatem periculosam ac schismaticam Conventiculam inire moliti; aliosque Cardinales in suam sententiam trahere conati sunt; prout diversimodè Sanctitati Vestræ innotuisse debuit; quare detecti in suo proposito perseverantes, gravia Ecclesiæ Universali scandala imminere; illamque reformatione indigere; & proptereà Concilium juxta quoddam Decretum Concilii Constantiensis, ac votum per eandem Sanctitatem Vestram in ejus ad Summum Apostolatus Apicem assumptione emissum, & juramentum per eum præstitum congregandum fore, jusque illud congregandi ob Sanctitatis Vestræ, & aliorum Cardinalium illi assistentium, negligentiam ad eos devolutum esse, eosque Concilium ipsum absque aliqua Sanctitatis Vestræ requisitione, & licentia indicere, & convocare posse, asserere non sunt veriti: Horum Principalis Auctor exstitit Dominus Bernardinus, Episcopus Sabinensis, qui jamdiu ista animo suo præmeditatus, in ejus sententiam Guilielmum Episcopum Prænestinum. & Franciscum tit. SS. Nerei & Achillei, Presbyterum Cardinalem traxit, prout in cedulis indictionis & convocationis Concilii eorum nomine publicati, & ut creditur, ad eorum instigationem, etiam sub nomine Maximiliani Rom. Imperatoris electi, & Ludovici Francorum Regis Illustrium confectis, ac manu Publicorum Notariorum subscriptis, & in urbe, ac alibi clanculum affixis, clarè constat. Quanam gravitate verborum, Pater Sancte, quove dolore animi, rem hujusmodi deplorem? Sed ut video, Pater Beatissime, ac Reverendissimi Domini, jam tempus est, magis remedii, quàm querelæ. Ecce enim Sancta Mater Ecclesia, quæ in Persona Sanctitatis Vestræ sui indubitati Sponsi sincerâ per prius unitate, & pace gaudebat, reseratis lacrymarum fontibus, multis cum suspiriis & singultibus ad Te Sponsum suum, & ad Vos Reverendissimos Dominos Cardinales, qui estis in partem sollicitudinis evocati, clamare & vociferari compellitur. Et tu Beatissime Pater, cum omnia prædicta sint adeò manifesta, publica & notoria,

quod nulla possint tergiversatione celari, nec excusatione defendi, in virtute Altissimi, unacum hoc Sacro Collegio exurge, & judica causam sponsæ tuæ, & memor esto opprobrii filiorum tuorum, accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, intende, prospere procede, & regna, & exemplo aliorum summorum Pontificum Prædecessorum tuorum, qui semper insurgentes in Dei Ecclesia hæreses, & Schismata cum ipsorum Auctorum fautoribus, auctoribus, & sequacibus à Dei Ecclesia, & communione Fidelium, & Sacratissimo Christi corpore eliminarunt, hoc noviter ortum perniciosissimum Schisma in tuam, & S. Rom. Eccles. sponsæ tuæ injuriam spirituali mucrone rescinde. Nos igitur qui dudum Concilii indictionem hujusmodi, sivè potius schismaticam Conventiculam per alias nostras literas revocavimus, ac pro pace & quiete omnium Christi fidelium, pro quibus extirpandis Schismatibus, & hæresibus universis, ac reformatione Universalis Ecclesiæ, quatenus opus fuerit, & expeditione contra infideles conciliariter ineunda Oecumenicum generale Concilium indiximus, & celebrare Domino permittente intendimus, hujusmodi relatione audita, magno quidem prout decebat dolore ac mœrore affecti sumus: Non possumus enim non vehementer dolere, ut par est, tam perniciosum in Dei Ecclesiam incendium inchoari, & ab his præcipuè à quibus minimè suspicabamur, præsertim à Bernardino Episcopo, quem honorificentissima legatione Germaniæ decoravimus, & cujus, reliquorumque omnium petitis, quantum cum Deo licuit, semper annuimus, aliisque omnibus præfatis, quos tanquam corporis nostri membra paterna caritate semper dileximus, & in visceribus complectebamur caritatis: Quoniam igitur Fratres nostri prædicti, & Sanctæ Matris Ecclesiæ Filii alienati sunt ab ea, & claudicaverunt à semitis suis, nos adversus hujusmodi periculorum schisma, juxta nostri Pastoralis Officii debitum publicè, & in facie Ecclesiæ requisiti (ut præfertur) insurgere, & illi obviare decrevimus: Quamobrem revocationi Conventiculæ, & indictioni Concilii hujusmodi inhærentes, ut ad debitum finem conciliatis omnium animis perduci possit, nullusque scrupulus remaneat, quominus hoc sacrum Oecumenicum generale futurum Concilium, cum omni quiete, & pace, ac animorum unitate in Spiritu Sancto (ut decet) celebrari possit: & attendentes memoratam ipsorum Promotoris & Procuratoris petitionem justam, & divino, & humano juri consonam: nec non instrumentis publicis falsa manifestè continentibus: etiam in alma urbe nostra temere affixis, & per nos visis, & alias legitimè probatam, & usque adeo publicam, & notoriam esse, quod nulla possit tergiversatione celari, ita ut ad pœnarum severitatem juxta Sanctiones Canonicas, in prædictos Bernardinum, & Guilielmum Episcopos & Franciscum Cardinalem, absque alia ulteriori mora procedendum esset: præsertim cum nos eidem Bernardino, etiam post omnium suprà narratorum perpetrationem, si errorem suum recognoscere, & ad cor referri voluisset, plenam indulgentiam, & præteritorum remissionem, & veniam dare, & concedere Apostolicâ clementiâ parati sumus. Nihilominus de eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum Consilio, Omnipotentis Dei imitantes clementiam, qui non vult mortem Peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat, & omnes injurias illatas obliviscebatur, omni qua possumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis est agere, ut proposita mansuetudinis via ad cor revertantur, & à prædictis resipiscant excessibus, ut ipsos, tanquam Filium illum prodigum, ad gremium Ecclesiæ revertentes benignè recipiamus, & paternâ caritate amplectamur. Ipsos igitur Bernardinum, & Guilielmum Episcopos, ac Franciscum Cardinalem, & etiam quoscunque eis adhærentes, eorumque receptores, & eis quoquomodo faventes, per viscera misericordiæ Dei nostri, per aspersionem Sanguinis Domini nostri JEsu Christi, quo, & per quem humani Generis redemptio, & Sanctæ Matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur, precamur, & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ unitatem, pro qua ipse Salvator tam instanter oravit ad Patrem, violare desistant, fraternam quoque dilectionem, & pacem, quam toties, & accuratè, idem Redemptor, transiturus ex hoc mundo ad Patrem, discipulis commendavit, & sine qua nec orationes, neque jejunia, nec elemosynæ Deo acceptæ sunt, scindere, & lacerare expavescant, & à prædictis quantociùs tam perniciosis, & scandalosis prorsus desistant, excessibus, inventuri apud nos, si effectualiter paruerint, & etiam nobis personaliter humiliter paruisse docuerint, paternæ caritatis affectum, apertumque mansuetudinis, & Clementiæ fontem, alioquin ipsos si forte justitiæ, & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæque spes ad pœnitentiam non invitat, pœnarum terror, & vigor coherceat disciplinæ, præfatos Bernardinum, & Guilielmum Episcopos, & Franciscum Candinales, adhærentes, receptores, & quoslibet fautores eorum de Fratrum eorundem consilio requirimus, & monemus in Virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub anathematis, & criminum hæresis, & schismatis, ac læsæ Majestatis, & quibuscunque aliis, contra tales ab Homine, vel à jure inflictis, necnon privationis Cardinalatus honoris, ac Patriarchalium, & Metropolitanarum, & Cathedralium, quibus præsunt, aliarumque Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, & aliorum beneficiorum quorumcunque, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa, & alia qualiacunque imposterum obtinenda, necnon convicti criminis schismatis, hæresis, & læsæ Majestatis pœnis districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra quinquaginta dies ab affixione præsentium, in locis infrascriptis immediatè sequentes numerandos, ipsi Bernardinus, & Guilielmus Episcopi, & Franciscus Cardinales pro Indictoribus, & Convocatoribus Concilii generalis ulterius se gerere, aut nominare desistant: nec per alios quantum in eis est haberi, & nominari pro talibus se patiantur, ac indictionem, & convocationem prædictas, sicut de facto, & male factas, coram nobis personaliter constituti publicè revocent, cassent, & annullent: adhærentes, receptatores & faventes, ulteriùs ipsis Bernardino, & Guilielmo Episcopis, & Francisco Cardinalibus in hoc Schismatis crimine non assistant nec adhæreant, vel faveant quoquomodo per se, vel alios, directè vel indirectè, nec quovis quæsito colore, sed ipsi Bernardinus, & Guilielmus Episcopi, & Franciscus, Cardinales adhærentes, receptores, & fautores, nobis tanquam Patri, & Pastori animarum suarum reverenter pareant & obediant, ac de revocatione indictionis, & convocationis Concilii hujusmodi, infrà prædictum terminum (ut præfertur) coram nobis personaliter constituti, etiam per publica documenta, certiores nos faciant, ita ut de eorum vera obedientia, nullus dubitationis scrupulus valeat remanere, aliàs si Bernardinus, & Guilielmus Episcopi, ac Franciscus Cardinales, & adhærentes, receptores, & fautores prædicti secus (quod absit, & nobis persuadere non possumus) egerint, seu præmissa omnia, & singula infrà terminum prædictum cùm effectu non adimpleverint: noverint se supradictis pœnis obnoxios, & à nobis quanquam invitis justitia cogente citatos, prout tenore præsentium citamus, monemus, & requirimus: aut quintadecima die præfatum terminum immediatè sequente non feriata, & si dicta quintadecima dies feriata extiterit, prima die sequenti non feriata compareant personaliter coram nobis in Urbe, & Consistorio nostro secreto, aut ubi tunc erimus ad se defendendum, legitimèque excusandum de præmissis contra eos deductis, alias ad viden-

videndum, & audiendum se, & quemlibet eorum etiam nominatim, quos sic citamus ad diem eandem, contra ipsos legitimè procedi, ac ad videndum se declarari Schismaticos, blasphemos, & tanquam hæreticos, & reos criminis læsæ Majestatis fore puniendos, ac censuras, & pœnas prædictas ipso facto incidisse, & incurrisse, & aliàs iis infligi, prout justum fuerit, & justitia suadebit, certificantes eosdem, & eorum quemlibet, quod sive venerint, sive non, nisi se paruisse coram nobis personaliter constituti ostenderint, aut se legitime de præmissis excusaverint, coram nobis (ut præfertur) personaliter constituti, ad declarationem dictarum pœnarum justitia mediante procedemus, eorum contumaciâ, & absentiâ non obstantibus, sed, ipsorum contumacia eorum præsentiam repræsentante, processuri ulterius ad aggravationem, & reaggravationem, prout Justitiæ vigor postulaverit, & eorum demerita exegerint. Ut autem hujusmodi nostra monitio, & citatio ad eorundem monitorum, & citatorum, aliorumque quorum intererit, notitiam deducatur, cum ad ipsos personaliter citandos tutus non pateat accessus, cartas sive membranas eas continentes, ac præsentes literas in Valvis Basilicæ Principis Apostolorum, ac Ecclesiæ Lateranensis, in acie Campi Floræ, & extra Curiam in Cathedralis Ecclesiæ Senensis Valvis affigi faciemus, quæ monitionem eandem suo quasi sonoro præconio, & patulo judicio publicabunt, ut iidem moniti, quod ad ipsos non pervenerit, vel eandem monitionem ignoraverint, nullam possint prætendere excusationem, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus etiam, & Apostolica auctoritate decernimus, quod hujusmodi nostra monitio in eisdem Valvis, & acie intimata perinde valeat, & illos arctet, quacunque constitutione Apostolica contraria non obstante, ac si eisdem monitis, & eorum singulis intimata, & insinuata personaliter, & præsentialiter extitisset; Ne tamen moniti, & citati prædicti Urbem ipsam, & Curiam Romanam, communem omnibus Patriam, locum sibi minus tutum, & propter præmissa, vel ex quibusvis aliis causis similibus vel dissimilibus, imminere periculum in veniendo, stando, & redeundo, ad excusationis suæ velamen forsan allegent, ipsos tenore præsentium securantes, cuilibet ex monitis prædictis plenum, & amplissimum in fide Pontificia, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. Rom. Eccles. Card. in verbo viri, & boni Pontificis, Salvum conductum in veniendo, stando, & redeundo (ut præfertur) concedimus. Universos & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum, Monasteriorum Prælatos, & Clericos, ac personas Ecclesiasticas, nec non Duces, Marchiones, Principes, Potestates, Capitaneos & quoslibet alios Officiales, & eorum loca tenentes, nec non Communitates, Universitates Civitatum, Castrorum, oppidorum, Villarum, & aliorum locorum tenore præsentium requirimus, & hortamur, ipsisque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, cæterisque subditis nostris directè mandamus, quatenus præfatis monitis omnibus, & singulis in veniendo ad dictam Curiam, occasione prædicta, morando in ipsa, vel ab ipsa recedendo, in personis, & bonis aut rebus eorum nullam inferant, nec ab aliis, quantùm in eis fuerit, permittant inferri injuriam, vel offensam. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ hortationis, precationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, mandati, citationis, certificationis, voluntatis, decreti, securationis, concessionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCC. XI. quinto Kalend. Aug. Pontificatus nostri anno octavo.

A tergo autem supradictarum literarum Apostolicarum infrascripta verba erant.

Anno à Nativitate Domini M. CCCCC. XI. Indictione XIIII. diè verò ultima mensis Julii & prima mensis Augusti, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri, Domini Julii, divina providentia Papæ II. anno VIII. præsentes retroscriptæ literæ Apostolicæ præfati Sanctissimi Domini nostræ Papæ affixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ: deinde in Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Ecclesiæ Lateranensis Valvis, seu portis, & ibidem per longum temporis spacium, ut ab omnibus easdem legere volentibus, legi possent, per nos Cursores hic subscriptos, videlicet per me Vicarium de Bellavilla juniorem Sanctissimi Domini nostri Papæ & Romanæ Curiæ Cursorem.

Ita est, Dominicus de Villanis Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursor.

Anno Indictionis, Pontificatus, ut suprà, copias retroscriptarum literarum, in diversis diebus affiximus, & affixas dimisimus, cum Originali collationatas, videlicet ad Valvas Principis Apostolorum de Urbe, & S. Joannis in Laterano, dum celebrabantur divina, per nos Petrum Mengivar, & Vicarium de Bellavilla juniorem, & Joannem Bernardi Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores. Anno Indictionis. & Pontificatus suprascriptis, die verò VII. mensis Augusti, præsentes retroscriptas literas Apostolicas præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ, etiam affixi, & publicavi in Valvis seu portis Ecclesiæ Cathedralis Senensis, hora Missæ, & ibidem per longum temporis spacium dimisi, ut ab omnibus eas legere volentibus legi possent: demùm copiam earundem ibidem affixi, & affixam dimisi in signum veræ executionis.

Ita est Vicarius de Bellavilla junior Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursor.

Auxilium implorat à Principibus pro recuperatione Bononiæ à Rebellibus S. Rom. Ecclesiæ direptæ, & pro sui defensione: an. 1511. IX. ExArchiv. Angl. Rimer. Tom. 13.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei.

CUm Civitas nostra Bononiensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta, & ad eam pleno jure pertinens, & spectans, quam à jugo Tyrannidis quondam Joannis Bentivolii Filiorumque ejus magnis nostris laboribus, & impensis liberaveramus, & ad Pacis tranquillitatem, ac Justitiæ cultum reduxeramus, operâ nonnullorum perfidorum Civium à nostra, & ejusdem Ecclesiæ obedientia se subtraxerit, & ad jugum pristinæ servitutis redacta sit, monitisque nostris paternis parere, & ad solitam debitamque obedientiam redire contemnat. Nos considerantes, quam periculosum nostro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Statui sit, Civitatem tam insignem, & opulentam à Rebellibus nostris, & Hostibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ detineri, & occupari, & propterea pastorali hoc à nobis officio exigente desiderantes, illam ad veram, & immediatam obedientiam nostram, & Apostolicæ Sedis reducere; statuimus recuperationem tam Civitatis prædictæ, ejusque Comitatus, & districtus, quàm aliarum quarumcunque Civitatum, Terrarum, Arcium, & Locorum, ad eandem Ecclesiam mediatè, vel immediatè pertinentium, & spectantium, à quocunque, & qualitercunque occupentur, diutiùs non differre.

Quia tamen nostræ, & Apostolicæ Sedis vires, & Facultates, Adversariorum potentiæ, qui Civi-

tatem prædictam, & alia loca nobis, & Ecclesiæ antedictæ, ut præfertur, indebitè detinent occupata, pares non sunt, carissimum in Christo Filium nostrum Ferdinandum Aragonum, & utriusque Siciliæ Regem Catholicum, Administratorem Regnorum Castellæ, & Legionis, nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequentissimum Filium: dilectumque Filium, nobilem Virum Leonardum Lauredanum Ducem, & Dominium Venetiarum in Auxilium nostrum, pro recuperatione hujusmodi invocavimus, ut recuperatione ipsa factâ, tranquilla pax toti Italiæ reddi, ac sancta, & necessaria expeditio contra salutiferæ crucis hostes, in quâ animus noster semper defixus est, & quam semper optavimus, & quæsivimus, in Concilio generali, per nos apud Lateranum indicto, decerni possit, agimus gratias omnipotenti Deo, quod Rex, & Dux, ac Domini præfati, pro eorum eximia pietate, singularique ad nos, & Apostolicam Sanctam Sedem devotione, se nobis pro recuperatione hujusmodi, defensione Personæ nostræ, ac conservatione auctoritatis, dignitatis, & libertatis Apostolicæ Catholicæ Sedis, unioneque S. Rom. Ecclesiæ, occasione Schismatis tollendi, affuturos benignè professi & polliciti sint, prout ex authenticis mandatis, eorum sigillis munitis, Oratoribus suis apud nos & eandem Sedem agentibus, super hoc missis, & recognitis, constat, ac in illis plenius continetur.

Ad laudem igitur Dei omnipotentis, Gloriosissimæque Genitricis semper Virginis Mariæ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, totiusque Curiæ cœlestis exaltationem, & Incrementum Christianæ Religionis, ac pro recuperatione inclytæ Civitatis nostræ Bononiæ, aliarumque Civitatum, Arcium, Terrarum, & locorum ad nos, & Sanctam Sedem Apostolicam, ut præfertur, spectantium, & pertinentium, proque defensione Personæ nostræ, & conservatione Dignitatis, Auctoritatis, & Libertatis ejusdem Sanctæ Sedis, ac unione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, occasione Schismatis, ut præfertur, tollendi, ad Tractatum, Intelligentiam, Ligam, & Confœderationem cum dilectis Filiis Jeronymo de Duh milite, carissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Regis Catholici, & Jeronymo Donato Doctore, Ducis, & Dominii Venetiarum, prædictorum Oratoribus, nomine, & vice ipsorum Regis Catholici, & Ducis, ac Dominii, præsentibus, & acceptantibus, devenimus, prout in infrascriptis Capitulis, & eorum quolibet pleniùs continetur. Quorum Capitulorum tenór est.

In primis quod præfatus Rex Catholicus mittere teneatur, & debeat infrà viginti dies, à publicatione hujusmodi fœderis, & Ligæ numerandos, Illustrissimum Dominum Don Raymundum de Cardona, Vice-Regem Neapolitanum, pro Capitaneo generali totius Ligæ, vel aliam Personam idoneam per Majestatem suam deputandam, & eligendam, cum mille & ducentis Cathaphractis (id est, Equitibus gravioris armaturæ) & mille Equitibus levioris, ac decem mille Peditibus Hispanis idoneis, Militiæ aptis, atque decenter armis instructis, cum Artilliaria, hujusmodi expeditioni necessaria, bene munita lapidibus, pulvere, & omnibus aliis rebus opportunis, cui Capitaneo generali tam Gentes, & Armigeri Sanctissimi Domini nostri, quam Ducis, & Dominii Venetorum parere debeant.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster pro subsidio hujus Ligæ, & Fœderis mittere debeat, & teneatur Sexcentos Equites, gravioris Armaturæ, sub ductu Illustrissimi Domini Ducis Termularum, qui Dux Locumtenens, seu Gubernator generalis totius Exercitus Sanctitatis suæ nuncupetur, & sit.

Item, quod Illustrissimus Dominus Dux, & Dominium Venetorum debeat habere Copias suas tam equestres, quam pedestres benè instructas, & paratas, cum necessaria Artilliaria, ut Hostes a tergo invadere possint eodem tempore, quò Capitaneus generalis prædictus iter cum Exercitu ingreditur, pro recuperatione & rebus prædictis.

Item, quoniam etiam Mari obviandum est viribus Inimicorum occupantium, & eorum, qui hujusmodi Ligæ, & Confœderationi opponere se voluerint, dictum Dominium teneatur, & debeat Classem suam mittere, & nunc saltem tot Triremes Viris, & Armis instructas, ac aliis necessariis munitas, quæ, conjunctis undecim triremibus, quas dictus Rex Catholicus pro hujusmodi expeditione habet, non solum resistere viribus Inimicorum, ut præfertur, sed etiam invadere, & offendere possint.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster, & Dominium præfati teneantur pro subventione expensarum, quæ in expeditione hujusmodi fient, solvere præfato Capitaneo generali, in loco, ubi eum pro tempore esse contigerit, quadraginta millia Ducatorum boni auri, & justi ponderis, singulo mense durante Bello.

Item, quod præfatus Sanctissimus Dominus noster, & Dominium Venetorum, pro subventione hujusmodi Ligæ, & Fœderis, ac celeri expeditione, teneantur, & debeant, die publicationis hujusmodi fœderis, solvere præfato Capitaneo generali, pro Stipendio duorum mensium, octuaginta millia Ducatorum auri similium, & idem Capitaneus cum Exercitu, ut præfertur, ac opportuna Artilliaria infrà viginti dies, à publicatione hujusmodi Ligæ & Fœderis numerandos, Castra movere, & iter continuare ad expeditionem prædictam debeat.

Item, quòd terminus solutionis Stipendii prædicti, pro duobus mensibus currere, & incipere debeat à die, quo, ut præfertur, dictus Capitaneus ad expeditionem hujusmodi iter arripuerit cum numero equitum, ac peditum suprascripto, ac sufficienti Artilliaria.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster, & Dominium antedicti debeant dare idoneos Fidejussores Neapoli, vel in Regno Siciliæ, qui respondeant, & solvere debeant dicto Capitaneo Generali, finitis dictis duobus mensibus, pro quibus ei soluta fuerint octuaginta millia Ducatorum auri, ut præfertur, Ducatos auri quadraginta millia singulo mense, quamdiù bellum, vel expeditio duraverint, ut præfertur.

Item, quia æquum, & honestum est, quod dictus Capitaneus generalis, pro debito oneris sibi demandati, & Equites sexcentos Sanctissimi Domini nostri revidere possit, an sint armis, & equis rectè instructi vel ne, initum est, quòd pariter Sanctissimus Dominus noster, unum Commissarium deputare debeat, qui numerum gentium armigerarum utriusque armaturæ, ac peditum dicto Capitaneo, ut præfertur, commissarum recensere, ac Gentes hujusmodi armigeras, & pedites, necnon Artilliariam, si bene munita sit, semel saltem singulo mense, ne desint in numero prædicto, revidere possit.

Item, quod Sanctissimus Dominus noster teneatur, & debeat contrà quoscunque, quavis auctoritate, vel dignitate Ecclesiasticâ vel mundanâ, etiam Regiâ fulgentes, & prædictos, hujusmodi Ligæ, & fœderi se opponentes, eis Auxilium, Consilium, & Favorem præstantes, tam in Italia, quam extra, censuras, & pœnas Ecclesiasticas fulminare, & publicare, prout & quoties opus fuerit.

Item, quod si alicui ex confœdaratis, post publicationem fœderis, & illius occasione per quemvis injuria, seu bellum illatum fuerit, reliqui confœderati esse ei auxilio teneantur; Principali tamen expeditione propter hoc non intermissa, seu diminuta.

Item, quod si quis Rex, Princeps, vel Poten-

tatus,

tatus, Populus, aut quivis alius se opponent hujusmodi Ligæ & Fœderi, quominùs Sanctissimus Dominus Noster Bononiam, ejusque Comitatum & Districtum, ac alias Civitates, Terras, Urbes, Arces, Oppida & Loca, ad Sanctam Romanam Cathedram mediatè vel immediatè pertinentia & spectantia, à quocunque & quovis modo, ut præfertur, occupatas & occupata, recuperare non possit. Tunc & in eo casu Confœderati omnes contra talem sic se opponentem & resistentem teneantur & debeant, ac sint astricti jure Ligæ hujusmodi & Fœderis, omni conatu & aperto Bello, procedere ad capiendum talis sic se opponentis omnes Civitates, Terras, Arces, Loca & Statum, & Dominia, quæ in Italia habet. Et, quod si talis sic se opponens, occupet vel detineat aliquas Civitates, Terras, Arces, Oppida & Loca, quæ ad aliquem Confœderatorum pertineant & spectent, liceat ipsi Confœderato illa, si recuperata fuerint, licitè tenere & possidere, & super hoc stetur declarationi Sanctissimi Domini Nostri; De reliquis verò stetur Ordinationi Confœderatorum.

Item, quod si contingat, aliquem ex Confœderatis aliquid capere extra Italiam, possit illud retinere Jure Belli; & tamen Sanctissimus Dominus Noster extra Italiam aliquod præsidium dare non teneatur, nisi Armis Spiritualibus, ut præfertur.

Item, quod locus remaneat Serenissimo, electo Imperatori, semper Augusto, & cuicunque alii Regi & Principi Christiano, ad effectum præmissorum. ingrediendi hanc Ligam & Fœdus; teneantur Confœderati suos Confœderatos & Adhærentes, infrà quadraginta dies, à die publicationis ipsius Fœderis numerandos, nominare. Dummodò talis Confœderatus, seu Adhærens nominandus non sit mediatè vel immediatè subditus alicujus ex Confœderatis.

Item, quod intelligatur Ligà & Fœdus hujusmodi, in quantum dictum Regem Catholicum concernit, initum absque præjudicio rerum, quæ sunt inter Cæsaream Majestatem, & Regem ipsum Catholicum, dummodò non sint contra tenorem Capitulorum hujus Fœderis & Ligæ.

Item, quod Liga & Fœdus hujusmodi durare, firmaque & immobilis esse debeat, donec pax fiat, de consensu omnium Confœderatorum, & quod interim nullus ex Confœderatis possit, neque debeat quovis modo in pacem, sive Treguam cum aliquo Rege, Principe, Potentatu vel Populo, qui eidem Ligæ se opposuerit, inire sine consensu omnium Confœderatorum.

Postremò, quod præfati Serenissimus Rex, & Illustrissimus Dux, & Dominium Venetiarum, Confœderati, ut præfertur, teneantur, infrà quadraginta dies proximè futuros, omnia & singula in suprascriptis Capitulis, & eorum quolibet contenta, sub pœnis, in Instrumento propterea conficiendo, apponendis ratificare, laudare & approbare, ac Mandata, seu Litteras Approbationis & Ratificationis hujusmodi in publica forma, eorumque Sigillis munitas mittere, cum omnibus Juramentis, Clausulis, Submissionibus, Obligationibus & Cautelis, in similibus necessariis, opportunis & consuetis.

Et quia omnia & singula in hujusmodi Ligâ & Confœderatione contenta, tractata & agitata fuerint cum participatione & scitu Serenissimi Henrici Regis Angliæ, qui nihil hactenùs intactum omisit, unà cum Rege Catholico Socero suo, pro pacifica restitutione Bononiæ, & aliorum locorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ occupatorum, ut decet Christianum, & optimum ac pium Regem, agente pro eo apud præfatum Sanctissimum Dominum Nostrum Reverendissimo Domino Christophoro, Eboracensi Cardinale Angliæ, qui de omnibus præmissis optimè & particulariter instructus, Mandatum concludendi dictam confœderationem in dies expectat, sed quia propter locorum distantiam, & non tutum transitum Tabellariorum adhuc haberi non potuit, & conclusio dicti Fœderis nimis differri non potuit, cum Damno & periculo rerum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Ideò visum est Sanctissimo Domino nostro, & reliquis Confœderatis non ulteriùs expectare Mandatum præfati Serenissimi Angliæ Regis, cùm ejus optima & sanctissima intensio, ac mens satis perspecta & cognita sit ejus Sanctitati, & cæteris Confœderatis, sed interim concludere & exigere ea, quæ ad rem tam sanctam, tamque honestam, necessariam & piam concludenda sunt, & exequenda, quæ, prout suprà continetur, tractata, inita & conclusa fuerunt; Reservato tamen præcipuo & honorificentissimo Majestati suæ loco Confœderationem & Ligam hujusmodi ingrediendi.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die quarta Octobris, millesimo quingentesimo undecimo, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Subscriptio Capitulorum.

Item convenimus & promittimus; ita ut supra, & nomine quo supra me obligo:
Ego Jeronymus de Duh, Orator, manu propria.
Ita ut supra, & nomine quo supra me obligo:
Ego Jeronymus Donatus, Orator, manu propria.
Extracta à proprio Originali suprascripto, ut præfertur.

Sigismundus, Secretarius.

Die octavo Octobris, lectis Capitulis in Consistorio secreto, exponente Sanctissimo Domino nostro, quod si contigerit Sanctitatem suam, ab hac luce migrare, æquum esse, quod præmissa tàm per Regem Catholicum & Dominium Venetorum observarentur, pro defensione Status, & Libertatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac liberâ Creatione futuri Pontificis, saltem usque ad Creationem hujusmodi, stipulante Notario Cameræ, & Testibus præsentibus, Collegium Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, ac Oratores prædicti promiserunt in eventum hujusmodi (quod Deus avertat) observare.

Bulla ad Unionem perpetuam Ecclesiæ Sancti Jacobi de Vendeuvres, cum Mensa Capitulari Ecclesiæ Gebennensis, anno 1511. X. Ex Archiv. Reipubl. Genev.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex debito Pastoralis Officii Nobis, meritis licet insufficientibus, ex alto commissi, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum omnium præsertim Cathedralium insignium decori & venustati, ac personarum in illis Divinis laudibus insistentium commoditatibus valeat salubriter provideri. Dudum siquidem omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura, apud Sedem Apostolicam tunc vacantia & in anteà vacatura collationi & dispositioni Nostræ reservavimus, decernentes extunc irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Cum itaque postmodum Parrochialis Ecclesia Sancti Jacobi de Vendeuvres Gebennensis Diœcesis, per liberam resignationem Dilecti Filii Ludovici Reysmeti, nuper ipsius Ecclesiæ Rectoris de illa, cujus possessione, postquam illam tunc certo modo vacantem canonice sibi collatam assecutus per certum tempus pacifice tenuerat & possederat, per dilectum Filium Augustinum de Castillione, Clericum dictæ Diœcesis, de facto spoliatus extitit, per dilectum Filium Aphricanum Severolum, Clericum Faventinum, Procuratorem substitutum, à dilecto Filio Johanne Gangiatoris, Canonico Gebennensi, ipsius Ludovici Procuratore, ab hoc ab eo specialiter constituto, in Manibus Nostris sponte

factam, & per Nos admissam apud Sedem eandem vacaverit & vacet ad præsens, nullusque de illa præter Nos hac vice disponere potuerit, sive possit, Reservatione & Decreto obsistentibus supradictis.

Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Gebennensis petitio continebat, si dicta Parrochialis Ecclesia, quæ dum pro tempore vacat ad præsentationem eorundem Capituli videlicet Canonicorum & Hebdomarii ejusdem Ecclesiæ Gebennensis, de antiqua & approbata hactenusque pacifice observata consuetudine pertinet, & in cujus Parrochia Capitulum præfati certas præbendas & alios redditus immixtos redditibus ipsius Parrochialis Ecclesiæ habent & percipiunt, Mensæ Capitulari ipsius Ecclesiæ Gebennensis perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto contentionibus & quæstionum materiis, quæ sæpius inter eosdem Capitulum, ac pro tempore existentem Rectorem ejusdem Parochialis Ecclesiæ occasione dictorum redditum oriuntur, ac oriri possent, obviaretur, finisque imponeretur, & propter hoc cura animarum Parrochianorum ejusdem Parrochialis Ecclesiæ non negligeretur, imò forsan diligentius exerceretur, ipsique Capitulum in suis necessitatibus aliquod subventionis auxilium susciperent, ac onera eis ratione fabricæ & manutentionis ædificiorum ac ornamentorum, nec non sustentationis sex puerorum Choralium, & unius eorum Magistri, ejusdem Ecclesiæ Gebennensis, & alias pro tempore incumbentia commodius perferre possent. Pro parte eorumdem Capituli asserentium, fructus, redditus & proventus dictæ Parrochialis Ecclesiæ, & illi annexæ, seu Filialis Ecclesiæ Sancti Martini Titorniaci dictæ Diocœsis triginta Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Parochialem Ecclesiam prædictam eidem Mensæ Capitulari perpetuò unire, annectere & incorporare, aliasque eis in præmissis opportunè providere, de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum æstimationem prædictam, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset, & in quorum etiam manibus præfatus Augustinus, & dilectus Filius Philibertus de Bona, Canonicus Gebennensis, asserentes, eis & eorum cuilibet in dicta Parrochiali Ecclesia, vel ad illam jus competere, omni juri eis respectivè in ipsa Parrochiali Ecclesia, vel ad illam quomodolibet competenti, hodie per eundem Aphricanum etiam Procuratorem substitutum, ab eodem Johanne ipsorum Augustini & Philiberti Procuratore, ad hoc ab eis respectivè specialiter constituto, sponte & libere cesserunt, quique cessiones ipsas duximus admittendas, præfatos Capitulum ac Capituli hujusmodi singulares personas, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, nec non dictæ Mensæ Capitularis fructuum, redditum & proventuum verum valorem annuum, præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Parrochialem Ecclesiam prædictam, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per similes resignationem Ludovici, aut Cessiones Augustini & Philiberti prædictorum, vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario Publico & Testibus spontè factas, aut Constitutionem felicis Recordationis Johannis Papæ Vicesimi Secundi, Prædecessoris Nostri, quæ incipit: Execrabilis &c.

Vel affecutionem alterius beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipsaque parochialis Ecclesia dispositioni Apostolicæ, specialiter vel alias generaliter reservata existat, seu super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexa hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Mensæ Capitulari auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus; Ita quod liceat eisdem Capitulo per se vel alium, seu alios corporalem dictæ parochialis Ecclesiæ, ac annexæ juriumque, & pertinentiarum prædictorum possessionem, propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus in suos, ac Mensæ Capitularis & parochialis Ecclesiæ prædictarum usus, & utilitatem convertere, nec non eidem parochiali Ecclesiæ, per Presbyterum idoneum secularem, ad eorum nutum ponendum & admovendum, in divinis deserviri, & animarum curam illius parochianorum hujusmodi exerceri facere, Diœcesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita.

Non obstantibus voluntate nostra prædicta, ac aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus, speciales vel generales, dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrant, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde secuta quæcunque ad dictam parrochialem Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad affecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso, quod propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas dicta parrochialis Ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta.

Nos enim prout est irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Anconæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Undecimo quinto, Idus Junii, Pontificatus nostri, Anno octavo.

G. de Prato.

XI. Ex Arch. Reipub. Genev.

Bulla ad unionem redituum Prioratus Satigniaci, Ordinis S. Augustini, cum Mensa Capitulari Eccles. Gebennensis: an. 1512.

JULIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex

Ex commisso nobis desuper Pastoralis Officii debito, votis illis, per quæ divinus cultus, & Ministrorum numerus in Ecclesiis quibuslibet, præsertim Cathedralibus insignibus augeatur, eisque decor & venustas accrescat, cum à nobis petitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Capituli Ecclesiæ Gebennensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Clementi Papæ VII. prædecessori nostro, pro parte eorundem Capituli exposito, quod propter diversa ignis incendia, quæ eatenus in Civitate Gebennensi, & dicta Ecclesia casualiter contigerant, eadem Ecclesia multum in quibusdam collapsa fuerat, & in aliis ejus ædificiis minabatur ruinam, nec non fructus, redditus & proventus, ac possessiones & aliæ facultates dictæ Ecclesiæ adeo tenues, & exiles erant, quod ex illis præfati Capitulum dictam Ecclesiam debite reparare, & alia onera illi incumbentia commode perferre non poterant, idem Clemens Prædecessor, ut dicta ædificia reparari possent, Prioratum Satigniaci, Ordinis Sancti Augustini, Gebennensis Diœcesis, eidem Ecclesiæ perpetuo uniri, annecti & incorporari mandavit, ita quod cedente vel decedente dicti Prioratus tunc Priore, seu Prioratum ipsum alias quomodolibet dimittente, liceret eisdem Capitulo, corporalem dicti Prioratus possessionem, propria auctoritate, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus & proventus in reparationem & relevationem onerum hujusmodi, & non in alios usus convertere, prout in ipsius Clementis Prædecessoris litteris desuper confectis dicitur plenius contineri. Et sicut eadem petitio subjungebat, licet postmodum dicta unio suum sortita fuerit effectum, ipsique Capitulum ipsum Prioratum ab illo tempore citra, cum illius honoribus & oneribus consuetis tenuerint & possederint, in illoque ex post prout antea Sex Religiosi, seu Canonici regulares inibi præbendati, qui in Ecclesia dicti Prioratus decantare, & in divinis deservire habebant, existerent, quia tamen dicti Religiosi seu Canonici, ex eo quod dictus Prioratus in loco rurali & campestri consistit, absque Priore & Pastore existunt, ipseque Prioratus ab aliquo monasterio, à cujus Superiore secundum regularia instituta ejusdem ordinis instrui, & corrigi debeant, non dependet, adeo vagabundi & discoli existunt, ut amplius claustrum non teneant, nec religiose vivant, nec solitum officium decantent, & quod deterius est, adeo in vita & moribus sunt deformati, ut magis videantur Seculares & Laici quam Religiosi, in ipsoque Prioratu, nedum inutiles existunt, immo ludibrio habentur, in maximum Religionis Christianæ dedecus, & quamvis præfati Capitulum, tam per caritativa monita, quam possibiles correctiones procuraverant, ut præfati Sex Canonici religiose viverent, & reducerentur ad frugem melioris vitæ, tamen causantibus prædictis, monitiones & correctiones prædicta nihil profuerunt, immo deterius vivitur. Et licet etiam præfati Capitulum habeant in Choro dictæ Ecclesiæ Gebennensis, cui ipse Prioratus unitus existit, ut præfertur, decem habituatos seu habilitatos Presbyteros Seculares, quinque videlicet ab utroque latere, qui inibi in divinis, tam in Missis, etiam in majori altari celebrandis, quam in singulis horis decantandis deserviant, tamen pro tot oneribus supportandis præfati decem habituati non sufficiunt, sed sunt duo alii Presbyteri plurimum necessarii, ut ex utroque latere sex habituati existant; Verum si Mensa Conventualis dicti Prioratus, in quo hactenus non fuerunt nisi Sex Canonici, penitus supprimeretur, & ex illius fructibus, redditibus & proventibus, duo alii Presbyteri Seculares, qui alios decem Presbyteros associent, & ipsis in divinis, & Missis celebrandis adjuvent, deputarentur & manutenerentur, ex hoc profecto Salvationi animarum dictorum Canonicorum, cum divino cultus augmento in dicta majori Ecclesia consuleretur, cederetquæ honori dictæ Ecclesiæ Gebennensis, pro parte dictorum Capituli asserentium, fructus, redditus & proventus dictæ Mensæ quinquaginta Ducatorum auri de Camera, secundùm communem æstimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Mensam Conventualem Prioratus hujusmodi penitus supprimere & extinguere, illiusque fructus, redditus & proventus in sustentationem & manutentionem duorum aliorum Presbyterorum habituatorum nuncupatorum, qui aliis decem Presbyteris habituatis in Divinis & aliis Missis & Horis Canonicis celebrandis adjuvent, ipsosque decem Presbyteros associent, & quilibet eorum in altera parte dicti Chori residere habeat, convertendos constituere & deputare, aliasque in promissis opportunè providere de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium insignium, quæ Domus Dei sunt, decorem & venustatem, ac in illis Divini Cultus augmentum, ad ipsius Dei Laudem & Gloriam intensis desideriis affectamus, præfatos Capitulum, ac Capituli hujusmodi singulares personas, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Mensam Conventualem dicti Prioratus Auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò supprimimus & extinguimus, illiusque fructus, redditus & proventus in sustentationem & manutentionem duorum aliorum Presbyterorum habituatorum nuncupatorum, qui alios decem Presbyteros associare, ipsisque in Divinis & aliis Missis & Horis Canonicis celebrandis adjuvare, & quilibet eorum in altera parte dicti Chori residere debeant, convertendos, ita tamen quod præfati Capitulum in dicto Prioratu unum Religiosum pro Sacrista & alium Presbyterum Sæcularem vel Regularem pro perpetuo Vicario, qui onera illi incumbentia exercere, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare habeant, quibus de congruis portionibus pro eorum sustentatione provideatur, deputare teneantur, eisdem auctoritate & tenore constituimus & deputamus, ita quod cedentibus vel decedentibus simul vel successivè modernis dicti Prioratus Canonicis, liceat eisdem Capitulo loco dictorum sex Canonicorum, duos Presbyteros Sæculares, in Choro dictæ Ecclesiæ Gebennensis deputare & manutenere, nec non dictæ Mensæ fructus, redditus & proventus in dictorum duorum Presbyterorum habituatorum, ac Sacristæ & Presbyteri in Ecclesia dicti Prioratus, pro tempore deputatorum sustentationem & manutentionem, & non in alios usus convertere, Diocœsani loci vel cujusvis alterius licentia super hoc minimè requisita. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Prioratus & Ordinis prædictorum, Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod Ecclesia Prioratus hujusmodi debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura, si qua illi immineat, per Sacristam & Vicarium pro tempore deputandos, diligenter exerceatur & deserviatur laudabiliter inibi in Divinis, ac ejusdem Ecclesiæ congruè supportentur onera consueta.

Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Absolutionis, Suppressionis, Extinctionis, Constitutionis, Deputationis, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præ-

ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo duodecimo, Sexto Decimo Calend. Januarii, Pontificatus Noſtri, anno decimo.

D. de Comitibus.

LEO DECIMUS.
PONTIFEX CCXXI.
ANNO DOMINI MDXIII.

LEO ex Illuſtri Medicæa Familia annorum triginta Pontifex eligitur, anno ſcilicet 1513. Sub hoc Lutherus contra Indulgentias inſurgit, cujus Libros Pontifex comburi juſſit. Mox Lutherus Jus Pontificium cremari fecit. Hinc Schiſmata ultrò citroque in Eccleſia oborta. Quadragenarius ferè Pontifex moritur Pontificatus ſui anno nono. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis, Luxemb.* 1727. *fol.* 525.)

I. Ex Cartar. Syllabus Advocat. Conſiſtor. pag. 31.

Declarat Julium Medicæum, (qui poſteà fuit Clemens VII.) fuiſſe legitimo thoro natum, aliorumque calumnias redarguit, qui eum ex illegitimo complexu prognatum aſſerebant: anno 1513.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD Romanum Pontificem in primis pertinet, non ſolùm Salvatoris Domini noſtri JESU Chriſti ſingulas actiones, quæ ad noſtram ſunt inſtructionem, verùm etiam ejus verba, quæ non abſque profundi ſenſus myſterio protulit, quique dixit: Ego ſum Lux Mundi, quæ pulſis ignorantiæ tenebris, veritate prævia per rectam Juſtitiæ ſemitam cuncta ducit, imitari. Quocirca nos ejuſdem Salvatoris noſtri, licet immeriti vices gerentes in Terris, ac in Sede Juſtitiæ Divina diſpoſitione locati, ex debito Paſtoralis Officii, ut quarumcunque Perſonarum ſtatus, & conditio, prout decet, æquo libramine penſitentur, & unicuique ſuum tribuatur jus, curàre tenemur, & comperta veritate, declarationis oracula clarà, & planà facere, ut exinde erronea opinione, & contraria fama ſublatis, omnis dubitationis fomes removeatur. Cum nuper fide dignorum relatione percepèrimus, quod dilectus Filius Julius electus Florentinus, de quondam Juliano de Medicis, Cive Florentino, ſecundum carnem Patruo noſtro, ac Floreta Antonii Muliere Florentina, tunc in humanis agentibus, genitus, quem hactenus defectum Natalium pati reputatum, ſecumque tanquam defectum hujuſmodi patiente, in proviſionibus beneficiorum ſibi factis, per Prædeceſſores noſtros, & per nos, cum nuper de Perſona ſua Eccleſiæ Florentinæ, tunc certo modo vacanti providiſſemus, ipſumque illi præfeciſſemus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, ut illi præeſſe poſſet, diſpenſatum fuit, quod in veritate ex legitimo matrimonio, inter eoſdem Julianum, & Floretam, per verba legitimè de præſenti contracto, & carnali copula conſummato, procreatus erat, ac quod aliqui ex teſtibus, qui tunc, quando Matrimonium hujuſmodi inter eos contractum fuit, præſentes fuerant, adhuc vivebant. Nos ne erronea hujuſmodi, & vaga fama veritati noceat, in Conſiſtorio noſtro ſecreto Franciſco Sancti Joannis, & Pauli, & Leonardo S. Suſannæ titt. Presbyteris Cardinalibus, dilectis Filiis noſtris, ut ſuper cauſa, & negotio legitimitatis, vel illegitimitatis, ac Natalium Julii electi hujuſmodi, etiam eo, vel alio pro eo non inſtante, vocatis ſua in præmiſſis intereſſe putantibus, ex officio inquirerent, & cognoſcerent veritatem, ipſis invicem, unum ex eis, aut alium, vel alios, prout eis videbitur, ſubdelegandi ad procedendum in præmiſſis, etiam Feriis de Menſe Septembris, per nos indictis non obſtantibus, facultatem tribuendo, ac poſtmodum quicquid ſuper hujuſmodi legitimitate, vel illegitimitate inveniretur, in eodem Conſiſtorio referendi, vivæ vocis oraculo, ut in ſimilibus fieri conſuevit, commiſimus, ac etiam ſuper hoc commiſſionem manu noſtra ſignatam, per duos ex noſtris curſoribus præſentari mandavimus, ac fecimus, ipſique Cardinales Commiſſionis hujuſmodi vigore, ſe ipſos ad invicem, & dilectos Filios Joannem Paſchalis, & Gentilem de Carlenis, Clericos eorum Auditores, ad in hujuſmodi inquiſitionis cauſa procedendum, & quicquid per eos in eadem inventum foret, eis referendum, ſubdelegarunt, ac dilectus Filius Magiſter Angelus de Cæſis, Aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus, aſſerens ſe ejuſdem Julii electi intimum, ac præcipuum amicum, ac ſua intereſſe, ne quis indebitè vel injuſtè diffamaretur, tanquam talis, ac alias, ut unus de Populo coram præfatis Cardinalibus comparens, proceſſum in hujuſmodi cauſa per edictum publicum in alma Urbe noſtrâ, & Valvis Cancellariæ Apoſtolicæ, ac acie Campi Floræ affigendum contra omnes, & ſingulos ſua in præmiſſis communiter, vel diviſim intereſſe putantes, ſi qui forent, inſtituendum, & continuandum, ac citationem per edictum, contra ipſos ſua intereſſe putantes, ad dicendum, & excipiendum quicquid verbo, vel in ſcriptis, contra ipſam præfatis Cardinalibus, ut præfertur, factam, & præſentatam Commiſſionem dicere, ſivè excipere vellent, ad certum peremptorium tunc expreſſum competentem terminum, decerni obtinuit. Ac poſtmodùm in eodem termino coram præfatis Franciſco Cardinali Commiſſario, ac Joanne, & Gentile Auditoribus, ut præfertur, Subdelegatis comparens, edictum citationis hujuſmodi in Valvis, & acie prædictis per unum ex dictis Curſoribus, debitè affixum, & legitimè executioni publicæ demandatum, judicialiter reproduxit, ac citatorum inibi contentorum non comparentium, nec aliquid contra ipſam Commiſſionem dicere, ſeu excipere curantium contumaciam accuſavit, ipſoſque contumaces per ipſos Franciſcum Cardinalem, ac Joannem, & Gentilem Auditores reputari fecit, ac etiam obtinuit, nec non poſtmodum coram ipſis nonnullos articulos ſuper Natalibus, & legitimitate prædictis obtulit, & aliud citationis edictum, contra ipſos intereſſe putantes ſimiliter affigendum, & exequendum ab eiſdem Cardinalibus ad dicendum, & excipiendum, quicquid ſimiliter contra ipſos articulos dicere, ſivè excipere vellent, ac ad videndum, & audiendum ipſos articulos, ad probandum admitti, & teſtes ſuper illis, ac tota cauſa hujuſmodi jurare, & ad jurandum admitti ad certam diem juridicam tunc expreſſam, terminum quidem etiam peremptorium competentem, ac ad dandum interrogatoria, ſi qua dicti citati pro ipſis teſtibus interrogandis dare vellent, per totam illam, & ſequentem dies, more ſolito decerni fecit, ac eadem die adveniente, edictum poſterioris citationis hujuſmodi in valvis, & acie prædictis per unum ex dictis curſoribus ſimiliter affixum, & executioni demandatum in illius termino prædicto, coram ipſis Franciſco Card. ac Joanne, & Gentile Auditoribus etiam reproduxit, & citato-

rum prædictorum non comparentium, nec aliquid contra ipsos Cardinales dicere, vel excipere curantium, per ipsum Angelum contumaciâ accusatâ, ipsisque contumacibus reputatis, per ipsum Franciscum Cardinalem, ac Joannem & Gentilem Auditores dictos Articulos ad probandum admitti petiit, & obtinuit, ac coram eis nonnullos Testes fide dignos super ipsis Articulis, & tota causa inquisitionis hujusmodi induxit, & per Franciscum Cardinalem tam suo, quam Leonardi Cardinalis & Collegæ nominibus, ac Joannem & Gentilem Auditores præfatos etiam recipi, & admitti ad jurandum, prout jurarunt, tactis per eos, & eorum quemlibet ob hoc Scripturis Sacrosanctis ad Sancta Dei Evangelia, de dicendo puram, meram, & sinceram, quam super his scirent, veritatem, amore, favore, irâ, & invidiâ penitus postpositis. Et successivè, ne ab aliquibus tempore procedente, de fide, & legalitate dictorum testium aliquid possit hæsitari, præfatus Angelus certos alios articulos legalitatis ipsorum testium comprobatorios, coram præfatis Francisco Cardinali, ac Joanne, & Gentile Auditoribus, apud acta causæ inquisitionis hujusmodi exhibuit, & deinde alio simili citationis edicto similiter ad dicendum, & excipiendum contra illos, & videndum eos admitti, ac jurare testes, tam super illis, quam tota causa hujusmodi ab ipsis Cardinalibus decreto, & emanato, ac pari modo publicè affixo, & debitæ executioni demandato; ac ipsis Testibus, sic ut præfertur, jam inductis, & juratis, & conspectui eorundem Francisci, & Leonardi Cardinalium præsentatis, & per eos super dictis articulis, & contentis in eis prius, ac deinde per ipsos Joannem, & Gentilem Auditores, etiam secreto, & sigillatim examinatis, eorumque dictis, & depositionibus in scriptis fideliter redactis, ipsosque posterioris citationis edicto, coram ipsis Francisco Cardinali, ac Joanne, & Gentile Auditoribus in illius termino reproducto, & citatis in eo contentis, per ipsos Franciscum Cardinalem, ac Joannem, & Gentilem Auditores contumacibus reputatis, dictos posteriores articulos, similiter ad probandum admitti, & nonnullos alios Testes super ipsis posterioribus articulis, & tota causa hujusmodi similiter induxit, & ad jurandum recipi obtinuit, prout similiter jurarunt, & termino ad dandum interrogatoria pro illorum examine competenti prius lapso, examinati fuerunt, dictis, & depositionibus eorum in scriptis pariter redactis. Et tandem ipsi Franciscus, & Leonardus Cardinales, actis super præmissis factis, & in eis contentis per eos visis, ac diligenter inspectis, ac omnibus, & singulis, quæ in causa ipsa acta, & actitata fuerunt, diligenter, & accuratè per eos etiam examinatis, in Consistorio præfato præmissa omnia, & singula, etiam Testium depositiones coram nobis, & aliis Venerabilibus Fratribus nostris S. Rom. Eccl. Card. nobiscum inibi consistorialiter sedentibus, magna cum maturitate retulerunt, exposuerunt, & narrarunt. Nos visa citatione ad audiendum sententiam nostram, ad hanc diem factâ, ac relatione hujusmodi audita, & intellecta, ac illis, & aliis, quæ ex processu, & depositionibus testium hujusmodi resultabant, simili maturitate pensatis, & libratis, ac ex illis clarè comperto, quod Julianus, & Floreta Parentes dicti Julii electi fuerunt, dum viverent, legitimi Conjuges, & matrimonium inter se per verba legitimè de præsenti contraxerant, quodque dictus Julius electus, jure dictante, eorum Filius naturalis, & legitimus existit, quodque propterea nullum Natalium defectum passus fuit, nec patitur, de dictorum Cardinalium Consilio, & unanimi consensu, illorum nemine discrepante, processum in præmissis habitum primitus, & ante omnia approbantes, & confirmantes, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis, dictique Processus solemnitates, forsitan minus rectè servatas, aut etiam in totum omissas, Apostolica auctoritate, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine supplentes, in dicto Consistorio pro Tribunali sedentes, talem in negotio, & causa hujusmodi sententiam damus in his scriptis, & proferimus in hunc, qui sequitur, modum:

Supremi æternique Tribunalis Judex, cujus Divinâ disponente Clementiâ, vices in terris gerimus, Nos verbo & exemplo docuit, in rebus omnibus, præsertim gravibus, neque famâ decipi, neque aliàs gestorum nostrorum defensioni nimiùm inniti, dicente Domino, Descendam & videbo, utrum clamor, qui ad me pervenit, opere compleverint: & eodem jubente, servum coram se rationem reddere villicationis. Nos igitur gesta nostra corrigere, & ad veritatis semitam reducere, juxta Apostoli, Nicolaique Prædecessoris Nostri Sententiam, ut par est, volentes, quamquam usque in hæc tempora, famâ suadente, pro comperto haberemus, Dilectum Filium Julium, electum Florentinum Natalium pati defectum, ideòque cum eo in promotione ad Ecclesiam Florentinam prædictam, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. Ecclesiæ Card. Consilio dispensaverimus, prout aliàs super eodem defectu à pluribus Prædecessoribus Nostris dispensatum fuisse comperimus. Quoniam tamen nonnulli antiquiores, etiam sanguine conjuncti, ut in rebus gravibus fieri solet, rem aliter se habere arbitrabantur, & Nobis retulerunt, nos de præmissis certam notitiam non habentes, stimulis conscientiæ agitati, veritatem rei seriosius inquiri cupientes, ne illegitimum pro legitimo, & legitimum pro illegitimo haberemus, Dilecto Filio Francisco SS. Johannis & Pauli, & Leonardo S. Susannæ tit. Presbyteris Cardinalibus dedimus in Mandatis, ut super præmissis se diligentiùs informarent, etiam quorum interest, citatis, ex quorum, post plurium testium examen per eos diligenter factum, in Consistorio Nostro Secreto, relationibus dilectum Filium Julium electum præfatum, legitimum esse, atque ex legitimo matrimonio natum fuisse, reperimus. Veritate itaque manifestata, cum juxta Canonicas Sanctiones cedat opinio veritati, Omnipotentis Dei, ejusque Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine invocato, per hanc Nostram definitivam Sententiam, quam ex Nostro Officio ad nullius partis instantiam, & de plenitudine potestatis, quoad validitatem processus, & sententiæ hujusmodi procedentes, de eorundem Fratrum Nostrorum Consilio, & assensu in his scriptis fecimus, pronuntiamus, decernimus, & declaramus in causa & de super natalibus Dilecti Filii Julii electi præfati, rebusque aliis in actis causæ hujusmodi latiùs deductis, præfatum Julium electum legitimum, & ex legitimo matrimonio natum fuisse & esse, eumque pro legitimo, & ex legitimo matrimonio procreatum, in omnibus, & per omnia pleno jure, verè & non fictè, prout in litteris super hujusmodi Nostra Sententia conficiendis pleniùs exprimetur, haberi & reputari, teneri & tractari debuisse & debere, ac de cætero perpetuis futuris temporibus habendum, reputandum, tenendum & tractandum fore, famâ, dispensationibusque prædictis, cæterisque in contrarium facientibus, prout revera non obstant, non obstantibus quibuscunque.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Pronunciationis, Prolationis, Declarationis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1513. duodecimo Kal Octobris, Pontificatus Nostri anno primo.

Ego

Ego *LEO Decimus* Ecclesiæ Catholicæ Episcopus subscripsi.



Ego R. Ep. Ostien. Card. S. Georgii Camerarius.
Ego B. Ep. Sabin. Card. S. ✝.
- - - - - - - - -
Ego Ja. Episc. Alban. Card. Arboren.
Ego F. Ep.sc. Tiburtin. Card. Vult.
Ego M. Episc. Prænestinus Card. Senogall.
Ego T. Presbyter Card. Strigoniensis, tit. S. Martini in Montibus, manu propria subscripsi.
Ego F. tit. SS. Joannis & Pauli Presb. Card. Surrentin. manu propria.
Ego N. tit S. Priscæ Presb. Card. de Flisco, manu propria.
Ego Hadrianus tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Bathoniensis, manu propria.
Ego R. Presb. Card. tit. S. Anastasiæ Nannetensis subscripsi manu propria.
Ego L. Presb. Card. tit. S. Susannæ.
- - - - - - - - - -
Ego C. Presb. Card. tit. S. Ceciliæ de Finario subscripsi.
Ego Chri. Eboracen. tit. S. Prax. Presb. Card. subscripsi.
Ego A. tit. S. Vitalis Presb. Card.
- - - - - - - - - -
Ego P. tit. S. Eusebii Presb. Card.
Ego B. tit. S. Sabinæ Presb. Card. de Saulis.
- - - - - - - - - -
Ego F. Diaconus Card. S. Angeli de Sancto Severino.
Ego Hip. Diac. Card. Estensis.
Ego A. S. Eustachii Diac. Card. de Farnesio.
Ego L. S. Mariæ in Cosmedin. Diac. de Aragonia.
Ego M. S. Mariæ in Via Cata Diac. Card. Cornelius.
Ego Al. S. Theodori Diac. Card. Petruccius.

P. Bembus.

D. de Comitibus.

Locus ✠ Plumbi.

II. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Bulla quæ Ecclesiæ Parrochialis Thorensis Unionem ac Incorporationem Mensæ Cathedralis Gebennensis Ecclesiæ concedit: anno 1514.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis desuper, imparibus licet meritis, Apostolicæ Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ singularum, præsertim Cathedralium Ecclesiarum & personarum in eis Divinis laudibus insistentium, commoditatibus valeat salubriter provideri. Cum itaque Parrochialis Ecclesia Thorenci, Gebennensis Diœcesis, quam Venerabilis Frater Noster Ludovicus Episcopus Maurianensis, nuper in Commendam ex Concessione & Dispensatione Apostolica obtinebat, Commenda hujusmodi ex eo, quod illi hodie idem Ludovicus Episcopus, per dilectum Filium Magistrum Ricardum de Milanensibus, Scriptorem & Familiarem Nostrum, Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in Manibus Nostris sponte & libere cessit, Nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo ante Commendam eandem vacabat modo, vacare noscatur ad præsens. Et sicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Gebennensis petitio continebat, ipsi longo jam effluxo temporis intervallo, pro Divini Cultus augmento & Veneratione dictæ Ecclesiæ Gebennensis, quæ plurimum insignis existit, unum Magistrum cantus & sex pueros Chori in Musicæ arte peritos, sub tenui & exili fundatione, & pro majori parte impensa Mensæ Capitularis ipsius Ecclesiæ Gebennensis tenuerunt, & pro Divino Officio decentiùs celebrando, duodecim Capellanos Presbyteros, qui cum Magistro & pueris præfatis in dicta Ecclesia Gebennensi singulas horas Canonicas, & alia Divina Officia decantare & celebrare, & in eisdem deservire & assistere tenentur, sub certis exiguis stipendiis, ad quindecim Ducatos auri de Camera annuatim non ascendentibus, eligere & deputare consueverunt, ipsique in fabrica & ornamentis dictæ Ecclesiæ Gebennensis manutenendis & conservandis, aliisque dietim eis occurrentibus oneribus adeò gravati existunt, quod nisi eis de alicujus subventionis auxilio provideatur, laudabilem consuetudinem hujusmodi, cum detrimento Divini Cultus aboleri, tempore procedente, posse suspicantur. Verum si dicta Parrochialis Ecclesia Mensæ prædictæ perpetuò uniretur, annectaretur & incorporaretur, hoc profecto Divino Cultui, & dictæ Ecclesiæ Gebennensis decori non parum consuleretur. Quare pro parte Capituli prædictorum asserentium, dictæ Parrochialis Ecclesiæ fructus, redditus & proventus centum octuaginta Ducatorum auri similium, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Parrochialem Ecclesiam prædictam eidem Mensæ perpetuò unire, annectere & incorporare, aliasque in præmissis opportunè providere, de Benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur quascunque Gratias, Expectativas, speciales vel generales, Reservationes, Uniones, Annexiones & Incorporationes, Suppressiones, Extinctiones, perpetuas & temporales Nominationes, ac reservandi, uniendi, annectendi & incorporandi, nominandi & nominatis vel aliis conferendi, supprimendi, extinguendi, aliasque citra tamen accessus & regressus, Facultates, Litteras, Mandata & Indulta quæcunque, necnon absque dicti Ludovici Episcopi Consensu, Coadjutorum Deputationes, etiam cum Provisionibus, Commendis & aliis dispositionibus, ex tunc quibusvis personis, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus vel Conditionis existentibus, & quacunque etiam Imperiali, Regali, Reginali, Ducali seu Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, vel majori Dignitate, Auctoritate, Præeminentia, Nobilitate & Excellentia, aut etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac familiaribus continuis Commensalibus Nostris, etiam descriptis, seu in eorum aut Ecclesiarum, etiam aliarum Cathedralium & Metropolitanarum, Monasteriorum, Mensarum, Capitulorum, aliarum Dignitatum, & quorumcunque aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum Cura & sine Cura, Sæcularium & quorumvis Ordinum Regularium, Locorum Piorum, Universitatum, Studiorum & aliorum quorumcunque, aut nullius favorem, ac eorum necnon jurium cessorum vel ablatorum, aut spolii, damnorum & obsequiorum, etiam Nobis & Romanæ Ecclesiæ, vel dictæ Sedi aut pro Fide Catholica impensorum, seu quavis alia grandi & excogitabili causa, consideratione, contemplatione, instantia, intuitu vel respectu, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis Plenitudine, & cum quibusvis antelationum, Præ-

rogati-

rogativis, Declarationibus, Concessionibus, Favoribus, Gratiis, Derogationibus, Suspensionibus, & aliis Derogatoriarum Derogatoriis fortioribus, & efficacissimis & solitis clausulis, irritantibusque Decretis, per Nos aut Sedem Apostolicam, aut Legatos ejus in genere vel in specie, & nominatim de dicta Parrochiali Ecclesia concessas & concessa, & imposterum concedenda, eorumque omnium tenores, vim & effectum antea omnia suspendentes, & in hujusmodi vacatione effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, nec debere decernentes, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset, Capitulum ac Capituli hujusmodi singulares personas, à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & poenis à jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, nec non dictae Mensae fructuum, redditUum & proventuum verum annuum valorem, verumque & ultimum dictae Parrochialis Ecclesiae vacationis modum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio, etiam in Corpore Juris Clausa resultet, praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Parrochialem Ecclesiam praedictam quovis modo, & ex cujuscunque persona, seu per liberam cujusvis resignationem, de illa extra Romanam Curiam, etiam coram Notario Publico & Testibus sponte factam, aut Constitutionem felicis Recordationis Johannis Papae XII. Praedecessoris Nostri, quae incipit: Execrabilis &c. Vel assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici ordinaria Auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem praedictam legitimè devoluta, ipsaque Parrochialis Ecclesia dispositioni Apostolicae specialiter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, Venerabilis Fratris Nostri moderni Episcopi Gebennensis, ad hoc per dictum Ricardum etiam Procuratorem suum, ad hoc ab eo specialiter constitutum, expresso accedente consensu, dictae Mensae Auctoritate Apostolica, tenore praesentium perpetuò unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat, ex nunc Capitulo praefatis per se vel alium, seu alios corporalem possessionem Parrochialis Ecclesiae Juriumque & Pertinentiarum praedictorum, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus & proventus, reservata ex illis congrua portione, pro uno vel duobus Vicariis, qui eidem Parrochiali Ecclesiae in Divinis deservire, ac illius Parrochianorum Animarum Curam exercere habeant, ad eorundem Capituli nutum ponendis & amovendis, super quo eisdem Capitulo liberam facultatem concedimus, ac summa ducentorum Florenorum Monetae Sabaudiae, quinquaginta tres Ducatos similes vel circa constituentium, in sustentationem Magistri & puerorum, ac augmentationem Stipendiorum dictorum Capellanorum, aequis portionibus, prout eisdem Capitulo visum fuerit expedire, convertendis, in fabricae dictae Ecclesiae Gebennensis usus & utilitatem convertere, Dioecesani loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ. Non obstantibus Voluntate Nostra praedicta, ac piae Memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris Nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de hujusmodi vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictae Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad Inhibitionem, Reservationem & Decretum, quam alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & indè secuta quaecunque ad dictam Parrochialem Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem Beneficiorum aliorum praejudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda sit in Nostris Litteris mentio specialis; Proviso, quod dicta Parrochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & Animarum Cura in ea nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam Nostrae Suspensionis, Absolutionis, Unionis, Annexionis, Incorporationis, Concessionis, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo quarto decimo, Pridie Id. Julii, Pontificatus Nostri anno secundo.

N. de Lastilla.

Bulla super Societatibus Officiorum Romanae Curiae: anno 1514.

III. Ex Miscell. Bibliothecae Casanat. Tom. 59. in 4to.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanum Pontificem, in quo Fidei orthodoxae fundamenta à Deo sunt constituta, & qui Christianae veritatis assertor existit, imprimis summa ope niti decet, ne contrahentium in hac alma Urbe, in qua Romano Pontifice regimini praesidente universalis Ecclesiae, aliquo modo animae saluti praejudicium afferri contingat, sed quae ex hujusmodi commerciis procedunt, sine aliqua labe, ac in sinceritate Fidei inviolata permanere debeant, ne unde jus oritur, exinde nascatur injuria, & qui documenta salutis caeteris praestare consuevit, exempla tribuat delinquendi. Ea igitur curâ moti libenter ad ea intendimus, per quae non solum Curiales (quantum cum Domino possumus) sine aliqua labe in bono conserventur statu, & ex eorum laboribus, ac laudabili exercitio commodè, honestéque se sustentare valeant, sed omnis prorsus illiciti lucri via eis praecludatur, & eorum dispendiis obvietur.

Cum itaque fide dignorum testimonio acceperimus, quod Officiales Romanae Curiae pecuniis indigentes, partem aliquam officiorum quae obtinent, aliis pro certa pecuniarum summa communicant, & ad respondendum de emolumentis pro dicta rata, cum aliquibus pactis minus licitis se obligent: Aliqui verò officia ipsa de pecuniis aliorum ementes, & illa in propria persona exercentes, etiam cum ad illa exercenda plurimùm apti existant, in eorum ingenio, & industria confidentes aliquas super illis ineunt conventiones. Nos super his opportunum remedium adhibere

volentes, per quod hujusmodi contrahentium animarum saluti, ac conscientiæ puritati, & indemnitati consulatur, per præsentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, de Apostolicæ potestatis plenitudine, perpetuò duraturas sancimus, & ordinamus, ut quicunque Officialis, tam in Romana Curia quam extra eam, Officia ad Romanam Pontificiam Sedem, seu Cameram Apostolicam, quomodolibet spectantia obtinens, & ad vitam illa ementium vendi solita, cujuscunque status, & conditionis, aut dignitatis, vel honoris existat, partem aliquam magnam, seu minimam dictorum Officiorum quæ obtinet, seu illorum fructus vendere, donare, seu quovis titulo in alium etiam extra Romanam Curiam absentem, qui conventionem partis Officii, & illius emolumentorum facere, & finire per Procuratorem in Romana Curia, constituendum possit, & valeat transferre, vendere, donare, aut aliàs alienare voluerit, tam ei, quam ipsis emptoribus, donatariis, seu quovis alio titulo partem ipsam recipientibus, pro quavis summa, seu precio inter eos conveniendo, vendere, donare, & ut præfertur, transferre: Ipsique emptores, donatarii, & alii quovis titulo ad certum tempus, seu ad eorum vitam, prout partes ipsæ convenerint, liberè, & licitè accipere, & retinere: illorumque fructus, & emolumenta etiam propria auctoritate de manibus ipsorum Officialium fructus, juxta eorum conventionem per supplicationem manu nostra propria signatam approbandam recipere, & exigere, nec non in alios alienare, & disponere, prout titulum habentes, liberè, & licitè valeant.

Et cum Mulieribus propter rerum inexperientiam, de earum dotibus, & pecuniis, quibus se sustentare debent, commercia facere non conveniat, ac propterea quandoque occurrat, eas à personis, quibus pecunias pro aliqua utilitate habenda concedunt, defraudari, & decipi, & aliquando non solùm fructibus, sed capitali privari: quandoque verò etiam in animarum suarum periculum, minùs honesta lucra per eas recipi contingat, sexui earum imbecillitati, ac etiam necessitati (ut sine conscientiæ scrupulo, & animarum suarum, ac perditionis, & amissionis suorum bonorum periculo, fructus ex earum pecuniis, pro earum sustentatione consequi valeant) providere volentes: Ordinationem, & facultatem hujusmodi quoad Officia præsidentium, & portionum Annonæ, Ripæ duntaxat, etiam ad ipsas Mulieres extendimus, ita quod ipsis Mulieribus, tam puellis, quam maritatis & viduis, tam in Romana Curia, quam extra eam existentibus, liceat partem officiorum præsidentium, & portionum hujusmodi, dummodo in personis earum portiones, & officia ipsa fuerint, vendere: Statuentes, & ordinantes, quod habens titulum Officii, saltem tertiam partem valoris Officii, seu portionis hujusmodi habere debeat. Et si contingat eum decedere, per talis decedentis obitum, pars, quæ ad dictum decedentem tunc spectabat, & non aliæ, quæ ad alium, vel alios in dicto Officio partem habentes spectabant, vacare censeantur: ac de titulo, & parte vacantibus duntaxat, simili modo alium, seu alios etiam fœminam, partem, seu partes in hujusmodi Officiis habentes, decedere contigerit: partes sic decedentium vacare censeantur: & de illis per Romanum Pontificem, aut Sedem, seu Cameram Apostolicam liberè disponi possit. Et si titulum, vel partem habens delinqueret, & proptereà privari contigerit, pœna privationis suum teneat auctorem, & alteri partem habenti, vel è converso minimè noceat. Et ad obviandum fraudibus, quæ in præmissis fieri possent, volumus, decernimus, & mandamus, quod super hujusmodi rata parte seu portione sic, quovis modo communicanda, supplicatio manu nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis haberi debeat, cujus supplicationis solam signaturam sufficere, & per Datarium ad Registrum Supplicationum more solito mitti: & pro signatura, & gratia communicationis Officiorum hujusmodi ad vitam, vel aliud tempus ultra annum cum dimidio, quinque: Pro anno vero cum dimidio, aut minori tempore communicationis Officiorum hujusmodi, quovismodo faciendæ, duo Ducati auri de Camera, pro quolibet centenario ad dictam rationem respectivè, pro qua præfata rata, seu portio communicata fuerit, recipi: & consensus communicationis, seu ad partem admissionis vigore supplicationis desuper signatæ hujusmodi coram uno ex Cameræ Apostolicæ Notariis duntaxat præstari: & per eum in uno in dicta Camera, & alio libris penes ipsum Datarium pro tempore existentem, conservandis, registrari debeat: & pro tali registratura, & labore cujusque portionis cujuscunque summæ vigore unius supplicationis alteri communicare, ultra unum grossum Leonem nuncupatum, ab altera partium recipi non possit: Decernentes, quascunque societates, communicationes, & contractus, de cætero faciendos sine expressa nostra, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, & canonicè intrantis approbatione, & signatura irritas, & inanes: ac portionem alteri quovis modo pro tempore sine approbatione, & signatura nostris assignatam, seu communicatam, dictæ Cameræ Apostolicæ applicatam, & applicatas: ac quæcunque pacta, & conventiones super dictis Officiis sine nostra, aut dictæ Sedis licentia pro tempore inita tanquam suspecta, & illicita nulla declaramus: adjicientes, quod si aliquam partem pecuniarum super Officiis hujusmodi, ad tempus nondum effluxum habentes, ac beneficio hujus constitutionis ad salvandum pecunias Officialibus, super eorum Officiis mutuatas, in eventum obitus eorundem Officialium, uti volentes, modo præmisso solventes, & supplicationes desuper signatas obtinentes: pecunias Officialibus hujusmodi mutuatas, in eventum eorum obitus de pretiis Officiorum vendendorum recuperare debeant: præmissaque omnia in aliis Officiis dictæ Curiæ ad Camerarium, Vice-Cancellarium, Pœnitentiarium majorem, & Sacri Palatii Apostolici Auditores spectantia, dummodò ad hoc ipsorum, quorum interest, expressus accesserit assensus, locum sibi vendicare volumus, atque decernimus. Ac pro ipsorum Officialium, & contrahentium indemnitate, motu, scientia, & potestate similibus etiam decernimus, & declaramus, quod in eventum, in quem contigerit, hanc nostram Constitutionem aliqua ratione, vel causa in toto, vel in parte extingui, seu revocari, aut ipsos Officiales, vel contrahentes, quominus emolumenta, juxta conventionem inter eos factam, seu faciendam percipere liberè possent, quomodolibet impediri, aut molestari: Nos, & Successores nostros, & Cameram Apostolicam præfatam, & ejus bona in vim validi, & efficacis contractus ipsis Officialibus, vel contrahentibus pro tempore existentibus obligamus.

Si verò fuerit facta aliqua diminutio emolumentorum hujusmodi ad solvendum, & satisfaciendum ipsis de summa, quam eosdem contrahentes, pro hujusmodi diminutione amisisse constabit. Si autem præsentes literas revocari contigerit, ad restituendum, seu restitui faciendum eisdem contrahentibus, tunc pro tempore existentibus, totam illam summam, quam pro eisdem Societatibus solvisse constabit, in quibus nullo modo, nullâve ratione, vel causa computari debeant, seu possint in toto, vel in parte emolumenta per eos interim percepta, sed eos, & eorum quemlibet justo, & legitimo titulo emolumenta prædicta sibi acquirere, & ut sua retinere posse, & debere; Mandamus præterea præfato Camerario, & Cameræ Apostolicæ Clericis præsidentibus, quos super prædictis Societatibus Conservatores proprios speciales, & ordinarios Judices deputamus, ut in hujusmodi con-

cernenti-

cernentibus negotiis efficacis defensionis præsidio assistant. Decernentes, quod in præmissis Camerarii, vel Clericorum prædictorum determinationi omninò stetur: nec cuiquam ab eorum decreto appellare, aut ipsos contrahentes ad aliud Tribunal, etiam vigore rescriptorum Apostolicorum trahere liceat: Neque Clerici ipsi suspecti allegari, etiam prætextu portionum, & Officiorum per aliquem ex eis obtentarum, & obtentorum possint: cùm verisimile non est, judicia tot præstantissimorum virorum, quorum fidei, ac prudentiæ, præfatæ Ecclesiæ patrimonium creditur, aliqua ratione à rectitudine declinatura, quatenùs ipsi ad infrascriptarum, & supradictarum sententiarum, & pœnarum declarationem, & executionem summariè, simpliciter, & de plano (omni judiciaria tela postposita) juxta stylum, & morem Cameræ (sola Facti veritate inspectâ) procedentes cum effectu, quoties requisiti fuerint, & id noverint expedire: prædicta omnia, & singula observent, & ab aliis faciant, sub pœnis eorum arbitrio imponendis, inviolabiliter observari: scripturasque necessarias, & opportunas obligationes desuper faciant, obligationem per nos sic factam recognoscentes, & sequentes: eisque Officialibus, vel contrahentibus super præmissis, & eorum plena, & inviolabili observatione quodcunque publicum instrumentum, obligationis bonorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Cameræ earundem ad ipsorum contrahentium requisitionem, & in eventum prædictum absque alterius declarationis, seu mandati expectatione de præmissis debitam & integram satisfactionem faciant. Decernentes, quicquid per Cameram ipsam super hoc sit actum, gestum, determinatumque fuerit, ac sententiatum, & judicatum, perpetuatum, firmum, & inviolabile esse debere: ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu ad præfatæ Curiæ judicium trahi non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant: per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeant, quomodolibet, vel differri: & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda foret in nostris literis mentio specialis: quæ quoad hæc eis nullatenus volumus suffragari.

Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, ac per omnes inviolabiliter debeant observari: volumus illas in Valvis Cancellariæ Apostolicæ, & Audientiæ litterarum contradictarum nostrarum, & in Camera Apostolica affigi, legi, & publicari: ut his, quos litteræ ipsæ concernunt, seu concernere poterunt quomodolibet in futurum, quod ad illorum notitiam non pervenerint, vel illas ignoraverint, quominùs eos arctent, perinde ac si eis personaliter intimatæ forent, nullam possint excusationem prætendere, vel ignorantiam allegare. Volumus etiam, & dicta auctoritate decernimus, quod illarum transsumptis, unius Notarii manu subscriptis, & alicujus Prælati, vel Personæ in dignitate constitutæ, Sigillo munitis, ea prorsus fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus nostris litteris adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, ordinationis, extensionis, statuti, decreti, mandati, declarationis, adjectionis, obligationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo quartodecimo, Pridie Idus Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

Bulla Reformationis Curiæ: anno 1514.

IV. Ex Conc. Labbet. 14. col. 219.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

SAcro adprobante Concilio Supernæ dispositionis arbitrio, quo cœlestia pariter, & terrena ineffabili providentia disponuntur, in sublimi Beati Petri solio Christi unigeniti Dei Filii gerentem vices in Terris Romanum Pontificem decet, in primis pro curâ, & Salute Dominici Gregis sibi divinitus commissi, providi exercere Pastoris Officium. Quare pro dicti Pastoràlis Officii sollicitudine, cum Ecclesiasticam disciplinam, ac per omnes ferè Christi Fidelium gradus, bene recteque vivendi regulam, temporum difficultate, ac Hominum malitia, licentiaque & impunitate in deterius ita labi, diffluere, aberrareque longius à recta via animadvertimus, ut nisi provida corrigatur emendatione, in varios errores securitate peccandi, quotidiè magis incidere, moxque obortis publicè scandalis, prorumpere sit verendum. Cupientes igitur, quatenus nobis ex alto permittitur, ea jam nimium invalescentia mala corrigere, ac pleraque in pristinam Sacrorum Canonum observantiam reducere, ac in melius juxta Sanctorum Patrum instituta dante Domino reformare, eaque omnia, sacro approbante Lateranensi Concilio, à felicis recordationis Julio Papa secundo Prædecessore nostro, inter alia propterea incepto, & per nos continuato, salubriter moderari: ut ab his sumamus exordium, quæ pro nunc magis expedire videntur, & quæ sæpè per singulas ætates neglecta, magnam Christianæ Religioni attulere perniciem, & in Ecclesia Dei maxima scandala pepererunt, à promotionibus scilicet ad Ecclesiasticas dignitates constituimus exordiri. Cum piæ memoriæ Alexander Papa tertius Prædecessor noster, etiam in Lateranensi Concilio decreverit, ut ætas, morum gravitas, ac litterarum scientia in personis promovendis in Episcopos, & Abbates diligenter inquirantur, nihilque magis Dei Ecclesiæ officiat, quàm cùm immeriti assumuntur Prælati ad Regimen Ecclesiarum, propterea in promotionibus Prælatorum, quarum à Romanis Pontificibus magna ratio haberi debet, eo præsertim, quod de promotis per eos ad Ecclesias, seu Monasteria in extremo judicio, rationem Dei reddituri sunt, statuimus, & ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus, Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cardinalibus Ecclesiis, & Monasteriis pro tempore vacantibus, de personis juxta præfati Alexandri Constitutionem, ætate maturâ, gravitate morum, litterarumque scientiâ præditis, non ad alicujus instantiam, per Commendam, & administrationem, seu conservationem, aut alio quovis modo provideatur, nisi ratione utilitatis Ecclesiarum, prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experientiæ, atque curialitatis antiquæ, cùm competenti litteratura, & in Sede Apostolicâ meritorum, aliter visum fuerit faciendum. Idemque in electis, & postulatis, quorum electiones, & postulationes per Sedem Apostolicam admitti consueverunt, volumus observari. Et si de minoribus ætate triginta annorum Ecclesiis, aut Monasteriis hujusmodi contigerit provideri, non dispensetur cum eisdem, ut Ecclesiis citra vigesimum septimum ætatis annum, Monasteriis verò citra vigesimum secundum præesse valeant. Quinimmò, ut accuratiùs diligentiusque

idoneæ personæ promoveantur; statuimus, ut Cardinalis, cui electionis, postulationis, aut provisionis Ecclesiæ, seu Monasterii relatio committetur, antequam in Sacro Consistorio, ut moris est, referat commissionem examinis, ac relationis hujusmodi sibi datam, uni cujuslibet ordinis antiquiori Cardinali, in ipso Consistorio per se ipsum, vel si ea die, quâ sibi Commissionis onus injunctum fuerit, Consistorium non fuerit, per Secretarium suum, aut alium quemlibet ex suis domesticis familiaribus, notam illam facere debeat: qui tres priores aliis quamprimum sui ordinis Cardinalibus eam significare teneantur, negotiumque electionis, administrationis, postulationisque, aut promotionis summariè, & de plano per se ipsum dictus relator examinet, & si qui contradixerint, his vocatis, idoneos, graves, & fide dignos testes, & si expediens, opusve fuerit, alios ex officio assumere, processusque, & jura hujusmodi relationis, unà cum dictis testium die faciendæ relationis, secum ad Consistorium deferre debeat: neque ullo modo referat, si præsens in curiâ promovendus majorem Cardinalium partem anteà non adiverit, ut quæ à referente Collega sint Cardinales audituri, oculata fide, quantum ad personam promovendi attinet, cognoscere possint. Promotus verò eosdem Cardinales, qui præsentes in Curia fuerint, ex antiquo more, consuetudineque laudabili quamprimum visitare teneatur. Quem quidem morem, laudabilemque consuetudinem innovamus, ac inviolabiliter observari mandamus. Et quoniam Episcopalem dignitatem tueri illæsam, at ne improbrorum impugnationibus, aut accusantium calumniis passim pateat, muniri par est: Statuimus, ut nullus Episcopus, aut Abbas, quovis instante, ac requirente, nisi sibi copia, & facultas legitimæ defensionis permittatur, etiam si crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis, causa plenariè probata fuerit, dignitate privari valeat: neve aliquis Prælatus invitus, nisi aliis justis, efficacibusque rationibus, & causis, transferatur, juxta formam ad decretum Concilii Constantiensis. Et quoniam ex Commendis Monasteriorum (ut Magistra rerum experientia sæpiùs docuit) Monasteria ipsa tam in spiritualibus, quàm in temporalibus graviter læduntur, quippe quorum ædificia partim Commendatariorum negligentiâ, partim avaritiâ, vel incuriâ collabuntur, & in dies divinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis, præsertim Sæcularibus præbetur, non absque dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, à qua Commendæ hujusmodi proficiscuntur: ut eorum indemnitati salubrius consulatur, volumus, ac sancimus, ut cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant, vacaverint, nullo pacto cuiquam possint commendari, nisi pro conservatione auctoritatis Apostolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium, pro temporum qualitate aliter nobis de Fratrum nostrorum Consilio visum fuerit expedire. Sed de persona idonea juxtà præscriptam constitutionem eis ita provideatur, ut illis idonei Abbates, prout decet, præfuturi sint. Ea verò Monasteria quæ commendata fuerint, cùm per eorum cessum, vel decessum, quibus erant commendata, Commendæ hujusmodi cessaverint, Cardinalibus duntaxat, ac personis qualificatis, & benè meritis commendari possint: ita tamen quod eorum Monasteriorum Commendatarii, quibus anteà de cætero commendata fuerint, cujusvis dignitatis, honoris, & præeminentiæ existant, etiamsi Cardinalatus honore, & dignitate fungantur, si mensam habuerint separatam, ac seorsum à mensa conventuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus, ac paramentis emendis sarciendisque, aut pauperum alimonia, aut sustentatione, ut major exiget, ac suadebit necessitas; si verò mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monasterii, sibi commendati, partem pro supradictis oneribus supportandis, & sustentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, impartiri teneantur. Ac litteræ, quæ super Monasteriorum hujusmodi Commendis expedientur, cum clausulâ hoc ipsum specificè exprimente debeant expediri. Alioquin si aliter expediantur, nullius sint roboris, vel momenti. Et quoniam Ecclesiis hujusmodi, absque aliquâ fructuum diminutione provideri decet, ut tam dignitati Præsidentium, quàm Ecclesiarum, & ædificiorum necessitati consulatur, decernimus pariter, ac statuimus, ut super earundem Ecclesiarum fructibus pensiones minimè reserventur, nisi ex resignationis causâ, aut etiam alia, quæ in Secreto nostro Consistorio juxta probabilis, & honesta habita fuerit.

Statuimus quoque, ut, de cætero parochiales Ecclesiæ, ac dignitates majores, & principales, aliaque beneficia Ecclesiastica, quorum fructus, reditus, & proventus ducentorum Ducatorum auri de Camerâ, secundum communem æstimationem, valorem annuum non constituunt, vel attingunt, nec non hospitalia, leprosariæ, xenodochia, cujuscunque valoris, quæ ad pauperum usum, & alimoniam instituta sunt, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, nisi per obitum familiarium suorum vacaverint; quæ illis commendari possint, ut illa ad illarum Personarum sibi gratarum, & idonearum commodum, infra sex Menses dimittere teneantur: quibus etiam, quoad beneficia, ad quæ haberent regressum, præjudicare non intendimus. Ordinamus etiam, ne Ecclesiarum, aut quorumcunque Monasteriorum, & militiarum membra à suo Capite, quod est absurdum, absque legitimâ, & rationabili causa disjungantur, aut separentur. Uniones perpetuæ, præterquam in casibus à jure permissis, vel sine rationabili causâ, nequaquam fiant. Dispensationes autem ad plura incompassibilia ultra duo, nisi qualificatis juxta formam juris communis, non concedantur, nisi ex magna, & urgenti causa. Et personis cujuscunque dignitatis parochiales Ecclesias, & earum perpetuas Vicarias, ac dignitates majores, & principales, etiam per viam unionis, vel Commendæ ad Vitam, ultrà quatuor obtinentibus, ex nunc terminum duorum annorum præfigimus, ut interim quatuor tantum ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittenda hujusmodi resignari valeant, in manibus Ordinariorum, ad effectum, ut de illis provideatur personis per eos nominandis, quacunque reservatione etiam generali, etiam ex qualitatibus resignantium personarum resultante, non obstante: qui elapso termino, nisi dimiserint, omnia vacare censeantur, ac possint liberè ut vacantia impetrari: talesque prætereà retinentes pœnas extravagantis *execrabilis*, recolendæ memoriæ Joannis Papæ vigesimi secundi, etiam Prædecessoris nostri incurrant. Item statuimus, ut speciales reservationes quorumcunque beneficiorum, ad cujusvis instantiam minimè concedantur.

De Cardinalibus.

Et cum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, cæteros omnes in ipsa Ecclesia, post Summum Pontificem, Honore ac Dignitate præcedant; conveniens ac debitum est, ut vitæ mundítia, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modò hortamur eos, ac monemus, verùm etiam statuimus & ordinamus, ut de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens, juxta Doctrinam Apostoli, ita sobriè, castè ac piè vivat, ut non solum à malo, sed ab omni etiam mali specie abstinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac Divinis Officiis, Missarumque Celebrationibus intenti, habeantque Capellas suas in loco honesto, prout facere consueverunt. Sitque eorum

domus

domus, familia, mensa, suppellexque, non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia indè nascatur, sed ut æquum est, modestiæ & frugalitatis speculum dici mereantur. Illis itaque sint contenti, quæ Sacerdotalem præ se ferant modestiam, ac Prælatos, ac quoscunque alios insignes viros ad Romanam Curiam venientes benignè, honorificéque, tam publicè, quàm privatim tractent, & apud Nos & Successores Nostros gratiosè, liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant.

Præterea Ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteris præesse instituti, & Sacro Charactere insigniti, in vilia descendant Ministeria, passimque Pastoralis Officii contemptum inducant. Eos itaque, quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri, honorificè ut fratres, ac juxta eorum status condecentiam tractent.

Cumque Romani Pontifices communi omnium Christi fidelium Patri assistant, personarum acceptatores, vel Advocatos eos fieri valdè inconveniens est. Propterea statuimus, ne partialitatem suscipiant aliquam, neque Principum, aut Communitatum, vel quorumcunque aliorum contra quemquam, nisi quantum Justitia & Æquitas postulat, eorumque Dignitas & Conditio requirit, Promotores & Defensores fiant, sed à privata omni passione sejuncti, sedandis & componendis inter quoscunque litibus omni diligentia vacent, incumbantque, Principum & quorumcunque aliorum, ac præsertim pauperum Religiosorum justa negotia, pio promoveant affectu, oppressos & injustè gravatos, juxta vires suas, & officii debitum adjuvent.

Tituli sui loca, si præsentes in Curia fuerint, personaliter: si verò absentes, per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent. Clericos & populos Ecclesiarum titulo suo subjectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circà Cultum Divinum, & Bona dictarum Ecclesiarum, moresque inprimis, & vitam Clericorum & Parochianorum solerter explorent, eosque omnes & singulos ad rectè, honestèque vivendum, paterno moneant affectu.

Pro augmento autem Divini Cultus, & salute animæ suæ, quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad Presbyterum unum commodè ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subventione, tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur.

Et cum minimè deceat affines & consanguineos, præsertim benemeritos, & ope indigentes negligere, sed illis providere justum & laudabile sit: non propterea tamen vel Beneficiorum multitudine, vel Ecclesiasticis Redditibus, ita eos impleri convenire arbitramur, ut cæteri damnum ex hujusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur. Statuimus itaque, ut Ecclesiarum Bona temerè non effundant, sed ea in piis & Sanctis Operibus exponant, quorum causâ magni & optimi redditus per Sanctos Patres statuti & ordinati fuerunt.

Volumus etiam, ut Ecclesiis eisdem Cardinalibus commendatis, etiamsi Cathedrales, Abbatialesve, aut Prioratus, vel quæcunque alia Beneficia Ecclesiastica fuerint, absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo provideant, debitè inserviri, Cathedralibus dignos & idoneos Vicarios, seu Suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna & competenti mercede apponentes. Reliquis autem sibi commendatis Ecclesiis, aut Monasteriis de justo Clericorum, vel Capellanorum, seu Religiosorum, aut Monachorum, Deo sufficienter & laudabiliter servientium numero providentes; ædificia quoque, possessiones & jura quæcunque in statu convenienti conservent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum Prælatorum & Commendatariorum Officium spectat.

Statuimus etiam, ut dicti Cardinales circa numerum familiarium, equorumque suis impensis alendorum, magnâ utantur circumspectione, ac diligenti providentia, ne majorem numerum, quàm sua facultas, conditiove ac dignitas patiatur, habentes, luxus ac prodigalitatis vitio notari possint. Neve rursus avari sordidique habentur, si in magnis & amplis redditibus, paucissimis victum præbeant, cum domus Cardinalium patens Hospitium, portusque, ac refugium proborum & doctorum maxime virorum & pauperum nobilium, honestarumque personarum, esse debeat. Sint igitur circa modum & numerum tenendi prudentes, ac de Familiarium qualitate inprimis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi contrahant infamiæ notam, vulgoque obloquendi, calumniandique justas præbeant occasiones.

Et cum maximè providendum est, ut non solum coram Deo, cui primum placere debemus, sed etiam coram hominibus opera nostra probentur, ut cæteris exemplum ad imitandum possimus esse, ordinamus, ut quilibet Cardinalis se domus ac familiæ suæ optimum Rectorem, Præfectumque ostendat esse, tàm circa ea quæ intrinsecus omnibus apparent, quam quæ intus latent abscondita. Habeat itaque eorum quisque Sacerdotes, & Levitas honestis vestimentis indutos, attenteque provideat, ne quis in familia sua quoquo modo Beneficiatus, & in Sacris Ordinibus constitutus, vestes portet versicolores, nec eo habitu utatur, qui Ordini Ecclesiastico parùm conveniat. Quare in Presbyteratus Ordine constituti vestes colorum, quæ Clericis à jure non prohibeantur, deferre debeant, usque ad talos saltem demissas. Et habentes Dignitates in Cathedralibus, & Canonici etiam dictarum Cathedralium, ac primam Dignitatem in Collegiatis habentes, & Cardinalium Capellani Missas celebrantes, Caputium deferre in publico teneantur; scutiferis verò paulò supra talos concedantur.

Palafrenarii, quia in assiduo sunt motu ministerioque funguntur laboriosiore, brevioribus ac magis expeditis vestibus uti possint, etiamsi fuerint Clerici, dummodò in Presbyteratus Ordine non sint constituti. Ita tamen, ut ab honestate non discedant, sed ita vivant, ut mores Ecclesiasticis suis Ordinibus non discrepent.

Reliqui verò Clerici temperatè ac modestè omnia faciant, & tàm ipsi Clerici Beneficiati, quàm in Sacris Ordinibus constituti, non comam, neque barbam nutriant, neque mulas aut equos cum phaleris, ornamentisque ex velluto aut serico factis habeant, sed ejusmodi rebus ex panno tantùm, aut corio simpliciter utantur.

Si quis autem familiarium prædictorum contrafecerit, aut post tres Menses legitimâ monitione præcedente, à præsentium publicatione hujusmodi vestes prohibitas gestaverit, in Excommunicationem incurrat. Si verò infrà tres alios Menses non se correxerit, à perceptione fructuum ex Beneficiis, quæ obtinet, suspensus intelligatur. Quod si per alios sex Menses in hujusmodi pertinacia obstinatus permanserit, legitimâ similiter monitione præcedente, Beneficiis omnibus, quæcunque habet, privatus sit & esse censeatur. Eaque sic vacantia à Sede Apostolica, liberè impetrari valeant. Quæ omnia & singula in Nostris & cujuscunque Romani Pontificis, pro tempore existentis familiaribus, & similiter in omnibus aliis Clericis Beneficiatis, vel in Sacris Ordinibus constitutis, ac etiam Curialibus locum habere volumus; hoc uno tantum excepto, quod dicti Nostri & Romani Pontificis Familiares, rubri coloris vestimenta gestare possint, pro decentia & consuetudine Dignitatis Pontificialis. Et quoniam ad Cardinales maximè spectat operum optimorum cura, pro viribus laborabunt scire, quæ Regiones hæresibus, erroribusque, ac superstitionibus contra veram & orthodoxam

Fidem infectæ sint, & ubi Divinorum Mandatorum Ecclesiastica deficiat Disciplina: quique Reges ac Principes, seu populi bellis infestentur, vel infestari timeant. Hæc & hujusmodi scire, ac Nobis & Romano Pontifici, pro tempore existenti referre operam dabunt, ut opportuna & salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitari valeant. Et cum frequenti ac propè quotidianâ experientiâ notum sit, Provinciis ac Civitatibus propter suorum Legatorum de Latere absentium, multa sæpius contingere mala, variaque non sine Apostolicæ Sedis præjudicio scandala oriri, statuimus & ordinamus, ut illis Cardinalibus Provincias, ac Civitates Legationis titulo obtinentibus, eas per locum tenentes, aut Officiales quoscunque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro majoris parte temporis adesse, atque eas omni vigilantia regere & gubernare teneantur. Et qui nunc titulum Legationis obtinent, aut pro tempore obtinebunt, si in Italia intra tres Menses: si extra Italiam quinque à die præsentis publicationis ad suas Provincias ire, ac majorem temporis partem ibi residere teneantur, nisi de Nostro & Successorum Nostrorum Mandato, pro aliquibus gravioribus negotiis in Romana Curia retineantur, vel ad alia loca, prout necessitas postulat, mittantur; & tunc in dictis Provinciis ac Civitatibus Vice-Legatos, Auditores & locum tenentes, cæterosque consuetos Officiales, cum debitis provisionibus, ac salariis habeant. Qui præmissa omnia & singula non servaverit, emolumentis quibuscunque Legationis careat. Quæ quidem propter hoc antiquitùs ordinata & instituta fuerunt, ut opportuna Legatorum præsentia populis esset salutaris, non ut ipsi laborum & curarum penitùs expertes, lucro tantùm sub Legationis titulo inhiarent. Et cum Cardinalis Officium in primis versetur in frequenti Romani Pontificis Assistentia, & Sedis Apostolicæ negotiis, propterea statuimus, ut omnes Cardinales in Romana Curia resideant, & qui sunt absentes, si in Italia, intrà sex Menses, si extra Italiam, infrà annum à die publicationis præsentis Constitutionis revertantur. Alioquin fructus Beneficiorum, & omnium Officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque Privilegiis generaliter & specialiter Cardinalibus concessis, quamdiù abfuerint, omninò careant, exceptis tamen illis, quos ratione Officii ab Apostolica Sede injuncti, vel de Romani Pontificis Mandato aut Licentia, vel justo metu, aut quavis aliâ legitimâ causâ impediente, vel ægrotationis abesse contingat. Privilegiis, Indultis & Immunitatibus eisdem Cardinalibus concessis, & in Bulla Nostra sub data Coronationis Nostræ contentis & expressis, in suo robore nihilominùs permanentibus.

Statuimus insuper, ut expensæ funebres Cardinalium, computatis omnibus mille quingentorum Florenorum summam excedere non debeant, nisi Executorum providentia, justis allegatis causis ac rationibus, plures expendendum esse duxerit. Exequiæ & Castrum Doloris prima & nona die fiant; infrà Octavam verò Missæ de more celebrentur.

Pro Reverentia autem Sedis Apostolicæ, utilitatéque & honore communi Pontificis, & ipsorum Cardinalium, ut scandalorum, quæ nasci possent, occasio tollatur, majorque in Sacro Senatu libertas votorum fiat, liceatque, ut par est, Cardinali cuique secundùm Deum & conscientiam suam liberè & impunè quodcunque sentiat dicere, statuimus, ne quis Cardinalium vota in Consistorio data, & quæcunque ibi gesta aut dicta, quæ in odium aut præjudicium, aut scandalum alicujus redundare possint, scripto aut verbo, vel quovis alio modo revelet, sub pœna perjurii & inobedientiæ, & quotiescunque à Nobis, vel Romano Pontifice, pro tempore existente, specialiter & expressè ultrà præmissa indictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contrafecerit, ultrà pœnas Excommunicationem latæ sententiæ incurrat; à qua non possit absolvi, nisi à Nobis, vel præfato Pontifice Romano, & cum expressione causæ, præterquam in mortis articulo.

Reformationes Curiæ & aliorum.

Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, & à teneris assuefieri ad bonum magni sit operis & effectus, statuimus & ordinamus, ut Magistri Scholarium, & Præceptores pueros suos, sive adolescentes, nedum in Grammatica & Rhetorica, ac cæteris hujusmodi audire & instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad Religionem pertinent, ut sunt Præcepta Divina, Articuli Fidei, Sacri Hymni & Psalmi, ac Sanctorum Vitæ: Diebusque Festivis nihil aliud eos docere possint, quàm in rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus, eosque in illis instruere, hortari & cogere, in quantum possint, teneantur, ut nedum ad Missas, sed etiam ad Vesperas, Divinaque Officia audienda, ad Ecclesias accedant, & similiter ad prædicationes & sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere possint.

Ad abolendam verò execrabilem blasphemiam, quæ in maximum Divini Nominis, & Sanctorum contemptum suprà modum invaluit, statuimus & ordinamus, ut quicunque Deo palàm seu publicè maledixerit, contumeliosisque, atque obscœnis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam ejus Genitricem, expressè blasphemaverit, si munus publicum, jurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium Mensium, pro prima & secunda vice, dicti Officii: si tertiò deliquerit, illo eo ipso privatus existat. Si Clericus vel Sacerdos fuerit, eo ipso, quod de delicto hujusmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum quæcunque habuerit, fructibus applicandis, ut infrà, unius anni mulctetur: & hoc est pro prima vice, quâ blasphemus ita deliquerit: pro secunda verò si ita deliquerit, & convictus, ut præfertur, fuerit, si unicum habuerit beneficium, eô privetur, si autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertiò ejus sceleris arguatur & convincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipso privatus existat, ad eaque ulteriùs retinenda inhabilis reddatur, eaque liberè impetrari & conferri possint. Laicus verò blasphemans, si Nobilis fuerit, pœnâ viginti quinque Ducatorum mulctetur, & pro secunda vice quinquaginta Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de urbe applicandis & aliis, ut infrà deducitur: pro tertio verò nobilitatem perdat. Si verò ignobilis, ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur. Quod si ultra duas vices publicè blasphemans deprehensus fuerit, mitrâ infami per integram diem ante fores Ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si verò pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad Triremes damnetur, ad Judicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ nemo blasphemiæ reus, absque gravissima pœnitentia, severi Confessoris arbitrio injuncta, possit absolvi. Qui verò reliquos Sanctos blasphemaverit, arbitrio judicis rationem personarum habituri, eum mitiùs aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, ut sæculares Judices, qui contra tales blasphemiæ convictos non animadverterint, eosque justis pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque pœnis subjiciantur. Qui verò in illis inquirendis puniendisque diligentes & severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicunque verò blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingit, eundemque deferre & notificare apud Judicem Ecclesiasticum, seu sæcularem, intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audiverint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte

omnes

omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute Sanctæ Obedientiæ hortamur, & monemus in Domino; ut pro Divini Nominis reverentia & honore in suis dominiis ac terris præmissa omnia servari, & exactissimè exequi mandent ac faciant, uberrimam ab ipso Deo tam boni & pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica Sede consecuturi cum tertia parte mulctæ, qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curaverint. Quam quidem indulgentiam, & reliquam tertiam mulctæ partem accusatori, blasphemi nomen deferenti, similiter concedi & assignari volumus, aliis pœnis contra ejusmodi blasphemos per Sacros Canones expressis nihilominùs in suo robore manentibus.

Ut Clerici præsertim castè continenterque juxtà Canonum præcepta vivant, statuimus, ut contrafacientes acriter secundùm Canones puniantur. Si quis verò tàm Laicus quàm Clericus de crimine, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, convictus fuerit, pœnis per Sacros Canones, aut Jus Civile respectivè impositis puniatur. Concubinarii autem, sive Laici sive Clerici fuerint, eorundem Canonum pœnis mulctentur: neque Superiorum tolerantia, seu prava consuetudo, quæ potiùs corruptela dicenda est, à multitudine peccantium, aliave quælibet excusatio eis aliquo modo suffragetur, sed juxta juris censuram severè puniantur.

Ad bonum verò, & quietum regimen Civitatum, & locorum omnium Romanæ Ecclesiæ subjectorum, Constitutiones bonæ memoriæ Ægidij Episcopi Sabinensis olim editas innovamus, easque inviolabiliter servari præcipimus & mandamus.

Et ut nefariæ Simoniæ labes, ac pestis non solum à Romana Curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum ejiciatur, Constitutiones per Antecessores Nostros etiam in Conciliis contrà hujusmodi Simoniacos editas, innovamus, easque inviolabiliter servari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis & certis haberi, & delinquentes etiam Auctoritate Nostra affici volumus.

Statuimus quoque, & ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex Menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii & temporis, sed eos tanquam injustè perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si verò ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso privetur, cum propter Officium detur Beneficium. Intelligatur autem Officium omittere, quoad hoc, ut Beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen ultra præmissa de dicta omissione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura Beneficia reiterabilis toties fit, quoties contrafacere convincentur.

Et cum fructuum Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, Monasteriorumque, & aliorum quorumcunque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio, & administatio ad nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, & illos etiam, qui ejusmodi Ecclesias, Monasteria, & Beneficia jure, & canonicè obtinent, solùm pertineant, Sæcularesque Principes, omni etiam divino jure id prohibente, dictis Ecclesiis, Monasteriis, ac Beneficiis intromittere se nullatenùs debeant: statuimus, & ordinamus, ut fructus, reditus, & proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Beneficiorum, per Sæculares ullos Principes, etiamsi Imperator, Reges, Reginæve, seu Reipublicæ, vel Potentatus fuerint, aut per eorum Officiales, seu Judices, etiam Ecclesiasticos, vel quascunque aliàs Personas, publicas vel privatas, de eorumdem Imperatoris, Regum, Reginarumve, ac Principum, Rerumque publicarum, vel Potentatuum Mandato sequestrari, occuparive, aut modo aliquo detineri, ipsique hujusmodi Ecclesias, Monasteria, ac Beneficia obtinentes, sub prætextu fabricæ, instaurationisque, sine Romani Pontificis, pro tempore existentis expressa licentia, aut eleemosynarum, seu quovis alio colore, aut fuco, impediri non debeant, quominùs de illis ut anteà liberè, ac sine impedimento disponere valeant. Et si sequestrati fuerint, occupativè, aut detenti, integrè, liberéque, ac sine exceptione, vel morà, Prælatis, ad quos de jure, legitiméque spectant, restituantur: de quibus, si dissipati nusquam reperiri possint, eorum justâ æstimatione factâ, dictis Prælatis satisfieri volumus per eos, qui dictas sequestrationes, applicationes, dissipationesque fecerint, aut fieri mandaverint, sub pœnâ excommunicationis, aut Interdicti Ecclesiastici, talium Principum Terris, & dominio eo ipso incurrendis. Et ut eorum, ac eisdem subjectorum bona ubicunque reperta, si moniti parere noluerint, capi & retineri possint. Ipsi verò contrafacientes tam supradictis pœnis, quam privationis Feudorum, & privilegiorum, quæ à nobis, & Romana, vel aliis Ecclesiis nunc, & pro tempre obtinuerint, & aliis contra violatores, & oppressores libertatis Ecclesiasticæ, etiam per extravagantes, & alias constitutiones, etiam incognitas, & forsan in usu non existentes, impositis, quarum omnium tenores pro expressis, & insertis habentes innovamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, & declaramus, ac secundùm eas per quoscunque Judices, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata, & adempta eis aliter judicandi, declarandique potestate, sententiari, judicari, & interpretari debere volumus, atque mandamus.

Et cùm à jure tam divino, quam humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas Personas attributa sit, innovamus omnes, & singulas Constitutiones, felicis recordationis, Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit Felicis: & Clementis quinti, quæ incipit. Si quis suadente: nec non quascunque alias Apostolicas Sanctiones in favorem libertatis Ecclesiasticæ, & contrà ejus Violatores quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præsumentes in Bulla, quæ legitur in Cœna Domini contentis, in suo robore permansuris. Et cum in Lateranensi pariter, ac Conciliis generalibus sub excommunicationis pœna prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, Respublicæ, & alii Potentatus quicunque, Regnis, Provinciis, Civitatibus, ac terris quoquomodo præsidentes, Collectas, Decimas, & alia hujusmodi onera, Clericis, Prælatis, & aliis quibuscunque personis Ecclesiasticis imponant, exigantque, neve à spontè etiam dantibus, & consentientibus etiam recipiant: atque in præmissis auxilium, favorem, consiliumvè palam, vel occultè præstantes, in excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incidant, & ipsæ quoque Respublicæ, ac Communitates, & Universitates, circa hoc quomodolibet delinquentes, Ecclesiastico eo ipso subjiciantur interdicto: Prælati etiam, præmissis absque Romani Pontificis expressa licentia ultrò consentientes, excommunicationis, & depositionis pœnam ipso facto incurrant, statuimus, & ordinamus, ut de cætero, talia præsumentes, etiamsi, ut præfertur, qualificati fuerint, ultrà supradictas pœnas, quas contraveniendo eo ipso incurrere volumus, innovamus, quod ad omnes actus legitimos inhabiles, & intestabiles habeantur. Et cum secundùm leges Civiles, & Sacrorum Canonum Censuras, Sortilegia per invocationem dæmonum, incantationes, ac divinationes superstitionesque prohibitæ sint, statuimus, decernimus, & ordinamus, ut Clerici, qui in præmissis culpabiles inventi fuerint, arbitrio Superiorum infamiâ notentur: si verò non destiterint, deponantur, atque in Monasterium ad tempus arbitrio Superioris præfiniendum, detrudantur,

beneficiis-

beneficiisque, & officiis Ecclesiasticis priventur. Laici verò utriusque sexus, excommunicationis, & aliis pœnis juris tam Civilis, quam Canonici subjaceant.

Et ut omnes ficti Christiani, ac de fide malè sentientes, cujuscunque generis aut nationis fuerint, nec non hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti, vel Judaizantes à Christi Fidelium cœtu penitus eliminentur, & à quocunque loco, & præsertim à Romana Curia expellantur, ac debita animadversione puniantur, statuimus, ut contra eos diligenti inquisitione ubique, & in dicta Curia maximè procedatur per Judices per nos deputandos, & ejus criminis reos, & legitimè convictos, debitis pœnis puniri, relapsos verò, absque ulla spe veniæ, aut remissionis affici volumus. Et cum Constitutiones, & ordinationes nostræ hujusmodi, quas pro nunc ordinamus, vitam, mores, Ecclesiasticamque disciplinam concernant, tam Officiales nostros, quàm alios, tam in Romanâ Curiâ, quàm extra ubique locorum commorantes imitari convenit, illis ligari, eosque ad earum observationem inviolabiliter teneri volumus, atque decernimus. Et ne Constitutiones ipsæ aliis censuris, ac pœnis in contrafacientes per antiqua jura, & constitutiones impositis derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editæ, & excogitatæ fuerint, etiam declaramus; per earum dispositiones, ordinationesque nihil prorsus juri communi, vel Decretis aliorum Romanorum Pontificum ullatenùs derogatum esse. Quinimmò si qua in eis, propter perversam temporum, aut locorum, vel Hominum, corruptelam, vel abusum, aut quamcunque aliam causa minimè probandam, vigorem suum amiserint, ea ex nunc innovamus, confirmamus, & inviolabiliter observari mandamus. Quas nostras consultissimas Constitutiones, post duos Menses ab earum publicatione, ligare debere etiam decernimus, & declaramus, districtiùs inhibentes, ne quis eas glossare, vel super eis commentaria, interpretationesque facere absque Speciali nostra, vel Sedis Apostolicæ licentia præsumat. Si quis autem ausu temerario contravenerit, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat.

Nulli ergò omnino Hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, sanctionis, reformationis, intentionis, ordinationis, exhortationis, monitionis, præcepti, voluntatis, innovationis, confirmationis, mandati, decreti, declarationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, in publica Sessione, in Lateranensi Sacro-Sancta Basilica, solenniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo decimo quarto, tertio nonas Maji, Pontificatus nostri, anno secundo.

V. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 13.

Bulla contra abusum Clericorum in Regno Angliæ: anno 1515.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem providere, ut Clericali charactere insigniri volentes, illo bene utantur, ne quod in favorem bonorum inductum est, improbis delinquendi licentiam subministret, ipsisque protectio in eorum excessibus tribuatur. Sanè nuper ad nostrum Relatio fide digna perduxit auditum, quod in Regno Angliæ quamplurimi primam Clericalem Tonsuram, & minores Ordines recipiunt, non ut ad Superiores Sacros Ordines ascendant, sed ut excessus, & delicta liberius perpetrare, & Judicis Secularis forum declinare, & impunitatem excessuum hujusmodi obtinere valeant; Nam etsi dictam Tonsuram habeant, tamen revera actibus, & operibus vitam ducunt laicalem, & in suis delictis deprehensi privilegio se Clericali defendere, & Justitiam Secularem illudere conantur, ex quo improborum delicta remanent impunita, Clericorum Status decoloratur, ipsaque Justitia non modicùm impeditur.

Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod de cætero usque ad quinquennium, nullus in dicto Regno Clericali charactere insigniri possit, nisi etiam ad omnes minores, & Subdiaconatus Ordines simul promoveatur, vel de Beneficio Ecclesiastico simul provideatur, districtius, sub pœna suspensionis à divinis eo ipso incurrenda, inhibentes locorum Ordinariis, & aliis quibuscumque Episcopis, & Archiepiscopis dicti Regni, vel in eo degentibus, ne dicto durante quinquennio contra Statutum, & ordinationem hujusmodi quovis modo directè vel indirectè venire, & aliquem Clericali charactere insignire præsumant, nisi eum etiam ad omnes minores, & Subdiaconatus Ordines simul promoveant, aut sibi de aliquo Beneficio Ecclesiastico provideant, & si contra fecerint contra Statutum hujusmodi, promoti à Judice sæculari libere puniri valeant in omnibus & per omnia, ac si Clericali charactere minime insigniti fuissent; ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, ordinationis, inhibitionis, & Decreti infringere &c.

Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, quinto decimo, pridiè Idus Februarii, Pontificatus nostri, anno tertio.

VI. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. I. pag. 235.

Leo X. Pontifex concedit Carolo V. Hispaniarum Regi, dein Imperatori, ut numerum Equitum Ordinis Aurei Velleris ad quinquagenarium extendat; Variaque eidem Ordini confert privilegia.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PRæclaræ devotionis sinceritas, & eximia fidei constantia, quibus carissimus in Christo Filius noster Carolus, Castellæ, & Legionis, ac Aragonum, & Siciliæ Rex illustris, & Burgundiæ Dux, suique Prædecessores Burgundiæ Duces, qui hactenus fuerunt in nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu claruerunt, & idem Carolus Rex in dies splendere dignoscitur, nos excitant, ut in iis ei favorabiliter assistamus, per quæ Majestati suæ honor accedere, & sui Status securitas, ac ejus, & sibi devotarum personarum animarum, salus valeat provenire.

Sanè præfatus Carolus Rex nobis nuper exponi fecit, quod dudum quondam Philippus Dux Burgundiæ, piè ductus ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, & ejus Genitricis gloriosæ Virginis Mariæ, & totius Cœlestis Exercitus honorem, nec non Fidei Christianæ tuitionem, & defensionem, unam laudabilem, & celebrem Confraternitatem, seu Societatem Nobilium Militum, sub titulo, seu denominatione Ordinis, aut Militiæ Velleris Aurei pro triginta Fratribus Militibus, & uno Capite, seu Primate, qui pro tempore Dux Burgundiæ, & heres suus legitimus, ac in ordine trigesimus primus foret, nec non uno Cancellario,

Thesaurario, Secretario, ac Heraldo instituit, & ordinavit, eamque diversis honoribus, privilegiis, & libertatibus decoravit, & ad incitandum animos illorum Fratrum Militum ad Virtutem, probitatem, fortitudinem, moresque componendos, & vitia detestanda, nonnulla laudabilia Statuta, & Ordinationes, inter cætera, quod numerus Fratrum dicti Ordinis, ad numerum majorem quam triginta excedere non deberet, & nihil quod ad Forum, vel Judicium Ecclesiasticum spectet, continentia, quæ singuli Confratres in Communi assumptione sub fide, & Verbo Nobilis Viri observare promitterent, fecit, & edidit, illaque Apostolicâ auctoritate confirmari procuravit.

Et nuper cùm idem Carolus Rex præfati Philippi Ducis, ejus ex Filia abnepos, & heres legitimus, ac Ordinis, seu Militiæ hujusmodi Caput, seu primus existit, vestigiis inhærens, ac circa honorem, statum, & directionem ejusdem Ordinis, & illius Personarum intendens, suum primum Conventum, seu Capitulum Fratrum ipsius Ordinis celebrasset, ac inter tractandum de his, quæ ad publicam utilitatem pertinere videbantur, considerata præsentis temporis conditione, visum fuisset numerum prædictum potiùs ampliari, quam restringi, in ipso Capitulo, seu Conventu ad electionem Fratrum, usque ad complementum numeri soliti triginta juxta Statuta Ordinis hujusmodi processum exstitit, & in hujusmodi electione aliqui Reges Christiani nominati, & publicati; & insuper sub beneplacito nostro, licèt forsan id aliàs ordinaria auctoritate fieri potuisset, pro majori tamen auctoritate, & roboris firmitate, alii Viginti Fratres nondum publicati, sed tempore suo forsan publicandi, in Fratres Milites dicti Ordinis creati, & illi annotati fuerunt.

Quare pro parte dicti Caroli Regis, qui etiam Archi-Dux Austriæ existit, nobis fuit humiliter supplicatum, ut creationi, & annotationi aliorum viginti Fratrum in Capitulo, seu Conventu factorum hujusmodi robur Apostolicæ Confirmationis adjicere, aliasque in præmissis, de prædicti Ordinis directione, conservatione, & augmento opportunè providere, de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui eundem Carolum Regem speciali dilectionis affectu ex visceribus caritatis prosequimur, hujusmodi supplicationibus inclinati, creationem, & annotationem prædictas, & quæcunque inde secuta, rata, & grata habentes, illa, necnon institutionem Societatis, & alia illius Statuta, & Ordinationes hujusmodi, ac in eis contenta quæcunque, Apostolicâ auctoritate prædictâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illis plenum firmitatis robur adjicimus, illaque firmiter observari debere, & numerum ipsum de triginta ad quinquaginta Fratres ipsius Ordinis; præter illius Primatem, de cætero ampliari, & extendi posse decernimus.

Supplentes omnes, & singulos defectus, tam juris, quam facti, si qui forsan intervenerint in eisdem, & nihilominùs Statutum, & numerum hujusmodi ad alios viginti Fratres, ita ut totalis numerus Fratrum dicti Ordinis, quinquaginta, & Caput, seu Primas, qui pro tempore erit Dux Burgundiæ, heres, & ipsius Caroli legitimus Successor, ac in Ordine Fratrum quinquagesimus primus, & præter illos Cancellarius, Thesaurarius, Secretarius, & Heraldus in ipso ordine existant, aliis Statutis, & Consuetudinibus prædictis in suo robore permansuris, auctoritate Apostolicâ, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus, ac eundem Carolum Regem, & pro tempore existentem Primatem, & Fratres, ac Personas dicti Ordinis ab observatione dicti Statuti de non eligendis nisi triginta Fratribus absolvimus, & promissionem, ac juramentum de illo observando forsan factum, seu præstitum eis relaxamus.

Et insuper Primati, Confratribus, Cancellario, Thesaurario, Secretario, & Heraldo Ordinis hujusmodi, nunc & pro tempore existentibus, eorumque, qui nunc & pro tempore conjugati fuerint, conjugibus & utriusque sexûs liberis, ut Cancellarius ipsius Ordinis pro tempore existens ad Sacerdotium ritè promotus, seu Presbyter idoneus per ipsum ad hoc deputandus, ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis, à jure vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis & promulgatis, ac Votorum quorumcunque, & Mandatorum Ecclesiæ transgressionibus, manunm violentarum in quasvis personas, non tamen Pontificali, aut Superiori Dignitate fungentes, injectionibus, jejuniorum & pœnitentiarum eis injunctarum in toto vel in parte omissionibus, ac perjuriorum & homicidii voluntarii, mentalis seu casualis (non tamen Presbytericidii, seu Clericidii) necnon adulterii, incestus, sacrilegii & fornicationis reatibus, ac omnibus & singulis aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam dictæ Sedi qualitercunque reservatis, (exceptis contentis in Bulla in die Cænæ Domini legi consuetâ) de quibus ore confessi, & corde contriti fuerint; de reservatis videlicet semel in anno, & in mortis articulo, de aliis verò eidem Sedi non reservatis casibus, quoties opus fuerit, absolvere, ac eis & eorum cuilibet pro commissis debitam absolutionem impendere, & pœnitentiam salutarem injungere.

Necnon vota quæcunque per eos pro tempore emissa (Ultramarino, Visitationis Liminum Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, necnon Castitatis & Religionis votis, dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, ac juramenta quæcunque, ex quorum relaxatione alteri præjudicium non generetur, relaxare; nec non semel quolibet anno, & in mortis articulo, etiamsi mors non subsequatur, plenariam omnium delictorum suorum remissionem & absolutionem, ita ut hujusmodi plenaria remissio in vero mortis articulo eis suffragetur, dictâ Auctoritate Apostolicâ impendere possit.

Quodque liceat eis, & eorum singulis habere Altare portatile, cum debitis reverentia & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus, & honestis, etiam Ecclesiastico Interdicto, ordinariâ vel Apostolicâ Auctoritate suppositis, dummodò causam non dederint hujusmodi interdicto, nec eis specialiter interdictum sit, ac fecerint quantùm in eis fuerit, ut in his, propter quæ interdictum ipsum dictâ Auctoritate Apostolicâ pro tempore oppositum fuerit, paritio fiat, & ea executioni debitæ demandetur, ac per eos non steterit, quo minùs pareatur, etiam antequàm illucescat dies, circà tamen diurnam horam, ac etiam circa, vel parum post meridiem, per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum, in suâ, & cujuslibet ipsorum Familiarium, Domesticorum, Parentum, Consanguineorum pro tempore existentium præsentia, Missas, & alia divina officia celebrari facere, & tempore Interdicti hujusmodi, in Ecclesiis janius clausis divinis Officiis interesse, & illa, ut præmittitur, celebrari facere, necnon si eos tempore interdicti hujusmodi decedere contingat, eorum corpora Ecclesiæ Sepulturæ, sine tamen funerali pompâ tradi, ipsisque Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta à quocunque Presbytero idoneo, ubicunque voluerint, salvis juribus Parochialium Ecclesiarum, etiam in die Paschatis recipere, & Sacerdotibus eligendis hujusmodi, ut Missas, & alia divina Officia, ut præfertur, celebrare liberè, & licitè possint.

Quodque unam, vel duas Ecclesias, seu duo, vel tria Altaria unius, vel diversarum Ecclesiarum, in partibus, ubi singulos eorum pro tempore residere contigerit, per eos, & eorum quemlibet

eligendas, seu eligenda, quadragesimalibus, & aliis diebus Stationum Ecclesias Urbis, & extrà muros ejus visitando, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones etiam plenarias consequantur, quas consequerentur si eisdem diebus omnes, & singulas Stationum hujusmodi, ac septem principales, necnon Sanctæ Mariæ de Populo, & Sancti Gregorii intra Cappellæ Scalæ Cœli extra Muros Urbis hujusmodi Ecclesias personaliter visitarent, necnon tam Quadragesimalibus Butyro, Caseo, Ovis, & Lacte, quàm aliis anni temporibus, & diebus prohibitis eisdem Butyro, Caseo, Ovis, Lacte, & aliis lacticiniis, ac tempore necessitatis de Utriusque Medici Consilio Carnibus, absque Conscientiæ scrupulo uti, & vesci licitè, & liberè valeant, Apostolicâ auctoritate prædictâ earundem tenore præsentium de Speciali gratiâ indulgemus. Ac singulorum prædictorum Uxoribus, & Filiabus, ut cum aliquibus aliis honestis Mulieribus Monasteria Monialium Sanctæ Claræ, & aliorum Ordinum quorumcunque, etiam inclusarum, ter, aut quater in anno, de licentia tamen earum, quæ dictis Monasteriis præfuerint, ingrediendi, & cum eisdem Monialibus refectionem suscipiendi, dummodò inibi non pernoctent, auctoritate Apostolicâ, & tenore supradictis, licentiam & facultatem concedimus.

Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel Specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Monasteriorum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Consuetudinibus, ac quibusvis suspensionibus, seu limitationibus similium remissionum, & facultatum per nos, & Sedem prædictam quomodolibet factis, & faciendis; quibus quoad præmissa, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ne, quod absit, propter hujusmodi concessionem, & remissionem, Confratres, ac Uxores, & Liberi, ac alii prædicti reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda. Quod si à Sinceritate Fidei, Unitate Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & devotione nostra, vel Successorum nostrorum canonicè intrantium hujusmodi destiterint, aut ex confidentia ejusdem concessionis, vel remissionis aliqua commiserint, concessio, & remissio prædicta, ac quoad illas præsentes literæ eis nullatenùs suffragentur.

Quodque Indulto celebrari faciendi ante diem parcè utantur: quia cum in Altaris Ministerio immoletur Dominus noster JEsus Christus Dei Filius, qui Candor est Lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, sed in luce.

Cæterum cum difficile foret præsentes literas ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda foret, loca deferre; volumus, & dicta auctoritate Apostolicâ decernimus, quod ipsarum transsumptis, manu publici Notarii subscriptis, & Sigillo alicujus Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra, eadem prorsus fides indubia adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò Hominum, liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, adjicionis, suppletionis, extensionis, ampliationis, absolutionis, relaxationis, indulti, concessionis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo sexto decimo, sexto Kal. Octobris, Pontificatus nostri, anno quarto.

Galliæ Regi concedit impositionem unius decimæ, super Clerum ejusdem Regni pro anno uno duntaxat, quâ uti debeat pro bello contra Turcas: anno 1516. VII. Ex Mem. du Clergé de France Tom. 4. pag. 904.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Etsi dispositione suprema ad Universalis Ecclesiæ regimen, meritis licèt insufficientibus, vocati, ad amplianda Ecclesiarum commoda, & cunctorum Fidelium, Ordinis præcipuè Clericalis, incrementa felicia, animarumque Salutem, nostra semper aspiret intentio, nullisque eos incommodis afficere, aut Subsidiis onerare cupiamus: Urgente tamen Redemptoris nostri JEsu Christi, ac Sanctorum omnium contumelia, Orthodoxæ Fidei, & Reipublicæ, Christianorumque omnium injuria, ac communi periculo, irreparabilique ruina, quam omnibus Christi Fidelibus imminere conspicimus, contra morem, & desiderium nostrum compellimur, pro instantis temporis qualitate, & pressura, sacris quoque Dei templis, Sacerdotio, & Christianis populis à periculis liberandis, non solùm Regna, Provincias, Civitates, Terras, & loca nobis, & Sacræ Rom. Eccles. subjecta, sed alios Christianissimos Principes, Populos, Civitates, & Potentatus ad defensionem Christicolarum, & contributionis opportunæ remedium exhortari, & Regibus Christianissimis, & Principibus, quorum studia, & conatus ad stabiliendum, ampliandumque earumdem Ecclesiarum statum, necnon profligandum, & delendum Infidelium ferocitatem, & perfidiam tendere dignoscitur, de nostris, & Militantis Ecclesiæ, cui divina dispositione præsidemus, bonis elargiri.

Sanè cum charissimus in Christo Filius noster Franciscus Francorum Rex Christianissimus, Prædecessorum suorum Francorum Regum, qui ut Universo Orbi notissimum est, Petri Regni Cœlestis Clavigeri in terris Sedem è manibus Infidelium liberarunt, vestigia volens imitari, gratia sibi assistente divina, ad Constantinopolitanensem, & alias Provincias ultra-marinas, ab Infidelibus occupatas, pro illarum recuperatione, & illorum, qui Christianum Sanguinem sitiunt, expugnatione, se personaliter transferre decrevit: Nos etsi præfatum Franciscum Regem, qui pro Fidei orthodoxæ exaltatione, & divini nominis gloria, nullos fugiendo labores, nullisque parcendo periculis, ad dictas partes personaliter accedere ab ineunte ætate semper affectavit, ab hujusmodi Sanctissimâ expeditione, quam (Deo, cujus res agitur, auctore) suscipere intendit, nulla ratione diverti, aut amoveri posse confidimus. Tamen dum consideramus, quanta eundem Franciscum Regem in expeditionis hujusmodi prosecutione, impensarum onera oporteat in dies de necessitate subire, quodque ex iis, quæ ex hujusmodi expeditionis prosecutione acquiri possunt, non modica Ecclesiis, Ecclesiasticisque Personis proveniet utilitas: Dignum, quin potiùs debitum reputamus, ut crescat nostra, & Sedis Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & membrorum ejus erga ipsum Franciscum Regem, Sanctissimamque hanc expeditionem munificentia, & liberalitas matura.

Igitur super his deliberatione habita, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, unam veram integram decimam omnium, & singulorum fructuum, redditDuum, & proventuum unius integri anni, à data præsentium computandi, Cathedralium, & Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, & Con-

ventualium, Præpositatuum, Præpositurarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, & Officiorum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque cum cura, & sine cura Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, & Sancti Benedicti, & Sancti Augustini, Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Montis Oliveti, Humiliatorum, Vallis-Umbrosæ, Cruciferorum Monachorum, Heremitarum Sancti Hieronymi, & aliorum quorumvis Ordinum, tam Virorum, quàm Mulierum, etiam Mendicantium, ex privilegio, vel aliàs certos redditus habentium, Regulariumque Militiarum quorumcunque, etiam S. Jacobi de Spatha, JEsu Christi, Beatæ Mariæ Teutonicorum, etiam quorum redditus ad hospitalitatem deputati existunt, præterquam quibus Sact. Rom. Eccles. Cardinales præsunt, quos ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ in titulum, commendam, seu administrationem, vel aliàs obtinent, ac pensionum & fructuum, redditnum, & proventuum, loco pensionis super illis reservatorum, cum ob hujusmodi expeditionem, & aliàs necessitates nobis, & eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro tempore occurrentes, hujusmodi decimas nobis persolverint, & persolvere consueverint, ab hujusmodi decimæ impositione, & solutione exemptos fore decernimus, ac membrorum Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani in omnibus Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Dominiis, terris, & locis præfato Francisco Regi mediatè, vel immediatè subjectis consistentium, ab omnibus, & singulis Archiepiscopis, Episcopis, electis Abbatibus, Prioribus, Administratoribus, Commendatariis, Capitulis, Conventibus, Guardianis, cæterisque Beneficiis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus Ordinum, & Militiarum prædictorum, ac Magistris Prioribus, Capellanis, Bajulivis, Præceptoribus Militiarum, & Prioratuum, Castellaniarum, Bajulivorum, & Præceptoriarum hujusmodi fructus, redditus, & proventus Ecclesiasticos in Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Dominiis, Terris, & locis Francisco Regi subjectis, hujusmodi percipientibus, & percepturis, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiam exemptis, & qualitercunque privilegiatis, præfatis Cardinalibus, membris, & personis Hospitalis Sancti Johannis Hierosolymitani hujusmodi duntaxat exemptis, persolvendam, colligendam, levandam, & exigendam infrà terminum à præfato Rege, seu deputandis ab eo ad hujusmodi decimam exigendam, in præsentium litterarum publicatione præfigendum, ac eidem Francisco Regi, seu deputatis ab eo, postquam exacta fuerit, consignandam, & in præmissum Fidei opus, Sanctamque expeditionem hujusmodi convertendam, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium imponimus; ita ut ab iisdem Archiepiscopis, Episcopis, electis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Prælatis, Capitulis, Conventibus, & personis aliis Ecclesiasticis, Sæcularibus, Regularibus, exemptis, & non exemptis, in Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Dominiis, Terris, & locis hujusmodi, fructus, redditus, & proventus hujusmodi, ut præfertur, habentibus, infrà terminum per Franciscum Regem, seu ab eo pro tempore deputato hujusmodi præfigendum, decima hujusmodi, ut præfertur, colligatur, & exigatur. Volentes, ut juxta ordinationem super hoc in Concilio Viennensi editam, Calices, Libri, & alia ornamenta Ecclesiarum divinis officiis deputata, ex causa pignorum, vel alia occasione dictæ exactionis, nullatenùs capiantur, distrahantur, vel etiam occupentur. Ei nihilominùs præfato Francisco Regi duos, tres, aut plures idoneos generales Collectores, Receptores, & Exactores decimæ hujusmodi, pro dicto anno duntaxat faciendi, constituendi, & deputandi, qui ad Civitates, Terras, Oppida, Castra & Loca Regnorum, Ducatuum, Comitatuum & Dominiorum hujusmodi personaliter accedant, vel prout eisdem Deputatis Collectoribus melius videbitur expedire, alios Subcollectores destinent, aut ipsam decimam ab omnibus & singulis ad illius solutionem, ut præfertur, obligatis, in terminis prædictis petere, exigere, levare & colligere procurent. Nos etiam præfatis deputandis Collectoribus, vel Subcollectoribus decimam hujusmodi, per se, vel alium, seu alios, ut præfertur, deputandos, Auctoritate Nostra exigendi, petendi, levandi & recipiendi, & de receptis duntaxat solventem quietandi, liberandi & absolvendi, necnon contradictores quoslibet ac rebelles, ac dictam decimam solvere recusantes, sive renitentes, excommunicationis sententiam, & privationis Beneficiorum suorum pœnam incurrisse, declarandi, ac etiam per alias Censuras Ecclesiasticas, aliaque juris opportuna remedia, ad sequestrationem fructuum, redditnum & proventuum hujusmodi compellendi, & si protervitas, aut contumacia exegerit, præfatos ab Ecclesiasticis Ministeriis, Dignitatibus, Magistratibus, Præceptoriis, Bajulivis, Castellaniis, Hospitalibus, Beneficiis & Officiis prædictis amovendi, & ad præmissa brachium sæculare invocandi, necnon cum Collectores vel Subcollectores deputandos hujusmodi abesse contigerit, aliam, vel alias, personam, seu personas, Ecclesiasticam, vel Ecclesiasticas, Sæculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, in Regnis, Ducatibus, Comitatibus, Dominiis, Civitatibus, Terris, Castris & Locis prædictis, loco eorum, etiam cum simili aut limitatâ potestate deputandi & substituendi, illosque amovendi, & alios de novo substituendi, & ab eis computa, & rationes de collectis & administratis recipiendi, & ad id per censuras & pœnas prædictas, & aliàs modo præmisso cogendi & compellendi, omniaque alia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet & opportuna faciendi, exercendi, gerendi & exequendi, quæ ad plenariam executionem præmissorum expedire videbuntur, ac eos, qui ad se reversi fuerint, & de iis, in quibus præmissorum occasione obligati fuerint, debitè satisfecerint, à sententiis censurarum & pœnis, quas propterea incurrunt, absolvendi, liberandi & habilitandi, nec non cum illis, qui sententiis censurarum, & pœnis prædictis irretiti, Missas, & alia Divina Officia (non tamen in contemptum clavium) celebrando, aut aliàs illis ministrando, aut se immiscendo, irregularitatem contraxerint, super illa dispensandi: plenam, liberam & omnimodam, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, concedimus facultatem.

Volumus autem, quod pecuniæ ex decima hujusmodi provenientes in præfatæ sanctissimæ expeditionis, & non in alios usus, per præfatum Franciscum Regem converti debeant; quodque, si forsan quispiam, quod non credimus, quominùs decima hujusmodi persolvatur & exigatur, persuadere, facere aut operari quovis modo, directè, aut indirectè præsumpserit, etiam cujuscunque Dignitatis, Status, Ordinis, Conditionis, vel Præeminentiæ, Nobilitatisve fuerit, etiamsi Archipresbyterali, Capitulari, vel alia quavis Ecclesiastica vel mundana Dignitate præfulgeat: Excommunicationis sententiam (à qua non nisi à Nobis & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, præterquam in mortis articulo constitutus, & debita satisfactione prævia, absolvi possit) incurrere decernimus eo ipso; non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris Nostri, de una & duabus dietis in Concilio generali editâ, ac de Personis ultrà præfatum numerum ad judicium non vocandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiasticorum, Monasteriorum, Prioratuum, Militiarum, Hospitalium & Ordinum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis

firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, Stabilimentis, Usibus ac Privilegiis & Indultis Apostolicis, & forsan sub quibusvis verborum formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus & insolitis concessis; quibus, etiamsi de his, eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, seu quævis alia expressio habenda foret, cum illis caveretur expresse, quod illis nunquam censeretur derogatum, nec derogari posse, nisi sub certis expressis modo & forma, ac verborum expressione, vel nullo modo, tenores eorum, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro sufficienter expressis, & insertis haberentur, (illis aliàs in suo robore permansuris) in hac vice duntaxat, harum serie specialiter & expresse, dictâ auctoritate omninò derogamus, & derogatum esse volumus, contrariis quibuscunque, aut si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Priorissis, Præpositis, Magistris, Castellanis, Bajulivis, Ordinibus, Militiis, & personis vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod ad solutionem alicujus decimæ minimè teneantur, & quod ad id compelli aut interdici, suspendi vel excommunicari, aut propterea Beneficiis privari, seu extra vel ultra certa loca ad judicium trahi non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quoruncunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum non impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum specialis, specifica & expressa habenda sit in Nostris Litteris mentio: quæ quoad præmissa cuiquam volumus nullatenùs suffragari.

Cæterum quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, quibus expediens foret, deferri, volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod earumdem litterarum transumptis manu alicujus Notarii publici indè rogati subscriptis, & sigillo alicujus ex collectoribus vel subcollectoribus præfatis, seu substituendis, aut deputandis ab eisdem, vel alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu Prælati, aut alterius Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides indubia in judicio & extra, aut aliàs ubilibet in omnibus & per omnia adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam Nostræ Impositionis, Concessionis, Derogationis, Voluntatis & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ Anno Incarnationis Dominicæ 1516. sexto decimo Kal. Junii, Pontificatus Nostri anno quarto.

VIII. Actes & tittres du Clergé de France. tom. 2. p. 172.

Modificatio & Declaratio Privilegiorum concessorum Mendicantibus, aliisque Regularibus, eorumve Tertiariis.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, Sacro approbante Concilio.

Dum intrà mentis arcana revolvimus, & diligenti consideratione pensamus operosa sollicitudinis studia, continuosque labores pro Divina Gloria, Exaltatione Catholicæ Fidei, Ecclesiæ Unitate servanda, & institutione, ac Salute Fidelium Animarum, Coepiscopos, eorumque Superiores, in diversis partibus ad Regimen suarum Ecclesiarum à Sede Apostolica constitutos, nec non per Fratres diversorum Ordinum, præsertim Mendicantium, indefesse, & indesinenter impensos, tanta, ex eorum in vineâ Domini fructuosis operibus, & opportunè ac laudabiliter gestis, Cordi Nostro provenit satisfactio, ut his, quæ ad pacem & quietem inter eos conservandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus.

Novimus enim Episcopos ipsos in partem sollicitudinis Nostræ assumptos fuisse, quorum honor & sublimitas, testante Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari. Religiosos etiam in Agro Dominico pro Christianæ Religionis defensione & ampliatione complura fecisse, ac uberes fructus protulisse, & in dies singulos proferre, ita ut eorundem Episcoporum ac Religiosorum bonis operibus, orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per Orbem Terrarum undique dilatatam fuisse, Fidelium nullus ignoret. Et sicut ipsi sæpenumero vigilantissimâ & solerti curâ schismata in Dei Ecclesia extinguere, & Ecclesiæ Unitatem reddere, & ut eidem Ecclesiæ Pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire non dubitarunt, ita quoque par est, eos inter se nostris provisionibus pacis vinculo, ac fraternâ charitate, & unitate conjungi, ut eorum concordi doctrinâ, & mutuis operibus uberiores in Ecclesiâ Dei fructus proveniant.

Sanè cupientes, ut jura spiritualia, quæ ad Dei Laudem, & Christi fidelium animarum salutem pertinent, & quorum in exercitium præfatis Episcopis, & eorum Superioribus in suis Diœcesibus (cum ipsi in partem sollicitudinis, ut præfertur, assumpti, ac Diœcesis distinctæ, & cuilibet eorumdem Episcoporum assignatæ fuerunt) commissum extitit, ut per ipsos Episcopos exerceantur, & jus illa liberè exercendi, quantum fieri potest, eis illæsum præservetur. Et si aliqua dictis Fratribus Mendicantibus in eorundem Episcoporum læsionem per Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, & Sedem Apostolicam concessa fuerint, concessiones hujusmodi eisdem Religiosis factas, in subsequentibus duximus moderandas, ut ipsi Fratres potius ab eisdem Episcopis omni cum charitate foveantur, quam aliquo modo molestenter & inquietentur. Una enim est Regularium, Sæcularium, Prælatorum & Subditorum exemptorum, & non exemptorum Universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides. Et propterea decet eos, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis, & sicut Fratres nexu invicem charitatis astricti sunt, sic non convenit alterum in alterius injuriam, seu jacturam prosilire, dicente Salvatore: Hoc est præceptum meum, ut diligatis vos invicem, sicut dilexi vos.

Ad conservandam igitur inter Episcopos, & eorum Superiores, ac Prælatos, & Fratres hujusmodi mutuam charitatem, & benevolentiam, divini quoque cultus augmentum, pacemque, & tranquillitatem Universalis Ecclesiæ status, quod ita demùm fieri posse cognovimus, si unicuique quantus fieri potest, sua jurisdictio conservetur: Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, quod Episcopi, & eorum Superiores, & alii Prælati præfati, parochiales Ecclesias, ad eosdem Fratres ratione locorum suorum legitimè spectantes, quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum Conservationem, administrationemque pertinent (sine tamen Visitatorum insolito gravamine, vel impensa) visitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, si Religiosi fuerint, juxta ipsius Ordinis Regularia instituta, intra septa regularis loci, Seculares verò Presbyteros, & Fratres hujusmodi beneficia obtinentes, liberè tanquam suæ jurisdictionis subjectos punire.

Ac tam Prælati, quàm Presbyteri Seculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Missas in Ecclesiis domorum eorundem, devotionis causa celebrare volentes, celebrare pos-

sint,

sint, ipsique Fratres tales celebrare volentes, libenter recipere debeant.

Ac ab eisdem Prælatis ad processiones solemnes pro tempore faciendas requisiti (dummodò eorum loca suburbana ultra unum milliare à Civitatibus respectivè non sint remotæ) accedere.

Nec non Superiores eorundem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas Confessiones subditorum eorundem Prælatorum tempore elegerint, eisdem Prælatis personaliter exhibere, ac præsentare (si eos sibi exhiberi, & præsentari petierint) alioquin eorum Vicariis (dummodò ad Prælatos ultrà duas Dietas accedere non cogantur) omninò teneantur. Possintque illi per eosdem Episcopos & Prælatos super sufficienti litteratura, & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia duntaxat examinari. Talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit, *Omnis Utriusque Sexus*, quoad Confessionem duntaxat satisfecisse censeantur.

Ipsique Fratres etiam Forensium Confessiones audire valeant, Laicos tamen, & Clericos Seculares à Sententiis ab Homine latis nullatenùs absolvere possint. Eucharistiæ verò, & extremæ Unctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta, illis quorum, etiam Infirmorum, ac decedentium, Confessiones audierint, dicentibus, proprium Sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitimâ causâ facta, Vicinorum testimonio probatâ, aut requisitio coram Notario publico facta doceretur. Eorumdem verò Fratrum obsequio insistentibus, Sacramenta hujusmodi nullatenùs ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio.

Pacta autem, & Conventiones inter eosdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequutum proximum Capitulum generale, vel provinciale, refutata, ac per eos refutatio hujusmodi intimata, debito tempore fuerint.

Parochias autem cum cruce ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias Domorum & locorum eorundem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi priùs præmonito, & requisito, ac non recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine ejus, ac Ordinarii præjudicio, nisi eisdem Fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi observantia, & cum pacifica possessione suffragetur.

Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem Fratrum, in Claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi eligere possint.

Quodque Fratres ipsi ad Ordines promovendi per Ordinarios de Grammatica, & sufficientia examinari, & dummodò competenter respondeant, per eosdem Ordinarios liberè admitti, ac nullatenùs in eorum Ecclesiis seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quam à Diœcesano Episcopo vel ejus Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, absque rationabili causa contradicente, vel eò à Diœcesi absente, ad dictos Ordines promoveri debeant.

Nec ab alieno Episcopo consecrationem Ecclesiæ, vel Altaris, aut Cœmeterii Benedictionem petere, seu in Ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Episcopum poni facere possint, nisi ubi Ordinarius, bis aut ter cum debitis reverentia & instantia requisitus, sine legitima causa id recusaverit.

Et absque Curatorum consensu sponsum & sponsam benedicere nequeant.

Et ut debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tàm ipsi Fratres, quàm alii Clerici Sæculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis, vel Matris Ecclesiæ pulsaverit, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint, contrafacientes pœnam centum Ducatorum incurrant.

Censuras autem per eosdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in Matrici Ecclesia Civitatum, nec non in Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis Castrorum, & Oppidorum respectivè solemniter publicatas, quandò super hoc ab eisdem Ordinariis requisiti fuerint, in Ecclesiis domorum suarum publicare, ac servare.

Et ut animarum Utriusque Sexus Christi Fidelium saluti uberius consulatur, illos, quorum Confessiones pro tempore audierint, cujuscunque status, & conditionis fuerint, ad solvendum decimas, sive aliam bonorum, seu fructuum quotam, in locis in quibus Decimæ ipsæ, aut similia solvi consueverunt, etiam sub onere conscientiarum suarum monere, & hortari; ipsisque etiam illos solvere recusantibus absolutionem denegare, & super hoc requisiti, id Populo etiam publicè prædicare, & persuadere teneantur.

Conservatores autem eisdem Fratribus pro tempore à Sede Apostolicâ deputandi, doctrinâ, & probitate præstantes & in Ecclesiasticâ dignitate constituti esse debeant, & coram eis per eosdem Fratres, quibus dati fuerint, ultrà duas dietas à loco suæ solitæ habitationis nullus trahi possit, privilegiis super hoc aliàs eis concessis, nullatenùs suffragantibus.

Excommunicati quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, ubi de interesse Tertii ageretur, absolvi non possint, nisi prævia satisfactione. Procuratores quoque, & negotiorum gestores, ac operarii, eorumdem Fratrum servitiis insistentes, sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus consilium, auxilium, vel favorem præstiterint.

Fratres autem, & Sorores tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizocatæ, Cordellati, & alii quocunque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, sepulturam ubi voluerint, eligere valeant: Sed die Paschatis tantùm Eucharistiam, nec non extremam Unctionem, cæteraque Ecclesiastica Sacramenta (Pœnitentiæ Sacramento duntaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro Seculari coram Judicibus Secularibus conveniri possint. Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti tertii Ordinis ad divina audienda, in Ecclesiis suorum Ordinum, tempore interdicti nullatenùs admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsi nutriant, seu foveant, aut dantibus, auxilium, vel favorem quoquomodo præstiterint.

Collegialiter autem viventes, seu cum Claustralibus habitantes, ac Mulieres Virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debeant. Omnia etiam, & singula supradicta ad reliquos Religiosos, Ordinum quorumcunque extendi, & per eos etiam servari debere volumus, atque decernimus. Salvis tamen in reliquis desuper non expressis, tam Episcoporum, quam Fratrum, & aliorum Religiosorum prædictorum juribus, quibus per præmissa in aliquo præjudicare, seu quicquam innovare non intendimus.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Statutis, & consuetudinibus dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis alia firmitate roboratis, privilegiis quoque, & indultis, ac literis Apostolicis contra præmissa, seu aliquod præmissorum, eisdem Ordinibus concessis, etiam in Mari magno contentis, quibus (etiamsi ad illorum derogationem de eis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, individua, ac de

verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorumque tenores præsentibus sufficienter expressis, & insertis habentes) specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ obedientiæ monemus, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos pro debita, & nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentiâ, congruo honore, & convenienti observantiâ venerentur. Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitativè tractent, ac benignè foveant, seque illis minimè difficiles, duros, vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentiâ liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tanquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laboris participes, prompta benignitate recipiant, eorumque jura omni cum charitate custodiant, atque defendant, ut tam Episcopi, quàm Fratres præfati (quorum opere, veluti Lucernæ ardentes suprà montem positæ, omnibus Christi Fidelibus lumen præbere debent) ad Dei laudem, Fidei Catholicæ exaltationem, populorumque Salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde à largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti, monitionis, exhortationis, & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, in publica Sessione, in Lateranensi Sacrosancta Basilicâ, solemnitar celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo sexto-decimo, decimo-quarto Kal. Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.

IX. Ex exemplari jussu Abbatis Rodolphi edito.

Bulla plenissimæ Indulgentiæ pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, noviter emanata à Sede Apostolica: anno 1517.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Universis Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

POstquam ad Apostolatus apicem, meritis licèt imparibus, divinâ favente clementiâ assumpti fuimus; inter cætera, quæ nobis assiduè meditanda, & sollicitè exequenda ex iis, quæ etiam in minoribus constituti toto cordis affectu cupieramus; sese nobis reddiderunt salutis animarum, Christi Fidelium cura, & absolutio fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. Illa enim & boni Pastoris præcipua, & ad cœlestem aulam excolendam, & gregem sibi commissum salvandum: Ista ad Ecclesiam, quæ caput Ecclesiarum omnium, in qua Apostolicæ Sedis solium collocatur, existit, reintegrandam pernecessaria dignoscuntur: Quibus felicis recordationis Julius Papa Secundus, Prædecessor noster assiduè invigilans, ut utrumque simul efficeret, ad invitandum Christi Fideles ad pietatis operá, & ad porrigendum ipsi fabricæ manus adjutrices, plenariam indulgentiam, & plura Spiritualia dona concessit.

Nos igitur ejusdem Prædecessoris vestigiis inhærentes, cum omnibus Christianæ Fidei cultoribus liqueat, B. Petrum ab ipso Salvatore nostro Domino JEsu Christo, Apostolorum Principem fuisse constitutum, eique solvendi atque ligandi animas, cœlesti privilegio traditam esse potestatem, cum ei dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Qui etiam, licèt imparibus, ut præfertur, meritis, ejusdem cœlorum Clavigeri Successores effecti sumus, & ejus loco in Sanctâ Dei Ecclesia residemus, considerantes, quòd etsi diffusis per orbem terrarum Ecclesiis ex injuncto nobis à Deo Apostolatûs officiis providere tenemur, ut Ecclesiæ ipsæ, quæ domus Dei sunt, in suis structuris & ædificiis non solùm construantur, sed & si opus fuerit reparentur. Circa tamen Basilicam B. Petri Principis Apostolorum de Urbe hujusmodi majorem curam & diligentiam adhibere nos convenit; ut sicut ipse B. Petrus ab ipso Salvatore nostro Princeps Apostolorum est constitutus, ita etiam ipsius Basilica, quæ per præfatum Prædecessorem, ut nova reædificaretur, pro majori parte demolita fuit, maxima indiget reædificatione inter cæteras Urbis & Orbis Ecclesias, ut congruentibus, ac etiam necessariis ædificiis reædificetur, instruatur, amplietur, ac reædificata, constructa, & ampliata conservetur. Cognoscentes igitur, ad tantæ fabricæ absolutionem facultates S. Matris Ecclesiæ, necessariis quamplurimis gravatæ impensis, non sufficere, & fabricam ipsam ad finem optatum, absque piis & largis Christi Fidelium erogationibus perduci non posse, Cunctorum Christi Fidelium Salutem (& præcipuè illorum, qui in viginti quinque Provinciis, in quibus Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis observantiæ nuncupatorum, citra montes existit; juxta morem dicti Ordinis numerandis, & sub quibus etiam tota Italia, Sicilia ultra Pharum, Corsica, Creta, Cyprus, Rhodus, usque ad Jerosolymam, Dalmatia, Croatia, Bosnia, Hungaria, Austria, Bohemia, & Polonia, exceptâ tantùm Provinciâ Archiepiscopi Gneznensis, ac etiam Insulæ Maris Mediterranei continentur, degúnt) affectantes, ac considerantes, quòd licèt Christi Fideles ipsi in dictis Provinciis, & Insulis habitantes, devotè cuperent indulgentiarum, pro dicta fabrica concessarum, participes fieri; tamen quoniam ob locorum distantiam personaliter ad dictam fabricam se conferendi, aut per alios pias eleemosynas, pro hujusmodi fabrica in Capsam ad id deputatam transmittendi, omnimodam commoditatem non habent; paternè animarum suarum saluti, & dictæ fabricæ opportunæ subventioni consulere cupientes, Salvatoris nostri (qui ad diversas mundi partes ad prædicandum S. Evangelium, ut animas Patri lucrifaceret, suos Apostolos misit) quantum ex alto concedit, exempla sectantes, de Omnipotentis Dei Misericordia ac B. Petri & Pauli Apostolorum ejus, & omnium Sanctorum meritis confisi, ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Universis Christi Fidelibus utriusque sexus, cujuscumque status, dignitatis, gradusque, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existentibus, etiam Ecclesiasticis, Religiosis Ordinum quorumcumque, ac aliis Sæcularibus per universas Provincias (exceptâ tantùm prædictâ Gneznensi) & Insulas prædictas constitutis, & ad illas undecumque venientibus, verè pœnitentibus, & confessis, (qui infrà annum à publicatione præsentium litterarum nostrarum facienda computandum, & ut sequitur terminandum, & deinde ad beneplacitum nostrum, Ecclesias in dictis Provinciis & Insulis, quarum dilectus Filius noster Christophorus de Forlivio tituli S. Mariæ in Arâ Cœli Presbyter Cardinalis, qui etiam dicti Ordinis Minister generalis existit, ei quem nuper propter vitæ integritatem, ac laudabiles mores ad Cardinalatûs ho-

norem

norem promovimus, ad hæc & infrà ſcripta Noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Nuntium & Commiſſarium in dictis Provinciis & Inſulis, ad dictum annum & beneplacitum noſtrum, per præſentes facimus, conſtituimus & deputamus, per ſe vel alios nominaverit & deputaverit, juxta ejuſdem Nuntii & Commiſſarii, ſeu Deputandi, vel Deputandorum, aut Subdelegandi vel Subdelegandorum, ab eo providam ordinationem ſuper hoc faciendam, devotè viſitaverint, & in capſis ad hoc in ſubſidium dictæ fabricæ per Nuntium ſeu Commiſſarium, ſeu Deputandum, vel Subdelegandos prædictos Deputandi juxta Nuntii & Commiſſarii, ac Deputandorum vel Subdelegandorum prædictorum, ordinationem & arbitrium pias eleemoſynas effectualiter poſuerint) pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, ac tot & ſimiles indulgentias & peccatorum remiſſiones etiam conſequantur, quas conſequentur, ſi ſingulis diebus quadrageſimalibus, ac totius anni, ſingulas dictæ urbis, & extra eam Eccleſias, quæ à Chriſti fidelibus propter ſtationes viſitari ſolent, perſonaliter viſitaverint, & quod cum præfatis Commiſſario ſeu Delegandis, vel Subdelegandis prædictis convenerint, ut poſſint eligere confeſſorem ſæcularem, vel cujusvis Ordinis etiam Mendicantium, regularem, qui eorum confeſſione diligenter audita, pro commiſſis per eligentem delictis & exceſſibus ac peccatis quibuslibet, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis Caſibus ac Cenſuris Eccleſiaſticis, etiam ab homine ad alicujus inſtantiam latis, de conſenſu partium etiam ratione interdicti incurſis, & quarum abſolutio dictæ Sedi eſſet reſervata, præterquam machinationis in Perſonam Summi Pontificis, occiſionis Epiſcoporum, aut aliorum Superiorum, Prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos & alios Prælatos, falſificationis Bullarum & Litterarum Apoſtolicarum, delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, ac ſententiarum & cenſurarum, occaſione aluminum, tulphæ noſtræ, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem noſtram delatorum, incurſarum, ſemel in vita, & de non reſervatis caſibus toties quoties id petierint, & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remiſſionem impendere, ac pœnitentiam ſalutarem injungere, & Euchariſtiæ Sacramentum, etiam in die Paſchatis, & in mortis articulo, ſine tamen Rectoris & proprii Curati præjudicio, miniſtrare, necnon emiſſa per eos vota quæcumque ultramarina, ingreſſus Religionis & caſtitatis votis duntaxat exceptis, niſi de eorum validitate meritò contingeret dubitari, aut quod propter ætatem vel infirmitatem, ſeu conſimilem cauſam, perſona Religioni inhabilis reddatur, aut poſt votum, matrimonium contraxerit; in quibus caſibus etiam commutationem fieri poſſe volumus, cum diſpenſatione, quod matrimonii debitum per eum, qui contra votum contraxerit, reddi poſſit, & illo ſoluto Religionem ingredi minimè teneatur: ſed propterea ad ſecunda vota tranſire non poſſit, & totum quod pro hujuſmodi votorum commutationibus perſolvetur, in opus dictæ fabricæ converti debeat.

Ac cum Simoniæ in Ordinibus vel Beneficiis Eccleſiaſticis commiſſa labe pollutis, ad ipſum opus contribuentibus ſuper irregularitatem, ſi quam cenſuris hujuſmodi ligati, Miſſas & alia Divina Officia, non tamen in contemptum clavium celebrando, aut aliàs in Divinis ſe immiſcendo, ſeu aliàs quomodolibet, etiam Beneficia Eccleſiaſtica præmiſſorum occaſione, vel aliàs indebitè occupando, præterquam ratione Bigamiæ contraxerint: quod verò ad homicidium voluntarium, ſi ſecretum fuerit, citra Altaris Miniſterium in foro conſcientiæ dumtaxat diſpenſare, eosque abſolvere, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam, ſive notam ex iis provenientem abolere; & in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, ac ſi quæſita Beneficia Eccleſiaſtica, quæ ex tunc eis de novo collata cenſeantur, & perceptos in eis fructus etiam ratione omiſſionis horarum Canonicarum & Divinorum Officiorum, facta aliqua compoſitione cum eis concedere; nec non ſuper malè oblatis, incertis, vel per uſurariam pravitatem quæſitis, etiam certis, quæ fœnerator ab alio fœneratore extorſiſſet, & quæ ipſe requiſitus uſuras reſtituere paratus non eſſet, vel alicui privatæ Eccleſiæ deberentur, in quibus tamen Romana Eccleſia de jure communi ſuccedere poſſet: ac etiam bonis, quæ ad alicujus manus perveniſſent; & illa habentes, quibus reſtitui deberent, ignoraverint vel dubitaverint, tanquam malè oblata per eos non exiſtant, ſeu illa ad eos pervenerint: & ſimiliter de iis, quæ pauperibus & aliis piis locis, ac pro maritandis puellis, & celebrandis Miſſis, & aliis Divinis Officiis in genere, absque ulla ſpeciali determinatione, & propriis nominibus perſonarum non expreſſis, relicta forent, tam pro præterito, quam pro futuro temporibus componere, ita ut ſolutâ aliquâ quantitate pro dictâ fabricâ, ejuſdem Nuntio & Commiſſario, ſeu Deputandis vel Subdelegandis ab eo duntaxat in capſis ipſis ponenda, à reliquorum ſic relictorum & malè oblatorum, ac per uſurariam pravitatem extortorum, ſeu quæ ad eos aliàs pervenerint, & cui ea reſtituere debeant, dubitent vel ignorent, ut præfertur, reſtitutione hujuſmodi abſoluti exiſtant, & ultrà minimè reſtituere teneantur, eis concedere; ac illa, quæ ante publicationem litterarum ipſius Julii Prædeceſſoris hujuſmodi Indulgentiarum inexacta; etiamſi illa Ordinariis pro ipſis tamen incertis quomodolibet relicta, donata, & quæ eis quovis modo obvenerint, nec non quæ ab ipſis Ordinariis, vel eorum nomine, poſt ipſam publicationem exacta, & eis quoque modo ſoluta, ac etiam quæ ante ipſam publicationem, pro ipſis certis aut incertis perſonis & locis non debeantur, ſed poſt publicationem prædictam deberi cœperint, etiamſi ea Ordinariis, ut præmittitur, relicta, donata aut obventa, tanquam eis indebita, per ipſum Commiſſarium, & Delegandos, & Subdelegandos, ab ipſo nomine dictæ fabricæ liberè exigi, ac repeti & aſſequi poſſe ac debere, etiam Cenſuris Eccleſiaſticis, ac pœnis pecuniariis, aliisque juris remediis opportunis, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

Ac quoſcunque, qui ante ætatem legitimam ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, absque alia diſpenſatione ſe promoveri fecerunt, & in ſuſceptis Ordinibus etiam miniſtrarunt, ac eos, qui ex quavis licita & illicita cognatione, proveniente affinitate, conſanguinitate, aut cognatione carnali vel ſpirituali inter levatum & levantem, excepto ſimplici aut multiplici gradu, ac quoſcunque publicæ honeſtatis, juſtitiæ impedimento, ſeu aliàs quomodolibet impediti matrimonium, ſcienter vel ignoranter, in quarto vel tertio conſanguinitatis & affinitatis, ac per copulam fornicariam, non tamen publicam, etiam in primo conſanguinitatis gradu contraxiſſent, & carnali copulâ conſummaſſent, ſi impedimentum hujuſmodi in judicium deductum non fuerit, vel ſcandalum generare non poſſet.

Ac etiam illos, qui in quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu ſimiliter contraxiſſent, & carnali copulâ non conſummaſſent, ab exceſſu hujuſmodi ac excommunicationis ſententiâ, quam propterea incurriſſent, injunctâ indè eis pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari, quæ ad fabricam hujuſmodi dirigatur, & quod de cætero talia non committant, nec committentibus præſtare auxilium, conſilium vel favorem, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, abſolvere; & ut de novo invicem matrimonium contrahere, & in illo ſic contracto ſimiliter remanere, liberè & licitè valeant, prolem ſuſceptam ex hujuſmodi matrimonio, ſi qua ſit, & ſuſcipiendam legitimam decernendo in foro conſcientiæ dumtaxat, quoad alios, quam quoad illos, qui in tertio vel quarto conſanguinitatis, aut quarto affinitatis gradu exiſtentes, matrimonium contraxerunt, ut præfertur, quos in utroque foro abſolvi, & ma-

trimonium

trimonium de novo etiam publicè contrahere possint, dispensare posse volumus, ac eidem Cardinali, & quibus ipse vices suas, quoad hoc specialiter commiserit, licet in quarto consanguinitatis & affinitatis gradu, ac impedimento publicæ honestatis justitiæ, de contrahendo dispensare.

Et cum eisdem promotis super irregularitate, quam etiam in dictis Ordinibus ministrando contraxerint, quodque in dictis Ordinibus ministrare possint; ac etiam cum his, qui arctati sunt, & vigesimum tertium suæ ætatis annum attigerunt, ut ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri, & in Altaris Ministerio ministrare possint, dispensare: ac cum quibuscumque, qui Bona Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ecclesiasticorum Beneficiorum quorumlibet habentes, & judicialiter deficientibus probationibus ad illorum restitutionem compelli non possent, etiamsi per eos probari posset, & bona omnia ac quæcunque legata, & aliàs quomodolibet, etiam hæreditatis titulo, pro malè oblatorum restitutione relicta, hactenus & quæ relinqui ac largiri contigerit in futurum durante Deputatione Nuntii & Commissarii per præsentes facta: & quibuscumque Testamentis, Donationibus causâ Mortis, Codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, per quoscunque & ubicumque factis, & quæ durante hujusmodi Deputatione fient, quibuscumque in certis Ecclesiis, & piis locis aut personis, similiter incertis & absentibus, taliter quod propter ipsorum absentiam merito ab his notitia haberi non posset, ac etiam quæ restitutioni subjacerent, sed in eis, vel ad ea personis, quibus illa fieri deberent, receptio non competeret. Necnon quæcunque in Testamentis, Donationibus causâ Mortis, Codicillis, aut aliis ultimis voluntatibus, pro redemptione captivorum, etiamsi B. Mariæ de Mercede, & S. Trinitatis redemptionis captivorum Ordinibus, & S. Eulaliæ Barcinonensis relicta fuerint, ac hæreditates & bona decedentium ab intestato Clericorum & Laicorum, legitimum non habentium hæredem, etiamsi indulto Apostolico, aut aliàs ad redemptionem prædictam captivorum dedicata pertinere deberent: necnon omnes & singulas pecunias, & res alias, quæ in prandiis & conviviis, ac publicis spectaculis, in aliquibus celebritatibus ex voto, Statuto, seu consuetudine, in quibusvis locis exponi consueverint, facultate Nuntii & Commissarii hujusmodi durante, exponi deberent, ad fabricam hujusmodi applicamus; contradictoresque omnes Excommunicationis latæ sententiæ, & quingentorum Ducatorum Auri, pœnis ipso facto subjaceri decernimus: & super restitutionem Bonorum Ecclesiarum, Monasteriorum & Beneficiorum hujusmodi, competenti receptâ portione, vel qualitate pro eis in fabricam hujusmodi convertendâ, ipsos sic ea tenentes, ab ulteriori eorum restitutione liberè absolvere, & quod illa retinere liberè possint, in posterum etiam eis concedere: ipseque Nuntius & Commissarius, & quibus vices suas in genere vel in specie duxerit committendas, possint dubietates quascunque, tam super qualitate personarum, quibus facultas eligendi Confessorem concedi possit, etiamsi comprehendantur communia Civitatum, Universitates Oppidorum, Castrorum, Villarum, & aliorum locorum ac Collegia, quæ & illarum singulares Personæ Universitatum, Castrorum, Villarum & Collegiorum, dummodò non extendatur confessionale ad alias personas, quam tunc expressas tempore concessi confessionalis in Collegiis hujusmodi absolutione à præmissis vel aliquo præmissorum, ac à dispensatione super eis vel aliquo eorum indigerent, quam cætera alia dubia decidere, declarare, & interpretari, ac hi qui sine confessione moriuntur, etiamsi infrà annum fuerint confessi; dummodò in eis signa contritionis in articulo mortis apparuerint, ut in loco sacro sepeliri possint, concedere; & contradictores sententiam Excommunicationis, & quingentorum Ducatorum ipsi fabricæ applicandorum incurrisse, declarare, & summam pecuniariam pro consequenda indulgentia hujusmodi, & aliis præmissis, ac facultatem eligendi Confessorem hujusmodi limitare & taxare, nec non Nobilibus & Presbyteris, ac Graduatis Altare portatile, quod cum debitis honore & reverentia retineant, & super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis, etiam non Sacris, & Ecclesiasticis interdicto generali vel speciali, tam Apostolicâ quam ordinariâ authoritate suppositis, (dummodò causam non dederint hujusmodi interdicto) etiam antequam elucescat dies, circà tamen diurnam lucem in sua ac *suorum Familiarium Domesticorum præsentia, juxtà formam Capituli Alma de Sententiâ Excommunicationis libro sexto*; Missas & alia Divina Officia per se ipsos, qui Presbyteri sunt, aut pro tempore erunt, celebrare, seu per alios Sacerdotes celebrari facere, ac tempore interdicti hujusmodi divinis interesse, ac Eucharistiam & alia Ecclesiastica Sacramenta, sine alicujus præjudicio (præterquam in die Dominicæ Resurrectionis) recipere, & eorumdem Corpora Ecclesiasticæ tradi possint sepulturæ, sine tamen funerali pompa.

Ac ut quadragesimalibus & aliis temporibus prohibitis, ovis, butyro, caseo, & aliis lacticiniis ac carnibus, de utriusque Medici Consilio, uti, frui & vesci, liberè & absque conscientiæ scrupulo, possint & valeant concedere, nec non tempore generalis interdicti, etiam Authoritate Apostolicâ appositi, & unam seu plures Ecclesias pro publicatione dictarum Indulgentiarum aperire, & eam seu eas à dicto Interdicto eximi, & in eis januis apertis Divina celebrari, & corpora defunctorum sepeliri facere, dictis indulgentiis actualiter durantibus: ac quæcunque juramenta in quibusvis Contractibus, Instrumentis & Obligationibus, præterquam in forma Cameræ appositis, ad effectum agendi, dumtaxat relaxare, & ab eis; & à quocunque perjurio, sine tamen tertii præjudicio absolvere, ac quascunque Indulgentias, etiam illas à media Quadragesima usque ad Pascha inclusivè ab Ordinibus Mendicantium publicari solitas, tam à nobis, quam à Prædecessoribus Nostris, & à Sede prædicta, vel ejus auctoritate quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam Nostro Sancti Spiritus in Saria de urbe, Ordinis S. Augustini, & aliis Piis Locis, Universitatibus, Confraternitatibus cujuscunque qualitatis, & ad quemcumque usum, etiam Laicorum & Clericorum, institutis & singularibus personis, etiam plenarias in vita, ac quascumque facultates quibusvis personis cujuscumque Dignitatis, etiam Cardinalatus honore, aut Legationis Officio fungentibus, super præmissis vel aliquo præmissorum hactenùs concessas, (præterquam ratione sustentationis pauperum & miserabilium personarum in Parisiensi & S. Jacobi de Gallicia, ac Portugalliæ Regni Hospitalibus degentium, quas quoad illorum usum in Provinciis, in quibus dicta Hospitalia respectivè sita sunt, secundum Cancellariæ Nostræ morem terminandis, & non in aliquibus aliis locis durare volumus, ac expeditionis contra Turcos & Hæreticos concessis) etiam quascumque clausulas reservativas, adversas revocationes & suspensiones earumdem in se continentes, quando & quoties, & quod tempus Nuntio & Commissario præfato, vel Deputandis & Subdelegandis ab eo videbitur, opportunum: suspendere, quas omnes & singulas nos præsentibus ad dictum beneplacitum nostrum suspendimus, & suspensas fore decernimus & declaramus, prohibentes omninò Questas quascunque illarum occasione fieri solitas, ac mandantes universis & singulis locorum Ordinariis, Abbatibus, & aliis tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus Personis, cujuscunque Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis & Conditionis, vel Præeminentiæ existant, sub Excommunicationis latæ sententiæ, ac quingentorum Ducatorum Auri, fabricæ prædictæ applicandorum, pœnis ipso facto incurrendis, ne publicationem & prædicationem dictarum Nostrarum Indulgentiarum, & suspensiones aliarum hujusmodi

in

in eorum Ecclesiis, Civitatibus, & Diœcesibus, ubi & quoties opus fuerit faciendam impedire, & aliquid prætextu publicationis petere, & etiam à sponte offerentibus recipere & exigere, aut in præmissis & circa ea fraudem aut dolum committere: Neque procurantes hujusmodi Indulgentiarum participes fieri, & sua pia suffragia erogare, ab hujusmodi eorum proposito, in toto vel in parte, directè vel indirectè, tacitè vel expressè retardare, aut per se, vel eorum Vicarios, vel Officiales licentiam faciendi Ecclesias aliquibus Quæstoribus alicujus Ordinis vel Religionis, aut Fraternitatum vel Hospitalium, etiam nostri S. Spiritus in Saxia, aut S. Antonii & aliorum quorumcumque, aut aliis quomodolibet deputatis verbo vel scriptis concedere: Quinimò Quæstores omnes & singulos, quos in eorum jurisdictione sine literis Licentiæ Quæstandi Dicti Commissarii vel Subdelegandorum ab ipso repererint, cum eorum rebus & bonis, quæ dictæ fabricæ applicata esse decernimus, & ad manus dilecti Filii nostri Bernardi S. Mariæ in Portiuncula Diaconi Cardinalis, dictæ fabricæ Præfecti, fideliter deferri mandamus, retinere valeant, nec modo aliquo audeant, aut præsumant, per se vel alium dispensatos, vel absolutos, aut illos, cum quibus præsentium vigore ab ipso Commissario vel Delegandis, aut Subdelegandis prædictis contigerit dispensari vel absolvi, molestare vel impedire, aut pœnas aliquas pro casu, in quo, ut præfertur, dispensatum vel absolutum, tam pro præterito quam pro futuro temporibus fuerit, ex lege Canonicâ, Imperiali, statuto vel consuetudine exigere.

Quæstoribus verò suprà nominatis sub similibus pœnis inhibemus, ne quæstas modo aliquo facere præsumant, nec bona ipsorum per præfatum Commissarium aut Delegatos, & Subdelegandos prædictos, etiam vigore aliarum litterarum præfati Julii Prædecessoris, eorum exigentibus demeritis, arrestata, applicata, & pro dicta fabrica vendicata, sibi modo aliquo vindicare, vel ab emptoribus, vel decontoribus, ac Commissario, delegatis vel subdelegandis prædictis repetere; ac sub similibus sententiâ & pœnâ mandamus quibuscumque Prædicatoribus verbi Dei, quorumcumque Ordinum etiam Mendicantium, ut requisiti à præfato Commissario vel delegatis seu subdelegandis ab eo, præfatos Christi Fideles ad contribuendum dictæ fabricæ exhortent, & à præmissis Commissario vel delegandis præfatis admoniti à prædicationibus (diebus, quibus dictæ indulgentiæ ac suspensiones ab ipsis, vel de ipsorum commissione publicantur) penitùs abstineant, liceatque nihilominùs Commissario & Subdelegandis prædictis præmissa omnia & singula, etiam omnibus & singulis prædictis, sub eisdem pœnis, toties quoties eis, vel eorum alicui visum fuerit opportunum, mandare & injungere, nec non juramenta quæcumque à quibusvis Laicis, utriusque sexûs de stando in aliqua Societate, Fraternitate vel numero personarum, & de solvendo ratam aliquam in perpetuum vel ad tempus occasione Fraternitatis, Societatis vel numeri, ratione dictarum indulgentiarum, privilegiorum, & quæstorum quomodolibet præstita, relaxare, & eosdem ab illis absolvere; Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per censuram Ecclesiasticam, & alia juris opportuna remedia, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis, compescere & compellere, ac Processiones publicè ad effectum præmissum fieri, & populum ac religiosos omnes cujuscumque Ordinis, etiam exemptos, pro hujusmodi operibus peragendis ad sonum Campanæ convocari facere, dictique congregati teneantur, sub pœna excommunicationis præcedere, relicto digniori loco deputatis, & subdelegatis, ad ipsas indulgentias exequendas, & à censuris & pœnis prædictis, satisfactione prævià, absolvere, & illa remittere, ac suspensiones hujusmodi indulgentiarum relaxare.

Quodque etiam Transsumptis & Confessionalibus, in dictis Provinciis, Insulis, & finibus, à quibusvis personis per præfatum Nuntium & Commissarium, vel deputandos vel subdelegandos, ab eo subscriptis, & suo Sigillo dumtaxat munitis, fides adhibeatur, autoritate Apostolicâ, tenore præsentium, licentiam & facultatem concedimus, atque volumus & mandamus. Et ut animarum salus eò potiùs procuretur, quo magis aliorum egent suffragiis, & quominùs sibi ipsis proficere valeant; autoritate præfata de Thesauro S. Matris Ecclesiæ, animabus in purgatorio existentibus, quæ per charitatem Christo unitæ ab hac Luce decesserunt; & quæ dum viverent, sibi ut hujusmodi indulgentia suffragaretur, meruerunt.

Paterno compatientes affectu, quantum cum Deo possumus, succurrere cupientes, de divina misericordia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, volumus & concedimus, ut si qui parentes, amici, aut cæteri Christi Fideles pietate commoti, pro ipsis animabus in purgatorio, pro expiatione pœnarum, eisdem secundum divinam justitiam debitarum, detentis; durante Commissione Nuntii & Commissarii ad opus fabricæ hujusmodi, aliquam eleemosynam (juxta Nuntii & Commissarii ac deputandorum & subdelegandorum ab eo, quibus vices suas commiserit, ordinationem) erogaverint, ipsa plenissima indulgentia per modum suffragii ipsis animabus in purgatorio existentibus, pro quibus dictas eleemosynas piè erogaverint, ut præfertur, per pœnarum relaxationem suffragetur: ac omnes & singuli Christi Fideles utriusque sexus, tam Ecclesiastici quam Regulares & Sæculares, de simili potestatis plenitudine & liberalitate, qui manus adjutrices ad opus fabricæ hujusmodi porrexerint, ac omnes & singuli eorumdem parentes defuncti, benefactores, qui cum charitate decesserunt, in omnibus precibus, suffragiis, eleemosynis, jejuniis, Orationibus, Missis, horis Canonicis, Disciplinis, peregrinationibus, & cæteris operibus bonis, quæ fiunt & fieri poterunt, in tota universali Sacrosancta Ecclesia militante, & omnibus membris ejusdem, participes in perpetuum fiant, non obstantibus præmissis Constitutionibus, *& Ordinationibus* Apostolicis, nec non privilegiis & indultis, etiam *mare Magnum* nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque personis in genere vel in specie, *sub quibusvis verborum formis & Clausulis, etiam in similibus, motu proprio, & ex certa scientiâ ac de Apostolicæ potestatis plenitudine*, forsan concessis: Quibus (etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de ipsis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales id importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat specialiter & expressè de simili nostra scientiâ, & potestatis plenitudine derogamus, cuiquam volumus nullatenus suffragari; cæterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus vel eorum Ordinibus ab eadem Sede indultum existat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem: Verum quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca quæ expediens fuerit, deferre, volumus etiam & dicta auctoritate decrevimus, quòd illarum transsumptis, unius vel duorum publicorum Notariorum manu subscriptis, & ipsius Nuntii & Commissarii, vel delegandorum & subdelegandorum ab eo, vel alicujus Prælati, vel personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, Sigillo munitis, ea prorsus fides indubia adhibeatur, quæ præsentibus nostris litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Quodque in pecuniis, occasione Indulgentiarum hujusmodi provenientibus, fraudem ullam facientes excommunicationis sententiæ, & illi ipsi Commissario, vel delegandis aut subdelegandis ab eo, aut eorum Ordini, modo aliquo in præmissis, vel eorum occasione detrahentes, aut asserentes, eosdem dictas Indulgentias & facultates emisse, vel super eis nobiscum, vel cum aliquo alio convenisse, & composuisse, cum ut filii obedientiæ gratuitam operam, & labores jussi à nobis in favorem dictæ fabricæ impendant, ipso facto subjaceant; à qua ab alio quàm à nobis vel Commissario prædicto, & particulariter ad hoc ab ipso deputandis, & prævià satisfactione, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint; præsentibus post dictum annum & beneplacitum nostrum minimè valituris.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostri Facti, Constitutionis, Deputationis, Applicationis, Suspensionis, declarationis, prohibitionis, inhibitionis, mandati, concessionis, derogationis, voluntatis, & decreti infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo decimo septimo, 18. Kal. Octobris, Pontificatus nostri, anno quinto.

Ja. Sadoletus.

Cyprianus.

„*Quibus quidem litteris diligenter inspectis, pro* „*parte Reverendissimi Patris & Domini, Domini* „Christophori de Forlivio, *tituli S. Mariæ in arâ* „*Cœli Presbyteri Cardinalis, ac totius Ordinis Mi-* „*norum Regularis observantiæ Ministri Generalis,* „*Indulgentiarum prædictarum in 25. Provinciis* „*(ut in dictis litteris continetur) Commissarii instan-* „*ter requisiti, per Notarium nostrum infrascriptum* „*cum ipsis originalibus litteris concordari mandavi-* „*mus, & fecimus, quibus omnibus & singulis no-* „*strum interposuimus Decretum, & ad ampliorem* „*evidentiam præmissorum, Sigillum nostrum in simi-* „*libus consuetum præsentibus duximus apponen-* „*dum. Actum Mediolani, in Domo Residentiæ* „*nostræ, die undecima mensis Januarii,* 1518. „*Pontificatus præfati Sanctissimi Domini nostri* „*Papæ anno quinto. Præsentibus ibidem Venera-* „*bilibus viris Dominis, Fredulo Maynardo, Cano-* „*nico Ceseratensi & Presbytero, Joanne Quirico* „*de Ferrariis, Canonico Collegiatæ Ecclesiæ S. Am-* „*brosii de Viglevano, Novariensis Diœcesis, testi-* „*bus ad præmissa vocatis, habitis atque rogatis.* „*Transsumpti author erat Baptista Bagarottius Episcopus Bobiensis, & Comes Scriptor, & Nota-* „*rius Joannes Thomas de Cavallis, Mediolani &* „*Imperialis Notarius.*

X. Ex Archiv. Angliæ Rimer. Tom. 13.

Concedit Cardinali Eboracensi Administrationem Episcopatus Tornacensis, tum in spiritualibus, tum in temporalibus: anno 1517.

LEO EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX supernæ providentia Majestatis Universi Gregis Dominici, & singularum Ecclesiarum (præsertim Cathedrâ insignium) Curam gerentes, ad ea libenter intendimus, per quæ nostræ provisionis ministerio seditionum, & scandalorum, inter Fideles quoslibet imminentium, amoveatur occasio, & dictarum Ecclesiarum occurratur dispendiis, nec non Catholicorum Regum (in quorum temporali dominio Ecclesiæ ipsæ consistunt) justis querelis opportunis remediis valeat obviari. Dudum siquidem cum accepissemus, quòd dilectus Filius Ludovicus electus Tornacensis, quem nos pridem Ecclesiæ Tornacensi, tunc ex eo, quòd Bonæ memoriæ Carolus Episcopus Tornacensis, tunc in humanis agens, Regimini, & administrationi illius Ecclesiæ Tornacensis, cui tunc præerat, in manibus nostris spontè, & liberè cesserat, nosque cessionem ipsam duxeramus admittendam, usque ad certum tunc expressum tempus, Administratorem in Spiritualibus, & Temporalibus, de Fratrum nostrorum Consilio, deputaveramus, & de cujus deinde Persona eidem Ecclesiæ provideramus, præficiendo eum illi in Episcopum, & Pastorem, Curamque, & Administrationem illius sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, Ecclesiam prædictam Populo insignem pro deserta, & derelicta habente, ne ipsa Ecclesia, Pastoris interim regimine destituta, in spiritualibus, & temporalibus gravia dispendia pateretur, te, tunc electum Lincolniensem Ecclesiæ prædictæ in spiritualibus, & temporalibus Administratorem, quoad viveres, per quasdam primò de Fratrum nostrorum Consilio Apostolicâ auctoritate constituimus, & deputavimus: & mox quum ab aliquibus revocaretur in dubium, an posteriores Constitutio, & Deputatio hujusmodi per translationem tui de Ecclesia Lincolniensi ad Ecclesiam Eboracensem per nos factam cessarent, per aliàs nostras in formâ Brevis confectas declaravimus, Constitutiones & Deputationes, per translationem prædictam, vel etiam Regiminis, & Administrationis præfatæ Ecclesiæ Eboracensis Possessionis, vel quasi assecutionem non expirasse: Successivè verò per nos accepto, quòd præfatus Ludovicus, Deputationis, & Provisionis de persona sua, ut præmittitur, factarum vigore Regiminis, & Administrationis, ac Bonorum dictæ Ecclesiæ Tornacensis, seu majoris partis eorum possessionem vel quasi assecutus fuerat, & ipsam possessionem pacificè continuaverat, donec Civitas Tornacensis, ad carissimi in Christo Filii nostri Henrici Anglorum Regis illustris manus devenerat, quo tempore, Bello inter eundem Henricum, & claræ memoriæ Ludovicum Francorum Reges vigente, dictus Ludovicus electus jure, quòd sibi in dicta Ecclesia Tornacensi competebat, frustraretur, & ex aliis causis tunc expressis, Constitutionem, & Deputationem de Persona tua in ipsius Ecclesiæ Tornacensis Administratorem per nos sic factas, auctoritate Apostolicâ per nostras litteras revocavimus, & eidem Ludovico electo, quod possessione Ecclesiæ Tornacensis, & Bonorum illius pacificè frui, & gaudere deberet, indulsimus, monuimusque dilectos Filios, Capitulum Ecclesiæ Tornacensis prædictæ, Clerumque, & Populum dictæ Civitatis, & Tornacensis Diœcesis, & eorum singulares, ac alias Personas, etiam Religiosas exemptas, & non exemptas, dictæque Ecclesiæ Tornacensis Vasallos, & Laboratores, Feudatarios, & Emphyteotas, ac fructuum, redditUum, & proventuum Mensæ Episcopalis Tornacensis Arrendatarios, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, & præeminentiæ Ecclesiasticæ vel mundanæ forent, etiamsi Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, seu quâvis alia Ecclesiasticâ, vel mundanâ dignitate fulgerent, in Virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub gravissimis censuris, & pœnis tunc expressis, districtè eis præcepimus, ut dicto Ludovico Electo, tanquam eorum Animarum Patri, & Pastori obedirent, eique de dictæ Mensæ fructibus, redditibus, & proventibus integrè responderent, & alia facerent, certis desuper executoribus, qui ad censurarum, & pœnarum hujusmodi incursus declarationem procederent, & alia eis per nos tum commissa exequerentur, desuper deputatis, prout in singulis litteris prædictis pleniùs continetur.

Et deinde cùm præfatus Henricus Rex, & tu,

à revo-

à revocatione, monitorio, & mandato prædictis, quamprimum illorum habuistis notitiam, ad nos & Sedem Apostolicam coram certis honestis Personis appellavissetis; Nos appellationis hujusmodi, ac nullitatis dictarum posteriorum litterarum, & illarum prætextu, vel etiam alias post, & contra appellationem hujusmodi gestorum causas, ad vestri instantiam, Venerabili Fratri Francisco Episcopo Albanensi, & dilecto Filio nostris Achilli tituli Sancti Sixti Presbytero Cardinali, audiendas commisimus, & fine debito terminandas.

Nuper autem dictus Henricus Rex nobis per suas litteras, & ejus nomine Venerabilis Frater noster Sylvester Episcopus Wigorniensis, pro eodem Henrico Rege ad nos, & Sedem prædictam destinatus Orator, significarunt, dicti Henrici Regis pro suo, & ejusdem Civitatis tranquillo statu (cùm Civitas ipsa in confinibus consistit) maximopere interesse, ut præfato Ludovico Electo, qui sui erga ipsum Henricum Regem infesti animi conscius, Homagium Dominis temporalibus dictæ Civitatis per illius Ecclesiæ Antistites præstari solitum, præfato Henrico Regi nunquam præstitit, & quem idem Henricus Rex sibi, & rebus suis vehementer habet suspectum, Regimen, & Administratio dictæ Ecclesiæ Tornacensis (ne sub illorum Clypeo contra eum sinistri aliquid machinetur) interdicantur, illaque alteri Personæ idoneæ, dicto Henrico Regi non suspectæ committantur, & nisi hæc fiant, formidandum esse, ne brevi temporis spatio aliqua suscitetur in dicta Civitate seditio, quæ perniciosos, & inevitabiles tunc producat effectus.

Nos considerantes, præfato Ludovico electo non expedire in ea Civitate degere, cujus Domino temporali adeo est suspectus, nec præfatæ Ecclesiæ Tornacensi utiliter consuli, si ejus regimen, & administratio per illius exerceantur Vicarios, qui ad Ecclesiam ipsam se conferre, ac Clerum ac Populum suæ Curæ creditos personaliter visitare securè non possit, volentesque ad seditiones, & Populorum scandala evitandum, & ne Ecclesia ipsa aliqua interim in spiritualibus, & temporalibus detrimenta sustineat, opportunum adhibere remedium, ac sperantes, quod tu, qui alias Ecclesiæ Tornacensis regimen, & administrationem hujusmodi laudabiliter gessisti, scies, velis, & poteris, auctore Domino, illam rursus feliciter regere, & providè gubernare, motu proprio, non ad tui, vel dicti Henrici Regis, aut cujusvis alterius pro te nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra merâ, & maturâ deliberatione, certa scientia, & potestatis plenitudine, omnes, & singulos, contra quos Executores præfati, vel eorum aliquis, aut subdeputati ab eis, præmissorum occasione censuras forsan fulminarunt, à censuris eisdem harum serie absolvimus, & si dictus Ludovicus Electus infrà quadraginta dies, quorum decem ei pro primo, & decem pro secundo, & decem pro tertio, & peremptorio termino, ac Canonicâ monitione, nec non reliquos decem dies hujusmodi ad ipsius Ludovici Electi, si in hoc defecerit, contumaciam magis convincendam, ex superabundanti cautela assignamus, Præsentium, seu earum autentici transsumpti, publici Notarii subscriptione, & alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, vel Personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, Sigilli impressione muniti, in dictæ Tornacensis, & Cameracensis Ecclesiarum valvis affixionem faciendam (quam vim validæ, & efficacis cautionis, perindè ac si ipse Ludovicus Electus, ad hoc personaliter vocatus & apprehensus foret, obtinere decernimus) coram dictis Francisco Episcopo, & Achille Presbytero Cardinalibus, se Homagium prædictum, & juramentum fidelitatis, secundum consuetudinem à Prædecessoribus suis inviolabiliter observatam, dicto Henrico Regi præstitisse, seque eidem Henrico Regi fidum, & omni contrà eum, & ejus Statum infidelitatis suspitione carentem legitimè non docuerit, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, quâvis appellatione omninò remotâ, auctoritate Apostolicâ te dictæ Ecclesiæ Tornacensis Administratorem in spiritualibus, & temporalibus usque in finem hujusmodi litis deputamus, teque quoad administrationem eandem, & nostras super illa confectas litteras cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, in eum quo ante revocationem prædictam quomodolibet existebas, & existere poteras, statum restituimus, reponimus, & plenariè reintegramus.

Decernentes ex nunc irritum & inane, quicquid secùs super his à quoquam quâvis etiam auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Et nihilominùs tibi Singulares Capituli, Cleri, & Populi prædictorum, & aliàs Personas etiam Religiosas, exemptas, & non exemptas, dictæque Ecclesiæ Tornacensi Feudatarios, Emphyteotas, Colonos, Vasallos, & alios supradictos, etiamsi qualificati, ut præfertur, existant, ad tibi, dicta tua administratione durante, obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas exhibendum, & tibi de fructibus, redditibus, & proventibus, & aliis juribus dictæ Mensæ à se debitis respectivè, integrè respondendum, per censuras Ecclesiasticas, & pecuniarias pœnas, & alia quævis opportuna remedia, etiam dicta appellatione postpositâ, compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Secularis, facultatem concedimus per præsentes.

Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, de Personis extrà earum Civitates, vel Diœceses, nisi in Casibus ibi exceptis, & in illis ultrà unam, & Concilii generalis ultrà duas dies ad Judicium non vocandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in aliis nostris, per quas te olim dictæ Ecclesiæ Tornacensis Administratorem constituimus, litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, assignationis, decreti, restitutionis, repositionis, reintegrationis, & concessionis infringere &c.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo decimo septimo, quinto decimo, Kal. Maji Pontificatus nostri, anno quinto.

Jac. Sadoletus.

Pro Cardinali Eboracensi, Bulla Decimarum Registrata apud me, Bembum: anno 1517. XI. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 13.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero, Cardinali Eboracensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Ad præclara virtutum munera, quibus illorum Largitor Altissimus personam tuam multipliciter decoravit, nostræ dirigentes considerationis intuitum, & attentè prospicientes, quod tu Romanam Ecclesiam, cujus honorabile membrum existis; tuorum honores plenius magnitudine meritorum, spem nobis pollicentur indubiam, quòd ea, quæ Circumspectioni tuæ duxerimus committenda, ex doctrina, ac etiam longa rerum gerendarum experientia, quibus etiam te illustratum novimus, ad nostrum, & Sanctæ Sedis Apostolicæ statum atque honorem pertinentia, omni studio, & sollicitudine prudenter exequeris.

Hac itaque fiduciâ moti considerantes, si Sedes Apostolica promotis ad Cathedralium Ecclesiarum regimina, pro necessariis expensis in sua hujusmodi promotione faciendis, facultatem concedere

consuevit, ut ab omnibus Personis Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus, Beneficia Ecclesiastica in eorum Civitatibus & Diœcesibus obtinentibus, caritativum subsidium, pro oneribus promotionis hujusmodi faciliùs supportandis, petere & exigere possint, quanto magis nobis videtur honestum pro nostrorum ac Ecclesiæ Sponsæ nostræ jurium defensione & tuitione, subsidia & auxilia ab Archiepiscopis & Episcopis, qui dum munus Consecrationis eis impenderetur, fidelitatis debitæ solito per eos præstito juramento, inter alia promiserunt defendere Romanum Papatum, quantum eorum Ordini conveniret, ab eis & aliis Prælatis & Beneficiatis, in tam magna imminente necessitate implorare, prout charissimo in Christo Filio nostro Henrico Angliæ Regi illustri, necnon eidem Circumspectioni tuæ, ac venerabilibus Fratribus nostris Cantuariensi, nostro & Apostolicæ Sedis Legato nato, & aliis Archiepiscopis & Episcopis dicti Regni, per alias nostras latiùs significamus. Speramusque, & omninò exspectamus, ut, cum intellexerint, tam grandem nobis, & eidem Ecclesiæ, Sponsæ nostræ, injuriam illatam, eos tanquam veros Fratres nostros, & hujus Sanctæ Sedis honoris cupidos non minori molestiâ, quam nos ex ea affici debere, illamque non minus eis, quam nobis inferri affirmaturos, ipsamque injuriam non solum ejùsmodi subsidio, sed etiam proprio sanguine vindicare posse ultrò desideramus, nobis procul dubio promittimus, nec dubitamus, eos auxilia prompta & larga spontè præstituros, præsertim ejusdem Henrici Regis, qui, & claræ memoriæ ejus Genitores & Prædecessores hujus Sanctæ Sedis, & sedentis in ea boni semper cultores & fautores fuerunt, & tuis efficacissimis exhortationibus quamprimum id effecturos, cum res ipsa celeritate indigeat.

Ea propter Circumspectionem tuam unius integræ Decimæ Collectorem & Exactorem Apostolica Auctoritate, tenore præsentium, facimus, creamus, constituimus & deputamus, tibique hujusmodi integram Decimam eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Administratoribus, Abbatibus, Commendatariis, & Personis aliis in dicto Regno, & aliis locis eidem Regi subjectis consistentibus, etiamsi in hoc, quod non credimus, redderent se difficiles, imponendi, seu Legato, Archiepiscopis & Episcopis præfatis, ut illam suis Cleris, & aliis personis eis subjectis, prout magis tuæ Circumspectioni visum fuerit expedire, imponere valeant licentiam concedendi, licentiam concedimus, & impositam petendi, colligendi & exigendi, ac eis tam in genere, quam nominatim, & in specie, ut illam solvant, sub Excommunicationis latæ sententiæ, & privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos tunc obtentorum, & aliis de quibus tibi videbitur pœnis, etiam pecuniariis, mandandi, ac terminum ad id præfigendi, & præfixum semel & pluries, toties quoties tibi videbitur, prorogandi, ac pro ejusdem Decimæ leviori ac faciliori exactione, unum vel plures, tot, quot tibi videbitur Subcollectores, qui pari quâ Circumspectio tua, per præsentes uteris, facultate fungantur, deputandi, tam generaliter, quam nominatim, & Deputatos amovendi, & alios eorum loco, toties quoties tibi videbitur, subrogandi, necnon Decimam ipsam integram solvere recusantes, vel differentes, & generaliter Contradictores quoslibet, & ne solvatur persuadentes, directè vel indirectè per Censuram Ecclesiasticam, & juris remedia opportuna, appellatione postposita, compescendi, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii sæcularis, solventes verò de solutis quitandi, liberandi, & ab Excommunicationis sententia, aliisque censuris & pœnis, quas dicta occasione quomodolibet incurrissent, absolvendi.

Et generaliter omninò, & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, mandandi & exequendi, plenam & liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

Non obstantibus, si eisdem Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Commendatariis, Administratoribus, Abbatibus, Prioribus, Militibus, & aliis Personis Ecclesiasticis, vel quibusvis aliis, conjunctim vel divisim, ab Apostolica Sede sit indultum, quod ad solutionem alicujus Decimæ minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extrà vel ultrà certa loca ad Judicium evocari non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes de indulto hujusmodi, ejusque toto tenore, ac propriis ipsorum locorum, Ordinum & Personarum nominibus & cognominibus, & quibuscunque Privilegiis, Exemptionibus, extra in Corpore Juris clausis, ac Litteris Apostolicis quibusvis Dignitatibus, seu Ordinibus, stabilimentis, usibus & naturis, & præcipuè Sancti Benedicti, & Sancti Augustini, S. Johannis Hierosolymitani, Cluniacensis, Cisterciensis, Carthusiensis, Camaldulensis, Vallisumbrosæ, Cruciferorum & Humiliatorum, ac ipsorum Universitatibus, generaliter vel specialiter, sub quacunque forma & expressione verborum, ab eadem Sede concessis, mentionemque, etiamsi de eis, eorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum, quoad opportunam eorum, & clausularum in eis contentarum derogatoriarum derogationem, præsentibus habenda esset mentio specialis, eisque ad præmissa illis aliàs in suo robore permanentibus, nolumus quomodolibet suffragari.

Volumus autem, ut juxta ordinationem in Concilio Viennensi super hoc editam, Calices, Libri, & alia Ornamenta Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & piorum Locorum, ejusmodi Divino Cultui dedicata, ex causa pignorum, vel aliàs occasione solutionis dictæ integræ Decimæ, nullatenus capiantur, distrahantur, vel occupentur.

Quodque præsentium Litterarum transumpto, tui, aut alterius Prælati Ecclesiastici Sigillo, & publici Notarii subscriptione munito, eadem prorsus Fides adhibeatur in judicio & extra, quæ adhiberetur ipsis Originalibus Litteris, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostrorum Facti, Creationis, Constitutionis, Deputationis, Concessionis & Voluntatis infringere.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo septimo, nono Kal. Septembris, Pontificatus Nostri anno quinto.

Bembus.

Visa.

Jo. Madrigal.

Super privatione Adriani Cardinalis Bulla pro Cardinali Eboracensi: anno 1518.

XII. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 13.

Registrata penes me Secretarium Evangelista.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ecclesiam Utilitati tunc rectè consulere non ambigimus, cum illarum Regimini Ministros providos & utiles deputamus, per quorum solertiam & providentiam circumspectam Ecclesiæ ipsæ præserventur à noxiis, & continuis, auctore Domino, in spiritualibus & temporalibus proficere valeant incrementis: Dudum siquidem Provisiones Ecclesiarum omnium apud Sedem Apostolicam tunc vacantium, & in antea vacaturarum Ordinationi & Dispositioni nostræ reservavimus; decernentes ex tunc irritum & inane, si secùs super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari.

Et

Et deindè Bathonienſi & Wellenſi Eccleſiis, invicem unitis, ex eo, quod Nos Adrianum de Corneto, tunc tituli Sancti Chryſogoni Presbyterum Cardinalem, qui dictis Eccleſiis præerat, propter hoc ad noſtram præſentiam legitimè evocatum, ſuis culpis & demeritis exigentibus, Cardinalatus honore ac titulo, & prædictis ac quibusvis aliis Eccleſiis, & Beneficiis Eccleſiaſticis per noſtram definitivam ſententiam privavimus, per privationem hujusmodi apud Sedem eandem Paſtoris ſolatio deſtitutis.

Nos cupientes tam eisdem unitis Eccleſiis, de quarum proviſione nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, Reſervatione & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, de Gubernatore utili & idoneo, per quem circumſpectè regi, & ſalubriter dirigi valeant, quàm tibi, ut ſtatum tuum juxta Cardinalatus exigentiam dignitatis decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ac ſperantes, quod tu per datam tibi à Domino providentiam, ac alia multiplicium virtutum dona, quibus circumfultus exiſtis, Eccleſias ipſas unitas ſcies & poteris, auctore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare, Eccleſias ipſas unitas tibi per te, quoad vixeris, etiam unà cum Sanctæ Ceciliæ de Urbe, quæ Titulus tui Cardinalatus exiſtit, ac Eboracenſi, cui præeſſe dinoſceris, aliisque Eccleſiis, Monaſteriis & Beneficiis Eccleſiaſticis, quæ in titulum, vel commendam, aut aliàs obtines, & impoſterum obtinebis, ac penſionibus annuis, quas percipis & percipies in futurum, tenendas, regendas & gubernandas, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium commendamus; curam & adminiſtrationem dictarum unitarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo, firmâ ſpe, fiduciâque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, Eccleſiæ ipſæ unitæ, per tuæ Circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regentur utiliter, & proſperè dirigentur, ac grata in eisdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiant incrementa.

Volumus autem, quod debitis & conſuetis Menſarum Epiſcopalium Bathonienſis & Wellenſis, ſupportatis oneribus, de reſiduis illarum fructibus, redditibus & proventibus diſponere & ordinare liberè & licitè valeas, ſicuti Epiſcopi Bathonienſes & Wellenſes, qui pro tempore fuerunt, de illis diſponere & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt. Alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ipſarum Menſarum tibi penitùs interdictâ.

Quocirca Circumſpectioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus curam & adminiſtrationem prædictas ſic ſollicitè geras, & fideliter proſequaris, quod ipſæ Bathonienſis & Wellenſis unitæ Eccleſiæ Gubernatori provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas; tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis Benedictionem & Gratiam exindè uberiùs conſequi merearis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo decimo octavo, tertio Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Evangeliſta.

Viſa.

Aloyſius pro N.

XIII. Rym. pag. 742. Tom. 13.

Pro Cardinali Eboracenſi, Bulla de poteſtatibus, ſuper lectione Librorum Martini Lutheri: anno 1521.

LEO EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, tituli S. Ceciliæ Presbytero Cardinali Eboracenſi, in Regno Angliæ noſtro, & Apoſtolicæ Sedis Legato, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum ad nihil aliud magis noſtra aſpiret intentio, quàm ut Chriſti fidelium animas noſtrâ diligentiâ Deo lucrifacere poſſimus, libenter circa hoc operam vigilem adhibemus, ut diabolica fraude decepti ad Caulam Dominicarum Ovium revertantur, & ſi qui animorum perverſitate ducti, in eorum damnato propoſito perſeverare maluerint, taliter animadvertatur in illos, ut ſit eorum pœna cæteris in exemplum.

Sanè cum aliàs quidam falſi Fidei cultores quamplures, & varios Errores jamdiu per Concilia, & Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos, utpotè Hæreſim etiam Græcorum & Bohemorum continentes, noviter ſuſcitaſſent, & in inclyta Natione Germanica ſeminaſſent, nos, errorum hujusmodi virus peſtiferum ulteriùs tolerare, ſeu diſſimulare absque Orthodoxæ Fidei injuria non valentes, ac hujusmodi peſti, morboque canceroſo, ne in grege dominico latiùs ſerperet, viam præcludere cupientes, errores ipſos, ut hæreticos & Veritati Catholicæ contrarios, de Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu damnavimus & reprobavimus, ac omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus tam Laicis, quam Clericis, Sæcularibus & Regularibus, per univerſum Orbem, præſertim in Alemania ipſa exiſtentibus, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ, & aliis pœnis, tunc expreſſis, eo ipſo incurrendis, præcepimus & mandavimus, ne præfatos errores, aut eorum aliquos defendere, aut quovis quæſito colore affirmare præſumerent.

Et quia dicti errores, & plures alii in diverſis libellis per Martinum Lutherum Hæreſiarcham compoſitis, continebantur, libellos ipſos, in quocunque idiomate reperiebantur, damnavimus, ac eisdem Chriſti fidelibus mandavimus, ne libellos hujusmodi, errores ipſos continentes, legere, imprimere, publicare ſeu defendere, aut in domibus ſuis, ſive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquomodo præſumerent; quinimmò illos, ſtatim poſt litterarum noſtrarum ſuper his editarum publicationem, ubicunque forent, per Ordinarios, & alios in dictis litteris expreſſos, diligenter quæſitos, publicè & ſolemniter, in præſentia Cleri & populi, ſub pœnis in eisdem litteris expreſſis comburerent, ipſique Martino, ut ab omni prædicatione deſiſteret, juſſimus, alioquin eum, ejusque adhærentes, complices, fautores & receptatores requiſivimus & monuimus, & ſub dictis pœnis diſtrictè præcipiendo eis mandavimus, ut infrà certos dies à præfatis erroribus, eorumque prædicatione & publicatione, ac defenſione omninò deſiſterent, librosque, errores hujusmodi continentes, comburerent, ſeu comburi facerent, ipſique Martino, ut errores ipſos omninò revocaret, ac de revocatione ejusmodi per publica documenta nos certiores faceret, & cùm pleno ſalvoconductu ſibi conceſſo ad nos veniret, ut vera ejus obedientia omnibus cum pleno conſtaret; alioquin eum, ejusque adhærentes, & fautores tanquam notorios, & pertinaces hæreticos fuiſſe & eſſe declaravimus, eosque ut tales condemnavimus, & pro talibus ab omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus haberi volumus, atque mandamus.

Inhibuimus quoque ſub eisdem pœnis eisdem Chriſti fidelibus, ne ejus ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, tanquam ab homine orthodoxæ Fidei inimico edita, legere, prædicare, imprimere, ſeu defendere, aut in domibus, vel aliis locis publicis, vel præfatis tenere, quoquomodo præſumerent, ſed illa comburerent, ipſosque Chriſti fideles ſub dictis pœnis monuimus, ut ipſos hæreticos, declaratos & condemnatos, Mandatis noſtris non obtemperantes, poſt caſum dicti termini evitarent, ac evitari facerent, quantum in eis eſſet, nec cum eis commercium, aut aliquam converſationem, ſeu communicationem haberent, nec eis neceſſaria miniſtrarent.

Et pro majore Martini, ejusque complicium & fautorum, poſt lapſum termini declaratorum hæreticorum hujusmodi confuſione, eisdem Chriſti fide-

libus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, necnon Ecclesiarum Capitulis, ac Personis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, exemptis & non exemptis, ac universis Principibus, Regibus & Imperatorum Electoribus, ac aliis tunc expressis per universum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis, mandavimus, ut ipsi, & eorum quilibet Martinum, complices & fautores hujusmodi personaliter caperent, & captos ad nostram instantiam detinerent, vel saltem eos & eorum quemlibet à suis Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Conventibus, Civitatibus, Dominiis, Castris & Terris omninò expellerent, & loca quæcunque, ad quæ Martinum ipsum, vel aliquem ex prædictis declinare contingeret, quamdiu ibidem permanerent, & triduo post eorum inde Decessum, Ecclesiastico subjecimus interdicto per quasdam, & deindè, per nos accepta, quod licèt in nonnullis Civitatibus & locis dictæ Alemaniæ libri & scripta dicti Martini, juxta Mandata nostra cremati fuissent, tamen ipse Martinus in reprobum sensum datus, non solum errores suos intrà præfixum terminum revocare, & de revocatione hujusmodi nos certiores facere, seu ad nos venire contempserat, sed etiam tanquam Petra scandali, pejora pejoribus contra hanc Sanctam Sedem & Fidem Catholicam scribere, prædicare, & alios ad hoc inducere, ac libros errores prædictos continentes imprimi, & ad diversa Regna, ut alios suo veneno inficeret, & ad gehennam traheret, deferri facere non fuerat veritus, per reliquas nostras litteras Martinum ipsum, & alios qui eum etiam præsidio militari defendere, custodire, & propriis facultatibus, vel aliàs quomodolibet sustentare non verebantur, ac auxilium, consilium, vel favorem ei præstare præsumebant, quorum omnium nomina haberi volumus pro expressis, ac si nominatim exprimerentur, excommunicationis, ac anathematis, necnon maledictionis æternæ, & interdicti, ac in eos & eorum descendentes Dignitatum, Honorum & Bonorum privationis & inhabilitatis ad illa, ac alias sententias, censuras & pœnas, etiam in Hæreticos à Sacris Canonibus inflictas, damnabiliter incidisse declaravimus, prout in singulis literis prædictis pleniùs continetur.

Quum autem libri dicti Martini impressi ad Regnum & Dominia charissimi in Christo Filii nostri Henrici Angliæ Regis illustris, ut accepimus, delati fuerint, nobisque persuadeamus, quod tam Rex ipse, quam Circumspectio tua, quæ in isto Regno Legationis Officio fungitur, dictos libros juxta Mandata nostra comburi facere debeat, prohibuerimusque, ne libri ipsi, errores hujusmodi continentes, à quoquam legerentur, & propterea nonnulli, stimulo conscientiæ ducti, à librorum hujusmodi lectione abstineant, dubitantes Mandatis nostris contravenire, seu censuras in nostris litteris contentas hujusmodi incurrere, mentisque nostræ non fuerit prohibere lectionem dictorum librorum illis, qui eos pia mente legerent, ut errores in illis contentos reprobare & confutare possent, ea propter attestamur, & declaramus, mentis nostræ fuisse & esse, quod omnibus, libros ipsos legere, & ad Laudem Dei, ac Catholicæ Fidei honorem, errores in libris ipsis contentos, reprobare & confutare volentibus, illos legere liceat. Circumspectionique tuæ, ut illis, qui dictos libros ad istud Regnum delatos, ad hoc ut errores in eis contentos, pro nostro & hujus Sanctæ Sedis honore, ac Fidei Catholicæ conservatione, confutare valeant, legere voluerint, eis legendi licentiam concedere, ac libros ipsos, qui ad istud Regnum delati fuerint, juxta Mandata nostra, cremari facere, ac omnibus (exceptis illis, qui pro illorum confutatione eos tenere voluerint) ut illos cremari faciant, mandare auctoritate nostra procures, ac illos, qui præmissorum occasione in hæresim, errores dicti Martini sequendo, prolapsi fuissent, ac ejus fautores, qui ad istud Regnum applicuissent, si errores suos spontè confitendo hæresim abjurare, & ad veram Fidem Catholicam reverti voluerint, aut si libros prædictos, aliâ, quam dicta intentione legendo, censuras ipsas incurrerint, si hoc humiliter petierint, eos ab hujusmodi, & aliis eorum excessibus, etiam Hæresim sapientibus, præstito tamen per eos corporali juramento, quod similia de cætero non committent, nec ea committentibus præstabunt auxilium, consilium vel favorem, necnon ab aliis eorum peccatis quibuscunque, auctoritate nostra semel duntaxat pro quolibet eorum, injuncta etiam eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, absolvendi, nec non eos ad famam, & honores pristinos, abolitâ quavis infamiæ notâ restituendi; contra illos verò, qui in tales errores lapsi fuerint, aut etiam quomodolibet involuti existant, auctoritate nostra, prout juris fuerit, procedendi & puniendi, nec non omnia & singula in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi & exequendi, plenam & liberam auctoritate & tenore præmissis concedimus facultatem.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ottonis & Ottoboni, olim in dicto Regno Angliæ dictæ Sedis Legatorum, ac in provincialibus & synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Pali Portuensi Diœcese, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo primo, quinto decimo Kal. Maji, Pontificatus nostri anno nono.

Gratias agit Pontifex Henrico Angliæ Regi, pro Libro contra Lutherum scripto: anno 1521. XIV. Rymer. p. 758. Tom. 13.

Charissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

His præteritis diebus, cum tuæ Serenitatis Orator, dilectus Filius Johannes Clerke, Capellæ Regiæ Decanus, in Consistorio nostro palàm librum eum nobis obtulisset, quem Serenitas tua contra impiam Martini Lutheri & mentem, & sectam edidit, atque ipse luculentâ, maximéque tempori & loco accommodatâ Oratione, præsentibus etiam pluribus Romanæ Curiæ Prælatis, promptum animum tuum ad nos, Sanctamque Sedem hanc armis pariter, & litteris juvandam exposuisset, summâ animæ lætitiâ fuimus affecti; neque nos solùm, sed omnes Venerabiles Fratres nostri, quasi reputantes non sine permissu divino erupisse adversus Christi Ecclesiam Lutheranam hanc impietatem, ut ipsa majore sua cum gloria talem propugnatorem ac Defensorem sortiri possit.

Visum itaque fuit cunctis, nobisque ita decernentibus ab omnibus est assensum, singularem hanc tuam & virtutem & pietatem aliquo, & amoris nostri, & grati animi monumento esse illustrandam.

Etenim Charissime Fili noster, quia arma sumere, ut Sanctæ Sedis Apostolicæ Status in sua Libertate & Tranquillitate permaneret tutus, magnis sæpe Principibus honori summo fuit, quanto magis arma Spiritus Dei, Cœlestisque Scientiæ capere, ut à Fide Christi tanta labes depellatur, Sacramentáque ea, quibus animarum salus inviolata serventur, & laudem afferre debet, & celebritatem.

Quamquam hæc duo, quæ duximus anteà semper divisa, in te uno maximo Rege præstantissimo fuerunt conjuncta; idem enim tu, & Libertatem Ecclesiasticam tuis armis vindicasti, & tu idem Fidem Christianam Thesauris tuæ & Pietatis & Scientiæ adversus impias hæreses munitam esse voluisti, quorum alterum invictæ & excelsæ animi fortitudinis, alterum piæ & Sanctæ, & veræ mentis

ac

ac Religionis fuit; sed nos, quibus tandem verbis, quô laudum genere, vel hanc pietatem tuam, hanc uberrimam velut ex cœlesti fonte doctrinæ copiam commendabimus? vel tuæ erga nos voluntati, qui nobis ipsis tam nobilem partem Ingenii tui dicasti, Gratias agemus? Superat hoc utrumque non solum verba, sed etiam cogitationes nostras; nec verò de tuis officiis ac meritis tantum possumus animo concipere, quin à re vincamur ipsa.

Qui enim in te amor, quod studium defendendæ Christianæ Fidei? quanta erga nos ipsos Benevolentia? quæ denique operis ipsius gravitas? qui ordo? quanta vis eloquentiæ? ut Sanctum affuisse Spiritum appareat; omnia plena judicii, plena sapientiæ, plena pietatis; in docendo Charitas, in admonendo mansuetudo, in redarguendo veritas; ut si homines sint, qui à te refelluntur, ac non omninò in pessimi Dæmonis potestatem abierunt, tuis scriptis ad sanitatem debeant reduci, si modo ullus relictus est sanitatis locus.

Sunt hæc præclara omninò & admirabilia, quæ quoniam à te, novâ ratione, magnifico munere, Deo Maximo, & huic Sanctæ Sedi elaborata sunt, agimus Majestati tuæ infinitas gratias, *O Fidei Defensor!*

Agit Sedes Apostolica, agunt omnes, qui Christum colunt, & in ejus Fide censentur Christiani, quorum maximis damnis, atque periculis (siquidem nullum majus est, quàm animarum periculum) tuâ hâc insigni & singulari pietate, . . .

Et nos quidem titulum hunc Defensoris Fidei, de eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum assensu, tibi per alias nostras sub plumbo litteras contulimus, ut ex ipsis potuisti cognoscere, sed tu charissime Fili, ita hos honores, quos tibi in præmium tuæ præclarissimæ virtutis, in signum suæ erga te gratæ voluntatis, Sancta Sedes defert Apostolica, & magnos & expetendos esse puta, ut tamen illis longè majora & præstantiora arbitrere tibi in cœlo à Domino & Salvatore nostro parata præmia sunt, cujus causam & Sponsam defendendo omni genere tutelæ, & animum & virtutem tuam adhibuisti, ut dùm hos in terris, quos adeptus es, titulos recensebis, & cœlestia illa cogitabis, tecum ipse recordare, quibus es meritis ista consecutus, talemque te imposterum qualem antea præstes, ac principiis sublimibus & gloriosis pares sint exitus, ipsaque Sedes Apostolica, quæ olim tuis defensa armis, Fides quoque Christiana, quæ nunc Doctrinæ tuæ clypeo adversus sceleratas hæreticorum insanias communita est, sentiant te eundem semper, experianturque tutorem in periculis suis omnibus, ut istam singularem & inenarrabilem gloriam, quam Majestas tua maximis suis operibus jure optimo promerita est, ad extremum usque hujus vitæ diem, & producere possis, & eam in omni posteritate prædicandam relinquere.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die quarta Novembris, millesimo quingentesimo vigesimo primo, Pontificatus nostri anno nono.

Ja. Sadoletus.

HADRIANUS SEXTUS. PONTIFEX CCXXII. ANNO DOMINI MDXXI.

Vide Compendium Vitæ in *Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 622.

I. Bulla pro triennalibus treguis inter Principes Christianos, & pro expeditione contra Turcas: anno 1523.

Ex Arch. Angliæ Rimer. Tom. 13. p. 790.

HADRIANUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Monet nos veritas in Propheta, vigilem Pastorem venientem gladium ex specula prospicere, atque annunciare oportere, alioquin animarum, quæ perierint, exactam rationem ab eo requirendam esse. Hoc potentius cogitantes Romani Pontifices Prædecessores nostri, præsertim ab eo tempore, quo Turcarum effrænata rabies Constantinopolin expugnavit, ac procul intuentes hostilem gladium Christianorum jugulis in dies magis imminentem, ad Christianos omnes, & præsertim Principes, qui juxta Isidorum à Christo Ecclesiam tuendam susceperunt, clamare, ac eos monere non cessarunt, quantum universæ Christianitati periculum atque excidium immineret, nisi mutuarum inter se dissensionum & discordiarum obliti, communi hosti resisterent, atque impetum Christianam Religionem funditus evertere molientis reprimerent. Hactenus tamen malo nostro annunciata calamitas non fuit credita, non fuerunt auditæ ipsorum Pastorum voces, sed utiles eorum admonitiones surdo pertransivere aure Christiani Principes, quorum culpâ, immanissimo Christi hoste invalescente, Christiana Respublica innumeris cladibus ac ruinâ vexata atque afflicta fuit, ac tot jacturas & irreparabilia damna accepit, ut nemo Christi fideles, absque ingenti mærore & lachrymis, ea referre audiréve possit. Quis enim à lachrymis abstineat, audiens Sanctam illam Jerusalem, ac Sacrum Calvariæ montem, salutiferæ Crucis Triumpho inclytum, Sacratissimaque Loca illa, quæ Dominus & Salvator noster JEsus Christus, humana carne vestitus, & Sacri Discipuli ejus incoluere, ab infidelibus Barbaris occupata detineri, nec à nobis ipsum Domini sepulchrum, nisi precio Dominici nominis blasphematoribus persoluto, visitari posse? Quis non piè ingemiscat, animo reputans, Patriarchiales illas Sedes Sanctorum Patrum, suavem odorem adhuc redolentes, spurcissimis Christi hostibus servire, Constantinopolim, Græciæ lumen, & Orientalis Imperii caput, reliquamque Græciam, & magnam Europæ partem, Syriam, Asiam ipsam fere universam, ab infidelibus Turcis, Christianorum Principum culpâ ablata fuisse, miserosque Christianos illuc degentes, nisi Christum abnegare, & Mahumeticæ impietatis, & Sathanæ mancipia fieri velint, dira & crudeli Barbarorum servitute opprimi? Quis, ut antiqua & vetera omittamus, non perterreatur atque exhorrescat, cogitans modernum Turcarum proximo anno Belgradum, quod totius Regni Ungariæ claustrum semper fuit, brevissimo temporis spatio cæpisse? Nuper verò Insulam Rhodum totius Orientalis Maris januam, ab Jerosolimitanis militibus per tot annos defensam, multisque Turcarum cladibus nobilitatam, etsi maximis terrâ, marique copiis obsessam, non usque adeò tamen coarctatam, quin si Christiani Principes inter se juncti, ac potiùs quæ Jesu Christi, quam quæ sua cujusque erant quærentes, maturè succurrissent, & Rhodus ipsa (ut aliàs parvo subsidio memoriâ nostrâ factum fuit,) liberari, & de hostibus victoria cum Dei adjutorio obtineri potuisset, in ditionem ac potestatem suam redegisse, & nunc tot, & tantis rerum successibus elatum, apertè minari, se almam Urbem Romam, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, aliorumque Martyrum sanguine consecratam, in qua Vicarii sui Sedem esse voluit Altissimus, expugnaturum, ejusque sanctissima Templa, ac Sanctorum venerandas Reliquias prophanaturum, demum Christianum omne Imperium, & ipsius Christi Nomen funditus eversurum. Quocirca nos considerantes, quod Salvator noster Dominus JEsus Christus, in Excelsis tenens Imperium, gregis sui tutelam non deserens, Romanum Pontificem in terris Vicarium suum constituit, qui dictum gregem vigilanti curâ protegere, ipsamque Ecclesiam ab omnibus adversis, quantum in se esset, conservare, defendere, ac Reges & Principes ad Imperii fastigia divinâ permissione vocatos contra Barbaras Nationes, Catholicam

Fidem

fidem opprimere conantes, potissimum inducere atque animare debeat, animoque revolventes nostri Officii esse, his præsertim difficillimis & calamitosis temporibus, inter ipsos Christianos Reges & Principes mutuis, inter se discordiis & dissensionibus divisos, pacem, quam Christus in Cœlum ascensurus tanquam munus hæreditarium Discipulis suis reliquit, seminare, memoresque nos postquam de nostra ad Summi Apostolatus apicem assumptione, in longinquis Hispaniararum partibus positi, certiores facti fuimus, antequam ad hanc urbem nostram iter arriperemus, Reges, Principes & Potentatus Christianos, Litteris ac Nuntiis ad hoc unum destinatis, ad perpetuam inter se pacem, & concordiam, vel saltem annorum aliquot inducias quam instantissimè hortatos fuisse, eosque admonuisse, nullum aliud rebus nostris remedium contra formidandam Turcarum potentiam superesse, quàm si illi, inter se reconciliati & uniti, conjunctis Viribus perfidorum Hostium Consilia præverterent. Et postquam, Deo favente, ad urbem ipsam appulimus, nihil ardentiori studio & conatu procurasse, quàm concordiam seu inducias hujusmodi, & tamen ob quorumdam dictorum Principum, heu! nimis inveterata inter se odia hujusmodi instantiam nostram perparum profecisse, ut Regibus, Principibus, Potentatibus, ac aliis præfatis nulli excusationi locus ultra relinquatur, omnesque intelligant, nos nihil quòd ad Pastorale officium attinet obmisisse, cogimur, ex quo humana admonitio, atque auctoritas, uti experientia docuit, ad præmissa frustra tentata est, Annorum aliquot inducias seu Treugas inter ipsos Reges, Principes, ac Potentatus, sub Ecclesiasticis censuris & pœnis, divina auctoritate, quâ JEsu Christi in terris Vicarium, licèt immeriti agentes fungimur, indicere, ut, si non Zelo Fidei ac Religionis ipsius Christi, cujus causa agitur, saltem divini Judicii metu ad cor redeant, & privatis affectibus publica commoda anteponant. Habita igitur super his cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione ac diligentissimo examine, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, atque ad revocandam, saltem ad tempus, hæreditatem Domini ad pacem, scilicet, atque concordiam, à Christianis finibus, tamdiu nostris demeritis exulantem, atque ut tandem sancta & pernecessaria expeditio, universali Christianorum damno & dedecore tamdiu procrastinata, ulteriùs non differatur, quorundam Prædecessorum nostrorum, præsertim Innocentii III. Nicolai V. & aliorum vestigiis inhærentes, triennales Inducias seu Treugas, inter omnes Reges ac Principes, Communitates, Potentatus, Respublicas, cæterosque Christi Fideles Seculares, & Ecclesiasticos, de Omnipotentis Dei, ac præfatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & eâ quæ nobis ex alto concessa est, auctoritate, ac de eorundem Fratrum Consilio & assensu, indicimus, ac eosdem Reges, Principes, Communitates, Potentatus, Respublicas, cæterosque Christi Fideles omnes, præmissas Inducias seu Treugas, sub excommunicationis latæ sententiæ anathematisque, & interdicti Ecclesiastici, in terris & Dominiis eorum omnium & singulorum, pœnis, dicto durante triennio, inviolabiliter servare debere decernimus. Eos nihilominus, in virtute Sanctæ obedientiæ, requirentes, ac per viscera Misericordiæ Domini nostri JEsu Christi, per acerbissimam passionem, quam immaculatus & innocens Agnus, ut nos miseros peccatores ab æterna morte redimeret, pati dignatus est, per Judicium extremum, in quo omnes stabunt ante Tribunal ejus, accepturi, unusquisque secundum opera sua, perque spem vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, paterno affectu obtestantes, ut in unitate & caritate mutua, sine qua nihil Deo acceptum esse potest, perseverantes à mutuis offensionibus abstineant, armaque bellica Christiani contra Christianos, dicto durante triennio, amplius non exerceant. Satis enim superque fraterni Sanguinis per fratres effusum, satis cum gravissima Dei offensa inter vos, Christiani Reges, Principes & Potentatus, sævitum est. Velitis ergò injuriarum, quæ inter vos invicem illatæ atque acceptæ fuerunt, propter Christum Redemptorem vestrum, saltem ad tempus, oblivisci, ut manifestæ ruinæ, nobis & universæ Christianitati ab immanissimis Christi hostibus imminenti, unione & concordia vestra occurrere, unitisque animis & armis hostes ipsos, non tam propriis Viribus suis quam vestris discordiis & dissensionibus confidentes, à vestris & subditorum vestrorum omniumque Christianorum cervicibus repellere, nec non tot Civitatibus, Provinciis, & Regnis nobis ademptis, recuperandis fratribusque vestris, crudelissimo servitutis jugo tamdiu oppressis, opemque vestram sublatis ad cœlum manibus implorantibus, à perfidissimi Turcarum tyranni jugo durissimo eripiendis, viam parare possitis; Date inducias has Deo, à quo tam amplam in terris potestatem accepistis, ut eo vobis hoc pacto placato, potestatem vestram, alioquin, ut certo expectare potestis, vobis auferendam, retinere mereamini; Date denique inducias ipsas Christo Salvatori nostro, qui in ligno crucis tenso Corpore pendens crucifigentibus se pepercit, ac Deum Patrem pro illis etiam rogavit, qui nos de nihilo à se creatos, & per primorum parentum inobedientiam exules Paradisi factos, nullis nostris meritis, sed infinitâ suâ clementiâ precioso suo sanguine redemit, ne si, quòd absit, privatas inimicitias & commoda vestra ejus honori præferentes, tam immensis ejus beneficiis ingratos vos exhibueritis, Sacramque ejus Religionem à perfidissimis hostibus conculcari, & innumerabiles ipsius Christi Sanguine redemptorum animas vel in miserrimam servitutem adduci, vel in exitiale infidelitatis Barathrum præcipitari permiseritis, horrendum & durissimum ipsius, qui terribilis est, & aufert Spiritum Principum, Judicium & in præsenti & in futuro contra vos provocetis. Cæterùm, quia forte, peccatis nostris exigentibus, inimicus humani generis, ubi dictæ Induciæ per vos nostris, immò divinis, his mandatis obedientes acceptatæ fuerint, quas à principio impedire non potuit, temporis successu, perturbare non desinet, licèt eam de prudentia, magnanimitate & constantia vestris in Domino Fiduciam habeamus, ut nullo modo vos ejus malignitati locum daturos arbitremur, tamen propterea Induciæ ipsæ non dissolvantur, dubiorum, si qua super Induciis hujusmodi aut earum dependentibus emergentibus, annexis, vel connexis quoquomodo oriantur, decisionem & declarationem nobis, tanquam summi Pacis Auctoris vices in terris gerentibus, una cum præfatis Fratribus nostris reservamus, ipsis Induciis nihilominùs juxta præsentium litterarum tenorem in suo robore permansuris: Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, decreti, requisitionis, obtestationis & reservationis infringere.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio, Pridie Calendas Maji, Pontificatus nostri anno primo.

CLEMENS SEPTIMUS.
PONTIFEX CCXXIII.
ANNO DOMINI MDXXIII.

Clemens ex illustri Medicea Familia Adriano VI. surrogatus est anno 1523. ab Æthiopum Rege per Legatum est salu-

tatus.

tatus. Hac tempestate Româ per Borbonium Ducem expugnatâ, in arce Sancti Angeli Pontifex se inclusit, inde liberatus, dum aufugit, Henricum VIII. Angliæ Regem ob repudiatam Catharinam Austriacam excommunicavit. Obiit anno 1534. Sedis 11. Vitæ 56. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Lux.* 1727. *fol.* 633.)

I. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Bulla quæ Parrochialis Ecclesiæ Disingiaci unionem Mensæ Capitulari Ecclesiæ Gebennensis decernit: an. 1523.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit & convenit æquitati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licèt ejus superveniente obitu litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Leo Papa X. Prædecessor noster omnia beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura apud Sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi & dispositioni suæ reservavit, decernens extunc irritum & inane, si secus super hiis à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari; Cumque postmodum parrochialis Ecclesia Disingiaci Gebennensis Diœcesis, per liberam resignationem dilecti Filii Georgii de Anisio, olim ipsius Ecclesiæ Rectoris, de illa quam tunc obtinebat, per dilectum Filium Johannem Charpillet, Clericum Bisuntinensis Diœcesis, Procuratorem suum, ad id ab eo specialiter constitutum, in manibus dicti Prædecessoris sponte factam & per eundem Prædecessorem admissam, apud Sedem prædictam vacavisset & vacaret tunc, nullusque de illa præter eundem Prædecessorem ea vice disponere potuisset sive posset, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, pro parte dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Gebennensis, eidem Prædecessori exposito, quòd cum infra limites Parrochiæ ipsius Parrochialis Ecclesiæ Sex ex Canonicis præbendatis dictæ Ecclesiæ Gebennensis, fructus Præbendarum suarum seu illarum ratione pro majori parte decimas fructuum, in ipsa Parrochia excrescentium, nec non duas tertias partes omnium oblationum, ac ex sepulturis provenientium obventionum ejusdem Parrochialis Ecclesiæ perciperent, si dicta Parrochialis Ecclesia, ad quam, dum pro tempore vacat, nominatio personæ idoneæ ad Canonicum Ebdomadarium præfatæ Ecclesiæ Gebennensis, pro tempore existentem, præsentatio verò personæ per ipsum Canonicum Ebdomadarium, pro tempore nominatæ, per Episcopum Gebennensem, similiter pro tempore existentem, ad præsentationem hujusmodi instituendæ, ac præfatos Capitulum de antiqua & approbata eatenusque observata consuetudine pertinebat, Mensæ Capitulari ejusdem Ecclesiæ Gebennensis perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex eo profecto contentionibus & controversiis, quæ inter Sex Canonicos præfatos, aut pro eis agentes, ac Rectorem ipsius Parrochialis Ecclesiæ pro tempore existentem, occasione perceptionis decimarum; oblationum & obventionum prædictarum annuatim oriri possent, obviaretur, ac eisdem Capitulo pro oneribus eis pro tempore incumbentibus faciliùs supportandis, de alicujus subventionis auxilio provideretur, ac pro parte Capituli prædictorum asserentium, fructus, redditus & proventus dictæ parrochialis Ecclesiæ, viginti quatuor Ducatorum auri de Camera, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedere, eidem Prædecessori humiliter supplicato, ut dictam Parrochialem Ecclesiam eidem Mensæ perpetuò unire, annectere & incorporare, aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaretur.

Idem Prædecessor, qui dudum inter alia voluerat, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm extimationem prædictam, etiam Beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret, ad partes vocatis quorum interesset, quique ad ea, per quæ Ecclesiarum omnium præsertim Cathedralium insignium, & personarum in illis divinis laudibus insistentium, quieti & commoditati valeret salubriter provideri, solertiæ suæ curas libenter dirigebat, præfatos Capitulum ac illorum singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendorum, absolvens, & absolutos fore censens, nec non fructuum, reddituum & proventuum dictæ Mensæ verum annuum valorem pro expresso habens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub dato, videlicet quarto Cal. Julii, Pontificatus sui anno nono, Parrochialem Ecclesiam prædictam, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscunque persona, seu per similem resignationem dicti Georgii, vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus sponte factam, aut Constitutionem piæ memoriæ Johannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit Execrabilis, vel assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacaret, etiamsi tanto tempore vacavisset, quòd ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipsaque Parrochialis Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter vel aliàs generaliter reservata existeret, & super ea inter aliquos lis, cujus Statum idem Leo Prædecessor haberi voluerat pro expresso, penderet indecisa, dummodo ejus dispositio ad ipsum Leonem Prædecessorem ea vice pertineret, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, eidem Mensæ auctoritate Apostolicâ perpetuo univit, annexuit & incorporavit, ita quòd liceret eisdem Capitulo per se vel alium, vel alios corporalem possessionem Parrochialis Ecclesiæ, juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus & proventus, in suos & Mensæ ac Parrochialis Ecclesiæ prædictarum usus & utilitatem convertere, ac eidem Parrochiali Ecclesiæ, per Presbyterum idoneum, per prædictos Capitulum loci Ordinario præsentandum, & per ipsum Ordinarium ad præsentationem hujusmodi instituendum, ac per eosdem Capitulum, quoties eis videbitur, amovendum, in divinis deservíri, & animarum curam dilectorum Filiorum illius Parrochianorum exerceri facere, Diœcesani loci & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ.

Non obstantibus voluntate sua prædicta, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrariis quibuscunqne, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales, dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrassent, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel aliàs quomodolibet esset processum, quas quidem litteras & processus habitos per eosdem ac inde secuta quæcunque, idem Leo Prædecessor ad dictam parrochialem Ecclesiam voluit non extendi, sed nullum per hoc eis, quoad assecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris Apostolicis genera-

libus vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſterent, per quæ litteris ipſius Leonis Prædeceſſoris, ſi deſuper confectæ fuiſſent, non expreſſa vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeret quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet in eiſdem litteris mentio ſpecialis. Proviſo, quod propter unionem, annexionem & incorporationem prædictas, dicta parrochialis Eccleſia debitis non fraudaretur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligeretur, ſed ejus congruè ſupportarentur onera conſueta, idem enim Leo Prædeceſſor, prout erat, irritum decrevit & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attemptatum forſan erat eatenus, vel impoſterum contingeret attemptari.

Ne autem de abſolutione, unione, annexione, incorporatione & decreto prædictis, pro eo quòd ſuper illis, dicti Leonis Prædeceſſoris ejus ſuperveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, dictique Capitulum illorum fruſtrentur effectu, volumus & dicta auctoritate Apoſtolicâ decernimus, quòd abſolutio, unio, annexio, incorporatio & Decretum Leonis Prædeceſſoris hujuſmodi, perinde à dicta die quarto Cal. Julii ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper illis dicti Leonis Prædeceſſoris litteræ, ſub ejuſdem diei data confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes litteræ ad probandum plenè abſolutionem, unionem, annexionem, incorporationem & Decretum Leonis Prædeceſſoris hujuſmodi ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo, vigeſimo tertio, Sexto Cal. Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

A. Luſeus.

II. Ex Arch. Reipubl. Genev.

Bulla quâ Quæſitores conſtituit, qui in illos inquirant, qui bona ad Eccleſiam Gebennenſem pertinentia occupaſſent, eoſque pro rei natura puniant: anno 1524.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, diverſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus & aliis Perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, nec non Metropolitanorum & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, ac eorundem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Officialibus, ſeu Vicariis in Spiritualibus generalibus ubilibet conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

MIlitanti Eccleſiæ, licèt immeriti, diſponente Domino, præſidentes, circa curam Eccleſiarum & Eccleſiaſticorum beneficiorum omnium ſolertiam reddimus indefeſſam, ſolliciti, ut juxta debitum paſtoralis Officii eorum occurramus diſpendiis & profectibus, divinâ cooperante clementiâ, ſalubriter intendamus; Sanè dilectorum Filiorum Præpoſiti, Cantoris, Sacriſtæ & Capituli, ſingulorumque Canonicorum ac aliarum perſonarum Eccleſiæ Gebennenſis, nec non Vicariorum Capellanorum, etiam habituatorum nuncuparorum, & Beneficiatorum perpetuorum, in eadem conqueſtione accepimus; Quod nonnulli Archiepiſcopi & Epiſcopi, aliique Eccleſiarum Prælati, eorumque Officiales & Vicarii, nec non alii Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ, tam Seculares, quam diverſorum, etiam Mendicantium Ordinum & Militiarum Religioſæ, exemptæ, & non exemptæ, nec non Reges, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites & Laici, eorumque Officiarii, ac communia Civitatum & Univerſitates oppidorum, Caſtrorum, villarum & aliorum locorum, ac aliæ ſingulares perſonæ Civitatis & Diœceſis, ac aliarum partium diverſarum, occuparunt & occupari fecerunt caſtra, villas, oppida, & alia loca, terras, domos, poſſeſſiones, decimas, donationes, jura, jurisdictiones, feuda, dominia, privilegia, exemptiones & indulta, nec non fructus, redditus & proventus, ac alia bona Menſæ Capitularis, nec non Præpoſituræ, Cantoriæ, Sacriſtiæ, ac Canonicatuum & Præbendarum dictæ Eccleſiæ, ac eidem Menſæ unitorum, & nonnullorum aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cùm cura & ſine cura Secularium & diverſorum Ordinum Regularium; Qui dicti Præpoſitus, Cantor, Sacriſta, Canonici, Perſonæ, Vicarii, Capellani, Beneficiati, etiam ex certis diſpenſationibus, & conceſſionibus Apoſtolicis, in titulum & commendam, ac aliàs in prædicta & diverſis aliis Eccleſiis & locis obtinent, & nonnulla alia bona mobilia & immobilia, Spiritualia & Temporalia ad Menſam, nec non Præpoſituram, Cantoriam, Sacriſtiam, Canonicatus, & Præbendas, ac unita & alia beneficia, nec non Præpoſitum, Cantorem, Sacriſtam, Canonicos, Perſonas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos præfatos, tam ratione perſonarum ſuarum quam Præpoſituræ, Cantoriæ, Sacriſtiæ, Canonicatuum & Præbendarum, ac Beneficiorum prædictorum, quàm aliàs communiter vel diviſim pertinentia, & ea detinent indebitè occupata, ſeu ea detinentibus præſtant auxilium, conſilium vel favorem; Nonnulli etiam Civitatum, & Diœceſium ac partium prædictarum, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eiſdem Præpoſito, Cantori, Sacriſtis, Capitulo, Canonicis, Perſonis, Vicariis & Capellanis ac Beneficiatis, ſuper prædictis caſtris, villis, oppidis, & locis aliis, terris, domibus, poſſeſſionibus, legatis, decimis, donationibus, juribus, jurisdictionibus, feudis & dominiis ac fructibus, redditibus & proventibus eorundem, & quibuſdam aliis bonis mobilibus & immobilibus, Spiritualibus & Temporalibus, nec non diverſis penſionibus annuis ſuper certis fructibus, redditibus & proventibus Eccleſiaſticis eis aſſignatis, ac pecuniarum ſummis & rebus aliis eis debitis, illarumque libera perceptione & ſolutione; Nec non privilegiis, exemptionibus & indultis, eis & dictæ Eccleſiæ, tam à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, quàm aliàs ritè à Regibus & aliis Principibus conceſſis, ac aliis rebus ad Menſam, Præpoſituram, Cantoriam, Sacriſtiam, Canonicatus & Præbendas, ac alia Beneficia, nec non Præpoſitum, Cantorem, Sacriſtam, Canonicos, Perſonas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos, communiter vel diviſim, ut præfertur, ſpectantibus, multiplices injurias inferunt & jacturas. Quare dicti Præpoſitus, Cantor, Sacriſta, Capitulum, Canonici, Perſonæ, Vicarii, Capellani, & Beneficiati nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum eis valdè reddatur difficile pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere eis, ſuper hoc paternâ diligentiâ curaremus.

Nos igitur adverſus occupatores, detentores, præſumptores, moleſtatores & injuriatores hujuſmodi, illo volentes præfatis Præpoſito, Cantori, Sacriſtæ, Capitulo, Canonicis, Perſonis, Vicariis, Capellanis, & Beneficiatis, remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum per vel alium ſeu alios, etiamſi ſint ultra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores & Judices, Præpoſito, Cantori, Sacriſtæ, Capitulo, Canonicis & Perſonis

Eccleſiæ

Ecclesiæ hujusmodi, ac in illa Vicariis, Capellanis & Beneficiatis perpetuis, præsentibus & futuris, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos seu eorum aliquem super his ac privilegiis, exemptionibus, & indultis prædictis, nec non quibuslibet aliis bonis & juribus ad Præpositum, Cantorem, Sacristam, Capitulum, Canonicos, Personas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos, nec non Mensam, Præposituram, Cantoriam, Sacristiam, Canonicatus & Præbendas, ac eidem Mensæ unita, & alia per ipsos Præpositum, Cantorem, Sacristam, Canonicos, Personas, Vicarios, Capellanos & Beneficiatos obtenta prædicta, & quæ eos obtinere, ac dictæ Mensæ uniri pro tempore contigerit, Beneficia Ecclesiastica, Secularia & Regularia quæcunque, communiter vel divisim, ut præmittitur, nec non super libera perceptione & solutione pensionum annuarum ac pecuniarum, summarum & rerum aliarum, eis pro tempore reservatarum & debitarum, ab eisdem & quibuslibet aliis indebitè molestari, vel eis gravamina seu Damna, aut jacturas irrogari facere, dictis Præposito, Cantori, Sacristæ, Capitulo, Canonicis, Personis, Vicariis, Capellanis & Beneficiatis, cum ab eis vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis & aliis personis quibuslibet, super restitutione hujusmodi Castrorum, Villarum, Oppidorum & aliorum locorum, terrarum, domorum, possessionum, legatorum, decimorum, donationum, jurium, jurisdictionum, feudorum, dominiorum & bonorum mobilium & immobilium, fructuum quoque, redditium & proventuum, ac aliorum bonorum, nec non pensionum & pecuniarum, summarum & rerum aliarum eis pro tempore debitarum hujusmodi solutione, ac privilegiorum, exemptionum & indultorum prædictorum, nunc & pro tempore eis concessorum, observatione: Nec non de quibuslibet molestiis, injuriis atque Damnis, præsentibus & futuris, in illis videlicet quæ judicialem requirunt indaginem, summariè, simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii, in aliis verò ubi qualitas eorum exegerit justitiæ complementum, occupatores seu detentores, præsumptores & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis extiterint, quandocunque & quotiescunque expedierit, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis, & nihilominus legitimis per vos super his habendis servatis processibus, eos quos censuras & pœnas per vos pro tempore latas incurrisse vobis constiterit, ea incurrisse declaratis, & quoties opus fuerit, etiam iteratis vicibus aggravare curetis. Cæterùm si per summariam informationem per vos super his habendam, etiam quoad loca in quibus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores & injuriatores hujusmodi, ac alios quos præsentes litteræ concernunt, pro tempore morari contigerit, pro monitionibus, requisitionibus, inhibitionibus, ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non pateret accessus: Nos vobis monitiones, requisitiones & citationes ac inhibitiones quaslibet, per edicta publica locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quòd ad ipsorum monitorum, requisitorum, citatorum & inhibitorum notitiam pervenire valeant, faciendi, ac eisdem occupatoribus, detentoribus, præsumptoribus, molestatoribus, injuriatoribus, contradictoribus & rebellibus, ac aliis conversatoribus & judicibus, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam pecuniarum, arbitrio vestra moderandis inhibendi, ac loca, ad quæ eos declinare, & in quibus scienter stare permissi fuerint, Ecclesiastico interdicto subjiciendi, plenam & liberam concedimus earundem tenore præsentium facultatem, ac volumus & Apostolica auctoritate decernimus, quòd Monitiones, Requisitiones, Inhibitiones & Citationes hujusmodi sic factæ perinde ipsos monitos, requisitos, citatos, inhibitos arctent, ac si eis factæ, insinuatæ & intimatæ præsentialiter & personaliter extitissent. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quibus cavetur, ne quis extra suam Civitatem vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam diætam à fine suæ Diœcesis, ad judicium evocetur, seu ne Judices & Conservatores à Sede deputati prædicta, extra Civitatem & Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra unam diætam à fine Diœcesium earundem trahere præsumant, & de duabus diætis in Concilio generali edita, dummodò ultra tres diætas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, seu quod de aliis quàm de manifestis injuriis & violentiis & aliis, quæ judicialem requirunt indaginem, pœnis in eos, si secus egerint, & in id procurantes adjectis, Conservatores se nullatenus intermittant, quam aliis quibuscunque Constitutionibus à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis & Conservatoribus, quàm personis ultra etiam certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quæ possent in hac parte jurisdictioni aut potestati vestræ, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, quodque vos Filii, Canonici, Officiales ac Vicarii de personis, quæ deputari possint Conservatores, non sitis, privilegiisque, Indultis & litteris Apostolicis quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus & piis Locis, Ordinibus, Militibus, Communitatibus, Collegiis, Universitatibus, etiam Studiorum generalium, Civitatibus, Castris, terris & locis, ac personis tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam Episcopali, Archi-Episcopali aut alia majori dignitate seu auctoritate fulgentibus, ac Capitulis & Conventibus, nec non Regibus, Ducibus, & aliis Dominis temporalibus, etiam contra similes Conservatores per modum Statuti perpetui, etiam motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam de non trahendo illis aut eorum subditis, extra eorum loca & dominia, aut coram aliis quam eorum Judicibus & Conservatoribus, etiam vigore sivè prætextu quarumcunque litterarum conservatoriarum, quibusvis personis ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam talibus, quòd illis nullatenùs derogari, aut aliàs præjudicari possit, nisi de eis specialis, specifica, expressa & individua mentio fiat, & aliàs quomodolibet, aut sub quibusvis tenoribus & formis, & cùm quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis concessis & confirmatis, ac in posterum concedendis & confirmandis, quibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia requisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vicè dumtaxat specialiter & expressè derogamus, seu si aliquibus communiter vel divisim à prædicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut extra vel ultra certa loca ad judicium avocari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi & de eorum personis, locis, ordinibus, militiis & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per

quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam vicem jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Cæterum etiam volumus, & dicta Apostolicâ auctoritate decernimus, quòd quilibet vestrûm prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus, quodque à dat. præsentium sic vobis & unicuique vestrûm in præmissis omnibus, & eorum singulis, cœptis & non cœptis, præsentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cœpta fuissent, & jurisdictio vestra & cujuslibet vestrûm de prædictis omnibus & singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimè extitisset, Constitutione prædicta semper Conservatoribus, & aliâ qualibet in contrarium editâ non obstante. Verùm quia difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus de eis fides forsan facienda fuerit, loca deferre, etiam volumus ac eadem auctoritate Apostolicâ decernimus, quòd earum transsumptis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ seu personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, munitis, in judicio & alibi, ubi fuerit opus, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, vigesimo quarto, Pridie Non. Maji, Pontificatus nostri, anno primo.

III. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. XIV. pag. 13.

Henrico VIII. Angliæ Regi titulum Defensoris Fidei confirmat: anno 1524.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, carissimo in Christo Filio nostro Henrico, Angliæ Regi illustri, Fidei Defensori, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Decet nos, Dono Dei Altissimi, in ea positos specula, unde omnium, ac præsertim eorum, qui Principatus & Imperia à Deo Optimo Maximo obtinuerunt, longè & latè merita prospicere possumus, ita benemerentibus habere promptam gratiam, ut sivè nostra judicatio, quid & quantum unicuique tribuendum sit, & in judicando simus & in remunerando liberales, sivè Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum id fuit arbitrium, quoque libentissimo animo comprobemus. Cum igitur tu Fili noster carissime Henrice, non uno & altero præclarè facto, sed perpetuo instituto Vitæ tuæ Regis maximi Virtutem ita undique perfectam & absolutam præstiteris, ut & arma, quibus plurimùm vales, & Doctrinam ac Sapientiam, ex qua summam Laudem es adeptus, ad Deum & Dei Religionem defendendam semper contuleris, Fideique Sanctæ etiam Libro adversus Lutheri Hæresim, mira eruditione & eloquentiâ edito, extiteris Defensor ac penè Patronus, Felicis Recordationis, Leo decimus, Prædecessor & Frater Patruelis noster, de Consilio Fratrum suorum (de quorum numero tunc eramus) Sententia, te, ad cætera tua nomina Regalia atque ampla, Fidei Defensorem voluit appellari; atque hoc eximio titulo, non tam laude hominum, quam ex cælesti commendatione deprompto, Serenitatem tuam insignivit; quòd nos ab illo factum justissimè ac sapientissimè agnoscimus. Cùm enim tuam & in regendis Populis tibi creditis justitiam, & in amplissima potestate, pari clementia temperandâ, moderationem, & Christianæ Religionis integram, puram, inviolatamque observantiam, in Deum quoque ipsum, & omnia quæ Dei sunt, admirabilem quandam pietatem respicimus, cum intelligimus & cernimus, quantum in bello consilio & virtute polleas, in pace, ut omnia ad subditorum salutem dirigenda putes, quemadmodum tu unus propemodum Regum omnium, inaudita quadam magnitudine ingenii, duo diversa Studia in unum conjuncta habeas, & quòd in Doctrina & Sapientia positum quietem & suavitatem habet contemplationis, & quod in Tumultu Actionibusque Civilibus agitatum curam suscipit rectionis: In utroque verò usque adeo excellas, ut possis cum his, qui in singulis elaborarunt, maximis, & prudentissimis Principibus comparari. Hæc inquam de te cum cogitamus & agnoscimus, omnem humanam laudem, tua incredibili Virtute inferiorem statuamus necesse est: Atque hæc, tanto in te præstantiora admirabilioraque sunt, quòd nullâ unquam querelâ violata, nulla commutatione voluntatis fuerunt interrupta, neque verò, aut privatæ cupiditatis causâ simulata, aut populari Gloriæ data, sed vera & incorrupta virtus; nec Præmium aliud requisivit quàm semetipsam; & Theatrum unicum suæ Gloriæ voluit esse Deum; Itaque in divinis ferme versata rebus, incredibilem quodammodo, & communi naturæ repugnantem celebritatem assecuta est: Nam Belli Labores & pericula ob eas causas suscipiuntur, ut aut ultio Injuriæ ab hostibus repetatur, aut plus habendi cupiditas expleatur, tu nullâ privatim læsus injuriâ, nullius rei alienæ appetens, ubi primum sensisti, Sanctam Sedem Apostolicam & Ecclesiasticam libertatem vocari in discrimen, tanquàm pius Filius, Matris, tuam implorantis opem, voce excitatus, Bellum difficile atque arduum suscepisti, tuamque præstantissimam virtutem suis affectibus placatam & liberam alieni, acrem & animosam præbuisti: Deindè verò cùm reconciliatis animis eorum, qui Sedi Apostolicæ vim afferebant, expediret Christianæ Reipublicæ arma ubique poni, tu quamquam Victor, & in hostium Agro, pluribus eorum jam urbibus expugnatis, Castra habens, in obtemperando tamen publicæ utilitati voluisti esse Princeps. Neque Arma solum (id quòd alii quoque egerunt, sed Victoriam ipsam dimisisti, longè majorem & diviniorem Victoriam nactus; vicisti enim tuum animum, qui cæterorum omnium potuisset esse Victor. Ita cùm cæteri Principes humanis quibusdam gradibus ad nobilitatem Famæ ascendant, tu ad singularem & inusitatam laudem cælestibus Operibus pervenisti. Secutum est tempus non minùs damnosum Christianæ Fidei quàm turpe; quò (turbante Germaniam impiis & pravis Opinionibus Luthero) non mediocris in animabus Fidelium Labes facta est, quo tempore, tu cùm armorum movendorum pro Fidei tutela occasionem non haberes, etiam præstantiora, & ad simile Opus accommodatiora, tui ingenii & Doctrinæ Arma vibrasti, Libroque, in Fidei Christianæ Sacramentorum defensionem, scripto ac divulgato, impiis Hæreticorum Conatibus obviam ivisti, qui quidem Liber, Sancto dictante Spiritu, eis luminibus Ingenii scientiæque refertus est, ut facilè appareat, optimam naturam quocunque se verterit ad omnia aptam esse, optimam verò voluntatem, etiam Dei ope & munere in cunctis felicem esse & fortunatam; Propter quæ omnia, Titulum illum, & cognomen Fidei Defensoris, Serenitati tuæ per supradictum Prædecessorem nostrum, justissimis & plurimis rationibus delatum, Nos quoque in Apostolicæ Potestatis plenitudine, beati Petri, & illius veri Successores, ex certa scientia, & propria voluntate nostra, approbamus, confirmamus, tibique perpetuum & proprium deputamus. Deum Optimum Maximum Servatorem justorum Regum supplicibus votis deprecantes, ut tantum, & Fidei suæ Sanctæ tam beneficum Regem cum diuturna Salute & Vita, in ipsius Consiliis, & factis omnibus secundans, ad ex


tremum


tremum immortali tibi Gloriâ paratâ largiatur, ut, cùm cæteris tuis Titulis præstantibus & magnis, Pii, Victoris, semper Felicis, hoc præcipuum & maximum Fidei Defensoris Decus, ac Nomen, Te in Cœlum usque & ad perennem illam Beatitudinem comitetur.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio, Non. Martii, Pontificatus nostri, anno primo.

Ja. Sadoletus.
A. de Castillo.

In dorso,
Registrata apud me,
Sadoletum.





IV. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. XIV. pag. 18.

De Jurisdictione Cardinalis Eboracensis ad visitandum, & reformandum loca religiosa, Leonis X. & Hadriani VI. Bullarum Innovatio, & Extensio: anno 1524.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, nostro, & Apostolicæ Sedis in Regno Angliæ Legato de Latere, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Licèt aliàs, felicis recordationis Leo Papa Decimus Prædecessor noster, te ad carissimum in Christo Filium nostrum Henricum, Angliæ Regem, illustrem Fidei Defensorem, pro nonnullis arduis negotiis Reipublicæ Christianæ, suum, & Apostolicæ Sedis Legatum de Latere, ad certum tempus tunc expressum destinaverit. Et inter cætera, tibi omnia & singula loca Religiosorum, tam Virorum, quàm Mulierum, tam exempta, quàm non exempta, cujuscumque Status, Religionis & Ordinis fuerint, eorumque Præsidentes & aliàs Personas, tam in Capite quàm in Membris, quoties opportunum foret, per te vel alium idoneum, quem ad id deputandum duceres, Auctoritate Apostolicâ visitandi & reformandi, & de eorum vita & moribus inquirendi, castigandi, & puniendi, ac alia tunc expressa faciendi, & exequendi facultatem per quasdam litteras concesserit, non obstantibus quibuscunque Privilegiis, & Indultis Apostolicis, eisdem Locis & Ordinibus, sub quacunque forma verborum concessis, etiamsi in eis caveretur expresè, ut neminem, contra vel præter hujusmodi Privilegia & Indulta, ad se visitandum vel aliter admittere teneantur, nisi eorumdem Privilegiorum & Indultorum expressa, ac de verbo ad verbum mentio fieret. Ipseque Leo Prædecessor, Legationem & Facultatem hujusmodi diversis tempolibus & facultatibus prorogaverit. Et piæ memoriæ Adrianus Papa Sextus, etiam Prædecessor noster, Legationem & Facultatem hujusmodi ad certum aliud tempus tunc expressum per alias suas innoverit. Et nos Legationem, Concessiones, Facultates, & desuper concessas litteras prædictas innovaverimus, & extenderimus, & ampliaverimus, ac omnibus illis, quæ præfati Antecessores nostri in suis litteris noluerunt non obstare, derogaverimus, prout in singulis litteris prædictis, quas his pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Tamen nonnulli Religiosi, se, prætextu Privilegiorum Apostolicorum suorum, exemptos esse asserentes, Facultates tibi circa præmissa à præfatis Prædecessoribus, & à nobis concessas in dubium revocare nitentes, & tuam jurisdictionem declinantes, à visitationibus per te ad Religionis Conservationem, Ecclesiasticorum Morum Restitutionem, & Lutheranæ, aliorumque scandalorum, & Hæresium extirpationem institutis, appellarunt & provocarunt, nec non Appellationes & Provocationes hujusmodi, fortè in Romanâ Curia aut alibi committi obtinuerunt, prætendentes, inter cætera, Ordini suo seu forsan eorum alicui speciali Domui vel Conventui à Romanis Pontificibus esse concessum, ne quis Legatus de Latere eos visitet, in cujus Facultatibus non fieret tùm Ordinis, tum Privilegiorum suorum de verbo ad verbum specialis & expressa mentio, & quòd in suis privatis regularibus institutis (quorum observationem se expresè novisse asserunt) sit cautum, ut suo generali Ministro firmiter obediant, quòd illi sic interpretantur, ut, sine illius generalis Ministri consensu, nullius alteriùs Jurisdictioni, inoffensâ Regulâ Sancti Francisci, parere aut quovis modò obtemperare possint. Nos igitur, cupientes, ut Tu, qui opere potens es & sermone, & ut accepimus, pro tuo erga Religionem & Cultum divinum, jugi Studio ad Reformationem Religiosorum locorum, infrà limites tuæ Legationis consistentium, accuratissimè direxisti animum, cujusque eximia Virtus, Probitas & Fides à nobis comprobata multo majora pollicentur, ut feliciter cœptum munus hujusmodi ad optatum finem deducere, ac ut in dicto Regno vitia extirpare, ac virtutes plantare, ac horrendæ Lutheranæ Pesti, & multis aliis in Ecclesia Dei indies serpentibus malis liberiùs occurrere possis, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione ac certa Scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, nostras & Prædecessorum nostrorum litteras, etiam ad hoc, ut Circumspectio tua per te vel alium, seu alios omnia & singula Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca, tam exempta, quàm non exempta quorumcunque, etiam Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensium, Præmonstratensium, Grandimontensium, Cartusiensium, ac prædicti & aliorum Mendicantium, etiam Prædicatorum, Carmelitarum Regularis observantiæ, Sancti Francisci Ordinum, & Congregationum fuerint, & quocunque nomine censeantur, ac Prærogativis, & Privilegiis Apostolicis muniti sint, tam in Capite, quàm in Membris visitare, reformare, corrigere, ac delinquentes punire, castigare, & eorum sic exposcentibus demeritis, etiam carceribus mancipare, ac Monasteriis, Domibus & Locis, nec non Dignitatibus, Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis privare, & illos ab eis amovere, & alia in præmissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet oportuna mandare, facere & exequi, ac ut prædictis & aliis Appellationibus & Provocationibus, quæ à quibuscunque Ordinum & Locorum prædictorum Visitationibus per te factis & facien-

faciendis forsan sunt interpositæ, aut in futurum interponentur, deferre minime tenearis, sed Appellationibus & Provocationibus eisdem, tam interpositis, quàm à quibuscunque Judicibus, quibus commissæ reperiuntur, ad nos harum serie advocantes, & tibi in eisdem statu & terminis, quibus nunc reperiuntur, etiamsi in eis ad aliquos actus sit processum, audiendas committimus, quàm interponendis, rejectis, ad visitationum hujusmodi terminationem & executionem procedere, liberè & licitè valeas, ipsæque visitationes & illarum terminatio & executio per Appellationes & Provocationes hujusmodi, ante aut interim interpositas, non suspendantur, sed suum plenum effectum sortiri debeant in omnibus & per omnia, perindè ac si ab illis appellatum non fuisset, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus & ampliamus. Et pro potiori cautela, ad omnem tollendum scrupulum, tibi super his de novo facultatem concedimus, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, declarantes, attestantes & decernentes, intentionis nostræ in futurum fore, per quascunque Litteras, Rescripta, Privilegia aut Indulta, per nos quibuscunque Personis Ordinum & Congregationum prædictorum, ac aliis, cujuscunqae Dignitatis, Status, Gradus, Ordinis & Conditionis existant, etiam cum quibusvis Inhibitionibus, etiam sub Censuris Ecclesiasticis, ac Clausulis & Decretis, etiam irritantibus, ac alias sub quibuscunque tenoribus & verborum formis concessa, hactenus & imposterum concedenda, præsenti, ac prædictis & aliis quibuscunque facultatibus tibi per nos ac Sedem prædictam concessis & concedendis, etiam super Sæcularium & quorumvis Ordinum Regularium Ecclesiarum, Monasteriorum & Locorum prædictorum Visitationibus & Reformationibus, in partibus illis faciendis, & processibus desuper habendis, quominùs illis liberè & licitè juxta tuarum facultatum continentiam uti, & ea prosequi valeas, minimè derogare, sed illa sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, modificationibus, restrictionibus, reductionibus & derogationibus, per nos & Sedem prædictam, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, & cum quibusvis efficacissimis & insolitis, etiam derogatariorum derogatoriis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per Cancellariæ Apostolicæ Regulas, & quasvis alias Constitutiones Apostolicas, per nos aut alios Romanos Pontifices, etiam Consistorialiter, ac etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, aut aliàs factis & faciendis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas existere & censeri: Promissiones quoque, vota & juramenta quæcunque contra effectum præsentium per dictorum Ordinum Religiosos in manibus quorumcunque suorum Superiorum, aut alias præstita & præstanda, invalida esse, & eos ipsos ad eorum observotionem minimè teneri, sicque in præmissis omnibus per quoscunque Judices & Commissarios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales interpretari, judicari & definiri debere, sublatâ eis & cuilibet eorum aliter interpretandi, judicandi & definiendi potestate, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et insuper universis & singulis Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum & Locorum, ac Ordinum & Congregationum prædictorum Prælatis, etiam Generalibus, & aliis personis, sub Excommunicationis Sententia, eo ipso quo contrafecerint incurrendâ, inhibemus, ne Tibi ac Facultatibus tuis hujusmodi, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, contradicere vel venire præsumant, quinimò illis humiliter intendant & obediant; Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon bonæ memoriæ Ottonis & Ottoboni, olim in dicto Regno præfatæ Sedis Legatorum, Constitutionibus & Ordinationibus, aut Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, Ordinum & Congregationum prædictorum Constitutionibus, Ordinationibus, Regulis, Statutis & Consuetudinibus, promissione quoque & Obedientiæ votis, per dictos Religiosos Ordinum suorum Prioribus, Abbatibus, Magistris, Ministris, & aliis Prælatis & Superioribus, etiam Generalibus factis & emissis, & quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque & indultis, ac litteris tam Apostolicis, quàm in forma Brevis Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Ordinibus & Locis, Prioribus, Magistris, Ministris, & aliis Prælatis & Superioribus, etiam Generalibus prædictis, seu eorum alicui sub quibuscunque tenoribus & formis: etiam per modum Statuti, & perpetuæ Ordinationis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, per eundem Leonem, & quoscunque alios Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & Sedem prædictam, ac etiam per nos iteratis vicibus concessis, approbatis & innovatis, etiamsi in illis caveatur expressè, quod eis per quascunque Litteras Apostolicas, nisi in litteris, quæ eis derogare viderentur, illorum omnium tenores de verbo ad verbum inserantur, & expressè appareat, Romanum Pontificem illis voluisse derogare, ac causa urgens & sufficiens exprimatur, & aliàs certis modis & formis observatis, aut nullatenus derogari possit, quibus omnibus & singulis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, & forma in illis tradita observata foret, præsentibus pro expressis ac verè, & non fictè insertis, contra quæ nullam probationem admitti volumus, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, eisdem motu, scientia & Apostolicæ Potestatis plenitudine specialiter & expressè derogamus, necnon omnibus illis, quæ præfati Prædecessores nostri in suis, ac Nos in nostris litteris prædictis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, duodecimo Calendas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Jo. Matthæus Gibertus.
A. de Castillo.

Super Plicam
Clemens Papa Septimus.
Sub Plumbo Sigillo pendente à filis canabeis.

Bulla ad Cardinalem Eboracensem, quâ ei facultatem dat supprimendi Monasteria, quæ trium millium Ducatorum annuum redditum non excedunt: anno 1524. V. Ex Arch. Ang. Rimer. Tom. 14. p. 23.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, tituli S. Ceciliæ Presbytero Cardinali in Regno Angliæ, nostro, & Apostolicæ Sedis Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

DUdum considerantes saluberrimos fructus & Christi fidelibus pernecessarios ex litterarum studiis provenire, & quod Universitas studii generalis Oxoniensis ob penuriam redditTum propemodum extinctum iri videbatur, ac cupientes, ut studium ipsum decenter continuari, & incrementum suscipere possit, motu proprio & ex certa scientia Circumspectioni tuæ in Monasterio, per Priorem gubernari solito, Sanctæ Fridisvidæ Ordinis Sancti Augustini, Lincolniensis Diœcesis, quod in ipsius Universitatis meditullio existit, si ad hoc charissimi in Christo Filii nostri Henrici Angliæ Regis illustris accederet assensus, nomen Monasterii & Dignitatem Prioratus, necnon Ordinem hujusmodi & dependentiam Auctoritate nostra penitus supprimendi, &

Canoni-

Canonicorum inibi degentium Personas ad alia loca ejusdem Ordinis transferendi, necnon suppressis Monasterii nomine, Dignitate, Ordine & Dependentia hujusmodi nomen Collegii Clericorum Saecularium imponendi, & Collegium hujusmodi instituendi, ac illi omnes & singulos ipsius sic tunc suppressi Monasterii fructus, redditus, proventus, ad effectum, ut personae idoneae, pro ratione facultatum dicti loci, in eodem loco instituendae, partim publicis Lectionibus astrictae Liberales Artes ad commodum Studentium profiterentur & aliis interpretarentur, partim Ecclesiae dicti loci intendentes Divinis inservirent, perpetuò applicandi & appropriandi, & alia circa ea necessaria faciendi, plenam Auctoritate Apostolica concessimus facultatem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, fructus, redditus, proventus & bona praedicta pro competenti restauratione & manutentione dictae Universitatis, ac Sustentatione Doctorum, Eruditioni Scholarium insudantium, non sufficiant, nec absque ingenti murmure & indignatione incolarum dicti Regni, possessiones & praedia emi, & isti Collegio applicari possint, sintque in partibus illis nonnulla tam virorum quam mulierum Monasteria, in quibus vix quinque aut forte sex personae regularem vitam professae moram trahunt, ita ut ob raritatem Religiosarum Personarum inibi degentium Divino Cultui decenter, ut par est, in illis vacari non potest; Nos cupientes statui dictae Universitatis, & Divino Cultui in dictis Monasteriis salubriter providere, Circumspectioni tuae, de qua pro sui ingenii dignitate & morum integritate plenam in Domino fiduciam obtinemus, motu simili, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione &c. ex certa scientia, ac de Apostolicae Potestatis plenitudine, in aliis, uno, duobus vel pluribus, & tot tam virorum quam mulierum Sancti Benedicti, vel Sancti Augustini, & cujusvis alterius, etiam Cluniacensium, Cistercensium, Grandimontensium, vel Praemonstratensium Ordinis Monasteriis, quorum insimul fructus, redditus & Proventus ultra valorem annuum dicti Monasterii Sanctae Fridisvidae, trium millium Ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedant, si ad hoc praefati Henrici Regis, Fidei Defensoris, & si extant, Fundatorum ipsorum Monasteriorum, seu eorum Successorum accesserit Assensus, nominibus Monasteriorum & Dignitatibus Abbatialibus & Abbatissalibus, seu aliarum Dignitatum superiorum, necnon Officiis Conventualibus, & Dependentiis & Ordinibus Apostolicâ Auctoritate penitùs suppressis & extinctis, ac Canonicorum & Monachorum, necnon Monialium & aliorum inibi degentium, Personis, ad alia Monasteria, sive loca regularia ejusdem seu alterius Ordinis, prout tibi magis expedire videbitur, translatis, omnes & singulos ipsorum tunc sic suppressorum Monasteriorum fructus, redditus, proventus & bona, quae omnia pro expressis haberi volumus, ad effectus praemissos perpetuò applicandi & appropriandi, alia quoque augmento, utilitati & conservationi dictae Universitatis in praemissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, statuendi & exequendi, plenam & liberam, tenore praesentium, licentiam concedimus & facultatem, ipsasque litteras ad hoc extendimus & ampliamus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac Ottonis & Ottoboni, olim in Regno Angliae Apostolicae Sedis Legatorum, nec non in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, necnon Monasteriorum & Ordinum hujusmodi juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, ac litteris Apostolicis, & in forma Brevis Monasteriis & Ordinibus hujusmodi, sub quibuscunque tenoribus & formis, etiam per modum Statuti & Ordinationis perpetuorum, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis, etiam motu simili, & ex certa scientia, ac de Apostolicae Potestatis plenitudine, etiam per Nos & Sedem eandem, etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis & innovatis, etiam si in illis caveatur expressè, quod illis etiam per quascunque Litteras Apostolicas nullatenus derogari possit, nisi in litteris, quae eis derogare viderentur, illorum omnium tenores de verbo ad verbum inserantur, & expressè appareat, Romanum Pontificem illis noluisse derogare, ac causa urgens & sufficiens exprimatur, & aliàs certis modis & formis observatis, quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti, & forma in illis tradita observata foret, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè, motu, scientia & potestate similibus derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo vigesimo quarto, tertio Id. Septembris, Pontificatus nostri anno primo &c.

Jo. Matthaeus Gibertus.

Super plicam

A. de Castillo.

Sigillo avulso.

VI. Ex Arch. AngliaeRimer. Tom. 14. p. 187.

Bulla Clementis Septimi pro Rege, ut Protector Foederis Italici, nominetur: anno 1526.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

CUm nuper Liga, Confoederatio atque Sanctissimum Foedus, non solum pro nostris & Sanctae Romanae Ecclesiae Statibus, Dominiis & Territoriis conservandis & defendendis, sed etiam pace universali Reipublicae Christianae, bellicis hactenus tumultibus nimium agitatae, plusquam necessaria propaganda, inter nos & charissimum in Christo Filium nostrum, Franciscum Francorum Regem Christianissimum, ac dilectos Filios Nobiles Viros, Andream Gritti Venetorum, & Franciscum Sfortia, Mediolani Duces, ac ipsorum Venetorum Dominium initum, conclusum & processum sit. In quo charissimus etiam in Christo Filius noster Henricus Angliae Rex, & Dominus Hiberniae, Fidei Defensor, tum quia Orthodoxae Fidei, Religionisque incrementum unicè spectans, pacis inter Principes conciliandae Auctor, semperque Suasor & verbo & exemplo prae caeteris extitit, tùm quia, ut tranquillis temporibus Prudentiâ, Consilio & Auctoritate in cohibendis & refraenandis improbis hominum affectibus plurimum potest, ita bellico furore percitos, & per vim ac violentiam omnia molientes, nominis sui splendore Martiisque opibus, quibus maximè abundat, reprimere & domare ante caeteros valeat, Protector & Conservator nominatus est, in eodemque foedere verendum, haud dubiè existimemus, ne temporis angustia ad celeriorem conclusionem urgens & impellens maturam & diligentem articulorum ejusdem deliberationem praeverterit & impedierit, adeo quidem, ut praefato Henrico Regi, vel de indemnitate sua, vel de pensione annua tantae, si hoc Onus Protectionis subierit, gratitudini jure optimo debitâ, aliis denique multis in rebus haud satis diligenter cautum, undequaque & prospectum videatur, sintque etiam dicti foederis nonnulli articuli, quos ad sinceram & inviolabilem ejus observationem partim maturè exequi, partim abrogare, aliquos ampliare & explicare, tum nostra tum omnium contrahentium intersit. Nos itaque, vehementer affectantes foedus

prædictum, non minùs salutare, quam his etiam temporibus necessarium, suum optatum & desideratum consequi effectum, animadvertentes etiam, quanta cum majori felicitate omnia succederent, si prædictus Henricus Rex munus Protectionis in se suscipere & obire, dictumque fœdus ingredi vellet, à quo illud avertere & deterrere posset, si non omnia, quæcunque in dicto fœdere comprehenduntur & conveniuntur, plana, aperta, dilucida, æqua etiam omnibus & convenientia esse, acre ipsius Henrici Regis judicium deprehenderit, De fidelitate, Circumspectione & Prudentia dilectorum Filiorum Uberti de Gambara Brixiensis, & Johannis Baptistæ Sanga Romani Clericorum, nostrorumque & hujus Sanctæ Sedis Notariorum & Nunciorum plurimùm confidentes, ipsos & quemlibet ipsorum in solidum, veros, certos & indubitatos Oratores, Legatos, Commissarios, Procuratores & Deputatos constituimus, facimus & ordinamus per præsentes. Dantes & concedentes eis, & eorum cuilibet in solidum plenam Potestatem, Auctoritatem & Facultatem, ac Mandatum generale & speciale, pro nobis & nomine nostro, cum præfato Henrico Rege, ipsiusque & Francisci Regis, ac Ducum & Dominiorum prædictorum, aut alterius cujuscunque Principis, dictum Fœdus sive Ligam ingredi volentis Oratoribus, Procuratoribus, Commissariis & Deputatis, sufficientem ad id Auctoritatem habentibus, simul & conjunctim, cum omnibus illorumve duobus, tribus, aut uno, seorsum & separatim, seu etiam cum ipso Rege Francisco, de & super Reformatione, Immutatione, Annotatione, Additione, Diminutione, Restrictione, Extensione, Moderatione, Qualificatione, Interpretatione, Ambiguitatumque Dissolutione & Explanatione omnium & singulorum Articulorum in dicto fœdere contentorum, necnon & desuper portione annua prædicto Henrico Regi, casu quo Onus Protectionis hujusmodi acceptaverit, vel alii cuicunque annuatim præstanda & persolvenda, deque summa sive summis, cautionibus & provisionibus, sub quacunque firmitate, pro securitate ejusdem pensionis, sive earundem pensionum limitandis & interponendis, ac etiam de indemnitate ejusdem Henrici Regis fœdus prædictum ingredientis præstanda, modo & formâ provisionis pro eadem validè & efficaciter concipiendâ, tractandum, communicandum, paciscendum, conveniendum, concordandum & concludendum, dicti quoque fæderis Articulos omnes & singulos, aut eorum aliquos vel aliquem, delendum, cancellandum & abrogandum. Proque & in locum eorumdem alios plures aut pauciores, sub quibuscunque verborum tenoribus conceptos, reponendum & substituendum. Ita tamen, ut quacunque immutatione non obstante, fœdus prædictum non dissolvi interim, sed in suo robore & effectu manere, durare & subsistere intelligatur, idemque fædus fuisse & esse habeatur, & reputetur perindè, ac si nulla talis immutatio, interpretatio, additio aut diminutio intervenisset. Necnon dissoluto & abrogato fœdere prædicto, aut eodem, si ita videbitur, & nihilominùs, ut præfertur, in suis viribus subsistente, cum Francisco & Henrico Regibus, ac Ducibus & Dominio prædictis, necnon aliis quibuscunque Regibus & Principibus Christianis, Civitatibus, Communitatibus & Nationibus, ac Dominiis Cismontanis & Ultramontanis, seu eorum Procuratoribus, Oratoribus & Legatis quibuscunque, sufficientem auctoritatem habentibus, de quacunque nova Confœderatione, Unione, Fœdere, Liga, perpetua aut temporali, ac aliàs quocunque modo, inter nos & illos, ac eorum quemlibet tractandum, communicandum, paciscendum, conveniendum & concludendum. Et insuper ad conventorum & conclusorum inviolabilem observantiam Nos, Patrias, Territoria, Dominia & Subditos Nostros sub quibuscunque Pactis & Conventibus astringendum & obligandum, ac sub verbo veri Romani Pontificis, quod Conventa & Promissa fideliter perimplebimus, perimplerique & observari curabimus & faciemus, juramentum subeundi & præstandi. Simileque juramentum à prædictis Regibus & Principibus eorumve Oratoribus, ac aliis Contrahentibus quibuscunque petendum. Ac super Conventis, Concordatis & Conclusis, Literas validas & efficaces pro parte nostra tradendum: aliasque consimilis vigoris & effectus petendum & exigendum. Denique generaliter omnia alia & singula faciendum, gerendum, exercendum, & expediendum, quæ in præmissis aliquove præmissorum, aut circa ea necessaria videbuntur, aut quomodolibet oportuna, etiamsi talia sint, quæ Mandatum exigant magis speciale, quam præsentibus sit expressum. Promittentes bona fide, & in simili Verbo Pontificio, Nos ratum, gratum & firmum habituros id totum, & quidquid per supradictos Nostros Oratores, Legatos, Commissarios & Deputatos, ac eorum quemlibet, actum, gestum aut factum fuerit in præmissis, non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo sexto, decimo octavo Calendas Septembris, Pontificatus nosti anno tertio.

In. Jo. Matthæus, Episcopus Veronensis.

Super plicam.

F. Vigorosi.

Sub Plumbo Sigillo pendente à filis sericis flavi rubeique coloris.

Bulla Commissionis ad cognoscendum in Causa Matrimoniali inter Regem Henricum Angliæ, & Catharinam Reginam: anno 1528. VII. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. 14. p. 237.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Thomæ, Tituli Sanctæ Ceciliæ Presbytero Cardinali Eboracensi nuncupato, in Regno Angliæ, nostro, & Apostolicæ Sedis Legato, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

SAnè ad aures nostras, & plurimorum Fide dignorum Relatione, frequenter perlatum est de validitate illius Matrimonii, quod charissimus in Christo Filius noster Henricus Angliæ Rex illustris, Fidei Defensor, & Dominus Hiberniæ, cum charissima in Christo Filia nostra Catharina Regina, Sedis Apostolicæ Dispensatione prætensa, contraxisse & consummasse dignoscitur, subortam nuper in partibus illis quæstionem, quæ licèt in publicum Ecclesiæ judicium deducta hactenus non fuerit, causæ tamen tam magni, gravisque momenti exitus videlicet, quem justitia & æquitas dederit, animos istic omnium sic habet suspensos, ut celerem ac maturam definitionem requirat, non sine maximo discrimine protelandam. Cum itaque nos, quos ad Justitiam in judicio & veritate omnibus ex æquo subministrandum Servum servorum Deus constituit, Facti veritatem per nos ipsos inquirere, ac causam hanc examinare non valemus. Considerantes præterea, quod factum, ex quo jus oritur, illic certiùs quam hîc, tum etiam citiùs expeditiùsque cognosci poterit. Cupientesque præsertim in Regno illo, Sedi Apostolicæ semper devotissimo, omnem dissensionum materiam extingui, & dulcissimum illum Pacis amorisque intestinum concentum, feliciissimamque charitatis harmoniam, multos jam annos constantem, retineri, ac impostęrum conservari, dictamque proinde super præfato Matrimonio causam in judicio justitia & veritate decidi, certumque, firmum, validum & maturum, quod maximè expedit, finem sortiri. Circumspectioni

tuæ, adjuncto Tibi Venerabili Fratre nostro Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primate, & Apostolicæ Sedis Legato nato, seu alio quocunque illius Regni Episcopo, ad audiendum omnia & singula ea, quæ dicti Matrimonii vires dispensationisvè Apostolicæ cujuscunque, coram vobis producendæ aut exhibendæ, validitatem aut invaliditatem contingat. Deque & super omnibus illis ac aliis quibuscunque materiis, allegationibus, & causis, dictum matrimonium aut dispensationem concernentibus, seu tangentibus, cognoscendum: nec non in causa dicti Matrimonii, & validitatis dispensationis, vocatis partibus, summariè & de plano, sine strepitu & figura Judicii, procedendum. Dispensationes quascumque Apostolicas, prout illas validas, efficaces & sufficientes, invalidasve, inefficaces, minùs sufficientes, surreptitias, aut obreptitias, aut aliquo quocunque modo enervatas inveneris, tales illas esse & haberi deberi pronunciandum & declarandum. Dictumque Matrimonium similiter, si ab alterutra parte petatur, prout animo conscientiæque tuæ Juris ratio persuaserit, validum, justum & legitimum ac firmum esse, aut è contra invalidum, injustum, & illegitimum, nullumque fuisse & esse, pro valido, justo, legitimo & firmo, aut è contra invalido, injusto, & illegitimo nulloque haberi deberi, definiendum, sententiandum & decernendum. Ac in eventum improbatæ dispensationis & declarationis dignitatis Matrimonii, summariè & de plano, sine strepitu & figura Judicii, ut præfertur, sententiam divortii judicialiter proferendum. Denique tam Henrico Regi, quàm Catharinæ Reginæ præfatis ad alia vota commigrandi licentiam in Domino, & Facultatem tribuendum, tibi, citra omnem personæ aut jurisdictionis gradum, omni recusatione & Appellatione remotis, vices & omnem auctoritatem nostram committimus & demandamus, teque ad ea omnia, quæ in hac Commissione continentur, duntaxat exequenda, expedienda, ac plenæ finalique Executioni demandanda Vicegerentem nostrum, etiam ex certa nostra scientiâ, Creamus & Deputamus, ita ut in præmissis, quòd nos Auctoritate & Potestate nostra facere possemus, id etiam Tu facere possis. Tibi quoque tam prolem, ex primo Matrimonio susceptam, si id ita expedire visum fuerit, quàm ex secundo Matrimonio suscipiendam legitimam decernendi, pronunciandi & promulgandi, legitimitatem etiam utriusque Prolis, Censuris & Pœnis Ecclesiasticis quibuscunque, per modum Decreti aut Sanctionis perpetuæ, muniendi & vallandi, omnibus validioribus, & efficacioribus modis & formis, quæ de Jure concipi & excogitari poterint, ex certa nostra scientia, Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium potestatem pariter & auctoritatem concedimus; Non obstantibus Conciliis Generalibus, Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus editis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum in Urbe Veteri, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, vigesimo octavo, Idibus Aprilis, Pontificatus nostri, anno quinto.

B. Motta.
Sub Plumbeo Sigillo pendente à filo cannabeo.

VIII. Ex Arch. Angl. Rimer. Tom. XIV. pag. 352.

Absolvit Francorum Regem à Juramento de non alienandis bonis, & juribus regni: anno 1529.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo Filio nostro Francisco, Francorum Regi Christianissimo, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

VOtis tuis, illis præsertim per quæ paci & quieti Christianæ Reipublicæ consulitur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis. Sanè pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd, licèt aliàs Majestas tua juraverit, Res ac Bona ac Jura à Corona Regni Franciæ nunquam alienare, dismembrare aut separare, & ad id vinculo Juramenti de adstrinxisti. Quia tamen in Civitate Cameracensi die videlicet quinta Mensis Augusti præsentis Anni, inter Majestatem tuam & Carissimum in Christo Filium nostrum, Carolum Romanorum, & Hispaniarum Regem Catholicum in Imperatorem Electum, Sororium tuum Carissimum, perpetuum Fœdus formatum percussumque fuit, in eoque nonnullæ hinc inde alienationes, sine quibus Respublica Christiana tranquilla esse non poterat, factæ fuerunt. Visum fuit eidem Majestati tuæ pro publica Salute, Pace, ac quiete, ac tranquillitate hujusmodi expedire, per te præstito Juramento hujusmodi contravenire, volensque tuæ Conscientiæ, ac Christianæ Reipublicæ hujusmodi Saluti providere, Venerabilem Fratrem nostrum, Philibertum Episcopum Eporediensem Eleemosinarium, & dilectum Filium Nicolaum Raince, Secretarium tuos, & eorum quemlibet in solidum, absentes Procuratores tuos, tanquàm præsentes, specialiter ad petendum à nobis absolutionem & relaxationem quorumcumque Juramentorum, de non alienandis nec dismembrandis aut separandis quibuscumque Rebus ac Juribus à Corona Regni Franciæ, hujusmodi per te eatenus præstitorum, nec non super hujusmodi Absolutione & Juramenti relaxatione litteras necessarias, etiam petendum, impetrandum & expediendum. Quare idem Philibertus Episcopus, ejusdem Majestatis tuæ Procuratorio Nomine, factâ priùs nobis Fide de sufficienti Mandato, nobis humiliter supplicavit, ut Majestatem tuam à Juramenti violatione absolvere, ipsumque Juramentum ac defectum validitatis alienationis Bonorum & Jurium à Corona Regni Franciæ factæ hujusmodi relaxare, aliasque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolicâ dignaremur; Nos igitur attendentes, ex hujusmodi alienatione totius Reipublicæ Christianæ Paci consuli, hujusmodi Supplicationibus inclinati, Majestatem tuum à Juramenti violatione, Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, absolvimus, ac Juramentum seu Juramenta, aliàs per te de non alienandis Bonis vel Juribus Coronæ Regni Franciæ hujusmodi præstitum, ad effectum prædictum, ex certa scientia nostra ac potestatis plenitudine, relaxamus, ac alienationem bonorum & Jurium Coronæ Regni Franciæ factam hujusmodi valuisse ac valere, ac inviolabiliter observari debere decernimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus dicti Regni, & illius Parliamentorum Confirmatione, Apostolicâ vel quavis firmitate alia roboratis, nec non Privilegiis & Indultis ac litteris Apostolicis dicto Regno forsan concessis, quibus illorum tenores pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore mansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Absolutionis, Relaxationis, Decreti & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Bononiæ, Anno Incarnationis Dominicæ 1529. III. Calendas Decembris, Pontificatus nostri, anno septimo.

Signat. subter Plicam,
sub Plumbo,
B. Motta.
Dorf. Registr. in Cancellaria Apostolica.
De Cesis.

IX. Ex Cod. Diplom. Leibnitii Tom. 2. Mant. pag. 224.

Confirmatio sub Sigillo Aureo, data Carolo V. in Romanorum Imperatorem Electo, ejusque Successoribus Ducibus Brabantiæ, & Comitibus Hollandiæ &c. Super translatione Civitatis, oppidorum, & Ditionis Trajectensis, & Transisalanæ, totiusque Temporalitatis Episcopatus Trajectensis; in suam Majestatem factæ, per Episcopum Henricum, Comitem Pal. Rhen. reservatâ tantùm Jurisdictione Ecclesiasticâ, & Domo Episcopali in Civitate Trajectensi, ac certa pensione annua. Et quòd nullus imposterum à quinque Ecclesiis Trajectensibus debeat eligi Episcopus; quàm quem nominaverit sua Majestas &c. anno 1529.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, ad quem, sicut omnium rerum Spiritualium cura pertinet, ita bona quoque temporalia, ad quascunque Ecclesias spectantia ipsius sunt dispositionis; pro Pastorali Officio sibi demandato ea assiduè agit & meditatur, per quæ Ecclesiæ ipsæ tam Cathedrales, quàm Collegiatæ & illarum Episcopi & Prælati, quietè, tranquillè ac pacificè vivere possint. Et si quando contingit Episcopos & Prælatos ipsos, à suis Sedibus & Ecclesiis, violenter ejici & extrudi, & proptereà ad Secularium Principum opem implorandam confugere; ipsorumque sumptibus, viribus & copiis in pristinas Sedes rursus reponi & restitui; ac per eos, in tantorum beneficiorum remunerationem, bona ipsa temporalia; & secularem eorum Jurisdictionem; eisdem principibus Liberatoribus concedi & in eos transferri; Pontifex ipse tales concessiones & translationes Auctoritate Apostolicâ approbare & confirmare, ac de novo concedere consuevit, ut eo scilicet pacto, & ipsarum Ecclesiarum incolumitati consulatur; & earum Episcopi & Prælati in quiete, tranquillitate & securitate constituantur, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè licet à longis retroactis temporibus ad omnes Episcopos Trajectenses; qui pro tempore fuerunt, Dominium tam Spirituale quam Seculare Ecclesiæ Trajectensis, ac plurimorum Oppidorum, Locorum & Castrorum; tam in agro Trajectensi, quàm in partibus superioribus patriæ Transysellanæ consistentium; plenissimo jure pertinuerit: Nihilominùs dilectus Filius Nobilis Vir Carolus, Dux Geldriæ, præter jus & fas, primò bonæ memoriæ Fredericum, Marchionem Badensem, olim Episcopum Trajectensem; quoddam ex ipsis oppidis manu armatâ ac militari spoliavit, illudque violenter occupavit; ad quòd rursus vendicandum, idem Fredericus Episcopus ingentes expensas, innumerosque labores subire coactus fuit. Et deinde idem Carolus Dux; similis memoriæ Philippum de Burgundia; etiam Episcopum Trajectensem; pluribus ex eisdem castris & oppidis vi & armis spoliavit; sibique injustè usurpavit. Pro quibus recuperandis, licèt magni sumptus à præfatis Episcopis facti, pecuniæque ingentes erogatæ fuerint; tamen ea loca sic occupata, in manibus & potestate ipsius Ducis Caroli permanserunt, usque ad tempus, quo dilectus Filius Henricus, Comes Palatinus, & Dux Bavariæ in Episcopum Trajectensem electus, & electio hujusmodi Apostolicâ Auctoritate & formâ Canonicâ confirmata extitit. Qui equidem Henricus electus animadvertens, quot damna & incommoda Prædecessores sui Episcopi Trajectenses subierant, ut eâ quoquo pacto resarciret; ac paci, quieti, securitatique suæ ac subditorum suorum consuleret, & talem concordiam operâ & interventu venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Trevirensis; cum eodem Carolo Duce inierat, ut ipse Henricus electus ei summam quinquaginta millium florenorum enumeraret, & quorundam castrorum occupatorum usumfructum ad ejus vitam dimitteret: quæ quidem castra eo defuncto rursus ad Ecclesiam redirent; sed ea lege, ut si proles legitima ex eo superesset, illi proli duntaxat quinquaginta millia florenorum persolverentur: Cætera verò castra sic occupata, ex tunc eidem Henrico electo restitui deberent, prout mox etiam restituta fuerunt. Et quamvis dictus Henricus electus; eâ concordiâ sic stabilitâ omninò speraret, se deinceps summa in pace & tranquillitate, unà cùm subditis suis, permansurum, nihilominùs ipse Carolus Dux, oblata occasione, quòd idem Henricus electus interim populari seditioni fuerat repulsus, immemor fœderis & concordiæ, hujusmodi castra & oppida patriæ Transysellanæ invadere, eaque obsidione premere veritus non fuit, & cum castrorum & oppidorum prædictorum Consules & Præfecti, ad opem & auxilium implorandum, ad denominatum Henricum electum confugissent, & ille, utpote sua civitate ejectus, opibusque exutus, minimè opitulari potuisset, quòd reliquum fuit eis per litteras suas, ut à Capitaneo Charissimi in Christo Filii Nostri; Caroli Romanorum & Hispaniarum Regis Catholici, in Imperatorem Electi, qui Frisiæ præerat; auxilium exposcerent, concessisset, & ut ipsum Carolum Regem, qui etiam Dux Brabantiæ, & Comes Flandriæ, & Hollandiæ existit, in Dominum recognoscerent, licentiam dedisset; absolvendo eos ab hommagio sibi præstito, ac juramentum fidelitatis eis relaxando; ac dicti Consules, & ad hoc Deputati litterarum earumdem vigore post quædam Capitula, cùm ipsius Caroli Regis Ministris confecta, inter cætera continentia; ut dictus Carolus Rex quamprimum exercitum instruere; & bellum ipsi Carolo Duci inferre deberet; se ipsi Carolo Regi dederunt, ac hommagium & Juramentum fidelitatis ejus tunc Procuratori præstiterunt. Et cùm interim populus Trajectensis de Electo restituendo; & si eis venia daretur, rursus in Civitatem revocando pertractâssent; Dux ipse dolo & fraude quorundam seditiosorum allectus Civitatem Trajectensem clandestinè occupavit; eamque hostiliter diripuit, & ut scelus sceleri adjungeret; Ecclesias prophanare, illarumque bona invadere & diripere, ac auferre veritus non fuit: quinimò quæ ad divinum cultum erant destinata; sacrilego conatu ademit & usurpavit; propter quæ ipse Henricus electus, & undique molestiis, & ærumnis circumventus, ad dilectam in Christo Filiam Nobilem Mulierem; Margaretam Archiducissam Austriæ, pro dicto Carolo Rege in partibus Flandriæ Gubernatorem; nec non ipsius Caroli, Regis in Ducatu Brabantiæ, & Comitatu Hollandiæ Procuratorem confugere; & adversus tam atrocem injuriam & horrida facinora necessariam opem implorare coactus fuit; & cùm dictam Margaretam ad id promptissimam invenisset, & mox certus dicti Caroli Regis Capitaneus, valido exercitu magnis quidem sumptibus coadunato; & sub Signis constituto; in Ducatum dicti Caroli Ducis impetum fecisset, ac oppida sub ipso Duce violenter occupata recuperasset, & ipsum Henricum electum in sua Civitate, è qua ejectus fuerat, restituisset, præfatis Henricus Electus; tot calamitatibus; ope ipsius Caroli Regis, tandem liberatus; animadvertens, se & Civitatem ipsam ac tot castra, oppida & municipia ad suam Ecclesiam Trajectensem spectantia; non sine magna impensa, sibique intolerabili; diutiùs retinere, nec de expensis pro exercitu in ejus defensionem & subsidium comparato factis, præfato Carolo Regi satisfacere posse; ac cupiens dicto Carolo Regi, ob tot in se collata beneficia gratiam aliquam referre; & denominatorum suorum subditorum quieti & tranquillitati ac securitati consulere, eosque ab imminentibus periculis & futuris incommodis præservare; ex præmissis & aliis non minoris momenti causis Civitatem ipsam atque oppida, castra; municipia, &

loca partis inferioris Trajectensis, ad ipsum Henricum Electum, suosque Successores Episcopos Trajectenses, ac Mensam Episcopalem Trajectensem legitimè spectantia, cùm illorum machinis, tormentis, bombardis, ac omnibus & singulis juribus & pertinentiis, jurisdictione temporali, nec non Vasallis, Officiariis, subditis & incolis suis, in ipsum Carolum Regem transtulit & transfudit; ac omnes excisias, census, redditus, emphyteoses, terras, pascua, decimas, vineas, silvas, jura Patronatus, tam laicalia, quàm castralia, nec non omnia Telonia, & Teloniorum jura, Feuda, Vasallagia, Dominia, & ut vulgo dicunt, altas, medias, & bassas jurisdictiones, ac demùm omnem temporalem & secularem jurisdictionem, aliaque servitia & jura quæcunque, ad eum ratione dictæ Ecclesiæ Trajectensis in Civitate, oppidis, Castris, fortalitiis, terris, locis, Dominiis & utraque patria, tam Transyssellana, quàm Cisyssellana prædictis, quomodolibet spectabant & pertinebant, cùm omnibus & singulis eorum pertinentiis & appendentiis, ac Libris feudorum & redditiuum, cartis, registris, computis, & aliis scripturis præmissa concernentibus, præfato Carolo Regi, tanquam Brabantiæ Duci, & Hollandiæ Comiti, pro se & Successoribus, Ducibus Brabantiæ, & Comitibus Hollandiæ, seu ejus tunc legitimo Procuratori, sub Sedis Apostolicæ beneplacito concessit & donavit, ac in eum transtulit. Nec non omnes & singulos Vasallos, Officiales, subditos & incolas prædictos, à juramento fidelitatis, & alia quacunque obligatione, quâ sibi ut Domino temporali tenebantur, absolvit, eisque ut à præfato Carolo Rege, ex tunc de cætero auxilium implorare, illique ac Hæredibus & Successoribus suis, tanquam Ducibus Brabantiæ, & Comitibus Hollandiæ, hommagium & juramentum fidelitatis præstare valerent, liberam licentiam expressè concessit, reservatâ sibi, & Successoribus suis Episcopis Trajectensibus, solâ jurisdictione sua Spirituali per Civitatem prædictam, & Diœcesim Trajectensem, una cùm domo sua Episcopali, in eadem Civitate consistenti, & una alia domo sua extra dictam Civitatem in Diœcesi sua Trajectensi sita, in qua ipse & Successores sui Episcopi Trajectenses, cum sua familia quietis, & otii gratiâ residere possent; sic tamen quòd ipse Carolus Rex Henrico electo, & Successoribus prædictis, nomine annuæ pensionis, duorum millium Caroleorum aureorum, pro dote ejusdem Ecclesiæ persolveret. Ac præmissa omnia acta & constituta sunt, cum scitu & expresso consensu dilectorum Filiorum, Præpositorum, Decanorum, & Capitulorum prædictæ majoris & Collegiatarum Sancti Salvatoris, Sancti Petri, & Sancti Johannis, & Beatæ Mariæ Trajectensium Ecclesiarum; qui habita matura consultatione diligentique examine ea omnia approbarunt, ac rata firmaque & stabilia esse voluerunt; ipsique Præpositi, Decani Capitulaque, qui tempore, quo præfatus Henricus electus Consulibus & Deputatis patriæ Cisyssellanæ hujusmodi per suas litteras concesserat, facultatemque tribuerat, ut dictum Carolum Regem in Dominum recognoscerent, ac illi hommagium & fidelitatis juramentum præstare possent, à Civitate erant expulsi, nec in loco Capitulari simul convenire & consultare poterant, jam tunc de præmissis omnibus, quæ tunc temporis peracta fuerant, plenam notitiam habentes, matura deliberatione, debitisque & consuetis tractatibus præmissis, omnia per Henricum electum, ac Consules & deputatos castrorum patriæ Transyssellanæ, vigore litterarum Henrici electi eis concessarum, gestis & factis in omnibus & per omnia approbarunt & ratificarunt. Et insuper iidem Præpositi, Decani & Capitula planè considerantes, id quòd multis experimentis didicerant, propter Electiones Episcoporum in discordia factas, cùm alii aliò traherent, & suis quisque factionibus inhæreret, Civitatem, universumque populum, atque etiam ipsosmet in tot ærumnas & calamitates frequentur incidisse, ne quid tale ex tunc deinceps eveniret, ultro ac sponte, eidem Carolo Regi, tanquam Duci Brabantiæ, & Comiti Hollandiæ concesserunt, ut quoties contingeret, Ecclesiam Trajectensem carere Pastore, nullus in eorum Episcopum eligendi jus vel potestatem haberet præterquam ille, quem dictus Carolus Rex Dux Brabantiæ, & Comes Hollandiæ, significandum, insinuandum, nominandumque duceret; adjicientes etiam, ut nullus in Decanum alicui ex quinque Ecclesiis antedictis præficeretur, nisi qui ipsi Carolo Regi gratus, & acceptus foret. Et cùm tunc Procurator dicti Caroli Regis præmissa omnia approbasset, acceptasset, & rata habuisset; ipsi Præpositi & Decani, tam Procuratorem, quàm Henricum electum præfatos ad majorem Ecclesiam comitati sunt, & ibidem Procuratorem in tabernaculo decenter ornato collocarunt, Episcopis, & nonnullis Præpositis, ac Decanis earundem Ecclesiarum in suo quisque stallo ut moris est, constitutis, & deinde Hymno *Te Deum Laudamus* alta voce jucundè & alacriter decantato, ac Missâ solemni à quodam Episcopo celebratâ, rursus Henricum electum & Procuratorem præfatos ad Domum Episcopalem comitati sunt, Electoque ibidem relicto, mox dictus Procurator, Prælatis & Nobilibus plerisque comitantibus, ad publicum Urbis palatium se contulit, atque inde ad domum privatam cujusdam civis satis magnificè instructam divertit, pulsatâque campanâ, ad cujus sonitum populus in unum convenire solet, Nobilibus aliisque dictæ Civitatis Ordinibus, in conspectu ejusdem Procuratoris aggregatis, prælectâ juramenti formulâ, quòd in communi dicto Carolo Regi erant præstituri, populus universus denudato cujusque capite, duobusque digitis dextræ manus sursum erectis, juxta morem, qui in jurejurando inibi observatur, solemne juramentum præstiterunt, ac vicissim dictus Procurator, ipsius Caroli Regis nomine, eos honestè beneque tractare & ab ingruentibus malis & periculis protegere & tueri, atque in omnibus boni clementisque Domini officio fungi promisit, & ad ea observanda jurejurando se obstrinxit. Quæ omnia tam Henricus electus, quàm Capitula præfata proponi fecerunt in Consistorio nostro coram nobis, petentes ea, ut stabiliora sint ac plus roboris & firmitatis obtineant, Apostolicâ Auctoritate approbari & confirmari, ac de novo concedi. Nos igitur habita super his cum venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, matura deliberatione & discussione, Electum & singulares personas Capitulorum ejusmodi à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes; de eorundem Fratrum Consilio, & ex certa scientiâ ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, translationem temporalis jurisdictionis Civitatis, castrorum & oppidorum, tam patriæ Transyssellanæ superioris, quàm partis Trajectensis inferioris, ac aliorum jurium prædictorum in ipsum Carolum Regem, tanquam Ducem Brabantiæ, & Comitem Hollandiæ, ac illorum donationem, & alia per eundem Henricum electum, de eorundem Capitulorum consensu facta, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium approbamus & confirmamus, præterquam quoad cessationem pensionis in eventum unionis Mensæ Episcopalis Trajectensis, beneficiorum in locum valoris pensionis; Supplentes omnes & singulos, tam juris quàm facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac potiori pro cautela Civitatem & castra ac alia jura prædicta eidem Carolo Regi, & Successoribus suis, Ducibus Brabantiæ, & Comitibus Hollandiæ, in perpe-

perpetuum de novo concedimus; ac Electionis per Capitula ipsa in Episcopum Trajectensem, absque ipsius Caroli Regis, & Successorum suorum, Ducum Brabantiæ, & Comitum Hollandiæ prædictorum nominatione, nec non Electione Decanorum Ecclesiarum hujusmodi, illorum Decanatuum occurrente vacatione, de aliis personis, quàm Carolo Regi, & ejus Successoribus præfatis, gratis, & acceptis, pro tempore factas, nullas, nulliusque roboris vel momenti existere, eadem auctoritate decernimus. Quo circa venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Panormitano & Episcopo Castelli maris, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Sancti Luburni Daventriensis, Trajectensis Diœcesis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios Carolo Regi & Successoribus suis prædictis, in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari; ac singulos, quos litteræ ipsæ concernunt, illis pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos desuper contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, inquietari, aut perturbari, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, non obstantibus felicis recordationis Pauli Papæ secundi, Prædecessoris nostri, & quibusvis aliis Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, etiam similes approbationes fieri prohibentibus Constitutionibus; nec non majoris & Ecclesiarum aliarum prædictarum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis Apostolicis, Episcopo Trajectensi, pro tempore existenti & dictarum Ecclesiarum Capitulis, sub quibuscunque tenoribus & formis concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, tenores illorum præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, concessionis, Decreti, Mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, vigesimo nono, tertio decimo Kalend. Septembris, Pontificatus nostri, anno sexto.

X. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. pag. 603.

Abdicationem temporalis Dominii Ultrajectini factam ab Henrico Episcopo, & Caroli V. Cæsaris acceptationem ratam habet: anno 1531.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, ad quem sicut omnium rerum Spiritualium cura pertinet, ita bona quoque temporalia ad quascumque Ecclesias spectantia, ipsius sunt dispositionis, pro Pastorali Officio sibi demandato, eò assiduè agit, & meditatur, per quæ Ecclesiæ ipsæ tam Cathedrales, quàm Collegiatæ, & illarum Episcopi, & Prælati quietè, ac tranquillè, & pacificè vivere possint.

Et si quando contingit, Episcopos, & Prælatos ipsos à suis Sedibus, & Ecclesiis violenter ejici, & extrudi, & propterea ad Secularium Principum opem implorandum confugere, ipsorumque sumptibus, viribus, & copiis in pristinas Sedes rursus reponi, & restitui, ac per eos in tantorum Beneficiorum remunerationem bona ipsa temporalia, & Sæcularem eorum jurisdictionem iisdem Principibus liberatoribus concedi, & in eos transferri; Pontifex ipse tales concessiones, & translationes auctoritate Apostolicâ approbare, & confirmare, ac de novo concedere consuevit; ut eo scilicet pacto, & ipsarum Ecclesiarum incolumitati consulatur, & earum Episcopi, & Prælati in quieta tranquillitate, & securitate constituantur, prout id in Domino conspicit salubriter expedire.

Sanè licèt à longis retroactis temporibus, ad omnes Episcopos Trajectenses, qui pro tempore fuerunt, Dominium tam Spirituale, quàm Sæculare Ecclesiæ Trajectensis, ac plurium oppidorum, locorum, & castrorum, tam in Agro Trajectensi, quàm in partibus superioribus Patriæ Transyssellanæ, consistentium, plenissimo jure pertinuerit.

Nihilominùs dilectus Filius nobilis, Vir Carolus, Dux Gelriæ, præter jus & fas, primò bonæ memoriæ *Fredericum* Marchionem Badensem, olim Episcopum Trajectensem, quoddam ex ipsis oppidis manu armata, ac militari spoliavit, illudque violenter occupavit; ad quòd rursus vindicandum idem *Fredericus* Episcopus ingentes expensas, innumerosque labores subire coactus fuit.

Et deinde idem Carolus Dux, similis memoriæ *Philippum de Burgundia*, etiam Episcopum Trajectensem, plurimis ex eisdem castris, & oppidis vi, & armis spoliavit, sibique injustè usurpavit: Pro quibus recuperandis, licèt magni sumptus à prænominatis Episcopis facti, pecuniæque ingentes erogatæ fuerint, tamen ea loca sic occupata in manibus & potestate ipsius Ducis Caroli permanserunt, usque ad tempus, quo dilectus Filius Henricus Comes Palatinus, & Dux Bavariæ, in Episcopum Trajectensem electus, & electio hujusmodi Apostolicâ forsan auctoritate confirmata extitit.

Qui quidem Henricus Electus animadvertens, quot damna, & incommoda Prædecessores sui Episcopi Trajectenses subierant, ut ea quoquo pacto resarciret, ac paci, quieti, securitatique suæ, ac subditorum suorum consuleret, talem concordiam operâ, & interventu venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Treverensis, cùm eodem Carolo Duce iniverat, ut ipse Henricus Electus ei summam quinquaginta millium florenorum enumeraret, & quorundam castrorum occupatorum usumfructum ad ejus vitam dimitteret.

Quæ quidem castra eo defuncto rursus ad Ecclesiam redirent, sed ea lege, ut si proles legitima ex eo superesset, illi proli duntaxat quinquaginta millia florenorum persolveretur: Cætera verò castra sic occupata, ex tunc eidem Henrico Electo restitui deberent, prout mox etiam restituta fuerunt.

Et quamvis dictus Henricus, eâ concordiâ sic stabilitâ, omninò speraret, se deinceps summa in pace & tranquillitate unà cum subditis suis permansurum, nihilominùs ipse Carolus Dux, oblata occasione, quòd idem Henricus Electus interim populari seditione fuerat repulsus, immemor fœderis, & concordiæ hujusmodi, castra & oppida, Patriæ Transyssellanæ invadere, atque obsidione premere veritus non fuerit.

Et cum castrorum, & oppidorum prædictorum Consules, & Præfecti ad opem, & auxilium implorandum, ad dictum Henricum Electum confugissent; & ille, utpote ex sua Civitate ejectus, opibusque exutus, minimè opitulari potuisset, quod reliquum fuit eis per litteras suas, ut à Capitaneo carissimi in Christo Filii nostri Caroli, Romanorum, & Hispaniarum Regis Catholici, in

Imperatorem electi, qui Frisiæ præerat, auxilium deposcerent, concessisset, & ipsum Carolum Regem; qui etiam Dux Brabantiæ, & Comes Flandriæ & Hollandiæ extitit, in Dominum cognoscerent, licentiam dedisset (absolvendo eos ab hommagio sibi præstito, ac juramentum fidelitatis eis relaxando) ac dicti Consules ad hoc Deputati, litterarum earumdem vigore post quædam Capitula cùm ipsius Caroli Regis Ministris confecta, inter cætera continentia, ut dictus Carolus Rex quamprimum exercitum instruere, ac bellum ipsi Caroli Duci inferre deberet) seipsi Carolo Regi dederant, & hommagium, & juramentum fidelitatis ejus tunc Procuratori præstiterunt. Et cum interim populus Trajectensis de Electo restituendo, & si eis venia daretur, rursus in Civitatem revocando pertractasset, Dux ipse dolo & fraude quorumdam seditiosorum allectus, Civitatem Trajectensem clandestinè occupavit, eamque hostiliter diripuit, & ut scelus sceleri adjungeret, Ecclesias prophanare, illarumque bona invadere ac diripere, & auferre veritus non fuit. Quinimò quæ ad Divinum Cultum erant destinata sacrilego conatu ademit, atque usurpavit.

Propter quæ ipse Henricus electos tot undique molestiis, & ærumnis circumventus, ad dilectam in Christo Filiam nobilem Mulierem Margaretham Archiduchissam Austriæ, pro dicto Carolo Rege, in partibus Flandriæ Progubernatricem, necnon ipsius Caroli Regis in Ducatu Brabantiæ, & Comitatu Hollandiæ Procuratorem confugere, & adversus tam atrocem injuriam, & horrida facinora, necessariam opem implorare coactus fuit.

Et cum dictam Margaretham ad id promptissimam invenisset, & mox certus dicti Caroli Regis Capitaneus valido exercitu, magnis quidem sumptibus, coadunato, & sub signis constituto, in Ducatu dicti Caroli Ducis impetum fecisset, ac Oppida sub ipso Duce violenter occupata recuperasset, & ipsum Henricum electum in sua Civitate, à qua ejectus fuerat, restituisset; præfatus Henricus electus tot calamitatibus ope ipsius Caroli Regis tandem liberatus, animadvertens se, & Civitatem ipsam, ac tot Castra, & Oppida & Municipia ad suam Ecclesiam Trajectensem spectantia, non sine magna impensa, sibique intolerabili, diutiùs retinere, nec de expensis pro exercitu in ejus defensionem, & subsidio comparato factis, præfato Carolo Regi satisfacere posse, ac cupiens dicto Carolo Regi ob tot in se collata beneficia gratiam aliquam referre, & demum suorum subditorum quieti & tranquillitati & securitati consulere, eosque ab imminentibus periculis, & futuris incommodis præservare.

Ex præmissis, & aliis non minoris momenti causis, Civitatem ipsam, ac Oppida, Castra, Municipia & Loca partis inferioris Trajectensis ad ipsum Henricum electum, suosque Successores, Episcopos Trajectenses, ac Mensam Episcopalem Trajectensem legitimè spectantia, cum illorum machinis, tormentis, bombardis, ac omnibus & singulis juribus, pertinentiis, jurisdictione temporali, necnon vasallis, officialibus, subditis & incolis suis in ipsum Carolum Regem transtulit & transfudit.

Ac omnes excisias, census, redditus, emphyteoses, terras, pascua, decimas, vineas, sylvas, Jura Patronatus, tam laicalia, quam castralia, necnon omnia telonia, & telonorum jura, studia, vassallagia, dominia, & ut vulgò dicunt altas, medias & bassas Jurisdictiones, & demum omnem temporalem & sæcularem Jurisdictionem, aliaque servitia & jura, quæcunque ad eam ratione dictæ Ecclesiæ Trajectensis, in Civitate, Oppidis, Castris, Fortalitiis, Terris, Locis, Dominiis, & utraque Patria tam Transysellana, quam Cisyssellana prædictis quomodolibet spectabant, cum omnibus & singulis eorum pertinentiis & appenditiis, ac libris Feudorum, ac reddituum, chartis, registris, computis & aliis scripturis præmissa concernentibus, præfato Carolo Regi, tamquam Brabantiæ Duci, & Hollandiæ Comiti, pro se & Successoribus Ducibus Brabandiæ, & Comitibus Hollandiæ, seu ejus tunc legitimo Procuratori sub Sedis Apostolicæ beneplacito concessit & donavit, ac in eum transtulit.

Nec non omnes & singulos vasallos, officiales, subditos & incolas prædictos à juramento fidelitatis, & alia quacunque obligatione, qua sibi ut Domino temporali tenebantur, absolvit, eisque, ut à præfato Carolo Rege ex tunc de cætero auxilium implorare, illique, ac Hæredibus & Successoribus, tanquam Ducibus Brabantiæ, & Comitibus Hollandiæ hommagium, & juramentum fidelitatis præstare valerent, liberam licentiam expressè concessit.

Reservatâ sibi, & Successoribus suis Episcopis Trajectensibus, sola Jurisdictione sua Spirituali per Civitatem prædictam, & Diœcesim Trajectensem, unà cum Domo sua Episcopali in eadem Civitate consistente, & una alia Domo extra Civitatem in Diœcesi sua Trajectensi sita, in qua ipse, & Successores sui Episcopi Trajectenses cum sua Familia, quietis & otii gratiâ considere possent.

Sic tamen quod ipse Carolus Rex, Henrico electo, & Successoribus prædictis, nomine annuæ pensionis duorum millium Caroleorum aureorum pro dote ejusdem Ecclesiæ persolveret, ac præmissa omnia acta & constituta sint, cum scitu & expresso consensu dilectorum Filiorum Præpositorum, Decanorum & Capitulorum prædictæ majoris & Collegiatarum Sancti Salvatoris, Sancti Petri, Sancti Joannis, & B. Mariæ Trajectensium Ecclesiarum.

Qui habitâ maturâ consultatione, diligentique examine, ea omnia approbarunt, & rata firmaque & stabilia esse voluerunt. Ipsique Præpositi, Decani, Capitulaque, qui tempore, quo præfatus Henricus electus, Consulibus, Deputatis Patriæ Cisyssellanæ hujusmodi per suas litteras concesserat, facultatemque tribuerat, ut dictum Carolum Regem in Dominum recognoscerent, ac illi hommagium, & fidelitatis juramentum præstare possent, à Civitate erant expulsi, nec in Loco Capitulari simul convenire & consultare poterant. Jam tunc de præmissis omnibus, quæ tum temporis peracta fuerant, plenam notitiam habentes, matura cum deliberatione, debitisque & consuetis tractatibus præmissis, omnia per Henricum electum, & Consules & Deputatos Castrorum Patriæ Transysellanæ, vigore litterarum Henrici electi eis concessarum gesta & facta, in omnibus & per omnia approbarunt, & ratificarunt.

Et insuper iidem Præpositi, Decani & Capitula plenè considerantes id, quod multis experimentis didicerant, propter electiones Episcoporum in discordia factas (cùm alii aliò traherent, & suis quisque factionibus inhæreret, Civitatem, universumque populum, atque etiam ipsosmet in ærumnas & calamitates frequenter incidisse) ne quid tale ex tunc deinceps eveniret, ultrò, ac spontè eidem Carolo Regi, tanquam Duci Brabantiæ, & Comiti Hollandiæ concesserunt, ut quoties contingeret Ecclesiam Trajectensem carere Pastore, nullus in eorum Episcopum eligendi jus, vel potestatem haberet, præterquam ille, quem dictus Carolus Rex ut Dux Brabantiæ, & Comes Hollandiæ significandum, insinuandum, nominandumque duceret.

Adjicientes etiam, ut nullus in Decanum alicui ex quinque Ecclesiis antedictis præficetur, nisi qui ipsi Carolo Regi gratus & acceptus foret. Et cum tunc Procurator dicti Caroli Regis præmissa omnia approbasset, acceptasset, & rata habuisset, ipsi Præpositi & Decani tam Procuratorem, quam Henricum electum præfatos, ad majorem Ecclesiam comitati sunt. Et ibidem Procuratorem in Tabernaculo decenter ornato collocarunt, Episcopo, & nonnullis Præpositis ac Decanis earumdem Ecclesiarum in suo quisque Stallo, ut moris est, constitutis, & deinde Hymno *Te Deum Laudamus*, alta voce jucundè & alacriter decantando, ac Missâ

ſolemni à quodam Epiſcopo celebratâ, rurſus Henricum electum, & Procuratorem præfatos ad Domum Epiſcopalem comitati ſunt.

Electoque ibidem relicto, mox dictus Procurator, Prælatis & Nobilibus plerisque comitantibus, ad publicum urbis Palatium ſe contulit, atque inde ad Domum privatam cujusdam Civis ſatis magnificè inſtructam divertit, pulſatâque Campanâ, ad cujus ſonitum populus in unum convenire ſolet, Nobilibus, aliisque dictæ Civitatis Ordinibus in conſpectu ejusdem Procuratoris congregatis, præfataque juramenti formulâ, quâ communi dicto Carolo Regi erant præſtituri, populus univerſus denudato cujusque capite, duobusque digitis dexteræ manus ſurſum erectis, juxta morem, qui jurejurando inibi obſervatur, ſolemne juramentum præſtiterunt, & viciſſim dictus Procurator ipſius Caroli Regis nomine, eos honeſtè, beneque tractare, & ab ingruentibus malis, & periculis protegere & tueri, ac in omnibus boni, clementiſſimique Domini Officio fungi promiſit, & ad ea obſervanda jurejurando ſe aſtrinxit.

Quæ omnia tam Henricus electus, quàm Capitula præfata proponi fecerunt in Conſiſtorio noſtro coram nobis, petentes ea, ut ſtabiliora ſint, ac plus roboris & firmitatis obtineant, Apoſtolicâ auctoritate approbari, ac confirmari, ac de novo concedi: Nos igitur, habitâ ſuper his cùm venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, maturâ deliberatione, & diſcuſſione, Electum, & ſingulares Perſonas Capitulorum hujuſmodi, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quâvis occaſione vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtant, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, de eorundem Fratrum Conſilio, & ex certâ ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, translationem temporalis jurisdictionis Civitatis, Caſtrorum, & Oppidorum, tam Partiæ Tranſyſſellanæ ſuperioris, quàm Partis Trajectenſis inferioris, ac aliorum jurium prædictorum, in ipſum Carolum Regem, tanquam Ducem Brabantiæ, & Comitem Hollandiæ, ac illorum Donationem, ac alia per eundem Henricum electum, de eorundem Capitulorum conſenſu facta, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium approbamus, & confirmamus.

Præterquam quoad caſſationem penſionis, in eventum unionis Menſæ Epiſcopalis Trajectenſis, beneficiorum Eccleſiaſticorum valore dictæ penſionis.

Supplentes omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eisdem, ac potiori pro cautelâ Civitatem, & Caſtra, ac alia jura prædicta eidem Carolo Regi, & Succeſſoribus ſuis Ducibus Brabantiæ, & Comitibus Hollandiæ, in perpetuum de novo concedimus.

Ac electiones per Capitula ipſa in Epiſcopum Trajectenſem, absque ipſius Caroli Regis, & Succeſſorum ſuorum Ducum Brabantiæ, & Comitum Hollandiæ, prædictorum nominatione, nec non Electiones Decanorum Eccleſiarum hujuſmodi, illorum Decanatuum occurrente vacatione, de aliis perſonis, quàm Carolo Regi, & ipſius Succeſſoribus præfatis, gratis, & acceptis, pro tempore factas, nullas, nulliusque roboris vel momenti exiſtere, eadem auctoritate decernimus.

Quocircà venerabilibus Fratribus noſtris Archi-Epiſcopo Panormitano, & Epiſcopo Caſtellimaris, ac dilecto Filio Decano Eccleſiæ Sancti Lebuini Daventrienſis, Trajectenſis Diœceſis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios Carolo Regi, & Succeſſoribus ſuis prædictis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos litteræ ipſe concernunt, illis pacificè frui, & gaudere.

Non permittentes eos deſuper contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, inquietari, & perturbari. Contradictores auctoritate noſtra per Cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, non obſtantibus felicis recordationis Pauli Papæ Secundi, Prædeceſſoris noſtri, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, ſimiles approbationes fieri prohibentibus Conſtitutionibus; nec non majoris, & Eccleſiarum aliarum prædictarum juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & Indultis Apoſtolicis Epiſcopo Trajectenſi pro tempore exiſtenti, & dictarum Eccleſiarum Capitulis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus, tenores illorum præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hâc vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, conceſſionis, Decreti, Mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domini MDXXXI. XIII. Calendas Septembris, Pontificatus noſtri anno VI.

PAULUS TERTIUS.
PONTIFEX CCXXIV.
ANNO DOMINI MDXXXIV.

PAulus Tertius, Alexander Farneſius prius nominatus, Anno 1534. ad Pontificatum evectus, Concilium Tridentinum inchoavit, Societatem JESU, & Congregationem Urſulinam confirmavit: Morti proximus lepidè dixit, maluiſſe ſe Culinæ Fratrum Capucinorum totâ vitâ inſerviiſſe, quàm Papam fuiſſe: Annos quindecim in hac dignitate vixit. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb. fol.* 697.)

Abbatiam S. Bavonis Ordinis S. Benedicti Gandavi ſupprimit, & è Monachis facit Canonicos Sæculares, & ex bonis ejusdem Monaſterii erigit inſigne Capitulum, petente Carolo V. Imperatore: anno 1536. I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. pag. 1051.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SAcri Apoſtolatus Miniſterio, meritis licèt imparibus, ſuperna diſpoſitione præſidentes, ex commiſſi nobis Paſtoralis Officii debito, ad ſingulas Eccleſias, & Monaſteria dirigentes circumſpectæ conſiderationis intuitum, illorum, ac in eis Altiſſimo famulantium perſonarum ſtatum in-

terdum

terdum alteramus, & commutamus, ac desuper disponimus, & ordinamus, prout Catholicorum Principum vota exposcunt, & rationabiles causæ persuadent, ac locorum, & temporum conditionibus diligenter pensatis, ad divini cultus augmentum, ac pro Ecclesiarum, ac Monasteriorum eorumdem decore, & venustate conspicimus in Domino salubriter expedire.

Sanè carissimus in Christo Filius noster Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus, qui etiam Comes Flandriæ existit, nobis exponi fecit, quòd licèt Monasterium Sancti Bavonis situm juxta oppidum Gandense, Ordinis S. Benedicti Tornacensis Diœcesis, Sedi Apostolicæ immediatè subjectum, olim per præfatum Sanctum Bavonem Hasbaniæ Comitem fundatum, & successu temporis per Comites Flandriæ, ipsius Caroli Imperatoris, & Comitis Prædecessores dotatum, nobile, & insigne, ac in eo ultra Abbatialem illius dignitatem, unus Prioratus, & unus Præpositatus, ac una Præpositura Sancti Amandi nuncupata, & una Thesauraria, nec non una Eleemosynaria, una Pictantiaria, una Infirmaria, una Hospitalaria, ac forsan alia Officia, inibi Claustralia, per illius Monachos, Ordinem ipsum expressè professos, etiam cum ipsius Monasterii Monachialibus portionibus obtineri solita, ac plures Monachales portiones fore dignoscuntur, & ab eodem Monasterio Præpositura *in Papingloo* Ordinis, & Diœcesis prædictorum, in qua per Abbatem ipsius Monasterii pro tempore existentem, unus ex illius Monachis ad nutum amovibilis deputari consuevit, dependet, & plura beneficia Ecclesiastica ad præsentationem, & collationem ejusdem Abbatis pertineant.

Cùm tamen dictum oppidum (quòd ortum natalibus ipsius Caroli Quinti Imperatoris dedit) plurimùm insigne, & famosum, dictique Comitatus principale, & præcipuum, ac in eodem oppido unum aliud etiam opulentum Monasterium ejusdem Ordinis, sub invocatione Sancti Petri dicatum, & nulla Cathedralis, aut Collegiata Sæcularis existat, præter unam tantùm vetustam, & depauperatam sub invocatione Sancti Pharaldis, cujus (causantibus inundationibus maris, quæ ante centum, & tredecim annos evenerunt) tam fructus Præbendarum, quarum aliquæ valorem duorum Ducatorum auri communi æstimatione non excedunt, quàm distributiones adeò tenues existunt, ut ad præsens non sit ibidem Canonicatus, qui ex fructibus suæ Præbendæ se decenter sustentare possit.

Si in dicto Monasterio Sancti Bavonis nomen, & titulus Monasterii, ac dignitatis Abbatialis, & Conventualis, nec non Ordo Sancti Benedicti, ac omnis Status, & omnis dependentia Regularis, nec non Prioratus, & Præpositatus, ac Sancti Amandi, & *in Palingloo* Præpositura, Eleemosynaria, Pictanciaria, Infirmaria, Hospitalaria, nec non Thesauraria, & alia Officia, ac singulæ Monachales portiones penitùs, & omninò perpetuò supprimerentur, & extinguerentur, ac Ecclesia Monasterii (pars dispositiva Sancti Bavonis) ejusmodi in Collegiatam Ecclesiam Sæcularem, ac in eo, loco dictæ Abbatialis dignitatis una Præpositura Sæcularis inibi principalis, pro uno Præposito Sæculari, & loco Prioratus unus Decanatus, una Cantoria, pro uno Cantore, nec non una Thesauraria Sæcularis loco Thesaurariæ regularis, ac locò Præpositurae de *Papingloo*, una Scholastaria, quæ non principales inibi dignitates, nec non viginti quatuor Canonicatus, & totidem Præbendæ perpetuo erigerentur, & instituerentur, profecto feliciori statui Ecclesiæ Monasterii Sancti Bavonis hujusmodi consuleretur, & tam illa, quàm oppidum ipsum magis decoraretur, & venustiora redderentur, divinusque cultus in eadem Ecclesia, & ad illam Christi fidelium devotio, cum illorum speciali consolatione, & animarum salute non parum augeretur.

Quare præfatus Carolus Imperator nobis humiliter supplicari fecit, ut in dicto Monasterio Sancti Bavonis nomen, & titulum Monasterii, ac dignitatem Abbatialem, & Conventualem, nec non Ordinem prædictum, ac omnem Statum, & omnem dependentiam regularem, nec non singula Officia, ac Monachales portiones hujusmodi perpetuo supprimere, & extinguere, ac illius Ecclesiam prædictam in Sæcularem, & Collegiatam, ut præfertur, erigere, & instituere, aliàsque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica uniri, tenerentur exprimere annuum valorem secundùm æstimationem prædictam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioqui unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatas, quorum interesset, quippe Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumlibet, eorumque personarum prosperum Statum, ac in illis divini cultus augmentum sinceris desideramus affectibus.

Monasterii, ac Singulorum Officiorum, ac Monachalium portionum prædictorum, fructuum, redituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, cùm ad hoc dilecti Filii Lucæ Muenieh, moderni Abbatis, per dilectum Filium Magistrum Andream Castella, Scriptorem, ac Familiarem nostrum, Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, accedat.

Et si etiam dilectorum Filiorum Conventus dicti Monasterii Sancti Bavonis accesserit assensus, ad Omnipotentis Dei Laudem, & militantis Ecclesiæ exaltationem, ac Monasterii Sancti Bavonis, & Ecclesiæ prædictæ feliciorem successum, in ipso Monasterio Sancti Bavonis nomen, & titulum Monasterii, & dignitatem Abbatialem, & Conventualem, nec non Ordinem prædictum, omnemque Statum, & dependentiam regularem, ac Prioratum, & Præposituram, nec non Sancti Amandi *Papingloo* Præposituram, & Thesaurariam, Pictantiariam, Infirmariam, Hospitalariam, & alia Officia prædicta, illorum qualitates, & denominationes, ita ut de cætero Prioratus, Præpositatus, Præpositura, Thesauraria, Eleemosynaria, Pictanciaria, Infirmaria, Hospitalaria, & alia Officia dici, nominari, & censeri non possint, ac singulas Monachales portiones hujusmodi Auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium, perpetuò, penitùs, & omninò supprimimus, & extinguimus.

Ac in Ecclesia Sancti Bavonis hujusmodi Statum Regularem, in Statum Canonicorum, ac Presbyterorum, ac Clericorum Sæcularium immutamus, & ad Statum Sæcularem illam reducimus, ipsamque Ecclesiam in Sæcularem, & Collegiatam, ac in ea Capitulum Sæculare cum Mensa Capitulari, Sigillo, & arcâ communibus, aliisque Collegialibus insigniis:

Nec non loco suppressæ Abbatialis dignitatis unam Præposituram, quæ principalis pro uno Præposito Seculari, qui similem jurisdictionem, potestatem, auctoritatem, & præeminentiam, etiam quoad Pontificalium usum, & exercitium, ac solemnis benedictionis elargitionem habeat, prout Abbas prædicti Monasterii habere consueverat:

Nec non loco Prioratus unum Decanatum pro uno Decano, ac loco Præposituratus unam Cantoriam pro uno Cantore, ac loco Thesaurariæ Regularis, unam Thesaurariam Sæcularem, pro uno Thesaurario, & loco Præpositurae, in *Palingloo* unam Scholastriam, dignitates inibi non principales:

Nec non viginti quatuor Canonicatus, & totidem Præbendas pro viginti quatuor Canonicis, qui cum Præposito, Decano, Cantore, Thesaurario, & Scholastico præfatis, Capitulum ipsius

Ecclesiæ faciant, & constituant, & qui omnes horas Canonicas diurnas pariter, & nocturnas, & Missas, ac alia Officia divina secundùm usum, ritum, & observationem Romanæ, seu Tornacensis Ecclesiæ retinere possint, perpetuò erigimus, & instituimus.

Nec non eidem sic erectæ Ecclesiæ, seu illius Capitulari Mensæ pro ejus, seu Præpositurae, Decanatus, Cantoriæ, Thesaurariæ, Scholastriæ, Canonicatuum, & Præbendarum prædictarum dote, omnia, & singula Bona, & fructus Monasterii, & suppressorum Prioratus, Præpositatus, Præpositurarum, Thesaurariæ, Eleemosynariæ, Pictanciariæ, Infirmariæ, Hospitalariæ, & portionum Monachalium prædictorum:

Absque præjudicio ipsius moderni Abbatis, qui de cætero quoad vixerit, Præpositus, aut si maluerit, Abbas nuncupetur, ac omnibus, & singulis præeminentiis, honoribus, Dominiis, Officiorum Sæcularium deputationibus, collationibus, & præsentationibus Beneficiorum, nec non fructibus, redditibus, & proventibus, & emolumentis universis, quibus ante hujusmodi suppressionem, & erectionem prædictas utebatur, possidebat, & gaudebat, utatur, potiatur, & gaudeat.

Nec Monachis ejusdem; aut eorum aliquibus decedentibus, aliis Canonicis Sæcularibus in locum decedentium Monachorum recipiendis, vita sibi comite, præter Monachalem portionem, quàm ipsi Monachi hactenus habuerunt, aliquid, nisi ex ejus libito dare teneatur.

Ac dignitates, nec non Canonicatus, & Præbendas prædictas ex Bonis Monasterii hujusmodi perpetuò dotare, illisque ex nunc, prout post ejus decessum, & è contra, dotem, prout sibi videbitur, assignare possit, ac per eum facienda dotatio, & assignatio hujusmodi, cum facta fuerit auctoritate Apostolicâ approbata, & confirmata censeatur, ita quod liceat Præposito, & Capitulo ejusdem erectæ Ecclesiæ per se, vel per alium, seu alios eorum nomine corporalem possessionem Bonorum suppressorum Abbatialis dignitatis, post decessum ipsius moderni Abbatis:

Ac ex nunc Prioratus, Præpositatus, Præpositurarum, Thesaurariæ, Eleemosynariæ, Pictanciariæ, Infirmariæ, Hospitalariæ, & aliorum Officiorum, Monachaliumque portionum propria auctoritate liberè apprehendere, ac perpetuò retinere, ac illorum ac alios eorundem suppressorum dignitatum, Officiorum, & Monachalium portionum fructus, redditus, & proventus percipere, ac in suos usus, & utilitatem convertere, Diœcesani loci, & cujusvis alterius licentiâ super hoc minimè requisitâ, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non modernum Abbatem, ac omnes, & singulos ipsius Monasterii Sancti Bavonis Monachos, etiam illius officia prædicta obtinentes, ordinem ipsum inibi, vel alibi tacitè, vel expressè professos, ab observantia constitutionum, & Statutorum, ac Consuetudinum Regularium Monasterii Sancti Bavonis, & Ordinis Prædictorum, nec non quorumcumque per eos in eorum professione emissorum votorum (obedientiæ, & castitatis votis dumtaxat exceptis) & à Regula Sancti Benedicti, & secundùm illam divini officii recitatione.

Ita ut si Abbas, & Monachi nunc regulares, de cætero Præpositus, Decanus, Cantor, Thesaurarius, Scholasticus, & Canonici Sæculares ipsius Ecclesiæ existant, & pro talibus habeantur, & reputentur, ac de cætero habitum regularem dicti Ordinis gestare, & illius regularia instituta, definitiones, ritus, & mores, etiam quoad divinorum celebrationem, jejunia, victum, & ciborum usum, ac indumentorum, & alia quæcumque, ad quæ dicti Ordinis, seu professionis occasione tenebantur, in futurum observare minimè teneantur.

Sed in habitu, cæremoniis, ritu, incessu, moribus, & vita quoad omnia Sæcularibus Canonicis aliarum Collegiatarum Secularium Ecclesiarum illarum partium, se omninò & ubique, absque alicujus apostasiæ nota, seu Censuræ incursu conformare.

Et præsentium vigore modernus Abbas loco suppressæ Abbatialis dignitatis, Præposituram Sæcularem, & modernus Prior Decanatum, & modernus Præpositus Cantoriam, & modernus Thesaurarius regularis Thesaurariam Sæcularem, nec non modernus Præpositus in *Palingloo* Scholastriam erectos, ac singuli Monachi præfati unum ex Canonicatibus, & unam ex Præbendis erectis hujusmodi, absque alia provisione eis de illis respectivè facienda, retinere possint.

Ipseque modernus Abbas dictæ erectæ Ecclesiæ Præpositus, ut de quibusvis bonis suis mobilibus, & immobilibus, quomodolibet etiam tacitè intuitu Ecclesiæ acquisitis, vel acquirendis, liberè, & licitè in vita, & in morte testari, & disponere valeat, sed spolia quæ nunc sunt, & pro tempore erunt, ejusdem erectæ Ecclesiæ Monachorum decedentium, ad Mensam Capitularem dictæ Ecclesiæ hujusmodi pertineant.

Ac Præposito, ac dignitates obtinentibus, nec non Canonicis, & personis ejusdem erectæ Ecclesiæ ab intestato decedentibus, etiamsi Consanguineos habuerint, nihilominùs Capitulum præfatis, quoad bona intuitu Ecclesiæ acquisita, fabricæ ipsius erectæ Ecclesiæ applicanda, succedant.

Sic tamen, quòd nunc præsentes Monachi, qui habitum regularem, & regulam Sancti Benedicti dimittere noluerint, in illis quandiù voluerint, remanere possint, & nihilominùs divinis in dicta Ecclesia deserviendo tantum percipiant, quantum unus ex illis Canonicis dictæ erectæ Ecclesiæ, ac sedeant, & incedant, vocemque activam & passivam habeant inter alios Canonicos secundum ordinem pristinum, dummodò in divinis, & aliis Ecclesiasticis Officiis in superiore habitu aliis Canonicis se conforment, auctoritate prædicta, earum denique tenore præsentium absolvimus, & liberamus.

Et insuper quòd dicta erecta Ecclesia, & illius Præpositus, dignitates obtinentes, Canonici, & personæ pro tempore existentes, prout dictum Monasterium, & illius Abbas, & Monachi ante hujusmodi suppressionem, & erectionem, exempti, & dictæ Sedi immediatè subjecti sint, & esse censeantur.

Et quod Jus Patronatus, & præsentandi personas idoneas tam ad Præposituram, quam ad Canonicatus, & Præbendas, hâc primâ vice duntaxat exceptâ, pro tempore quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem Apostolicam vacantes, ad præfatum Carolum Imperatorem, & pro tempore existentem Comitem Flandriæ, Romano Pontifici pro tempore existenti:

Electio verò idonearum personarum ad Decanatum, Cantoriam, Thesaurariam, Scholastriam erectos, ad Præpositum, Decanum, & Capitulum ejusdem erectæ Ecclesiæ:

Institutio autem personarum sic per eos, pro tempore electarum, nec non collatio, & provisio aliorum duodecim Canonicatuum, & Præbendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam hâc vice, ad ipsum solum Præpositum pro tempore existentem:

Ac collatio, & præsentatio & omnium singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ad collationem, & præsentationem ipsius Abbatis pertinebant, etiam de cætero ad eundem solùm Præpositum pertineant, nec Ordinarius Loci in collationem dictarum Præbendarum, & Canonicatuum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum se quoquo modo immiscere possit.

Et

Et dicto moderno Abbate decedente, ex omnibus Bonis dicti Monasterii eidem Mensæ Capitulari applicatis, fructibus, redditibus, & proventibus, Præpositus pro tempore existens, quantum quatuor, unà cùm Domibus, & Dominiis dicti olim Monastarii per eum eligendis, & eidem Præpositurae applicandis:

Ac singuli ex Decano, Cantore, Thesaurario, & Scholastico præfatis æquales portiones cùm aliis Canonicis pro rata, unà cum quota pecuniaria, vel portione Bonorum Monasterii hujusmodi per dictum modernum Abbatem eis, & eorum cuilibet ratione dictarum dignitatum ad suum libitum deputanda, & consignanda, percipiant, nisi idem modernus Abbas (vita sibi comite) juxta facultatem sibi per præsentes concessam, aliter (quàm ut præfertur) disposuit.

Et Præpositus pro tempore præsentatus, & institutus solus Officiarios Justitiæ, videlicet Ballivum, Schultetum, Scabinos, & similes cum omni jurisdictione (prout ad præsens modernus Abbas habet) tam in dicto Monasterio Sancti Bavonis, quàm Dominiis ejusdem:

Cæteros verò Officiales, ac Receptores Bonorum dictæ erectæ Ecclesiæ Præpositus cum Capitulo deputare possint, & debeant, eisdem auctoritate & tenore, perpetuò statuimus, & ordinamus, ac eidem moderno Abbati futuro Præposito, Canonicis, & aliis personis dictæ erectæ Ecclesiæ domos, & mansiones deputandi, & assignandi:

Nec non Præposito pro tempore existenti, & Capitulo præfatis tam circa divinorum Officiorum celebrationem, quàm Bonorum, & rerum dictæ erectæ Ecclesiæ conservationem, & augmentum, ac fructuum distributionem, quæcumque Statuta, & Ordinationes, licita, & honesta, ac Sacris Canonibus non contraria condendi, & condita (prout qualitas temporum exegerit) reformandi, & immutandi, ac alia de novo faciendi, quæ postquam condita, reformata, immutata, ac de novo edita fuerint, Apostolica auctoritate prædicta, etiam firmata sint, & esse censeantur, ac firmiter observari debeant, plenam, & liberam facultatem concedimus; Et nihilominùs eidem Ecclesiæ, & illius Præposito, Decano, Cantori, & Thesaurario, Scholastico, Capitulo, Canonicis, & personis pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, franchitiis, prærogativis, facultatibus, gratiis, concessionibus, & indultis, eidem Monasterio, ac illius Abbati, & personis tam Apostolica, quam ordinaria auctoritatibus, seu etiam per quoscumque Romanos Pontifices, ac Imperatores, Reges, Duces, Comites, Comitissas, Marchiones, & quoscumque alios Superiores quomodolibet concessis, quibus per præmissa nullatenùs præjudicatum censeatur, sed illis, ut prius, & aliis, quibus aliæ Ecclesiæ Collegiatæ Sæculares illarum partium, ac illarum Dignitates, Canonici, & Personæ quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possint quomodolibet in futurum, etiam quoad delationem Almutiarum pariformiter, & absque ulla differentia uti, potiri, & gaudere possint, & debeant, indulgemus.

Prætereà Abbatem, & Monachos præfatos ac eorum singulos, qui propter institutorum regularium prædictorum transgressionem, aliquam apostasiæ notam, aut irregularitatem, seu inhabilitatem incurrerint, ab hujusmod excessibus, nec non apostasia, & quibusvis excommunicationis, & aliis Sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas præmissorum occasione forsan quomodolibet incurrerint, auctoritate, & tenore supradictis absolvimus, ac cùm eis super irregularitate (si quam Censuris hujusmodi ligati, Missas, & alia Officia divina celebrando, aut illis se immiscendo contraxerint) quodque, quæcumque, quodcumque, & qualiacumque cum Cura, & sine Cura Sæcularia, aliàs invicem compatientia Beneficia Ecclesiastica, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia, in Cathedralibus, & Metropolitanis, vel Collegiatis, & Dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales Majores, seu Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, & ad Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque Cura immineat animarum, si eis Canonicè conferantur, aut eligantur, præsententur, vel aliàs assumantur ad illa, & instituantur in eis, post suppressionem, & reductionem hujusmodi recipere, & retinere, illaque simul, vel successivè, simpliciter, vel ex Causa permutationis, quoties eis placuerit, dimittere, & loco dimissi, vel dimissorum, aliud, vel alia, simile, vel dissimile, aut similia, vel dissimilia, Beneficium, vel Beneficia, Ecclesiasticum, vel Ecclesiastica, quæcumque, quodcumque, & qualiacumque cum Cura, & sine Cura se invicem compatientia, similiter recipere, & (ut præfertur) retinere liberè, & licitè valeant, auctoritate, & tenore supradictis de speciali dono gratiæ dispensamus, abolentes omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, sive notam per eos præmissorum occasione quomodolibet contractam.

Quocirca dilectis Filiis S. Donatiensis, Brugensis, dictæ Diœcesis, & S. Pharaildis ejusdem Gandensis Oppidorum, Ecclesiarum Præpositis, ac Officiali Tornacensi, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Præpositi, & Capituli prædictorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdem in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra suppressionem, extinctionem, institutionem, immutationem, reductionem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, concessionem, indultum, decretum, & alia præmissa firmiter observari.

Ipsosque Carolum, & pro tempore existentem Comitem Flandriæ, ac Præpositum, & Capitulum illos, nec non eosdem Abbatem, & Monachos, possessione, seu quasi, absolutionis, liberationis, dispensationis, & abolitionis prædictarum pacificè gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque, contra præsentium tenorem quomodolibet impediri, molestari, vel perturbari, contradictores Auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus præmissis, ac priori nostra voluntate prædicta, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in Casibus à jure permissis, fieri prohibentibus, & quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii Sancti Bavonis, & Ordinis prædictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis Statutis, & Consuetudinibus, nec non Privilegiis, & Indultis Apostolicis eidem Monasterio Sancti Bavonis, & Ordinis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, irritantibusque aliis Decretis concessis, approbatis, & innovatis.

Quibus omnibus (etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio, etiam dispositivè, fieri debsret) tenores hujusmodi pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Monachalibus portionibus, ac officiis hujusmodi, speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis

illis partibus, generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum. Quas quidem Litteras, & Processus habitos per eosdem, & inde sequuta quæcumque, ad loca, & Monachales portiones, nec non Officia suppressa hujusmodi, volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem locorum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari, seu si aliquibus, communiter vel divisim, à dicta sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumcumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, innovationis, reductionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, absolutionis, liberationis, statuti, ordinationis, concessionis, indulti, dispensationis, abolitionis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDXXXVI. nono Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

II. Ex Cod. Dipl. Leibnitii Tom. II. Mant. pag. 229.

Confirmat Transactionem Quedlinburgi per Albertum Cardinalem Moguntinum inter Ericum, & Henricum Juniorem, Duces Brunsvicensium, & Capitulum Cathedrale, Ecclesias, Nobilitatem Provinciæ, urbemque Hildensemensem in vigilia ascensionis 1523. factam, quâ pars temporalitatis Episcopatus in Duces transfertur: anno 1537.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

INter Principes & alios Fideles quoslibet, præsertim quarum Fides, & devotio in Nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu continuè refulget, pacem, & concordiam vigere, & augeri, sinceris desiderantes affectibus; illa, quæ propterea proinde gesta, & ordinata comperimus, ut firmiùs illabata serventur, libenter cùm à Nobis petitur, nostræ approbationis munimine solidamus; Sanè pro parte dilectorum Filiorum Nobilium Virorum, *Erici, & Henrici, Ducum Brunsvicensium, & Luneburgensium, Nobis nuper exhibita petitio* continebat, quòd aliàs cùm inter ipsos Ericum, & Henricum, Duces ex una, & dilectos Filios, Seniorem Decanum, & Capitulum, ac *Clerum* & Ecclesiasticos Civitatis Hildensemensis, (quibus Carthusiensium, & Soltze Monasteriorum, nec non Montis Sancti Mauritii propè, & extra muros Hildensemenses personæ additæ, adjunctæ, & inclusæ sunt, (*& Militares*) quotquot usque in diem Concordiæ infrascriptæ apud ipsos manserunt) nec non *Communitatem Civitatis Hildensemensis* ex altera partibus, lites, differentiæ, contentiones, Controversiæ, & Bella orta fuissent, tandem dilectus Filius noster Albertus, tituli S. Petri ad Vincula Presbyter *Cardinalis*, qui Magdeburgensi, & Moguntinensi Ecclesiis, ex Concessione, & *dispensatione* Apostolicâ præesse dignoscitur, ac Ecclesiæ *Halberstadensis perpetuus Administrator in Spiritualibus, & Temporalibus per Sedem Apostolicam deputatus*, nec non Germaniæ Primas, & Sacri Romani Imperii Archicancellarius per Germaniam, Princeps Elector Marggravius Brandeburgensis, Stettinensis, Pomeraniæ, Cassubiorum, Slavorum Dux &c. Burggravius Nurimbergensis, & Prussiæ Princeps existit; ac dilectus Filius Nobilis Vir *Georgius Dux Saxoniæ*, Landgravius Turingiæ, & Marchio Misniæ, sese pro concordia inter prædictas Partes interponentes, Partes ipsas in Amicitia super dictis differentiis, controversiis, contentionibus, & Bellis composuerunt, & in primis ordinarunt, seu convenerunt: Quòd dilectus Filius Nobilis Vir *Wilhelmus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis*, aliique in Bello ab utraque Parte, seu hinc inde Capti, liberè, & sine ære relaxari, & Feriâ sextâ mane hora nona post Diem Concordiæ, quæ in Oppido Quedlinburgensi, Halberstadensis Diœcesis, Anno Domini Millesimo Quingentesimo vigesimo tertio celebrata extitit, Vigiliâ Ascensionis Domini immediatè sequentis, in Hohen-Egelsen, sub antiqua, & solita Cautione Urfehde nuncupata, pristinæ libertati restitui, & pro opportunitate dilecti Filii *Burchardi Salder*, à Venerabili Fratre Nostro Episcopo Hildensemensi litteræ quietatoriæ, seu liberatoriæ Principum Brunsvicensium manumissis tradi deberent, ac quòd omnes exactiones, militaribus, Burgensibus, seu Rusticis impositæ & solutæ, penitus remissæ esse, & censeri deberent; quodque *Civitas ipsa Hildensemensis sub tuitione, defensione, & protectione ipsius Henrici Ducis*, cum omnibus gratiis, & libertatibus, ac Privilegiis manere, seque cum eodem Duce, super tuitione, & defensione præstanda, & retardatis præstitæ defensionis concordare deberent. Quòd Ensis ipsius Ducis Erici ei reddi, & restitui deberet die, & hora prædictis; ac quòd Castra Sturvald, Pein, cum suis Pertinentiis Ecclesiæ Hildensemensis, pacificè sine aliqua facti attemptatione, & Castrum Marienburg in eo statu, quo erat, manere deberent. Quodque ex Civitate Hildensemensi, & prædictis Castris Steurvald, Pein, & Marjenburg eidem Episcopo Hildensemensi, aut ejus Successoribus Episcopis Hildensemensibus, aut ipsorum Amicis, seu *Amicatis (vel ligatis)* nec alicui alteri præmissorum occasione, contra Duces Brunsvicenses, seu in ipsorum, vel eorum subditorum præjudicium, aut damnum non præstaretur fomentum, receptaculum, auxilium, Consilium, aut servitium aliquod, aut aliquid de facto attemptaretur, & quòd à Principibus, & à Ducibus Brunsvicensibus, & eorum Principatibus, & Dominiis, contra Hildensemenses prædictos, è contrario pari modo observari deberet; & si quæ in futurum orirentur inter prædictas Partes differentiæ, illæ, non per viam facti, sed secundum communem Ordinationem Imperialem terminari deberent; Quodque Duces Brunsvicenses *omnia Castra, Civitates, Oppida, Villas, Monasteria, & Monasteriorum curias, quæsita, ac pacta, nec non quæsitas, ac pactas sibi habere*, retinere, neque super his à præfatis Capitulo, & Civitate Hildensemensi, ac eorum Successoribus per viam facti, seu de facto molestari deberent, Imperatoriæ Majestatis, ac à Ducibus Brunsvicensibus Decreto, executorialibus Mandatis, omnibusque aliis à Cæsarea Majestate emanatis, mansuris semper salvis. Quodque ipsis militaribus eorum Feuda, seu hæreditaria, aut sub reemptione priùs habita, & quæsita bona à Ducibus Brunsvicensibus, ad petitionem prædictorum *Principum tractatorum* (id est, Mediatorum) & ipsorum intuitu relinqui; ipsi militares Feuda, quæ priùs ab Episcopo Hildensemense eatenus tenuerant, & his quæ ipsis ex Castris Jure obligationis descripta erant exceptis, &

præser-

præsertim quæ ex oppido Alfeld, sub districtu Castri Vitzemburg & Saltza, sub districtu Castri Lauenstein ex Langenhagen, sub districtu Castri Kalenberg; Henningh Rauschenplaten, jure obligationis descripta erant, super quibus Feriâ tertiâ post Festum S. Bartholomæi tractaretur in Oppido Quedlinburg, & Duces Brunsvicenses prædictis Principibus Tractatoribus instantibus consenserunt, secum militantibus, qui in Diœcesi, seu proprietate Hildenshemensi Castra sub reemptione habuerant, & apud Diœcesim Hildenshemensem in Bello manserunt, seu cùm ipsorum militantium hæredibus, tamen ad eorumdem Ducum Brunsvicensium beneplacitum, & sub possibili via, & modo concordaturos feriâ tertiâ post Festum Sancti Bartholomæi. Hujusmodi ad quos tractatus ipsi Principes tractatores quilibet duos ex suis Consiliariis essent missuri; forentque ea spe Principes tractatores, ipsorum intuitu, & petitione pro militaribus facta, Principes Brunsvicenses facturos quæ aliàs ipsi Duces Brunsvicenses facere non cogitassent. Quodque Capitulo, & aliis Ecclesiasticis ambarum Civitatum Hildensemensium, Chartusiensibus, Dominis in Monte, in Marienrode, Hospitale Sancti Joannis, & Saltze propè Hildenshem sua Bona, quæ ante Bellum hujusmodi feudali hæreditario Jure, aut sub reemptione habuerant, restitui, suisque consuetudinibus, libertatibus privilegiis, descriptionibus, Veschenburg nuncupatis, & Jure gaudere, & tuti deberent esse: similiter & eorum subditis observaretur; Et quantum ad Castrum Steinbrucke, Principes Brunsvicenses duos ex suis Consiliariis, & præfatum Capitulum Hildensemense duos ex Canonicis Capitularibus mittere deberent, Principes Brunsvicenses gratiosos tractatus admiserunt, & quod ad hos tractatus ipsi Principes mittere deberent. Cùm hæredibus Hans Berners, sicut cùm aliis militaribus observari deberet. Et super his dicti Principes Brunsvicenses deberent, & vellent Bannum Imperiale, omnemque disgratiam Cæsareæ Majestatis amovere, & præsentem Concordiam ab ipsa Cæsarea Majestate confirmari obtinere, ac quòd per hanc concordiam Bella, disgratia, omnis controversia, & differentia ambarum partium amota, & amotæ, & præsertim quoad Civitates, & oppida, Braunschweig, Gottingen, Hannover, Northeim, Hammeln, aliasque Civitates, seu Oppida ipsorum Ducum Brunsvicensium, omnesque alios, qui Bellis, & Causis hujusmodi adhæserant, ac Consilium, & auxilium præstiterant, vel suspecti erant habiti, composita, & concordata, compositæ, & concordatæ censeri, & esse; dictæque Partes hujusmodi Concordiam, ac omnes, & singulos articulos in ea contentos firmiter, bona fide, & virtute Juramenti observare, & tenere, Partes hinc inde dictis Principibus tractatoribus solemniter promiserunt præsentibus Consulibus & Proconsulibus, quos Civitates seu Oppida, Goslar, Magdeburg, & Eimbeck, ad tractatus dictos Concordiæ hujusmodi assumpserunt, & adhibuerunt; In fidem & testimonium, Principes tractatores, ac Ericus, & Henricus Duces Brunsvicenses, & Luneburgenses pro se, suisque Successoribus Concordiam hujusmodi sigillari fecerunt.

II. Et deinde Carissimus in Christo Filius Noster Carolus Quintus, Romanorum Imperator semper Augustus, *Concordiam prædictam* auctoritate sua Cæsarea *confirmavit*, & approbavit, prout in litteris, seu instrumentis, aut Documentis publicis desuper confectis dicitur pleniùs contineri. Quare pro Parte Erici, & Henrici Ducum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut Concordiæ, compositioni, & conventioni hujusmodi, pro illius subsistentia firmiori, robur Apostolicæ firmitatis adjicere, & aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, quorum est ea quæ sunt pacis & concordiæ sinceris prosequi favoribus, & votivo effectui salubiter demandare, Systematum, & Instrumentorum, seu Documentorum prædictorum veriores tenores, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Concordiam, compositionem, conventionem, & promissiones, ac subsecutam confirmationem Caroli Imperatoris hujusmodi, cùm Pactis, & Capitulis in eis contentis, nec non omnia alia illas concernentia in dictis litteris, & Instrumentis contenta, & inde secuta quæcumque; Autoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, eaque in omnibus suis Capitulis plenum effectum sortiri, & inviolabiliter perpetuò per quamlibet ipsarum partium observari debere decernimus, supplentes omnes & singulos Juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Nostro *Episcopo Caservanensi*, & Dilectis Filiis *Sancti Blaxii intra, & Sancti Ciriaci in Monte prope & extra muros Oppidi Brunsvicensis*, dictæ Hildensemensis Diœcesis, Ecclesiarum Decanis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta, ubi, quando opus fuerit, ac quoties pro parte Ducum Brunsvicensium super hoc fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostra Concordiam, Compositionem, Conventionem, & Promissiones prædictas, juxta illum Approbationis, & Confirmationis hujusmodi tenorem inviolabiliter servari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis, non obstantibus præmissis, ac quibuslibet Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non legibus Imperialibus, ac Ecclesiæ Hildensemensis, nec non Monasteriorum, & Civitatis prædictorum Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam municipalibus, nec non quibusvis privilegiis, & indultis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, ac formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis concessis.

III. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenariam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Approbationis, Confirmationis, Adjectionis, Suppletionis, Decretorum, Mandati, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, trigesimo septimo, Sextodecimo Kalendarum Januarii, Pontificatus Nostri, anno quarto.

Concessio facta Canonicis Genevensibus, è Civitate Genevensi expulsis, ut Officia divina celebrare possint in Ecclesia Annecienſi Fratrum Minorum de Observantia: anno 1539. III. Ex Arch. Capituli Genev.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei Dilectis Filiis, Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Gebennensis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte Venerabilis Fratris Petri Lamberti Episcopi Casertanensis, Referendarii nostri, fuit nuper propositum coram nobis. Videlicet quòd cum sæviente in Civitate Gebennensi pestiferæ hæresis Lutheranæ Sectatorum persecutione, vos ab Ecclesia vestra Gebennensi, & Civitate prædicta per Cives & incolas ipsius Civitatis impiè expulsi, ac Calicibus, & sanctarum Reliquiarum repositoriis, nec non pluvialibus & aliis sacerdotalibus indumentis, ac paramentis & ornamentis divino Cultui ipsius Ecclesiæ dicatis, spoliati fuissetis; Vos nolentes propterea cultum divinum hujusmodi prætermittere, & ab obsequiis divinis desistere, prout nec desistitis, tandem in Ecclesia domus Sanctæ Crucis oppidi Anneciaci, ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Gebennensis Diœcesis, de consensu, & voluntate ipsius Petri Episcopi, ejusdem Domus fundatoris ac dilectorum Filiorum illius Fratrum vos reduxistis, & inibi extunc Capitulares, & alias Missas, ac omnes & singulas horas Canonicas diurnas, & nocturnas juxta morem ipsius Ecclesiæ Gebennensis celebrastis & decantastis, prout celebratis & decantatis de præsenti, & licèt vos in præfata domo, nisi solùm & duntaxat in illius Ecclesia, tempore celebrationis divinorum, nullatenùs vos intromittatis, ac de paramentis, eidem divino cultui necessariis provideritis, Vosque & Fratres prædicti in divinorum celebratione vos non impediatis, cum domus & Ecclesia hujusmodi ad hoc capaces existant; & si Ecclesia & domus hujusmodi vobis pro divinis celebrandis concessa non fuisset, vos in partibus illis Ecclesiam ita commodam non reperissetis, nihilominùs à nonnullis hæsitari posset, an vos, qui Presbyteri & Clerici Sæculares estis, in Ecclesia Regulari Missas, & alia divina Officia celebrare & recitare possitis, pro parte dicti Petri Episcopi, qui etiam litterarum Apostolicarum Corrector ac majoris Præsidentiæ Abbreviator existit, &, ut asseritur, Canonicatum, & Præbendam ejusdem Ecclesiæ Gebennensis, ex Concessione Apostolicâ obtinet, nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum restitutio vestra forsan ad aliquod tempus differatur, vobis super his opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui modestis petitionibus libenter præbemus auditum, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis & aliis personis & ministris ejusdem Ecclesiæ Gebennensis, ut quamdiu vestrum exilium ab Ecclesia Gebennensi, & Civitate prædictis, ac persecutio Lutheranorum hujusmodi duraverit, in Ecclesia domus hujusmodi, de consensu dicti Petri Episcopi illius Fundatoris & absque præjudicio ipsorum Fratrum, Capitulares & alias Missas ac horas Canonicas diurnas & nocturnas, aliaque divina Officia juxta usum Ecclesiæ Gebennensis hujusmodi decantare, & recitare, ac Capitulum vestrum in Ecclesia domus hujusmodi, seu illius Capitulari celebrare liberè & licitè valeatis, præmissis ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non ipsius Ecclesiæ Gebennensis, etiam juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Autoritate Apostolicâ tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostri indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Trigesimo Nono, Decimo Calendas Martii, Pontificatus nostri, anno sexto. Sign. Bernardus.

Capitulum Canonicorum à Sæcularisatione Abbatiæ Benedictinæ S. Bavonis recens erectum transfert ab Ecclesia S. Bavonis, (quæ ad construendam Arcem diruebatur;) ad Ecclesiam Parochialem Sancti Joannis: anno 1540. IV. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. p. 1059.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.

SEdes Apostolica, æqua semper in omnibus distributrix, ea quæ rationabiliter, maximè pro Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum necessitate gesta, & concessa fore dignoscuntur, ut illibata persistant, Apostolico consuevit munimine roborare.

Sanè Carissimus in Christo Filius Noster Carolus Romanorum Imperator, semper Augustus, qui etiam Castellæ, & Legionis, ac Arragoniæ Rex, nec non Flandriæ Comes existit, suo, & dilectorum Filiorum Præpositi, & Capituli Sæcularis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Bavonis Oppidi Gandavensis Tornacensis Diœcesis nominibus nobis nuper exponi fecit, quòd dudum dilecto Filio nostro Alexandro Sancti Laurentii in Damaso Diacono Cardinali de Farnesio nuncupato; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, tunc in partibus illis nostræ, & Sedis Apostolicæ de Latere Legato, pro parte ejusdem Caroli Imperatoris exposito, quòd ipse Carolus Imperator ad Oppidanorum dicti ejus Oppidi Gandavensis sub debitis fidelitate, & obedientia animos continendos, ac inter eos, & totam Patriam, nec non Comitatum suum Flandriæ pacem, & tranquillitatem perpetuò fovendam, & conservandam, aliisque necessariis, & urgentissimis causis animum suum moventibus, unam munitam arcem, sive Fortalitium in situ dictæ Ecclesiæ Sancti Bavonis, loco ad id convenientiori construi, & ædificari facere incœperat, ad quod pro Arce, seu Fortalitio hujusmodi facienda, seu faciendo, totam Ecclesiam prædictam, seu ejus majorem partem demoliri oportebat.

Ac propterea præfato Alexandro Cardinali, & Legato pro parte ejusdem Caroli Imperatoris instanter supplicato, ut in dicta Ecclesia nomen Collegiatæ penitùs, ac in Parochiali Ecclesia S. Joannis hujusmodi, ejusdem supprimere, ipsamque Ecclesiam Sancti Joannis, ad quam idem Carolus Imperator, (qui in illa Baptismatis Sacramentum susceperat) singularem gerebat devotionis affectum, in Collegiatam Ecclesiam sub invocatione Sancti Bavonis erigere, & instituere, & ad illam Capitulum, & Mensam Capitularem ipsius Ecclesiæ Sancti Bavonis transferre dignaretur.

Dictus Alexander Cardinalis, & Legatus, sufficienti ad id, ut asserebat, per Litteras dictæ Sedis facultate munitus, ipsius vigore, precibus ipsius Caroli Imperatoris in ea parte inclinatus, in Sancti Bavonis nomen Collegiatæ, & in Parochiali Ecclesia prædicta invocationem Sancti Joannis hujusmodi perpetuò suppressit, & extinxit, eandemque Parochialem Ecclesiam in Collegiatam, sub invocatione ejusdem Sancti Bavonis cum Collegialibus insigniis perpetuò erexit, & instituit, ac Abbatiam, seu Præpposituram principalem, nec non reliquas Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, Cappellanias, & Beneficia dictæ Ecclesiæ S. Bavonis, cum anniversariis, fundationibus, provisionibus, Collationibus, Patronatu, & Funeralibus, ac aliis juribus, Jurisdictionibus, Censibus, fru-

ctibus, redditibus, & proventibus, nec non tam personalibus, quàm realibus praeeminentiis, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, honoribus, franchitiis, & gratiis, Lampadibusque, Ss. Corporum Reliquiis, Reliquariis, Campanis, Libris, Calicibus, Crucibus, Ornamentis, Feretris, Clenodiis, aliisque mobilibus, & immobilibus, ac se moventibus Bonis ad dictam de novo erectam Ecclesiam transtulit, illaque omnia eidem de novo erectae Collegiatae Ecclesiae perpetuò applicavit, & appropriavit; Ac tunc Episcopo Tornacensi, seu pro eo Pontificalia Officia exercenti, aut cuicumque alii Ecclesiae Praelato, vel in Ecclesiastica potestate constitutae personae translationem ipsam, cum solemnitatibus, & Ceremoniis in similibus necessariis, & opportunis adhiberi solitis, faciendi, nec non praefato Carolo Imperatori pro dicta Arce, seu Fortalitio construenda, seu construendo, dictam Ecclesiam Sancti Bavonis, seu partem ex eo demoliendi licentiam, & facultatem concessit, prout in patentibus ejusdem Cardinalis & Legati Litt .is desuper confectis dicitur pleniùs contineri.

Quare praefatus Carolus Imperator suo, ac Praepositi, & Capituli praedictorum nominibus praefatis nobis exponi fecit, ut suppressioni, extinctioni, erectioni, institutioni, translationi, applicationi, appropriationi, & concessioni hujusmodi pro illarum subsistentia firmiori robur Apostolicae firmitatis adjicere, & aliàs in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur.

Nos igitur, qui cunctorum, potissimè Caesareâ Celsitudine fulgentium votis, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus, Praepositum, & Capitulum praefatos, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, translationem, applicationem, appropriationem, & concessionem praedictas, ac prout illas concernunt, omnia, & singula alia in dictis praesentibus Litteris quomodolibet contenta, ac inde sequuta quaecumque, nec non omnes, & singulas gratias, indulgentias, non tamen plenarias, privilegia, immunitates, praerogativas, exemptiones, praesertim per Felicis recordationis Julium Papam secundum, & quoscumque alios Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac alias Ecclesiasticas, & Saeculares personas, tam in genere, quàm in specie, etiam individuam, & expressam mentionem requirentes, dudum eidem Ecclesiae olim S. Bavonis tunc Regulari, ac postmodum suppresso in ea omni statu regulari, in Saecularem, ac Collegiatam Ecclesiam erectae, illiusque Praeposito, dignitates obtinentibus Canonicis, & Capitulo per nos quomodolibet concessos, & concessa, ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolicâ tenore praesentium approbamus, confirmamus, & innovamus, ac pro potiori Cautela illa omnia, & singula, prout tùm per dictum Alexandrum Cardinalem, & Legatum gesta, quàm per Julium, & alios Praedecessores, ac alias personas praefatas concessa sunt, eidem noviter erectae Collegiatae Ecclesiae, illiusque Praeposito, dignitates obtinentibus Canonicis, & Capitulo pariformiter, & absque ulla penitùs differentia de novo concedimus, ac perpetuae firmitatis robur, perinde ac si eidem noviter erectae Ecclesiae, illiusque Praeposito, ac Capitulo concessae extitissent, obtinere, & inviolabiliter observari debere decernimus, omnesque & singulos juris, & facti defectus, si qui fòrsan in praemissis omnibus intervenerint, supplemus.

Necnon Rectoribus Curatis nuncupatis, Capellanis, Vicariis, Ministris & Officiariis, in olim Sancti Bavonis, ante illius demolitionem, ac in olim Sancti Joannis noviter erectae Ecclesiae praedictis nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus & singulis Gratiis, Indulgentiis, Privilegiis, Immunitatibus, Praerogativis, Libertatibus & Exemptionibus, etiam per Julium, & alios Praedecessores praefatos Ecclesiae olim Sancti Bavonis, tunc Regulari, & pro tempore existenti Praeposito, dignitates obtinentibus Canonicis, & Capitulo etiam, ut praemittitur, concessis, & quibus illi utuntur & potiuntur, ac uti, potiri & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum pariformiter, & aequè principaliter, ac sine ulla penitùs differentia uti, potiri, & gaudere liberè & licitè possint, indulgemus.

Et sic in praemissis omnibus & singulis per quoscunque Judices, quavis auctoritate fulgentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon quidquid secus à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Quocirca S. Rumoldi Mechliniensis Cameracensis Dioecesis, & S. Pharaildis ejusdem Gandavensis OppidorumPraepositis, ac Decano S. Donatiani Brugensis dictae Tornacensis Dioecesis Ecclesiarum per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, & in eis contenta quaecunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Caroli Imperatoris, & pro tempore existentis Praepositi & Capituli praedictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos ipsae praesentes litteras concernunt, illis pacificè gaudere; non permittentes eos desuper contra praesentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, etiam quoscunque quorum interest, etiam per edictum publicum locis publicis affigendum, constito summariè de non tuto ad eos accessu, citando, ac quibus & quoties inhibendum fuerit, etiam sub similibus Sententiis, Censuris & Poenis inhibendo, necnon Censuras & Poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem & Dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suae Dioecesis ad judicium evocetur, seu ne Judices in Sede praedicta deputati extra Civitatem vel Dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere praesumant, & de duabus dietis in Concilio generali editis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, & quibusvis aliis Apostolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac dictae Ecclesiae olim Sancti Bavonis juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, necnon quibusvis Privilegiis, Indultis Apostolicis, quomodolibet, ac sub quibuscumque tenoribus & formis, nec non cum quibusvis clausulis & decretis concessis, approbatis & innovatis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ac verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter ex-

pressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscunque.

Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ Absolutionis, Approbationis, Confirmationis, Suppletionis, Innovationis, Concessionis, Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, Nonas Decembris, Pontificatus nostri anno septimo.

PAULUS QUARTUS.
PONTIFEX CCXXVII.
ANNO DOMINI MDLV.

Paulus Neapolitanus, priùs Joannes Petrus Caraffa, successit Marcello II. anno 1555. Latinè, Græcè & Hebraicè doctus, Theatinorum Auctor, severus in delinquentes, Privilegiis Populo Romano concessis statuam ex marmore meruit. Moriturus Cardinalibus Sanctam Inquisitionem commendavit, quæ tamen ipsum adeò invisum reddiderat, ut quum animam ageret, Carcere Inquisitionis succenso à furente plebe, Cœnobium Dominicanorum Inquisitorum in summo fuit discrimine, impetuque in Capitolium facto, statuæ marmoreæ Pontificis, capite, dextrâque truncatæ, toto triduo per urbis vias volutatæ, postremò in Tiberim projectæ fuerint, Insignibus Gentilitiis omnibus uno die sublatis, & Cadavere Pontificis tenui pompâ sepulto: anno 1559. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Lux. 1727. Tom. I. fol.* 816.)

I. Ex Mem. du Clergé de France Tom. 2. pag. 604.

Indultum concessum S. R. E. Cardinalibus, post Conventiones inter se factas, in Conclavi Sede vacante, quod vulgò *Compactum* dicitur: anno 1555.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem, Domini nostri JESU CHRISTI in terris Vicarium, ea quæ, etiam antequam ad Summi Apostolatus apicem assumptus esset, inter ipsum & alios Cardinales pro bono pacis, & felici regimine ipsius Romanæ Ecclesiæ, & Status Ecclesiastici maturo consilio ordinata & promissa existunt, semper rata habere, & illis, quo firmiùs subsistant, Apostolici Munimimis robur adjicere. Cum itaque nos tunc in minoribus constitui, & Episcopus Ostiensis, Sede Apostolica per obitum felicis recordationis Marcelli Papæ II. Prædecessoris nostri vacante, in Conclavi, in quo divinâ favente clementiâ ad Summum Apostolatus apicem assumpti fuimus, una cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, in ipso Conclavi pro electione futuri Romani Pontificis celebranda interessentibus, certa Capitula inter nos & ipsos Fratres maturo consilio facta, subscripserimus, & postmodum ad hujusmodi Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, per eosdem Fratres electi, Capitula ipsa, prout illa in minoribus constituti promiseramus, subscribendo purè, simpliciter & bona fide ad litteram observare, & adimplere solemni voto promiserimus & juraverimus, & ita illa omnia ad unguem omninò observare intendebamus: idcircò imprimis promittimus & juramus, quod omnibus viribus nostris conabimur & curabimus, pacem inter Principes Christianos componere; & cum effectu faciemus, quòd universalis Ecclesia & Romana Curia reformetur, prosequendo reformationem à piæ memoriæ Julio Papa III. inchoatam, ipsamque Curiam non transferemus extra almam urbem Romam, nec de loco ad locum, aut de Provincia ad Provinciam; quodque numerus Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium statuatur ac restringatur, & ex nunc ad numerum quadraginta ejusdem S. R. Ecclesiæ ex omnibus nationibus, sine præjudicio præsentium, ad summum statutus & restrictus censeatur; ac interim quousque dicti Cardinales, qui nunc sunt, ad hunc numerum reducantur, à novorum Cardinalium promotione abstinebimus. Licebit tamen nobis de pileo nostro, prout nobis videbitur, liberè disponere; ac duos vel tres alios Cardinales, etiam ante numeri hujusmodi reductionem, ex Consanguineis nostris infra tertium gradum, ante vel post reductionem eandem, modò ultra duos non promoveamus, creare.

Non etiam assumemus Cardinales, nisi in ætate saltem viginti quinque annorum constitutos, ac viros bonæ vitæ, conversationis & famæ, ac litterarum scientiâ, & bonis moribus præditos; servabimusque Decretum prædicti Prædecessoris in sacro Consistorio editum, de duobus fratribus germanis ad Cardinalatus honorem non assumendis; quod extendatur & extensum esse censeatur, etiam ad patruum & nepotem, ut eodem tempore nullo modo in eodem Collegio esse possint. Et insuper, juxta antiquam & laudabilem consuetudinem, promotionem faciendam, saltem per octo dies ante Cardinalibus in Consistorio tunc præsentibus denuntiare, & Cardinales creandos in ipsa publicatione publicare debeamus, nec quemquam eorum in pectore reservare, aut aliquo modo exquisito, secretum etiam ad breve tempus tenere; quodque omnes & singuli ejusdem S. R. E. Cardinales pro tempore existentes, ex omnibus & singulis suis bonis, etiam ex fructibus Cathedralium, etiam Metropolitanarum Ecclesiarum aut Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque perceptis, & pro tempore percipiendis, tam inter vivos, quam in ultima voluntate, inter quascunque personas, liberè testari & disponere poterunt, nec ad aliquam particularem licentiam seu facultatem desuper obtinendam, ulla unquam necessitate cogentur.

Et si contigerit, aliquem ex eisdem Cardinalibus ab intestato, & sine ulla rerum ac bonorum suorum dispositione decedere, quod ejus spolia ad Cameram Apostolicam non pertinebunt, sed inter illius hæredes & familiares, arbitrio trium Sacri Collegii Cardinalium hujusmodi, in ordine priorum, pro tempore existentium, distribuantur; ac Cardinalibus, quorum fructus seu redditus Ecclesiastici ad valorem sex millium Ducatorum auri de Camera non ascendent, de proventibus ejusdem Cameræ usque ad summam ducentorum Ducatorum similium quolibet mense providebimus: ita quòd solutio incipiat à die Assumptionis, sine ulla excomputatione pecuniarum antea perceptarum. Et nihilominus curabimus dictam Cameram ab ejusmodi onere liberare, eisdem Cardinalibus providendo, usque ad summam sex millium Ducatorum hujusmodi de redditibus bonorum Ecclesiasticorum, præsertim per obitum Cardinalium vacantium. Ipsique Cardinales erunt exempti à decimis, gabellis, ac quibuscunque aliis impositionibus, & oneribus ordinariis & extraordinariis, quacunque de causa us-

que

que ad hunc diem impositis & imponendis; ac in Diœcesi in qua erunt ordinarii Collatores, quicumque Beneficia Ecclesiastica ad eorum collationem, tam conjunctim, quàm divisim pertinentia, qualitercumque reservata, præterquam veræ, & non juxta Constitutiones, Declarationes per recolendæ memoriæ Paulum Tertium Romanum Pontificem, & dictum Julium similiter Prædecessores nostros editas, familiaritatis continuæ & commensalitatis Romani Pontificis pro tempore existentis, liberè conferre poterunt: quodque regulæ de infirmis resignantibus, tam citrà, quam ultra montes, in præjudicium Indultorum eorumdem Cardinalium, & Indultis ipsis, ad instantiam Regum & Principum, etiam virtute quorumcunque Mandatorum ac gratiarum, non derogabimus. Necnon contra eorumdem Cardinalium personas in quacunque causa, nisi in casibus hæresis vel schismatis, aut læsæ Majestatis, in primo capite, ac præcedente legitima causæ cognitione & processu, coram Cardinalibus ad id de duarum partium aliorum Cardinalium tunc præsentium consensu, per modum secretum præstito deputandis, non procedemus, nec procedi faciemus. Et præterea Civitates, terras, & loca aut bona, vel jura ejusdem Romanæ Ecclesiæ, etiam ex causa permutationis, etiam cum recompensa, aut pro evidenti utilitate, vel necessitate, alienare seu infeudare, etiamsi alienari vel infeudari consueverint, ad longum tempus locare, vel pignori tradere, seu in gubernam, aut alio titulò ultra vitam nostram concedere, etiam omnibus Cardinalibus consentientibus, minimè valeamus, nisi illa quæ de cætero ob lineam finitam, & aliàs legitimè devolventur. Et si aliter fecerimus, id sit nullius roboris, ac momenti, ac quandocunque retractari possit & debeat. Et si qui Cardinalium ad id (quod absit) consenserint, non solum perjuri, sed etiam infames infamiâ juris & facti existant: teneanturque Cardinales in futurum promovendi ante receptionem pilei jurare, præmissis consensum non adhibere. Ac post coronationem nostram, infrà decem dies Bullam, sive Constitutionem perpetuam præsentis Capituli confirmatoriam edere & publicari facere. Et quod nullo pacto bellum geremus adversus Principes Christianos, aut cum aliquo eorum contra alium fœdus inibimus, aut Ligam faciemus: Sed nos communem Patrem & æqualem omnibus exhibebimus, neutralitatemque veram servabimus, nisi ex justa & urgenti causa, quæ à majori parte ipsorum Cardinalium in Consistorio secreto, & per modum secretum probata fuerit. Ac nemini, nisi per modum secretum de consensu duarum partium Cardinalium eorumdem, facultatem præsentandi vel nominandi, aut consensum præstandi ad Ecclesias Cathedrales, seu Monasteria, vel alia Beneficia Consistorialia, in Consistorio proponantur & expediantur, unquam concedemus. Et cum deceat Consistorialia in Consistorio expediri, rationem habebimus, quòd nonsolum provisiones Ecclesiarum, sed etiam Monasteriorum, ac alia Beneficia Consistorialia in Consistorio proponantur & expediantur. Nec Litteræ Apostolicæ, seu Bullæ desuper per Secretarium aut aliter expediri possint, nisi per viam ordinariam Cancellariæ, seu dictæ Cameræ Apostolicæ. Ac nullas etiam ad instantiam Principum imponemus decimas, nisi urgentibus de causis à majori parte dicti Collegii per secreta suffragia approbandis. Et demum Personas Ecclesiasticas, quarum Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus valorem viginti quatuor Ducatorum similium secundùm omnem æstimationem excomputandis distributionibus quotidianis non excedant, decimis quacunque de causa imponendis non gravabimus. Ac procurabimus etiam, & cum effectu, quantum in nobis fuerit, faciemus, ut Basilica Principis Apostolorum de urbe perficiatur; & tantum pecuniarum in ea erogabimus, quantum per conscientiam nostram à nobis fieri posse arbitrabimur.

Nec non super omnibus & singulis Capitulis prædictis eorumque executione, tam conjunctim, quàm divisim, Litteras Apostolicas cum omnibus & singulis Decretis, Clausulis & Mandatis necessariis & opportunis, ad libitum partium quoad præmissa concernunt, tot quot ipse partes voluerint, dabimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1555. 4. Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo. Signé sur le reply, R. Danerius. Scellé en plomb pendant en lacqs de soye rouge & jaune. Et sur le reply est écrit. *Registrata in Secretaria Apostolica*, signé, ROTULO.

In Germania inferiore seu Galliâ Belgicâ tres Archiepiscopatus Mechliniensem, Cameracensem & Utrajectensem &c. instituit: anno 1559. II. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. pag. 472.

PAULUS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

SUper universas Orbis Ecclesias, eo disponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis constituti, levamus in circuitu Agri Dominici oculos mentis nostræ, more pervigilis Pastoris inspecturi, quid Provinciarum & locorum quorumlibet statui & decori, quidve illorum incolarum animarum saluti congruat; ac desuper hoc præsertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem, & Fidei Catholicæ eversionem incumbit, disponi debeat.

Et divino fulti præsidio dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiæ agro novas Archiepiscopales & Episcopales Sedes & Ecclesias plantare, ut per hujusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, Divinus Cultus effloreat, & animarum ipsarum salus subsequatur; ac loca insignia, ea præsertim, quorum Incolæ, benedicente Domino, multiplicari noscuntur, dignioribus titulis, & condignis favoribus illustrentur, ut propagatione novarum Sedium, Venerabiliumque Præsulum assistentiâ, regimine & doctrinâ suffulti cum Apostolicæ Auctoritatis plenitudine, & orthodoxæ Fidei augmento, populi ipsi proficiant semper in Domino, & quæ in temporalibus sunt adepti, non careant in Spiritualibus incremento, præsertim cùm id Catholicorum Regum & Principum exposcat devotio.

Cum itaque mentis nostræ aciem convertissemus in eam inferioris Germaniæ partem, quæ charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ditioni hæreditario jure subjecta est, scientes, messem quidem ibi multam esse, operarios autem paucos; propter quod cum ea Regio antiquitùs, erectionis Cathedralium Ecclesiarum suarum tempore, sparsim & infrequenter admodùm habitaretur, à tot jam, tantisque populis & gentibus incolitur, ut pro Oppidorum celeberrimorum, quibus utique referta est, frequentia, & castellorum pagorumque multitudine, paucæ ibi sint Ecclesiæ Cathedrales, quo fit, ut tam pauci Episcopi non eâ, quâ opus est, diligentiâ tantam animarum multitudinem regere possint.

Quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius, quòd ipsorum Diœcesani Linguæ idiomate, institutisque differant, & quidem eorum etiam ejusmodi Privilegia habeant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceat evocare; ita ut nec Fidei Doctrinâ, & piè vivendi præceptis commodè instrui, nec, si quid deliquerint, facile corrigi ab Episcopis suis possint.

Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos, & in officio continendos, ne una quidem in tota illa tam celebri, & tam longè, latèque patente Regione Ecclesia est Metropolitana; sed illæ, quibus subjectæ sunt,

extra fines ipsius Regis Philippi sunt, earumque Archiepiscopi, propter multa & varia impedimenta, nulli Suffraganeis suis usui jampridem fuerunt.

Ad quæ tanta incommoda cùm hoc quoque accedat, quòd cum ea Regio omni ferè ex parte cincta sit, & obsessa à populis hæreticis, atque schismaticis, propter assiduas hæreticorum insidias, dolos & fraudes, pestiferasque doctrinas, Catholica illic Fides, & animarum salus in maximo discrimine & periculo versantur.

His causis aliisque, quæ animum nostrum implectunt, adducti, præcibus etiam annuere volentes, tamque pio desiderio satisfacere ipsius Philippi Regis, qui pro sua pietate, & Catholicæ Fidei studio hac de re nobiscum, & sæpè, ac perquam diligenter per Litteras & Nuntios egit: habitâ, sicuti rei magnitudo postulabat, cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus Fidei orthodoxæ, & animarum saluti aptissimum remedium esse duximus, si veterum Ecclesiarum in illa Regione positarum Diœceses, commodioris reginimis causâ, dividerimus, novisque erectis Cathedralibus Ecclesiis ejusmodi præficerentur Episcopi, qui tum exemplo, tum verbo commissas sibi oves pascant, & proborum eorumdemque Doctorum virorum copiâ muniti, idoneorumque operâ ministrorum adjuti, illas adversus insidiantium luporum rabiem tueantur, atque custodiant, & Metropolitanæ aliquot Ecclesiæ opportunis ejus regionis locis erigantur, ad quas commodè adiri possit, quibus qui præfuturi sunt, Suffraganeos suos in officio contineant.

Ex certa igitur nostra scientia, de eorumdem Fratrum nostrorum consilio, ac de Apostolicæ plenitudine Potestatis, ad Dei Omnipotentis honorem, & Sanctæ ejus Ecclesiæ utilitatem, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates atque Diœceses à Remensi, Coloniensique Provinciis, quibus sunt Metropolitico Jure subjectæ, ac Mechliniense, Antverpiense, Harlemense, Daventriense, Leovardiense, Groeningense, Middelburgense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Yprense, Gandavense & Brugense, celeberrima Cammeracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis & Tornacensis Diœcesium oppida, à suo quoque eorum Diæcesi & Provincia:

Præterea ab Ecclesia Cameracensi (quam nuper ab omni Potestate & Jurisdictione Remensis Archiepiscopi, cui Suffraganea erat, liberavimus) eam ipsius Diœcesis Cameracensis partem, quæ in Brabantiæ Ducatu, & Flandriæ Comitatu existit, itemque ab Ecclesia Diœcesique Leodiensi, eam ipsius Diœcesis Leodiensis partem, quæ est in Namurcensi & Hortensi Comitatibus, ac Brabantiæ & Geldriæ Ducatibus, ditionis ipsius Philippi Regis, itemque ab Ecclesia & Diœcesi Tornacensi, eam partem ipsius Tornacensis Diœcesis, quæ à Roesbeke pago, & Aldenardo oppido ad Oceanum vergit, ipsis pago & oppidis inclusis, itemque ab Ecclesia & Diœcesi Trajectensi eam partem ipsius Diœcesis Trajectensis, quæ in Flandriæ Comitatu existit, & Insulas Zelandiæ, ac totam Hollandiam aquaticam, & partem illius Hollandiæ, quæ firmior appellatur, usque ad Oppida, Leidense exclusivè, & Amstelodamense inclusivè, ac Insulas Vlielant & Texel, ac Wieringen, ac totam Regionem Transisalanæ, ac Groningen & Frisiam, cum magna parte Ducatus Geldriæ, quæ inferior appellatur, usque ad Hardevicum, & Schernbergum Oppida inclusivè, & usque ad Arnhem & Wageninge Oppida, ipsis tamen exclusis, necnon partes quasdam ultra Wahalin Fluvium ad ipsum Geldriæ Ducatum pertinentes, & magnam aquam Dordracensem versus Brabantiam.

A dilectis tamen Filiis ipsius Capituli Ecclesiæ Trajectensis, seu illius Mensa Capitulari omnem jurisdictionem, omniaque Jura Episcopalia ipsius Capituli, quæ habet in Regione Westfrisia vocata, ab Osnabrugensi, & Monasteriensi, ac Coloniensi & Paderbornensi Ecclesiis & Diœcesibus, & Coloniensi Provincia eas partes Osnabrugensis, & Monasteriensis, ac Coloniensis, & Paderbornensis Diœcesium, quæ intra fines Regis Philippi existunt, cum omnibus & singulis earum terminis & territoriis, ac Cleris, populis & personis, Monasteriis, Ecclesiis, ac piis locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus & Ordinum quorumcumque Regularibus; ab ipsa autem Ecclesia Morinensi, per obitum Comitis Francisci de Crequy, olim Episcopi Morinensis, abhinc circiter septennium defuncti, Pastoris solatio destituta, eam partem ipsius Diœcesis Morinensis, quæ in Artesiæ extitit, & Flandriæ Comitatibus, ditionis ipsius Philippi Regis, cum ipsius terminis, Territorio, Castellis, Pagis & Locis, Clero ac Populo, & Personis, Monasteriis, Ecclesiasticis, ac piis Locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus, aut Ordinum quorumcunque Regularibus, fructusque, redditus, proventus, decimas, jura & emolumenta, quæ Episcopus Morinensis, jura quoque, quæ Archiepiscopus Remensis in Diœcesis Morinensis terminis, Territorio, Castellis, Pagis & Locis prædictis, seu ratione visitationis, aut quovis alio jure, & causâ percipere consueverunt, à mensa Archiepiscopali Remensi, & Episcopali Morinensi Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò eximimus, segregamus, dividimus & separamus, ab omni jurisdictione, potestate & subjectione Remensis & Coloniensis Archiepiscoporum, ac Cameracensis, Tornacensis, Leodiensis, Morinensis, Trajectensis, Osnabrugensis, Monasteriensis & Paderbornensis Episcoporum, pro tempore existentium, ac dilectorum Filiorum Capitulorum Remensis, Coloniensis, Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnabrugensis, Monasteriensis & Paderbornensis Ecclesiarum, atque à solutione decimarum, & quorumvis aliorum jurium eisdem Archiepiscopis, Episcopis & Capitulis, ac Cleris, & aliis prædictis ratione jurisdictionis, subjectionis ac legis Diœcesanæ & Metropoliticæ debitorum.

Ita ut posthac Episcopus Morinensis Jurisdictionem aliquam in partem à Diœcesi separatam, & illius Territorium, Castella, Pagos, & Loca, ac Clerum, Populum, & Personas, ac Monasteria, Ecclesias, & pia loca ac beneficia exercere, & beneficia sub hac separatione, ac divisione comprehensa, quæcumque, quotaque, & qualiacumque sint, quæ ad ejus collationem anteà pertinebant, conferre, seu fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ab eo in parte à Diœcesi separata, terminis, Territorio, Castellis, Pagis, & Locis prædictis, subventionis Causâ, aut qualibet alia occasione & ratione percipi solita, & Episcopus Morinensis, atque Archiepiscopus Remensis, prædicti, in parte Diœcesis ipsius adempta, ac Terminis, Territorio, Castellis, Pagis, ac Locis præfatis de iis, quæ ad eos ratione visitationis ipsorum, & Legis Diœcesanæ, ac Metropoliticæ pertinebant, intromittere se nullo pacto possint, eximimus, & omninò liberamus.

Cameracensem verò, & Collegiatam S. Rumoldi Oppidi Mechliniensis, & Trajectensem ad Mosam Ecclesias in Metropolitanas, & Cameracenses, & Trajectenses ad Rhenum Sedes Episcopales in Archiepiscopales, easque, & ipsam Ecclesiam Sancti Rumoldi, Metropolitanorum Præsulum Sedes, ac Provinciarum Capita, scientia, consilio, & potestatis plenitudine similibus, auctoritate, & tenore præmissis, etiam erigimus, & instituimus.

Ex quibus Archiepiscopis nuncupandis, Cameracensis, quidem pro sua Diœcesi habeat viginti octo Oppida, cum Castellis, Pagis, & Monasteriis interjacentibus, inter spatium septuaginta duorum millium passuum Italicorum in longitudi-

nem,

nem, sexaginta verò in latitudinem per Nuntium nostrum, propediem à nobis illuc mittendum, limitandæ. Trajectensis autem pro sua Diœcesi obtineat Territorium Trajectense, & majoris partis Hollandiæ, magnæque partis Geldriæ, cùm Dominiis de Buren, de Cuylenburg, de Vianen, Armuyden, Isselsteyn, triginta Oppidorum, præter Pagos, in longitudinem nonaginta, in laitudinem quadraginta millium passuum, similiter terminandorum, ut dictum est.

Eisdem autem duobus, & tertio Mechliniensi, nuncupandis Archiepiscopis Pallium, & Crucem, sicut mos est deferendi, reliquisque omnibus insigniis, honoribus, ornamentis, privilegiis, & prærogativis Ecclesiarum, ac Sedium Metropolitanarum, utendi jus, & potestatem concedimus.

Mechliniense autem, Antverpiense, Harlemense, Daventriense, Leovardiense, Grœningense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandavense, Middelburgense, & Brugense; Oppida in Civitates erigimus, ac in eis sic erectis Ecclesias S. Albani Namurcensem, S. Audomari ejusdem Civitatis, B. Virginis Antverpiensem, S. Joannis Gandavensem, S. Donatiani Brugensem, S. Lebuini Daventriensem, S. Joannis Evangelistæ Buscoducensem, & S. Spiritus Ruremundensem, Collegiatas, ac S. Bavonis Harlemensem, S. Viti Leovardiensem, S. Martini Grœningensem, Parochiales, nec non B. Mariæ Præmonstratensis Middelburgensem, Monasterii S. Martini, S. Augustini Canonicorum Regularium, ordinum, Iprensem, sub iisdem invocationibus in Cathedrales, scientia, consilio, potestate, & auctoritate, & tenore præmissis erigimus, pro cujusque earum Civitatum creandis Episcopis, qui suæ quisque præsint, earumque ædificia augeant, & in Cathedralium Ecclesiarum formam redigant, ac jurisdictionem Episcopalem, aliaque omnia, & singula, quæ ad ordinem, & jurisdictionem, ac munus Episcopale pertinent, in Civitatibus, Oppidis, Terminis, Territoriis, Insulis, finibus, & partibus Diœcesium divisarum, postquam terminata fuerint, respectivè exerceant.

Atque in iisdem Metropolitanis Archiepiscopales, in Cathedralibus verò sic erectis Ecclesiis Episcopales dignitates cùm Sedibus, & Mensis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, aliisque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum insigniis, mensis, arcis, Sigillis, aliisque Capitularibus insigniis, honoribusque, & privilegiis, quibus cæteræ Metropolitanæ & Cathedrales Ecclesiæ de jure, vel consuetudine utuntur, vel uti poterunt, similiter erigimus, & instituimus.

Ecclesiis verò supra commemoratis sic in Cathedrales erectis, eisdemque Civitatibus in perpetuum concedimus, & assignamus pro suis Diœcesibus.

Namurcensi Comitatum Namurcensem, & Galliæ Brabantiæ partem; longitudinis quadraginta, & latitudinis triginta millium passuum Italicorum.

Audomarensi districtum decem Oppidorum continentium longitudinis quadraginta duo, latitudinis triginta novem millia passuum similium.

Mechliniensi districtum decem & septem Oppidorum cum Pagis interjacentibus longitudinis sexaginta novem, latitudinis triginta millium passuum similium.

Antverpiensi Territorium septem Oppidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium.

Gandavensi Territorium quatuor Oppidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta sex, latitudinis viginti quatuor millium passuum similium.

Brugensi Territorium novem Oppidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta quatuor, latitudinis viginti quinque millium passuum similium.

Iprensi Territorium decem Oppidorum, cum interjacentibus Pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium passuum similium.

Buscoducensi Territorium decem Oppidorum, cum interjacentibus Pagis, longitudinis sexaginta, latitudinis triginta millium passuum similium.

Ruremondensi Territorium decem Oppidorum cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium passuum similium, Comitatu Hornensi in eis comprehenso.

Harlemensi Territorium duodecim Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis nonaginta, (al. sexaginta) latitudinis triginta millium passuum similium.

Daventriensi Territorium triginti quinque Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis sexaginta duorum, latitudinis quadraginta sex millium passuum similium.

Leovardiensi Territorium decem Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis septuaginta duorum, latitudinis quadraginta millium passuum similium.

Grœningensi Territorium Patriæ Grœningensis, & Drentiæ, ac Insularum Rollinghe, & Borchum.

Middelburgensi Territorium decem Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium, pro sua cujusque eorum Episcoporum Diœcesi, sicut dictum est, assignanda.

Personas verò Ecclesiasticas pro Clericis, & Laicos in illis habitantes pro populis eorumdem; Præterea Cameracensi Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem, & Namurcensem: Mechliniensi verò Antverpiensem, Gandavensem, Brugensem, Iprensem, Buscoducensem, & Ruremundensem: Trajectensi autem Ecclesiis prædictis, Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Grœningensem, & Middelburgensem Civitates, Diœcesesque prædictas, eisdem scientia, consilio, & potestatis plenitudine, & Auctoritate Apostolica, & tenore attribuimus, & pro cujusque ipsarum Metropolitanis Provinciis esse statuimus.

Ipsasque sic erectas Cathedrales Ecclesias, eosque, qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniæ, & Trajecti Archiepiscopi, qui Suffraganei ut membra Capiti, sic eisdem Archiepiscopis Metropolitico jure subjecti sunt, & Cameracensis, Mechliniensis, & Trajectensis Provinciarum Cleros, & Populos universos, pro suis cujusque Ecclesiarum Provincialibus, quorum singulorum causæ ad suum cujusque eorum Archiepiscopum secundum Sacros Canones deferantur, perpetuò similiter concedimus, & assignamus.

Et quod ad Archiepiscopalia, Metropolitica, & Provincialia jura pertinet, Civitates, Diœceses, Cleros, & Populos sæpius commemoratos eisdem Præsulibus, qui pro tempore fuerint, subjicimus, sicut eosdem Civitates, Diœceses, Cleros, & Populos, quod ad ordinariam Episcopalem jurisdictionem, & potestatem attinet, suis quoque ipsorum, qui pro tempore fuerint, Episcopis subjectos esse decernimus.

Archiepiscopali verò Mechliniensi quinque millium, & cuilibet ex Episcopalibus Mensis hujusmodi trium millium Ducatorum auri de Camera annuos redditus ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuncium specificandis, & repartiendis, ex nunc, prout extunc, & econtra, postquam specificati, & repartiti fuerint, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, & effectum sortitæ sint, & non ultra, Mechliniensi trium millium, ac cuilibet ex Episcopalibus Mensis prædictis mille, & quingentorum Ducatorum similium annuos redditus per ipsum Philippum

lippum Regem ex reditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipit assignandos, & Archiepiscopo Mechlinensi, ac singulis Episcopis præfatis pro tempore existentibus singulis annis, quousque specificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita fuerit, & non ultra, integrè, & proportionabiliter persolvendos, pro earum dote de pari Consilio, eadem auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Eidem autem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini extiterint, jus nominandi personas idoneas, in Theologia Magistros, aut in Decretis Doctores, seu Licentiatos, Nobilium Universitatum more, diligenti examine præcedente, promotos, ad Mechliniensem, Antverpiensem, Trajectensem, Atrebatensem, Tornacensem, Harlemensem, Ruremundensem, Namurcensem, Gandavensem, ac Brugensem, Daventriensem, Buscoducensem, Leovardiensem, Grœningensem, Middelburgensem Ecclesias prædictas, tam in hac priori vice, quàm quotiescumque illas pro tempore vacare contigerit, nobis, vel Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos, & eundem Pontificem in Archiepiscopos, & Episcopos earum ad nominationem ejusmodi instituendos, de eodem Consilio, & scientia, & auctoritate præmissis in perpetuum reservamus, atque concedimus, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranrer, contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædictarum, & quarumvis aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, & Ordinum hujusmodi, etiam juramento, vel confirmatione alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, & aliis præfatis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, illaque adversus præmissa suffragari nullo modo posse, seu debere decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionum, segregationis, divisionis, separationis, liberationis, erectionum, institutionum, concessionum, assignationum, attributionis, Statuti, subjectionis, decretorum, applicationis, appropriationis, reservationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo, quinquagesimo nono IV. Idus Maji, Pontificatus nostri, anno quarto.

Ne quis Regularis obtento, vel dimisso Episcopatu ullum dignitatis gradum in suæ Regulæ Familia assequi possit: an. 1559. III. Ex Uguel. Ital. Sacr. Tom. I. Col. 828. vet. edit.

PAULUS EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

In Sacra Beati Petri Sede, meritis licèt imparibus, divina dispositione collocati, ad ea, quibus sub Religionis jugo Domino famulantium quieti consulitur, & ambitionis via præcluditur, diligenter intendimus, & in his nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicuti nobis innotuit, nonnulli Episcopi, & Archiepiscopi diversorum Ordinum Professores, Dignitates, & Officia, etiam Superioritates nuncupata suorum Ordinum ambientes, ad hoc, ut ad illa assumi, eaque obtinere valerent, ab eorum Ecclesiis, quibus præerant, etiam munere consecrationis per eos suscepto, per Sedem Apostolicam absolvi procuraverint, & ad claustra suorum Ordinum redeuntes, postea àd Dignitates, & Officia, ac Superioritates hujusmodi diversis modis, & viis assumi, eaque consequi sategerint, & exinde quamplures dissensiones, & contentiones, ac religionis inobedientiæ exortæ fuerint, & in dies exoriantur, in animarum suarum periculum, & dictorum Ordinum opprobrium, ac scandalum plurimorum. Nos præmissis, prout ex debito Pastoralis Officii tenemur, providere volentes, motu proprio, & de certa nostra scientia volumus, & Apostolica Auctoritate statuimus, & ordinamus, quòd nullus cujusvis Ordinis, seu Religionis Professor Episcopus, seu Archiepiscopus, postquam munus consecrationis hujusmodi susceperit, etiamsi à vinculo Ecclesiæ, cui præfuerat, per Sedem eandem absolutus, eique, quòd in suo Ordine remanere, & ad Dignitates, ac Officia, & Superioritates hujusmodi assumi, eaque obtinere posset, per Sedem eamdem, seu illius autoritate concessum foret, ad Dignitates, aut Officia, & Superioritates hujusmodi cujuscunque qualitatis existant, & quovis nomine nuncupentur, eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possit, & ineligibilis ac ad ea obtinenda perpetuò inhabilis existat, ac quævis Indulta, Concessiones, Dispensationes, & Facultates, ac aliæ Gratiæ ei tam à nobis, & Sede Apostolica prædicta, etiam per litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, vel aliàs ab ejus Legatis, seu Nuntiis, aut majori Pœnitentiario nostro, quàm à Superioribus dictorum Ordinum, ac quibusvis aliis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, & scientia similibus, & desuper hactenus concessa, & in posterum concedenda, nulla & invalida, nulliusque roboris vel momenti sint, & esse censeantur: & si quis eum de cætero ad Dignitates, seu Officia, aut Superioritates hujusmodi scienter elegerit, jure eligendi perpetuò careat, ac voce activa, & passiva eo ipso privatus existat; revocantes, cassantes, & annullantes omnia, & singula Indulta, Concessiones, Dispensationes, & Facultates, & Gratias hujusmodi, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac decernentes irritum, & inane, quicquid super his à quoquam, quavis occasione, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictorum Ordinum juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, Episcopis & Archiepiscopis prædictis, ac quibusvis aliis concessis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus,

quòd

quòd præsentium litterarum transsumptis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ firmatis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdem adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 19. Julii, Pontificatus nostri, anno quinto.

Franciscus Aragonia.

Die 22. Julii 1559. retroscriptæ Litteræ Apostolicæ in forma Brevis affixæ, & publicatæ fuerunt in valvis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac acie Campi Floræ, dimissis copiis affixis per me Medardum S. D. N. Papæ Cursorem.

Nicolaus de Matthæis,
Magister Cursorum.

PIUS QUARTUS. PONTIFEX CCXXVIII. ANNO MDLX.

PIUS Mediolanensis, nomine Joannes Angelus Medicis anno 1559. initio clementem, sed non Caraffis se exhibuit, Cardinali Caraffa in Mole Hadriani Carnificis manu strangulato, & Fratre ejus Palliani Principe capite plexo in carcere. Concilium Tridenti, Protestantes Germaniæ Principes ad illud per Litteras & Legatos invitando, restauravit. Obiit anno 1565. (*Magni Bullarii Romani Tom. II. hujus Editionis Luxemb. fol.* 1.)

I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. p. 238.

Instituit Academiam Duacenam in Gallo-Flandria, ad Normam Lovaniensis in Brabantia, petente Philippo II. Hispaniarum Rege: anno 1559.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit, & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia processerunt, licèt superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

Dudum siquidem felicis recordationis Paulo Papa IV. Prædecessori nostro, pro parte carissimi in Christo Filii nostri, tunc sui, Philippi Hispaniarum Regis Catholici exposito, quòd cum Regio inferioris Germaniæ, ipsius Philippi Regis ditioni hæreditario jure subjecta, omni ferè ex parte à Populis Hæreticis, atque Schismaticis cincta, & obsessa esset, & præter assiduas eorum insidias, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides, & animarum salus maximo in discrimine versaretur, tam graviter periclitanti in illis partibus Fidei orthodoxæ, & animarum saluti aptissimum esse remedium duxerat, si in dicta Regione, quæ à tot, tantisque Populis, & gentibus incolebatur, præter illam celeberrimam, ac famosam Universitatem Studii Generalis Lovaniensem, alia quoque similis Universitas Studii generalis erigeretur.

Cui sic erigendæ Universitati Oppidum Duacense Atrebatensis Diœcesis, tam salubritate aëris, quàm fœcunditate terræ, & rerum omnium humano victui necessariarum copiâ maxime idoneum, & opportunum esse arbitrabatur: & propterea cupiebat ad Omnipotentis Dei Laudem, & Gloriam, ac militantis Ecclesiis exaltationem, nec non litterarum præcipuè Sacrarum studii incrementum, Universitatem Studii Generalis in dicto Oppido erigi, & instrui.

Quare pro parte dicti Philippi Regis, eidem Prædecessori nostro humiliter supplicato, ut in eodem Oppido Universitatem Studii Generalis erigere, & instituere, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaretur: Præfatus Prædecessor, qui in Apostolicæ dignitatis culmine, meritis licèt imparibus, tunc constitutus, sedulâ meditatione pensabat, ut per litterarum studia, cooperante omnium munerum Largitore, Christi Fideles virtutibus ornarentur, justitia coleretur, fides in primis Catholica, & divinus Cultus non modo conservaretur, verùm etiam nostris potissimè temporibus augeretur, atque propagaretur, ad idque præsertim, dum Catholicorum vota Principum id exposcebant, suæ considerationis aciem libenter convertebat, aliàsque desuper disponebat, pro ut in Domino pro studiorum ipsius directione, & successu felici conspiciebat salubriter expedire; attendens ex litterarum præsertim divinarum studio saluti animarum consuli, & alia spiritualia, & temporalia dona universo terrarum orbi provenire.

Hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub data videlicet pridiè Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno quinto, in ipso Oppido Universitatem Studii Generalis in artibus, naturali, ac morali Philosophia, ac Medicina, nec non Theologia, & Jure Canonico, & Civili, ac quibusvis aliis licitis Facultatibus, & Scientiis, ad instar Lovaniensis prædictæ, ac Parisiensis, Bononiensis, & Paduanensis, ac aliarum Studiorum Generalium Universitatum, Auctoritate Apostolica erexit, & instituit, ac illi sic erectæ, & institutæ, illiusque pro tempore existentibus Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Studentibus, Bidellis, & aliis Officialibus, & personis, quod omnibus, & singulis Privilegiis, libertatibus, & immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, Lovaniensi, ac aliis Studiorum Generalium Universitatibus hujusmodi, illarumque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholaribus, Studentibus, Bidellis, & aliis Officialibus, ac personis in genere, vel in specie, tam dictâ Apostolicâ, quam Regiâ Auctoritatibus, seu alias quomodolibet concessis, aut legitimè præscriptis, & ex nunc imposterum concedendis, & præscribendis, ac quibus ille, & illi utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere potuerunt, quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere.

Nec non iis, qui in dicta sic erecta Universitate, seu alibi per tempus debitum studuisse, ac scientiâ, & moribus idonei esse comperti forent, quod in Artibus, & Philosophia, & Medicina, ac Theologia, nec non Jure Canonico, & Civili, ac aliis Facultatibus, & Scientiis prædictis, Baccalaureatus etiam formalis, & Licentiaturæ, ac Doctoratus Magisterii, à pro tempore existente ipsius Universitatis Duacensis Rectore, seu aliàs, juxta ejusdem Universitatis desuper edendas Constitutiones recipere, & ipsorum graduum solita insignia sibi exhiberi facere, ac postquam gradus hujusmodi recepissent, ac illorum insignia sibi exhibita fuissent, ut præfertur, Facultates, in quibus promoti essent, legere, & interpretari, ac in iis disputare, nec non quoscumque actus gradui, seu gradibus per eos receptis convenientes exercere, aliàsque omnibus, & singulis Privilegiis, favoribus, gratiis, prærogativis, & indultis, quibus cæteri, in Lovaniensi, & aliis Universitatibus prædictis, juxta illarum Constitutiones, & mores ad gradus prædictos promoti de jure, vel consuetudine, seu aliàs utebantur, potiebantur, gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere in omnibus, atque omnia, perinde ac si gradus ipsos in Lovaniensi, aut

aliis Universitatibus Studiorum hujusmodi, juxta Constitutiones, & mores prædictas suscepissent.

Necnon Rectori, & Doctoribus, & Scholaribus Universitatis Duacensis hujusmodi pro tempore existentibus, quod pro salubri ipsius Universitatis directione & conservatione, ac illius Rectoris, Magistrorum, Doctorum, Lectorum, Bidellorum, ac aliorum Officialium electione, nominatione & provisione, & Scholariorum eorumdem manutentione, quæcunque statuta & ordinationes licita, & honesta, & Sacris Canonibus non contraria facere, & edere liberè & licitè valerent, eadem Auctoritate Apostolica concessit pariter, & indulsit.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque & Indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis, sub quibuscunque tenoribus ac formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis &c. iteratis vicibus concessis, probatis & innovatis.

Quibus omnibus dictus Prædecessor, etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, vel alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, pro sufficienter expressis habens, illis aliàs in suo robore permansuris, eâ vice duntaxat specialiter & expresse derogavit, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ne autem de erectione, institutione, concessione, indulto & derogatione Prædecessoris hujusmodi, quòd ejus superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, dictusque Philippus Rex illorum frustretur effectu, volumus & decrevimus, quod erectio, institutio, concessio, indultum, derogatio hujusmodi perindè à dicta die pridie Kalendas Augusti suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Prædecessoris Litteræ, sub ejusdem diei data, confectæ fuissent, prout superiùs enarratum. Quodque præsentes Litteræ ad probandum plenè erectionem, institutionem, concessionem, indultum, & derogationem prædictam ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Nulli ergò hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, octavâ Idus Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

II. Ex Oper. Diplom. Miræi T.I. p. 797.

Erigit Episcopatum Harlemiensem in Hollandia, Archiepiscopatûs Ultrajectensis primum Suffraganeum, anno 1560. eique pro dote assignat Abbatiam Egmontanam, Ordinis Sancti Benedicti, Cathedram Episcopalem in Ecclesia S. Bavonis collocat, & ad fundandas Canonicorum Præbendas, partim transfert Capitulum Geervlitanum, partim supprimit Monasterium Heyloënse Canonicorum Regularium.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsidentium, & in eis Divinis Laudibus insistentium personarum statui, & opportunæ subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christi fidelium salute valeat salubriter provideri, ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cùm itaque, sicut accepimus, aliàs postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tum subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, & longè, latéque diffitorum Castrorum, & pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabat, hisque & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habitâ, sicuti magnitudo rei postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturâ, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Diœceses, ac Remensem & Coloniensem Provincias, ac Mechliniensem, Harlemensem, ac reliqua oppida prædicta sic divisa in Civitates.

Cameracensem verò & Trajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rumoldi Mechliniensem, & Metropolitanam, ac Parochialem S. Bavonis Harlemensem, cæterasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, in Cathedrales Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent.

Necnon Harlemensi, aliisque Ecclesiis & Civitatibus prædictis, certos tunc expressos districtus per Nuntium suum, postmodùm ab eo illuc mittendum, limitandos, pro sua cujusque Diœcesi perpetuò concesserat; necnon Ecclesiæ Ultrajectensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem & Diœcesim Harlemensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat; præfato quoque Philippo Regi, illiusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo, & forma qualificatas, ad Harlemensem, & alias Ecclesias erectas, tam à primaria erectione hujusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos, ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & denique per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusinensi suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in Mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris, sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret, Dilectus Filius Noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore intereà de medio sublato, vigore seu prætextu Mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan dictorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant, factâ ni-

hilominùs diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè præfatis, animadvertentes, quòd per dismembrationes bonorum in Monasteriis & Præposituris præfatis, si fieret, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria & Præposituras Mensis prædictis, pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc, ut Episcopi etiam illorum Curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda, ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesis, divisionesque & distributiones Oppidorum & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis, quæ per primò dictas litteras statuuntur, necnon constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, Statum quoque & formam in prædictis Ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodas rationes habendas censuerint, ac super majori illorum parte processus, & scripturas, seriò digestis rebus omnibus, formandos curaverint.

Et inter alia dictæ Ecclesiæ Harlemensi, & pro tempore existenti Episcopo Harlemensi,

Harlemum, Amsterdamum, Beverwyck, Alcmaria, Monickdam, Edam, Purmerende, Horn, Enchusia, Medenblick, Scheagen, Groetebrouck, Spaervvoulde, Cleeff, Tetvveede, Aelbrechsberge, Schoeten, Brederoden, Santutirt, Sparendam, Santpoert, Velsen, Berchenroede, Heemsteide, Hillegom, Hoetvvyckerhous, Lysse, Teylingen, Saslenem, Voerhout, Oestgeest, Noertvvyckop-Zee, CatvvyckopZee, Catvvyck op den Ryn, Alkemaende, Valkenburch, Hoechmaede, S. Jacobs Woude, Aire, Caege, d'Oude Wateringe, Brasem, Hieuvvetten, Leymuden, Calstne, Cudelstaert, Aelsmeer, Amstervveen, Nieuvverkerck, Pietvvick, Hoen, Schellicvvoude, Dorigendam, Laemsdorp, Buckesloet, Tynderdorp, Hollestoet Wedam, Saerendam, Lantsmeer, Suytvvoude, Brouck, Spendam, Marcken, Purmerlant, Wormer, Ghisp, Heck, Ouvvoude, Tollendam, Assenburck, Wyck op Zee, Heemskerck, Vytgeest, Castricom, Akerstoet, Limmen, Egmond op Zee, Heyloe, de Hoefft, Assendelfft, Weertsanen, Gromenye, Cromenyerdyck, Ryp, Graef, Scermer, Scermenhorn, Buadyck, Madekervvarden, Esterhem, Gasthuyssen, Beetsen, Scaerdam, Oudendyck, Divickshorn, S. Marten, Kalkervvege, Grosthuys, Scaervvoude, Auenhorn, Kerckout, Rustenborch, Ursfem, Oosterbeeck, Heyemsbrouck, Spierdyck, Opdam, Weydenisse, Scellinck, Svvaek, Westerblock, Osterblock, Leeck, Hem, Westervvoude, Venhuysen, Binnehuysen, Hoegekerspel, Lutkebrouck, Boeretersspel, Waersaertshoeue, Westeynde, Woggeman, Huysduynen, Oppida, Villas, Castra, Pagos & Loca respectivè pro sua Diœcesi designaverunt, prout in singulis litteris, ac processibus & scripturis prædictis pleniùs continetur.

Nos, qui dudum inter alia voluimus, quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Monasterium Egmondense, Ordinis Sancti Benedicti, olim Ultrajectensis, nunc verò Harlemensis Diœcesis, certo tunc expresso modo vacans, Mensæ Episcopali Harlemensi, pro ejus dote perpetuò univimus, annexuimus & incorporavimus, attendentes, quòd si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, atque affligitur, haut ita violenter invaluissent.

Nunc autem, cum ad illa arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in Sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia magis opportuna remedia potuerit adhibere, ut ea juxta cordis sui, atque nostri desiderium promptos & felices sortientur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus rationibus juvare & promovere volentes, ac singularum litterarum & processuum, ac scripturarum prædictorum veriores tenores, ac Mensæ Episcopalis Harlemensis, & Monasterii de Heylo, & Canonicatus, & Præbendæ eidem Mensæ uniendorum infrascriptorum fructuum, redditum & proventuum, veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati.

Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica tenore præsentium, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum subdelegatorum, in præfatis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis, inhærendo, ac concessionem & assignationem, per priores litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infra scripta immutando, omnia & singula Oppida, Castra, Pagos, Villas & Locos in posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, etiam Beneficiis, Locis, Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ac populis, & quibuscunque aliis sub eis comprehensis, prædictæ Ecclesiæ Harlemensi, juxta designationem illius per præfatos subdelegatos factam prædictam, perpetuò concedimus & assignamus.

Et ut Episcopus Harlemensis pro tempore existens Ecclesiam suam Dignitatibus, Canonicatibus & Præbendis, Officiis ac Personis Ecclesiasticis, litterarum scientiâ præditis jugiter decoratam habeat, Monasterium de Heylo, Ordinis S. Augustini, olim Ultrajectensis, nunc verò Harlemensis Diœcesis, quod à nonnullis annis bis deflagravit, ad præsens certo modo Prioris regimine destitutum, seu cum vacaverit, & in eo dignitatem Prioratus, seu Conventuale, ac omnia & singula, Canonicales Portiones, Officia, Beneficia Regularia, Prioratus etiam ab eo dependentes, nec non Canonicos & personas, ac deinde Ordinem, omnemque statum & essentiam Regulares, in illis ac ipsis Canonicis, Prioribus & Personis, penitus supprimimus & extinguimus, illaque omnia & singula ad Statum Sæcularem reducimus, ac tam ipsos sic Sæcularisatos, quàm etiam Collegiatos Ecclesiæ Geervlitensis dictæ Trajectensis vel alterius Diœcesis, Capellam Regiam nuncupatam in Pathen, & quæ, seu eorum aliqua forsan de Jurepatronatus præfati Regis existunt.

Ejusdem Ecclesiæ Geervlitensis Decanatum, & alias Dignitates, Canonicatus & Præbendas, Administrationes & Officia, perpetuas Capellanias, cæteraque Beneficia & Officia Ecclesiastica, cum omnibus & singulis ejusdem, necnon dicti Monasterii suppressi proprietatibus, bonis, juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis suis, exceptis Vicariis, Cappellanis, Suppellectile & Ornamentis, ac aliis ad Curam animarum dictæ Ecclesiæ Geervlitensis etiam Parochialis Deputatis, seu per præfatos subdelegatos deputandis, ad præfatam Ecclesiam Harlemensem, in qua Dilecti Filii Decanus & Capitulum Geervlitensis, & Canonici suppressi Monasterii hujusmodi, posthac quilibet videlicet in suis Dignitate & ordine residere debeant, etiam perpetuò transferimus, ac in ipsa Ecclesia Harlemensi unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui talem jurisdictionem per totam Diœcesim Harlemensem prædictam habeat, post cessum, vel decessum illius, vel illorum, qui nunc sunt, in illa parte ejusdem Diœcesis, qualis Archidiaconus Ecclesiæ Trajectensis habiturus est, & unum Archipresbyteratum Civitatensem, pro uno Archipresbytero Civitatensi nuncupando, qui Curam

Rectorum Parochialium Ecclesiarum Verbi Dei & Sacramentorum Civitatis Harlemensis, & unam Pœnitentiariam Diœcesanam, nuncupandas Dignitates, inibi pro uno Pœnitentiario, qui Curam conscientiarum populi, & Diœcesin universam Harlemensem specialiter habeant, necnon tot ex pinguioribus proventus Cappellaniis ad ipsam Ecclesiam Harlemensem translatis, quoad Episcopo Harlemensi visum fuerit expedire, in Canonicatus & Præbendas ejusdem Ecclesiæ Harlemensis, pro illas nunc obtinentibus, & totidem aliis futuris Canonicis (jure tamen ordinariis Collatoribus, necnon Patronis, etiam Laïcis, si qui sint, præsentandi, vel conferendi, aut aliàs disponendi, salvo & illæso quoad dictas Cappellanias remanente) ac tot alios Canonicatus ac Præbendas, quot Canonici dicti Monasterii suppressi, ad eandem Ecclesiam Harlemensem translati existunt, quodque in ejusdem Monasterii suppressi proventibus ad æquivalentiam fructuum Canonicatuum & Præbendarum dictæ Ecclesiæ Geervlitensis creari possint, perpetuò erigimus & instituimus, ac Canonicatibus & Præbendis pro Canonicis Monasterii suppressi, aliisque de ejus Bonis erectis, pro eorum dote bona, proprietates & proventus hujusmodi etiam perpetuò applicamus & approbamus.

Præterea statuimus & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis tam de Ecclesia Geervlitensi translatis, quàm pro Canonicis Monasterii suppressi hujusmodi erectis, decem Canonicatus, & decem Præbendæ ejusdem Ecclesiæ Harlemensis, quos primo per cessum, & ex causa permutationis, vel decessum, & quamvis aliam dimissionem, vel amissionem illorum possessorum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs quovis modo, & ex cujuscunque persona, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici, pro tempore existenti, per Institutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ regulas reservata existit, seu fuerit, aut litteras alternativarum, vel concordata Nationis Germaniæ, seu alia Privilegia & Indulta, ordinariis Collatoribus quomodolibet concessa & concedenda, vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent, & tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique decem Canonicatus & Præbendæ Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existunt, etsi super eis inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendet indecisa, ita perpetuò affecti remaneant, quod idem Episcopus unum, & unam omnium primò vacaturos, tanquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos, & quos, nos similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ipsi Mensæ perpetuò unimus & incorporamus, obtinere, illorumque ratione Persona Capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habere:

Reliqui verò novem Canonicatus & Præbendæ prædicti, tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theologia, saltem Gradu Licentiaturæ in famosa quapiam Universitate studii generalis, secundùm tenorem primò dictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores, tam nobiles, quàm ignobiles, ut præfertur, tantum qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas, & pro reliquis novem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi Præbendarum consilium, & operam in Negocio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus, pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo prædicto requisiti fuerint, tàm conjunctim, quàm divisim præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus Graduatus Pœnitentiarius, ad Pœnitentiariam hujusmodi, ad nominationem dicti Episcopi, assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictos, simul ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hâc prima vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde, quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum, per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat, quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ, sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, assertionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis præcibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis, per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos, aut consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacunque causa, quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis comprehendantur.

Nec etiam tanquam apud Sedem Apostolicam prædictam vacantes, aut ulla alia ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, & apud Sedem eandem, pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat; quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, Seniores ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Harlemensem prædictam, quoties ab Episcopo Harlemensi: Cæteri verò Canonici graduati prædicti, quandocunque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam Animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, modo juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur, quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant; ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, nisi necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat: nec quisquam ulla dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico, quâcunque causâ impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam, & in

Diœcesi

Diœcesi Harlemensi existentes, vel sub Juris Decanatibus, aliisque Jurisdictionibus, prout hactenus remaneant, vel meliori modo, arbitrio dicti Episcopi, distribui, ipsorumque Decanatuum Decani, salvâ dicti Episcopi moderatione, emolumenta hactenùs percipi solita, percipere possint.

Districtiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & Dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus & Personis, illique, vel illis, ad quem, vel quos decem Canonicatuum, & Præbendarum assertorum prædictorum Collatio, provisio, & quævis alia dispositio, communiter vel divisim pertineat, & quibusvis aliis, cujuscunque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, aliisque Sententiis, Censuris & Pœnis, necnon privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterùm obtinenda, de decem Canonicatibus, & Præbendis prædictis, si vacent, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare, quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum Jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his Beneficio Regularium, de non tollendo Jure quæsito, ac de annali & triennali possessore, necnon privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacificè quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, plenariè uti, potiri & gaudere.

Nec decem Canonicatus, & decem Præbendas affectos prædictos per quoscumque, & prætextu Mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, & juxta concordata prædicta expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari posse, & nihilominùs quascunque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones, incorparationes, & alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per nos, & Sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris, & momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum.

Attamen possidendi tribui posse concessionem, assignationem, suppressionem, extinctionem, redactionem, translationem, erectionem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem, incorporationem, & præterea præmissa ex nunc omnimodum effectum sortita esse & censeri, ne sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel limitationibus, etiam unionum, suppressionum, extinctionum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summum Apostolatus Apicem, quàm aliis quomodolibet, aut cum quibusvis Clausulis & Decretis, quocumque tempore fient, minimè includi.

Sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa esse, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, & intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam, quacumque ratione, vel causâ vocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit, attentari.

Quocircà Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Ultrajectensi, & Episcopo Amerinensi, & Dilecto Filio Decano Ecclesiæ Hagensis, Ultrajectensis Diœcesis, per Apostolica Scripta, motu simili mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Harlemensis, & aliorum, quorum interest, & quomodolibet interetit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostra Episcopum Harlemensem, & alios prædictos concessione, assignatione, suppressione, extinctione, translatione, erectione, institutione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, unione, annexione, incorporatione, litteris, & aliis in eis contentis prædictis pacificè gaudere, & aliàs litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de exprimendo valore, tàm in unionibus, quàm etiam impetrationibus, & aliis gratiis, etiam motu simili factis, nec non litteris super Beneficiis de Jurepatronatus Laïcorum ut supra, nisi de consensu illorum, aut collatione devoluta non expediendis; nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri, de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis.

Aliisque Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, etiam præservatoriis, etiam in Corpore Juris clausis, nec non aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliis in contrarium quomodolibet editis, nec non Monasteriorum & Ordinum, Ecclesiarum & Collegiorum, ac locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus.

Nec non quibusvis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, vel aliis gratiis, etiam in Canonicos creationibus, aliis unionibus, etiam perpetuis, absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus citra accessus, & regressus, facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis Commensalibus, ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, & quavis, etiam grandi Causa, consideratione, intuitu, vel respectu etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, & irritantibus Clausulis, & etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu, & scientia similibus, & alias quomodocumque concessis.

Quas, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium

vim,

vim, & effectum, quoad præmissa omnia suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse neque debere decernimus; nec non Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis, & aliis quibusvis, per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per modum statuti perpetui, nec non initi, ac stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cùm quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, potestatis plenitudine similibus, & non consistorialiter, ac aliis quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Litteras generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ, observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes: quamvis talia etiam, & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur.

Nihilominus in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui Apostolica potestate, vel alia quavis auctoritate in dicta Ecclesia Geervlitensi in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, Administrationibus, & Officiis [illegible] Ecclesiæ Geervlitensis, ac hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum.

Quas quidem Litteras, & Processus habitos per easdem ac inde sequuta quæcumque ad Canonicatus, & Præbendas, nec non Dignitates alias, & Decanatum, Administrationes, & Officia, ac Cappellanias hujusmodi, docuimus non extendi.

Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, Dignitatum, Administrationum, & Officiorum aliorum præjudicium generari, & quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, reductionis, translationis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, Statuti, ordinationis, unionis, annotationis, incorporationis, inhibitionis, Mandati, Decreti, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo, quarto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Episcopatum Daventriensem in Transisâlania Archiepiscopatus Ultrajectini Suffraganeum, anno 1560. erigit, Ecclesiam Collegiatam S. Lebuini nominans Cathedralem, ac pro dote Episcopi assignans Præposituras Ecclesiarum Daventriensis, Zutphaniensis, & Oldezaliensis, nec non Prioratum Montis Sanctæ Agnetis, Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, prope Zwollam. III. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. pag. 790.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regimini universalis Ecclesiæ, disponente Domino, præsidentes, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim noviter erectarum, illisque præsidentium, & in divinis servientium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoris officii tenemur, solicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum ipsarum dotationi, decori, & venustati, suorumque Præsulum, Capitulorum, & aliarum Personarum divinis ibi laudibus insistentium statui, & opportunæ subventioni, cum divini Cultus augmento, & animarum Christi Fidelium salute consulitur, nostræ solicitudinis partes libenter adhibemus, ac aliàs super his etiam nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris licèt consultè gesta fuerint, immutanda disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cùm itaque sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis Paulus PP. IV. Prædecessor noster, ut providum decebat Pastorem, in ea inferioris Germaniæ parte, quæ Clarissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure subjecta est, pro tanta celeberrimorum, quæ inibi erant, oppidorum frequentia, populorumque multitudine adeo paucas Ecclesias Cathedrales inesse considerans, ut earum Episcopi eâ, quâ opus erat, diligentiâ tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque quibusdam eò erat difficilius, quod Diœcesani sui inter se vulgari idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem evocari non liceret, unde præfati Episcopi sanam fidei Catholicæ doctrinam, ac rectam vivendi rationem, populum illum docere, & in delinquentes animadvertere commodè nequibant, ipsaque fides, & animarum salus illic ob pullulantes Hæreticorum, & Schismaticorum, quibus Regio ipsa undique ferè circumdata erat, insidias, pestiferasque doctrinas maximo in discrimine versabatur.

His, aliisque gravibus Causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi Regis hoc illius humiliter supplicantis precibus, pioque desiderio in ea parte satisfacere, habitâ, sicuti tanti rei pondus exigebat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, matura deliberatione, de eorum Consilio, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Trajectensem Civitatem, & Diœcesin à Coloniensi Provincia, cui tunc erat Metropolitico Jure subjecta, ac Daventriensem à Trajectensi, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis cum omnibus, & singulis suis Terminis, Territoriis, Cleris, Populis, & Personis, Monasteriis, & Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura Sacularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, aliisque piis locis à suis quoque Diœcesi, & Pro-

vincia per quasdam sub plumbo perpetuò segregaverat, diviserat, & separaverat, ac Daventriense, cæteraque oppida prædicta sic divisa in Civitates; Sedem verò Trajectensem tunc Episcopalem in Metropolitanam, ac Collegiatam S. Lebuini Daventriensem, cæterasque alias aliorum oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedrales, pro totidem Episcopis creandis, qui suæ cuique Ecclesiæ præessent, ac Daventriensi, aliisque Ecclesiis, & Civitatibus prædictis certos districtus per Nuntium suum, postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos pro suis Diœcesibus concesserat, nec non Daventriensem, & cæteras alias tunc expressas Ecclesias, Civitates, & Diœceses Ecclesiæ Trajectensi pro sua Provincia subjecerat, singulisque Daventriensis, de aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalibus, annuum redditum 3000. Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuntium specificandis & repartiendis, ex tunc, prout ex die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ & effectum sortitæ forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis, pro earum dote alium annuum redditum 1500. Ducatorum similium per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex eadem Regione percipiebat, Daventriensi, aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minimè sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionabiliter persolvendum applicaverat, ac eidem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo, & forma qualificatas ad Daventriensem, & alias Cathedrales Ecclesias sic erectas, tam à primæva illarum erectione hujusmodi, quàm quotiescunque illas pro tempore vacare contigerit, per ipsum Romanum Pontificem pro tempore existentem in Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat.

Et deinde per alias suas in forma Brevis Litteras Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio dederat in Mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias, & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem Ecclesiis ipsis assignandam, à Monasteriis, ac Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat, dilectus Filius Noster Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes Viri, quos ipse Salvator Episcopus, dicto Prædecessore interim de medio sublato, prætextu Mandati & posteriorum Litterarum hujusmodi ad id loco sui substituerat, licèt forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id Canonicè subdelegari possent: facta nihilominùs per quàm diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis animadvertentes, conducibilius fore aliquot Monasteria & Præposituras illarum partium supprimere, illorumque suppressorum fructus, redditus, & proventus Daventriensi, aliisque nonnullis Episcopalibus Mensis pro earum dotibus applicare, ac designationes, & limitationes Provinciarum, & Diœcesium, divisionesque, & distributiones oppidorum, & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium illis, quæ per dictas Litteras statuebantur, commodiores, numerum denique personarum, & Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque, & formam in præfatis Ecclesiis etiam per hujusmodi suppressiones, applicationes, & aliàs in universum magis accommodas, rationes habendas censuerint: & inter alia Ecclesiæ, ac pro tempore existenti Episcopo Daventriensi pro Diœcesi sua, Oppida, Castra, Pagos, Villas, & loca infrascipta videlicet.

Daventria, Zutphania, Zwolle, Campen, Harderwyck, Elburgh, Hattem, Dœsburg, Heerembergh, Dotechem, Hasselt, Goor, Locheim &c. eorumque districtus, & Territoria assignaverint, ac super majori præmissorum parte processus, rebus omnibus seriè digestis, formandos curaverint, prout in illis, & singulis litteris præfatis, aliisque scripturis desuper forsan confectis, pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, attendentes, quòd si priscis temporibus, dum ejusdem Regionis Populi multiplicari cœperunt, ibi Cathedralium Ecclesiarum numerus similiter adauctus, illisque de Catholicis, bonisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, tot perniciosa hæresium dogmata, quibus in circumvicinis partium illorum locis Religio Christiana miserè laceratur, non ita invaluissent.

Porrò cùm ad illa, quæ istuc ex vicinorum contagio jampridem influxerunt extirpanda, dictosque Populos in sinceritate fidei continendos, nulla alia magis, quàm præmissa opportuna adhiberi remedia potuisse videantur, ut illa juxta cordis nostri desiderium promptos, & felices sortiantur effectus, eis nostri Ministerii partes impartiri volentes, ac partitionis, & ordinationis per eosdem Subdelegatos, quantùm ad Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesin Daventriensem pertinet, prudenter examinatarum, & in scriptis concorditer digestarum, etiam quoad limites Diœcesis Daventriensis, ac omnia & singula Oppida, Castra, Villas, & alia loca in eis comprehensa, nec non ordinationis commodæ Subdelegatorum hujusmodi, ac litterarum prædictarum, aliarumque scripturarum desupet confectarum tenores, nec non Canonicatuum, & Præbendarum dictæ Ecclesiæ S. Lebuini fructuum, redditaum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habentes, atque omnia, & singula, ac prout illa concernunt reliqua in dictis Litteris & Scripturis contenta, & inde sequuta Apostolica auctoritate, & ex certa scientia confirmantes, & approbantes, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicientes, omnesque, & singulos juris, ac facti defectus, si qui forsan intervenerint, in iisdem supplentes, ac illis in hac parte penitùs inhærentes, litterasque dicti Prædecessoris quoad illa, & quæ litteris ipsis non consonant, cæteraque infrascripta immutantes, & nihilominùs pium, & laudabile ejus institutum prosequi, & ad hunc effectum Mensæ Daventriensi de congrua dote providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac de similis potestatis plenitudine, S. Lebuini in Cathedralem erectæ hujusmodi, ac Zutphaniensis, ubi pro tempore existens Episcopus Daventriensis Conventum, sive Curiam Episcopalem pro Comitatu Zutphanico, & parte Ducatus Geldriæ habiturus est, & Oldenzaliensis, ubi Episcopum præsentem frequenter esse, propter Dominium de Linghen, quòd ibi adjacet, oportebit, Ecclesiarum Præposituras, quæ dignitates principales inibi forsan existant, ac dilectis Filiis illius Canonicis propter intolerabilem, quas ab hæreticis, & Incendiariis, aliisque grassatoribus inibi patiuntur vexationem, hoc ita fieri petentibus, Monasterium montis Sanctæ Agnetis, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium, olim Trajectensis, nunc verò Daventriensis Diœcesis, quorum insimul, & illis forsan annexorum fructus, redditus, & proventus 3000. Ducatorum auri de Camera, secundùm communem æstimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, cùm primum illa per cessum etiam ex Causa permutationis, vel

decessum, seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem, modernorum Præposituraruм Præpositorum, & Monasterii hujusmodi Abbatis, vel Commendatarii, aut aliàs quomodolibet etiam apud Sedem prædictam vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præmittitur, vel alias vacent, & tanto tempore vacaverint, quòd Præpositurarum collatio, & Monasterii prædictorum provisio juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut aliàs Canonicas Sanctiones ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipsæque Præposituræ dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservatæ existant, & ad illas consueverint qui per electionem assumi, eisque etiam Cura jurisdictionis immineat animarum, ac super eis, ac eodem Monasterio inter aliquos lis, seu super illorum possessorio molestia, cujus Statum, ac verum, & ultimum eorumdem Præpositurarum, & Monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in Corpore Juris ita resultet, præsentibus haberi volumus pro expressis, pendeat indecisa, ipsiusque Monasterii provisio ad Sedem prædictam specialiter, vel generaliter pertineat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat: ipsum videlicèt Monasterium, ac in eo nomen, titulum, & denominationem Abbatis, ac ordinem, & dependentiam, omnemque Regularem Statum dicta auctoritate perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac illius fructus, redditus, proventus, Jura, obventiones, & emolumenta, ac alia quæcumque Bona una cùm suis præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, administrationibus, Juribus, & pertinentiis universis dictæ Mensæ Episcopali Daventriensi, etiam perpetuò applicamus, & appropriamus, Præposituras verò prædictas cum juribus, & pertinentiis suis eidem Mensæ etiam perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, ita quòd hujusmodi vacationibus occurrentibus, liceat Episcopo Daventriensi pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem Præpositurarum, & illis annexorum, ac fructuum, redditiuum, proventuum, Jurium, obventionum emolumentorum, & aliorum Bonorum Monasterii hujusmodi propria auctoritate liberè apprehendere, & retinere, illaque, deductâ tamen congruâ fructuum, reddituum, & proventuum ejusdem Monasterii portione pro uno Ecclesiæ dicti Monasterii, quæ etiam forsan Parochialis existit, Rectore, qui dilectorum Filiorum Parochianorum Ecclesiarum animarum Curam exerceat, illisque Sacramenta Ecclesiastica administret, & pro uno Presbytero Sacellano, qui Rectorem ipsum adjuvet, ac etiam pro eleemosynis ibi fundatis, annuatim distribuendis in suos, & dictæ suæ Mensæ usus, & utilitatem convertere.

Nec non omnia, & singula Prioratus, Præposituras, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates, Personatus, Administrationes, ac Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, institutionem, electionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem, pro tempore existentium Præpositorum, & Abbatis prædictorum communiter, vel divisim quomodolibet spectantia, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare, eligere, & præsentatas, vel electas instituere, ac confirmare, & aliàs de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorumdem Monasterii Abbas, & Præpositurarum Præpositi hactenus facere, & exequi soliti sunt, potuerunt, & debuerunt facere, & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ.

Et insuper eidem Episcopo Daventriensi, qui pro tempore erit, ut Ecclesiam Monasterii hujusmodi, si opus sit, in Parochialem, & in ea unum perpetuum Beneficium Ecclesiasticum pro dicto Sacellano erigere, & instituere, illisque ac pro eleemosynis distribuendis præfatis congruam fructuum, reddituum, & proventuum Monasterii portionem hujusmodi assignare liberè, & licitè valeat, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus.

Et ut Ecclesia Daventriensis prædicta aliquot Dignitatibus, & Officiis decoretur, in illa unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post tamen dilectorum Filiorum moderni, seu modernorum ejusdem Trajectensis Ecclesiæ Archidiaconorum, jurisdictionem in ipsa Diœcesi habentium, cessum, vel decessum plenariam jurisdictionem Archidiaconalem in universâ Diœcesi Daventriensi, quàm cæteri Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi de jure vel consuetudine habent, & habere debent.

Ac unum Archipresbyteratum Civitatensem nuncupandum, dignitates ibidem pro uno Archipresbytero Civitatensi nuncupando, qui specialem Pastorum, seu Rectorum Parochianorum, & verbi Dei Prædicatorum in eadem Civitate curam habeant; ac unam Pœnitentiariam pro uno Pœnitentiario Diœcesano dictæ Ecclesiæ, cujus Officium, sive munus circa curam conscientiarum Populi totius Diœcesis prædictæ versetur, etiam perpetuò erigimus, & instituimus.

Nec non suppressionem, extinctionem, applicationem, & appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, & alia præmissa, sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, & derogationibus, similium, vel dissimilium suppressionum, extinctionum, applicationum, appropriationum, unionum, annexionum, & incorporationum per nos, & Sedem præfatam sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tempore factis minimè comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quatenùs illas suspendi, derogari, aut illas revocari contigerit, toties eas de novo concessas, & in statum pristinum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehendantur, ex nunc verè, & non fictè suum plenarium effectum sortitas, ac unionem, annexionem, incorporationem, suppressionem extinctionem, applicationemque, & approbationem prædictas de non vacaturis, sed de vacantibus Præposituris, & Monasterio præfatis factas, & per illas ex nunc Mensæ Episcopali, & Episcopo Daventriensi pro tempore existenti Jus in re quæsitum existere, præsentiumque Litterarum suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus, & restitutionibus haberi, & censeri decernimus.

Omnes autem, & singulos ejusdem Monasterii Canonicos, & alias personas, qui ad Daventriensem prædictam, vel alias Sæculares Ecclesias transire valent à Regularibus ipsius Ordinis institutis, eorumque observatione, & habitus regularis gestatione, ac paupertatis voto eisdem auctoritate, & tenore prorsus absolvimus, & liberamus.

Ac ad Statum Clericorum sæcularium, ita quòd se illis in omnibus, & per omnia conformare, ac omnibus, & singulis illorum Privilegiis, exemptionibus, liberationibus, communitatibus, gratiis, & indultis, quibus ipsi Sæculares Clerici quoquo modo utuntur, potiuntur, & gaudent, etiam quoad Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium quorumcumque assequutionem, & plenariam ad illa, nec non quæcumque Bona capacitatem, & liberam de quibusvis Bonis mobilibus, & immobilibus, ad eos quovis modo spectantibus testandi facultatem, citra tamen Consanguineorum suorum in Bonorum successione præjudicium uti, potiri, & gaudere valeant, reducimus, & plenè sæcularizamus, ac singulis eorum, qui ad Ecclesiam Daventriensem transierint, singulas Præbendas, & aliis ad alias Sæculares Ecclesias, potiùs

trans-

transmeare volentibus singulas portiones 100. aureorum Rhenensium, donec illis abundè de simili redditu Ecclesiastico canonicè provisum fuerit; reliquis verò, qui ad alia Regularia loca transferri maluerint, ad eorum vitam duntaxat singulas portiones annuas quinquaginta Ducatorum ex fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii hujusmodi eorum singulis, per eo tempore existentem Episcopum præfatum annuatim persolvendas, auctoritate, & tenore prædictis assignamus, ac cum ejusdem Regularibus Canonicis ad Statum Sæcularem per præsentes reductis, ut quæcumque, quotcumque, vel qualiacumque, cum Cura, & sine Cura, aliàs tamen se invicem compatientia Beneficia Ecclesiastica per Clericos Sæculares obtineri solita, aliàs sibi canonicè conferenda recipere, & retinere, Bonaque etiam temporalia quæcumque possidere liberè valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus.

Ac dilectis Filiis S. Lebuini, Zutphaniensis, & Oldenzensis Ecclesiarum Capitulis, ac Conventui Monasterii hujusmodi, aliisque quibusvis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ Sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum, Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia per contrafacientes in posterum obtinenda eo ipso incurrendis pœnis, ne ad electionem, seu postulationem in Præpositos, vel Abbatem Ecclesiarum, vel Monasterii prædictorum, cum illa vacare contigerit, etiamsi nunc vacent, ut præfertur, procedere, vel se aliàs in eis, vel eorum aliquo intromittere quoquo modo præsumant, districtiùs inhibemus, & nihilominùs quascumque electiones, seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes, vel admissiones, nec non provisiones, præfectiones, commendas, aliàsque dispositiones, quas ex nunc de cætero etiam per Sedem prædictam de Præposituris, & Monasterio præfatis quomodocumque fieri contigerit, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore decernimus.

Et ut idem Episcopus suam Ecclesiam Personis, ut insignem decet Cathedralem, eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munia Ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam habeat, perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis ipsius Ecclesiæ S. Lebuini, qui sunt numero viginti, decem Canonicatus, & totidem Præbendæ, quos primo loco, postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo Canonicè provisum fuerit, per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem quomodolibet decem Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent, & tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio, ut præfertur, devoluta, ipsique Canonicatus, & Præbendæ, vel eorum aliqui dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati existant, & ad illas consueverint qui per electionem assumi, super ejus quoque, vel eorum aliquibus inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, unus, & una videlicet Episcopo, ratione quorum sit Capitularis, habeatque in Capitulo Locum, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos ipsius Ecclesiæ Confratres suos, ac tres alii tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tres alii aliis tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, & reliqui tres Canonicatus, & totidem Præbendæ tribus Nobilibus ejus Diœcesis, qui etiam in Jure, vel Theologia saltem ad gradum Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii generalis cum rigoroso examine sint promoti, ordine servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles, quàm Ignobiles, ut præfertur, tamen Graduati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis ex novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possunt, ipsam tamen Nobilitatem à sex prioribus Canonicatibus & Præbendis non excludendo.

Ex tribus autem prioribus Graduatis unus ex designatione Episcopi Archidiaconus, aliàs Archipresbyter Civitatensis, & reliquus Pœnitentiarius Diœcesanus præfati existant. Postremò apud alios duos Doctores, vel Licentiatos Seniores, unum videlicet Theologum, alterùm verò Jurisperitum potestas totam Diœcesin Daventriensem, dum & quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, ejusdem Episcopi nomine visitandi, quibus etiam reliqui Graduati, quoties ad id similiter requirentur, assistere debeant: Apud Archidiaconum verò, & tres alios ex Graduatis hujusmodi, duos videlicet Theologos, & unum Jurisperitum, potestas Clericos ad Ordines Sacros promovendos, & Rectores Parochianos de Parochialibus Ecclesiis, vel perpetuis illarum Vicariis quacumque auctoritate provisos ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi sit, & permaneat, ita quòd ipsi nullos prorsus nisi idoneos, & quantum ad animarum Curam pertinet, quidem personalem facient residentiam, expressè juratos admittere valeant, & in universa Diœcesi prædicta tot Archipresbyteri, vel Decani rurales deputentur, quot esse conveniet, ita quòd hi, qui nunc sunt in Officio suo cùm solitis emolumentis, salva tamen ipsius Episcopi moderatione, remaneant, ac tam Archidiaconus, Archipresbyter, & Pœnitentiarius, quàm reliqui sex Canonici ratione suarum Præbendarum hujusmodi consilium, & operam in negotiis Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quando, & quoties ab eodem Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim, quàm divisim, fideliter præstare teneantur.

Et ut Viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sic asserti hac primâ vice per Episcopum duntaxat, qui illos Graduatis & Nobilibus alternatis vicibus conferat, & deinde, quoties illos perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum præfatorum superstitum per eos conferantur, ita quòd in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris, sivè momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo in casu iteratum Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat; reliqui autem Canonici Capitulares reliquorum Canonicatuum, & Præbendarum dictæ Ecclesiæ collationem in Turno ordinario separatim, sed Vicariarum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum ejusdem Ecclesiæ collatio sit omnibus communis per Turnos, prout hactenus observatum est.

Quodque posthac primi decem dicti Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi, sub nullis specialibus, & generalibus, etiam mensalibus reservationibus, affectionibus, & in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, Indultis de providendo, commendando, aut aliàs disponendo, primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis per Nos, aut Reverendissimos Pontifices pro tempore existentes ad dictam Sedem, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, aut aliorum Principum, quorumcumque, at S. R. E. Cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, aut specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam ex causa permutationis, etiam apud Sedem eandem

eandem pro tempore occurrente per Reverendissimum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut aliàs quoquomodo disponi possit.

Et quoniam impia Hæreticorum studia, temporisque malitia viros dictos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur, quòd, si Canonici Graduati prædicti ab ipsa Ecclesia, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi per duos Menses absfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, ipsique fructus Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solùm, qui divinis in Choro deserviunt, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel privilegio Apostolico quacumque causâ impetrato vel concesso, sese ab residentia hujusmodi eximere possit, eisdem auctoritate, & tenore perpetuò statuimus, & ordinamus.

Jus omne decem Canonicatus, & decem Præbendas affectos præfatos conferendi, & de illis disponendi, vel ad illos eligendi, seu nominandi ab Episcopo, Præposito, & Capitulo Ecclesiæ S. Lebuini hujusmodi, aliaque ad quos spectat post promotionem primi Episcopi Daventriensis hujusmodi perpetuò harum serie abdicantes, & amoventes, illudque in præmissum electionis modum immutantes, ac ad Episcopum, & novem Canonicos præfatos transferentes.

Et ut novem Præbendæ totidem Canonicis Graduatis, ut præmittitur, affectæ paulò uberiores sint, & ad illas libentiùs recipiendas viri docti inducantur, Episcopo præfato, quòd unam sæcularem, vel Ordinis cujusvis regularem partium illarum Præposituram, vacatione etiam illius in mensibus prædictis occurrente, etiamsi Conventualis, electiva, curata, etiam Curâ jurisdictionali animarum specialiter vel generaliter reservatâ, ac litigiosa sit, ut præfertur, eisdem novem Canonicatibus, & Præbendis Graduatis affectis, vel eorum Massæ communi de Philippi Regis, & Archiepiscopi prædictorum consensu, auctoritate prædicta, perpetuò etiam, ut præfertur, unire, annectere, & incorporare liberè, & licitè valeat, auctoritate, & tenore prædictis licentiam, & facultatem concedimus.

Sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales in quavis Causa, & instantia, ablatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac quidquid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Quocirca præsentibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, ac Atrebatensi, & Feltrensi Episcopis per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, vel alios præsentes Litteras, & in ea contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi Daventriensis, & Canonicorum, aliorumque prædictorum, quorum interest, & quomodolibet intererit, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopos Daventrienses, & alios præfatos confirmatione, approbatione, adjectione, suppletione, suppressione, extinctione, applicatione, unione, annexione, incorporatione, absolutione, reductione, dispensatione, statuto, ordinatione, aliisque præmissis, ac præsentibus Litteris, & aliis in eis contentis pacificè frui, gaudere, ac eadem præsentes, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes Episcopum, Canonicos, & alios præfatos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri, Contradictores quoslibet, & rebelles, sibique in præmissis non parentes, etiam per excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, ita quòd beneficia, ut Officia hujusmodi, tanquam per privationem legitimè, ut Canonicè factam, vacantia ab aliis impetrari, & per Locorum Ordinarios liberè conferri possint, aliasque sententias, & pœnas tam Ecclesiasticas, quàm pecuniarias arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis.

Non obstante voluntate priori, & aliis præmissis, ac nostris de valore, tàm in impetrationibus, quàm in aliis gratiis etiam motu simili factis exprimendo, & de non tollendo jus quæsitum, ac de non exprimendis litteris reservationis, etiam motu simili alicujus personæ, nisi de consensu illam solvere habentis, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodò quispiam ultra tres dietas, vigore præsentium non extrahatur, aliisque quibusvis Apostolicis, etiam reservatoriis, etiam in Corpore Juris clausis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus, nec non Cancellariæ Apostolicæ regulis & revocatoriis, ac revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & alias in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasterii, Præpositurarum, Ordinum, Ecclesiarum, & Locorum præfatorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus, ac Concordatis, inter Sedem prædictam, & Nationem Germanicam dudùm initis: nec non quibusvis specialibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicos Creationibus, aliis unionibus, etiam perpetuis, absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus citra accessus, & regressus facultatibus, mandatis, litteris & concessionibus quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis Commensalibus, ac Prælatis Domesticis, nec non Rever. Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causâ, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum Contemplatione, ac cum quibusvis Antelationibus, Prærogativis & Decretis, etiam irritantibus, & Clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientiâ similibus, & aliàs quomodocunque concessis, quos, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non Privilegiis, Indultis & litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis per quoscunque Reverendissimos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam, etiam per viam generalis Legis & Statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis

derogato-

derogatoriis derogatoriarum, aliisque efficacioribus, & efficacissimis & insolitis Clausulis irritantibus, & aliis Decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque & qualitercumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda, in supplicatione apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur.

Nihilominùs in genere & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis, de Præposituris hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad Præposituras, & Archidiaconatum, ac Canonicatus, & Præbendas hujusmodi volumus non extendi: Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Præpositurarum, & Canonicatuum, & Præbendarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si Conventui præfatis, & Dilectis Filiis Vasallis, & aliis Subditis dicti Monasterii Montis Sanctæ Agnetis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, ac de quibus quorumque tenoribus totis habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Volumus autem, quòd per unionem, annexionem & incorporationem in Præposituram hujusmodi Divinus Cultus in eis nullatenùs minuatur, neque Animarum Cura in eis, si qua illis immineat, negligatur, sed earum congruè supportentur onera consueta.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, concessionis, indulti, erectionis, institutionis, decreti, absolutionis, liberationis, reductionis, sæcularisationis, assignationis, dispensationis, inhibitionis, statuti, ordinationis, abdicationis, amotionis, commutationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

Scriptum erat Fed. Cardinalis.
Cesius.
Et alio Loco Cæ. Clorieribus.
Item alio Loco A. de Alexiis.

IV. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. pag. 618.

Episcopatum Ultrajectensem à Metropolitano Coloniensi eximit, Archiepiscopali Dignitate exornat anno 1560. eidem assignans Episcopatus Suffraganeos Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Grœningensem, ac Middelburgensem.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Ex injuncto nobis Apostolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quorumlibet, præsertim Metropolitanarum Insignium noviter erectarum decori & venustati, ac illis præsidentium, & aliarum personarum in eis Divinis Laudibus insistentium statui, & opportunæ subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, ac id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquàm felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico, hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, ut illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, latèque dissitorum Castrorum, & Pagorum copia, Animarumque multitudo, varium item idioma, vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabat.

His aliisque gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicæ succurrere, pioque dicti Philippi Regis desiderio satisfacere, habitaque, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Diœceses à Remensi, & certis aliis tunc expressis Provinciis, quibus tunc erant Metropolitico Jure subjectæ:

Ac Harlemense, Daventriense, Leovardiense, Grœningense & Middelburgense, olim Trajectensis, & aliarum Diœcesium, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia hujusmodi Regionis, à sua quoque Diœcesi ac Provincia, perpetuò segregaverat, & diviserat.

Nec non Harlemense, Daventriense, Leovardiense, Grœningense, Middelburgense, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates.

Cameracensem verò, & Ultrajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam S. Rumoldi Mechliniensem, in Metropolitanam, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictarum Ecclesias, in Cathedrales Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent.

Nec non Harlemensi, Daventriensi, Leovardiensi, Grœningensi, & Middelburgensi Ecclesiis, Civitatibusque prædictis, certos tunc expressos districtus aliàs distinctos, per Nuntium suum postmodùm ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua cujus-

que Diœcesi perpetuò concesserat; Nec non Ecclesiæ Ultrajectensi, Harlemensem, Deventriensem, Leovardiensem, Grœningensem, & Middelburgensem Ecclesias, Civitates & Diœceses antedictas, earumque Episcopos, Clerum & Populum, pro suis Suffraganeis, Provincia & Provincialibus adjunxerat.

Præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ipsius regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas ad Ultrajectensem, & alias Ecclesias erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos, ad vocationem hujusmodi ordinandam in perpetuum reservarat, per quasdam sub plumbo, ac deinceps per alias suas in forma Brevis litteras desuper confectas.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusensi suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris sub his consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius S. R. E. Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia ac probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, prædicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant.

Facta nihilominùs diligenti indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quòd per dismembrationem Bonorum à Monasteriis ac Præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria & Præposituras Mensis prædictis, pro dote suarum Ecclesiarum ad hoc, ut ipsi etiam illorum Curam perindè atque suam propriam gererent, potiùs esse unienda.

Ac designationes & limitationes Provinciarum ac Diœcesium, divisionesque, ac distributiones Oppidorum & Jurisdictionum, in nonnullis partibus ipsi Diœcesi commodiores, quæ per primò dictas litteras statuuntur, nec non Constitutiones & Assignationes dotium, & denique numerum Personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, statum quoque & formam, in præfatis Ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, aliasque rationes accommodas habendas, & pro earum effectu notabilem partem Diœcesis, Rerum & Jurium Ecclesiæ Ultrajectensis prædictæ ab illa detrahendam, & forsan alia pro rerum exigentia, adjungenda censuerunt, & super majori illorum parte processus, & scripturas, seriè digestis rebus omnibus, formandas curaverunt.

Et inter alia dictæ Ecclesiæ Ultrajectensi, & pro tempore existenti Archiepiscopo Ultrajectensi, Ultrajectum, Amersfordiam, Neerdam, Muyden, Wesop Woerden, Leyden, Hagam Comitis, Delfft, Briel &c. pro sua Diœcesi designaverunt, prout in singulis litteris ac processibus, & scripturis prædictis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interest, attendentes quod ad arcenda, & extirpanda tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, & affligitur, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia æquè opportuna remedia potuit adhibere, idcircò ut ea juxta cordis sui, & nostri desiderium promptos & fideles sortiantur effectus, etiam nostri ministerii partes præmissis adjicere, ac aliàs illa omnibus, quibus possumus rationibus juvare, ac promovere volentes, ac litterarum, processuum, & scripturarum prædictorum veriores tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes.

Continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati, motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam de Apostolicæ Potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, divisionibus, limitationibus & distributionibus dictorum Subdelegatorum in dictis processibus specificatis, tanquam in meliùs reformatis, inhærendo, ac priores litteras hujusmodi quoad infrascripta commutando.

Omnia & singula Oppida, Castra, Villas & Loca, in posteriori designatione, sub delegatione hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis Parochialibus, Monasteriis, Collegiis, etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, Beneficiis, Locis & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ac populis quibuscunque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Ultrajectensi, juxta designationem hujusmodi, perpetuò concedimus & assignamus.

Et quoniam antiqui proventus annui Mensæ Episcopalis Ultrajectensis, olim uberrimi, sic sensim deperisse dicantur, ut hodie valorem annuum duorum millium, & sexcentorum Ducatorum auri de Camera, secundùm communem existimationem, vix constituant, longèque tenuiores sint, quàm quod ad manutenendum Dignitatis Archiepiscopalis statum expediat.

Igitur ut ipsi Mensæ de ampliori dote ad concurrentiam Mensæ Archiepiscopalis Mechliniensis, minori quo potest detrimento, vel incommodo consulatur, à Monasterio S. Pauli Ultrajectensis, Ordinis S. Benedicti, seu illius Mensa Abbatiali, quæ uberrimis proventibus pollet, decimas, proprietates & jura in Ducatu Geldriæ consistentia, & ad Monasterium, seu Abbatialem hujusmodi, aut Conventualem, vel communem Mensam pertinentia, quorum fructus, redditus & proventus quingentorum Ducatorum auri de Camera Apostolica, ut etiam accepimus, annuatim non excedunt, seu ex eisdem usque ad dictum valorem annuum ex nunc, dummodò, si illi ad solum Abbatem ipsius Monasterii pertineant, dilecti Filii moderni Abbatis ad hoc accedat assensus.

Sin autem, cum primum per cessum, vel decessum ejusdem moderni Abbatis dictum Monasterium vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra, perpetuò separamus, dividimus & dismembramus, illaque sic separata & dismembrata dictæ Mensæ Ultrajectensi, pro augmento dotis hujusmodi perpetuò applicamus, & appropriamus.

Et ulteriùs unam, & unum majoris, ac alium, & aliam S. Salvatoris, nec non alium & aliam Sancti Petri, ac alium & aliam Sancti Joannis; nec non reliquum & reliquam Sanctæ Mariæ Ultrajectensium Ecclesiarum Canonicatus & Præbendas, quos primò, nec non quarum insimul quingentorum.

De Oudevvater, Werder Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, Bajulivatus Sanctæ Catharinæ Ultrajectensis, dicti Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, etiam tum primum illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum illos nunc obtinentium, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex Mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici, pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Regulas, seu litteras alternativarum, aut alia Privilegia & Indulta reservata existat, seu fuerit, simul, vel successivè vacare contigerit, ex nunc prout & tunc, & è contra, vel etiamsi

illi ad præsens, nec non omnes, quæ longiori, quàm quod in illarum fundationibus, seu ordinationibus exprimetur, tempore vacarunt, & Priori Provinciali Domus Sanctæ Elisabeth etiam Ultrajectensis Hospitalis Teutonicorum subjectæ sunt, quarumque etiam reditus quingentorum Ducatorum auri de Camera, secundùm eandem existimationem, valorem communem, ut similiter accepimus, non excedunt.

Dicti Hospitalis Beatæ Mariæ, Teutonicorum Præceptorias, Commendatarias nuncupatas, quibusvis modis, & quorumcunque personis, seu per liberas resignationes, quamvis de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & Testibus spontè factas, aut Constitutione piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Execrabilis &c.* vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam præfatam, legitimè devoluta, ipsique Dispositioni Apostolicæ, specialiter vel generaliter reservati, & Conventuales existant, ut ad illas consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, annexis & pertinentiis suis Mensæ Trajectensi prædictæ perpetuò unimus, annectimus & incorporamus.

Ita quod liceat pro tempore existenti Archiepiscopo Trajectensi corporalem possessionem Decimarum, proprietatum, & jurium dismembratorum, nec non Præceptoriarum, Canonicatuum & Præbendarum, juriumque, jurisdictionum, annexorum, & pertinentiarum prædictorum, per se vel alium, seu alios, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere.

Ac in singulis, majori Ultrajectensi, & Sancti Salvatoris, & Sancti Petri, nec non Sancti Joannis, & Beatæ Mariæ Ecclesiis hujusmodi, tanquam inibi Capitulari, locum, vocem & auctoritatem super Decanum & Canonicos singularum Ecclesiarum earumdem, habere & exercere.

Ac in ejus Diœcesi, seu Provincia residendo, fructus, redditus & proventus, nec non jura, obventiones, distributiones, & alia emolumenta, etiam ratione residentiæ debitæ, perinde ac si ipse in singulis eisdem Ecclesiis resideret (ità tamen, quod in Civitate Ultrajectensi residens, easdem Ecclesias, earumque Chorum, ad hoc ut omnia laudabiliter procedant & observentur, frequenter visitare, ac onera dictis Præceptoriis incumbentia supportare, jura quoque ab Hospitalibus & Militiis hujusmodi præstari solita omnino exigere studeat) integrè percipere, ac in suos, nec non Mensæ suæ, ac Præceptoriarum hujusmodi usus & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ. Sic quòd Archiepiscopus Ultrajectensis pro tempore existens, à prima die receptionis suæ, omnia & singula fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta omnium & singulorum, tàm majoris, quàm aliarum Ecclesiarum prædictarum, Canonicatuum & Præbendarum, eidem Mensæ Archiepiscopali, ut præfertur, unitorum, integrè, & absque ulla prorsus diminutione, aliàs prout olim Episcopus Ultrajectensis, ac majoris, & Sancti Petri Ecclesiarum Ultrajectensium Decani percipere consueverunt, etiam in primo anno percipere valeat.

Ut autem ipse Archiepiscopus pro tempore existens in tanta Diœcesi, adeoque ampla Provincia, quæ omnium prima hæreticorum irruptionibus obnoxia existit, eruditorum virorum copiam, ad meliorem Orthodoxæ Fidei defensionem, & Ecclesiasticæ jurisdictionis conservationem, commodiùs habere, & perpetuò confovere possit.

Statuimus & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis dictæ Ecclesiæ Ultrajectensis, quos facto loco unioni Mensæ Ultrajectensis, de Canonicatu, & Præbendâ Ecclesiæ Ultrajectensis primò vacaturis hujusmodi, etiam primò per cessum, vel decessum, etiam apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent, ac tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam præfatam legitimè devoluta, ipsique Canonicatus, & Præbendæ similiter Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, affecti, & Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa.

Tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure, vel Theologia saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primò dictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores, tàm Nobiles, quàm alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum consilium, & operam in negocio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Archiepiscopo præfato requisiti fuerint, tàm conjunctim, quàm divisim præstare teneantur.

Et ut de viris spectatæ Doctrinæ & Probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ dein accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice ad præfatum Archiepiscopum duntaxat, & deindè quoties illa futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Archipiscopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum, per eos conferentur, & in hujusmodi electione Suffragium Archiepiscopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Archiepiscopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi noven Canonicatus, & novem Præbendæ, sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, ut in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatam, vel ejus Legatos etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium; & ex quacunque causâ quantumlibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes, apud Sedem Apostolicam hujusmodi, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem etiam causâ permutationis, apud Sedem eandem de illis provideri, vel aliàs quoquo modò disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant, visitandi per universam Diœcesim Trajectensem prædictam, quoties ab Archiepiscopo Trajectensi, cæteri verò Canonici Graduati prædicti

quando-

quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cùm Scholastico Majoris Ecclesiæ Trajectensis promovendos ad Sacros ordines, admittendos autem ad curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, unà cùm Archidiacono cujus ditionis erunt, hujusmodi examinandi, respectivè curam habeant, neminem nisi idoneum, mediante juramento promittentem admittendo.

Et quoniam nuperrima hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patitur, quòd si Canonici graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Archiepiscopo suo missi, per duos Menses absuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant, ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Majoris Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat.

Nec quispiam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico, quacumque causa impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere poterit.

Cæterum ut eidem Archiepiscopo Trajectensi sua constet auctoritas, serveturque uniformis usus jurisdictionis per omnem Diœcesin Trajectensem, ac Ecclesiæ Metropolitanæ Provinciæ prædictæ conformitatem super his habeant, quòd Archidiaconi Ecclesiæ Trajectensis & deinceps in perpetuum jurisdictione, & Archidiaconatuum administratione quisque videlicèt in sua Provincia, qualem Archidiaconus Ecclesiæ Mechliniensis habiturus est, omninò potiantur.

Cumque novem Canonicatuum, & Præbendarum affectorum dispositio ad Archiepiscopum, & novem Graduatos modo præmisso sit concessa, proinde reliqui Capitulares Canonici collationem aliorum Canonicatuum & Præbendarum in suo Turno ordinario habeant.

Dispositio verò Vicariarum, & aliorum Beneficiorum communis esse debeat, & per Turnos, prout hactenus, observetur, districtiusque inhibentes universis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Sancti Joannis Hierosolymitani, & Teutonicorum Hospitalium hujusmodi Magistris, eorumque ac prædicto, cæterisque Conventibus, Superioribus & Personis, illique, vel illis, ad quem, seu quos Præceptoriarum, ac Canonicatuum, & Præbendarum prædictarum collatio, electio, & quævis alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, nec de illis, seu eorum aliquo, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, unquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his Beneficio Regularum, de non tollendo jure quæsito, ac de annuali & triennali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè gaudere debere, ac Canonicatus & Præbendas, & Præceptorias unitos hujusmodi, ad hoc ut de illis quoquo modo disponi valeat, de cætero vacare, ac easdem, aut affectos novem Canonicatus, & novem Præbendas prædictos, per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata Nationis Germanicæ, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquo modo acceptari non posse, & nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones, & incorporationes, & alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo etiam per Nos, & Sedem præfatam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, aut etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessionem, assignationem, separationem, divisionem, dismembrationem, extinctionem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, statum, ordinationem, cæteraque præmissa ex nunc omninò eundem effectum sortita esse, & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, & extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tàm in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summum Apostolatus apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore & efficacia persistere, ac quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa esse.

Sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore, præsentesque litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam, quacumque ratione, vel causa vocari posse.

Sicque per Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si quid super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Præposito Ecclesiæ Ariensis, Morinensis, seu alterius Diœcesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Ultrajectensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerunt requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostra Archiepiscopum Ultrajectensem, & alios præfatos, concessione, assignatione, dismembratione, separatione, divisione, applicatione, appropriatione, unione, annexione & incorporatione, statuto, ordinatione & litteris, ac in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac litteras, ac in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de valore tam in eisdem unionibus, quàm impetrationibus, & aliis gratiis, etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam reservatoriis, etiam in corpore Juris clausis.

Nec non aliis dictæ Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, ac Locorum, & Hospitalium prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis facultate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis.

Nec non quibuscumque specialibus, vel generalibus, etiam mensalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicos creationibus, aliis unionibus, etiam perpetuis absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus citra accessus, & regressus facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, & Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam Officia sua actu exercentibus, ex quavis, etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & aliis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu proprio, & scientia similibus, & aliàs quomodocumque concessis.

Quas, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum, quoad præmissa omnia omninò suspendimus, ac in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vendicare non posse, neque debere decernimus, nec non privilegiis, Indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & illorum Magistris, Fratribus, & Militibus, nec non Capitulis, Conventibus, Superioribus, & aliis quibusvis per quoscumque Romanos, Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam Generalis Legis, ac statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibuscumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda, in supplicatione apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, nihilominùs in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui Apostolicâ præfatâ, vel aliâ quavis auctoritate in dictis Ecclesiis, in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus, seu commendis sibi faciendis, de Canonicatibus, & Præbendis ipsarum Ecclesiarum, ac Præceptoriis hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generales dictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processus habitos per easdem, ac inde sequuta quæcumque ad Canonicatus, & Præbendas, ac Præceptorias hujusmodi volumus non extendi; sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, vel Præceptoriarum, aut Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ, præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, separationis, divisionis, dismembrationis, applicationis, appropriationis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo, sexagesimo, Quinto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Fed. Card. Cæsius.
Cæs. Glorierius.
A. de Alexiis.

Archiepiscopatum Mechliniensem, Belgii Primatiam, erigit anno 1560. eidem Episcopatus Suffraganeos assignat Antverpiensem, Gandavensem, Buscoducensem, Brugensem, Iprensem, & Ruremundensem; simul pro dote constituens Abbatiam Affligemiensem, Ordinis Sancti Benedicti, & Præposituram Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Rumoldi Mechliniæ. V. Ex Oper. Diplom. Miræi T. I. p. 610.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori, & venustati, ac illis præsidentium, & aliarum personarum in eis divinis laudibus insistentium statui, & opportunæ subventioni, cum divini cultus augmento, & animarum Christi Fidelium salute, valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, & saniori Consilio imitando disponimus, prout locorum, & tempo-

rum qualitas exigit, & ipſarum Eccleſiarum utilitas perſuadet, & id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Cùm itaque, ſicut accepimus, aliàs poſtquam felicis recordationis *Paulus Papæ Quartus* Prædeceſſor noſter providi, vigilisque Paſtoris more conſiderans, quòd ea pars inferioris Germaniæ, quæ cariſſimo in Chriſto Filio Noſtro *Philippo*, Hiſpaniarum Regi Catholico, hæreditario Jure etiam tunc ſubjecta erat, pro tanta oppidorum ſuorum celeberrimorum frequentia, locorumque multitudine, adeò paucas Eccleſias Cathedrales habebat, ut earum Epiſcopi, eâ, quâ opus erat diligentiâ tantam animarum multitudinem minimè regere poterant.

Idque quibusdam eorum erat difficiliùs, quòd ipſorum Diœceſani linguæ idiomate, inſtitutisque differebant, & quidam eorum etiam ejuſmodi privilegia habebant, ut eos ad Sedem Epiſcopalem non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrinâ, nec piè vivendi præceptis commodè inſtrui, nec ſi qui deliquiſſent facilè corrigi ab Epiſcopis ſuis poſſent.

Ad ipſos verò Epiſcopos viſitandos, admovendos, & in officio continendos nulla in tota illa Regione Eccleſia erat Metropolitana, ſed Archiepiſcopi extra fines ipſius ditionis exiſtentes propter multa, & varia impedimenta nulli Suffraganeis ſuis uſui jampridem erant, & propter aſſiduas inſidias, & dolos, peſtiferasque doctrinas Populorum hæreticorum, & Schiſmaticorum, quibus eadem Regio omni ferè ex parte cincta, atque obſeſſa erat, Catholica illic fides, & animarum ſalus in maximo diſcrimine verſabatur.

His, & aliis gravibus cauſis impulſus, volens etiam precibus annuere, tamque pio deſiderio ſatisfacere ipſius *Philippi* Regis, habita, ſicut rei magnitudo poſtulabat, cum Fratribus ſuis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum Fratrum Conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Mechlinienſe olim Cameracenſis Diœceſis, ac Antverpienſe, Gandavenſe, Buſcoducenſe, Brugenſe, Iprenſe, & Ruremundenſe, & certa alia tunc expreſſa oppida dictæ Regionis à ſuis tunc Diœceſibus, & Provinciis diviſerat, & exemerat, illaque in Civitates:

Et Sancti Rumoldi Mechlinienſem, nec non Cameracenſem, & Trajectenſem, in Metropolitanas pro Archiepiſcopis, & cæteras aliàs, Antverpienſem, Gandavenſem, Buſcoducenſem, Brugenſem, Iprenſem, & Ruremundenſem, aliorumque Oppidorum prædictorum Eccleſias in Cathedrales Eccleſias pro Epiſcopis, qui inibi reſpectivè præſiderent, cum Menſis Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus, aliisque Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum inſigniis erexerat, & inſtituerat.

Nec non Eccleſiæ, & Civitati Mechlinienſi certum tunc expreſſum diſtrictum per Nuntium ſuum, poſtmodum ab eo illuc mittendum, limitandum pro ſua Diœceſi; ipſique Mechlinienſi Eccleſiæ Antverpienſem, Gandavenſem, Buſcoducenſem, Brugenſem, Iprenſem, & Ruremundenſem Eccleſias, & qui pro tempore eſſent illarum Epiſcopos pro Suffraganeis, nec non Clerum, & Populos pro Provincialibus ſuis perpetuò conceſſerat, & aſſignaverat.

Prædictæ quoque Menſæ Mechlinienſi annuum redditum 5000. Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis per dictum Nuntium ſpecificandis, & repartiendis ex tunc, prout ex illa die, & è contra, poſtquam ſpecificati, & repartiti forent, ac donec ſpecificatio, & repartitio hujuſmodi factæ, & effectum ſortitæ eſſent, nec ultra.

Alium etiam annuum redditum 3000. Ducatorum ſimilium per dictum *Philippum* Regem de proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, Archiepiſcopo Mechlinienſi, pro tempore exiſtenti annis ſingulis, quousque ſpecificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantùm parte, quæ plenarium ſuum effectum minùs ſortita foret, integrè perſolvendum pro illius dote, perpetuò applicaverat, & appropriaverat.

Eidem quoqne Philippo Regi, ejusque Succeſſoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini eſſent, Jus nominandi Romano Pontifici pro tempore exiſtenti perſonam idoneam, ac aliàs certis tunc expreſſis modo, & forma qualificatam, ad dictam Eccleſiam Mechlinienſem, etiam à primæva illius erectione hujuſmodi, ac quotieſcumque illam pro tempore vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiſcopum ad nominationem hujuſmodi promovendum, reſervaverat per quasdam ſub plumbo, & deinde per alias ſuas in forma Brevis litteras.

Venerabili Fratri noſtro, tunc ſuo, Salvatori Epiſcopo Cluſino, & Apoſtolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut perſonas idoneas, quæ dictas Provincias, & Diœceſes diſtinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Eccleſiarum à Monaſteriis, & Præpoſituris ſub illis conſiſtentibus dismembrarent, cum poteſtate omnia in his neceſſaria faciendi vice ſua deputarat.

Dilectus Filius noſter Antonius S. R. E. Presbyter Cardinalis, tunc Epiſcopus Atrebatenſis, & quatuor alii ſcientia, & probitate inſignes, quos ipſe Salvator Epiſcopus, & Nuntius, dicto Prædeceſſore intereà ſublato de medio, vigore, ſeu prætextu mandati, & poſteriorum litterarum hujusmodi ſubſtituerat, licèt forſan eorum aliqui de illis Perſonis non eſſent, qui ad id canonicè ſubdelegari poterant, facta nihilominùs diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè penſatis;

Animadvertentes, quòd per dismembrationem Bonorum in Monaſteriis, & Præpoſituris prædictis, ſi fierent, cultus Monaſticus non mediocriter læderetur, ipſa Monaſteria, & Præpoſituras Menſis prædictis pro dote ſuarum Eccleſiarum, ad hoc ut Epiſcopi etiam illorum curam, perinde atque ſuam propriam perpetuò gererent, potiùs eſſe unienda.

Ac deſignationes, & limitationes Provinciarum, & Diœceſium, diviſionesque, ac diſtributiones Oppidorum, & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipſarum Diœceſium commodiores illis, quæ per primodictas litteras ſtatuuntur.

Nec non Conſtitutiones, & aſſignationes dotium, & deinde numerum perſonarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, Statum quoque, & formam in prædictis Eccleſiis, etiam per hujuſmodi diſmembrationes, applicationes, ſuppreſſiones, translationes, novas inſtitutiones, & alias in univerſum accommodas rationes habendas cenſuerunt; Ac ſuper majori illorum parte proceſſus, & Scripturas, ſeriò digeſtis rebus omnibus, formandos curaverunt, prout in illis ac ſingulis litteris prædictis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quòd ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, cumque nuper Monaſterium Ss. Petri & Pauli Afflegemienſe, Ordinis S. Benedicti, olim Cameracenſis, nunc verò dictæ Mechlinienſis Diœceſis, cùm primum illud per ceſſum, vel deceſſum moderni illius Abbatis, ſeu Commendatarii, aut aliàs quovis modo vaçare contigerit, Menſæ Archiepiſcopali Mechlinienſi, ex tunc prout ex ea die, & è contra, de Fratrum noſtrorum Conſilio pro dotis nomine perpetuò univimus, annexuimus, & incorporavimus.

Conſiderantes, quòd ſi priſcis temporibus, dum dicti Populi ſenſim accreſcebant, de novis Eccleſiis Cathedralibus, optimisque Præſulibus opportuno tempore proſpectum fuiſſet, profectò tot perniciosa hæreſium dogmata, quibus Religio Chri-

ſtiana iſtic paſſim laceratur, atque affligitur, haud ita violenter invaluiſſent.

Nunc autem cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac ſimul Populos ipſos in ſinceritate fidei continendos, dictus Prædeceſſor nulla alia magis opportuna remedia, quàm ſupradicta potuerit adhibere, ut illa juxta cordis ſui, atque noſtri deſiderium promptos, & felices ſortiantur effectus, noſtri miniſterii partes præmiſſis adjicere, illaque omnibus, quibus poſſumus rationibus juvare, & promovere volentes, ac litterarum, proceſſuum, & ſcripturarum prædictorum veriores tenores, nec non Menſæ Archiepiſcopalis Mechlinienſis, ac illi uniendorum infraſcriptorum Canonicatus, & Præbendæ, fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes.

Continuis etiam orationibus dicti Philippi Regis pro ſalute dictorum Populorum enixè proſequentis excitati, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, diviſionibus, limitationibus, ac diſtributionibus dictorum ſubdelegatorum in prædictis proceſſibus ſpecificatis, tanquam in meliùs reformatis inhærendo.

Ac conceſſionem, & aſſignationem per priores litteras Prædeceſſoris hujuſmodi factas quoad infraſcripta immutando, omnia, & ſingula Oppida, Caſtra, Pagos, Villas, & Loca infraſcripta videlicet Mechlinia, Bruxella, Lovanium, Vilvordia, Arſcotum, Dieſt, Thenæ, Aloſtum, Ninove, Gerardimons &c.

In poſteriori deſignatione ſubdelegatorum hujuſmodi comprehenſa, cum Eccleſiis etiam Parochialibus, Monaſteriis, Collegiis, etiam Canonicatibus, Cappellis, Hoſpitalibus, & Beneficiis, Locis, & Perſonis, ac Officiis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus, ac populis quibuscumque aliis ſub eis comprehenſis.

Præfatæ Eccleſiæ Mechlinienſi pro ſua Diœceſi juxta deſignationem, illi per præfatos Subdelegatos factam, hujuſmodi auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò concedimus, & aſſignamus.

Ac decimas majores nuncupatas Parochialis Eccleſiæ de Willebringhe prope Thenas, aut Hoxem olim Leodienſis Diœceſis ad centum modios tritici vel citra aſcendentes, ſexdecim modiis ſimilibus Rectori dictæ Eccleſiæ pro honeſta illius ſuſtentatione quotannis remanentibus, ab eademque Parochiali, & à Perſonatu de Hal olim Cameracenſis, nunc Mechlinienſis Diœceſis prædicti, proventum annuum 100. Ducatorum auri de Camera, poſtquam ipſi Perſonatus, & Parochialis Eccleſia vacabunt, & non antea, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, etiam perpetuò diſmembramus, & ſeparamus.

Nec non Præpoſituram Eccleſiæ Mechlinienſis prædictæ, quæ tempore illius erectionis in Metropolitanam Eccleſiam hujuſmodi Dignitas inibi principalis exiſtebat, cujus fructus, redditus, & proventus 120. Ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt.

Cum primùm illam per ceſſum, vel deceſſum, etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictam, aut quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem illam nunc obtinentis, aut aliàs quovis modo, & ex cujuscumque perſona, etiam in aliquo ex Menſibus, in quibus vacantium Beneficiorum diſpoſitio Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, per Conſtitutiones Apoſtolicas, vel Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas reſervata exiſtit, ſeu fuerit, ſeu ordinariis Collatoribus etiam per easdem Conſtitutiones vel litteras alternativarum, aut concordata Germaniæ, ſeu alia privilegia, & Indulta, illis quomodolibet conceſſa, & concedenda vacare contigerit.

Etiamſi actu nunc vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam prædictam legitimè devoluta, ipſaque Præpoſitura diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpeciali, vel generali reſervata exiſtat, & ad illam conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, ſuper ea quoque inter aliquos lis (cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo) pendeat indeciſa.

Etiam ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ſuppreſſis & extinctis illius ac Præpoſiti nomine, & titulo, in Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui poſt ceſſum vel deceſſum eorum, qui nunc ſunt Archidiaconi in illa parte Diœceſis Mechlinienſis, talem habeat jurisdictionem, qualem Archidiaconus Bruxellenſis hactenus habuit.

Nec non in ipſa Eccleſia Mechlinienſi, unum Archipresbyteratum Civitatenſem nuncupandum pro uno Archipresbytero Civitatenſi, qui curam Rectorum Eccleſiarum Parochialium, verbi Dei, & Sacramentorum Civitatis Mechlinienſis:

Et unam Pœnitentiariam Diœceſanam nuncupandas Dignitates, inibi pro uno Pœnitentiario, qui curam Conſcientiarum Populi per Diœceſim univerſam Mechlinienſem ſpecialiter habeant, ſimiliter erigimus, & inſtituimus.

Et ut Archiepiſcopus Mechlinienſis pro tempore exiſtens ſpeciali quadam prærogativa decoretur, & Eccleſiam ſuam, quæ in Meditullio dictæ ditionis conſiſtit, perſonis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munia Eccleſiaſtica obeunda idoneis debitè inſtructam, jugiterque decoratam habeat,

Perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quod Eccleſia ipſa Mechlinienſis ante Cameracenſem, & Trajectenſem Eccleſias prædictas prima ſit, & illius pro tempore Archiepiſcopus primum Locum in Conciliis Generalibus, vel Specialibus, Seſſionibus, aliisque actibus ſuper Cameracenſem, & Trajectenſem Archiepiſcopos habeat.

Quodque ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis majoribus dictæ Eccleſiæ Mechlinienſis decem, quos primò per ceſſum, vel deceſſum, etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictam, aut alias vacare contigerit, etiamſi actu non vacent, ut præfertur, ita aſſerti remaneant, quòd ipſe Archiepiſcopus unum, & unam primò vacaturos tanquam Menſæ ſuæ Archiepiſcopali perpetuò unitos, & quos nos ſimiliter, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ipſi Menſæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, obtinere, illarumque ratione Perſona Capitularis eſſe, vocemque, & auctoritatem etiam in Capitulo ſuper Decanum, & Canonicos habere:

Reliqui verò novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti tribus Magiſtris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, ſeu in eis Licentiatis, & tribus aliis Nobilibus ejus Diœceſis, etiam in Jure, vel Theologia ſaltem gradu Licentiaturæ in famoſa quadam Univerſitate Studii Generalis, ſecundum tenorem primodictarum litterarum promotis, ordine in dicta deſignatione expreſſo ſervato, in perpetuum concedi, & aſſignari debeant.

Quodque ad ſex priores tam Nobiles, quàm alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem, hujuſmodi nulli niſi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, aſſumi poſſint.

Ac omnes, & ſinguli ratione ſuarum hujuſmodi Præbendarum, Conſilium, & operam in negotio Eccleſiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Archiepiſcopo prædicto requiſiti fuerint, tam conjunctim quàm diviſim, præſtare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujuſmodi ad nominationem dicti Archiepiſcopi aſſumi, & omnium primos poſt Ar-

chiepiſcopum vacaturos Canonicatus & Præbendas prædictos, ordine præmiſſo conſequi valeant.

Ut autem de Viris ſpectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem Eccleſiæ Dei accuratiùs proſpiciatur, quod ipſi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per prædictum Archiepiſcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus, ut præfertur, vacaverint, ad electionem Archiepiſcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum ſuperſtitum per eos conferantur.

Et in hujuſmodi electione Suffragium Archiepiſcopi non plus juris, ſeu momenti, quàm cujusvis cæterorum Canonicorum Graduatorum habeat, niſi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Archiepiſcopi Suffragium paritatem vocum hujuſmodi dirimat.

Quodque poſthac ipſi novem Canonicatus, & novem Præbendæ ſub nullis ſpecialibus vel generalibus, etiam mentalibus reſervationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clauſis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs diſponendo, primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis etiam per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, & dictam Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatos, etiam conſideratione, intuitu, contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, ac ejusdem S. R. E. Cardinalium, & ex quacumque cauſa quamtumlibet urgenti pro tempore factis & conceſſis comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes apud Sedem Apoſtolicam prædictam, aut ulla alia ratione, generaliter vel ſpecialiter reſervari, nec illorum vacatione, per reſignationem etiam ex cauſa permutationis, pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, vel aliàs quoquo modo diſponi poſſit, ſed forma electionis præmiſſæ omni tempore ſervari, nullâque causâ infringi debeat.

Quodque unus de novem Canonicis prædictis Magiſter, ſeu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, ſeu etiam Licentiatus, Seniores ratione ſuarum Præbendarum facultatem habeant viſitandi per univerſam Diœceſim Mechlinienſem prædictam ab Archiepiſcopo; Cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requiſiti fuerint, illis aſſiſtere teneantur.

Ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam Animarum, quacumque auctoritate illi proviſi fuerint, neminem niſi idoneum, ſeque perſonalem reſidentiam facturum, mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum ſtudia, temporiſque malitia Viros doctos ab Eccleſiis ſuis diutiùs abeſſe non patiuntur, quod ſi Canonici Graduati prædicti ab Eccleſia ſua, niſi ab Archidiacono, vel Capitulo miſſi, per duos menſes abſuerint, integros ſuæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant

Ac omnes Proventus ſingularum Præbendarum dictæ Eccleſiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis diſtributionibus, his ſolis, qui Divinis Officiis in Choro deſervient, & inibi à principio uſque ad finem, exceptâ neceſſitatis causâ, permanſerint, miniſtrari debeant, nec quiſquam ulla diſpenſatione, vel alio Privilegio Apoſtolico, quacumque cauſa impetrato vel conceſſo, ſeſe à reſidentia hujuſmodi eximere poſſit.

Cæteræ Eccleſiæ Civitatis ſub Cura dicti Archipresbyteri Civitatenſis, extra verò eam, & in Diœceſi Mechlinienſi exiſtentes, vel ſub ſuis Decanatibus, ſeu Archipresbyteratibus, aliiſque Juriſdictionibus, prout hactenùs remaneant, vel meliori modo arbitrio dicti Archiepiſcopi diſtribui, ipſorumque Decanatuum Decani, ſalva dicti Archiepiſcopi moderatione, emolumenta hactenùs percipi ſolita percipere poſſint,

Verùm quia fructus & proventus dictorum decem Canonicatuum & Præbendarum tenuiores ſunt, quàm conveniant pro ſuſtentatione Virorum Doctorum & gravium, qui munera præmiſſa obire velint, Decimas ab Eccleſia Parochiali de Willebringa, & proventum annuum 1000. Ducatorum à perſonatu de Hali hujuſmodi dismembratum, ut præfertur, eisdem decem Canonicatibus & Præbendis, primò vacaturis, per Archiepiſcopum, & ſingulos novem Canonicos prædictos, æquis portionibus percipiendos, perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non Collationem, præſentationem, proviſionem, electionem, inſtitutionem, confirmationem, & quamvis aliam diſpoſitionem omnium & ſingularum, Dignitatum, Perſonatuum, Adminiſtrationum & Officiorum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, cum Cura & ſine Cura, Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, qualitercumque qualificatorum ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, inſtitutionem, confirmationem, & quamvis aliam diſpoſitionem præfati olim Præpoſiti, quomodolibet pertinentium & ſpectantium, Archiepiſcopo Mechlinienſi, pro tempore exiſtenti, ita quod ipſe ex nunc de cætero de illis, prout Præpoſitus poterat, liberè & licitè diſponere valeat, etiam perpetuò reſervamus, concedimus & aſſignamus, ſuæque ordinariæ collationi & diſpoſitioni adjungimus.

Diſtrictiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, cæteriſque Locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus & Perſonis, illique, vel illis, ad quem, ſeu quos Præpoſituræ, Perſonatus, & Parrochialis Eccleſiæ, ac Canonicatuum, Præbendarum, & aliorum Beneficiorum prædictorum collatio, proviſio, & quævis alia diſpoſitio communiter vel diviſim pertinet, ac quibuſcumque aliis cujuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis & conditionis exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis majoris, aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum & Officiorum Eccleſiaſticorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ne de illis, ſi vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs diſponere, ſeu præmiſſorum effectus, aut exequutionem in aliquo quantuncumque modico impedire, aut moleſtiam, vel injuriam quampiam irrogare, quoquo modo præſumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmiſſis omninò acquiſitum eſſe, & ſuper his Beneficio Regularium, de non tollendo jure quæſito, ac de annali & biennali poſſeſſore, nec non privilegiis omnibus quibus diuturni poſſeſſores, nec non pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenariè, uti, potiri & gaudere debere.

Ac Præpoſituram ad hoc, ut de cætero de illa quoquo modo vacante, diſponi valeat, & eandem, & affectos decem Canonicatus, & decem Præbendas prædictos, per quoſcumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, etiam juxta concordata prædicta, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non poſſe, & nihilominùs quaſcumque acceptationes, collationes, proviſiones, commendas, uniones, incorporationes, & alias diſpoſitiones de eiſdem, aut eorum aliquo, etiam per nos, & Sedem prædictam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorſus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, ſeu etiam coloratum titulum poſſidendi tribui poſſe.

Ac

Ac suppressionem, extinctionem, dismembrationem, separationem, erectionem, institutionem, statutorum ordinationem, unionem, annexionem & incorporationem, applicationem, appropriationem, reservationem, concessiones, assignationes, cæteraque præmissa, ac præsentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, & limitationibus unionum & suppressionum, etiam effectum non sortitarum, quæ post hæc per nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad Summi Apostolatus apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minimè includi.

Sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa, sicque incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ fuisse, esse & fore, ac præsentes litteras hujusmodi, nullo unquam tempore de subreptionis & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam, quacumque ratione, vel causa vocari posse.

Sicque per quoscumque Judices ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cardinales, in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Præposito Ariensi, Audomarensis, & alterius Diœcesis per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Archiepiscopi Mechliniensis, & aliorum quorum interest, vel quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, vel eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ Archiepiscopum Mechliniensem, & alios præfatos, dismembratione, separatione, statuto, ordinatione, erectione, institutione, unione, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, revocatione, concessionibus & assignationibus, & litteris, & aliis in eis contentis prædictis specificè gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, ac etiam nostra de valore, tàm in impetrationibus, quàm aliis gratiis, etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis.

Ac P. M. Pontificis Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque constitutionibus, ordinationibus, & in Corpore Juris clausis, nec aliis reservatoriis, nec non dictæ Cancellariæ regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum revocatoriis, ac in favorem Ordinariorum, ac aliàs in contrarium quomodolibet editis & edendis.

Nec non Ecclesiarum Mechliniensium juramento, Confirmatione Apostolica, seu quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, nec non quibusvis specialibus & generalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra regressus, & accessus facultatibus, mandatis, litteris & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, gradus & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus.

Ac nostris etiam antiquis & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis & decretis, etiam irritantibus, & clausulis etiam derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu & scientia similibus & aliàs quomodocumque concessis.

Quas, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim & effectum, quoad præmissa omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non privilegiis, indultis, exemptionibus, conservatoriis, & Litteris Apostolicis Ordinariis, aliisque Collatoribus & personis, per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & nos, ac Sedem præfatam, & per vim generalis legis, & statuti perpetui, nec non initi, seu stipulati contractus, seu quasi & aliàs, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, aut aliàs qualitercumque, quomodocumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis & concedendis.

Quibus omnibus, etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hac servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ & observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur.

Nihilominùs in genere & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliqua Apostolica præfata, vel alia quavis auctoritate in dicta Ecclesia Mechliniensi in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistent, seu si super provisionibus sibi faciendis in Canonicatibus & Præbendis, ac Dignitatibus Ecclesiæ Mechliniensis, hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum.

Quas quidem Litteras & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad Archidiaconatum & Præposituram, & decem Canonicatus & Præbendas, & alia Beneficia hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum & Præbendarum, ac Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum

præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ dismembrationis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, concessionum, assignationum, adjunctionis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ M D LX. quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo,

Sic subscriptum,

Fed. Cardinalis Cæsius.

Et signatum.

A. de Alexiis.

VI. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. p.476.

Dotem, Oppida, Municipia, Pagos, Vicos, & alios Limites Diœcesis, seu Episcopatus Antverpiensis nuper instituti, describit: annò 1560.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis Apostolicæ Servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori, ac venustati, ac illis præsidentium, & aliarum personarum statui, & opportunæ subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute, valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerint, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporis qualitas exigit, & ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè considerans eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico, hæreditario jure subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum oppidorum celebritas, ac longè, lateque dissitorum castrorum & pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium idem idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant: iisdem & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habita, sicuti rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine.

Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Diœceses à Remensi & Coloniensi Provinciis, & Mechliniense, & Antverpiense, ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ Regionis à sua quoque Diœcesi & Provincia perpetuò segregaverat, ac diviserat; nec non Mechliniense, Antverpiense, & reliqua Oppida prædicta, sic divisa in Civitates, Cameracensem verò, & Ultrajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Ecclesiam S. Rumoldi Mechliniensem in Metropolitanam, & Beatæ Mariæ Antverpiensem, cæterasque aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, in Cathedrales Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis, & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent; nec non Mechliniensi, & Antverpiensi Ecclesiis, Civitatibusque prædictis, certos tunc expressos districtus, per Nuntium suum, postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos, pro sua cujusque Diœcesi perpetuò concesserat; nec non Ecclesiæ Mechliniensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim Antverpiensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat.

Præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis, modo & forma qualificatas ad Antverpiensem, & alias Ecclesias erectas prædictas, tàm à primæva erectione ejusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescunque illas vacare contingeret, Per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos, ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusinensi suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio, in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias & Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis & Præposituris, sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat, dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii, scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, dicto Prædecessore interea de medio sublato, vigore seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant, factâ nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes Bonorum in Monasteriis & Præposituris præfatis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria & Præposituras, Mensis prædictis pro dote Ecclesiarum suarum, ad hoc ut Episcopi, etiam illorum Curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potius esse unienda, ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesium, divisionesque, & distributiones oppidorum & jurisdictionum, in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium, commodiores illis, quæ per primò dictas litteras statuuntur; nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum & Officiorum, statum quoque & formam in præfatis Ecclesiis, etiam per dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodas rationes habendas censuerint, ac super majori illorum parte processus, & scripturas, seriò digestis rebus omnibus, formandos curaverint, prout in illis ac singulis litteris prædictis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quippe nuper Monasterium S. Bernardi, Cisterciensis Ordinis, Antverpiensis Diœcesis, certo tunc expresso modo vacans, Mensæ Episcopali Antverpiensi pro dotis nomine perpetuò univimus, annexuimus, & incorporavimus, attendentes, quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana

passim

passim lacetatur, atque affligitur, haud ita violenter invasissent.

Nunc autem cum ad illa arcenda & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia magis opportuna remedia potuerit adhibere, quam supradicta, ut illa, juxta cordis sui, atque nostri desiderium, promptos ac felices sortiantur effectus, nostri ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus rationibus juvare, & promovere volentes, ac Mensæ Episcopalis Antverpiensis, & Canonicatus, & Præbendæ illi uniendorum infrascriptorum, veros annuos valores, ac litterarum, processuum, & aliarum scripturarum hujusmodi veriores tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, ea pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum subdelegatorum in dictis processibus specificatis, tanquam in meliùs reformatis, inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infrascripta immutando, omnia & singula Oppida, Castra, Villas, Pagos, & loca infrascripta videlicet.

Antverpiam, Liram, Herentals, Bergen op Zoom, Steenbergen, Bredam, Turnhout, Hoochstraeten &c. In posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis Parochialibus, Monasteriis, Collegiis, etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus & Beneficiis, Locis & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ac populis, & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Antverpiensi pro sua Diœcesi, juxta designationem illi per prædictos Subdelegatos factam hujusmodi, Auctoritate Apostolica tenore præsentium, perpetuò concedimus & assignamus.

Et ut Episcopus Antverpiensis pro tempore existens statum suum, juxta Pontificalis Dignitatis exigentiam, decentius tenere, ac onera præsertim in ea amplissima Civitate, in qua propter frequentiam Populi, & continuas negotiationes magno vivitur, commodiùs perferre, & quam Episcopum decet hospitalitatem exercere valeat, à S. Mariæ Villariensis, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diœcesis Antverpiæ vicinioribus, & Sedi Episcopali Antverpiensi commodioribus, usque ad quingentorum, & à S. Michaëlis Antverpiensis Monasteriis, seu eorum Mensis Abbatialibus, proprietates & bona, etiam in Decimis consistentia, usque ad aliorum quingentorum Ducatorum auri, de Camera, proventus annuos summos, cum primum Monasteria ipsa per cessum, vel decessum illorum modernorum Abbatum, seu Commendatariorum, aut aliis quibuscunque modis, & ex quorumcumque personis vacaverit, ex nunc prout ex tunc, & è contra, perpetuò segregamus & dividimus, illaque sic segregata & divisa, præfatæ Mensæ Antverpiensi etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non Archidiaconatum Antverpiensem in dicta Ecclesia Cameracensi, qui inibi dignitas, non tamen major post Pontificalem existit, similiter cum per primum cessum, vel decessum moderni Archidiaconi Antverpiensis, in dicta Ecclesia Cameracensi etiam apud Sedem eamdem, vel alias vacaverit, etiamsi actu nunc quovis modo vacet, ac specialiter vel generaliter reservatus existat, & ad illum consueverit quis per electionem assumi, eique Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eo quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum omnibus juribus, jurisdictionibus & pertinentiis suis ad præfatam Ecclesiam Antverpiensem, similiter ex nunc prout ex tunc, & è contra (ita quod Archidiaconus Antverpiensis pro tempore existens per cessum, vel decessum dicti moderni Archidiaconi, in eadem Ecclesia Antverpiensi, prout olim in dicta Ecclesia Cameracensi residere, ac jurisdictionem per universam Diœcesim Antverpiensem præfatam, ad instar aliorum, qui sunt in illa parte ejusdem Diœcesis Antverpiensis, omninò habere, eamque perpetuò exercere debeat) transferimus.

Ac in eadem Ecclesia Antverpiensi unum Archipresbyteratum Civitatensem, pro uno Archipresbytero Civitatensi, qui curam Rectorum Ecclesiarum Parochialium & Ministerium Verbi Dei per Civitatem.

Ac unam Pœnitentiariam Diœcesanam nuncupandas Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, pro uno Pœnitentiario Diœcesano, nuncupandis, qui Curam Conscientiarum populi per universam Diœcesim Antverpiensem hujusmodi habeant, perpetuò erigimus, & instituimus.

Et ut idem Episcopus Antverpiensis pro tempore existens Ecclesiam suam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque Munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debitè instructam, jugiterque decoratam habeat, perpetuò statuimus & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus & Præbendis dictæ Ecclesiæ Antverpiensis, qui multi & pingues existunt, decem, quos primò per cessum, & ex causa permutationis, vel decessum, aut quavis alia dimissione, vel amissione modernorum ipsius Ecclesiæ Canonicorum, vel aliis quibusvis modis, & ex aliorum quorumcumque personis, etiam apud Sedem prædictam, aut etiam in aliquo ex Mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Curiæ Apostolicæ Regulas, seu litteras alternativarum, aut alia Privilegia & Indulta reservata existit, seu fuerit, simul, vel successivè vacare contigerit, etiamsi actu nunc vacent, & tanto tempore vacaverint, quod eorum Collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, & Sacerdotales existant, ac super his inter aliquos lis, cujus statum in præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, sic profectò affecti remaneant, quod idem Episcopus unum, vel unam omnium primò vacaturos, tamquam Mensæ Episcopali perpetuò unitos (& quas Nos similiter ex nunc prout ex tunc, & è contra ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus) obtinere, illorumque ratione Persona Capitularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habere:

Reliqui verò novem Canonicatus & Præbendæ prædicti tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tribus aliis Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure, vel Theologia, saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa quadem Universitate Studii generalis, secundum tenorem primodictarum litterarum promotis, ordine in dicta designatione expresso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores tàm Nobiles, quàm alii non nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint, ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi Præbendarum consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tàm conjunctim, quàm divisim, præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec

non

non reliquis ex dictis Graduatis Pœnitentiarius hujusmodi, ad nominationem Episcopi dicti assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictos ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum præfatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus Juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mensalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Expectativis, Coadjutoriis, Mandatis, Facultatibus, Indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, vel aliis gratiis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ejusdem S. R. E. Cardinalium, & ex quacumque Causa quamtumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes apud Sedem eamdem, ac ulla alia ratione, generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, & ex causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi, de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis præfatis, Magister, vel Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, Seniores ratione suarum Præbendarum facultatem habeant, visitandi per universam Diœcesim Antverpiensem prædictam ab Episcopo, & inquirendi; Cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis Senioribus Canonicis præfatis duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cùm prædicto Archidiacono, curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam Animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum, mediante juramento promittentem admittentes.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo, seu Capitulo missi, per duos Menses absuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas Partes æquales dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico quacumque Causa impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæteræ Ecclesiæ Civitatis sub cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam, & in Diœcesi Antverpiensi existentes, vel sub suis Decanatibus, aliisque Jurisdictionibus, prout hactenùs, remaneant, vel meliori modo, arbitrio Episcopi distributi, ipsorumque Decanatuum Decani, salvo dicti Episcopi moderamine, emolumenta hactenùs percipi solita percipere possint.

Districtiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Conventuum Superioribus, & Personis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos Archidiaconatus, ac decem Canonicatuum, & Præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio, & quævis alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, & quibuscumque aliis cujuscumque dignitatis, Status, ordinis, & conditionis existentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque Sententiis, Censuris, & Pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, nec de Archidiaconatu, & decem Canonicatibus, & Præbendis præfatis, si vacant, aut vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quocumque modo impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum Jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his beneficio regularum de non tollendo jure quæsito, ac annali, & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè uti, potiri, & gaudere, ac decem Canonicatus, & decem Præbendæ affecti prædicti, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, & indultorum, etiam juxta concordata Nationis Germaniæ, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non posse, & nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones, & incorporationes, & alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem præfatam quomodolibet factas, & faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam Jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, divisiones, segregationes, applicationes, appropriationem, translationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem, & incorporationem, & cætera præmissa, ac præsentes litteras, ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri, ac sub quibusvis reservationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus, etiam unionum, annexionum, & incorporationum, suppressionum, extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet ad summi Apostolatus apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis, quocumque tempore fient, minimè includi.

Sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, ac quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, ac de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore, ac easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ vel quopiam alio defectu notari, aut in Jus, vel controversiam, quacumque ratione, vel Causa vocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & præfatos Cardinales in quavis Causa, & instantia, sublatâ eis, vel eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & au-

ctoritate

ctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque, & inane si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris, Archiepiscopi Mechliniensi, & Episcopo Namurcensi, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Lirensis, Antverpiensis Diœcesis, per Apostolicæ scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes litteras, & in his contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Antverpiensis, & aliorum quorum interest, aut quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisdem & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Antverpiensem, & alios præfatis concessionibus, assignationibus, segregationibus, divisione, applicatione, appropriatione, translatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, unione, annexione, & incorporatione, & litteris, ac aliis in eis contentis pacificè gaudere, ac litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras & Pœnas Ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, nec non super his legitimis habitis servatis processibus, Censuras, & Pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, etiam invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstante nostra voluntate priori, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, etiam in corpore Juris clausis, nec non dictæ Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, & Ecclesiarum, & Collegiorum, & Locorum prædictorum &c. juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & Consuetudinibus, nec non quibusvis specialibus, & generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicorum Creationibus, vel aliis unionibus, & perpetuis absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus citra accessus, & recessus, facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus quibuscumque personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis Commensalibus, ac Prælatis Domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & Clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu, & scientia similibus, & aliis quomodocumque concessis; Quas, & quæ, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum, quoad præmissa omnia, omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem præfatam, etiam per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati Contractus, seu quasi, etiam aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus, innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia, & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latè extendenda in supra apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, nihilominùs in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui Apostolica præfata, vel alia quavis auctoritate, in dicta Ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur, insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis Antverpiensis, ac Dignitatibus Cameracensis Ecclesiarum hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum.

Quas quidem litteras, & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad Archidiaconatum, & decem Canonicatus, & Præbendas hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari, aut si pro tempore existentibus Episcopis, & dilectis Capituli Cameracensis, & Antverpiensis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, aut in futurum indulgeri contingat, quodque interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, segregationis, divisionis, applicationis, appropriationis, translationis, erectionis, institutionis, Statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, suspensionis, decreti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

VII. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. pag. 1298.

Audomaropoli in Arthesia novum erigit Episcopatum anno 1560. in locum veteris Morinensis Episcopatus à paucis annis extincti; eique pro dote assignat partem Bonorum ejusdem Ecclesiæ Morinensis, item Præposituram Watanensem olim Canonicorum Regularium, & Præposituram Ecclesiæ B. M. V. Audomaropoli, recens in Cathedralem erectæ.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

De Statu Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum prosperè, & feliciter gubernando, mentis nostræ aciem dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, ac venustati, & profectui, & illis præsidentium commoditati, & aliarum in eis divinis obsequiis vacantium Personarum opportunæ subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, super his consultè gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout rerum, & temporum, ac personarum, & regionum qualitatibus diligenter consideratis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquàm felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè, vigilisque Pastoris more considerans, quòd ea pars inferioris Germaniæ, quæ carissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, pro tanta Oppidorum celeberrimorum frequentia, locorumque suorum multitudine adeò paucas Ecclesias Cathedrales habebat, ut earum Episcopi eâ, quâ opus erat, diligentiâ tantam animarum multitudinem minimè regere poterant, idque quibusdam hoc erat difficilius, quòd ipsorum Diœcesani linguæ idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Apostolicam non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrina, & piè vivendi præceptis commodè instrui, nec si quid deliquissent, facilè corrigi ab Episcopis suis possent.

Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos, & in officio continendos, nulla in tota illa Regione Ecclesia Metropolitana erat, sed Archiepiscopi, extra fines ipsius ditionis existentes, propter multa, & varia impedimenta, nulli Suffraganeis suis usui jampridem erant, & propter assiduas insidias, dolos, pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum, & Schismaticorum, à quibus eadem Regio, omni ferè ex parte cincta, atque obsessa erat, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine, & periculo versabatur; His, & aliis gravibus causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi Regis precibus annuere, tamque pio ejus desiderio satisfacere, habitâ, sicut rei magnitudo postulabat, cùm Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine, Cameracensem, Trajectensem, Attrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates, & Diœceses à Remensi, & Coloniensi Provinciis, quibus tunt erant Metropolitico Jure subjectæ:

Ac Mechliniense, Iprense, Audomarense, ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ Regionis à sua quoque Diœcesi, & Provincia.

Nec non ab Ecclesia Morinensi, quæ in Arthesiæ, & Flandriæ Comitatibus ditionis præfati Philippi Regis erat, cum omnibus, & singulis suis terminis, Territoriis, Cleris, Populis, Personis Monasteriis, ac piis Locis, & Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, perpetuò segregaverat, diviserat, & separaverat, nec non Mechliniense, Audomarense, Iprense, & reliqua Oppida præfata, sic divisa in Civitates, Cameracensem, verò, & Trajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem Ecclesias Metropolitanas, ac olim Monasterii Sancti Martini Iprensem Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, nec non Sancti Audomari Audomarensem, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum præfatorum Ecclesias in Cathedrales, pro totidem Episcopis creandis, qui suis quisque Ecclesiæ præessent, ac Iprensi, & Audomarensi Ecclesiis, & Civitatibus præfatis certos districtus, per Nuncium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diœcesi perpetuò concesserat.

Nec non Iprensem Mechliniensi, Audomarensem verò, & Atrebatensem Ecclesias, Civitates, & Diœceses antedictas Cameracensi Ecclesiis hujusmodi, pro sua Provincia subjecerat; singulisque Iprensi, & Audomarensi Mensis Episcopalibus annuum redditum 3000. Ducatorum auri de Camera, ex certis decimis, & Bonis, fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuncium specificandis, & repartiendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, & effectum sortitæ forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote, alium annuum redditum 1500. Ducatorum similium per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, Iprensi, & Audomarensi Episcopis, pro tempore existentibus singulis annis, quousque specificatio, & repartitio præfatæ, ac pro ea tantùm parte, quæ plenarium suum effectum minùs sortita foret, nec ultrà, integrè, & proportionabiliter persolvendum, perpetuò applicaverat.

Eidemque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo, & forma qualificatas, ad dictas Iprensem, & Audomarensem, ac alias Cathedrales Ecclesias sic erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quàm quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, eidem Prædecessori, & Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Archiepiscopos, & Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, ac deindè per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusinensi, suo, & dictæ Sedis in partibus illis Nuncio dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias, & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius Sanctæ Rom. Eccl. Presbyter Cardinalis Attrebatensis nuncupatus, tunc Episcopus Attrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuncius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu mandati, & posteriorum Litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant.

Facta nihilominùs per eos diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quòd per dismembrationes Bonorum hujusmodi in Monasteriis, & Præposituris prædictis, si fierent, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria, & Præposituras Mensis prædictis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc, ut Episcopi, etiam illarum Curam perindè atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda.

Ac designationes, & limitationes Provinciarum,

& Diœ-

& Diœcesium, divisionesque, ac distributiones Oppidorum, & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis, quæ per primò dictas Litteras statuuntur, nec non Constitutiones, & assignationes dotium, & denique numerum Personarum, & Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, Statum quoque, & formam, in præfatis Ecclesiis etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & aliàs in universum accommodas rationes habendas, censuerint, ac pro majori illorum parte processus, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverint, & inter alia dictæ Ecclesiæ Audomarensi districtus Parochialium Ecclesiarum videlicet.

„In Archipresbyteratu Civitatensi S. Martini in „Insula S. Joannis, S. Margaritæ, S. Dionysii, „S. Aldegundis, S. Sepulcri, S. Michaelis.

„In Decanatu de Helfaut, Thatingem, S. Mar„tini extra Oppidum, S. Crucis, Lonprenesse, „Houle, Tilgue, Sobruicq, Morile, Sarques, „Helfaut, Hecque, Ennighem, Bilque.

„In Decanatu Ariensi S. Petri, Lambres, Is„verge, Molinghem, Hornem, Horven, Blessi, „S. Hilarii, Lotenes, Hoyterwes, S. Martini de „Hesdin-Fert, Marquoue, & Criguy.

„In Decanatu Lilleniensi, Parochia Lillenien„sis, Corques, S. Venantii, & Floricii, Busnes, „Garnique, Rolleque, Gonnenhem, Ham.

„In Decanatu d'Arcques, Hallines, Arques, „Renusquere, Verdreque, Drincham, S. Marti„ni Ariensis, Bachuenne, Cohen, Rincq, Wi„zerne, Witque, Blandeque.

„In Decanatu de Marcque S. Folquini Ecclesia, „S. Audomari Ecclesia, & Cappella, Andreblich, „Luytheulhe S. Nicolai in Angulo, Houkercke „S. Mariæ Ecclesia.

„In Decanatu minoris Villæ, Hovum, Berqui„num, Gorve, Estauces, Haueskercke, Thien„ves, Sarmis, Blande, Veghem, Bœsinghem, „Villa, Emblighem.

„In Decanatu de Borborch, Parochia de Bor„borch, S. Georgis, Gravelingues, Craynuich, „Loon, Capelle-Brouck, S. Petri in Brocho, Mil„la, Merqueghem, Areghem, Looberghe &c.

„In Decanatu Casletensi Wolchevinchove, Bru„chievere, Lederzelle, Brouchzele, Robeque, „Colonne, Stegersvvald, Brugenen, Hoortvvy„che; pro sua Diœcesi designaverint, prout in illis, ac singulis Litteris prædictis, seu aliis scripturis desuper confectis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Cathedralem Ecclesiam Morinensem, certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam, ac Sedem illius Episcopalem, & in eis omnia, & singula Episcopalia Jura, & Cathedralis Ecclesiæ insignia, pro eo quod aliàs per conditiones pacis inter claræ memoriæ Henricum Francorum, & præfatum Philippum Reges firmatæ sub dictæ Sedis beneplacito decretum fuerat, quòd Civitas Morinensis, tunc solo æquata non restauraretur, sed illius Ecclesia, & Diœcesis præfatæ, ac Beneficia, Beneficiorumque collationes, & proventus in duas partes dividerentur, quarum altera Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ esset, penitùs suppressimus, & extinximus.

Et Diœcesim Morinensem, ac omnia, & singula sub ea, & in dicto decreto comprehensa in duas partes, quarum una Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ juxta dictum decretum esset, & ulterius illam Diœcesis Morinensis partem in inferiori Germania hujusmodi existentem, cum Bonis, Censibus, Feudis, decimis, aliisque proventibus sub ea comprehensis, qui valorem annuum duorum millium Ducatorum auri de Camera, secundùm communem æstimationem constituunt, in alias duas æquales partes, ac duas alias Diœceses dividimus, & separavimus.

Ac Iprensi unam, Audomarensi verò Ecclesiis, ac Mensis Episcopalibus reliquam, partes, & Diœceses subdivisas hujusmodi pro sua quaque Diœcesi, & parte dotis perpetuò applicavimus.

Et insuper Monasterium Watinense Ordinis S. Augustini, Audomarensis Diœcesis, cum primum illud vacaret, dictæ Mensæ Audomarensi sub certis modo, & forma tunc expressis etiam perpetuò univimus.

Attendentes, quòd si priscis temporibus, dum dicti Populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus, opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, & affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem cùm ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia æquè opportuna remedia potuerit adhibere, quàm supradicta.

Ut ea juxta cordis sui, atque nostri desiderium, promptos, & felices sortiantur effectus, etiam nostri ministerii partes præmissis adjicere, ac illa omnibus aliis, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes, fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores, ac singularum litterarum, processuum, & scripturarum prædictorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum Populorum enixè prosequentis excitati, motu proprio, & ex certâ nostrâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine divisionibus, limitationibus, & distributionibus Subdelegatorum hujusmodi in dictis processibus specificatis, tamquam in melius reformatis inhærendo, ac priores Litteras hujusmodi quoad infrascripta immutando.

Omnia, & singula supradicta Oppida, Castra, Villas, Loca, Jurisdictiones, & Jura in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa cum toto eorum districtu, ac universis eorum Ecclesiis, Monasteriis, Parochiis, Cappellis, Collegiis, Officiis, ac Sæcularibus, & Regularibus, aliisque Personis, & Populis, cæterisque sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Audomarensi, juxta posteriorem designationem hujusmodi, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò concedimus, & assignamus.

Nec non quæ tempore erectionis Ecclesiæ Audomarensis in Cathedralem hujusmodi dignitas inibi principalis erat, & cujus fructus, redditus, & proventus, mille Ducatorum auri de Camera, secundùm communem æstimationem, valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, ad præsens per obitum illius ultimi possessoris, extra Romanam Curiam defuncti, aut aliàs quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem cujusvis de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & Testibus spontè facta, aut constitutionem piæ memoriæ Joannis Papæ XXII. &c. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Execrabilis, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quàvis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quòd ejus collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, illaque dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique Cura etiam Jurisdictionalis immineat animarum, & super ea quoque inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, Præposituram prædictam Audomarensem . . . . ac qui pro parte

dicti Philippi Regis, juxta conditiones hujusmodi relicti sunt.

Cùm primum illos per cessum, vel decessum illos nunc obtinentium, etiam apud Sedem Apostolicam præfatam, aut aliàs quovis modo, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ regulas, aut litteras alternativarum, seu alia Privilegia, & Indulta reservata existit, seu fuerit similiter, quos primò per cessum, vel decessum illos obtinentium, vel aliàs simul, vel successivè vacare contigerit, etiamsi actu nunc vacant, & tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, illique dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati existant.

Et similiter ad illos, aut Præposituram hujusmodi consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam Jurisdictionalis immineat animarum, & super eis quoque inter aliquos Lis, cujus Statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, inibi non tamen post Pontificalem majorem.

Nec non quos Archidiaconus Arthesiæ in Ecclesia Morinensi obtinebat, ac alium, & aliam Canonicatum, & Præbendam ejusdem Morinensis Ecclesiæ penitùs supprimimus, & extinguimus.

Ac ex dicta Ecclesia Morinensi Archidiaconatum Arthesiæ, etiam dignitatem ibi non tamen post Pontificalem majorem, nec non septem ex quindecim Cappellaniis ipsius Ecclesiæ Morinensis, per dictos Subdelegatos specificatis, & pro parte dicti Philippi Regis juxta conditiones præmissas relictis, quas primò per cessum, vel decessum illos obtinentium, vel aliàs simul, vel successivè vacare contigerit, aut si ad præsens vacent, aut pro tempore vacaverint, quòd eorum collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam præfatam, ut præfertur, legitimè devoluta:

Ipsique Archidiaconatus, & Capellaniæ eidem dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati existant, & similiter ad dictum Archidiaconatum consueverit quis per electionem assumi, eique etiam Cura jurisdictionis immineat animarum, super eo quoque, & dictis Capellaniis inter aliquos Lis, cujus Statum etiam præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ad Ecclesiam Audomarensem hujusmodi pro suo Archidiacono, & totidem Capellanis in eadem Ecclesia Audomarensi transferimus.

Ac in ea unum Archipresbyteratum Civitatensem pro uno Archipresbytero, qui Curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum, & verbi Dei, ac Sacramentorum administrationem per Civitatem.

Et unam Pœnitentiariam Diœcesanam nuncupandas dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, pro uno Pœnitentiario Diœcesano nuncupandis, qui Curam Conscientiarum Populi per Diœcesim Audomarensem habeant, perpetuò erigimus, & instituimus.

Nec non Canonicatum & Præbendam dictæ Ecclesiæ Audomarensis, quos Episcopus Morinensis pro tempore existens inibi obtinebat, & quorum fructus, redditus, & proventus, centum Septuaginta Ducatorum auri de Camera secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt; illos quatenùs opus sit, à Mensa Episcopali Morinensi hujusmodi dismembrando, Mensæ Episcopali Audomarensi perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus; ita quòd Episcopus Audomarensis præfatus illorum ratione persona Capitularis esse, ac vocem, auctoritatem, præeminentiam, etiam in Capitulo suo super Decanum, & Canonicos habere debeat, liceatque sibi corporalem possessionem Canonicatus, & Præbendæ hujusmodi vigore præsentium propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorum fructus, redditus, & proventus præfatos in suos usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ.

Et ulteriùs eidem Mensæ Episcopali Audomarensi pro sua dote Bona suppressæ Præposituræ Ecclesiæ Audomarensis hujusmodi cùm illius Præbenda, quorum fructus, redditus, & proventus mille Ducatorum similium, secundùm communem æstimationem valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt.

Nec non Archidiaconatui Arthesiæ, cujus proprietas, & fructus per hujusmodi conditiones imminuti remanent, medietatem Bonorum, & proventuum cujusdam Præbendæ Ecclesiæ Morinensis præfatæ, per ipsas Conditiones relictorum, eandem Præbendam ad hunc effectum, quatenùs opus sit, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, etiam supprimimus.

Ac Pœnitentiariæ hujusmodi erectæ medietatem Bonorum, & proventuum Pœnitentiariæ, ac novem Canonicatibus, & novem Præbendis Graduatis affectis infrascriptis, Bona, & proventus inter se æquis portionibus dividenda Canonicatuum, & Præbendarum Ecclesiæ Morinensis suppressarum hujusmodi similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, pro dotis nomine perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non eidem Episcopo Audomarensi illas ipsas, quas Episcopus Morinensis pro tempore existens in eadem Ecclesia, Civitate, & Diœcesi Audomarensi, prout sibi per divisiones hujusmodi contingit.

Et insuper ipsi Episcopo Audomarensi, quas Præpositus Ecclesiæ Sancti Audomari, & Abbas, seu etiam Præpositus Monasterii Watinensis, hujusmodi olim quomodolibet habebant, collationem provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamcumque aliam dispositionem omnium, & singulorum Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, etiam (exceptis infrascriptis affectis) Canonicatuum, & Præbendarum, Administrationum, & Officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum Cura, & sine Cura, Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, per eum, & futuros Præsules Audomarenses, vel alium, seu alios, eorum nominibus liberè faciendas, etiam perpetuò concedimus, & assignamus.

Et ut Episcopus suam Ecclesiam Personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debitè instructam, jugiterque decoratam habeat, perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd ex viginti octo Canonicatibus, & Præbendis Ecclesiæ Audomarensis, novem, quos primò per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, non tamen per obitum, apud Sedem antedictam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent, & dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati, affecti, ac Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi, volumus pro expresso, pendeat indecisa, tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure, vel Theologia, saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primo dictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum in eadem Ecclesia Audomarensi concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores, tàm Nobiles, quàm non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & totidem Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes, & singuli ratione suarum hujusmodi

Præben-

Præbendarum consilium, & operam in negocio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Archiepiscopo suo requisiti fuerint, tàm conjunctim, quàm divisim, præstare teneantur.

Et Archidiaconus, (nisi Præbenda Archidiaconatui suo annexa sit) nec non Archipresbyter & Pœnitentiarius, præfati ex dictis novem Graduatis, ad nominationem dicti Episcopi Audomarensis assumi, & omnium primi vacaturos novem Canonicatus, & Præbendas affectos hujusmodi, ordine in dicta designatione expresso servato, consequi debeant.

Et ut de Viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ, hac prima vice, per Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superinstum per eos conferantur, & in hujusmòdi electione Suffragium Episcopi non plus juris, seu momenti, quàm cujuslibet Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ affecti hujusmodi sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, ut in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus aut aliis gratiis præventivis per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, contemplatione, intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium; & ex quacunque causa quomodolibet urgenti, pro tempore factis & concessis comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes, apud Sedem Apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causâ permutationis, apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant contra hæreticos per universam Diœcesim Audomarensem, quoties opus fuerit, Apostolica Auctoritate inquirendi. Cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur, ac ex reliquis Senioribus Canonicis præfatis duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seseque personaliter residentiam facturum, mediante juramento promittentem admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum Studia, temporisque malitia, viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patitur, quòd si Canonici Graduati ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & eidem Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales portiones dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico, quacumque causâ impetrato vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum Sancti Martini Hesdinfert, & Sanctorum Marconii & Grignii, aliàs Decanatui Hesdinensi subjectæ, deinceps Decanatui de Helfaut dictæ Diœcesis Audomarensis subjectæ existant, reliquæ verò Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam, & in Diœcesi Audomarensi existentes, vel sub suis Decanatibus, seu Archipresbyteratibus, aliisque Jurisdictionibus, prout hactenus remaneant, vel meliori modo, arbitrio Episcopi distribui, ipsorumque Decanatuum Decani, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hactenùs percipi solita percipere possint,

Quodque Archidiaconus Arthesiæ in ipsa Ecclesia Audomarensi institutus, post cessum vel decessum præsentis possessoris, talem in Diœcesi Audomarensi Jurisdictionem, qualem ibidem ab antiquis Archidiaconis haberi & exerceri consuevit, obtinere & exercere debeat.

Districtiùs inhibentes universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, & Conventuum Superioribus & Personis, nec non illi vel illis, ad quem, vel ad quos Præpositturæ, Archidiaconatus, Pœnitentiariæ, Canonicatus & Præbendæ, & Cappellaniarum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum prædictorum, collatio, provisio, seu quævis alia dispositio, communiter vel divisim pertinet, & quibusvis cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum suorum, & inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, nec de illis vacantibus, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis eisdem Episcopo, & Graduatis omninò acquisitum esse, & super his Beneficio Regularum de non tollendo jure quæsito, ac de annali & triennali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diutùrni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenariè uti, potiri & gaudere debere.

Ac novem Canonicatus, & novem Præbendas, sic affectos prædictos per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata Nationis Germanicè, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquo modo minime acceptari posse.

Et nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones, incorporationes, & alias dispositiones de eisdem, & eorum aliquibus, etiam per nos, & Sedem Apostolicam quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsùs roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, suppressionem, extinctionem, translationem, erectionem, institutionem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, inhibitionem, decretum, cæteraque præmissa, ac præsentes litteras, ex nunc omnimodum effectum sortitas esse & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus similium, vel dissimilium unionum, annexionum, suppressionum, extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum, ad Summi Apostolatus apicem,

quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, includi.

Sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa, sicque immutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse & esse, ac fore, & easdem præsentes litteras, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam quacumque ratione, vel causa vocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos; etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis causa & instantia, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Sancti Petri Ariensis, Audomarensis Diœcesis, per Apostolica Scripta, motu simili mandamus, quatenùs, vel duo, vel unus eorum, per se vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Audomarensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, requisiti fuerint, seu eorum aliquis fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, aut eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Audomarensem, & alios prædictos, concessionibus, assignationibus, suppressione, extinctione, translatione, erectione, institutione, unione, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, decreto, & præsentibus litteris, & in eis contentis hujusmodi pacificè frui, gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos, seu eorum aliquem desuper per supradictos, aut quoscumque alios quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras & Pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis.

Non obstante priori voluntate nostra prædicta, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, & piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, etiam in Corpore Juris clausis, ac aliis reservatoriis dictæ Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam Reservatoriis, ac in favorem Ordinariorum, ac aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non singularum Ecclesiarum, ac Monasterii & Ordinis prædictorum, juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Superioribus, aliisque Collatoribus, & personis præfatis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, & nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis legis, & statuti perpetui, nec non initi, ac stipulati Contractûs, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam supradictorum, & quorumcumque aliorum, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, ac quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis.

Nec non quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, exspectativis, & aliis gratiis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus perpetuis, vel temporalibus absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, litteris, mandatis, concessionibus & indultis, provisionibus, & aliis dispositionibus, quibuscumque personis, etiam Cardinalibus, ac etiam antiquis nostris, & descriptis familiaribus, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, aut Ecclesiarum, Monasteriorum & aliorum Ecclesiasticorum Beneficiorum, vel etiam in ullius favorem, aut ob remunerationem laborum, nobis & Sedi præfatæ impensorum, aut in recompensam jurium cessorum, vel ablatorum, aut aliàs quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam attestationis mentis nostræ, de illis non revocandis, aut suspendendis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, de Præpositura, Pœnitentiaria, Cappellaniis, Canonicatibus hujusmodi concessis, hactenus & in posterum concedendis.

Quas, & quæ, illorumque omnium vim & effectum quoad hoc omninò suspendimus, & in Præpositura, Pœnitentiaria, Cappellaniis, Canonicatibus & Præbendis, & aliis Beneficiis hujusmodi, effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Illisque, ac statutis, privilegiis, indultis & litteris supradictis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etsi talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Ecclesia Audomarensi in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus & Præbendis, ac Dignitatibus Audomarensis, & Morinensis Ecclesiarum prædictarum, hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales, dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus habitos per eandem, & inde sequuta quæcumque, ad Archidiaconatum, Præposituram, Pœnitentiariam, Canonicatus & Præbendas, ac Cappellanias hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indultis, & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumcunque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ institutionis, unionis, annexionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M D L X. quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

VIII. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. 2. pag. 1085.

Ecclesiam Collegiatam Sancti Albani Namurci (aucto Canonicorum numero, ex Præbendis Capituli Sancti Petri in Castro) erigit in Cathedralem anno 1560. ibique novum instituit Episcopatum Suffraganeum Archiepiscopatus Cameracensis, eidem pro dote assignans Abbatiam Floreffiensem, Ordinis Præmonstratensis in Namurcesio.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori & venustati, ac illis præsidentium, & etiarum personarum in eis Divinis Laudibus insistentium statui, & opportunæ subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute valeat salubriter provideri.

Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerunt, ex saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, lateque diffitorum Castrorum & Pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant:

Hisque, & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habitâ, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, ac Apostolicæ Potestatis Plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Diœceses à Rhemensi, & Coloniensi Provinciis, ac Mechliniensem & Namurcensem, ac diversa alia Oppida insignia dictæ Regionis à sua quaque Diœcesi, & Provincia perpetuò segregaverat, & diviserat, nec non Mechliniense, & Namurcense, ac reliqua alia Oppida prædicta, sic divisa in Civitates:

Cameracensem verò, & Ultrajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem in Metropolitanas, & S. Albani Namurcensem, cæterasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent, nec non Mechliniensi, & Namurcensi Ecclesiis, Civitatibusque prædictis certos tunc expressos districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum, limitandos, pro sua cuique Diœcesi perpetuò concesserat, nec non Ecclesiæ Cameracensi prædictæ, Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim Namurcensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat: præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias tunc expresso modo & forma qualificatas, ad Namurcensem, & alias Ecclesias erectas, tàm à primæva erectione hujusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos, & Episcopos, ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis, dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias, vel Diœceses distinguerent & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris, sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii, scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius dicto Prædecessore intereà de medio sublato, vigore, seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsan eorum aliqui de illis personis non essent, qui ad id canonicè subdelegari poterant, facta nihilominùs diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis.

Animadvertentes, quod per dismembrationem Bonorum à Monasteriis & Præposituris præfatis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria Mensis præfatis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum Curam perindè atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda.

Ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesium, divisionesque, & distributiones Oppidorum & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium, commodiores illis, quæ per primodictas litteras statuuntur.

Nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque & formam in præfatis Ecclesiis etiam per hujusmodi dismembrationem, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodas rationes habendas censuerunt, ac super majori illorum parte processus & scripturas, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverunt.

Et inter alia dictæ Ecclesiæ Namurcensi, & pro tempore existenti Episcopo Namurcensi,

Namurcum, Flerucum, Salsines, Bovinia, Poilvache, Walchourt, Jambes, Folz, Bouges, Bovynes, Loyeres, Lyve, Brumagne, Erpent, Andoy, Wierde, d'Aubnes, Nanines, Saint-Servais, MarchelesDames, Saint-Marcy, Lesmines, Warissoul, Villers, L'Hess, Colignile, Rusnes, Gelbusee, Ronet, Anglise, Warte, Champilon, Ober, Marbais, & appendices per oppida, villas, castra, pagos & loca, respectivè pro sua Diœcesi designaverunt, prout in singulis litteris, ac processibus, & scripturis prædictis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Monasterium Floreffense, Præmonstratensis Ordinis, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diœcesis, cum primum illud per cessum, vel decessum moderni illius

Abbatis,

Abbatis, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, Mensæ Episcopali Namurcensi ex nunc, prout ex ea die, & è contra, perpetuò univimus, annexuimus, & incorporavimus, attendentes, quòd si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, atque affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem, cùm ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul Populos ipsos in Sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia æque opportuna remedia potuerit adhibere.

Ut illa juxta cordis sui, atque nostri desiderium promptos, & felices sortiantur effectus, nostri Ministerii partes adjicere, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere, ac singularum Litterarum, Processuum, & Scripturarum prædictarum veriores tenores, nec non Mensæ Episcopalis Namurcensis, & illi uniendorum, ac aliorum Canonicatuum, & Præbendarum, Decanatus, Dignitatum, & Officiorum supprimendorum infrascriptorum fructuum, redditRuum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis habere volentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis id pro salute dictorum Populorum enixè prosequentis excitati.

Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum Subdelegatorum, & in prædictis processibus specificatis, tanquam in meliùs reformatis inhærendo, ac concessionem, & assignationem per priores Litteras Prædecessoris hujusmodi factas quoad infrascripta immutando, omnia, & singula Oppida, Castra, Pagos, Villas, & Loca in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cùm Ecclesiis etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis etiam Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, Beneficiis, Locis, & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus, ac populis quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Namurcensi, juxta designationem illi per prædictos Subdelegatos factam hujusmodi perpetuò concedimus, & assignamus.

Et quia fructus, proprietates, & Bona dicti Monasterii Floreffinensis, militum incursionibus non mediocriter vastata reperiuntur, & convenit, ut in ea parte Namurcensis Diœcesis prædictæ, quæ Gallicam Brabantiam complectitur, unum Episcopale Consistorium statuatur, in quo Clero, & Populo Brabantinis, qui extra Ducatus Brabantiæ metas ad Judicium trahi non consueverunt, jus dicatur.

Idcircò de Nameſche in Ripa Mosæ extra Namurcum, cujus tercentorum, & Berteriensi propè Hannutum, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diœcesis, in quo Monasticæ vitæ usus, & forma cessant, & ædificia diruta sunt, ac solus Religiosus otiosè vivens eò loci ad recipiendum proventus deputatur, cumque quadringentorum Ducatorum auri de Camera, fructus, redditus, & proventus, secundùm communem æstimationem valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, Vallis-Scholarium, & Cistertiensium, aut aliorum Ordinum Prioratus forsan conventuales.

Cùm primùm illos per cessum, etiam ex Causa permutationis, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, aut amissionem dilectorum Filiorum modernorum illorum Priorum, seu Commendatariorum, aut aliis quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam apud Sedem Apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio Nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Regulas, seu Litteras alternativarum, aut alia privilegia reservata existit, seu fuerit, vacare contigerit.

Vel etiamsi actu nunc, ut præfertur, vacent, ac tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii, ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ipsique Prioratus dispositioni Apostolicæ generaliter, vel specialiter reservati, & ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cùm omnibus juribus, jurisdictionibus, annexis, & pertinentiis suis, ex nunc prout ex tunc, & è contra, prædictæ Mensæ Namurcensi, suppressis, & in eis nomine, titulo, & dignitate Prioratus, & Conventualitate.

Ita quòd liceat Episcopo Namurcensi, pro tempore existenti, corporalem illorum possessionem per se, vel per alium, seu per alios propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque redditus, fructus, & proventus in suos, ac dictæ Mensæ usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ minimè requisitâ, etiam perpetuò pro dotis nomine unimus, annectimus, & incorporamus.

Ita tamen, quòd ratione unionis, annexionis, incorporationis Prioratus Berteriensis hujusmodi Episcopus Namurcensis, pro tempore existens, dictum Consistorium in Ducatu Brabantiæ, & Loco insigni ad hoc ab eo statuendo habere, & inibi jurisdictionem exercere, nec non Ordines toties quoties in Civitate Namurcensi, facta tempestiva significatione per Diœcesim, ubinam sit Ordines Sacros collaturus, conferre debeat.

Ut verò ipse Episcopus Ecclesiam suam personis eruditis, & ad Jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munia Ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam, jugiterque decoratam habeat.

Decanatum, ac tredecim Canonicatus, & totidem Præbendas, ac omnia, & singula alia Dignitates, & Officia Ecclesiæ, Cappellæ nuncupatæ, Sancti Petri Arcis Namurcensis, ad quam Canonicis & aliis Beneficiatis aditus propter strictam ejusdem Arcis custodiam admodum difficilis existit, similiter cum primum illa, quæ, vel eorum aliqua forsan de Jurepatronatus præfati Regis existunt, per cessum, vel decessum, etiam apud Sedem eandem, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent, ac etiam dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existant, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra perpetuò supprimimus, & extinguimus.

Ac in eadem Ecclesia Namurcensi unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post cessum, vel decessum eorum, qui nunc sunt in illa parte ejusdem Diœcesis Namurcensis Archidiaconi, talem, qualem Bruxellensis in Cameracensi hactenus habuit, & Mechliniensis Archidiaconus in Mechliniensi Diœcesi perpetuò habiturus est, jurisdictionem & administrationem per totam Diœcesim Namurcensem præfatam habeat, & unum Archipresbyterum Civitatensem pro uno Archipresbytero Civitatensi, qui curam Rectorum, & Sacramentorum, ac verbi Dei per Civitatem, & unam Pœnitentiariam Diœcesanam, nuncupandas dignitates inibi pro uno Pœnitentiario Diœcesano nuncupando, qui similem Curam per Diœcesim Namurcensem prædictam habeat, perpetuò erigimus, ac instituimus.

Præterea statuimus, & ordinamus, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis dictæ Ecclesiæ Namurcensis, decem, quos primò per cessum

etiam ex Causa permutationis, vel decessum, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam prædictam, vel aliàs vacare contigerit, & si actu nunc vacent, & tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem Apostolicam prædictam legitimè devoluta, ipsique dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservati, affecti, & Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos Lis, cujus Statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ita perpetuò affecti maneant, quòd Episcopus Namurcensis præfatus unum, & unam omnium primò vacaturos, tanquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos, & quos nos hic, ex nunc prout ex tunc, & è contra, ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, obtinere, illorumque ratione persona Capitularis esse, vocemque, & auctoritatem, etiam in Capitulo super Decanum, & Canonicos habere:

Reliqui verò novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejusdem Diœcesis, etiam in Jure, vel Theologia, saltem gradu Licentiaturæ in famosa quadam Universitate Studii Generalis, secundùm tenorem primodictarum Litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles, quàm alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes, & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum Consilium, & operam in negocio Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim, quàm divisim præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi ad nominationem dicti Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictas simili ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in ejusmodi electione suffragium Episcopi non plus Juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tumque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem vocum ejusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Expectativis, Coadjutoriis, Mandatis, Facultatibus, Indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, & ad instantiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque Causa, quamtumlibet urgenti, pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, aut obitum apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit: Sed forma electionis præmissa omni tempore servari, nullaque Causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis Magister seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi, per universam Diœcesim Namurcensem prædictam, quoties ab Episcopo Namurcensi: Cæteri verò Canonici Graduati prædicti quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur; ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, unà cùm Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad Sacros ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, quique se personalem residentiam facturum, mediante juramento promittat, admittendo.

Et quoniam impia Hæreticorum Studia, Viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ Namurcensis in duas partes æquales dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, necessitatis causâ exceptâ, permanserint, ministrari debeat, nec quispiam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico, quacumque causa impetrato, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæteræ Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam & in Diœcesi Namurcensi existentes, vel sub suis Decanatibus, aut aliis Jurisdictionibus prout hactenus, remaneant, vel alio meliori modo arbitrio dicti Episcopi distribui, ipsorumque Decanatuum Decani (salva tamen dicti Episcopi moderatione) emolumenta hactenùs percipi solita percipere possint.

Cum autem Mensæ Namurcensis, etiam una cum præmissis, & adjectis, nec non novem Canonicatuum, & Præbendarum prædictorum fructus, redditus, & proventus tenuiores sint, quàm conveniat pro commoda sustentatione ejusdem Episcopi, & Virorum doctorum, atque gravium, qui munera prædicta obire commodè possint, idcircò dictæ Mensæ Namurcensi trium (quorum insimul fructus, redditus, & proventus ducentorum, & quinquaginta Ducatorum similium secundum eandem æstimationem, valorem annuum non excedunt) quos primò vacare contigerit, ut præfertur, novem verò Canonicatibus, & novem Præbendis pro Graduatis affectis reliquorum decem Canonicatuum, & Præbendarum suppressorum, simul per singulos novem Canonicos Graduatos prædictos æquis portionibus percipienda, & insuper Decanatui dictæ Ecclesiæ Namurcensis suppressi Decanatus, nec non Archidiaconatui sic erecto prædictis, aliorum officiorum, etiam suppressorum prædictorum Bona, res, proprietates, decimas, census, fructus, Jurisdictiones, & Jura cujuscumque qualitatis, & quantitatis existentia, similiter ex tunc, prout ex nunc, & è contra, perpetuò applicamus, & appropriamus.

Districtiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus, & Personis, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos collatio,

provisio, & quævis alia dispositio conjunctim vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis, cujuscumque Dignitatis, Status, Ordinis, & Conditionis existentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris, aliisque Sententiis, Censuris, & Pœnis, etiam privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne de Decanatu, & aliis Dignitatibus, & Officiis, ac Canonicatibus suppressis, & Graduatis affectis prædictis, si vacant, aut cùm vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumlibet modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo Jure quæsito, ac de annali, & triennali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacificè quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, plenariè uti, potiri, & gaudere, nec non decem affectos, & alios tredecim Canonicatus, & Præbendas, ac Decanatum, cæterasque Dignitates, & Officia suppressa prædicta, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, etiam juxta Concordata Nationis Germanicæ, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum, quoquo modo acceptari non posse.

Et nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendationes, uniones, & alias dispositiones, de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem prædictam, & quomodolibet factas, & faciendas, nullius prorsus roboris, & momenti fore, nullumque per eas cuiquam Jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessiones, assignationes, uniones, annexiones, incorporationes, suppressionem, extinctionem, institutionem, statutum, ordinationem, applicationem, appropriationem, & cætera præmissa, ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri, ac sub quibusvis evocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus etiam unionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, & extinctionum etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi Apostolatus Apicem, quàm alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quocumque tempore fient, minimè includi: Sed illis non obstantibus, in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa.

Sicque immutabilis voluntatis nostræ fuisse, esse, & fore, ac easdem præsentes nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in Jus, aut controversiam quacumque ratione, vel causa vocari posse.

Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; irritum quoque & inane, si secus super eis à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Decano, Ecclesiæ Beatæ Mariæ Namurcensis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem litteras præsentes, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Namurcensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Namurcensem, & alios præfatos, concessione, assignatione, unionibus, annexionibus, incorporationibus, suppressione, extinctione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, applicatione, appropriatione, ac litteris, & aliis in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo; nec non legitimis super his habendis servatis processibus, Censuras ipsas, & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de valore tam impetrationibus, quàm aliis gratiis etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii PP. Octavi etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & ordinationibus, etiam reservatoriis, & reservatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, & Locorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus.

Nec non quibusvis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicos creationibus, aliis unionibus, & perpetuis absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Mandatis, Litteris, & concessionibus, quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis Familiaribus, continuis Commensalibus, ac Prælatis Domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi Causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & litteris derogatoriarum derogatoriis. etiam motu, & forma similibus, & aliàs quomodocumque concessis.

Quas, & quæ omnium illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omnia suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, nec non Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis, & aliis quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis Legis, ac Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instan-

tiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia, & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, nihilominus in genere, & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Majori, & Sancti Petri Ecclesiis prædictis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus, seu Commendis sibi faciendis, de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, & Officiis Majoris, & Sancti Petri Ecclesiarum, ac Prioratibus hujusmodi speciales, vel pro aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, ac inde sequuta quæcumque ad Decanatum, & Officia, Canonicatus, & Præbendas suppressos, & Graduatis affectos, ac Prioratus hujusmodi volumus non extendi; Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum, & Officiorum, ac Prioratuum, seu Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, unionum, annexionum, incorporationum, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo, quarto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

IX. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. II. p. 1077.

Suppresso Ypris Monasterio Canonicorum Regularium Sancti Martini, Ecclesiam illam constituit Cathedralem, anno 1560. simul ibidem erigens novum Episcopatum Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, eique assignans pro dote Præposituras S. Martini Ypris, S. Walburgis Furnis, & plurima Bona antiquæ Morinensis Ecclesiæ.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

De Statu Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum, prosperè, & feliciter dirigendo attentiùs cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, & venustati, ac profectui, & illis præsidentium commoditati, ac aliarum in eis divinis obsequiis vacantium Personarum opportunæ subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus super his consultè gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout rerum, & temporum, ac personarum, & Regionum qualitatibus præfatis, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis Paulus PP. Quartus Prædecessor noster, providi vigilisque Pastoris more considerans, quòd ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro *Philippo*, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, pro tanta Oppidorum celeberrimorum frequentia, locorumque suorum multitudine, adeo paucas Ecclesias Cathedrales habeat, ut earum Episcopi eâ, quâ opus erat diligentiâ, tantam animarum multitudinem minimè regere poterant, idque quibusdam hoc erat difficilius, quòd ipsorum Diœcesani Linguæ idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrinâ, & piè vivendi præceptis commodè instrui, nec, si quid deliquissent, facilè corrigi ab Episcopis suis possent; Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos, & in officio suo continendos, nulla in tota illa regione Ecclesia erat Metropolitana: Sed Archiepiscopi extra fines ipsius ditionis existentes propter multa & varia impedimenta nulli Suffraganeis suis usui jampridem erant, & propter assiduas insidias, dolos, pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum, & Schismaticorum, à quibus eadem Regio omni ferè ex parte cincta, atque obsessa erat, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine, & periculo versabatur; His, & aliis gravibus Causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi Regis precibus annuere, tamque pio ejus desiderio satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates, & Diœceses à Remensi, & Coloniensi Provinciis, quibus tunc erant Metropolitico Jure subjectæ:

Ac Mechliniense, Iprense, Audomarense, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis à sua quoque Diœcesi, & Provincia:

Nec non ab Ecclesia Morinensi eam partem Diœcesis Morinensis, quæ in Arthesiæ & Flandriæ Comitatibus ditionis præfati Philippi Regis erat, cum omnibus & singulis suis Terminis, Territoriis, Cleris, Populis, Personis, Monasteriis, & Piis Locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, perpetuò segregaverat, nec non Mechliniense, Iprense, Audomarense, & reliqua oppida præfata sic divisa in Civitates: Cameracensem verò, & Trajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem Ecclesias in Metropolitanam, ac olim Monasterii Sancti Martini Iprensem, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, nec non Sancti Audomari Audomarensem, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum præfatorum Ecclesias in Cathedrales pro totidem Episcopis creandis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent, ac Iprensi, & Audomarensi Ecclesiis, & Civitatibus præfatis, certos districtus per Nuntium suum postmodum

ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diœcesi perpetuò concesserat.

Nec non Iprensem, Mechliniensi, Audomarensem verò, & Atrebatensem Ecclesias, Civitates & Diœceses antedictas Ecclesiis hujusmodi pro sua Provincia subjecerat, singulisque Iprensi, & Audomarensi Mensis Episcopalibus annuum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & bonis, ac fructibus, redditibus & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuntium specificandis, & repartiendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi factæ, & effectum sortitæ forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annuum redditum mille, & quingentorum Ducatorum similium, per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, Iprensi, & Audomarensi Episcopis pro tempore existentibus singulis, quousque specificatio, & repartitio præfatæ, ac pro ea tantùm parte, quæ plenarium suum effectum minùs sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionabiliter persolvendum, perpetuò applicaverat, & appropriaverat. Eidemque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac aliàs certis tunc expressis modo & forma, qualificatas ad dictas Iprensem, & Audomarensem, ac alias Cathedrales Ecclesias sic erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quàm quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, eidem Prædecessori, & Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Archiepiscopos & Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras; Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusinensi, suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio, in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Atrebatensis, nuncupatus, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuncius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant.

Facta nihilominùs per eos diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationem Bonorum in Monasteriis, & Præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria, & Præposituras Mensis prædictis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum Curam perindè atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda, ac designationes, & limitationes Provinciarum, & Diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis, quæ per primodictas litteras statuuntur, nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque & formam, in præfatis Ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodas rationes.

Et super majori illorum parte processus, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverunt, & inter alia dictæ Ecclesiæ Iprensi, & pro tempore Episcopo Iprensi districtus Parochialium Ecclesiarum videlicet.

In Archipresbyteratu Civitatensi Sancti Martini Iprensis, S. Mariæ de Brila, Sancti Petri Iprensis, Sancti Jacobi Iprensis, Sancti Nicolai Iprensis, Sancti Joannis apud Ipram.

In Decanatu Warnestonensi Warneston, Poolecap, Paeschedale, Moorle, Bunderva, Bekelare, Legem, Dadizeele, Geluwe, Kemmelef.

In Decanatu Ballionensi Parochia Ballionensis, Meternes, Meires, Sancti Joannis Cappella, Eecke, Caestre, Canisvilla, Borra, Stracelee, Waloncapelle, Hazebroucke, Hiepe, Capelle.

In Decanatu Poperingensi, Dominæ nostræ de Poperingis, Sancti Joannis de Poperinga, Sancti Bertini Dronautre &c.

In Decanatu Furnensi Sancti Nicolai de Furnis, Sancti Dionysii Furnensis, Sancti Walburgis Furnensis, Hogestaede &c.

In Decanatu Casletensi Dominæ Nostræ Casletensi, Sancti Nicolai Casletensis, Segeri Capella &c.

In Decanatu Winochy-bergensi Sancti Petri Bergensis, Sancti Martini Bergensis, Duynkercke, Steen &c.

In Decanatu Dixmudensi Parochia Dixmuden, Eessone, Clarckem &c.

In Decanatu de Neupoort Dominæ nostræ de Neupoort, Ramscaple, Oost-duinckercke, Sancti Georgii in nova Terra, Zoutenay, Sanctæ Catharinæ Capella, Sancti Guilielmi Capella, Bendishouche, pro sua Diœcesi designaverunt, prout in processibus & scripturis, ac singulis litteris prædictis continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quòd semper in unionibus commisio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Cathedralem Ecclesiam Morinensem, certo tunc expresso modo, Pastoris solatio destitutam, ac Sedem illius Episcopalem, & in eis omnia & singula Episcopalia Jura, & Cathedralis Ecclesiæ insignia, pro eo quòd aliàs per Conditiones Pacis inter prædictum Philippum, & claræ memoriæ Henricum Francorum Reges firmatæ, sub dictæ Sedis beneplacito decretum fuerat, quòd Civitas Morinensis tunc solo æquata non restauraretur, sed illius Ecclesia, & Diœcesis præfatæ, ac Beneficia, Beneficiorum Collationes, & proventus in duas partes dividerentur, quarum altera Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ esset, penitùs suppressimus, & extinximus.

Et Diœcesim Morinensem, ac omnia & singula sub ea, & in decreto prædicto comprehensa in duas partes, quarum una Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ hujusmodi juxta dictum decretum esset, & ulteriùs illam Diœcesis Morinensis partem in inferiori Germania hujusmodi extantem, cum Bonis, Censibus, Feudis, Decimis, aliisque proventibus sub ea comprehensis, qui valorem annuum duorum millium Ducatorum Auri de Camera, secundùm communem æstimationem, constituunt, in duas alias æquales partes, & duas alias Diœceses divisimus, & separavimus.

Ac Iprensi unam, Audomarensi verò Ecclesiis, ac Mensis Episcopalibus reliquam, partes & Diœceses subdivisas hujusmodi, pro sua quaque Diœcesi, & parte dotis perpetuò applicavimus.

Attendentes, quòd si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, & affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia æquè opportuna remedia potuerit adhibere, quàm supradicta.

Ut ea juxta cordis sui, atque nostri desiderium, promptos & felices sortiantur effectus, etiam nostri Ministerii partes præmissis adjicere, ac illa omni-

bus aliis, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes:

Nec non Bonorum Dignitatibus, ac Canonicatibus & Præbendis infradictis, per præsentes applicandorum fructuum, redditium, & proventuum, veros annuos valores, nec non singularum litterarum, processuum & scripturarum prædictorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro expressis habentes.

Continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum Populorum enixè prosequentis excitati, motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam de Apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus Subdelegatorum hujusmodi in dictis processibus specificatis, tanquam in meliùs reformatis inhærendo, ac priores litteras hujusmodi quoad infrascripta immutando.

Omnia & singula supradicta oppida, castra, villas, loca, jurisdictiones, districtus & jura, in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis & Locis Ecclesiasticis, ac Sæcularibus, & Regularibus, aliisque personis, ac populis, cæterisque sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Iprensi, juxta posteriorem designationem hujusmodi, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò concedimus, & assignamus.

Nec non in Monasterio Sancti Martini præfato, cujus Ecclesia in Cathedralem Ecclesiam Iprensem erecta extitit, ut præfertur, etiamsi de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, nomen tantùm, & denominationem Abbatis, seu Præpositi, ac Dignitatem Abbatialem, seu Præpositurae, statumque, essentiam & ordinem regulares.

Nec non cum primùm illos, ac Monasterium, seu Præposituram Sancti Martini hujusmodi per cessum, vel decessum illa nunc obtinentium, etiam apud Sedem eandem, aut aliàs quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex Mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ regulas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia & indulta reservata extitit, seu fuerit, simul vel successivè vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, vacent, & tanto tempore vacaverint, quòd illorum collatio, & ejusdem Sancti Martini provisio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem præfatam legitimè devoluta, illique Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant.

Ac ipsius Monasterii Sancti Martini provisio ad Sedem eandem, specialiter vel generaliter pertineat, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa;

Monasterium Sancti Martini, seu illius ac Ecclesiæ Furnensis, olim Morinensis Diœcesis, Præposituras etiam principales, ac qui pro parte dicti Philippi Regis, juxta conditiones hujusmodi relicti sunt, Decanatum forsan majorem, nec non Pœnitentiariam, Cantoriam, Scholasticam, Thesaurariam, non majores post Pontificalem Dignitates.

Nec non quinque Canonicatus, & quinque Præbendas ex pluribus aliis suppressæ Morinensis Ecclesiæ hujusmodi pro parte dicti Philippi Regis per conditiones pacis hujusmodi inter alia etiam relictos, penitus supprimimus, & extinguimus.

Ac ex dicta Ecclesia Morinensi Archidiaconatum Flandriæ, dignitatem inibi, non tamen post Pontificalem majorem, & ex quindecim Capellaniis in ipsa Ecclesia Morinensi, octo Capellanias per prædictos Subdelegatos specificatas, ac decem ejusdem Ecclesiæ Morinensis, pro parte dicti Philippi Regis juxta conditiones præfatas relictos.

Et ex ipsa Ecclesia Furnensi, in qua triginta Canonicatus, & triginta Præbendæ cum Decanatu existunt, decem alios Canonicatus, & decem Præbendas similiter, quos primò per cessum, vel decessum illos obtinentium, vel aliàs simul, vel successivè vacare contigerit, vel etiamsi ad præsens vacent, & etiam tanto tempore vacaverint, quod similiter illorum collatio, juxta eadem Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem eandem legitimè devoluta:

Ipsique Archidiaconatus, & Capellaniæ, ac Canonicatus, & Præbendæ eidem Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant, & ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super eis inter aliquos lis, cujus statum similiter præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ad dictam Ecclesiam Iprensem pro uno Archidiacono, & totidem Canonicis & Capellanis, in dicta Ecclesia Iprensi transferimus.

Ac in eadem Ecclesia Iprensi unum Archipresbyteratum Civitatensem pro uno Archipresbytero Civitatensi, qui Curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum, ac Verbi Dei, & Sacramentorum per Civitatem;

Et unam Pœnitentiariam Diœcesanam nuncupandas Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, pro uno Pœnitentiario Diœcesano nuncupandis, qui Curam Conscientiarum Populi per Diœcesim Iprensem habeant.

Et ulteriùs in Ecclesia Iprensi hujusmodi unum Decanatum, dignitatem inibi majorem post Pontificalem, ad suffragia omnium Canonicorum ejusdem Ecclesiæ electivum, pro Præposito ipsius Ecclesiæ Iprensis, deinceps Decano loco suppressæ Præpositurae hujusmodi, qui duplicem distributionem in Choro percipiat.

Et unam Cantoriam pro uno Cantore, ac unam Scholasticam pro uno Scholastico, & unam Thesaurariam, etiam Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, pro uno Thesaurario, ac duodecim alios Canonicatus, & duodecim alias Præbendas, pro duodecim aliis Canonicis ejusdem Ecclesiæ Iprensis perpetuò erigimus, & instituimus.

Ac unum, & unam ex decem Canonicatibus, & decem Præbendis ex Ecclesia Morinensi ad Ecclesiam Iprensem, ut præfertur, translatis, Mensæ Iprensi hujusmodi similiter perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus.

Ita quod Episcopus Iprensis illorum ratione persona Capitularis esse, ac vocem, auctoritatem, & præeminentiam etiam in Capitulo supra Decanum, & alias Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas inibi obtinentes habere debeat, liceatque sibi illorum corporalem possessionem propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in suos & suo Mensæ hujusmodi usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ.

Et ulteriùs eidem Mensæ Iprensi pro sua dote hujusmodi Bona, & proventus trium ex quinque suppressis Canonicatibus & Præbendis Ecclesiæ Morinensis hujusmodi.

Ac Jus Præbendæ *in Salutem* nuncupatæ ad Episcopum Morinensem pro tempore existentem pertinens, sub dictis conditionibus comprehensum, quorum insimul septingentorum, & quinquaginta, ac similiter omnia & singula Bona suppressæ Præpositurae Ecclesiæ Furnensis, ac tot ex Bonis & Proprietatibus Monasterii, seu Præpositurae Sancti Martini hujusmodi, quæ una cum Bonis suppressæ Præpositurae Ecclesiæ Furnensis hujusmodi valorem annuum mille constituant,& valorem annuum trium millium Ducatorum similium pro dote Mensæ

Episcopalis Iprensis hujusmodi una cum prædictis complebunt.

Nec non Archipresbyteratui, Pœnitentiariæ, Cantoriæ, Scholasticæ, & Thesaurariæ similiter, medietatem æquis portionibus dividendam Bonorum, & Proventuum Cantoriæ, Scholasticæ, & Thesaurariæ suppressarum prædictarum, ac singulis duodecim Canonicatibus, & duodecim Præbendis, ut præfertur, erectis prædictis, tot ex reliquis Monasterii, seu Præpositūræ S. Martini proventibus hujusmodi, quot pro competenti dote illorum ad æquivalentiam proventuum illorum Canonicatuum, & Præbendarum Ecclesiæ Iprensis hujusmodi opus fuerit, post obitum tamen Religiosorum ejusdem, seu postquam illis aliunde provisum extiterit, eisdem interim sub Cura Decani Ecclesiæ Iprensis hujusmodi remanentibus.

Præterea Decanatui medietatem proventuum Decanatus Ecclesiæ Morinensis similiter pro parte dicti Regis relictorum, ac Præbendam, & Domum per Decanum Monasterii Sancti Martini prædicti haberi, & possideri solitas, & tam illi, quàm Archidiaconatui Flandriæ hujusmodi unam, Archipresbyteratui verò, Pœnitentiariæ, Cantoriæ, Scholasticæ, Thesaurariæ præfatis sic erectis, & Graduatis infrascriptis affectis novem Canonicatibus, & novem Præbendis Ecclesiæ Iprensis hujusmodi, reliquam medietatem Bonorum, & proventuum reliquorum duorum Canonicatuum, & Præbendarum suppressorum similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, pro dotis nomine perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non Episcopo Iprensi Domum Monasterii, seu Præpositūræ Sancti Martini hujusmodi, cum hortis, & pertinentiis suis circumstantibus, pro sua habitatione, ac illas ipsas, quas Episcopus Morinensis pro tempore existens, in eisdem Iprensi Ecclesia, Civitate & Diœcesi, prout sibi per divisiones hujusmodi contingit:

Et insuper, quas Abbas, seu Præpositus Sancti Martini Monasterii, seu Præpositūræ, & Præpositus Ecclesiæ Furnensis hujusmodi olim quomodolibet habebant, collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamcumque aliam dispositionem omnium, & singulorum proventuum, dignitatum, personatuum, etiam (exceptis infrascriptis affectis) Canonicatuum, & Præbendarum, administrationum, & officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum Cura, & sine Cura Sæcularium, ac prædictorum, & quorumvis aliorum Ordinum Regularium, per eum, & futuros Præsules Iprenses, vel alium, seu alios, eorum nominibus liberè faciendas, etiam perpetuò reservamus, concedimus, & assignamus.

Et ut ipse Episcopus Iprensis suam Ecclesiam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque Munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debitè instructam, jugiterque decoratam habeat, similiter perpetuò statuimus, & ordinamus, quòd novem Canonicatus & Præbendæ, ex Ecclesia Morinensi ad Ecclesiam Iprensem translati hujusmodi, quos suppressioni, applicationi, & unioni aliorum trium Canonicatuum, & Præbendarum Mensæ Episcopali Iprensi hujusmodi, loco facto per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, non tamen per obitum, apud Sedem præfatam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent, ac Dispensationi Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, ac Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus etiam haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, & tribus Nobilibus ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theologia, saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primodictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex priores, tam Nobiles, quàm non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & totidem Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi Præbendarum, consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim, quàm divisim, præstare teneantur.

Et Archidiaconus (nisi Præbenda Archidiaconatui suo annexa sit) Archipresbyter, Pœnitentiarius, Cantor, Scholasticus & Thesaurarius præfati ex dictis novem Graduatis ad nominationem Episcopi Iprensis assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos novem Canonicatus, & Præbendas affectos hujusmodi, ordine in dicta designatione expresso servato, consequi debeant.

Et ut de viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem imprimis Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione Suffragium Episcopi, non plus juris, seu momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando; & aliàs disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratiis præventivis, per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & dictam Sedem Apostolicam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, contemplatione, intuitu, & ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ex quacunque causa quamtumlibet urgenti pro tempore factis & concessis, comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes apud Sedem Apostolicam præfatam, aut ulla alia ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissa, omni tempore servari, nullaque causa refringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, Seniores ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Iprensem prædictam, quoties ab Episcopo Iprensi, cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis senioribus Canonicis præfatis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personaliter residentiam facturum, mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patitur, quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo missi, per

duos

luos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera quo quotidianis distributionibus, his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico quacumque causa impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæteræ Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam & in Diœcesi Iprensi existentes, vel sub suis Decanatibus, seu Archipresbyteratibus, aliisque Jurisdictionibus, prout hactenùs remaneant, vel meliori modo arbitrio Episcopi distribuantur, ipsorum Decanatuum Decani verò, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hactenùs percipi solita percipere possint.

Quodque Archidiaconus Flandriæ in ipsa Ecclesia Iprensi institutus post cessum, vel decessum præsentis possessoris, talem in dicta Diœcesi Iprensi Jurisdictionem, qualis ibidem ab antiquis Archidiaconis haberi, & exerceri consuevit, obtinere, & exercere debeat.

Districtiùs inhibentes universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, ac Conventibus, Superioribus & Personis, nec non illi, vel illis, ad quem, vel ad quos suppressorum, & translatorum Præpositurarum, Decanatûs, Archidiaconatûs, Cantoriæ, Pœnitentiariæ, Scholastriæ, & Thesaurariæ, ac Canonicatuum, & Præbendarum, & Cappellaniarum, aliorumque Beneficiorum prædictorum collatio, provisio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet.

Et quibuscumque aliis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub Excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne de illis, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, ut super his Beneficio Regularum, de non tollendo jure quæsito, ac de annali, & triennali possessore, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacificè quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenariè uti, potiri & gaudere debere.

Ac novem Canonicatus, ac novem Præbendas ejusdem Ecclesiæ Iprensis sic affectos prædictos per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata Nationis Germaniæ, expectativarum, & quarumcumque aliarum Patriarum quoquomodo minimè acceptari posse.

Et nihilominus quascunque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, ac alias dispositiones de eisdem, & eorum aliquibus, etiam per nos & Sedem præfatam quomodolibet factas, vel faciendas, nullius prorsùs roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessiones, assignationes, suppressionem, extinctionem, translationem, erectionem, institutionem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, inhibitionem, decretum, cæteraque præmissa, ac præsentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri, nec sub quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus similium, vel dissimilium unionum, annexionum, suppressionum, extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthoc per nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad Summi Apostolatus apicem, quàm aliàs quomodolibet, & cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum restituta, & de novo concessa, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore.

Ac easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam, quacumque ratione vel causâ vocari posse.

Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem, ac Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere: ac ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Sancti Petri Casletensis, Iprensis Diœcesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Iprensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, requisiti fuerint, seu eorum aliquis fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Iprensem, & alios prædictis concessionibus, assignationibus, suppressione, extinctione, institutione, translatione, erectione, institutione, unione, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, decreto, ac præsentibus litteris, & in eis contentis hujusmodi pacificè frui, & gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos, seu eorum aliquem desuper per supradictos, aut quoscumque alios quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras & Pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate nostra prædicta, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii PP. Octavi, etiam Prædecessoris nostri, etiam de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dictis, aliisque Ecclesiasticis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam in Corpore Juris clausis, ac aliis reservatoriis dictæ Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam reservatoriis, & reservatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non singularum Ecclesiarum, & Monasterii, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis que, indultis, conservatoriis, exemptionibus, & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Superioribus, Ordinariis, aliisque Collatoribus, & Personis præfatis per

quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam etiam per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam supradictorum, & quorumcumque aliorum, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, & aliàs quomodocumque, & qualitercumque, ac quotiescumque concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, expectativis, & aliis gratiis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus perpetuis, vel temporalibus, absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Litteris, Mandatis, Concessionibus, & Indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, & aliis dispositionibus, etiam Cardinalibus, ac etiam nostris antiquis, & descriptis familiaribus, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, aut Ecclesiarum, Monasteriorum, ac aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut etiam ob remunerationem laborum, Nobis, & Sedi præfatæ impensorum, aut in recompensam Jurium cessorum, vel oblatorum, aut aliàs quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam attestativis mentis nostræ de illis non revocandis, aut suspendendis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, de Monasteriis, Præposituris, Decanatibus, Archidiaconatibus, Cantoria, Pœnitentiaria, Scholastria, Thesauraria, ac Canonicatibus, & Præbendis, etiam translatis, unitis, & suppressis, ac Cappellaniis, & aliis Beneficiis hujusmodi concessis hactenus, & in posterum concedendis, quos, & quæ, illorumque omnium vim, & effectum quoad hoc omninò suspendimus, & in Monasteriis, Præposituris, Decanatu, Archidiaconatu, Cantoria, Pœnitentiaria, Scholastria, Thesauraria, ac Canonicatibus, & Præbendis, Cappellaniis, & aliis Beneficiis hujusmodi effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Illisque, ac Statutis, Privilegiis, Indultis, & Litteris supradictis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Morinensi, & Furnensi Ecclesiis præfatis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis ac Dignitatibus ipsarum Ecclesiarum, ac hujusmodi specia-les, vel pro aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & Processus habitos per easdem & inde sequuta quæcumque ad Monasterium, Præposituras, Decanatum, Archidiaconatum, Pœnitentiariam, Cantoriam, Scholastriam, Thesaurariam, ac Canonicatus, & Præbendas, ac Cappellanias, & alia Beneficia volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatuum, & Præbendarum, ac Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum, præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suspensionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, unionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Subsignatum erat Fed. Cardinalis Cæsius.
Cæsar Glorierius, A. de Alexiis.

V. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. p. 913.

Sylvæducensem in Brabantia Sedem Episcopalem erigit, Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeam, Ecclesiamque Collegiatam Sancti Joannis Evangelistæ ibidem designat Cathedralem, & pro dote Episcopi constituit Abbatiam Tongerloënsem, Ordinis Præmonstratensis, in Campinia: anno 1560.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DE Statu omnium Ecclesiarum, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum, prosperè, & feliciter dirigendo attentiùs cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, ac venustati, ac præsertim illis præsidentium commoditati, ac aliorum in eis divinis Officiis vacantium opportunæ subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, super his consultò gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout & temporum ac personarum & Regionum qualitatibus diligenter consideratis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque (sicut fide digna relatione accepimus) postquam felicis recordationis Paulus Papa Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ Charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, latéque dissitorum Castrorum, & Pagorum suorum Copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant.

Hisque, & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti *Philippi* Regis satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eo-

rum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine.

Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates, & Diœceses à Remensi, & Coloniensi Provinciis, quibus tunc erant Metropolitano iure subjectæ, ac Mechliniense, Buscoducense, ac diversa alia tunc expressa Oppida insignia hujusmodi regionis, à sua quaque Diœcesi, & Provincia perpetuò segregaverat, & diviserat, nec non Mechliniense, & Buscoducense, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates:

Cameracensem, & Trajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem, in Metropolitanas, & Sancti Joannis Buscoducensem, cæterasque aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, in Cathedrales Ecclesias, pro totidem Archiepiscopis, & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent, nec non Mechliniensi, & Buscoducensi Ecclesiis, Civitatibusque prædictis certos tunc expressos districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illic mittendum, limitandos, pro sua cujusque Diœcesi perpetuò concesserat, nec non Ecclesiæ Mechliniensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim Buscoducensem, hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat.

Præfato quoque *Philippo* Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ipsius Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, & alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Buscoducensem, & alias Ecclesias erectas prædictas, tam à primæva earum erectione hujusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contigerit, per eundem Pontificem in Archiepiscopos, & Episcopos, ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, deinde per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusinensi, suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis dederat in Mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias, & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia, & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interea de medio sublato, prætextu Mandati, & posteriorum Litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id Canonicè subdelegari poterant, facta nihilominùs diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quòd per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris præfatis, si fierent, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria, & Præposituras Mensis Ecclesiarum prædictarum pro earum dote, ad hoc ut Episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda, ac designationes, & limitationes Provinciarum, & Diœcesium, divisionesque, ac distributiones Oppidorum, & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium, commodiores illis, quæ per primò dictas Litteras statuuntur, nec non Constitutiones, & assignationes dotium: Et denique numerum Personarum, ac Dignitatum, & Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, Statum quoque, & formam, in prædictis Ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas Institutiones, & alias in universum accommodas rationes habendas censuerint, ac super majori illorum parte processus, & Scripturas, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverint, & inter ali dictæ Ecclesiæ Buscoducensi, & pro tempore existenti Episcopo Buscoducensi.

Buscumducis, Bommelia, Sevenbergen, Helmonde, Endovia, Heusden, Worcomium, Mons S. Gertrudis, Meghem, Ravesteyn, Ost, Oppida, nec non Roda S. Odæ, Oestervvicke, Boxtel &c. Villagia, seu Pagos, pro sua Diœcesi designaverunt, prout in processibus, & scripturis, ac singulis Litteris prædictis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum ad minus valorem, secundùm communem æstimationem, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Monasterium Beatæ Mariæ Tongerloënse Præmonstratensis Ordinis Buscoducensis Diœcesis, certo tunc expresso modo vacans, Mensæ Episcopali Buscoducensi, Auctoritate Apostolica perpetuò univimus, annexuimus, & incorporavimus.

Attendentes quòd si priscis temporibus, dum Populi ejusdem Regionis sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana nunc passim laceratur, atque affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem, cùm ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia, quàm supradicta magis opportuna remedia potuerit adhibere, ut illa juxta cordis sui, atque nostri desiderium, promptos & felices sortiantur effectus, nostri Ministerii partes adjicere præmissis, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes, nec non Mensæ Episcopalis Buscoducensis, ac decem Canonicatuum, & Præbendarum, ac decimarum, infrascriptorum fructuum, redditūum, & proventuum veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti *Philippi* Regis, id pro salute dictorum Populorum enixè prosequentis, excitati.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de simili Apostolicæ potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum Subdelegatorum, in prædictis Processibus specificatis, tanquam in melius reformatis, inhærendo, ac concessionem, & assignationem per priores Litteras Prædecessoris nostri hujusmodi factas, quarum veriores tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quoad infrascripta immutando, omnia & singula Oppida, Pagos & Villagia in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum toto eorum districtu, ac universis eorum Castris, Roccis, Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Parochialibus, Hospitalibus, Capellis, Officiis, & personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus, ac Populis, & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Buscoducensi, juxta designationem illi per præfatos Subdelegatos factam hujusmodi, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & assignamus.

Et insuper à Parochiis de Ghilsen à Maters, aliàs in de Haghe, olim Leodiensis, nunc verò Antverpiensis Diœcesis, quarum collatio, seu alia dispositio ad pro tempore existentem Abbatissam Monasterii de Thoren asseritur pertinere, ac à de Gervven prope Helmonde ejusdem, vel alterius Diœcesis, Parochialibus Ecclesiis, cum primùm illas per cessum, vel decessum modernorum illas obtinentium, aut aliàs quovis modo, & ex cujuscumque persona vacare contigerit, omnes, & singulas decimas, quæ in siligine utplurimum consistunt.

Ita tamen, quod pro singulis Rectoribus ipsarum Parochialium Ecclesiarum viginti modii siliginis annuatim detrahantur, & ipsis Rectoribus assignentur, cum quibus ipsi & aliis emolumentis earumdem Ecclesiarum se honestè sustentare poterunt, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, auctoritate, & tenore prædictis perpetuò dismembramus.

Et ut Episcopus Buscoducensis pro tempore existens Ecclesiam suam Dignitatibus, Officiis, & Personis Ecclesiasticis Litterarum scientiâ prædictis jugiter decoratam habeat, ac in dicta Diœcesi Buscoducensi uniformis justitiæ ministrandæ usus existat, in eadem Ecclesia Buscoducensi, unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post cessum, vel decessum eorum, qui nunc sunt in illa parte Diœcesis Buscoducensis, talem habeat jurisdictionem, & administrationem, qualem hactenùs habuit Archidiaconus Bruxellensis in Diœcesi Cameracensi, servando concordiam, quam cum Episcopo hactenùs servavit, & exinde cùm Archiepiscopo suo Mechliniensi perpetuò servaturus est.

Ac unum Archipresbyteratum Civitatensem, pro uno Archypresbytero, qui Curam habeat Rectorum Parochialium Ecclesiarum, & Sacramentorum, & verbi Dei in dicta Civitate Buscoducensi.

Et unam Pœnitentiariam Diœcesanam nuncupandam, Dignitates inibi pro uno Pœnitentiario Diœcesano nuncupando, qui Curam Conscientiarum Populi per universam Diœcesim Buscoducensem specialiter habeant, quatenus ibidem hactenus erecti non sint, etiam perpetuò erigimus, & instituimus.

Præterea statuimus, & ordinamus, quòd ex triginta Canonicatibus, & triginta Præbendis, aut circiter, dictæ Ecclesiæ Buscoducensis decem, quos primò per cessum, vel decessum illos obtinentium, apud Sedem Apostolicam prædictam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent, & devoluti, affecti, Sacerdotales, vel litigiosi existant, idem Episcopus unum, & unam illorum primò vacaturos, tanquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos (& quos Nos similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, dicta auctoritate Apostolica ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus,) obtinere, illorumque ratione personam Capitularis esse, vocemque, & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum, & Canonicas habere:

Reliqui verò novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejusdem Diœcesis, & in Jure Canonico, vel Theologia Doctoratu, aut gradu Licentiaturæ in eis in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundùm tenorem primodictarum Litterarum promotis, quibus dicti decem Canonicatus, & Præbendæ perpetuò affecti permaneant, ordine præmisso servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles, quàm alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint; Ac omnes, & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum Consilium & operam in negotio Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim, præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi ad Nominationem dicti Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictos simili ordine consequi debeant.

Ut autem de Viris spectabilis doctrinæ, & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ, sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Expectativis, Mandatis, Facultatibus, Indultis de providendo, commendando, ac aliàs disponendo, primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem prædictam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, vel intuitu, aut ad instantiam Imperatoris, Regum, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causa, quamtumlibet urgenti, pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, apud Sedem prædictam pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi, de illis provideri, aut aliàs quoquomodo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque Causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, Seniores ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi, per universam Diœcesim Buscoducensem prædictam ab Episcopo, cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis duo in Theologia, ac unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cùm Archidiacono, curam habeant examinandi promovendos ad sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum Studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & eidem Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, necessitatis Causâ exceptâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico, quacumque Causa impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eàm, & in Diœcesi Buscoducensi hujusmodi existentes, vel sub suis Decanatibus, prout hactenus, remaneant, vel meliori modo, arbitrio Episcopi distribui, ipsorumque Decanatuum Decani, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Distri-

Districtiùs inhibentes Archiepiscopis, Episcopis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Conventuum Superioribus, & Personis, illique, vel illis, ad quem, seu quos decem Canonicatuum, & Præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio, & alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis, cujuscumque conditionis, dignitatis, status, & ordinis existentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, aliisque Sententiis, Censuris, & Pœnis, nec non privationis omnium dignitatum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne de decem Canonicatibus, & Præbendis prædictis, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum Jus in præmissis eidem Episcopo, & Graduatis omninò acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo Jure quæsito, ac de annali, & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè uti, potiri, & gaudere.

Ac decem Canonicatus, & decem Præbendæ affecti prædicti, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, indultorum, etiam juxta concordata prædicta, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non posse.

Et nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, & alias dispensationes de eis, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem prædictam, quomodolibet factas & faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per eos cuiquam Jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessiones, assignationes, divisiones, ac dismembrationes, separationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, applicationem, appropriationem, cæteraque præmissa ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri, ac sub quibusvis revocationibus, vel limitationibus, etiam unionum, & suppressionum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi Apostolatus apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quocumque tempore fient, minimè includi.

Sed illis non obstantibus in suis vigore, & robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum Statum restituta, & de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, & esse, ac ipsas præsentes nullo unquam tempore de subreptione, vel obreptione, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in Jus, vel controversiam, quacumque causa vel ratione, vocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & prædictos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, & ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Cameracensi, ac dilecto Filio Decano Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Beekensis Buscoducensis Diœcesis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni pro tempore existentis Episcopi Buscoducensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Buscoducensem, & alios prædictos, concessione, assignatione, unione, annexione, incorporatione, & applicatione, ac Litteris, & in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac Litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos, seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis Processibus, Censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstante piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri voluntate, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultrà unam dietam à fine suæ Diœcesis ad Judicium evocetur, seu ne Judices à Sede deputati prædicta extra Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis, in Concilio Generali edito, dummodò ultrà tres dietas auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam reservatoriis, nec non Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, ac aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non Buscoducensis, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Collegiorum prædictorum, ac ejusdem Præmonstratensis, & aliorum Ordinum, quorum Monasteria hujusmodi existunt, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis Legis, ac Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, & consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis.

Nec non quibuscumque specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, expectativis, & aliis gratiis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus perpetuis, vel temporalibus, absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Litteris, Concessionibus, & Indultis, provisionibus, & aliis dispositionibus quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac etiam nostris antiquis, & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam Officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, ac

etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, vel Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut remunerationem laborum nobis, & Sedi Apostolicæ prædictæ impensorum, aut in recompensam jurium cessorum, aut aliàs quomodolibet; etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine, nec non quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & cæteris attestationibus mentis nostræ de illis non revocandis, aut suspendendis, irritantibusque & aliis decretis, in genere, vel nominatim in specie de dictis Canonicatu, & Præbenda concessis hactenus, & inposterum concedendis.

Quas & quæ, illorumque omnium vim, & effectum quoad hoc omninò suspendimus, & in dictis Canonicatibus, & Præbendis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, illisque, ac statutis, privilegiis, indultis, & litteris supradictis, etiamsi de illis pro illorum sufficienti derogatione, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, dismembrationis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, suspensionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Sic scriptum erat:
Fred. Cardinalis Cæsius.
Deinde sic;
Cæsar Glorieux. A. de Alexiis.

XI. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. p. 903.

Novum erigit Episcopatum in Urbe Brugensi apud Flandros anno 1560. eumque constituit Suffraganeum Archiepiscopatus Mechlinensis, Ecclesiam Collegiatam S. Donatiani faciens Cathedralem, & Mensæ Episcopali annectens Præposituram dictæ Ecclesiæ, item Abbatiam Thosonam, vulgò Doest, Ordinis Cisterciensis, haut procul Brugis, Bullam Apostolicam exequutioni mandat Cardinalis Antonius Granvellanus, primus Archiepiscopus Mechlinensis.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, decori, & venustati, ac illis præsidentium statui, & opportunæ subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute, valeat salubriter provideri. Ac desuper etiam ea, quæ à Prædecessoribus nostris consultè gesta fuerint, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullum verò Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum oppidorum celebritas, ac longè, latéque dissitorum castrorum, pagorumque suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ab hæreticis conditio expostulabant, iisque & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicæ succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habita, sicut rei magnitudo expostulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Diœceses, à Rhemensi, & Coloniensi Provinciis, ac Mechliniense, & Brugense, diversaque alia oppida insignia hujusmodi regionis; à sua quoque Diœcesi & Provincia perpetuò segregaverat, & diviserat.

Nec non Mechliniense, Brugense, & reliqua oppida prædicta sic divisa in Civitates, Cameracensem vero, & Ultrajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Sancti Rumoldi Mechliniensem in Metropolitanas, & Sancti Donatiani Brugensem Collegiatam, cæterasque alias oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedrales Ecclesias pro totidem Archiepiscopis, & Episcopis, qui suæ cuique Ecclesiæ præessent: Nec non Mechliniensi, & Brugensi Ecclesiis, & Civitatibus prædictis, certos tunc expressos districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diœcesi unicuique perpetuò concesserat, nec non Ecclesiæ Mechliniensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim Brugensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat.

Præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Brugensem, & alias Ecclesias erectas, tam ab primæva erectione hujusmodi, quàm ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandas, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo ac Apostolicæ Sedis Nuntio, in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris, sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, dicto Prædecessore interea de medio sublato, vigore seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licèt forsan eorum

aliqui

aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant.

Facta nihilominùs diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria Mensis prædictis pro dote Ecclesiarum suarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum Curam perinde, atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda.

Ac designationes & limitationes Provinciarum, & Diœcesium, divisionesque, & distributiones oppidorum, & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis, quæ per primo dictas litteras statuuntur, nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarnm, ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque & formam in prædictis Ecclesiis, etiam per dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in universum accommodas rationes habendas censuerunt, ac super majori illorum parte processus, & scripturas, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverunt, prout in illis ac singulis litteris prædictis, seu scripturis pleniùs continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique nuper Monasterium de Doest, Cisterciensis Ordinis, olim Tornacensis, nunc verò Brugensis Diœcesis, cum primum illud per cessum vel decessum moderni illius Abbatis, aut aliàs quovis modo vacare contingeret, Mensæ Episcopali Brugensi ex tunc, prout ex ea die, & è contra, perpetuò univimus, annexuimus, & incorporavimus, attendentes quod si priscis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciosa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, atque affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla æquè opportuna remedia, quàm supradicta potuerit adhibere, ut ea juxta cordis sui, atque nostri desiderium promptos & felices sortiantur effectus, nostri Ministerii partes præmissis adjicere, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes, ac Mensæ Episcopalis Brugensis, & illi uniendorum Canonicatus, & Præbendæ, nec non applicandorum, & assignandorum fructuum, redditum, & proventuum, ac bonorum, & aliorum infrascriptorum, quorum valor annuus non est expressus, veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum populorum enixè prosequentis excitati.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ Potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum subdelegatorum in prædictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhærendo, ac concessionem & assignationem per priores litteras Prædecessoris hujusmodi factas, quoad infrascripta immutando, omnia & singula oppida, castra, pagos, villas, & loca infrascripta videlicet,

Brugas, Dam, Armuyen, Biervliet, Middelborgh, Sluys, Ardenborgh, Audenborgh, Ostende, Oostborgh &c In posteriori designatione subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis etiam Parochialibus, Monasteriis, Collegiis Canonicorum, Capellis, Hospitalibus, & Beneficiis, Locis & Personis, ac Officiis Ecclesiasticis, Sæcularibus & Regularibus, ac populis, & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfatæ Ecclesiæ Brugensi, juxta designationem illi per prædictos subdelegatos factam, hujusmodi perpetuò concedimus, & assignamus.

Et insuper Præposituram Ecclesiæ Brugensis prædictæ, quæ tempore illius erectionis hujusmodi dignitas inibi principalis erat, & cujus fructus, redditus, & proventus mille Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut etiam accepimus, non excedunt, cum primùm illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem dilecti filii moderni illius Præpositi, aut aliàs quovis modo ex cujuscumque persona, etiam apud Sedem Apostolicam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ Regulas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia & indulta reservata existit, seu fuerit, vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacet, & tanto tempore vacaverit, quod ejus Collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, illaque dispositioni Apostolicæ specialiter, vel ex quavis causa etiam dispositivè exprimenda generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, supprimimus, & extinguimus.

Nec non Archidiaconatum Brugensem in Ecclesia Tornacensi, quæ inibi dignitas, non tamen major post Pontificalem existit, similiter cum primum ille per cessum, vel decessum illam obtinentis, etiam apud Sedem eandem, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi vacet, aut specialiter vel generaliter reservatus, curatus, & litigiosus existat, ut præfertur, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis suis, ad prædictam Ecclesiam Brugensem similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ita quod Archidiaconus Brugensis pro tempore existens, post obitum prædicti moderni Archidiaconi in eadem Ecclesia Brugensi, prout olim in dicta Ecclesia Tornacensi, residere, ac jurisdictionem per universam Diœcesim Brugensem ad instar aliorum, qui nunc sunt in illa parte ejusdem Diœcesis, habere, illamque exercere debeat, transferimus.

Ac in eadem Ecclesia Brugensi unum Archipresbyteratum Civitatensem pro uno Archipresbytero Civitatensi, qui Curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum Verbi Dei, & Sacramentorum per Civitatem:

Et unam Pœnitentiariam Diœcesanam nuncupandas dignitates inibi, non tamen majores post Pontificales, pro uno Pœnitentiario Diœcesano nuncupandis, qui Curam Conscientiarum Populi per Diœcesim Brugensem habeant, perpetuò erigimus, & instituimus.

Nec non à Monasterio Sancti Bertini Audomarensis prædicti, vel alterius Ordinis, seu Mensa Abbatiali Bona, & proprietates sita in districtu Brugensi, ad Monasterium, seu Mensam Abbatialem hujusmodi legitimè pertinentia, quorum proventus annui, una cum fructibus, redditibus, & proventibus dicti Monasterii de Doest, residuum trium millium Ducatorum pro dote dictæ Mensæ Episcopalis Brugensis, supportatis oneribus, complere dicuntur, post cessum, vel decessum moderni Abbatis ejusdem Monasterii Sancti Bertini, similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, perpetuò segregamus, & dividimus.

Ac illa, nec non Domum, omniaque & singula alia, Proprietates, Bona, Jura, Jurisdictiones, Census, fructus, Redditus, & Proventus, & Emolumenta dictæ Præposituræ sic suppressæ, etiam ex

nunc, prout ex tunc, & è contra eidem Mensæ Episcopali Brugensi pro ejus dote, ita quod liceat Episcopo Brugensi, pro tempore existenti, illorum omnium corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus in suos, & dictæ Mensæ usus, & utilitatem convertere, ac de omnibus & singulis Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, Beneficiis & Officiis, cum Cura, & sine Cura, ad Collationem, provisionem, præsentationem, & quamcumque dispositionem præfati Præpositi, tam conjunctim, quàm divisim pertinentibus, liberè disponere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, perpetuò applicamus, & appropriamus.

Et ut Episcopus Brugensis pro tempore existens Ecclesiam suam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera obeunda idoneis debitè instructam, jugiterque decoratam habeat, perpetuò statuimus, & ordinamus, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis dictæ Ecclesiæ Brugensis, qui multi & pingues existunt, & ad Collationem Præpositi forsan pertinent, decem quos primò per cessum, vel decessum, etiam apud Sedem præfatam, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc vacent, ac devoluti, affecti, sacerdotales & litigiosi existant, ut præfertur, ita perpetuò affecti remaneant, quod idem Episcopus unum, & unam omnium primò vacaturos, tamquam Mensæ suæ Episcopali perpetuò unitos (& quos nos similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, ipsi Mensæ perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus) obtinere, illorumque ratione Capitularis esse, vocemque, & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum, & Canonicos habere.

Reliqui verò novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti, tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, ac tribus aliis Nobilibus ejusdem Diœcesis, etiam in Jure, vel Theologia, saltem gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii generalis, secundum tenorem primodictarum litterarum promotis, òrdine præmisso servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex Priores tam Nobiles, quàm alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli ratione suarum Præbendarum consilium & operam in negocio Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore occurrentibus, quoties ab Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim, præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquus ex dictis Graduatis, Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmodi ad nominationem dicti Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictos, simili ordine consequi debeant.

Ut autem de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per prædictum Episcopum duntaxat, & deindè quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione Suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tunc iteratum ad hoc Episcopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & ipsam Sedem Apostolicam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, seu contemplatione, aut intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur, nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi, de illis provideri, aut aliàs quoquomodo disponi possit; sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullâque causâ infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis, Magister, seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus Seniores, ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi per universam Diœcesim Brugensem prædictam, quoties ab Episcopo Brugensi, cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personalem residentiam facturum mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam ipsa hæreticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant. Et omnes Proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeant, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico quacumque causa impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatensis, extra verò eam, & in Diœcesi Brugensi existentes, sub suis Decanatibus, seu Archipresbyteratibus, aut aliis jurisdictionibus, prout hactenùs remaneant, vel meliori modo arbitrio Episcopi distribui, ipsorumque Decanatuum, seu Archipresbyteratuum Decani, & Archipresbyteri, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hactenus percipi solita percipere possint.

Districtiùs inhibentes Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, nec non Conventibus, Superioribus & personis, illique vel illis, ad quem, seu quos Præposituræ, & Archidiaconatus, ac decem Canonicatuum, & Præbendarum assertorum prædictorum collatio, provisio, præsentatio, & alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, nec non quibuscumque aliis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, & conditionis existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub Excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, nec non privationis omnium dignitatum, personatuum, administrationum, & officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ne de illis si vacent, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliàs disponere, seu præmissorum effectus, & exequutionem in aliquo quantumlibet mo-

dico

dico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquo modo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omninò acquisitum esse, & super his Beneficio Regularum, de non tollendo jure quæsito, ac annali, & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & plenariè gaudere, ac decem Canonicatus, & decem Præbendæ affecti prædicti, per quoscunque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata prædicta, expectativarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non posse, & nihilominùs quascumque acceptationes, collationes, commendas, uniones, etiam perpetuas, & alias dispositiones de eisdem, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet factas, & faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessiones, assignationes, dismembrationem, separationem, translationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, & cætera præmissa, ac præsentes litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censeri, & sub quibuscunque revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus, etiam unionum, suppressionum, applicationum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi Apostolatus Apicem, quàm aliàs quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, minimè includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restituta, & de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore, ac easdem præsentes litteras nullo unquam tempore de subreptionis, & nullitatis vitio, sive intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus vel controversiam, quacunque ratione vel causa, vocari posse.

Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores & Cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris, Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Camerino, ac dilecto Filio Archidiacono Ecclesiæ Brugensis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Brugensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant Auctoritate nostra Episcopum Brugensem, & alios præfatos, concessione, assignatione, translatione, erectione, unione, annexione, incorporatione, & applicatione, ac litteris, & aliis in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, non permittentes illos, per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis processibus censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate priori, & aliis præmissis, & nostris de valore, tam in impetrationibus, quàm aliis gratiis, etiam motu simili factis exprimendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam reservatoriis, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam revocatoriis & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis, nec non Monasteriorum, & Ordinum, ac Ecclesiarum, & Collegiorum, ac locorum prædictorum, cum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, etiam in Canonicos Creationibus, aliisque unionibus, etiam perpetuis, absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus & regressus facultatibus, mandatis, litteris, & concessionibus, quibuscunque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatis domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, & cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu ac scientia similibus, & aliàs quomodocumque concessis, quas, & quæ illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omnia omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Nec non privilegiis, indultis, & Litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam Generalis Legis, ac statuti perpetui, nec non initi & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac eorum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia & multa sint, quæ sub clausula implicitæ derogationis latissimè extendenda in supplicatione

appoſita non intelligantur, aut aliàs comprehendantur, nihilominùs in genere, & in ſpecie ad effectum ſufficientis derogationis eorum, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Dignitatibus, ac Canonicatibus & Præbendis ipſarum Eccleſiarum ſpeciales, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſequuta quæcumque, ad Præpoſituram, & Archidiaconatum, ac Canonicatus, & Præbendas hujuſmodi volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſequutionem Dignitatum, ac Canonicatuum, & Præbendarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut ſi pro tempore exiſtenti Epiſcopo, & dilectis Filiis Capitulo Brugenſi, vel quibusvis aliis communiter vel diviſim ab eadem Sede ſit indultum, aut in futurum indulgeri contigerit, quoad receptionem, vel proviſionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ conceſſionis, aſſignationis, ſuppreſſionis, extinctionis, translationis, erectionis, inſtitutionis, ſegregationis, diviſionis, applicationis, appropriationis, ſtatuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, decreti, mandati, ſuſpenſionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, quinto Idus Martii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Erat ſignatum,

Cæ. Glorieux.

Et ſuper plicam,

A. de Alexiis.

XII. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. 2. pag. 1066.

Eccleſiam S. Bavonis Gandavi, quæ anno 1536. facta fuerat Collegiata, ſuppreſſo Cœnobio Monachorum Ordinis S. Benedicti, erigit in Cathedralem, ibique novum inſtituit Epiſcopum Suffraganeum Archiepiſcopatus Mechlinienſis, cui annectit Dignitatem Abbatis Sæcularis, ſeu Præpoſituram ejuſdem Eccleſiæ: anno 1560.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

REgimini Univerſalis Eccleſiæ diſponente Domino præſidentes, pro Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Cathedralium noviter erectarum, illiſque præſidentium, & in Divinis ſervientium, ſtatu ſalubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Paſtoralis Officii tenemur, ſolitæ conſiderationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Eccleſiarum ipſarum dotationi, decori & honeſtati, ſuorumque Præſulum, Capitulorum, & aliarum Perſonarum Divinis ibi laudibus inſiſtentium ſtatui, & opportunæ ſubventioni cum Divini Cultus augmento, & animarum Chriſtifidelium ſalute conſulitur, noſtræ ſolicitudinis partes libenter adhibemus, & aliàs ſuper his, & nonnulla, quæ à Prædeceſſoribus noſtris licèt conſultò geſta fuerint, ex ſaniori tamen conſilio prudenter immutando diſponimus, prout locorum, temporum, perſonarumque qualitas exigit, & ipſarum Eccleſiarum utilitas perſuadet, & in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

Cum itaque aliàs poſtquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædeceſſor noſter, providi Paſtoris more conſiderans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico, hæreditario jure etiam tunc ſubjecta erat, pro tanta celeberrimorum oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeò paucas Eccleſias Cathedrales habeat, ut illarum Epiſcopi, eâ quâ opus erat, diligentiâ tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque nonnullis eorum hoc erat difficilius, quod Diœceſani ſui vulgari idiomate, inſtitutiſque differebant, & quidam eorum ejuſmodi privilegia habebant, ut ipſos ad Sedem Epiſcopalem non liceret evocare, ita ut nec Fidei Doctrinâ, & piè vivendi præceptis commodè inſtrui, nec ſi qui deliquiſſent, facile corrigi ab Epiſcopis ſuis poſſent, ac ob aſſiduas hæreticorum, & ſchiſmaticorum, à quibus eadem Regio omni ferè ex parte cincta erat, inſidias, peſtiferaſque doctrinas illic Fides Catholica, & animarum ſalus in maximo diſcrimine verſabatur.

His, aliiſque gravibus cauſis impulſus, volens etiam ipſius *Philippi* Regis, hoc illi ſupplicantis precibus, pioque deſiderio ſatisfacere, habita, ſicut rei magnitudo poſtulabat cum Fratribus ſuis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum Conſilio, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Cameracenſem Civitatem, & Diœceſim à Remenſi Provincia, cui tunc erat Metropolitico Jure ſubjecta:

Ac Gandavenſe olim Tornacenſis Diœceſis, & diverſa alia tunc expreſſa Oppida inſignia dictæ regionis cum omnibus, & ſingulis ſuis terminis, Territoriis, Clericis, Populis, Perſonis, Monaſteriis, Beneficiis Eccleſiaſticis cum Cura, & ſine Cura, Sæcularibus, quorumvis Ordinum Regularibus, & aliis piis Locis, à ſuis quodlibet Diœceſi, & Provincia perpetuò ſegregaverat, diviſerat, & ſeparaverat.

Ac Gandavenſe, & reliqua Oppida prædicta ſic diviſa in Civitates; Sedem verò Cameracenſem tunc Epiſcopalem in Metropolitanam, ac olim Collegiatam Sancti Bavonis Gandavenſis, certaſque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Eccleſias in Cathedrales pro totidem Epiſcopis creandis, qui ſuæ quiſque Eccleſiæ præeſſent:

Ac Gandavenſi, aliiſque Eccleſiis, & Civitatibus præfatis certos diſtrictus, per Nuntium ſuum poſtmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro ſua Diœceſi perpetuò conceſſerat.

Nec non Gandavenſem prædictam, & certas alias tunc expreſſas Eccleſias, Civitates, & Diœceſes Eccleſiæ Mechlinienſi hujuſmodi pro ſua Provincia ſubjecerat.

Singuliſque Gandavenſis, & aliarum noviter erectarum Cathedralium Eccleſiarum Menſis Epiſcopalibus, annuum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis per dictum Nuntium ſpecificandis, & repartiendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, poſtquam ſpecificati, & repartiti, ac interim donec ſpecificatio, & repartitio hujuſmodi factæ, & effectum ſortitæ forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Menſis pro earum dote alium annuum

redditum

redditum mille & quingentorum Ducatorum similium per ipsum *Philippum* Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, Gandavensi, aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio, & repartitio præfatæ factæ essent, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionabiliter persolvendum perpetuò applicaverat, & appropriaverat.

Ac eidem *Philippo* Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias tunc expressis modo, & forma qualificatas ad Gandavensem, & alias Cathedrales Ecclesias sic erectas, tam à primæva illarum erectione hujusmodi, quàm quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio, dederat in Mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias, & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis *Granvellanus* nuncupatus, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes viri, quos ad id ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu Mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari possent.

Facta nihilominus perquam diligenti rerum indagine, & omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quòd si passim de dotibus Ecclesiarum hujusmodi per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris prædictis provideretur, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, quin potius ipsa Monasteria, & Præposituras, vel eorum aliqua Mensis prædictis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, esse unienda.

Ac designationes, & Limitationes Provinciarum, & Diœcesium, divisionesque, & distributiones Oppidorum, & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium, commodiores illis, quæ per primodictas Litteras statuebantur, fore prævidentes, idcircò assignationes dotium, numerumque Personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Officiorum, & Beneficiorum in eisdem Ecclesiis, statum etiam, & formam per hujusmodi suppressiones, & applicationes, aliàsque in universum accommodas rationes habendas censuerunt, ac eidem Ecclesiæ, & pro tempore existenti Episcopo Gandavensi, pro sua Diœcesi Oppida, Castra, Pagos, & Loca infrascripta videlicet.

Gandavum, Teneramundam, Oudennardum, Hulst, Tielt, Axellam, Desseldonck, Loo-Christi Mendonck, Saffelaere &c. cum suis districtibus, & Territoriis assignanda esse censuerunt, ac super majori illorum parte Processus, rebus omnibus seriè digestis, formandos curaverunt, prout in illis ac singulis Litteris prædictis, ac forsan aliis scripturis desuper confectis pleniùs continetur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, & quod litteræ reservationis, vel assignationis, & motu proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri non possent, nisi de consensu illius, qui pensionem hujusmodi persolvere tunc haberet, partitionem, & ordinationem per eosdem Subdelegatos, quantum ad Ecclesiam, Civitatem, vel Diœcesim Gandavensem attinet, accuratè perspectas, prudenter examinatas, & in scriptis concorditer digestas fuisse attendentes.

Ac partitionis, & ordinationis Subdelegatorum hujusmodi, scripturarumque desuper confectarum, & inde secutorum tenores, & numerum Canonicatuum, & Præbendarum ipsius Ecclesiæ Gandavensis, eorumque singulorum fructuum, redditum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem, & divisionem, aliaque præmissa quoad Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim Gandavensem, sicut præmittitur, gesta, rata, & grata habentes, ac Apostolicæ confirmationis robore harum serie munientes, omnesque Juris, & facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplentes, ac illis in hac parte inhærentes.

Litterasque dicti Prædecessoris quoad illa, cæteraque infrascripta ab eisdem Litteris discrepantia duntaxat permutantes, & pium, & laudabile dicti Prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum eidem Mensæ Gandavensi de congrua dote providere volentes.

Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine in Præpositura Ecclesiæ, olim ex Monasterio Sancti Joannis, vel Sancti Bavonis, Sancti Benedicti, vel alterius Ordinis, Ordine ipso, utriusque statu Regulari, ac etiam dignitate Abbatiali, post dilectorum Filiorum moderni Abbatis, & illius Coadjutoris decessum ibi suppressis, in Sæcularem, & Collegiatam redactæ, & deinde in Cathedralem, ut præmittitur, erectæ, dignitate ex ipsa Abbatia sic suppressa olim inibi principali, cujus & illi forsan annexorum fructus, redditus, & proventus trium millium Ducatorum auri similium secundum communem æstimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt.

Cum primum illam per cessum, etiam ex Causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem ipsorum modernorum Abbatis, & ejus in olim Abbatialis dignitatis, nunc verò Præpositutæ hujusmodi regimine, & administratione Coadjutoris, aut aliàs quomodolibet, etiam apud Sedem Apostolicam, vacare contigerit, & si actu nunc, ut præfertur, vel aliàs vacet, ac tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipsaque Præpositura dispositioni Apostolicæ specialiter, vel quia dignitas principalis est, ut præfertur, aut aliàs generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique Cura, & jurisdictio immineat animarum, ac super ea inter aliquos Lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, nomen tantum, & denominationem Præpositutæ dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus.

Illiusque, & annexorum eorumdem fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, & Bona quæcumque quovis nomine nuncupata, unà cum ejus præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, & administrationibus universis dictæ Mensæ Episcopali Gandavensi, ita quod hujusmodi vacatione occurrente liceat Episcopo Gandavensi, pro tempore existenti, per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, fructuum, redditum, jurium, obventionum, emolumentorum, & aliorum Bonorum Præpositutæ hujusmodi propria auctoritate liberè apprehendere, & retinere, illaque percipere, exigere, & levare, ac in suos, & dictæ Mensæ usus, & utilitatem convertere.

Nec non omnia, & singula Prioratus, Præposituras, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates,

Personatus, Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura, Sæcularia & quorumvis Ordinum Regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem olim Abbatis Monasterii, & nunc Præpositi Ecclesiæ Sancti Bavonis hujusmodi communiter vel divisim quomodolibet spectantia, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare, & eligere, & præsentatas, vel electas instituere, & confirmare, aliàsque de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorumdem Monasterii Abbas, & Ecclesiæ Præpositus hactenùs facere, & exequi potuit, & debuit, facere, & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, dictâ Apostolicâ Auctoritate ei perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non suppressionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, & alia præmissa sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel derogationibus similium, vel dissimilium suppressionum, extinctionum, applicationum, & appropriationum, aliarumque universarum per Nos, & Sedem prædictam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis minimè comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari, aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas, & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehendantur, ex nunc verè, & non fictè plenarium, & integrum effectum sortitas, suppressionemque, & extinctionem, applicationem, & appropriationem præfatas de non vacatura, sed de vacante Præpositura hujusmodi factas, per illas ex nunc eisdem Mensæ Episcopali, & Episcopo Gandavensi pro tempore existenti Jus in re verè, & non fictè quæsitum existere, ac præsentium litterarum, suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus, & restitutionibus haberi, & censeri decernimus.

Nec non dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ Sancti Bavonis hujusmodi, aliisque quibusvis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem, seu postulationem in Præpositum dictæ Ecclesiæ, cum Præpositura ipsa vacabit, etiamsi nunc vacet, ut præfertur, procedere, vel aliud in præmissis, vel eorum aliquo quoquo modo attentare, aut illis refragari præsumant, districtiùs inhibemus.

Et nihilominus quascumque electiones, seu Postulationes hujusmodi, earumque confirmationes, vel admissiones, nec non privationes, præfectiones, commendas, quas de cætero etiam per Sedem prædictam de dicta Præpositura quomodocumque fieri contigerit, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore decernimus.

Ut autem idem Episcopus Gandavensis suam Ecclesiam Personis, ut insignem decet Cathedralem, circumspectis, & eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debitè instructam habeat, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis ipsius Ecclesiæ decem Canonicatus, & totidem Præbendæ, quinque videlicet ex Præpositurae, nempe sinistri, & reliqui quinque ex Regis, seu dextri lateris partibus ejusdem Ecclesiæ, quos primo loco, postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo Canonicè provisum fuerit, per cessum, & ex Causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem quorumlibet decem Canonicorum ejusden Ecclesiæ, aut aliàs vacare contigerit, vel etiamsi actu nunc quovis modo vacent, ac devoluti, & litigiosi sint, ut præfertur, unus, & una vacantia Episcopo, ratione quorum sit Capitulariis, ita quod habeat locum, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos Confratres suos etiam in Capitulo; Ac tres alii tribus Magistris, aut Licentiatis in Theologia, & tres aliis tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, & reliqui tres Canonicatus, & totidem Præbendæ hujusmodi tribus Nobilibus ejusdem Diœcesis, etiam in Jure, vel Theologia saltem in gradum Licentiaturæ in famosa quapiam Universitate Studii generalis cum rigoroso examine promotis, ordine servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque dictæ Ecclesiæ Archidiaconatus unum & unam ex sex prioribus Canonicatibus, & Præbendis perpetuò habeat, & percipiat, ipsiusque Ecclesiæ Canonicus existat, & ad illos quinque priores tam Nobiles, quàm non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint: Ac Archidiaconus ipse post tamen moderni, seu modernorum ejusdem Ecclesiæ Archidiaconorum cessum, vel decessum, plenariam jurisdictionem Archidiaconalem in universa Diœcesi Gandavensi, quàm cæteri Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi de jure, vel consuetudine habent, & habere debent, habeat; Unus vero sit Archipresbyter Civitatensis nuncupandus, qui specialem Pastorum, seu Rectorum Parochianorum, & Concionatorum in eadem Civitate Curam habeat; alius autem ex tribus prioribus Canonicis Doctoribus, Pœnitentiarius Diœcesanus existat, qui conscientiarum populi per universam Diœcesim Gandavensem curam habeat.

Præterea apud alios duos Doctores, vel Licentiatos Seniores, unum videlicet Theologiæ Professorem, alterum verò Jurisperitum potestatem totam Diœcesim Gandavensem, ipsius Episcopi vice, vel quoties ipse id eis mandaverit visitandi: Quibus etiam reliqui Graduati, quoties ad id requisiti fuerint, assistere debeant:

Apud Archidiaconum verò, & tres alios ex Graduatis hujusmodi, duos videlicet Theologos, & unum Jurisperitum prædictos, Clericos ad Sacros Ordines promovendi & Rectores Parochianos quacumque auctoritate provisos, ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi, potestas permaneat: Ita ut ipsi nullos nisi idoneos, & quantum ad animarum curam pertinet, quòd personalem facient residentiam, expressè juratos admittere valeant.

Ac ut in universa Diœcesi prædicta tot Archipresbyteri, vel Decani rurales deputentur, quot esse conveniet, & illi, qui nunc sunt in officio suo cum solitis emolumentis, salva tamen ipsius Episcopi moderatione, remaneant.

Ac tam Archidiaconus, Archipresbyter, & Pœnitentiarius, quàm reliqui septem Canonici, ratione suarum Præbendarum hujusmodi Consilium, & operam in negociis Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quando, & quoties ab eodem Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim, fideliter præstare teneantur, eisdem auctoritate & tenore perpetuò statuimus, & ordinamus.

Et si eidem Episcopo videbitur, ex nunc Archidiaconatum, Archipresbyteratum, & Pœnitentiariam in dicta Ecclesia, in dignitates in ipsa Gandavensi Ecclesia, non tamen post Pontificalem majores, & seu Personatus, cum solitis eorum privilegiis, & prærogativis, juribusque, & pertinentiis eisdem auctoritate, & tenore perpetuò erigimus, & instituimus.

Et

Et insuper ut idem Gandavensis Episcopus in dicta sua Civitate, quæ Caput Flandriæ existens amplitudine, celebritateque nulli partium illarum Civitati cedere dignoscitur, unde statum suum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam commodiùs sustentet, habeat, eidem Mensæ unam mille ab omni decima, Subsidio, & alio quovis ordinario, & extraordinario onere, ex quavis causa, etiam pro Civitate Sancta, & defensione Patriæ pro tempore impositis, liberam, immunem, & exemptam:

Nec non Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, reliquisque septem Canonicis præfatis, pro tempore existentibus aliam quingentorum Ducatorum similium, eorum singulis, videlicet quinquaginta Ducatorum pensiones annuas, & perpetuas, super fundis, & decimis, cæterisque fructibus, redditibusque, & proventibus Monasterii Sancti Petri Gandavensis, ejusdem Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis, quorum medietatem pensionis hujusmodi insimul, ut etiam jam accepimus, non excedunt, Episcopo, seu Præsuli Gandavensi, ac Archidiacono, Archipresbytero, & Pœnitentiario, reliquisque septem Canonicis præfatis pro tempore existentibus, vel Procuratoribus suis ad id ab eis speciale mandatum habentibus respectivè, per dilecti Filii moderni Abbatis ejusdem Monasterii Sancti Petri Successores, Monasterium ipsum in totum, vel Commendam pro tempore obtinentes, annis singulis, pro una videlicet in Domini nostri JESU proximi, ab obitu ipsius moderni Abbatis proximè sequente incipiendo, & alterâ medietatibus pensionum hujusmodi in Sancti Joannis Baptistæ nativitatum Festivitatibus in Civitate Gandavensi, Litteris præsentibus pro tempore existenti Abbati Monasterii Sancti Petri hujusmodi intimatis, integrè persolvendas, & quoad ipsam pensionem mille Ducatorum per eundem Episcopum, etiam una cum ipsa Ecclesia Gandavensi percipiendam, auctoritate, & tenore præmissis perpetuò reservamus, constituimus, & assignamus.

Decernentes ipsius moderni Abbatis Successores prædictos ad integram solutionem pensionum hujusmodi Episcopo, seu Præsuli Gandavensi, ac Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, & reliquis septem Canonicis pro tempore existentibus prædictis faciendam, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum tenorem, efficaciter, & perpetuò obligatos fore; Ac volentes, & eadem auctoritate statuentes, quòd ille ex Successoribus prædictis, qui in dictis Festivitatibus, vel saltem infrà triginta dies illarum singulas immediatè sequentes, pensiones hujusmodi per eum tunc debitas non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat, à qua, donec Episcopo, vel Præsuli Gandavensi, ac Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, & reliquis septem Canonicis, vel eorum Procuratoribus præfatis de pensionibus hujusmodi tunc debitis respectivè integrè satisfactum, aut aliàs eum ipsis super eo amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere.

Si verò sex menses dictos triginta dies immediatè sequentes sententiam ipsam animo, quòd absit, sustinuerit indurato, ex tunc, effluxis ipsis, regimine, & administratione dicti Monasterii Sancti Petri perpetuò privatus existat, ipsumque Monasterium vacare censeatur eo ipso.

Et ut de Viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi decem Canonicatus, & totidem Præbendæ hac prima vice per Episcopum duntaxat, qui illos eisdem Graduatis, & Nobilibus alternatis vicibus conferat, & deinde illi, quoties eos futuris temporibus vacare contigerit, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum omninò pertinentes, per eos conferantur; Ita quod in hujusmodi electione Suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum eorumdem habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo in casu tunc iteratum Episcopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac iidem decem Canonicatus, & decem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectationibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, deputationibus, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis, vel aliis precibus, & aliis præventivis gratiis per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & dictam Sedem, vel ejus Legatos, & consideratione, contemplatione, intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque Causa, quamtumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, & ex causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut aliàs quomodolibet disponi possit.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malitia Viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patiuntur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab eadem Ecclesia, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, ipsique fructus eidem Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solum, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel privilegio Apostolico quacumque causa impetrato vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Jus omne decem Canonicatus, & decem Præbendas prædictos conferendi, & de illis disponendi, vel alios eligendi, seu nominandi ab Episcopo, & seu Præposito & Capitulo prædictis, nec non Civitatem, & Diœcesim Gandavensem prædictas, ac omnia, & singula, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, & alia pia loca in illis consistentia, nec non Jus illa conferendi, & de illis providendi, ac aliàs quomodolibet disponendi, nec non visitandi, corrigendi, puniendi, aliaque jura, fructus, redditus proventus, res, & Bona quæcumque per quoscumque Archiepiscopos, & Episcopos in eisdem Civitate, & Diœcesi Gandavensi ordinario Jure haberi, & percipi solita, ab illis, eorumque Diœcesi, & Mensis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, ita quòd ipsi se deinceps in illis aliquatenùs intromittere, ullamve actionem prætendere nequeant, aliisque ad quos spectat, post promotionem primi Episcopi Gandavensis hujusmodi, perpetuò auferentes, & amoventes, ac Jus decem Canonicatuum, & Præbendarum conferendarum in præmissum electionis modum immutantes, ac ad Episcopum, & novem Canonicos Graduatos præfatos, reliqua verò abdicata, & amota præmissa ad eosdem Episcopum Gandavensem, ejusque mensam transferentes, ac abdicata, amota, immutata, & translata esse, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis Causa, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpre-

tandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Atrebatensi, & Feltrensi Episcopis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium seu alios præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Pœnitentiarii, Canonicorum, & aliorum prædictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, suppressione, extinctione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, aliisque præmissis pacificè frui, & gaudere, ac easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque firmiter observari, nec non pensiones prædictas Episcopo, vel Præsuli Gandavensi, ac Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, & aliis septem Canonicis respectivè, vel eorum Procuratoribus prædictis, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis, ac decreti prædictorum continentiam, & tenorem integrè persolvi.

Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri, aut inquietari, & nihilominùs, ut quemlibet ex Abbatis Monasterii Sancti Petri Successoribus prædictis, hujusmodi excommunicationis sententiam eis incurrisse constet, quoties super hoc pro parte Episcopi, sive Præsulis, ac Archidiaconi, Archipresbyteri Pœnitentiarii, & Canonicorum prædictorum fuerint requisiti, tamdiù Dominicis, & aliis festivis diebus, in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum publicè nuncient, & faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus arctiùs evitari, donec Episcopo, seu Præsuli, ac Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, & Canonicis præfatis de pensionibus hujusmodi tunc debitis respectivè fuerit integrè satisfactum, ipseque excommunicatus ab excommunicationis sententia hujusmodi absolutionis Beneficium meruerit obtinere.

Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præsentibus non parentes quoad reliqua præmissa, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, ita quòd Beneficia, & Officia hujusmodi tanquam per privationem legitimè & Canonicè factam vacantia ab aliis impetrari, & per locorum Ordinarios liberè conferri possint, aliasque Sententias, Censuras, & Pœnas tam Ecclesiasticas, quàm pecuniarias arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his hujusmodi servatis processibus, Sententias, Censuras, & Pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus voluntate, ac Statuto, & ordinatione nostris prioribus, & aliis præmissis, ac alia nostra de non tollendo Jus quæsitum, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Prædecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolicâ deputati extra Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodò ultra tres dietas aliquis tenore præsentium ad Judicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Monasterii, Ordinis, & Ecclesiæ Gandavensis prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus.

Nec non concordatis dudum inter Sedem prædictam, & Nationem Germanicam desuper initis, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis Ecclesiæ, Monasterio, & Ordini prædictis, eorum Superioribus, Capitulo, Conventui, & Personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis Clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, & super electionibus faciendis, ac aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis.

Nec non quibusvis specialibus, & generalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, & in Canonicos creationibus, aliisque unionibus, & perpetuis absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, mandatis, indultis, & concessionibus quibusvis personis, cujuscumque Dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis Familiaribus, & continuis Commensalibus, ac Prælatis Domesticis, nec non Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis, quamtumlibet grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, ac cum quibusvis antelationibus, prærogativis, & decretis, etiam irritantibus, & clausulis derogatoriarum derogatoriis, etiam præsentibus derogantibus, etiam motu, & scientia similibus, ac aliàs quomodolibet concessis, quos, & quorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Illisque, nec non privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, Sedemque prædictam, etiam per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialibus, ac aliàs quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè motu simili derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliunde Dignitatibus Ecclesiæ Gandavensis Speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum

ejus

ejus Litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per eosdem, & inde sequuta quæcumque ad Præposituram hujusmodi volumus non extendi; Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si Abbati, & Conventui, ac Capitulo prædictis, vel quibusvis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad præsentationem, vel solutionem pensionis alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Dignitatibus Ecclesiæ Gandavensis hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim, vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, decreti, statuti, ordinationis, erectionis, institutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, voluntatis, abdicationis, amotionis, immutationis, translationis, mandati, suspensionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo primo, secundo Idus Augusti, Pontificatus nostri, anno secundo.

Sic Signatum à dextro latere Fed. Cardinalis Cæsius, à Sinistro Cæsar Glorierius, & inferius A. de Alexiis.

XIII. Ex Memoir. du Clergé de France, Tom. II. pag. 374.

Bulla PII Papæ IV. super Episcoporum residentia: an. 1560.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

De salute gregis Dominici, nobis ex alto commissi, attentiùs cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ grex ipse continua suorum cum eo residentia Pastorum præservetur à noxiis, & in devium prolabens ad rectitudinis tramitem reducatur, & ut Pastores ipsi residentiam ipsam, prout tenentur, commodiùs facere, ac circa ipsius gregis curam libentiùs ac ferventiùs invigilare, & illum ab errorum præcipitiis præservare, ac in fide orthodoxa & devotione nostra continere valeant, opem & operam efficaces impendimus, prout rerum & temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hinc est, quòd nos motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, universos, & singulos Venerabiles Fratres nostros Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas ab Ecclesiis & Diœcesibus suis absentes, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Ecclesiæ pœnâ, eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, districtè præcipiendo monemus, ut omnibus postpositis, quantò citius in Romanâ curiâ videlicet moram trahentes, intra unum: Extra eam verò in Italia, intra duos: Extra verò Italiam existentes, intra quatuor menses à die publicationis præsentium in locis infrascriptis faciendæ computandos se itineri committere, & legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Diœceses suas proficisci, & sese personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere, & Pastorale officium exercere debeant.

Si quis autem à Parochiali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, nomine seu jure commissa, quacumque illa dignitate, gradu & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu ipsis & rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, amissionis quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ & pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandorum, pœnam ipso jure incurrat.

Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat: Crescente verò contumacia, ut severiori Sacrorum Canonum censuræ subjiciatur, Metropolitani Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ipso jure incurrenda, infra tres menses per litteras, vel Nuntium Romano Pontifici denuntiare teneantur, qui in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis Auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. Eosdem autem Patriarchas, Primates, Archiepiscopos & Episcopos mandatis nostris parentes, & apud suas Ecclesias, seu in earum Diœcesi personaliter residentes, specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, ut liberiùs & commodiùs suo officio fungi valeant, eis, & eorum cuilibet, ut quandiu resederint, etiam prætextu quorumcumque delictorum, excessuum, etiam atrociorum, etiam hæresis & læsæ Majestatis criminum, per eos quomodolibet commissorum, ad comparendum personaliter in Romana Curia per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nisi vigore specialis commissionis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis signatæ trahi, aut citari non possint, nec debeant: Atque aliter factas citationes, & censuras in eis appositas, ac indè secuta quæcumque, nulla & irrita, ac nullius roboris, & momenti fore, ac eos minimè afficere, aut arctare statuimus, & ordinamus. Nec non eos & eorum quemlibet ab omnibus & singulis decimis, subsidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, per Nos & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ad Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam consistorialiter, etiam ad instantiam Regum & Principum quomodolibet, & ex quavis etiam, quamvis urgentissima, justissima, ac pia & necessaria causa, etiam pro defensione Fidei Catholicæ, ratione dictarum Ecclesiarum, tunc & pro tempore impositis, illorumque solutione, Auctoritate Apostolica tenore præsentium, & simili scientia penitus & omninò eximimus & liberamus: nec ad id à dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, nec non Cameræ Apostolicæ Thesaurario, Præsidentibus & Clericis, ac decimarum, subsidiorum & aliorum onerum hujusmodi collectoribus, & subcollectoribus, seu exactoribus & commissariis, ad id pro tempore deputatis, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, indultorum & litte-

rarum, etiam præsentibus derogantium, ac illarum totum tenorem de verbo ad verbum exprimentium, eis quomodolibet concessorum, & concedendorum, cogi, seu compelli, & ob non solutionem hujusmodi aliquas sententias, censuras & pœnas incurrere posse decernimus: illisque & quibusvis aliis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub nostræ indignationis, nec non Excommunicationis, aut suspensionis, ac privationis suorum Officiorum, & Beneficiorum, quæ obtinent, & pro tempore obtinebunt, eo ipso incurrendis pœnis, nec eosdem Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas sic in dictis Ecclesiis, vel earum Diœcœsi residentes, quandiu in illis resederint, ut præfertur, ad solutionem Decimarum, subsidiorum, & onerum præfatorum cogere, ac propter illorum non solutionem excommunicationis, aut alias sententias, censuras & pœnas promulgare quoquomodo audeant, seu præsumant, districtiùs inhibemus. Et insuper eisdem Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis, sicut præmittitur, residentibus, ultra privilegia & indulta eis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Sedem Apostolicam, & Generalia Concilia, & Cancellariæ Apostolicæ regulas concessa, quæ in suo robore permanere volumus, ut tanquam à dicta Sede delegati, in quibuscunque civilibus, criminalibus, vel mixtis causis, contra quoscunque Clericos, Sæculares, Regulares, ac etiam extra eorum Monasteria, seu Regularia loca degentes, Regulares quomodolibet exemptos, auctoritate nostra procedere, & causas ipsas cognoscere, fineque debito terminare, ac quidquid terminaverint, exequi & observari facere, ipsosque exemptos pro tempore delinquentes, juxta eorum excessus & delicta punire, corrigere, & omnem jurisdictionem in eos exercere, omniaque alia & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria & opportuna, quæ nosmetipsi facere, exercere, & exequi possumus, in omnibus & per omnia facere, exercere, & exequi liberè & licitè valeant, plenam & liberam licentiam ac facultatem, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus, decernentes ab eorum ordinationibus, interlocutionibus & decretis ante definitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, & ubi agetur de morum correctione, nullatenus etiam ad Nos & Sedem Apostolicam appellari posse. Et nihilominùs per appellationes quascunque contra præsentium tenorem quomodolibet interpositas, minimè causas devolvi, aut etiam per quasvis inhibitiones, etiam cum quibusvis censuris & pœnis, eis à quibusvis Judicibus ordinariis, vel delegatis forsan faciendas, illarum ulteriorem cognitionem & expeditionem, & ubi de morum correctione agetur, etiam legitimam executionem minimè impediri, aut censuris & pœnis hujusmodi ligari, aut irretiri censere. Sicque in præmissis omnibus & singulis, per quoscunque Metropolitanos, aut alios Judices, & Commissarios, etiam Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis aliter judicandi, & interpretandi, aut definiendi potestate, judicari, definiri, aut interpretari debere, nec non irritum & inane, quidquid secus à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Mandantes Venerabilibus Fratribus nostris Feltrensi, & Parisiensi, ac Ameriensi Episcopis per Apostolica Scripta motu simili, quatenus ipsi vel duo, aùt unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte eorumdem Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum, seu alicujus eorum desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eadem auctoritate nostra illos, & eorum singulos omnibus & singulis præmissis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos desuper per eosdem Camerarium, Thesaurarium, Præsidentes & Clericos, nec non Collectores, & Subcollectores, & Exactores, & Commissarios præfatos, seu quoscumque alios quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per similes censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit. auxilio brachii sæcularis.

Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, & aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis Cameræ præfatæ statutis, decretis, & declarationibus, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nec non privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam Mari magno, aut alias nuncupatis, conservatorum deputationibus, & eorum ac aliis inhibitionibus, quibus dicti Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ deferre minimè teneantur, sed illis rejectis, ac non obstantibus in dictis causis, ut præfertur, procedere, & illas jure debito terminare possint, ac Litteris Apostolicis eisdem Cameræ Camerario, Thesaurario, Præsidentibus & Clericis ac Collectoribus, & Subcollectoribus, Exactoribus & Commissariis, ac Exemtis, nec non Regibus & Principibus præfatis, ac dilectis Filiis Archipresbytero, & Capitulo Sancti Spiritus in Saxia de urbe, & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio & scientia similibus concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore mansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, & quæ adversus præmissa nemini suffragari posse volumus, contrariis quibuscumque. Aut si Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quia difficile foret præsentes litteras ad singula, in quibus forsan fides facienda foret, loca deferri, volumus, ac eadem auctoritate decernimus, quòd earum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, vel personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus Fides adhibeatur in judicio, & alibi, ubi opus fuerit, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Quodque publicatio præsentium cum dimissione Copiæ in valvis Basilicæ Principis Apostolorum & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ eosdem Prælatos, & eorum singulos etiam à dicta Curia absentes, sicut præfertur, monitos arctet & afficiat, perinde ac si præsentes litteræ eis ac eorum cuilibet personaliter intimatæ forent.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ monitionis, statuti, ordinationis, exemptionis, liberationis, inhibitionis, concessionis, indulti, derogationis, voluntatum & decretorum infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Pe-

tri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. Prid. Nonas Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Signatum, Cæ. Glorierius, & Barengus, Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, Indictione tertia, die vero XIII. Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Pii, divina providentia Papæ IV. anno primo, retroscriptæ litteræ affixæ, lectæ & publicatæ fuerunt Romæ in locis retroscriptis, dimissis ibidem copiis affixis, juxta illalum formam, & tenorem, per nos Jacobum Carram, & Bernardinum Andrentium, præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores. Antonius Clerici Magister Cursorum.

XIV. Ex Op. Diplom. Miræi Tom. I. p. 482.

Episcopatum Ruræmundensem in Gelria, Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeum erigit: anno 1561. eidem assignans Limites, & pro dote Præposituram Marsanensem, prope Mosæ-Trajectum, Præposituram Ecclesiæ Sancti Spiritus Ruræmundæ, & alia quædam Gelriæ Monasteria.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regimini Universalis Ecclesiæ disponente Domino præsidentes, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim noviter erectarum, illisque præsidentium statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoralis Officii tenemur, sollicitæ considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum impositarum dotationi, decori, venustati, suorumque Præsulum, Capitulorum, & aliarum personarum Divinis ibi Laudibus insistentium opportunæ subventioni, cum Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, ac aliàs super his etiam nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris, licèt consultè gesta fuerint, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque aliàs postquam felicis recordationis Paulus PP. Quartus, Prædecessor noster, ut providi Pastoris debitum exigebat, in ea inferioris Germaniæ parte, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure subjecta est, pro tanta celeberrimorum, quæ illic existunt, oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeò paucas Ecclesias Cathedrales inesse considerans, ut illarum Episcopi eâ, quâ opus erat, diligentiâ tantam animarum multitudinem regere non possent.

Idque quibusdam eò difficilius esse, quòd homines sui Diœcesani vulgari idiomate institutisque differebant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Episcopalem Sedem evocare non liceret, undè præfati Episcopi, nec Fidei Catholicæ doctrinam, ac rectam vivendi rationem populos suos docere, nec in delinquentes animadvertere commodè quibant, Fidesque & animarum salus ibidem ob multiplices hæreticorum, & schismaticorum, quibus ipsa Regio undique ferè circumdata erat, insidias, pestiferasque doctrinas maximo in discrimine versabatur.

His aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam prædicti Philippi Regis hoc illi humiliter supplicantis precibus, pioque desiderio in ea parte satisfacere, habita, sicut tanta res postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, matura deliberatione, de eorum consilio, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine Mechliniense, & quod in Ducatu Geldriæ, & Diœcesi Leodiensi consistebat, Ruremundense, ac diversa alia tunc expressa oppida insignia dictæ Regionis, cum omnibus & singulis conterminis, Territoriis, Cleris, Populis, Personis, Monasteriis, & Beneficiis Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, aliisque piis locis, à suis quodque Diœcesi & Provincia perpetuò segregaverat, diviserat, & separaverat.

Ac Mechliniense, Ruremundense, reliquaque oppida prædicta sic divisa in Civitates, Sedem verò Mechliniensem in Metropolitanam, ac Collegiatam Sancti Spiritus Ruremundensem, cæterasque alias aliorum oppidorum in Civitates erectorum hujusmodi Ecclesias in Cathedrales pro totidem Episcopis erectas, qui suis quique præessent Ecclesiis, ac Ruremundensi, aliisque Ecclesiis, & Civitatibus præfatis certos districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diœcesi perpetuò concesserat.

Nec non Ruremundensem, & certas alias tunc expressas Ecclesias, Civitates & Diœceses dictæ Ecclesiæ Mechliniensi pro sua Provincia subjecerat, singulisque Ruremundensis, & aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalibus annuum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis, & repartiendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, ac effectum sortitæ forent, & non ultra;

Cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annuum redditum mille, & quingentorum Ducatorum similium per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, cuilibet ex Ruremundensi, aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, annis singulis, quousque specificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionaliter persolvendum, perpetuò applicaverat, & appropriaverat.

Ac eidem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias tunc certis expressis modo, & forma qualificatas ad Ruremundensem, & alias Cathedrales Ecclesias sic erectas, tam à primæva illarum erectione hujusmodi, quàm quotiescumque illas pro tempore vacare contigerit; Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Episcopos ad nominationem hujusmodi nominandos in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio, dederat in mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, Prioratibus & Præposituris, sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputaret.

Dilectus Filius noster Antonius titulo Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis de Granvella nuncupatus, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari possent, facta nihilominùs per eos

quam diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis,

Animadvertentes, quod si passim de dotibus Ecclesiarum hujusmodi per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris præfatis provideretur, cultus monasticus non mediocriter læderetur, quin potiùs præstare nonnullos ex Præposituris, ac Prioratibus hujusmodi supprimi, illorumque fructus, redditus, & proventus Ruremundensi, aliisque tam Episcopalibus, quàm Capitularibus Mensis Ecclesiarum earumdem applicari, ac designationes & limitationes Provinciarum & Diœcesium, divisionesque, & distributiones oppidorum, & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis, quæ per primodictas litteras statuebantur, fore prævidentes.

Idcircò assignationes dotium, numerumque personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Officiorum, & Beneficiorum in iisdem Ecclesiis, statum & formam etiam per hujusmodi suppressiones, & applicationes, aliasque in universum accommodas rationes habendas, ac ipsam Ruremundensem Diœcesim ita partiendam, ut totum Geldriæ tractum à Flumine Wael, usque ad Eeck, Soesteren, & Opticht, Niestadt, Erchelens inclusivè, qui dividitur in duas partes dicti Ducatus Ruremundensis, & Nimmagensis, cum Comitatu de Horn, & Dominiis, seu Territoriis de Beckte, Thorela, Frantrenbergh, Civeta, & Postel cum oppidis, terris, castris, pagis, & locis sub eis consistentibus.

In quarta Ruremundensi Ruremunda, Venloo, Gelre, Stralen &c.

Eisdem Ecclesiæ, & Episcopo Ruremundensi pro sua Diœcesi assignanda esse censuerint, ac super majore illarum parte processus rebus omnibus seriò digestis formandos curaverint, prout in illis, ac singulis litteris prædictis, ac forsan aliis scripturis desuper confectis, pleniùs continetur.

Nos igitur, qui modum inter alium voluimus, quòd semper in Unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique partitionem, & ordinationem per eosdem Subdelegatos, quantum ad Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim Ruremundensem attinet, accuratè perspectas, prudenter examinatas, & in scriptis concorditer digestas fuisse attendentes, ac portionis, & ordinationis omnimodè Subdelegatorum hujusmodi, scripturarumque desuper confectarum, & inde sequutorum tenores, nec non fructuum, redditruum, & proventuum Mensæ Episcopalis, ac Decanatus, & Scholasteriæ, singulorumque Canonicatuum, & Præbendarum olim Sancti Spiritus Ecclesiæ hujusmodi veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem, & divisionem, aliaque præmissa quoad Ecclesiam, Civitatem & Diœcesim Ruremundensem, sicut præmittitur, gesta, rata, & grata habentes, ac eis Apostolicæ Confirmationis robur adjicientes, omnesque juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplentes, ac illis in hac parte inhærentes, litterasque dicti Prædecessoris quoad illa, cæteraque infrascripta ab eisdem litteris discrepantia duntaxat immutantes, & nihilominùs laudabile ejusdem Prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum tam Episcopali Mensæ, quàm etiam infrascriptis novem affectis Præbendis Ecclesiæ Ruremundensis prædictæ de congrua dote providere volentes.

Motu proprio, & ex certa scientia nostris, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, Monasterium Sancti Hieronymi Ruremundensis, Ordinis Sancti Augustini, nuper combustum, & nondum plenè reparatum, & dictæ Ecclesiæ Sancti Spiritus in Cathedralem Ruremundensem erectæ dignitatem inibi principalem, ac etiam forsan Conventualem Sancti Remigii Remensis in Mersen, Ordinis Sancti Benedicti, antea Leodiensis, nec non Sanctæ Ursulæ, & undecim millium Virginum in Kessel, antea Coloniensis, & Sancti Nicolai in Alevois, antea Trajectensis, nunc verò Ruremundensis Diœcesis, Præmonstratensis Ordinis, Conventu carentes Præposituras, ac qui Conventualis non est, cuique, ut asseritur, aliud onus, quàm unius Missæ in anno non incumbit, Prioratum Sancti Walrici Cistercienfis Ordinis ejusdem Diœcesis.

Quorum insimul, & in illis forsan respectivè annexorum fructus, redditus & proventus trium millium Ducatorum Auri de Camera secundum communem æstimationem valorem annuum, uti etiam accepimus, non excedunt; cum primùm illos per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamlibet aliam dimissionem, vel amissionem dilectorum Filiorum moderni Abbatis Monasterii, ac Præposituras, & Prioratum hujusmodi quovis modo obtinentium, aut aliàs quomodolibet, & apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, vel aliàs vacent, & tanto tempore vacaverint, quod Monasterii provisio, ac Prioratûs, & Præposituraum hujusmodi collatio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem præfatam legitimè devoluta, ac Prioratus, & Præposituræ præfati dispositioni Apostolicæ specialiter, vel quavis causa, etiam dispositione, exprimenda, generaliter reservati existant, & ad illos consueverint aliqui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, & de dicto Monasterio consistorialiter disponi consueverit, seu debeat.

Nec non in eisdem Monasterio, Præposituris, Regularibus, & Prioratu Dignitatem Abbatialem ac Ordines, omnemque Statum, & Dependentias Regulares, ex nunc prout ex tunc, & è contra, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus.

Et quoniam in Civitate Ruremunda prope dictam ejus Ecclesiam Cathedralem nullus est locus Episcopali Habitationi commodior, quàm fundus Monasterii præfati, fundum ipsum cum ædificiis in eo instauratis Episcopo Ruremundensi pro Domo Episcopali, & habitatione sua assignamus, ac Sancti Remigii, & Ecclesiæ Sancti Spiritus Præposituraum, & Prioratus Mensæ Episcopali, Monasterii verò, ac in Kessel, ac Sancti Nicolai Præposituraum prædictorum, illisque annexorum fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ac alia Bona quæcumque quovis nomine nuncupata, quadraginta quatuor Decanatui, ac tantundem, vel 100. Ducatorum Auri similium, quot ad constituendam infrascriptarum affectarum Præbendarum æquivalentiam necesse erit, portiones annuas exindè primitus assumendas Scholasteriæ dictæ Ecclesiæ Ruremundensis:

Reliqua verò novem Canonicatibus, & totidem Præbendis ejusdem Ecclesiæ, qui Canonicis Graduatis affecti erunt, ita quod ad Missarum, & Memoriarum Defunctorum Celebrationem, & manutentionem, ac eleëmosynarum in Monasterio, ac in Kessel, & Sancti Nicolai Præposituris prædictis fundatarum, & institutarum præstationem teneantur, illorumque & annexorum eorumdem fructus, redditus, & proventus, ac jura, obventiones, & emolumenta, & bona quæcumque quovis nomine nuncupata, una cum eorum præeminentiis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, & administrationibus universis.

Ita quod hujusmodi vacatione occurrente liceat Episcopo Ruremundensi, ac Decano Scholastico, & novem Graduatis Canonicis supradictis, pro tempore existentibus, per se vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, jurium, & pertinentiarum, ac fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, & aliorum Bonorum Monasterii, Præposituraum, & Prioratus prædictorum propria auctoritate liberè apprehendere, & retinere, illaque percipere, exigere, &

levare,

levare, ac in suos, & Episcopalis Mensæ, nec non Decanatus, Scholasticæ, & novem Canonicatuum, & Præbendarum usus, & utilitates convertere, nec non omnia & singula Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura, Secularia, etiam quorumvis Ordinum Regularia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem pro tempore existentium Præposituratum Præpositorum, & Prioratus Priorum Monasterii prædictorum, & Abbatis, communiter vel divisim, quomodolibet spectantia, personis idoneis respectivè conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare, vel eligere, ac præsentatas & electas instituere, ac confirmare, & alias de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorumdem Monasterii Abbates, Præposituratumque, & Prioratus Præpositi, & Prior hactenus exercuere, facere, & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, dicta auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Statuentes, quod dilecti Filii Canonici Regulares, & alii Religiosi Monasterii, & qui sint Præposituræ S. Remigii prædictorum, cum honesta, & sufficienti recompensa vitalis & annuæ pensionis ad alia sui Ordinis partium illarum Monasteria, quarum plurima Religiosis indigere noscuntur, aut Virginum Conventus, ut inibi Missas, & alia Divina Officia celebrent, vel etiam, si ad id sufficientes reperti fuerint, ad Curas Pastorales exercendas, juxta providam ipsius Episcopi Ordinationem transferantur, ac illac transferri debere, præsentesque litteras sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel derogationibus similium, vel dissimilium suppressionum, applicationum, & appropriationum per Nos, & Sedem præfatam, aut quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis, minimè comprehendi.

Sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari, aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas, & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehendantur, & nunc verè, & non fictè suum plenarium, & integrum effectum sortitas, applicationesque, & appropriationes de non vacaturorum, sed de vacantium Monasterii, Præposituraturum, & Prioratus fructibus, redditibus & proventibus hujusmodi factas, & per illas ex nunc Mensæ Episcopali, & Episcopo Ruremundensi, nec non Decano, Scholastico, & novem Graduatis Canonicis prædictis pro tempore existentibus jus in re quæsitum existere, ac earumdem litterarum suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones, pro novis illarum concessionibus, & restitutioribus haberi, & censeri decernimus.

Dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ, olim Sancti Spiritus, & Monasterii, & Præposituræ Sancti Remigii prædictorum Conventibus, aliisque quibusvis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub Excommunicationis majoris latæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem, seu postulationem in Monasterii Abbatem, aut Præpositos Ecclesiæ Ruremundensis, & Sancti Remigii Præposituratum hujusmodi, dum illa vacabunt, etiamsi nunc vacent, ut præfertur, procedere, vel aliud in præmissis, seu eorum aliquo quoquomodo attentare, aut illis refragare præsumant, districtiùs inhibentes, ac decernentes quascumque electiones, seu postulationes hujusmodi, earumque confirmationes, vel admissiones, nec non provisiones, prælationes, commendas, aliasque dispositiones, quas de cætero etiam per Sedem prædictam de dictis Monasterio, Præposituris, & Prioratu, quomodocumque fieri contigerit, nullas, & invalidas, nulliusque fore valoris, vel momenti.

Ut autem idem Episcopus Ruremundensis suam Ecclesiam Personis, ut insignem decet Cathedralem, circumspectis, & eruditis, ac ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam habeat, quod ex omnibus Canonicatibus & Præbendis ipsius Ecclesiæ, olim Sancti Spiritus, quorum numerum, ac singulorum illorum fructuum, reddituum, & proventuum, veros annuos valores haberi volumus pro expressis, decem Canonicatus, & totidem Præbendæ, quorum primo loco postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo canonicè provisum fuerit, per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem quorumlibet decem Canonicatuum ejusdem Ecclesiæ, aut aliàs vacare contigerit, unus, & una Episcopo præfato, qui illorum ratione sit Capitularis, ac locum, & vocem super Decanum, ac reliquos Canonicos ejusdem Ecclesiæ, etiam in Capitulo, habeat, ac alii, & aliæ tres tribus in Theologia, nec non alii, & aliæ aliis tribus in Decretorum Doctoribus, seu in eis Licentiatis, & reliqui, & reliquæ tres Canonicatus, & totidem Præbendæ reliquis tribus Nobilibus, etiam in Theologia, vel Decretis, vel saltem ad Gradum Licentiaturæ hujusmodi in famosa quapiam Universitate Studii generalis, cum rigore examinis promotis, ordine servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex, post Episcopi, priores tam Nobiles, quàm ignobiles, ut præfertur, tamen qualificati: ad reliquos verò tres Canonicatus & Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Prætereà quod in eadem Ecclesia sit unus Archidiaconus ex Graduatis ipsis juxta Episcopi designationem, post tamen dilecti, seu dilectorum Filiorum moderni, seu modernorum Ecclesiæ Leodiensis Archidiaconorum cessum, vel decessum, qui eam plenariam Jurisdictionem Archidiaconalem in universa Diœcesi Ruremundensi habeat, quam Metropolitanæ prædictæ, cæterique Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi, de jure, vel consuetudine habent, & habere debent.

Alius verò sit Archipresbyter Civitatensis nuncupandus, qui specialem Curam Pastorum, seu Rectorum Parochianorum, & Concionatorum in eadem Civitate habeat.

Alius autem ex tribus prioribus Canonicis Doctoribus, Pœnitentiarius Diœcesanus existat, qui conscientiarum Populi per universam Diœcesim Ruremundensem Curam specialiter habeat.

In ipsa Ecclesia Archidiaconatum, Archipresbyteratum, Scholastriam, & Pœnitentiariam in Dignitates inibi, non tamen post Poncificalem majores, quatenùs hactenùs erecti non sint, eisdem auctoritate & tenore erigentes, instituentes, & insuper quod apud alios duos Doctores, vel Licentiatos Seniores, unum verò Theologiæ Professorem, alterum verò Jurisperitum potestas totam Diœcesim Ruremundensem ipsius Episcopi loco, & quoties ipse id eis mandaverit, visitandi, quibus etiam reliqui Graduati, quotiescumque similiter requisiti fuerint, assistere debeant.

Apud tres verò ex præfatis Graduatis Viris duos Theologos, & unum Jurisperitum cum Archidiacono potestas Clericos ad Ordines Sacros promovendos, & Rectores Parochianos, quacumque etiam auctoritate provisos, ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi sit, & permaneat.

Ita quod ipsi nullos prorsùs, nisi idoneos, & quantum ad animarum Curam pertinet, quod personalem facient residentiam expresse juratos admitttere valeant, ac tam Archidiaconus, quàm Achipresbyter,

& Pœnitentiarius, quàm Scholasticus, & Canonici ratione Præbendarum suarum hujusmodi consilium, & operam in negociis Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, eidem Episcopo, quando, & quoties ad id ab eo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim, fideliter præstare teneantur.

Et ut de viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem ejusdem Ecclesiæ accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonicatus, & Præbendæ Graduatis affecti pro prima vice per ipsum Episcopum Viris Nobilibus, & Graduatis, alternatis vicibus, pleno Jure, etiam deinceps, quoties illos futuris temporibus vacare contigerit, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum superstitum, per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus ponderis, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo casu iteratum Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac decem Canonicatus, & decem Præbendæ Episcopo, & Graduatis affecti hujusmodi sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs disponendo, primariis precibus, aut aliis gratiis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, ad dictam Sedem, vel ejus Legatos, etiam consideratione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque Causa, quamtumlibet urgenti, pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione etiam per resignationem etiam ex Causa permutationis, etiam apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanos Pontifices, aut Sedem præfatam de illis provideri, aut aliàs quoquomodo disponi possit.

Et quoniam impia hæreticorum Studia, ac hujusce temporis malitia viros doctos ab Ecclesiis suis diutiùs abesse non patitur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab eadem Ecclesia, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, illosque Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis Causâ permanserint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel privilegio Apostolico, quacumque Causa impetrato, vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit, eisdem auctoritate, & tenore perpetuò statuimus, & ordinamus.

Jus omne decem Canonicatus, & decem Præbendas affectos præfatos conferendi, & de illis disponendi, vel ad illos eligendi, seu nominandi à Præpositio, & Capitulo Ecclesiæ Ruremundensis hujusmodi, nec non Civitatem, & Diœcesim Ruremundensem prædictas, omniaque, & singula, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, & alia pia loca in illis consistentia, visitandi, & Jus illa conferendi, & de illis providendi, ac aliàs quomodolibet disponendi, nec non personas corrigendi, aliaque Jura, fructus, redditus, proventus, res, & Bona quæcumque per quosvis Archiepiscopos, & Episcopos in eisdem Civitate, & Diœcesi Ruremundensi ordinario Jure haberi, & percipi solita, ab illis eorumque Diœcesibus, & Mensis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, & quibuscumque aliis, ita quod ipsi se deinceps in illis aliquatenùs intromittere, ullamque actionem prætendere nequeant, post promotionem primi Episcopi Ruremundensis hujusmodi perpetuò abdicantes, & amoventes, illudque in præmissum electionis modum immutantes, & ad Episcopum, & ejus Mensam, & novem Canonicos præfatos respectivè transferentes, & abdicata, amota, immutata, & translata esse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis Causa, & instantia, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac quidquid secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, ac Atrebatensi, & Antverpiensi Episcopis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi, ac Capituli Ruremundensis, nec non Archidiaconi, Archipresbyteri, Pœnitentiarii, Scholastici, singulorumque Canonicorum prædictorum, & aliorum quorum interest, & intererit quomodolibet in futurum, requisiti solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos omnes, & singulos confirmatione, approbatione, suppletione, suppressione, extinctione, applicatione, appropriatione, erectione, institutione, statuto, ordinatione, separatione, aliisque omnibus, & singulis præmissis pacificè frui, & gaudere, ac hujusmodi Litteras, & in eis contenta firmiter observari.

Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præsentibus non parentes, etiam per excommunicationes latæ sententiæ, ac privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum quorumcumque Sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, & inhabilitatis ad illa, aliaque in posterum obtinenda, ita quòd Beneficia, & Officia per contradictores obtenta tanquam per privationem legitimè, & canonicè factam vacent, ac ab aliis impetrari, & per Ordinarios Collatores liberè conferri possint, nec non pecuniarias pœnas arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, eadem auctoritate nostra, appellatione postpositâ, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando.

Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii sæcularis, non obstantibus voluntate nostra priori, & aliis præmissis, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis, fieri prohibentis, ac piæ memoriæ *Bonifacii Papæ Octavi*, etiam Prædecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodò non ultra tres dietas aliquis tenore præsentium ad Judicium trahatur, & nostra de non tollendo Jus quæsitum, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, Ordinationibus, ac Ecclesiæ, Monasterii, Præpositurae, Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac fundationibus, si quæ sint, nec non Concordatis dudum inter Sedem præfatam & Nationem Germanicam desuper initis, privilegiis quoque, Indultis,

& Lit-

& Litteris Apostolicis Ecclesiæ, Monasterio, Præposituris, & Ordinibus prædictis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam super electionibus faciendis, ac aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, unionibus & annexionibus, & incorporationibus, etiam similibus suppressionibus, extinctionibus, facultatibus, mandatis, indultis, & aliis gratiis quibusvis personis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de latere Legatis, etiam motu simili, seu Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, quæ, & quas illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad præmissa omninò suspendimus, & in præmissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse decernimus, ac tam eis, quàm statutis, consuetudinibus, concordatis, fundationibus, privilegiis, Indultis, & litteris prædictis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, & sufficienter suspensa, illisque derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de Præposituris, & Prioratibus hujusmodi specialem, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetravit, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque, ad Præposituras, & Prioratum suppressos præfatos volumus non extendi, sed nullum per hæc eis quoad assequutionem Præpositurarum, aut Prioratuum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si dilectis Filiis, Conventui, & Vasallis dicti Monasterii, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, assignationis, statuti, decreti, inhibitionis, erectionis, institutionis, ordinationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri, anno secundo.

Erat signatum Fed. Cardinalis Cesius Glorierius.
Adhuc inferius erat signatum A. M. de Alexiis.

Prioratum Bierbacensem juxta Lovanium, olim Ordinis Sancti Benedicti, sub Jurisdictione Abbatiæ S. Nicasii Remis, supprimit anno 1561. ejusque Bona annectit Sacræ Facultati Theologicæ in Academia Lovaniensi. XV. Ex Oper. Diplom. Miræi Tom. II. p. 1093.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quæ Litterarum Studia, ex quibus militantis Ecclesiæ Respublica gubernatur, divini nominis cultus protenditur, omnisque prosperitas humanæ conditionis augetur, ubique floreant, & augeantur, & personarum hujusmodi studiis insistentium commoditatibus consulatur; & ut personæ ipsæ aliquod subventionis auxilium suscipiant, & studia ipsa decentiùs manuteneri valeant, de congruæ provisionis subsidio solerter providemus, ac desuper disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Decani, & Magistrorum Collegii Facultatis Theologicæ Famosæ Universitatis Lovaniensis, Mechliniensis Diœcesis, petitio continebat, quòd cùm in amplissima, & populosissima inferioris Germaniæ Provincia nulla alia insignis Universitas Studii Generalis fundata sit, & illa vetus stipendiorum, sive portionum mediocritas, quæ Professoribus, & Studentibus in Theologia in dicta Universitate assignatur, ad fovendum, & alendum tot Scholares Theologicæ disciplinæ, quot præsentis Sæculi deplorata calamitas expostularet, neutiquam sufficiat, quin & pleraque ex ipsis portionibus plusquam expediret tenues sint.

Præsertim cum Theologiæ Studium diuturno, ac ærumnali labore transigatur, ut exinde solidus fructus reportetur, innumeri pauperes claræ indolis, & Magisterii gradum in artibus istis assequuti, ad altiora studia hujusmodi non provehantur, qui aliàs modico subsidio substentati in ipsa Theologia præstantissimi evaderent, ut inde laboriosè hausta salubri doctrinâ, jam undique invalescentibus Lutheri dogmatibus, cæterisque superstitionibus per universam Dei Ecclesiam conspersis sese fortiter opponere, pravasque Hæreticorum opiniones reprimere, & confutare, ac denique auctoritatem, & obedientiam Romani Pontificis pro tempore existentis adversus impios defendere possint.

Et licèt jam inde ab eo tempore, quo Monasterium Sancti Nicasii Remensis, Ordinis Sancti Benedicti, seu illius Abbas, & Conventus tunc Ecclesiam Sæcularem, & Collegiatam, nunc verò dicti Ordinis Regularem Prioratum Loci Bierbacensis Leodiensis Diœcesis, à tunc Dominis temporalibus, seu Feudatariis dicti Loci, ad quos Juspatronatus dictæ tunc Ecclesiæ spectabat, de consensu etiam tunc Ducum Lotharingiæ, & Brabantiæ, sub quorum ditione temporali dictus Locus consistebat, nec non tunc Episcopi, & dilectorum Filiorum Capituli Leodiensis, & Archidiaconi Brabantiæ in Ecclesia Leodiensi, pietatis intuitu donatum in eleemosynam, cum ea conditione, quod cedentibus, vel decedentibus sex Canonicis, qui tunc erant dictæ Ecclesiæ, Loco illorum totidem Monachi instituerentur, & de illorum Bonis sustentarentur, jure, & jurisdictione Episcopi, & dictæ Ecclesiæ Leodiensis, quàm ipse Episcopus in Monachos ipsius Ordinis dictæ Leodiensis Diœcesis habebat, ac etiam Parochiæ Bier-

bacensis, nec non Canonica etiam justitia, salvis remanentibus.

Quodque Rector, seu Vicarius Ecclesiæ Prioratus hujusmodi, quæ etiam tunc Parochialis erat, per dictum Archidiaconum Brabantiæ ad præsentationem Abbatis dicti Monasterii institueretur, eique de Bonis prædictis portio quindecim Librarum Lovaniensium annuatim assignaretur, receperunt, & post approbationem donationis hujusmodi à felicis recordationis Gregorio IX. seu X. aut alio tunc Romano Pontifice factam, dictus Prioratus uni Religioso ejusdem Monasterii dictum Ordinem expressè professo, ex collatione, & provisione præfati Abbatis assignari soleat.

Nihilominus nec prædictus, nec etiam talis numerus Monachorum ibidem deserviat, & quandoque unus, quandoque verò duo, nec unquam, aut raro plures Monachi cum ipso Priore ibidem degant, sitque Diœcesis prædicta Monasteriis, aliisque Regularibus Locis etiam ipsius Ordinis abunde dotata.

Si dictus Prioratus, quem dilectus Filius Stephanus Flebagillius Prior obtinet, ac in eo Dignitates, Prioratus, & Conventualitas, & si quæ sint Loca, & Monachales portiones, nec non Ordo, status, & essentia regulares supprimerentur, & extinguerentur, ac illius Bona, fructus, & jura quæcumque Collegio Decani, & Magistrorum hujusmodi, ad effectum erigendi, & instituendi tot alias portiones Lectorum, & seu Studentium in Theologia, quot ex fructibus, redditibus, & proventibus prædictis commodè ali possent, ac aliàs in manutentionem dicti Collegii, reservatis tamen, & salvis infrascriptis, applicarentur, & appropriarentur.

Profectò per hoc quamplures Viri Studium Theologiæ hujusmodi ob graves impensas alioqui deserere coacti, ad arcendos hæreticorum conatus, & simul fundandum in ipsa Ecclesia Dei lætissimam frugem idonei suscitarentur.

Quare pro parte eorumdem Decani, & Magistrorum asserentium, fructus, redditus, & proventus ejusdem Prioratus, & illi forsan annexorum, trecentorum Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut Prioratum, ac dignitatem Prioratus, & Conventualitatem, ac si quæ sint Loca, & monachales portiones.

Nec non Ordinem, statum, & essentiam Regulares prædictas supprimere, & extinguere, ac illius Bona, fructus, & Jura quæcumque Collegio Decani, & Magistrorum hujusmodi, ad effectum præmissum, reservatis, & salvis infrascriptis, perpetuò applicare, & appropriare, aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum æstimationem prædictam, & Beneficii cui aliud uniri peteretur, (alioquin unio non valeret) & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique Fidei Catholicæ propagationem, & divini Cultus augmentum, & personarum Litterarum studiis insistentium, & in eis Legentium subventionem, nostris potissimum temporibus, sinceris exoptamus affectibus, eosque Decanum, & Magistros, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Nec non ejusdem Collegii fructuum, redditituum, & proventuum verum annuum valorem præsentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ipsius Stephani ad hoc accedente consensu, Prioratum prædictum, cum primùm illum per cessum, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem præfati Stephani, etiam apud Sedem Apostolicam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti, & Sedi prædictæ per Constitutiones Apostolicas pro tempore reservata existit, aut Ordinariis Collatoribus per easdem Constitutiones, seu Litteras alternativarum, aut alia privilegia, & indulta Apostolica concessis, hactenus, aut in pristinum, aut quomodocumque, & quandocumque concedendis vacare contigerit.

Etiamsi actu nunc quovis modo, & ex cujuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Stephani, vel cujusvis alterius de illo in Romana Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & Testibus spontè factam, aut assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem eandem legitimè devoluta, ipseque Prioratus dispositioni Apostolicæ specialiter reservatus existat, dummodo tempore datæ præsentium non sit in eo alicui specialiter Jus quæsitum.

Et in eo dignitatem Prioratus, ac Conventualitatem, nec non Loca, & portiones, & denique Ordinem, Statum, essentiam, & dependentiam Regulares, ex nunc prout, ex tunc, & è contra, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac omnia, & singula illius Prædia, possessiones, bona, & proprietates, nec non fructus, redditus, proventus, decimas, Census, Jura, jurisdictiones, obventiones, & emolumenta, Collegio Facultatis Theologiæ hujusmodi ad effectum præmissum.

Ita quod liceat prædictis Decano, & Magistris illorum omnium, & singulorum, corporalem, realem, & actualem possessionem, etiam actu ex nunc vivente dicto Stephano, absque Spolii, & attentatorum vitio, aut Judicis decreto, vel alio ministerio, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac etiam ex nunc ex ejusdem fructibus, redditibus, & proventibus portiones hujusmodi, salvis tamen, & reservatis ex ipsis fructibus quindecim Libris Lovaniensibus, & decem, & octo Ducatos auri similes, vel citra constituentibus, Rectori, seu Vicario dictæ Ecclesiæ Bierbacensis, per prædictum Archidiaconum instituendo, pro sua portione competenti.

Nec non viginti quinque Florenis Caroli, viginti Stupheris pro quolibet Floreno computatis, & duodecim Ducatos similes, vel citra, constituentibus, Magistro, seu Rectori Scholæ dicti Loci pro illius manutentione, ad hoc ut ipse Magister pueros Incolarum ejusdem Loci scientiâ instruat, bonisque moribus diligenter imbuat, perpetuis futuris temporibus; pro una, videlicet in Domini nostri JESU Christi, & alterâ medietatibus quindecim Librarum, & viginti Florenorum hujusmodi in B. Joannis Baptistæ Nativitatum Festivitatibus persolvendis, erigere, & instituere, seu constituere, & deputare, Diœcesani Loci, aut cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, auctoritate, & tenore præfatis perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non dilecto Filio Nicolao Monacho dicti Prioratus, Ordinem ipsum, ut asserit, expresè professo, apud Nos, & Religionis zelo, vitæ, ac morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, ut commodiùs sustentari valeat, de alicujus subventionis auxilio providere, ac præmissorum meritorum suorum intuitu, specialem gratiam facere volentes, eidem Nicolao pensionem annuam centum florenorum, etiam Caroli, quinquaginta Ducatos similes, vel circa constituentium, super fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & Bonis præfatis, sibi quoad vixerit, vel Procuratori suo ad hoc ab eo speciale mandatum habenti, per

Decanum, & Magiſtros præfatos, ac alias perſonas Facultatis Theologicæ hujuſmodi annis ſingulis, pro una videlicet in ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti, & altera medietatibus penſionis hujuſmodi in Beati Joannis Baptiſtæ Nativitatum Feſtivitatibus prædictis integrè perſolvendam, eisdem auctoritate, & tenore reſervamus, conſtituimus, & aſſignamus.

Decernentes poſſeſſionem prædictorum Bonorum, & proprietatum, fructuum, redditum, & proventuum, decimarum, cenſuum, jurium, jurisdictionum, obventionum, & emolumentorum hujuſmodi, ſic actu ex nunc vivente dicto Stephano, ut præfertur, apprehenſam, veram, & non fictam, & pro continuata, & non momentanea haberi, & cenſeri, nec Decanum, & Magiſtros præfatos ad aliam ulteriùs apprehendendam teneri.

Et ſi quis occurrente vacatione dicti Prioratus, ac etiam ex nunc quoquo modo, etiam ex Apoſtolica proviſione in eo ſe intruſerit, ſeu dictos Decanum, & Magiſtros ſuper poſſeſſione hujuſmodi, ejuſque dependentiis moleſtare, perturbare, vel inquietare præſumpſerit, illos ſuper vera poſſeſſione moleſtatos, perturbatos, & inquietatos, ac etiam ſpoliatos cenſeri, illoſque ſuper ſpolio hujuſmodi agere poſſe; Ac ex nunc Prioratum, ac in eo dignitatem Prioratus, & Conventualitatem, loca, portiones, ordinem, ſtatum, & eſſentiam Regularem hujuſmodi ex nunc ſuppreſſa, nec non fructus, redditus, proventus, & alia præmiſſa Collegio prædicto applicata, & appropriata eſſe.

Ipſiſque Decano, & Magiſtris etiam ex nunc plenum Jus in bonis, proprietatibus, fructibus, aliiſque præmiſſis omninò acquiſitum eſſe, & ſuper his beneficio Regularum de non tollendo Jure quæſito, ac de annali, & triennali poſſeſſione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni poſſeſſores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè gaudere debere.

Prioratumque prædictum, ad hoc ut cuiquam conferri, ſeu commendari, uniri, aut aliàs concedi, ſeu de eo aliàs diſponi valeat, de cætero vacare non poſſe, neque debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nec non Decanatum, & Magiſtros, & alias perſonas præfatas ad integram ſolutionem dictæ penſionis eidem Nicolao faciendam juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod illi ex Decano, Magiſtris, & perſonis prædictis, qui in dictis feſtivitatibus, vel ſaltem infra triginta dies illarum ſingulas immediatè ſequentes, penſionem prædictam, per eos tunc debitam non perſolverint cum effectu, lapſis diebus eisdem ſententiam excommunicationis incurrant, à quo, donec Nicolao, vel Prædeceſſori prædicto de penſione hujuſmodi tunc debita integrè ſatisfactum, aut alias deſuper cum Nicolao, vel Prædeceſſore præfato amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolutionis beneficium nequeant obtinere.

Si verò per ſex Menſes dictos triginta dies immediatè ſequentes ſententiam ipſam animo, quòd abſit, ſuſtinuerint indurato, ex tunc effluxis menſibus eisdem ſuppreſſio, & extinctio, ac applicatio, & appropriatio nulla, & invalida, & dictus Prioratus in priſtinum ſtatum reſtitutus ſint, & eſſe cenſeantur, eo ipſo diſtrictiùs inhibentes Epiſcopo, Capitulo, Abbati, Conventui, & Archidiacono præfatis, & quibuſvis aliis perſonis, ne de Prioratu præfato, ſi vacat, aut vacare contigerit, ut præfertur, & prætextu quorumcumque Privilegiorum, & Indultorum Apoſtolicorum, ac litterarum alternativarum, eis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſorum, cuipiam providere, ſeu aliàs quomodolibet diſponere, aut aliquem ad illum eligere, præſentare, aſſumere, ſeu in eo inſtituere:

Nec non quibuſcumque aliis perſonis cujuſcumque dignitatis, gradus, ordinis, & præeminentiæ, etiam Cardinalibus, & familiaribus continuis, Commenſalibus noſtris, etiam antiquis, & deſcriptis, ac in Capella noſtra Cantoribus, Capellanis, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, nec non prædictis, & aliis Romanæ Curiæ Officialibus, etiam officia ſua actu exercentibus, & illorum menſarum, & aliàs qualitercumque qualificatis perſonis, quamvis etiam Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut alia majori dignitate, ſeu etiam Imperiali, vel regiâ excellentiâ fulgentibus, quaſcumque ſpeciales, vel generales, etiam mentales reſervationes, primarias preces, ſimiles vel diſſimiles uniones, annexiones, & incorporationes, ſuppreſſiones, extinctiones perpetuas, & temporales, abſque conſenſu Coadjutorum deputationes, ac nominandi, & conferendi, ac quaſcumque alias citra acceſſus vel regreſſus facultates, gratias, & mandata, etiam de providendo, & commendando, ac uniendo Litteras, conceſſiones, privilegia, & Indulta quæcumque; etiam cum proviſionibus, commendis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, & aliis diſpoſitionibus, etiam nominatim, ſpecialiter, & expreſsè de Prioratu prædicto vacante, vel vacaturo, etiam conſideratione, intuitu, contemplatione, vel ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut in eorum, vel Eccleſiarum, aut Monaſteriorum, & illorum Menſarum, & Beneficiorum quorumcumque.

Ac etiam in ullius favorem, & ob remunerationem laborum, & obſequiorum Nobis, & dictæ Sedi impenſorum, & in recompenſam Jurium ceſſorum, vel oblatorum, aut ſpolii, & damnorum.

Ac etiam ex quibuſvis aliis quantumcumque urgentibus Cauſis, ac cum quibuſvis antelationibus, ſuſpenſionibus, reſtitutionibus, & aliis efficaciſſimis, & inſolitis Clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis, etiam in vim contractus, ſeu pacti, vel ſtatuti perpetui inducentibus, & quæ ex tunc verè, & non fictè effectum ſortita cenſeantur decretis, etiam motu, & ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet perpetuò, vel ad tempus conceſſas, & conceſſa, & in poſterum concedendas, & concedenda.

Quas, & quæ, nec non Conſtitutiones alternativarum, ac Privilegia, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Collatoribus, & Collatricibus, ac perſonis præfatis, ac aliis quibuſcumque, etiam cum ſimilibus, & fortioribus Clauſulis conceſſa, & concedenda, etiamſi de illis, ac perſonis, de quibus, & illarum prærogativa, auctoritate, præeminentia, nec non cauſis, propter quas conceſſa ſint vel fuerint, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret.

Eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis ac de verbo ad verbum inſertis habentes omninò ſuſpendimus, & in Prioratu prædicto effectum ſortiri, aut locum ſibi vindicare non poſſe, neque debere decernimus, habentibus, & proſequentibus, ac habituris, & proſequuturis, ne in illo directè, vel indirectè quovis quæſito colore ſe intromittere præſumant, diſtrictiùs inhibentes.

Ac etiam decernentes, ex nunc quaſcumque acceptationes, collationes, proviſiones, commendas uniones, annexiones, & incorporationes, & alias diſpoſitiones de eodem Prioratu, etiam per Nos, & Sedem prædictam, etiam prætextu quarumcumque ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, & conceſſionum factas, & faciendas, nullius prorſus roboris, vel momenti fore, nullumque per ea cuiquam Jus acquiri, ſeu coloratum titulum poſſidendi tribui poſſe.

Ac ſuppreſſionem, extinctionem, applicationem, & appropriationem hujuſmodi ex nunc omnimodum effectum ſortitas eſſe, & cenſeri, nec in quibuſvis revocationibus, alterationibus, ſuſpenſionibus, & limitationibus ſuppreſſionum, extinctionum, applicationum, & appropriationum, etiam effectum non ſortitarum, quæ poſthac per Nos, vel Succeſſores noſtros, tam in craſtinum aſſumptionis cujuslibet eorum ad ſummi

Apostolatus apicem, quàm alias quomodolibet, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, quocumque tempore fient, tanquam effectum non sortitas, nisi de præsentibus, & eorum toto tenore, & data, specialis, specifica, & expressa mentio fiat, ac de consensu dictorum Decani, & Magistrorum minimè includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo, & sub quacumque data per dictos Decanum, & Magistros eligenda concessas.

Sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ esse, fuisse, & fore, easque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam quacumque ratione, vel causa, etiam rationabili vocari, causamque, vel causas, propter quam concessæ sunt, coram loci Ordinario, etiam tanquam à Sede Apostolica delegato, minimè verificari.

Hæc propterea, seu ex eo quod interesse sibi putantes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas præsumi, viribusque propterea carere: sicque per quoscumque Judices ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Muranensi, Amerinensi, ac Feltrensi Episcopis per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Decani Magistrorum, & personarum, ac aliorum, quos eædem præsentes concernunt, & concernent, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdem in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Ac pensionem prædictam Nicolao quoad vixerit, vel Procuratori præfato, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum continentiam, & tenorem integrè persolvi.

Non permittentes Decanum, Magistros, & Personas, ac alios præfatos super litteris, & in eis contentis hujusmodi quomodolibet indebitè molestari.

Et nihilominus quoslibet ex Decano, Magistris & Personis prædictis, quos hujusmodi Excommunicationis sententiam eis incurrisse constiterit, & quoties pro parte ejusdem Nicolai fuerint requisiti, tamdiù Dominicis, & aliis festivis diebus in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, excommunicatos publicè nuntient, & faciant ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctiùs evitari, donec Nicolao, vel Procuratori præfato de pensione hujusmodi tunc debita fuerit integrè satisfactum, ipsique excommunicati ab excommunicationis sententia hujusmodi absolutionis beneficium meruerint obtinere.

Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus priori voluntate nostra prædicta, ac aliis præmissis, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in certis exceptis casibus, fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinationem, & aliàs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non Monasterii, & Ordinis prædictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illis, eorumque A... ibus, Conventibus, Superioribus, Patribus, & Personis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis legis, ac statuti perpetui, nec non initi, ac stipulati contractus, seu quasi, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam præmissorum, aut quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliis quomodocumque, & qualitercumque, & quotiescumque concessis, ac concedendis, confirmandis, & etiam iteratis vicibus innovandis.

Quibus omnibus, etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum.

Quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque ad dictum Prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Prioratuum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Seu si Decano, Magistris, & personis præfatis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, à dicta sit Sede indultum, quod ad præstationem, vel solutionem pensionis alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, voluntatis, statuti, inhibitionis, suspensionis, mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo primo, octavo Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Subscriptum Cardinalis Glorierius.

Abbatiam Affligemiensem Religiosorum Ordinis S. Benedicti in Brabantia unit in perpetuum novo Archiepiscopatui Mechliniensi à se erecto, anno 1561. XI. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. p. 903.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, cui ex ſuſcepti Officii debito, Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium Cura imminet generalis, ipſarum Eccleſiarum, & præſertim Metropolitanarum, eiſque præſidentium Perſonarum, quas in partem ſollicitudinis Altiſſimus evocavit, neceſſitatibus, ne illas debita ſuſtentationis ope deſtitutas in temporalibus, & ſpiritualibus plura pati incommoda contingat, per opportunæ ſubventionis præſidia providenter occurrit, & de Monaſteriis ejuſdem interdum, etiam antequam vacent, diſponit, prout locorum & temporum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque, aliàs felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædeceſſor noſter, conſiderans eam partem inferioris Germaniæ, quæ chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico, etiam tunc hæreditario jure ſubjecta erat, paucos habere Epiſcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, ac longè, latèque diſſitorum caſtrorum & pagorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ inſtitutum, aſſiduæquæ hæreticorum, à quibus illa undique ferè cincta, atque obſeſſa erat, inſidiæ expoſtulabant: His, & aliis gravibus cauſis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei ſuccurrere, pioque deſiderio dicti Philippi Regis ſatisfacere, Mechliniam olim oppidum Cameracenſis Diœceſis à ſua Diœceſi & Provincia diviſerit, & exemerit, illudque in Civitatem, ac Sancti Rumoldi illius Eccleſiam in Metropolitanam Eccleſiam pro uno Archiepiſcopo, cum Menſa Archiepiſcopali, & aliis Metropolitanæ Eccleſiæ inſigniis erexerit, & inſtituerit.

Ac dictæ Menſæ pro ejus dote annuum redditum quinque millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, per Nuntium ſuum poſtmodum ac eo illuc mittendum ſpecificandis, & repartiendis, ex nunc, prout ex ea die, & è contra, poſtquam ſpecificati, & repartiti forent, etiam perpetuò applicaverit, & appropriaverit, per quaſdam ſub plumbo, & deinde per alias in forma Brevis Litteras ſuas dotem ipſam à certis Monaſteriis, & Præpoſituris diſmembrari mandaverit, prout in ſingulis litteris prædictis pleniùs continetur.

Nos cupientes Menſæ prædictæ de congrua dote providere, piumque & laudabile inſtitutum Prædeceſſoris hujuſmodi proſequi, atque confovere, animadvertenteſque, quòd per diſmembrationes hujuſmodi inveteratus cultus monaſticus læderetur, per unionem verò alicujus ex ipſis Monaſteriis eidem Menſæ, loco diſmembrationum hujuſmodi, ſi fieret, Archiepiſcopus præfatus Monaſterii ſic uniti Curam ſeduliùs gereret, & in illud devotionis, vel quietis causâ interdum ſecedere poſſet, Monaſterium Sanctorum Petri & Pauli Affligemienſe, Ordinis Sancti Benedicti, olim Cameracenſis, nunc verò Mechlinienſis Diœceſis hujuſmodi, cujus Abbas pro tempore exiſtens, primus Prælatus in Ducatu Brabantiæ habetur.

Cum primùm illud per ceſſum, vel deceſſum dilecti Filii moderni illius Abbatis, etiam apud Sedem Apoſtolicam, aut aliàs quovis modo, & ex cujuſcumque perſona vacare contigerit, vel etiamſi nunc, ut præfertur, vacet, & tanto tempore vacaverit, quòd ejus proviſio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem eandem legitimè devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem eandem ſpecialiter, & generaliter pertineat, ac ſuper dicti Monaſterii regimine & adminiſtratione inter aliquos lis, aut ſuper illorum poſſeſſorio, vel quaſi, moleſtia, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa,

Cum omnibus juribus, juriſdictionibus, & pertinentiis ſuis ex nunc, prout ex tunc, & è contra, Menſæ prædictæ, ita quod ex tunc deinceps dilecti Filii Conventus dicti Monaſterii, & ſingulares illius perſonæ Archiepiſcopo Mechlinienſi pro tempore exiſtenti, ſicuti Abbati, in omnibus, & per omnia ſubſint, eique promittant, & præſtent obedientiam, prout olim ipſi Abbati præſtare tenebantur, liceatque eidem Archiepiſcopo per ſe vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem, ſeu quaſi regiminis, adminiſtrationis, ac Bonorum ejuſdem Monaſterii propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiuſque fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac Menſæ & Monaſterii prædictorum uſus, & utilitatem convertere.

Nec non omnia & ſingula Prioratus, Præpoſituras, Dignitates, Perſonatus Adminiſtrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Eccleſiaſtica cum Cura, & ſine Cura ſæcularia, & quorumvis Ordinum regularia ad collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, inſtitutionem, confirmationem, & quamvis aliam diſpoſitionem pro tempore exiſtentis Abbatis dicti Monaſterii, communiter vel diviſim, quomodolibet ſpectantia, illorum pro tempore occurrente vacatione, perſonis idoneis conferre, & de illis etiam providere, ac ſimiles perſonas ad illa præſentare, & eligere, præſentataſque, & electas in illis inſtituere, & confirmare, ac aliàs de illis liberè diſponere, Monaſteriumque, & Conventum hujuſmodi ſub Præpoſito reformato in reformatione facta in Capitulo Generali Burſfeldenſi nuncupato dicti Ordinis ab annis ferè quadraginta in ipſo Monaſterio recepta dirigere.

Ac his, quæ ad honeſtum vitæ uſum, & ejuſdem Monaſterii eleemoſynas, ac Divini Cultus in eo, & Conventus ipſius conſervationem, & ſubſtentationem ſolitas, & conſuetas, ac debitas pertinent, proſpicere, cujuſvis licentiâ deſuper minimè requiſitâ, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, Curam dicti Monaſterii, ac hujuſmodi Regimen, & adminiſtrationem eidem Archiepiſcopo, in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, bonaque, nec non fructus, redditus, & proventus Monaſterii hujuſmodi dictæ Menſæ pro illius dote conſtituendò, & aſſignando, non obſtantibus Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentis, nec non felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi, etiam Prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Monaſterii, & Ordinis prædictorum juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, quòd propter unionem, annexionem, & incorporationem prædictas Divinus Cultus, & ſolitus Monachorum & Miniſtrorum numerus in dicto Monaſterio nullatenus minuatur, ſed ejus & Conventûs eorumdem congruè ſupportentur onera conſueta.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ unionis, annexionis, incorporationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, ſexto Idus Martii, Pontificatus noſtri, anno ſecundo.

Erat ſignatum, Cæſar Glorierius,
Et in plica, A. de Alexiis.
Sub plica verò, Fed. Cardinalis Cæſius.

XVII. Ex Mem. du Clergé de France Tom. 2. pag. 373.

Declaratio S. D. N. Pii Divinâ Providentiâ Papæ IV. quod gratiæ de non residendo, & percipiendo fructus, ratione studii, non valeant sine consensu Ordinarii: anno 1564.

PIUS EPISCOPUS.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Pius, Divinâ Providentiâ Papa IV. ad cujus aures pervenit, nonnullos curata, vel alios Sacros Ordines, aut personalem residentiam requirentia Beneficia obtinentes, sub prætextu, quod litteris operam dare cupiebant, post Confirmationem Concilii Tridentini, per Sanctitatem suam factam, & publicatam, secum, ut litterarum studio in loco, ut illud vigeat Generale Concilium, actu insistendo, ratione Beneficiorum, per eos obtentorum hujusmodi, usquè ad quinquennium, vel aliud tempus, tunc expressum, dummodo infrà primum illius annum Subdiaconi fierent, ad reliquos Ordines promoveri minimè tenerentur, & tam iidem interim, quam alii, etiam ad eosdem Ordines, vel eorum aliquem seu aliquos promoti, quod similiter Studentes, Beneficiis per eos obtentis, per Vicarios idoneos, per locorum Ordinarios, etiam congrua fructuum Beneficiorum hujusmodi portione illis assignata, deputandos, in Divinis serviendo, animarum Curam illis imminentem exercendo, & alia incumbentia onera supportando, usque ad simile tempus personaliter in eisdem residere non tenerentur; & nihilominùs interea omnes eorumdem Beneficiorum fructus percipere possent: per ordinariam Sanctitatis suæ signaturam, seu Pœnitentiariæ suæ officium dispensari, sibique pariter indulgeri obtinuerunt, Nullum in his vel fraudi, vel circumventioni locum, præsertim quoad absentes à Romana Curia, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non potest, quorum humana ratione provideri potest, relinquere volens, Concilii etiam Tridentini Decretis inhærendo, hujusmodi dispensationes & indulta hactenus concessa, ac tam ipsius Pœnitentiariæ, quam Apostolicas, & alias desuper confectas & conficiendas litteras, processusque habitos, & habendos, per easdem dictis absentibus nullatenus suffragari, nisi singulorum Ordinariorum locorum, in quibus singula Beneficia hujusmodi consistunt, consensus gratis præstandus ad id accedat, Apostolica Auctoritate declaravit, decernens irritum &c.

Placet, publicetur & describatur.

Lecta & publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die verò Veneris vigesima quarta Mensis Novembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Papæ anno quinto.

A. Lomellinus, Custos.

XVIII. Ex Mem. du Clergé Tom. 2. pag. 432.

Contra eos, qui Simoniam committunt, quam vocant Confidentiam Beneficiorum: anno 1564.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesiæ specula constitutum, vigiles mentis oculos, non solum in absentium extendere, sed potissimum in præsentium, domesticorumque Fratrum, & filiorum suorum mores diligenter perscrutandos aliquando reflectere, ac eos præsertim, quos in Apostolicæ sollicitudinis partem evocavit Altissimus, nedum ab omni pactionis illicitæ contagione, verùm etiam ab ejus omnimoda suspicione, vacuos & immunes conservare decet, ut qui cæteros illustris officii sublimitate antecellunt, eosdem prisca etiam illa morum integritate præstare dignoscantur. Sanè licet dudum, cùm certam Simoniacæ pravitatis speciem, quam Beneficiorum Confidentiam vocant, etiam in Romanam Curiam, atque adeò in sacrum venerit Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, quasi cuniculos irrepsisse, ac nonnullos ex ipsis Fratribus nimia quadam facilitate, sed potius importunis amicorum familiarumque precibus adductos, Beneficia Ecclesiastica in Confidentiam hujusmodi recepisse, & frequenter recipere, intelleximus; Hanc illicitam beneficentiæ exercendæ, seu amicitiæ tollendæ viam à tanto saltem Collegio prorsus eliminare cupientes, eosdem Fratres in Consistorio nostro secreto, non semel admonuerimus, huic aliena Beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, ut que sic recepta dimitterent. Nihilominùs nuper ad aures nostras pervenit, eorum aliquos, monitionis nostræ, imò potius suimet oblitos, ea quæ custodienda reciperent Beneficia, nondum tamen dimisisse.

Et insuper illos & nonnullos alios, & etiam Patriarchas, Archiepiscopos, & alios Episcopos, ac Cameræ Apostolicæ Clericos, Ecclesias, Monasteria, Dignitates, & talia Beneficia ejusmodi, in sui favorem resignata, cessa, vel aliàs dimissa acceptasse, aut de illis per obitum, vel aliàs vacantibus, à Nobis & Prædecessoribus nostris, seu etiam ab Ordinariis & aliis inferioribus Collatoribus, etiam ad Patronorum præsentationem, ad alterius commodum sibi provideri obtinuisse, illaque ac etiam alia, aliter vacantia, sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut aliàs dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium, vel cedentium, seù etiam aliorum favorem cessisse, vel aliàs dimisisse; ac sibi propterea pensiones annuas ac fructus, redditus, & proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum hujusmodi, in toto vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas & illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, præsentationem, & aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, ad earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum Prælatos pro tempore existentes, ac alios hujusmodi Beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, nec non regressus, sive accessus, & ingressus ad Ecclesias, etiam Cathedrales, Monasteria, ac alia diversa Beneficia Ecclesiastica sibi reservari procurasse, & obtinuisse, ad hoc videlicet, ut confidentes sic Decimarum Apostolicarum, vel communis dicti Collegii & annatæ, aliorumque jurium dictæ Cameræ debitorum solutionem eludant, integrisque Beneficiorum, etiam in Mensibus Apostolicis vacantium, aut aliàs dispositioni Sedis Apostolicæ generaliter reservatorum, collationibus, ac interdum ut Beneficia ipsa, tempore præcedente, in aliquorum tunc forsitan de jure inhabilium, & incapacium, vel nondum adhuc natorum, favorem cedantur, seu resignentur, vel personæ ut inhabiles & incapaces hujusmodi, etiam laici, pensionibus ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis fruantur, & gaudeant, seu potius illis, & facultate transferendi prædicta abutantur in animarum suarum periculum, & perniciosum exemplum. Quare Nos hanc Cardinalium eorumdem, in monitionibus nostris parendo incuriam, & tam illorum, quas cæterorum Prælatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quorumcunque indignam fallaciam conniventibus oculis diutiùs minimè dissimulandam, sed huic errori, ne radices altiùs agat, occurrendum tandem esse censemus. Et quoniam hanc ipsorum qui monitioni nostræ non parentes, Beneficia hujusmodi Confidentiæ, ut præfertur, retinuerunt, & fructus ex eis indebitè,

vel

vel percipiendo, ut per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes, & fictas de receptis quittantias, ac donationes, & remissiones percipi sinendo, graviter excesserunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo praeceptorum nostrorum spretu processisse facilè reputamus. Idcirco omnes, & singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedrales, ac Monasteria, etiam Consistorialia, Prioratus, Praepostituras, Praepositatus, Dignitates, etiam majores, & principales, etiam Conventuales, Personatus, Administrationes & Officia, caeteraque Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, saecularia, & quorumvis Ordinum, regularia, etiam de jure Patronatus, etiam Laicorum, etiam nobilium & illustrium, etiam ex fundatione & dotatione existentia, per ejusdem Romanae Ecclesiae, etiam Episcopos, Cardinales, & quoscumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos, ac etiam ejusdem Camerae Clericos in titulum, commendam, vel administrationem, aut aliàs in hujusmodi confidentiam jure prohibitam, cujusvis personae (ut praefertur) contemplatione, vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem & dispositionem Nobis, & Sedi Apostolicae, harum serie reservantes, ipso jure à die receptionis eorumdem, vacavisse, & vacare, ac fructuum & pensionum reservationes, ac facultates transferendi, & collationes Beneficiorum, concessiones, eis (ut praemittitur) factas, ac regressus, sive accessus, & ingressus concessos hujusmodi cessasse, & cessare, ac extinctos esse, & eosdem Cardinales, seu quosvis alios, à prima die receptionis Beneficiorum hujusmodi citra, fructus, redditus, & proventus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum, ac pensiones praedictas indebitè percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos omnes, & singulos ad Cameram eamdem devolutos fuisse, & esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, & eorum haeredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri, & ad id opportunis juris remediis compelli debere, auctoritate Apostolica, tenore praesentium decernimus, & declaramus; Et insuper universis, & singulis, tam ejusdem Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam Episcopis, quam Praelatis, & Clericis, & aliis praedictis, praesentibus, & futuris, ne deinceps ullo unquam tempore, aliquas Ecclesias, Monasteria, Dignitates, vel alia Beneficia, etiam de dicto jure Patronatus (ut praefertur) existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, vel accessus in confidentiam praedictam, aut ad effectum reservationis hujusmodi, sibi postmodum à cedentibus procurandarum recipere praesumant, Cardinalibus videlicet, & aliis Praelatis hujusmodi, in virtute Sanctae obedientiae, sub interdicti ingressus Ecclesiae, reliquis verò sub majoris excommunicationis latae Sententiae poena, per contrafacientes eo ipso incurrenda, à qua, nisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtiùs inhibemus. Ac quascumque collationes, provisiones, praefectiones, commendas, reservationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, sive accedendi, & ingrediendi, ac alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, & aliis Beneficiis, eorumque fructibus, & Beneficiorum collationibus per Nos & alios Romanos Pontifices Successores nostros, etiam motu proprio, seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad Patronorum eorumdem praesentationem, & aliàs quomodolibet cum interventu confidentiae hujusmodi, expressae sivè occultae, ac de jure praesumptae, & aliàs contra praemissa pro tempore factas nullas, & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore, neque cuiquam suffragari, sed Ecclesias, Monasteria, Dignitates, ac alia Beneficia hujusmodi, ipso jure vacare, ac nostrae & Sedis Apostolicae dispositioni reservata, fructusque, & pensiones Camerae Apostolicae applicatos, ut praefertur, esse, & censeri, sicque in praemissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam ipsius Ecclesiae Romanae Cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi, & judicandi facultate, etiam per praesumptiones, & conjecturas legitimas, & eorum arbitrio (cum aliàs Confidentias hujusmodi in lucem erui, & probari non posse constet) procedendo, judicari, & definiri debere. Ac quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum & inane similiter decernimus. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac aliis Constitutionibus Apostolicis, nec non Collegii praefati, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne quisquam, ullo unquam tempore praesentium ignorantiam praetendere possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsae praesentes litterae ad Basilicae Principis Apostolorum de Urbe valvas, per aliquem ex Cursoribus nostris, illarum copiâ ibi affixâ, & dimissâ, & etiam in Cancellaria Apostolica de more publicentur, ac in ejusdem Cancellariae quinterno, ad majorem partium illas in judicio producere volentium commoditatem, describantur.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, declarationis, inhibitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, XVII. Kal. Novemb. Pontificatus nostri, anno 5. Visa de Curia. M. de Enciso.

Cae. Glorierius. H. Cymyn.

Anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, die verò quarta Mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pii, divinâ providentiâ Papae quarti, anno quinto, suprascriptae Litterae Apostolicae publicatae, & affixae fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae, dimissis ibidem in suprascriptis locis supra scriptarum litterarum copiis affixis, ut moris est, per Nos Julium Parinum, & Bernardinum Andrentium, praelibati Sanctissimi Domini nostri Papae Cursores.

Antonius Clerici Magister Curs.

Ad Normam Concilii Tridentini reducit omnia Regularium privilegia circa administrationem Sacramentorum, & speciatim Poenitentiae: anno 1564. XIX. Ex Memoires du Clergé tom. 1. pag. 964.

PIUS IV. EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN Principis Apostolorum Sede, meritis licèt imparibus, divina dispositione constituti, nihil neque universali Ecclesiæ, curæ & sollicitudini nostræ commissæ, salubrius, neque injuncto Nobis Apostolicæ servitutis officio decentius præstare possumus, quam quod providentiæ nostræ ministerio Oecumenicum Concilium Tridentinum, sicut nostris potissimùm auspiciis, summaque Sanctorum Patrum concordiâ per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit, ita per universos qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, & remotis quibuslibet obstaculis ab omnibus æqualiter observetur.

§. 1. Cum itaque in eodem Concilio quamplura salubria, & ad universalem morum reformationem valde utilia decreta atque statuta, maturo præsentium ipsorum examine præcedente, sint edita, quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriæ, indulta, & ut vocant, Confessionalia, & Mare Magnum, & aliæ gratiæ, quæ variis, tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis, quam Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, & aliis Religiosis, etiam Fratrum mendicantium domibus, & Ordinibus, nec non Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Joannis Lateranensis, ac Incurabilium de urbe, Sancti Antonii Viennensis, & Sancti Bernardi Juren. aliisque Hospitalibus, Militiis, eorumque Capitulis, & Conventibus, ac Universitatibus, etiam Studiorum generalium Collegiis, tam Sæcularibus, quam Ecclesiasticis, Confraternitatibus, Societatibus, & tam Principis Apostolorum de Urbe, quam aliis Fabricis, S, Cruciatæ, aliisque piis locis, & operibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Præpositis, & aliis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam diversorum Ordinum & Militiarum Regularibus, ac etiam Laicis cujuscumque dignitatis, & status, ac gradus & excellentiæ, ac etiam Ducali, Regia, & Imperiali dignitate fulgentibus, utriusque sexus personis, nec non aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis, atque Nuntiis, tam perpetuò quam ad tempus per Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos & Sedem Apostolicam, ejusque Legatos hactenus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione & intuitu, etiam de Fratrum consilio diversimodè, variisque temporibus, in genere vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, & etiam pluries confirmata & innovata fuerint, in plerisque contrariantur.

§. 2. Nos, quibus in primis cordi est, tam sancta, & Ecclesiæ Dei saluberrima decreta suos, ut par est, effectus ubique consequi, & ab omnibus obedienter observari: privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris Magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcumque Apostolicarum & aliarum litterarum desuper confectarum, processuumque, decretorum, & aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & plenè insertis habentes, motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod eadem omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriæ, indulta, confessionalia, Mare Magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis, & Decretis Concilii hujusmodi contrariantur, ipso jure revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint, & esse censeantur, nec quidquam adversus ipsa decreta, & statuta, quominùs ubique, & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi & reputari debere, ac si nunquam emanassent: auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus.

§. 3. Decernentes nihilominus, omnia, & singula, quæ vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, & aliarum quarumcumque gratiarum hujusmodi, post id tempus quo Concilium obligare cœpit, facta & gesta quomodolibet fuerunt, & in posterum fient, in iis, in quibus dicti Concilii decretis adversantur, nulla, invalida, & irrita esse, & censeri, ac nemini etiam quamtumlibet, ut præfertur, qualificato tam in foro, quod ajunt fori, quam conscientiæ, suffragari posse & debere.

§. 4. Et ita per quoscunque locorum Ordinarios, aliosque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate in utroque foro judicari, & definiri debere, ac quicquid secus à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, 13. Cal. Martii, Pontificatus nostri, anno sexto.

Anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione sexta, die vero vigesima quarta mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pii, divinâ Providentiâ Papæ IV. Anno ejus sexto retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, & valvis Cancellariæ Apostolicæ per Nos Nicolaum de Matthæis, & Camillum Cherubinum, S. D. N. Papæ Cursores.

Philibertus Chapuis, Mag. Curs.

Regulares, aliique sectantes Ritus Ecclesiæ Græcæ, Ordinariis subjiciantur in his quæ Divinum Cultum spectant, nec non administrationem Sacramentorum, aliaque Spiritualia: an. 1564. XX. Ex Mem. du Clergé de France Tom. I. pag. 966.

PIUS PAPA QUARTUS.

Ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex, præcipuus æquitatis & religionis assertor, facultates, & gratias ab Apostolica Sede concessas, ex quibus tempore procedente animarum pericula, & inter Catholicos scandala provenire animadvertit, pro sui pastoralis officii debito maturè revocare consuevit.

§. 1. Sane nonnulli locorum Ordinarii, nuper ad audientiam nostram referri curarunt, quòd in quampluribus Regni Siciliæ citra, & ultra Pharum, & aliis Christiani nominis civitatibus, & locis, magnam Græcorum, tam religiosorum & sæcularium Clericorum, quam laicorum multitudo reperitur, qui Ecclesiæ Græcæ mores & ritus observantes, illosque suos proprios ejusdem nationis Prælatos habere, ac illis, non autem locorum Ordinariis subesse, sed immunitatum, aliorumque privilegiorum sibi per felicis recordationis Leonem X. Paulum III. Julium etiam III. & forsan alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & di-

ctam Sedem antiquitus concessorum prætextu, se ab eorumdem Ordinariorum jurisdictione, & superioritate exemptos esse prætendentes, impunitate sibi proposita, in diversas hæreticas, nefariasque opiniones, & abunda deliramenta passim prolabuntur, asserentes inter alias eorum blasphemias, nullum esse defunctorum Purgatorium, Romanum Pontificem aliquam in eos jurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, Ecclesiasticas Sententias, & censuras ab eo latas spernentes, Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, beatorum Apostolorum & aliorum Dei Sanctorum festivitates ab Ecclesia Romana, sanctisque Patribus ordinatas non observantes, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhibentes, inhumata defunctorum cadavera superstitione quadam impia, & plusquam barbarica è sepulchris eruentes, igneque comburentes, Ordinariorum Locorum, quos habitant, visitationem, jurisdictionemque contemnentes, & Ecclesiasticam disciplinam perturbantes; ac demum hujusmodi, aliisque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suæ prætensæ exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus, abusibusque consenescunt, & immoriuntur, in suarum, vicinorumque populorum, præsertim simplicium, animarum perniciem, & scandalum plurimorum.

§. 2. Nos igitur providè considerantes, ejusdem Sedis intentionem nunquam fuisse, exemptionem, aliudve privilegium à se concessum iri, ut inde scelerum impunitas, & animarum periculum emergat: abusibus, & periculis hujusmodi, quantum cum Deo possumus, tempestivè obviare volentes, ac quarumcumque exemptionum, aliorumque privilegiorum dictis Græcis, eorumque Prælatis, Rectoribus, Abbatibus, & aliis, tam Sancti Basilii & alterius Ordinis Regularibus, quam Sæcularibus, ac etiam Laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per præfatos, & alios quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam, in genere, vel in specie hactenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, & innovatorum, litterarumque desuper confectarum, & inde secutorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas exemptiones, ac prout illas concernunt, desuper confectas litteras præfatas, ad hoc videlicet, ut ipsi locorum Ordinarii, quascumque Græcorum Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia pia loca, tam Sæcularia quam cujusvis ordinis Regularia, eorumque Prælatos, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, ac majori dignitate præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, Ministros, & quasvis alias ejusdem nationis personas in suis Civitatibus, & Diœcesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam jurisdictionem, plenamque & omnimodam superioritatem, in iis quæ Dei cultum, Sacramentorum administrationem, & animarum salutem, hæresiumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi liberè & licitè valeant, reliquis ipsorum Græcorum in divinis celebrandis, aliisque ritibus à Sede Apostolica approbatis, nec non privilegiis & gratiis Apostolicis intactis remanentibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, & annullamus, ac revocatas, cassatas & annullatas esse, nec ipsis Græcis, Clericis, vel Laicis, eorumve Prælatis, Ecclesiæ, Cænobiis, aut aliis piis locis in aliquo suffragari, sed illos omnes & singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni, & omnimodæ superioritati in præmissis subesse, illisque tanquam Superioribus suis, suarumque animarum Pastoribus humiliter obedire.

§. 3. Et sic per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari & definiri debere, ac quicquid secùs à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 5. Per hoc tamen non intendimus, quòd ipsi Græci ab eorum Græcanico ritu distrahantur, vel aliàs desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios impediantur.

§. 6. Et quia difficile foret præsentes ad diversa loca, in quibus illarum exhibitio forsan erit necessaria, circumferri, volumus, & eadem auctoritate similiter decernimus, quod earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo signatis, plenaria & indubia, eaque prorsus adhibeatur fides, in judicio, & extra, quæ præsentibus adhiberi deberet, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima sexta Februarii, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus nostri, anno sexto.

Confirmatio alienationis Bonorum temporalium Ecclesiæ, factæ an. 1563. solâ Regiâ auctoritate, & permissio in eâ continuandi pro dd. temporalium bonorum redemptione: an. 1564. XXI. Ex Mem. du Clergé de France. Tom. IV. pag. 741.

PIUS PAPA IV.

Dilecti Filii nostri & Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam benedictionem.

PRo injuncti nobis muneris officio, quantum in nobis est, eniti & procurare debemus, ut vulneribus, quæ statui Ecclesiastico in iis tumultibus, quibus Altissimus ad probandam suorum fidem, & ad correctionem nostram istud Christianissimum regnum agitari permisit, imposita illataque fuerunt, præsentissima & aptissima remedia quamprimùm adhibeantur.

Cùm itaque, sicut non sine magno animi nostri dolore accepimus, inter & illas ingentes clades, quibus nuper dictum regnum hæreticorum & seditiosorum hominum audacia & scelere concussum & affectum fuit: Charissimus in Christo Filius noster Carolus, Francorum Rex Christianissimus, pro illius salute, ac prostratæ in eo religionis recreatione animadvertit, id in primis expedire, ut externorum militum copiæ spoliis onustæ, cunctaque passim populantes, dicto regno educerentur, ac simul ingens impiorum colluvies, ad abolendum istic Catholicam fidem, & opprimendos omnes Ecclesiastici nominis professores, ac denique regnum ipsum subvertendum, ex diversis regionibus congesta dissolveretur, Gratiaque, maritimum oppidum de Anglorum & hæreticorum manu eriperetur.

Sed quia Fisci sui rationes prope omnes in ipsis tumultibus interceptæ fuerunt, nec ullum ex Galliæ rebus sic attritis subsidium ad tanti belli pondus tempestivè parari poterat, in extrema necessitate constitutus, quanquam ægrè, edixerit, Regioque decreto permiserit, licet nulliter de facto, ut ex dominiis, domibus, terris, feudis, jurisdictionibus, censibus, juribus, proprietatibus, & bonis immobilibus Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, ac Capitulorum, Monasteriorum, Conventuum, Prioratuum, Præceptoriarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, Beneficiorum, Officiorum, locorum Ecclesiasticorum, secularium, ac quorum-

cumque Ordinum regularium, nec non Sancti Joannis Hierosolymitani, & aliarum Militiarum, in regno præfato, cæterisque dominiis & locis illi subjectis consistentium usque ad valorem annuum centum millium scutorum auri, assignato tamen ipsis Ecclesiasticis, & locis alio æquivalenti redditu, & aliàs sub certis modo & forma tunc expressis, venderentur, & alienarentur, certis executoribus seu commissariis ad id deputatis, quorum plerique justitiæ & religionis calcatis fœderibus statim castra, jurisdictiones, sylvas, nemora, feuda, census, & alia hujusmodi bona nobiliora & pretiosiora, statuique præfato conducibiliora, & multò plura quam dicta summa, vilissimo pretio proscripserunt & vendiderunt, quidam ex eis dolosè nitentes statum ipsum Ecclesiasticum universum, per multiplicatas hujusmodi venditiones omninò enervare & subvertere.

Quocirca Clerus dicti regni luctuosam hanc desolationem indignè ferens, nefarios illorum excessus & conatus præfato Carolo Regi significaverit, & pro redemptione bonorum hujusmodi, ad majus damnum evitandum, illorum emptoribus sortem principalem & legitimas expensas solutorum obtulerit, si sibi ad id temporis commoditas concederetur; Ac proinde ipse Carolus Rex cognita enormi læsione, & irreparabili damno ex immoderatis venditionibus hujusmodi emergente, volens indemnitatibus dicti status omni quam poterat industria providere, alio edicto suo septima Januarii novissimè præteriti in Curia Parlamenti publicato, inter alia statuerit, & ordinaverit, ac dicto Clero concesserit & promiserit, ut omnia & singula dominia, terras, jurisdictiones, proprietates & alia bona alienata præfata, intra annum à Calendis Februarii novissimè præteriti inchoandum, redimere, & soluta sorte principali cum legitimis impensis hujusmodi, seu facto in certis casibus legitimo deposito, illa ad jus suum pristinum revocare, possessionemque illorum recuperare posset, quemadmodum in ipso edicto pleniùs continetur.

Cujus obtentu, Clerus ipse, etsi eum non latebat, hæc citra Sedis Apostolicæ auctoritatem fieri non posse: angustiâ tamen temporis pressus, ac sub spe licentiæ à dicta Sede obtinendæ, quantum in eo fuit, statim decreverit & ordinaverit, quod duo periti ex singulis dicti regni Diœcesibus eligerentur, qui tanquam œconomi, procuratores, & commissarii ejusdem Cleri, verum & certum valorem singulorum bonorum mobilium, & minus utilium immobilium singularum Ecclesiarum, Capitulorum, Monasteriorum, Conventuum, Mensarum, Dignitatum, Beneficiorum, & locorum prædictorum informationem acciperent diligentem, eâque acceptâ partitiones, taxationes, proportionabiliter & pro rata parte facerent & imponerent, ac singulos ex dicto Clero ad præsentationem & solutionem partis sibi contingentis, & per venditionem dictorum bonorum mobilium, & minus utilium immobilium compellerent, & de pecuniis inde provenientibus bona supradicta magis utilia redimere curarent, prout ipsi jam informationes accepisse, partitiones fecisse, illasque imposuisse, ac alia eis injuncta, & circa eas necessaria executioni demandasse dicuntur.

Nos licèt ægerrimè feramus, res & bona Ecclesiastica contra juris divini & humani dispositionem, in Christianissimo regno tam miserabiliter tractata & dissipata fuisse: nihilominus pro majori Ecclesiæ rei jactura vitanda, quantum pro temporum qualitate cum Deo possumus, his malis mederi cupientes, & de præmissis certam notitiam ac plenam informationem non habentes, tam Caroli Regis & Cleri præfatorum, quam etiam charissimæ in Christo Filiæ nostræ Catharinæ Reginæ, ipsius Caroli Regis matris precibus, per litteras & Nuntios frequenter excitati, sicut urgens & evidens necessitas, reique magnitudo postulat, negotium hoc universum prudentiæ, pietati, & religioni vestræ demandandum statuimus, firmâ de vobis spe fiduciâque jampridem conceptâ, quod pro vestro in rempublicam Christianam ac Ecclesiasticam auctoritatem studio & amore ac debito nihil sitis in hac re effecturi, nisi quod dicto Ecclesiastico statui, & regno utile, etiam fructuosum, aut certè minùs damnosum futurum sit.

Quare Circumspectioni & Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, ut universum negotium præfatum ad audientiam & sollicitudinem vestram revocantes, convocatis œconomis, procuratoribus, & commissariis præfatis, ac aliis qui fuerint convocati, adhibitisque vobiscum aliquot Prælatis, & aliis peritis viris pietate & religione præditis de dicto Clero, ac bonis, eorumque vero valore, nec non taxationibus, ac cæteris præmissis, eorumque circumstantiis universis, coram vobis propositis & specificatis, toto animo in primis perscrutemini, si ex fructibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum bonorum prædictorum per collectas, aut eorumdem fructuum locationes, etiam anticipatis solutionibus, seu concessiones bonorum aliquorum in emphyteosim, etiam perpetuam, vel pignorationes, seu bonorum mobilium minùs necessariorum distractiones, aut alias omninò rationes, quam per bonorum immobilium hujusmodi venditionem, vel pecuniarum summâ ad præmissa necessariâ, in toto vel in parte, confici & exigi poterit, ut hoc fiat auctoritate nostra curetis.

Verùm si statui Ecclesiastico præfato his rationibus succurri nequeat, sed pro illius salute & dicti Cleri indemnitate cœptum ab eo remedium prædictum omninò prosequi, diligenti informatione præhabita, cognoveritis expedire, vel necesse est, super quo conscientias vestras in Domino oneramus, vobis, omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios de dicto Clero à juramento per eos, de non alienandis possessionibus & proprietatibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Mensarum, Dignitatum, & Beneficiorum suorum, inconsulto Romano Pontifice, ac aliàs quomodocumque præstito, ad effectum præsentium dumtaxat absolvendi, illudque eis relaxandi, ac taxationes, partitiones & collectas præfatas, vel non mobilium etiam pretiosorum, ac minus utilium immobilium bonorum, non tamen castrorum & aliorum locorum, temporalem jurisdictionem, & vassallagia obtinentium, venditiones, & alienationes, ac locationes & concessiones per præfatos œconomos seu Commissarios, aut ex eorum ordinatione, decreto vel consensu hucusque ad effectum præmissum quomodocumque aliàs pro justo pretio factarum, eadem auctoritate approbandi & confirmandi, Apostolica auctoritate tenore præsentium, facultatem concedimus, supplentes omnes & singulos juris, & facti defectus, & solemnitatum omissarum, si qui intervenerint in eisdem.

Et præterea dictis œconomis & Commissariis taxationes, & collectas hujusmodi perficiendi; imponendi, & exigendi, ac quæcumque bona immobilia Ecclesiastica pignorandi, aut certum tempus etiam anticipatis in toto vel parte solutionibus locandi, seu in emphyteosim perpetuam, vel temporalem concedendi, ac mobilia etiam pretiosa, & minus utilia immobilia bona præfata, usque ad complementum totius summæ ad præmissa necessariæ, & non ultra, pro justis & repetibilibus pretiis vendendi, & alienandi, ac de pecuniis inde provenientibus, omnia bona supradicta, prætextu anterioris edicti hujusmodi alienata, distracta & usurpata redimendi, & ad jus proprietatemque suam restituendi & revocandi, nec non Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Ecclesias, Capitula, Conventus, & Collegia quæcumque, singularesque personas dicti Cleri, tam conjunctim quam divisim, ad præstandum consensum, ac concurrendum taxationibus, & collectis, cæterisque oneribus præfatis, usque ad complementum totius summæ hujusmodi, & per censuras & pœnas Ecclesiasticas, omniumque proventuum beneficiorum suorum distractionem, & auxilii brachii sæcularis invocationem, alia-

que

que juris & facti remedia opportuna compellendi, cæteraque in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedere valeatis, vobis similiter indulgemus. Proviso quod pecuniæ ex alienationibus & distractionibus hujusmodi provenientes, in redemptionem prædictam, & nullos alios usus integrè & bona fide omninò convertantur. Non obstantibus præmissis, ac fere Symmachi, ac Pauli II. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis revocandis, nec non Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio generali edita, de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Hospitalium, Militiarum, & locorum præfatorum, juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, eorumque Præsulibus, Capitulis, Conventibus, Collegiis, Superioribus & Personis, per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos ac dictam Sedem, & motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine, & consistorialiter, nec non consideratione, intuitu, contemplatione, ad instantiam Regum, Ducum, & aliorum Principum, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibuscumque sententiis & decretis concessis, confirmatis & innovatis, etiam quascumque similes alienationes fieri specialiter & expresse prohibentibus, & quacumque causa pro tempore factas, omninò annullantibus.

Quibus, omnibus etsi pro sufficienti illorum derogatione aliàs, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per regulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expresse derogamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Aut si Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, singularibus personis dicti Cleri communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Quòd si omnes in his exequendis nequiveritis interesse, aut aliquem vestrum a Curia Regia abesse contigerit: duo vestrum conjunctim ea nihilominus exequi valeant, vobis etenim, si pro Ecclesiarum utilitate & negotiorum hujusmodi commodiori expeditione opportunum videbitur, ut aliquos Archiepiscopos, seu Episcopos, aut alios Prælatos similiter pietate, & religione præditos cum simili aut limitata potestate, ad præmissa omnia & singula tractanda, & peragenda, loco vestri substituere, & subrogare valeatis, concedimus pariter & indulgemus.

Cæterùm ut Status Ecclesiasticus prædictus universus valeat, sicut optamus, in plenitudine virium suarum conservari; omnes & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Capitula, Conventus, & singulares Personas dicti Cleri, quorum Ecclesiæ, Beneficia, & Loca dictam alienationem pro redemptione præmissa patiuntur, de mandato nostro moneatis, ut pro se quisque ita quotannis de proventu Ecclesiastico compartientes, quam primum commodè fieri poterit, alienata redimere, aut alia æquè utilia bona immobilia suis hujus modi Ecclesiis, Beneficiis & Locis comparare curent cum effectu.

Præterea nostro nomine præfatum Carolum Regem hortemini & requiratis, ut pro ejus Pietate & Religione, ac conscientiæ suæ exoneratione majorum suorum, qui Ecclesiam sartam tectam, Christique patrimonium usque quaque auctum & illibatum sanctè & fideliter conservaverunt, Ecclesiasticæ indemnitati consulendo, meminerit has Ecclesiasticas jacturas, assignato ipsis Ecclesiis alio æquivalenti reditu, sicut priori edicto suo pollicitus est, & aliàs condigna satisfactione, ac regia liberalitate sarcire.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima septima Mensis Octobris millesimo quingentesimo sexagesimo quarto. Pontificatus nosti anno quinto.

Cæ. Glorierius.

PIUS QUINTUS.
PONTIFEX CCXXIX.
ANNO DOMINI MDLXVI.

Pius anteà dictus Antonius Ghislerius ad Summum Pontificatum evehitur, Vir Religionis, ac pudicitiæ vindex, recti justique assertor, morum & disciplinæ restaurator, Evangelium S. Joannis in fine Missæ dici mandavit: post alia egregiè patrata, tandem vitam cum morte commutavit anno 1572. à Clemente XI. Sanctorum albo adscriptus (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Editionis Luxemb.* 1727. *fol.* 189. *App.*)

I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. 2. pag. 1098.

S. Pius Quintus Pontifex Abbatiam Floreffiensem, Ordinis Præmonstratensis, in Diœcesi Namurcensi, à Prædecessore Pio Quarto destinatam pro dote Episcopatus Namurcensis anno 1566. sub onere annuæ pensionis eximit, eidemque Episcopatui annectit Abbatiam S. Gerardi, seu Broniensem Ordinis S. Benedicti in eadem Diœcesi.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Æquum reputamus, & rationi consonum, ut ea, quæ de Romani Pontificis Gratia processerunt, licèt ejus superveniente obitu Litteræ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum.

Dudum siquidem felicis recordationis Pius Papa Quartus, Prædecessor noster, Provisiones Ecclesiarum, & Monasteriorum omnium tunc vacantium, & in antea vacaturorum, ordinationi, & dispositioni suæ reservavit, decernens ex tunc irritum & inane, si secus quid super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Cumque postmodum Monasterium Sancti Gerardi in Brognes, Ordinis Sancti Benedicti, Namurcensis Diœcesis, cui quondam Benedictus Mailly, ipsius Monasterii Abbas, dum viveret, præerat, per obitum dicti Benedicti Abbatis, qui extra Romanam Curiam diem suum clauserat ex-

tremum, vacavisset, & vacaret tunc, nullusque de illius provisione præter eundem Prædecessorem ea vice se intromittere potuisset, sive posset, reservatione & decreto obsistentibus supradictis.

Cumque idem Prædecessor aliàs, postquam piæ Memoriæ Paulus Papa Quartus, etiam Prædecessor noster, ex certis rationabilibus tunc expressis causis Ecclesiam Sancti Albani in tunc Oppido Namurcensi, Leodiensis Diœcesis, in Cathedralem cum Sede Episcopoli, & Capitulari, Mensis, aliisque solitis prærogativis, & insigniis, ac nonnullis ejus Dignitatibus, nec non Canonicatibus, & Præbendis Apostolica Auctoritate erexerat: Ac illi dictum oppidum pro Civitate, & quamplura circumvicina loca à dicta Diœcesi ad hunc effectum dismembrata pro sua Diœcesi assignaverat, ac dictæ Mensæ Episcopali pro ejus dote unum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, fructibus, redditibus, & proventibus, per Nuntium suum illuc postmodum mittendum specificandis, & repartiendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificatio, & repartitio hujusmodi factæ forent perpetuò:

Ac interim donec illæ fierent, suumque sortirentur effectum, & non ultra, alium mille, & quingentorum Ducatorum similium, redditus annuos per Charissimum in Christo Filium nostrum, tunc suum, Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, qui etiam Namurci Comes, & aliarum illi vicinarum inferioris Germaniæ partium Dominus in temporalibus existebat, ex redditibus, quos ipse Philippus Rex ibi percipiebat, de ejusdem Philippi Regis consensu applicaverat.

Et deinde certas dismembrationes Bonorum à Monasteriis & Præposituris, sub ipsa Namurcensi Ecclesia, vel in ejus Diœcesi consistentibus pro dote ipsius Ecclesiæ fieri mandaverat.

Volens pium & laudabile Pauli Prædecessoris institutum hujusmodi prosequi, dictæque Mensæ Episcopali de congrua dote providere, & considerans, quod per dismembrationem Bonorum à Monasteriis hujusmodi cultus monasticus læderetur, per unionem verò alicujus Monasterii eidem Mensæ loco dictarum dismembrationum, Episcopus Monasterii sic uniti Curam accuratiùs gerere, continuis etiam ipsius Philippi Regis præcibus inductus, Monasterium Floreffiense, Præmonstratensis Ordinis, olim Leodiensis, nunc verò Namurcensis Diœcesis præfatarum, cujus fructus, redditus, & proventus ad quadringentos florenos auri in libris Cameræ Apostolicæ taxati reperiebantur.

Ex tunc, prout cum primùm illud per cessum, vel decessum illius tunc Abbatis, etiam apud Sedem Apostolicam, aut aliàs quovis modo vacare contingeret, ac etiamsi tunc quovis modo vacaret, nomine, titulo Abbatis, & Dignitate Abbatiali penitus ibi suppressis, eidem Mensæ Episcopali de Fratrum suorum, de quorum numero tunc eramus, consilio, dicta auctoritate perpetuò univisset, annexuisset, & incorporasset.

Districtiùs inhibendo dilectis Filiis, Conventui dicti Monasterii Floreffiensis, ne vacatione illius adveniente ad Abbatis electionem procedere præsumerent, ac ex tunc, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contingeret, irritum & inane decernendo, prout in eorumdem Prædecessorum desuper confectis litteris pleniùs continetur.

Et sicut ipse Philippus Rex eidem Pio, Prædecessori exponi fecerat, postmodum compertum esset, plurima alia tam virorum, quàm mulierum Monasteria dicti Præmonstratensis Ordinis extra dictam Namurcensem Diœcesim tam in Brabantia, Clivia, & Gueldria, quàm Francia, aliisque locis consistentia visitationi, & correctioni Abbatis pro tempore existentis dicti Monasterii Floreffiensis subjacere, visitationemque hujusmodi juxta regularia instituta dicti Præmonstratensis Ordinis per Abbatem, Ordinem ipsum expressè professum, annis singulis fieri debere.

Quam visitationem si dictus Episcopus annuatim facere cogeretur, magna pars temporis in ea peregrinatione sibi in gregis sui periculum terenda esset, nec parva difficultas erga eum, dictum Ordinem non professum, Religiosos visitandi, & corrigendi maneret;

Et si, ut eadem expositio subjungebat, unio, annexio, & incorporatio Monasterii Floreffiensis hujusmodi, quæ nondum effectum sortitæ erant, revocarentur, & ipsius Monasterii Floreffiensis loco, dictum Monasterium Sancti Gerardi, quod Ordinario loci subesse dignoscebatur, dictæ Mensæ Episcopali similiter uniretur, annecteretur, & incorporaretur. Ac quoniam Floreffiensis, quàm Sancti Gerardi Monasteriorum eorumdem fructus, redditus, & proventus uberiores existebant, eidem Mensæ pensio annua, & perpetua mille Florenorum, viginti Stuferis monetæ illarum partium pro singulo Floreno computatis, valorem quingentorum Ducatorum auri de Camera non excedentium, super fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii Floreffiensis hujusmodi reservaretur, constitueretur, & assignaretur, ex hoc profectò difficultatibus, & incommodis præfatis obviaretur, ac necessariæ Episcopi Namurcensis pro tempore existentis subventioni commodè consuleretur.

Cum dictus Philippus Rex asserens, ipsius Monasterii Sancti Gerardi, & illi forsan annexorum fructus, redditus, & proventus sexaginta Ducatorum similium, secundum communem æstimationem, valorem annuum non excedere, & dein Pio Prædecessori humiliter supplicari fecisset, quatenùs priores unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi revocare, cassare, & annullare, ac nomen, titulum & dignitatem Abbatis in eodem Monasterio Sancti Gerardi supprimere, ipsumque Monasterium Mensæ Episcopali prædictæ perpetuò unire, annectere, & incorporare:

Nec non fructus, redditus, & proventus Monasterii Sancti Gerardi, ac pensionem mille Florenorum Mensæ Episcopali pro dote hujusmodi reservare, constituere, & assignare, ac aliàs in præmissis opportunè providere de Benignitate Apostolica dignaretur,

Præfatus Pius Prædecessor, qui dudum inter alia voluerat, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum æstimationem præfatam, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis quorum interesset.

Quique ex injuncto sibi Officii Pastoralis debito sollicitæ considerationis aciem extendebat, ut Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium recenter institutarum dotationi, suorumque Præsulum opportunæ subventioni consuleretur, & ut honestis Catholicorum Regum id ab eo expetentium votis gratum præberet assensum, Ministerii sui Partes libenter adhibebat, aliaque super his variè etiam priùs ordinata, si ratio quædam idipsum suaderet, retractando disponebat, prout locorum, temporum, personarumque qualitate pensata, conspiciebat in Domino salubriter expedire.

Ipsum Philippum Regem à quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis,

si qui-

si quibus quomodolibet innodatus existebat, ad effectum infrascriptorum duntaxat consequendum, absolvens, & absolutum fore censens.

Nec non veriores erectionis, & prioris unionis, ac litterarum, aliorumque præmissorum, & inde sequutorum, nec non aliarum dictæ Mensæ forsan factarum unionum, annexionum, & incorporationum tenores, ipsiusque Mensæ Episcopalis fructuum, redditum, & proventuum verum annuum valorem pro expressis habens. Hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub data verò quinto decimo Kalendas Decembris, Pontificatus sui anno quinto, unionem, annexionem, & incorporationem, de dicto Monasterio Floreffiensi Mensæ Episcopali, sic, ut præmittitur, factas, ac inhibitionem, & decretum, nec non cum omnibus & singulis aliis in eis contentis clausulis desuper confectas litteras præfatas, processusque habitos, & habendos, per easdem, ac inde sequuta quæcumque, auctoritate prædicta revocavit, cassavit, annullavit, & irritavit, ac pro nullis, irritis, & infectis haberi, neque Monasterium Floreffiense, ejusque Abbatem, Conventum, Personas, & Bona illis deinceps obnoxia fore, sed ab eis omninò libera, immunia, & expedita in omnibus, & per omnia, ac si nunquam emanassent, remanere decrevit.

Nec non in dicto Monasterio Sancti Gerardi, sive illud præmisso, sive alio quovis modo, quem etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in Corpore Juris clausa, præterquam per obitum apud Sedem prædictam resultet, idem Pius Prædecessor haberi voluit pro expresso) aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam dicti Benedicti Abbatis, vel cujusvis alterius cessionem, de illius regimine, & administratione in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & testibus spontè factam, vacaret.

Etiamsi tanto tempore vacavisset, quod ejus provisio juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem eandem legitimè devoluta existeret, & illa ex quavis causa ad ipsam Sedem specialiter, vel generaliter pertineret, & super eisdem regimine, & administratione inter aliquos lis, seu de illorum possessorio, vel quasi, molestia (cujus statum idem Pius Prædecessor haberi voluit pro expresso) penderet indecisa, dummodò dicto die quinto decimo Kalendas Decembris eidem Monasterio Sancti Gerardi de Abbate provisum canonicè non existeret, nomen & titulum Abbatis, ac Dignitatem Abbatialem eadem Auctoritate penitùs suppressit.

Ac illud cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis suis Mensæ Episcopali præfatæ, ita quod deinceps dilecti Filii Conventus dicti Monasterii Sancti Gerardi, & singulares illius personæ Episcopo Namurcensi pro tempore existenti, sicuti Abbati suo in omnibus, & per omnia subessent, eique parerent, & præstarent obedientiam, & reverentiam, prout olim Abbatibus ejusdem Monasterii Sancti Gerardi, qui pro tempore fuerant, præstare tenebantur.

Liceretque eidem Episcopo per se vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, regiminis, & administrationis, ac Bonorum Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, illiusque fructus, redditus, & proventus in suos, dictæque Mensæ usus, & utilitatem convertere.

Ac omnia & singula Prioratus, Præposituras, Dignitates, Administrationes, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, cum Cura, & sine Cura, Sæcularia, & Regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & aliam quamvis dispositionem pro tempore existentis Abbatis dicti Monasterii Sancti Gerardi, communiter vel divisim, quomodolibet spectantia, illorum vacatione pro tempore occurrente, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere.

Ac his, quæ ad honestum vitæ usum, & consuetas ejusdem Monasterii Sancti Gerardi eleemosynas, ac Divini Cultus in eo, & dictorum ejusdem Conventus conservationem, & sustentationem solitas, consuetas, atque debitas pertinebant, prospicere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, eadem Auctoritate Apostolica etiam perpetuò univit, annexuit, & incorporavit.

Curam Monasterii Sancti Gerardi, ac regimen, & administrationem hujusmodi eidem Episcopo in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, Bonaque, nec non fructus, redditus & proventus Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi dictæ Mensæ Episcopali pro illius dote constituendo, & assignando, eidem Conventui in quibusvis aliis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub Excommunicationis majoris latæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, per eos respectivè obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis districtiùs inhibens, ne ipsum Episcopum in præmissis, seu eorum aliquo impedire quoquomodo præsumerent.

Et insuper ipsi Mensæ Episcopali dictam pensionem annuam, & perpetuam mille Florenorum super omnibus & singulis ejusdem Monasterii Floreffiensis fructibus, redditibus, & proventibus eidem Mensæ Episcopali, seu pro tempore existenti Episcopo Namurcensi, vel ejus Procuratori, ad id ab eo speciale mandatum habenti, per pro tempore existentem Abbatem, vel Commendatarium dicti Monasterii Floreffiensis annis singulis, pro una verò in Domini nostri Jesu Christi proximè futura incipiendo, & pro altera medietatibus ejusdem pensionis in B. Joannis Baptistæ Nativitatum Festivitatibus in Civitate Namurcensi integrè persolvendam, & per dictum Episcopum Namurcensem etiam una cum Ecclesia Namurcensi, ac quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, per eum ex quibusvis concessionibus, & Dispensationibus Apostolicis quomodolibet pro tempore obtentis:

Nec non aliis pensionibus annuis sibi super quibusvis aliis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis pro tempore assignatis percipiendam, tunc Abbatis, & Conventus Monasterii Floreffiensis hujusmodi ad id tunc expresso accedente consensu, præfata Auctoritate Apostolica reservavit, constituit, & assignavit.

Decernens posteriores, unionem, annexionem, incorporationem, reservationem, constitutionem, & assignationem præfatas, litterasque desuper conficiendas, sub quibuscumque revocationibus, suspensionibus, derogationibus, & moderationibus, vel alterationibus similium vel dissimilium unionum, annexionum, incorporationum, reservationum, constitutionum, & assignationum per eundem Pium, Prædecessorem nostrum, & Sedem præfatam sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis pro tempore factis, minimè comprehendi; sed semper ab illis exceptas, & quoties illas suspendi, vel revocari, aut illis derogari contigerit, toties illas in pristinum statum restitutas, & de novo, etiam sub data per ipsum Episcopum Namurcensem eligenda, concessas.

Et ad id, ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehenderentur, vim Contractus inter Pium Prædecessorem, & Sedem, ac Episcopum Namurcensem, & Abbatem, ac Conventum Monasterii Floreffiensis præfatos validè initi, & stipulati obtinere.

Nec non suspensiones, revocationes, & derogationes unionis, annexionis, & incorporationis aliorumque præmissorum, pro nova illorum concessione, & restitutione haberi, & censeri debere.

Ac posteriores, annexionem, unionem, incorporationem, reservationem, constitutionem, & assignationem, aliaque præmissa, ac easdem litteras

nullo

nullo unquam tempore etiam ad Superiorum dicti Ordinis Sancti Benedicti, vel aliorum instantiam ex quacumque causa revocari, suspendi, alienari, limitari, aut ad juris terminos reduci, seu litteras ipsas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis ipsius Pii Prædecessoris, aut alio quovis defectu notari non posse.

Nec causam, seu causas, propter quas illæ emanaverant, verificari debere, nec propterea, aut ex eo quod interesse habentes ad id vocati non forent, per subreptionem obtentas præsumi, & viribus carere, sicque per quoscumque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, ut eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Nec non pensionem præfatam nullatenus revocari, cassari, aut ad minorem summam reduci posse, ac pro tempore existentem Abbatem, seu Commendatarium Monasterii Floreffiensis hujusmodi ad integram solutionem ipsius pensionis eidem Mensæ, ac pro tempore existenti Episcopo Namurcensi faciendam, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis præfatarum tenorem, efficaciter, & perpetuò obligatum fore.

Ac volens, & eadem auctoritate statuens, quod si Abbas, seu Commendatarius Monasterii Floreffiensis hujusmodi in dictis Festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediatè sequentes pensionem præfatam per eum tunc debitam non persolveret cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam Excommunicationis incurreret, à qua, donec Episcopo Namurcensi, vel Procuratori præfato de pensione hujusmodi tunc debita integrè satisfactum, aut aliàs secum, vel cum dicto Procuratore desuper amicabiliter concordatum foret, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequiret obtinere.

Si verò per sex menses dictos triginta dies immediatè sequentes sententiam hujusmodi animo sustineret indurato, & tunc effluxis mensibus ipsis, regimine, & administratione Monasterii Floreffiensis hujusmodi perpetuò privatus existeret, ipsum Monasterium vacare censeretur eo ipso; Non obstantibus secundò dicta voluntate sua prædicta, ac Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, nec non recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi, similiter Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus, ac Monasteriorum, & Ordinum præfatorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, præfatis Monasteriis, & Ordinibus, eorumque Conventibus, ac Superioribus, Prælatis & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam per modum statuti perpetui, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, vel Imperatoris, ac Regum, & Reginarum contemplatione, etiam consistorialiter, etiam contra uniones hujusmodi per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores suos, ac forsan per eundem Pium Prædecessorem, & Sedem prædictam, etiam ex quibusvis causis, vel aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis.

Etiamsi in illis, ac statutis præfatis caveretur expressè, quod statutis, privilegiis, & indultis ipsis nullatenus, aut non nisi modis & formis inibi contentis derogari posset, & si illis aliter derogari contingeret, derogationes hujusmodi nemini suffragarentur. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, dictus Pius Prædecessor, tenores hujusmodi pro sufficienter expressis habens, illis aliàs in suo robore permansuris, ea vice duntaxat specialiter & expressè derogavit, contrariis quibuscumque.

Aut si pro tempore existenti Abbati, seu Commendatario Monasterii Floreffiensis hujusmodi quoad præstationem, vel solutionem pensionis alicujus minimè teneretur, & ad id compelli, ac tam illi, quàm Conventui, & dilectis Filiis Vassallis, & aliis subditis Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem esset Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possent per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existerent, per quæ litteris ipsius Pii Prædecessoris, si desuper confectæ fuissent, non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeret quomodolibet, vel differri, aut de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset in eisdem litteris mentio specialis.

Proviso, quòd propter posteriores unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi in dicto Monasterio Sancti Gerardi Divinus Cultus, ac solitus Monachorum, & Ministrorum numerus nullatenus minueretur, sed illius, & ejus Conventus prædictorum congruè supportarentur onera consueta.

Ne autem de absolutione, revocatione, cassatione, annullatione, irritatione, suppressione, posterioribus unione, annexione, incorporatione, inhibitione, reservatione, constitutione, assignatione, volumtate, derogatione, & decretis prædictis, pro eo, quòd super illis ipsius Pii Prædecessoris, ejus superveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, ipsique Philippus Rex, & pro tempore existens Episcopus Namurcensis illorum frustrarentur effectu.

Volumus, & similiter Apostolicâ Auctoritate decernimus, quòd absolutio, revocatio, cassatio, annullatio, irritatio, suppressio, posteriores unio, annexio, incorporatio, inhibitio, reservatio, constitutio, assignatio, voluntas, derogatio, & decreta Pii Prædecessoris hujusmodi, perindè dicta die, quinto decimo Kalendas Decembris, suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii Prædecessoris litteræ sub ejusdem diei data concessæ fuissent, prout superiùs enarratur.

Quodque presentes litteræ ad probandum plenè absolutionem, revocationem, cassationem, annullationem, irritationem, suppressionem, posteriores unionem, annexionem, incorporationem, inhibitionem, reservationem, constitutionem, assignationem, voluntatem, derogationem, & decreta præfata ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur.

Quocirca Venerabili Fratri nostro Episcopo Amerinensi, & dilectis Filiis Decano Ecclesiæ Namurcensis, ac Officiali Namurcensi per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quandò opus fuerit, ac quoties pro parte Philippi Regis, & Episcopi Namurcensis præfatorum, vel alicujus illorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eidemque Episcopo in adipiscenda possessione, seu quasi, regiminis, & administrationis, ac Bonorum Monasterii Sancti Gerardi, & annexorum, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, Auctoritate Nostra assistentes, faciant ipsi Episcopo à

Conventu

Conventu obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, nec non à Vassallis, & aliis subditis Monasterii Sancti Gerardi hujusmodi consueta servitia & jura sibi ab eis debita integrè exhiberi, ac de Monasterii Sancti Gerardi, & annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus universis integrè responderi, præsentesque litteras, & in eis contenta quæcumque per eos, ad quos spectat, firmiter observari.

Non permittentes Episcopum præfatum, per quoscumque desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri, nec non pensionem præfatam sibi, vel Procuratori præfato, juxta reservationis, constitutionis, assignationis, & decreti præfatorum continentiam, & tenorem integrè persolvi.

Et nihilominùs pro tempore existentem Abbatem, seu Commendatarium Monasterii Floreffiensis, si illum Excommunicationis Sententiam hujusmodi eis incurrisse constiterit, quoties super hoc pro parte Episcopi Namurcensis prædicti fuerint requisiti, tamdiu Dominicis, & aliis festivis diebus in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, excommunicatum publicè nuntient, & faciant ab aliis nuntiari, ac ab omnibus arctiùs evitari, donec Episcopo, vel Procuratori prædicto de dicta pensione tunc debita fuerit integrè satisfactum, ipseque excommunicatus ab hujusmodi Excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerit obtinere, contradictores Auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus omnibus supradictis.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quinquagesimo sexagesimo sexto, sexto decimo Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

Subsignatum: Cæs. Glor.

II. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. pag. 1102.

Dilectis Morinis, suppressione illius Urbis Episcopatum, qui erat in Arthesia anno 1553. Paulus IV. & Pius IV post factam proventuum Ecclesiasticorum inter Reges Hispaniæ & Franciæ divisionem ex una medietate erexerant Episcopatus, Iprensem in Flandria, & Audomarensem in Arthesia, Pius V. ex altera medietate erigit tertium Episcopatum Boloniæ in Picardia, cumque constituit Suffraganeum Archiepiscopi Rhemensis: anno 1566.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Divinæ Majestatis arbitrio super universas Orbis Ecclesias constituti, & tradita Nobis Apostolicæ Potestatis plenitudine, omnes in id mentis nostræ conatus intendimus, ut Fides Catholica, sine qua nemo salutis æternæ viam ingredi potest, etiam novorum (ubicumque usus poscit) Præsulum institutione usque quaque integra & illibata permaneat.

Sed ea demum sollicitudo Nos impensiùs urget, cum veteres hujusmodi Præsulum Sedes, hostilitate prævalente, indignè jacere videntur, nec propriis in locis reparari possunt, ut in aliis accommodatioribus aliæ indè novæ (sicut populorum salus, & Catholicorum Regum devotio postulat) salubriter ordinentur, ac in eis Pastores idonei deputentur, quorum opera & vigiliis Christiana Religio in suo solido statu valeat feliciter conservari.

Cùm igitur postquam inter claræ memoriæ Henricum II. Francorum, ac charissimum in Christo Filium nostrum Philippum Catholicum Hispaniæ Reges conventum fuerit, quòd olim Civitas Morinensis, priùs expugnata & eversa, deinceps non restitueretur: Sed illius Ecclesia Cathedralis, atque Diœcesis universa, nec non utriusque Beneficia, proprietates, census, decimæ, jurisdictiones & jura omnia, in duas partes cum beneplacito Sedis Apostolicæ dividerentur: ut scilicet earum altera Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ futura esset.

Felicis recordationis Pius Papa IV. Prædecessor noster, ejus rei causa, suppressâ & extinctâ dictâ Morinensi Ecclesiâ, prædictam partem inferiori Germaniæ designatam, partim Iprensi, partim verò Audomarensi, Ecclesiis Cathedralibus, earumque Civitatibus & Diœcesibus, jam in dicta olim Diœcesi Morinensi, & parte inferioris Germaniæ prædictæ, eadem auctoritate institutis, perpetuò assignaverit.

Nos etiam charissimi in Christo filii nostri Caroli Francorum Regis Christianissimi precibus adducti, hoc insigne opus ad Dei Laudem & Ecclesiæ Catholicæ exaltationem absolvere intendentes, habitâ super his cum Fratribus nostris deliberatione maturâ, de illorum consilio, Monasterium B. Mariæ Oppidi Boloniensis, Ordinis S. Augustini, olim prædictæ Morinensis Diœcesis, in quo septem vel octo duntaxat Canonici degunt, per obitum quondam Joannis, dum viveret, ipsius Monasterii Abbatis, extra Romanam Curiam ante decennium defuncti, aut aliàs certo modo Abbatis regimine destitutum, & in eo nomen & titulum Abbatis, dignitatisque Abbatialis: (Erectio novæ Cathedralis.)

Nec non omnia & singula, Prioratus, Dignitates, Officia, Canonicales Portiones, & loca ejusdem, ac tam in eodem, illiusque Ecclesia, quam etiam ab illo dependentibus Prioratibus, cæterisque Beneficiis Ecclesiasticis, Ordinem, Statum, & Essentiam Regulares, remanentibus tamen in ipso Monasterio dictis septem vel octo Canonicis in suis habitu & Regula, cum Canonicali portione quoad vixerint, seu donec ad alia hujusmodi Loca Regularia spontè ac canonicè transierint, autoritate prædicta tenore præsentium perpetuò supprimimus & extinguimus.

Ac prædictum oppidum, populosum quippe & celebre, agro & annonâ fœcundum, commeatuque commodum, in Civitatem, Ecclesiam verò Monasterii hujusmodi, in Cathedralem, deinceps Boloniensem nominandam, sub invocatione ejusdem B. Mariæ, Archiepiscopi Remensis pro tempore existentis Suffraganeam futuram.

Et sub concordatis olim inter Sedem Apostolicam prædictam, & claræ memoriæ Franciscum I. Francorum Regem super nominatione personarum, certis tunc expressis modo & formâ qualificatarum, ad Ecclesias Cathedrales Regni Franciæ pro tempore vacantes, per Regem Franciæ pro tempore existentem, Romano Pontifici facienda, initis, comprehensam, quemadmodum olim Ecclesia Morinensis prædicta erat:

Sedemque Episcopalem pro uno Episcopo per dictum Regem Franciæ eidem Pontifici, seu Apostolicæ Sedi, etiam hâc primâ vice, & futuris deinceps temporibus, vigore seu prætextu dictorum Concordatorum nominando, qui illi præsit, & in perfectam Ecclesiæ Cathedralis formam ordinet & redigat: Abbates, Prælatos, & cæteros suæ Diœcesis ad Synodum evocet, evellat, destruat,

plantet, erigat, ædificet, omniaque & singula Officia & Jura Episcopalia habeat & exerceat:

Cum suis Capitulo, Mensa Episcopali, & Capitulari, cæterisque omnibus Cathedralibus & Pontificalibus insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, privilegiis, exemptionibus, prærogativis, honoribus, gratiis, favoribus & indultis realibus, personalibus & mixtis, quibus aliæ illarum partium Ecclesiæ Cathedrales, earumque Præsules, Capitula & Personæ quomodocumque utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate & tenore præfatis erigimus & instituimus.

Ipsique Ecclesiæ sic erectæ, & illius Præsuli prædicto, Boloniam pro Civitate, & partem illam universam olim Diœcesis Morinensis, quæ in divisione prædicta Franciæ evenit, cum Decanatibus, Parochialibus, & aliis Ecclesiis, ac etiam Monasteriis, Prioratibus & Locis, cum suis Personis Sæcularibus & Regularibus pro Diœcesi, nec non utriusque Cives & Incolas Ecclesiasticos, & Laicos, pro Clero & populo perpetuò assignamus.

Cæterum ut ipsa Ecclesia Boloniensis in reliquis suis omnibus partibus perfecta & absoluta sit, unum Decanatum, duos Archidiaconatus, unam Cantoriam, unam Thesaurariam, & unam Pœnitentiariam Dignitates, septemdecim Canonicatus, & septemdecim Præbendas, nec non Capellanias, cæteraque omnia Beneficia & Officia, quæ in dicta olim Ecclesia Morinensi erant, & in ipsa divisione parti Franciæ, ac futuræ Cathedrali Ecclesiæ obtigerunt, eorumque omnium Personas ad dictam Ecclesiam Boloniensem transferimus.

Unio Præbendarum Duaci & Insulis.

Ac Episcopali Duacensem, & dimidiam Insulensem Præbendas Episcopales nuncupatas; ac tam illi, quàm etiam Capitulari Mensis prædictis, nec non Fabricæ dictæ Ecclesiæ Boloniensis, omnia & singula prædia, proprietates, dominia, census, feuda, emphyteotica, decimas & primitias, cæteraque bona, fructus, redditus, jurisdictiones, actiones & jura earum, singulis per eandem partitionem designata.

Ac etiam ad Abbatialem & Conventualem Mensas suppressi Monasterii hujusmodi pertinentia; videlicet quæ Abbatis, ea Episcopali: quæ verò Conventualis Mensæ erant, ac etiam suppressorum Beneficiorum, portionum, & locorum hujusmodi, bona, fructus, jura & actiones, Capitulari, Mensis prædictis:

Ita tamen, ut dictis Canonicis Regularibus defunctis, vel inde translatis, ut præfertur, quatuor alii Canonicatus & Præbendæ in dicta Ecclesia Boloniensi, ex ipsius Mensæ Conventualis proventibus, pro totidem Canonicis ipsius Ecclesiæ omninò instituantur, determinatusque numerus unius & viginti Canonicatuum & Præbendarum esse debeat, uno tamen & unâ certis usibus juxta dictæ divisionis formam assignatis, in perpetuum applicamus & appropriamus.

Præbendæ XXI.

Nec non collationes, provisiones, præsentationes, & omnimodas alias dispositiones Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, Officiorum, Parochialium, & aliarum Ecclesiarum, nec non Capellarum, Capellaniarum perpetuarum, Hospitalium, cæterorumque omnium & singulorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, nec non præsentationes & electiones ad illa, confirmationes & institutiones in eis, jusque universum conferendi, prout in prædicta divisione specificata, distributa & declarata sunt, ac etiam quondam Episcopi & Capituli, aliarumque Personarum olim Ecclesiæ Morinensis fuerunt.

Præterea illa quæ quondam Abbatis & Conventûs supremi Monasterii hujusmodi communiter vel divisim erant, Episcopo & Capitulo, ac universis Personis Ecclesiæ Boloniensis hujusmodi, videlicet, quæ olim Abbatis, deinceps Episcopi, quæ verò Conventûs extiterant, posthac Capituli prædictorum esse debeant, etiam in perpetuum concedimus.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, assignationis, translationis, applicationis, approbationis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M D LXVI. quinto Nonas Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

III. Ex Memoir. du Clergé de France, Tom. I. pag. 914.

Confirmatio & Explicatio Decreti S. Concilii Tridentini Sess. XXV. cap. 5. & Constitutionis *Periculoso* Bonifacii VIII. super Clausura Monialium permissio eis necessaria, si indè migrare velint. Casus, quibus eis migratio permitti possit. Quid debeant quæ cum eis in migrando associantur: anno 1566.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Circa Pastoralis Officii nobis, meritis licèt imparibus, desuper commissi curam, quantum nobis ex alto permittitur, invigilantes, assiduè ad ea per quæ singulis erroribus, & excessibus obviatur, ac personis quibuslibet, præsertim fœminei sexus, virginitatem suam Altissimo voventibus, sub Religionis jugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, à semita justitiæ & honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in Regularis ponat honestatis gloria maculam, & Divinam merito possit offendere Majestatem, opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensiùs impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus.

§. 1. Hac igitur perpetuò valitura Constitutione, inhærentes etiam Constitutioni felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Periculoso, & Decretis Concilii Tridentini super clausura Monialium editis, Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus, universas & singulas Moniales, præsentes, atque futuras cujuscumque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolymitani sint, quæ vel jam receptæ sint, vel in posterum in quibusvis Monasteriis, sive domibus recipientur, & tacitè vel expresè Religionem professæ, etiamsi Conversæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis seu domibus debere de cætero permanere clausura, juxta formam dictæ Constitutionis felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: Periculoso, in Sacro Concilio Tridentino approbatam, & innovatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innovamus, in omnibus & per omnia, ac illam districtè observari mandamus.

§. 2. Quod si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine, etiam immemorabili, instituto, vel fundatione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarii, una cum Superioribus earum, omnibus juris & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles & incorrigibiles ad præcisè subeundum dictam clausuram, & perpetuò observandum.

§. 3. Mulieres quoque quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscunque fuerint Ordinis in congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint,

ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, ut præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem & professionem, eidem clausuræ se subjiciant, quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalosè vivere, severissimè puniantur.

§. 4. Cæteris autem omnibus sic absque omissione professionis, & clausura vivere omninò volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant.

Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem & decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus & annullamus.

§. 5. Porrò ne Moniales vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum, patiantur, sed ut eis opportunè consulatur, Auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus Ordinariis & Superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemosynas per conversas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis. Et de earum domibus exire non possint pro hujusmodi eleemosynis colligendis nisi de scientia Ordinarii, vel earum Superiorum.

§. 6. Et de cætero nullæ aliæ conversæ professæ recipi amplius; etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum, possint: quòd si adversus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex tunc nullam, & irritam facimus, & annullamus.

§. 7. Quod si prædicto modo necessitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis & Superioribus earum, ut ipsi provideant de aliis personis piis, & Deo devotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel aliàs eo meliori & commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & Mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum & Superiorum earundem, & prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessivum clausuræ observatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ Constitutionis Bonifacii, & Concilii Tridentini Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant & admittant, sive recipi & admitti permittant, quam ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint.

§. 8. Mandantes propterea in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, universis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, quatenus in Civitatibus & Diœcesibus propriis, præsentes nostras litteras publicari faciant, ac in Monasteriis Monialium sibi ordinario jure subjectis, in iis verò quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ Auctoritate, una cum Superioribus eorumdem Monasteriorum clausuram, ut præmittitur, quam primum poterint, servari procurent. Contradictores atque rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Ac ut hoc tam salutare decretum faciliùs observetur, omnes Principes Sæculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales requirimus & obsecramus per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum injungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & aliis Monialium Superioribus assistant, ac suum favorem & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant.

§. 9. Præmissis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Statutis & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam in fundatione, & institutione eisdem Monasteriis, vel Domibus, & Monialibus, sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vivabus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, aut suspendi non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 10. Per hoc autem in Monasteriis exemptis, Ordinarii Locorum, quoad alia, nullam sibi credant jurisdictionem vel potestatem aliquatenus eis attributam.

§. 11. Volumus autem, quòd præsentes litteræ ad valvas Basilicæ Beati Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria Nostra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter constitutiones extravagantes perpetuò valituras conscribantur.

§. 12. Et quia difficile foret, præsentes ad singula quæcumque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quòd earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, ac Sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides ubicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1566. 4. Cal. Junii, Pontificatus nostri anno 1.

Declaratio Superioris Constitutionis: anno 1466. IV. Ex ibid. pag. 917.

PIUS EPISCOPUS.

Ad futuram rei memoriam,

DEcori & honestati omnium Sanctimonialium, quarum Jesus Christus Dominus noster Sponsus est, ut in puritate & castitate superædificatæ in ipso feliciter inhabitare valeant, consulentes, ea quæ illarum existimationi detrahere possent, decet Nos consultò summovere.

§. 1. Sane periculo & scandalo plena res est, ac regulari observantiæ vehementer adversatur, Sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos, nec non Monasteria, & alia Filiationes nuncupata, etiam eis subjecta, visitandi, aut infirmitatis causa, aliove prætextu, à Monasteriis exire, & per Sæcularium Personarum domus discurrere, & vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis, & pudicitiæ decus in discrimen committunt.

§. 2. Unde Nos malo huic pro nostro Pastoralis Officii debito salubriter occurrere volentes, inhærentes etiam decreto Sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis Nostris Litteris super hujusmodi Clausura editis adjicientes, volumus, sancimus, & ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve Monialium, etiam Carthusiensium, Cistercensium, Sancti Benedicti, & Mendicantium, & quorumcumque aliorum Ordinum, etiam Militiarum, ac Statuum, Graduum & Conditionum, Dignitatum, ac Præeminentiarum existentium, etiam in Regia vel illustri prosapia ortarum, de cætero etiam infirmitatis, seu aliorum Monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione & prætextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus Cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum Jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expressè in scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licere. Aliter autem, quàm ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive Laicas, aut Sæculares, vel Ecclesiasticas, consanguineas, vel non, Excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque aliqua declaratione subjacere, à quo præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant: & insuper tam ingressas, quàm præsidentes, & alios Superiores prædictos eis licentiam hujusmodi concedentes, Dignitatibus, Officiis, & Administrationibus, per eas & eos tunc obtentis, privamus, & illas & illos ad obtenta, & alia imposterum obtinenda inhabiles declaramus.

§. 3. Nec non licentias & facultates, seu indulta & privilegia exeundi à Monasteriis, & extra illa standi, à Nobis, seu alio Romano Pontifice Prædecessore nostro, ac Sedis Apostolicæ Nunciis, & Legatis, etiam de Latere, ac majore Pœnitentiario, aut Ordinum prædictorum Superioribus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis restitutivis, præservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam, & datum concedentibus, aliisque efficacioribus, ac insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium intuitu, & contemplatione, ac instantia, vel aliàs quomodolibet concessa (quæ prorsus abolemus) ac litteras desuper confectas, & in posterum concedendas, & conficiendas, nullas, & invalidas, nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus & habituris suffragari posse.

§. 4. Et ita per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 5 Mandantes universis & singulis Venerabilibus Fratribus Nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub obtestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, quatenus per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras in Civitatibus & Diœcesibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, nec non præfatum decretum ipsius Concilii, quod incipit, Bonifacii VIII. diligenter & inviolabiliter sub Censuris Ecclesiasticis, aliisque præfatis Pœnis, & in eodem decreto contentis, observent, & observari faciant, & procurent. Contradictores quoslibet & rebelles, ac præmissis non parentes, etiam aliis pœnis Auctoritate Nostra, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; interdictum Ecclesiasticum apponendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Aliis Apostolicis Constitutionibus & Juribus, de hujusmodi Clausura disponentibus, nihilominus in suo robore duraturis.

§. 7. Cæterum volumus, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides ubique terrarum, tàm in judicio, quàm extra, adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1570. Cal. Februarii, Pontificatus nostri anno 5.

Anno à Nativitate Domini 1570. Indictione 13. Die verò 27. Mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Pii, Divinâ Providentiâ Papæ V. Anno ejus 5. retroscriptæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt Romæ, ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per Joannem Guererum, & Christianum de Monte, prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici, Mag. Curs.

Contra eos, qui ad Sacros Ordines promoventur, sine titulo, prætextu habitus Religiosi & Monasterii, ubi degunt, quamvis nullam regulam sint professi: anno 1568. V. Ex ibid. pag. 974.

PIUS PAPA QUINTUS.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex Sacrorum Conciliorum Auctor, & interpres, illa quæ in hujusmodi Conciliis à prudentibus Patribus in Spiritu Sancto legitimè congregatis salubriter sancita sunt, pro sui Pastoralis Officii debito, dum æquitas, honestas, & decus suadet, sicuti declarare, & moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sanè cum non decet Divino Ministerio ascriptos, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, in Sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus Sæcularis, quamvis aliàs moribus, scientia & ætate esset idoneus, ad Sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitimè constaret, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficeret, pacificè possidere, vel aliàs ordinari non posset, nisi juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam, & tenorem. Cùm autem nulla in hujusmodi decreto Religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (uti molestè accepimus) cæterorum Ordinum Religiosi, seu Canonici, vel Clerici intra claustra Monasteriorum, seu Domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam, seu nonnisi ad certum

tempus professionem emittunt; & ex claustro exire, vel dimitti, ad sæculum redire liberè, & licitè possunt, Religionis prætextu absque titulo sufficientis Beneficii; nec juxta dicti decreti tenorem ad Sacros Ordines se promoveri prætendunt; & à nonnullis Episcopis passim promoveantur; atque indè plerumque illud inconveniens eveniat; ut sic promoti, & à claustro exeuntes; & per sæculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore; ac Ordinis vilipendio; & quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur. Nos igitur qui singulorum Dei Ministeriorum honorem, & decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus; motu proprio, & ex certa nostra scientia; deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura sanctione, decretum prædictum de Clericis sæcularibus loquens, ad omnes, & singulos, etiam cujuscunque Ordinis Clericos Religiosos sive Sæculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus; & ampliamus; ac Religiosis, & aliis prædictis non professis, ut ad Sacros Ordines promoveri, nec non omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus, ut Ordines ipsos hujusmodi Religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, Nos virtute Sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna interdicimus, & prohibemus; ac contrafacientes per annum à præstatione talium Ordinum ipso jure suspendimus: statuentes; & decernentes promotiones quarumlibet Religiosarum personarum prædictarum ad Ordines hujusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam; etiam cujusvis licentiæ illis ab Apostolica Sede, vel illarum Superioribus cujuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ existant, etiamsi Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant, concessæ, prætextu factas, executione prædictorum Ordinum omninò carere, nullasque prorsus, & irritas existere, sicque promotas personas in Altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis Clericis concessis omninò privari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere; à quibus, nisi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo, minimè absolvi possint. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; ac quorumvis, Monasteriorum & Ordinum, etiam juramento & confirmatione Apostolica; vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis; illis illorumque Superioribus & personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cùm quibusvis; etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis; restitutivis & insolitis clausulis, irritantibusque; & aliis decretis in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, concessis; confirmatis; & innovatis; quibus omnibus, etiamsi aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes; mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores; formas, datas; & decreta in illis imposita, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis & insertis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris; hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et ut præsentes litteræ ad omnium notitiam perveniant, neve quis illarum ignorantiâ excusari possit, volumus; & Apostolica auctoritate decernimus; præsentes litteras ad valvas Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ publicari; & earum exempla affigi, & imprimi, illarumque exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici; & Sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curiæ obsignatis; eamdem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo &c. Datum Romæ; apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Pridie Idus Octobris, Pontificatus nostri, anno tertio.

Anno à Nativitate Domini Millesimo, quingentesimo sexagesimo octavo, Indictione undecima, die verò 12. Mensis Novembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini PII, divinâ providentiâ Papæ V. *anno tertio, retroscriptæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis in superius expressis locis præsentibus Litteris per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde ut moris est, amotis per Nos* Thomam Gallarum & Julium Parinum; *prælibati Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ V. ac Sanctæ Apostolicæ Sedis Cursores.*

Christianus de Monte, Mag. Curs.

Galliæ Clero conceditur facultas bona temporalia distrahendi; usque ad summam centum quinquaginta millium librarum pro Rege Carolo IX. ut Regni necessitatibus subveniat: anno 1568. VI. Ex ibid. Tom. IV. pag. 745.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilecto Filio nostro Carolo Sancti Chrysogoni à Borbonio tituli nuncupato; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, ac Venerabilibus Fratribus Michaeli Senentensi, & Fabio Gujacensi Episcopis nostris, & Apostolicæ Sedis, apud charissimum in Christo Filium nostrum Carolum Francorum Regem Christianissimum, Nunciis, ac Nicolao Archiepiscopo Senonensi Salutem; & Apostolicam benedictionem.

GRavi cùm animi nostri molestia intelleximus ex dilecto Filio Annibale Auricelario, quem ipse Carolus Rex superioribus diebus ad Nos misit; quam afflictæ & exhaustæ sint facultates suæ, totiusque sui temporalis dominii, quantumque hujus ærarii opes ob maximas impensas; quas ad sedandos & componendos exitiosos periculosissimosque tumultus ab Hugonotis hæreticis, & suæ Majestati rebellibus in suo regno concitatos facere coactus fuit, attritæ, & penitùs exanimatæ existant, adeò ut pecunias, quibus regnum ipsum ab eisdem hæreticis & rebellibus tueri ac conservare possit, Fisci regii rationibus nullo modo valeat comparare.

Quare idem Annibal ejusdem Regis nomine Nobis humiliter supplicavit, ut aliquod opportunum & salutare subsidium ex bonis Ecclesiasticis dicti regni ei subministrare vellemus. Nos considerantes dicti regni salutem, & Ecclesiastici Ordinis in eo conservationem in hoc potissimum consistere, ut Rex ipse copias & firma præsidia alere possit; quibus dictos Rebelles & hæreticos è sua ditione expellere; renitentes coercere, vel quòd sanè mallemus; errores suos recognoscentes ad sanitatem fideique Catholicæ cultum, & observantiam revocare valeat: eidem Regi præsentaneum auxilium afferre decrevimus, & cùm aliundè non possit; ad personas Ecclesiasticas dicti Regni, quamquam inviti, confugiendum esse duximus. Habita igitur super his; sicut urgens & evidens necessitas periculique magnitudo postulat, cum nonnullis ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, prudentiâ & rerum agendarum experientiâ præditis, deliberatione matura; Vobis; de quorum eximia & singulari fidei integritate, pietate, & æquitatis zelo specialem in Domino fiduciam obtinemus; Auctoritate Apostolica, tenore præsentium injungimus ac mandamus;

ut vos conjunctim procedentes, uno vel duobus, aut altero vestrum impeditis, & huic negotio intendere nequeuntibus, saltem tres ex vobis omnem faciliorem & commodiorem modum, viam & rationem excogitare, & invenire studeatis, & procuretis, quatenus tot annui redditus, & proventus quorumcumque bonorum immobilium Ecclesiasticorum, etiam feudalium, & jurisdictionalium, ad quascumque etiam Primatiales, Metropolitanas, & Cathedrales, Collegiatas, Parochiales & alias Ecclesias: nec non Monasteria etiam, quæ capita Ordinum dicuntur, ad Capitula, Conventus, eorumque Mensas, Prioratus, Præpositurās, Præpositatus, Præceptorias, Dignitates etiam majores, & principales Canonicatus, & Præbendas, Personatus, Administrationes, Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura secularia, & Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum regularia, nec non Hospitalia, & Militias, præterquam Sancti Joannis Hierosolymitani, cæteraque loca Ecclesiastica etiam exempta in dicto regno & Ducatu Britanniæ, ac Delphinatu, & provincia Provinciæ, cæterisque dominiis, terris, & locis dicto Carolo Regi quomodolibet subjectis consistentia, quovis modo spectantes, & pertinentes, quot singulis annis ad summam centum, & quinquaginta millium Francorum ascendant, ád tempus vobis bene visum, cum potestate illos redimendi, affrancandi, & liberandi, vendi, concedi, & alienari possint. Quo quidem modo per vos adjuvante Domino invento postmodum, redditus, ac proventus hujusmodi quibusvis personis, tam Laicis, quam Clericis, etiam cujusvis Ordinis Regularibus, non tamen de fide Catholica suspectis, illos emere volentibus, pro pretio, seu pretiis repetibili, seu repetibilibus, etiam venditionis, concessionis, & alienationis, seu quovis alio titulo concedendi, assignandi, alienandi, reservata tamen ut præfertur Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Beneficiis præfatis, illos intra tempus, de quo vobis expediens esse videbitur: ac etiam quovis alio tempore emptori restituto pretio per fiscum regium, seu per ipsos Ecclesiasticos redimendi & liberandi facultate: nec non super his quæcumque instrumenta cum pactis, obligationibus, cautelis & clausulis in similibus apponi solitis faciendi, & celebrandi, ac omnes & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, illis pacificè frui, & gaudere faciendi, nec eos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, vel perturbari permittendi: Contradictores quoque & rebelles, ac vobis in præmissis non parentes, eisque consilium, auxilium, vel favorem dantes ac præstantes, per Sententias, censuras, ac pœnas Ecclesiasticas, & etiam pecuniarias vestro arbitrio moderandas & applicandas, aliaque opportuna juris remedia appellatione postposita compescendi; ac legitimis super his habendis servatis processibus sententias, censuras & pœnas præfatas, quoties vobis placuerit, aggravandi, auxilium quoque brachii sæcularis ad hoc, si opus fuerit, invocandi, cæteraque omnia, & singula in præmissis & circa necessaria seu quomodolibet opportuna gerendi, mandandi, & exequendi, vobis plenam, liberam & omnimodam facultatem, auctoritatem, & potestatem, auctoritate & tenore præfatis, concedimus, & impartimur. Et nihilominùs potiori pro cautela alienationis, venditionis & concessionis fructuum, & redditiuum Ecclesiasticorum hujusmodi & instrumenta, quæ per vos cum personis præfatis vigore præsentium fieri contigerit: ex nunc prout ex tunc, & è contra, postquam facta fuerint, harum serie approbamus & confirmamus, approbataque, & confirmata fore, & esse volumus, & decernimus, supplentes omnes & singulos, tam juris, quam facti, & quarumcumque solemnitatum, etiam substantialium in similibus alienationibus rerum Ecclesiasticarum observari debitarum, defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, ac decernentes alienationes, venditiones & concessiones, aliaque præmissa vigore præsentium, & juxta illarum formam & tenorem facienda, suam debitam roboris firmitatem obtinere, suosque plenarios effectus sortiri, & per Ecclesias, Monasteria, & alia Beneficia præfata obtinentes, & alios quoscumque ad quos spectat, & imposterum spectabit, inviolabiliter observari debere, nec non tam illa, quàm præsentes litteras ex quavis causa de nullitate, aut subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu notari vel impugnari, & Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Abbatissas, aliasque personas, dignitates, & alia beneficia præfata, nunc & pro tempore obtinentes, à præmissis & aliis in vim præsentium per vos faciendis, quovis, etiam enormissimæ læsionis prætextu, aut ex quacumque alia, etiam justissima causa, quomodolibet appellare seu reclamare, ac illis aliqua privilegia, etiam per Sedem Apostolicam, sub quacumque forma, vel expressione verborum concessa suffragari non posse. Sicque per quoscumque Judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate judicari, definiri & interpretari debere: nec non irritum & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, cum scientia vel ignorantia, contigerit attentari. Non obstantibus Literis, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & præsertim Symmachi, & Pauli II. ac Pauli IV. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, in Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Ordinum & aliorum Beneficiorum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & Litteris Apostolicis illis, & ea quomodolibet obtinentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac consistorialiter, aut in vim initi, & stipulati contractus inter ipsos, & Sedem præfatam, vel aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis & innovatis, etiam disponentibus, quòd illis non nisi certis in eis expressis modo & forma observatis derogari non possit, & aliter factæ derogationes nemini suffragari debeant: vel etiamsi de illis specialis, specifica & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda esset. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus contrariis quibuscumque; Aut si Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, Commendatariis, Abbatissis, & aliis supra dictis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, atque etiam per præsentes decernimus, ut venditiones, concessiones & alienationes præfatæ per vos in vim præsentium faciendæ, in personas hæreticorum nullo modo fiant, neque fieri debeant: quòdque Ecclesiæ, Monasteria, & alia Beneficia præfata adeò non graventur, ut divinus cultus in

eis

eis manuteneri non valeat. Prætereà quòd pecuniæ ex hujusmodi venditionibus, concessionibus & alienationibus nisi in dicti Caroli Regis, suique regni, & Catholicæ Religionis defensionem, nec in alios usus exponi omninò debeant, ipsæque pecuniæ interim penes personam fide & facultatibus idoneam per vos eligendam, ac deputandam, realiter & cum effectu deponantur, quodque vos super his omnibus alia, & alia debitè, & opportunè provideatis, prout tibi, frater Episcope Gajacensis, mentis nostræ voluntatem ac desiderium prævius explicavimus, tibique super his ab omnibus fidem indubiam adhiberi debere mandamus, & insuper quòd præsentium transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo vestro, vel alicujus vestrûm munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ injunctionis, concessionis, imperationis, approbationis, confirmationis, mandati, decreti, suppletionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Calendis Augusti, Pontificatus nostri, anno tertio.

VII. Ex Actes, Titres &c. de France, Tom. 2. pag. 188.

Decernitur, quòd in omnibus Provinciis Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci esse debeant duo Conventus pro Fratribus strictioris Observantiæ: an. 1569.

PIUS EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium crebrò nos admonet & inducit, ut personis quibuslibet regularibus, vigilantiæ nostræ partes efficaciùs exhibentes, eos in institutorum suorum regularium candore salubriter manuteneamus.

§. 1. Accepimus sanè nuper, quòd in Ordine S. Francisci de Observantia nonnullæ sunt domus, & Loca, Recollecta nuncupata, in quibus dicti Ordinis Fratres arctiorem quàm in cæteris vitam degunt, & propterea eidem Ordini commodum & opportunum esse censentes, ut in singulis dicti Ordinis Provinciis, duæ Domus, & Loca Recollecta hujusmodi existant, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò decernimus, atque statuimus, quòd in qualibet Provincia dicti Ordinis duæ ad minus Domus, & Loca Recollecta esse debeant. Et præfata Monasteria Recollecta nullatenus ab hujusmodi recollectione separari possint: Et Fratres in illis degentes etiamsi velint (nisi de Ministri Generalis ipsius Ordinis vel Provincialis, & Discretorum Conventuum dictorum Locorum Recollectorum pro tempore existentium consilio) ad alia Loca non recollecta transferri nequeant, nisi eisdem Superioribus, ut aliter fiat, visum fuerit expedire.

§. 2. Decernentes præsentes Litteras, nullo unquam tempore, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, aut invalidari nullatenus posse, minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi ullatenus posse, sicque ab omnibus censeri.

§. 3. Et ita per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari debere, irritum quoque & inane, quidquid secus super his, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 4. Et nihilominus pro majori præmissorum occasione Venerabili Fratri Episcopo Conchen. & dilectis Filiis Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ac Officiali Toletan. per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant illas ab omnibus, quos illæ concernunt, inviolabiliter observari, non permittentes aliquid contra præmissa quomodolibet innovari. Contradictores quoslibet, & rebelles per easdem pœnas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

§. 5. Non obstantibus præmissis quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibusvis, etiam juramento & confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 6. Cæterùm quia difficile foret præsentes Litteras ad singula quæque Loca, ubi expediens foret, deferre, volumus quòd illarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die nona Martii, Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Pontificatus nostri, anno quarto.

VIII. Ex Memoires, du Clergé de France, Tom. 2. pag. 436.

Adversus Beneficiorum Confidentiarios: anno 1569.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INtolerabilis multorum perversitas, qui Sacrosanctàs Constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, seque illarum auctores in necessitatem adducit cautiùs providendi, quò pertinacium animi ab improbis conatibus, graviori sanctione proposita, reprimantur. Bene quidem & prudenter felicis recordationis Pius Papa IV. Prædecessor noster ad tollendam fiduciariæ mancipationis Beneficiorum & Ecclesiasticorum corruptelam statuit, & decrevit, ut ipso jure vacarent Ecclesiæ, Monasteria, cæteraque Beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscumque, etiam Sac. Rom. Eccl. Cardinalibus, cujusvis personæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem, sibi, & Apostolicæ Sedi reservando: Nec valerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reservationes, nec facultates aliàs transferendi, nec regrediendi, seu accedendi & ingrediendi ad Ecclesias, Monasteria & Beneficia supradicta, illaque recipientes fructus, pensiones, & aliàs res eorumdem indebitè perciperent. Prohibens quibuscumque, etiam sub cen-

ſuris Eccleſiaſticis, ne quid hujuſmodi amplius auderent. Ac etiam decrevit omnes & quaſcunque proviſiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias diſpoſitiones de Eccleſiis, Monaſteriis, & Beneficiis, nec non reſervationes fructuum, penſionum, rerum & jurium, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, ſive per ſe, ſive futuros Romanos Pontifices, etiam motu proprio, ac conſiſtorialiter, ſive etiam per ordinarios Collatores, etiam ad Patronorum præſentationem, cum interventu Confidentiæ hujuſmodi, ſive expreſsè, ſive occultè, ac de jure præſumpto, & aliàs contra prædicta pro tempore factas, nulliùs momenti fore, nec cuiquam ſuffragari, ſed Eccleſias, Monaſteria & Beneficia hujuſmodi ipſo jure vacare, ac prædictæ diſpoſitioni reſervata eſſe, ſicque per quoſcunque, etiam per præſumptiones, conjecturas legitimas, & aliàs eorum arbitrio procedendo (cum alioqui Confidentias hujuſmodi in lucem erui, & probari non poſſe constaret) judicari & definiri debere. Nec non irritum, & inane quidquid ſecus contingeret attentari, quemadmodum confectis ſuper his litteris ſuis pleniùs continetur. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates, prædicta, quæ ad purgandam hac pernicie Eccleſiam, & animarum ſalutem ab ipſo Prædeceſſore edita ſunt, in multis deprehendimus viam aperuiſſe graviùs delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quòd Judices in cauſis hujuſmodi Confidentiarum expediendis remiſſiores eſſent, omnes, & ſingulas cauſas ipſas ubicunque, & inter quoſcumque motas ad Nos advocaviſſemus, ac omnimodam hujuſmodi cauſarum præſentium & futurarum, rerumque omnium ex ipſis reſultantium cognitionem Nobis, & Succeſſoribus noſtris reſervaviſſemus, & ſuper quibusdam coram nobis proceſſum fuiſſet, variis inde, aut levibus conjecturis intelleximus, vitium quidem Confidentiæ occultè irrepſiſſe, ſed in plerisque cauſis præſumptiones, & conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minimè ſufficere, ejusque rei causâ plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem hujuſmodi Confidentias exercent, ubi cognoverunt obſtructam veritatem propter difficultates probandi in Judicio Confidentias ipſas contempta Conſtitutione prædicta, Eccleſias, Monaſteria & Beneficia ſic recepta, ut prius retinere, alios fructus, penſiones, & alias res accipere, alios eorum exemplo ad ſimilia & graviora fidentius commoveri. Multi etiam ipſa Beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad Sacros Ordines, ad reſidentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiſcantur, ut inimicos occidant: alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant; alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel abſolutione conſecuta illa repetunt, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipſorum, aut eis miniſtrantur, aut quibus ipſi ſtatuunt, ſæpe laicis & inhabilibus. Plerique vel ſenes, vel infirmi, ut Beneficia in domibus ſuis perpetuent, illa renuntiant & renuntiarunt in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Eccleſiaſticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut naſcituris aſſervent, facto interdum circuitu retroceſſionis, cum reſervatione fructuum & aliarum rerum, aut acceſſu, præſentium ab illis qui præſtandorum jurium Cameræ Apoſtolicæ ſunt immunes, alii aut incapaces, aut aliis Beneficiis Eccleſiaſticis onuſti, aut Eccleſiaſtico Ordini ſeſe mancipare refugientes, aut merè Laici Beneficia Eccleſiaſtica aliis conferenda procurant, ut de illis poſtmodum ad libitum ſuum diſponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique Ordinarii, & alii Collatores, ac etiam Patroni Laici curant deponenda Beneficia, ut fructus ſeu penſiones capiant eorumdem, aliisque faciant miniſtrari: Alia etiam permulta ejuſmodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impiè violatur, diſciplinæ Eccleſiaſticæ nervus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare Nos volentes periculoſam talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus, ut ſi quis quacunque auctoritate Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud Beneficium Eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illud, vel aliud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus, eidem dimittenti, vel alteri poſtea conferatur; aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur, ex eiſdem hæc Confidentia cenſeatur. Itidem ſi Ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum Beneficium Eccleſiaſticum quovis modo vacans, ea conditione tacita, vel expreſſa, ut poſtea in alterum pro arbitrio collatoris ſeu alterius cujuſcumque, contra juris communis ordinationem diſponatur, ſive ut de eo proviſus fructus illius, vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat & remittat, ſeu penſionem illi, vel illis, quem vel quos, idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alius ſcripto, aut verbo juſſerit ſeu ſignificaverit, perſolvat, & pariter ſi Patrono etiam laico, vel altero præſentatori, ſeu electori contigerit, vel contingat id fieri. Ad hæc ſi Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à ſolutione Jurium ipſius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apoſtolicæ exemptus, poſt reſignationem, vel ceſſionem alicujus extranei, de Eccleſia, Monaſterio, vel alio Beneficio Eccleſiaſtico in ſe, Apoſtolica, vel alia auctoritate factam & admiſſam, illam vel illud etiam confectis litteris Apoſtolicis & poſſeſſione apprehenſa, in eundem reſignantem, vel cedentem, modico ſpatio interjecto, veluti duorum aut trium menſium retroceſſerit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, aut Beneficii, vel eorum pars ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper illis reſervatum, aut regreſſus, ſeu acceſſus & ingreſſus ad illam, vel illud ipſi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto, ſit, fueritve conceſſus. Poſtremo ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt, denuò receperit quacunque auctoritate Eccleſiam, Monaſterium, vel aliud Beneficium Eccleſiaſticum, quòd ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſerit, in quovis horum caſuum Confidentiæ pravitas ſit contracta, caſusque hujuſmodi litteris prædictis comprehendantur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licèt ipſum Confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientiæ ſit admiſſum. Ad probandum verò plene Confidentiarum abuſum, inter alias etiam hæ præſumptiones & conjecturæ habeantur legitimæ, videlicet ſi quis poſt ceſſam à ſe Eccleſiam, vel Monaſterium aut Beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamque à Succeſſore poſſeſſionem, ſeu in illa, vel illo, ſeu rebus illius, per ſe, vel alium, ſeu alios de facto ſe ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicumque ſucceſſor illi, vel ejus propinquus ipſos, aut partem aliquam remiſerit eorumdem. Si recipiens Beneficium conſtituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos Procuratores ad percipiendum vel locandum fructus Beneficii dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. Si vel ſola Procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum ex parte dimittentis expeditio, quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint. Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta, quacumque auctoritate de Beneficio Eccleſiaſtico per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſerit, vel aliàs in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus Beneficii de facto etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocunque. Teſtes autem de

quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones, & conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones & conjecturæ plenam faciant probationem in prædictis. Cæterùm criminosi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus Simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittentur. Sed ne quisquam etiam vanâ fiduciâ fretus non intendendi contra se judicii in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censuræ stimulo usquequaque prohibeatur, omnes, & singulos, qui hucusque Ecclesias, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum etiam omnibus, & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Administrationibus, Officiis & Beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, nec non fructibus, & pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam R. Lic. & aliis Officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles declaramus, & in juris subsidium excommunicationis sententiâ innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione causarum hujusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, Nobis, & prædictis Successoribus, ut prædictum est, facta, causis illis dumtaxat exceptis, quæ jam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra ordinarios Collatores, Episcopos, & alios Superiores Prælatos, etiam Cardinales haberi contigerit, ut jam aliis nostris statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata decernimus, ita deinceps quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & ipsorum cuicunque quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicare, interpretari, & definire debere, nec non irritum, & inane, quidquid secus in prædictis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtiùs injungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Diœcesibus, & locis, etiam exemptis, ad prædicta studiosè attendant, & quatenus illis non relaxavimus, in delinquentes severè animadvertant, si divinæ Majestatis judicium, dictæque Sedis Censuram voluerint evitare. In cæteris verò causis, & negotiis Nobis & prædictis Successoribus exceptis, eosdem locorum Ordinarios præsentium auctoritate delegamus, ut gratiâ, & favore postpositis, pro se quisque, cum venerit usus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant, suoque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quam primùm transferant, ut Nos, & prædicti Successores in causis hujusmodi procedentes, quòd justum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis, prædictos omnes, & quoscumque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constito prius summariè, & extrajudicialiter de non tutò ad illos recessu, citandi, & monendi, eisque, ac Judicibus ordinariis, & delegatis, aliisque personis quibuscunque, ne prædictorum executionem quoquomodo impediant, vel aliàs in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdemque, ac alios Contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac omnia alia juris, & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii sæcularis, quandocunque opus fuerit, invocandi, cæteraque in prædictis omnibus singulis necessaria faciendi & exequendi, plenam & liberam, tenore præsentium, concedimus facultatem. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, & quod Episcopis collatoribus, & Prælatis prædictis, etiam Cardinalibus, vel quibusvis aliis communiter & divisim à prædicta sit Sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad judicium trahi non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus, non expressa, aut in totum inserta, effectus præsentium, aut attributæ prædictis Ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio, impediri valeat quomodocumque, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscumque, litteris Prædecessoris hujusmodi nihilominùs in suo robore duraturis. Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscunque Curiæ Ecclesiasticæ, ejusve Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in judicio, & extra ubique locorum faciant, quàm ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ privationis, statuti, decreti, innodationis, injunctionis, delegationis, concessionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo nonò, Kal. Junii, Pontificatus nostri, anno quarto.

Cæ. Glorierius, H. Cumyn.

Anno à nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo nono, Indictione duodecima, die vero Sabbati sexto Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini P I I divinâ providentiâ Papæ Quinti, anno quarto, retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Lateranensis, & Principis Apostolorum de urbe, Cancellariæ, & in acie Campi Floræ, ut moris est, dimissis in omnibus supradictis locis earumdem retroscriptarum litterarum copiis affixis, per Nos Julium Parinum, & Joannem Andream Panizzam, *prædicti Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ Quinti* Cursores.

Christianus de Monte, Magister Cursor.

Petentibus Philippo II. Hispaniarum Rege, Cornelio Jansennio Episcopo Gandavensi, & Viglio Præposito, novam Præposituram erigit in Ecclesia Gandavensi: an. 1570. IX. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. 2. Pag. 1 [illegible]

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium statui, & directioni sollicitis studiis intendentes, ad illa libenter deflectimus, per quæ ipsarum Ecclesiarum decori, & venustati salubriter consulitur, & in eis divinus cultus suscipit incrementum.

Sanè Charissimus in Christo Filius noster *Philippus*, Hispaniarum Rex Catholicus, qui etiam Flandriæ Comes existit, tam suo, quàm Venerabilis Fratris Cornelii Episcopi Gandavensis, & dilecti Filii nostri Viglii à Zuychem, Præpositi Ecclesiæ Gandavensis Notarii nostri, nominibus nuper exponi fecit, quòd aliàs Cornelius Episcopus,

& qui Cancellarius Ordinis Velleris Aurei, nec non Consiliarius Status, & primarius Præses Secreti Consilii dicti *Philippi* Regis existit, & Viglius, prædicti, visis, & diligenter discussis per eos litteris felicis recordationis Pauli Tertii, & Pauli Quarti, ac Pii etiam Quarti Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, tam reductionis Ecclesiæ Sancti Bavonis Gandavensis ex Regulari in Collegiatam, quàm etiam illius erectionis in Cathedralem Ecclesiam, cum illius dotatione è Bonis, & fructibus Præpositurae ejusdem Ecclesiæ, quam dictus Viglius obtinet, post decessum tamen ipsius Viglii desumenda, visum eis fuit, ut pro decore dictæ Ecclesiæ, ac memoria pristinæ Dignitatis, ac juxta aliarum Cathedralium Ecclesiarum in præsentibus consuetudinem dictæ Præposituræ titulus, & dignitas post dicti Viglii decessum retineatur, eademque Præpositura, cum primùm per obitum Viglii hujusmodi vacaverit, alicui ex Canonicis ipsius Ecclesiæ cum duarum Præbendarum proventibus conferatur, præsertim cùm alia Bona ipsius Præposituræ aliundè pro dote dictæ Ecclesiæ suffectura sint; Et propterea inter alia sub beneplacito nostro ad certorum articulorum conceptum devenerunt sub ejusmodi tenore.

Videlicet visâ Bullâ dotationis Episcopatus Gandavensis, nonnulla occurrunt non satis animadversa, & quæ meritò emendationem, si Apostolicæ Sedi suggerantur, accipere possent; Nam quantum ad eam partem attinet, quæ ex decem affectis Canonicatibus, & Præbendis Ecclesiæ divi Bavonis, unum, & unam Episcopo tribuunt, ratione quorum Capitularis esset, itaque locum, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos Confratres suos, etiam in Capitulo habiturus esset, certum est, Sanctissimum Dominum nostrum felicis recordationis Pium Quartum, & Deputatos in præfata Bulla memoratos, ignorasse, Abbati, sive Præposito Ecclesiæ Divi Bavonis ex Regulari, & Monachali in Sæcularem, & Collegiatam assignatas fuisse quatuor Præbendas, quarum ratione Præpositus Capitularis esset, ac duas voces haberet, alioquin esset absurdum, quòd supra quatuor Episcopus quintum Canonicatum, & Præbendam consequeretur, præsertim cum benè dotatum habiturus sit Episcopatum. Itaque, salvo majori Judicio, videtur rationi & æquitati magis congruum, si loco decem Canonicatuum, & Præbendarum, novem tantum Graduatis afficerentur; Episcopus ex quatuor in prima erectione Abbati, sive Præposito assignatis, duas Præbendas post moderni decessum Præpositi obtineat, quarum vigore Canonicus Capitularis esset, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos haberet.

Deinde videtur omninò consultum, ut Præpositi dignitas pro temporalium conservatione, quemadmodum in plerisque aliis Cathedralibus Ecclesiis, atque etiam ante dictam erectionem in Abbatia Sancti Bavonis usitatum fuit, maneat, eaque post Pontificalem major habeatur, ad quam aliquis de gremio Capituli, & qualificatus à regia Majestate, retentâ Præbendâ sive affectâ, sive non, quàm anteà habuit, pro sustinenda dicta dignitate nominaretur, sed prædicta dignitas in primævo suo honore quodammodo conservaretur: nihil tamen Præpositus administraret, nisi ab Episcopo jussus, & requisitus, neque Jus aliquod prætendat in Jurisdictione, vel Bonis, ac Collatione Beneficiorum, ac Officiorum moderno Præposito competentibus, quæ post ejus decessum dicto Episcopo, & Successoribus suis cedant.

Et quoniam Episcopus Gandavensis, juxta Bullam sui Episcopatus Canonicatum, & Præbendam jam consequutus sit, ac eorum ratione jam Capitularis effectus, æquitas exigit, ut cùm plenam dotem sui Episcopatus, quæ cæteris luculentior futura est, assequutus fuerit, quæ duas è quatuor in prima erectione Præposito assignatas Præbendas complectetur, dictos Canonicatus, & Præbendam illicò dimittat alicui ex novem Graduatis, ad Canonicatus dictæ Ecclesiæ assumendis, & aliàs, prout in Instrumento desuper confecto pleniùs continetur.

Quare idem *Philippus* Rex nominibus prædictis nobis humiliter supplicari fecit, ut super his opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui Ecclesiarum decorem, & honorem, ac divini Cultus, personarumque Ecclesiasticarum augmentum summis desideramus affectibus, prædictos *Philippum* Regem, & Cornelium Episcopum, ac Viglium à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac conceptum hujusmodi in prædictis articulis gratiosè admittentes, ac ratum, & gratum habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, illum, ac singulos Articulos prædictos, omniaque, & singula, quæ eos concernunt, licita tamen, & honesta, ex nunc si sint, alioquin ex tunc, prout ex nunc, & è contra, postquam fuerint sortita effectum, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inconcussæ firmitatis robur adjicimus, ac ac omnibus inviolabiliter observari debere volumus, & ad hoc, ut suum debitum sortiantur, & sortiri debeant effectum, desuper statuimus, ordinamus, & decernimus in omnibus, & per omnia, juxta dictorum Articulorum tenorem; ac ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, admissionis, rati, ac grati habitionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, suppletionis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDLXX. septimo Idus Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

X. Ex Actes, Titres &c. de France, Tom. 2. pag. 189.

Prohibitio erigendi Confessionales ad publicandas Indulgentias quæstuarias: anno 1570.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUam plenum sit periculi noxia populis ingerere, nimium his temporibus afflicta religio testatur: quod malum cum in cæteris Ministris, tum præcipuè in Ecclesiarum Prælatis animadvertendum est, quòd ab his temere profecta longè maxima Ecclesiæ Dei conferant detrimenta. Rem sanè indignam audivimus, quòd non solum quondam Gometius Tello Giron temporarius administrator Ecclesiæ Toletanæ, sed etiam quidam Hispaniæ Ecclesiarum Præsules officii paterni prætextu, facultates sibi à Sacris canonibus concessas excedentes, litteras suas in ipsorum Civitatibus ac Diœcesibus ausi sunt publicare, quibus inter cætera peri-

culosa deprehenditur, quòd cuicumque illas accipienti certâ solutâ pecuniâ licitum sit, quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui confessione audita ipsum absolvere valeat, non in eis tantum casibus, in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis quæ solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo prætereà casu admixto, veluti Simoniæ reatu, qui ad examen hujus Sanctæ Sedis esset referendus. Non animadvertentes ipsi Præsules & Administratores, quàm periculosum sit, ea passim in certis personis committere, quæ ad Episcoporum judicium arbitriumque idcirco deferuntur, ut qui meliùs lepram à lepra discernere norint, causis & circumstantiis subtili indagine exploratis, salutaria cuique morbo remedia valeant adhibere. Ad hæc ipsi in dispensandis cœlestis gratiæ donis nimium prodigi, iis sic litteras prædictas accipientibus, indulgentias, & pœnitentiarum injunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusiùs & indiscretè largiuntur: quibus, & aliis licentiis prædictis non pauci fluctuantes & infirmi, veniæ facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot & tantorum delictorum remissionem certo & vilissimo pretio acquirere posse confidant. Indicem prætereà casuum & indulgentiarum ædibus sacris appendi jusserunt, quo palam significatur solventibus suprascripta concedi, & inter alia absolvendi facultatem ab esu prohibitorum tribui, itemque indulgeri Missæ sacrificium, & sepulturam tempore interdicti, assumptionem duorum, pluriumve Compatrum ad sacrum Baptisma, præter eos, qui Synodalibus, ut dicunt, constitutionibus asciscuntur, reparationem Ecclesiarum, erectionem Confraternitatum, & alias pias causas prætexendo.

§. 1. Cum igitur inter cætera scandala, etiam Simoniæ pravitas redoleat, ex prædictis Sacri Tridentini Concilii decretis, & aliis Sanctionibus Canonicis, nostræ prætereà Constitutioni de indulgentiis ad quæstum non emittendis, adversetur, clavium auctoritas evilescat, & pœnitentialis satisfactio enervetur; Nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris præcavendum fore censentes, de Apostolicæ potestatis plenitudine supradicta omnia, quæ in ipsa Toletana, & quibuscumque aliis Civitatibus, Diœcesibus, & locis, tàm Hispaniæ quàm aliarum quarumcumque Provinciarum & Regionum quocunque prætextu hucusque emanarunt, perpetuò abolemus, ac nulla & irrita nunciamus, jubemusque litteras, & indices, nec non scripturas, & monumenta quæcunque, publica & privata, per ipsos Locorum Ordinarios, & alios Ecclesiarum Rectores, ubicunque reperiantur, dilacerari, penitusque deleri. Et ne talia de cætero à quoquam fiant, publicentur, vel concedantur, districtiùs prohibemus.

§. 2. Quicunque secus egerint, seu attentaverint, Antistites, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingressu, & perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tandiù suspensi jaceant, donec satisfactione prævià illis per Sedem prædictam suspensio relaxetur. Inferiores verò ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quàm Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes etiam irritum & inane, quicquid secus per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium exempla, etiam impressa, Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in judicio & extra illud ubique locorum faciant, quàm ipsæmet præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

§. 4. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, nunciationis, jussionis, prohibitionis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo, 4. Non. Januarii, Pontificatus nostri, anno quarto.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo, Indictione decima tertia, die verò vigesima tertia Mensis Januarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Pii, divina providentia Papæ V. anno quarto, retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranens. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, dimissis in supradictis locis præsentibus Litteris per aliquantulum temporis spacium affixis, & deinde amotis, per me Julium Parinum, Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursorem.

Jo. Guerardi, Mag. Curs.

Prohibet, Concilii Tridentini Vestigiis inhærens, Regularibus cujuscunque Ordinis Sæcularium Confessiones audire sine præcedenti Episcopi examine: anno 1571.

PIUS EPISCOPUS.

Ad perpetuam rei memoriam.

XI. Ex Mem. du Clergé de France. Tom. I. pag. 968.

Romani Pontificis providentia circumspecta, nonnunquam gesta per eum, rationabilibus, & honestis suadentibus causis, moderatur, & commutat in melius, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§. 1. Nuper siquidem quasdam declarationes & moderationes circa nonnulla Concilii Tridentini decreta Regulares personas Ordinum Mendicantium, eorumque instituta concernentia edidimus, & promulgavimus: Et quia uti accepimus illarum vigore Sacerdotes Regulares prædictorum Ordinum quandoque minus idonei, & inhabiles confessionibus Sæcularium audiendis ab eorum Superioribus præpositi, absque aliqua Episcoporum, sed sola Magistri Ordinis Generalis, aut Provincialium ministrorum approbatione admittuntur.

§. 2. Nos super his pro debito pastoralis officii, prout tenemur, salubriter providere volentes, tenore præsentium hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus, & declaramus. Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis confessionibus Sæcularium præpositorum ab Episcopis facienda, observari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, etiam sub regulari disciplina viventibus, etiam si sint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum suorum Licentia, Graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Provincialibus Ministris, Sæcularium confessionibus audiendis præpositi. Volumus tamen, eos qui semel ab Episcopo in Civitate & Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari. Ab Episcopo autem Successore pro majori conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt.

§. 3. Inhibentes quibuscunque Regularibus quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ut præfertur, ne vigore deputationis, & approbationis ab eisdem Magistris, & Ministris Provincialibus, etiam quòd illarum occasione ab Ordinariis hucusque tolerati fuerint, absque speciali in posterum licentia, & approbatione ab Ordinariis obtinenda, Sæcularium confessiones audire præsumant. Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris Litteris prædictis, & aliis postea quibuscunque Regularibus con-

cessis, & forsan extensis, quas quoad ea quæ præsentibus adversantur & contrariantur, penitùs & omninò revocamus, cassamus, & irritamus, nec non Monasteriorum, & aliorum Regularium Locorum, ac Ordinum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, quibusvis Monasteriis, Regularibus Locis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis: quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus, contrariis quibuscunque.

§. 5. Ut autem præsentes Litteræ ad omnium quorum interest notitiam deducantur, nec aliquis earum ignorantiam prætendere, aut contra eas se excusare valeat, dicta auctoritate statuimus & decernimus, ut ipsæmet litteræ, vel earum transumptum in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, Sancti Joannis Lateranensis, ac Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ per aliquos ex Cursoribus nostris publicentur, earum exemplo in singulis valvis & acie prædictis affixo, & dimisso.

§. 6. Verùm quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda est, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quòd earumdem litterarum transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in judicio, & extra illud, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo &c.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo primo, octavo Id. Augusti, Pontificatus nostri, anno sexto.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo; Indictione decima quarta, die vero vigesima secunda Mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini PII, divinâ providentiâ Papæ V. *anno ejus sexto, retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis, per nos* Joannem Gerardum & Alamanum de Alamanis *Cursores.*

Philibertus Chappuis, Mag. Curs.

GREGORIUS DECIMUS TERTIUS.
PONTIFEX CCXXX.
ANNO DOMINI MDLXXII.

GRegorius Bononiensis, prius Hugo Boncompagni, anno 1572. Pio V. successit. Hic Kalendarium variis erroribus obnoxium, ac labentem Festorum rationem juxta Veterem Nicænæ Synodi rationem restituit, demtis è Mense Octobri anni 1582. decem diebus, & æquinoctio verno deinceps vigesimo primo Martii assignato, Epactisque ad Lunæ mutationes designandas, in aurei numeri locum substitutis, editis ea de re regulis perpetuò duraturis. obiit anno 1585. (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb.* 1727. *Tom. II. fol.* 387. *App.*)

Breve ad Philippum II. Regem Hispaniarum, quo ei facultatem largitur creandi novos Equites Ordinis Aurei Velleris extra Capitulum seu Comitia Ordinis: anno 1572. I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. I. p. 240.

GREGORIUS PAPA XIII.

Carissime in Christo Fili noster, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecisti, quod ad præsens vacant plura Loca & Officia Ordinis seu Societatis Velleris Aurei, *Del Toson*, vulgò nuncupati, & dubitas de Locis & Officiis hujusmodi extra Capitulum dicti Ordinis disponere seu providere posse. vulgò Toison d'or.

Ad omnem igitur dubitandi materiam tollendam, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Tibi, ut hâc vice de Locis & Officiis hujusmodi extra dictum Capitulum, quatenùs id aliter facere nequeas, ad tui beneplacitum disponas, disponendi licentiam & facultatem, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium concedimus.

Non obstantibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, etiamsi in illis caveatur expresè, quòd illa Officia extra dictum Capitulum conferri non possent, & aliter factæ collationes & provisiones nullæ essent, Privilegiis quoque, Indultis & Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis & innovatis (quibus omnibus, eorum tenores in præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresè derogamus) cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. Octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Pontificatus nostri, anno sexto.

Reducit ad Normam Juris Communis, & Concilii Tridentini omnia privilegia Regularibus à Pio V. concessa: an. 1573. II. Ex Mem. du Clergé de France, Tom. I. pag. 976.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN tanta rerum, & negotiorum mole, qua Romanus Pontifex ex omnibus mundi partibus assiduè premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus postea recognitis necesse est moderationis remedium adhibere.

§. 1. Cum itaque aliàs fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster, auditis gravaminibus, quæ Fratribus Ordinum Mendicantium ab Ordinariis locorum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, multis modis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, pœnitentiis injungendis, Fratribus ad Ordines promovendis, celebratione Missarum, cura animarum, Sacramentorum ministratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, aliisque hujusmodi juribus, nec non decimis, & diversis oneribus, ac etiam super statu & regimine Sanctimonialium ipsis Fratribus subjectarum formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentiâ, locorum acquisitione, certisque aliis rebus tunc expressis, multa per quasdam suas litteras pro dictis Fratribus non modo statuerit, sed & quæ jam in Concilio Tridentino decreta fuerant ad hæc pertinentia declaraverit, multaque præterea privilegia eisdem decimo septimo Calend. Junii, Pontificatus sui, anno secundo:

§. 2. Et

§. 2. Et deinde ea omnia diversis aliis Ordinibus & Congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis concesserit.

§. 3. Postea per quandam suam Constitutionem de Vicariis perpetuis Parrochialibus Ecclesiis unitis per Ordinarios Locorum instituendis, & portione illarum Vicariis assignanda editam, alia super constitutione Fratrum eorumdem ad exercitium Curæ animarum in eis Parrochialibus Ecclesis, quæ domibus & locis suis unita sunt, decreverit.

§. 4. Demùm animadverso, quod ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi Divini Cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant, contra ac ipse sperabat, & per suam expectationem, ut qui interdum conquereretur, multa aliter alioque sensu à se prolata fuisse, quam litteris expressa essent: Cupiens his mederi incommodis, primùm illa omnia, quæ Regularibus aliorum Ordinum quàm Mendicantium communicaverat, & secundùm præmissa concesserat, motu proprio restrinxerit: Deinde pleniùs providere volens, prioribus litteris à se quoad ipsos Mendicantes magna in parte moderatis, omnes, & quascumque alias litteras, quæ de aliis Ordinibus, & Congregationibus extra Mendicantium Ordines de Observantia nuncupatos manaverant, omninò aboleverit, causas omnes jam de his etiam in Romana Curia pendentes ad se advocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus latasque sententias annullando, quemadmodum aliis suis litteris in registro proximè compertis, nunquam tamen publicatis, pleniùs continetur.

§. 5. Postremò circa Confessariorum Regularium Mendicantium approbationem juxta Concilii prædicti decretum faciendam, etiam Lectores in Theologia Graduatos, & certos alios tunc expressos comprehendi debere declaraverit.

§. 6. Nos hac tanta varietate cognita, quæ etiam ex multiplici litterarum, & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus litteris & constitutionibus, quæ ab eodem Prædecessore eisdem de rebus quorumcunque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quæ sive ex jure veteri, sive ex Sacris dicti Concilii Decretis, sive aliàs legitimè ante dictarum litterarum & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, suumque pristinum integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus; quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, nec non prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipsis litteris & constitutionibus apposita, & aliàs eorum occasione vel causa factis, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni adversantia, quibuscunque illa sint concepta formulis, ac reservationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis, etiam motu & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conservatione status Regularis, & ex quibuscunque aliis urgentissimis causis quotiescunque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis & infectis haberi, omnesque supradictos, illarum usu, commodo, & effectu carere.

§. 7. Ac omnes lites & controversias, quæ coram quibusvis Judicibus, sive Ordinariis, sive Commissariis, etiam causarum Palatii Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, prædictarum litterarum & constitutionum occasione super præmissis jam motæ sunt, nec dum decisæ aut finitæ, vel etiam quæ jam decisæ sunt, si modo tractum habeant successivum, easque rursus & inter quoscumque excitari in posterum contingat, secundum prædictam dispositionem nec aliter decidendas.

§. 8. Futura verò dubia & difficultates, quandocunque & ubicunque orientur, ad Nos, & Sedem Apostolicam, ubi & cætera quæ ad decreta dicti Concilii pertinent quotidie declarantur, omninò referenda esse.

§. 9. Nec non irritum & inane, quidquid secus super his per quoscunque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Mandamus itaque in virtute Sanctæ Obedientiæ, præsentes ab omnibus ubique Episcopis, & Locorum Ordinariis, nec non Ecclesiarum Prælatis, Rectoribus, Fratibusque prædictis, ac cæteris ad quos pertinet, semper inviolata observari.

§. 11. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, Locorum & Ordinum quorumcumque juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis, dictis Ecclesiis, Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet concessis, & confirmatis: quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, expressa, individua, & ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Ut autem præsentes omnibus pleniùs innotescant, volumus earum exempla fieri, & etiam imprimi, illisque Notarii publici manu, & Curiæ Ecclesiasticæ, vel Prælati, & Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obsignatis, eamdem illam prorsus fidem, in judicio & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Calend. Martii, Pontificatus nostri anno primo.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, Indictione prima, die verò vigesima tertia Mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Domini Gregorii, Divinâ Providentiâ Papæ XIII. anno primo, retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Joannis Lateranensis de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Joannem de Soya, & Marcum Antonium Brutum, *ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ* Cursores.

Antonius Ludovicus, *Mag. Curs.*

Petente Henrico III. Galliarum Rege tributa decernit super Bonis Ecclesiasticis Regi solvenda, usque ad decies centena millia librarum, pro subsidio contra Religionis, & Regni perduelles: anno 1574. III. Ex ibid. Tom. 4. pag. 750.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Carolo Sancti Apollinaris à Lotharingia, & Carolo Sancti Chry-

sogoni titulorum, à Borbonio, Presbyteris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Venerabilibus Fratribus Antonio Mariæ Sancti Papuli nostro in illis partibus Nuncio, ac Parisiensi Episcopis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

IN maximis animi nostri molestiis, & hujus temporis calamitatibus, ea præcipuè cura Nos angit, ac sollicitos reddit, ut aliqua ineatur ratio, quæ summæ necessitati charissimi in Christo Filii Nostri, Henrici Francorum Regis Christianissimi, ab nobilissimi ejus regni saluti, Religionisque in eo Catholicæ defensioni, quantum in Nobis est, succurramus. Scientes enim post obitum claræ memoriæ Caroli Regis proximè defuncti, regnum illud non internis solùm & domesticis seditionibus ac periculis plenum, sed externis etiam invasionibus expositum relictum fuisse, ærarium, ob diuturna superiorum temporum bella, exinantium, ipsum Henricum Regni Successorem, quoniam longissimè tum abfuit, in Regnum revertendi, ejusque pacandi causâ ingentes necessariò sumptus esse facturum: tum ob hæc, tum ob præstantissimam illius pietatem, virtutem, ac Religionis Catholicæ zelum, omnibus eum gratiis & auxiliis juvandum & ornandum esse judicavimus. Etsi autem cuperemus, id à Nobis fieri posse sine ullo Ecclesiarum, earumque possessorum, incommodo ac detrimento, tamen cum opes regiæ adeo attritæ sint, ut celeri indigeant auxilio, & periculum impendens ad omnes æquè, ac multo etiam plus ad ipsas Ecclesias, Ecclesiasticasque Personas pertineat, nec mirum, nec cuiquam grave videri debet, si ad Christi patrimonium, cujus causa agitur, Ecclesiarumque substantiam confugitur. Itaque cum exploratum Nobis sit, subsidium decies centenum millium librarum Turonensium ex fructibus Ecclesiarum istius Regni à vobis mandato, & Auctoritate Nostra proximè per alias Nostras litteras impertita exigendum, ipsius Regis, & Regni necessitatibus satis esse non posse, sed majori opus esse subventione, ac propterea aliud simile subsidium ex proprietate Bonorum Ecclesiasticorum redigendum concedere statuerimus, vestra etiam in hac parte fide, prudentia, integritate, ac diligentia confisi, de Apostolicæ Potestatis plenitudine Nobis attributa, vobis per Apostolica Scripta mandamus, ut per viros idoneos, prudentes ac Deum timentes diligenter de statu, qualitate, ac redditibus omnium Ecclesiarum inquiraris, & quid earum cuique quâ minimâ ipsarum jacturâ, & incommodo abstrahi possit, re diligenter cognita statuatis, super quo conscientias vestras oneramus. His verò peractis vobis promittimis, plenamque, & liberam facultatem, mandatum & auctoritatem tribuimus, ut nullius consensu requisito, ac etiam invitis & contradicentibus possessoribus de omni, & quacumque proprietate, & dominio Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, Primatialium, nec non Monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum, & Conventualium majorum & principalium, Administrationum & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, nec non Capitulorum, Conventuum, & locorum omnium in Regno Franciæ, & Dominiis eidem Regi ultra montes subjectis, consistentium, eorumque Mensarum & annexorum, non tamen Mendicantium, nec Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac exceptis omnibus Monasteriis Monialium, & Parochialibus Ecclesiis, aliisque Beneficiis, quæ Curam Animarum non habent, & valorem annuum centum Librarum Turonensium non excedunt, tot bona immobilia cujuscumque qualitatis, & naturæ, non tamen jurisdictionem habentia, nec non census, fructus, redditus, & jura: ex quibus alia decies cententa millia Librarum Turonensium duntaxat redigantur, ab ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Officiis, Beneficiis, Mensis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, & Locis, eorumque Proprietatibus, & Juribus. Ita tamen ut bona minus commoda, minusque Ecclesiis utilia àd id deligantur, quorumque alienatio Dignitatem Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, Ordinibus, & Locis non imminuat, perpetuò dismembrare & separare, & sic dismembrata, divisa, & à reliquo corpore sejuncta, quibuscumque meliorem offerentibus conditionem vendere, & titulo venditionis transferre. Ita quod omnes emptores, eorumque successores, illa tanquam prophana, propria, paterna & avita possidere, & de illis illorumque fructibus liberè disponere possint. Pretium verò ex hujusmodi venditionibus proveniens Henrico Regi ad usus prædictos persolvere, cæteraque omnia & singula necessaria & opportuna facere & exequi, vicesque vestras, sive in toto, sive in parte, aliis delegare liberè & licitè valeatis, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus est expressum: Non obstantibus Apostolicis ac in Conciliis generalibus vel specialibus editis, nec non Symmachi & Pauli Secundi aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis ad jus & proprietatem revocandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus. Nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum & Ordinum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus & indultis Apostolicis, eisdem ac ipsorum Superioribus, & Personis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis & insolitis clausulis ac decretis quotiescumque concessis, confirmatis, & innovatis, ac quibuslibet aliis indulgentiis, ac Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existentibus, per quæ præsentibus non expressa, vel non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus, totisque ipsorum tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis: quæ omnia nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Si verò quisquam vestrum legitimo detentus impedimento prædictorum executioni minimè poterit interesse, tres ex vobis nihilominus exequantur.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, tributionis, voluntatis, decreti, ac mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, nono Kalend. Septemb. Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

Leue, publiée & registrée, oüy & ce requerant le Procureur general du Roy, à la charge de reiterer la publication à la seance du Parlement au premier jour plaidoyable d'apres la Saint Martin, prochainement venant. A Paris en la Chambre ordonnée par le Roy au temps des vacations, le 4. *jour de Novembre l'an* 1574. *signée* Le Prevost.

Et sur le reply de l'original, depuis envoyé à Messieurs de la Cour de Parlement est écrit: Leuës, publiées & registrées, oüy & ce requerant & consentant le Procureur General du Roy. A Paris en Parlement le 22. jour de Novembre, l'an. 1574.

Signé, du Tillet.

Bullæ

Bullæ præcedentis Series.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Carolo Sancti Chrysogoni de Borbonia, & Ludovico S. Thomæ in partitione titulorum de Guisia Presbyteris, ac Ludovico Sanctæ Luciæ in silice Diacono Estensi nuncupatis Cardinalibus, nec non Venerabilibus Fratribus Nostris Antonio Mariæ, Sancti Papuli, Nostro in Regno Galliæ Nuncio: at Parisiensi Episcopis, nec non dilectis Filiis Florentino Regnard Carnotensi, & Bono Broé Sanctæ Capellæ regalis nuncupatæ Parisiensi, Ecclesiarum Canonicis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUi proximè in Gallia motus excitati fuerint, quæ externa & interna armorum dissidiorumque pericula inclytæ Nationi isti impenderint, quibus molestiis, calamitatibus, invasionibus, charissimus in Christo Filius Noster Henricus Francorum Rex Christianissimus obnoxius fuerit, adeo clarum certumque ad omnium aures allatum est, ut à nobis commemorari, quod sine summo dolore facere non possumus, necesse non sit. Ipse quidem Rex tot undique difficultatibus & angustiis circumseptus, quâ est pietate, clementia & animi moderatione, nihil majori curæ habuit, quam ut populos suos tam diuturnis damnis & afflictionibus liberaret, sperans scilicet Dei Benignitate aliquando futurum, ut ipse meliori, & saniori eorum, qui jure aberrarunt, obsequio usus consilia sua ad Dei Gloriam, ac perpetuam regni pacem, & tranquillitatem dirigere, & ad effectum perducere posset. At quoniam ob ingentes perpetuosque superiorum temporum sumptus, fiscus regius supra quàm dici potest, exhaustus est, nec in promptu est facultas pecuniæ comparandæ, quâ nunc opus est, ad subveniendum maximis, urgentibusque ipsius necessitatibus, nisi universi regni opes concurrant: cùmque Rex, post exactam quantam maximam potuit à Sæcularibus Regni, & ex vectigalibus suis pecuniam, similiter Nobis supplicari fecit, ut opportunum etiam aliquod ex redditibus, Bonisque Ecclesiasticis istius Regni subsidium concedere vellemus; Nos, etsi nihil optatius gratiusque esset nobis, quam Ecclesias, Ecclesiasticosque sublevare, nedum novis oneribus gravare, præsertim Galliæ Clerum, qui nimis sæpe jam intra paucos annos gravatus fuit, tamen animo revolventes hanc necessitatem temporis, quo inter alia gravissima mala, atque incommoda cuncta isthic rapinis, incendiisque ab exteris nationibus, quæ Ecclesiis, Ecclesiasticisque præcipuè sunt infestæ, miscentur, charissimi Filii Nostri precibus deesse non potuimus. Habitâ igitur cum Venerabilibus Fratribus Nostris deliberatione matura, deque eorum assensu, & Apostolicæ Potestatis plenitudine, de vestra eximia integritate, fide, diligentiaque confisi: vobis per Apostolica Scripta mandamus, ut post diligentem reddituum, bonorumque ac status præsentis omnium Ecclesiarum inquisitionem, per vos, vel alios idoneos ad id delectos viros faciendam, æquâ portione servatâ, singulis juxta verum & clarum valorem assignatâ, quid cuique ipsarum minore jactura & incommodo distrahi possit, te diligenter cognita, statuatis, super quo conscientias vestras oneramus. Quibus peractis vobis permittimus, plenamque & liberam facultatem, mandatum & auctoritatem tribuimus, ut etiam nullius consensu requisito, ac invitis & contradicentibus possessoribus, de omni, & quacumque proprietate ac Dominio Ecclesiarum Cathedralium, etiam Metropolitanarum, Primatialium, nec non Monasteriorum, Prioratuum, Dignitatum etiam Conventualium, majorum & principalium Administrationum, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, nec non Capitulorum, Conventuum, & locorum omnium in Regno Franciæ, & Dominiis eidem Regi ultra montes subjectis, consistentium, eorumque Mensarum & annexorum, non tamen Mendicantium, & Pauperum utriusque sexus, nec Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac exceptis etiam omnibus Parochialibus Ecclesiis, quæ trecentarum librarum, simplicibusque Beneficiis, quæ centum librarum valorem annuum non extedunt: tot bona mobilia ad summam annui redditus quinquaginta millia aureorum cujuscumque qualitatis & naturæ, nec non census, fructus, redditus, & jura, etiamsi bona feudalia sint jurisdictionem annexam habentia, dummodo non sint primaria feuda, aut principales domus Beneficiorum, vel oppida mœnibus cincta, vel loca insignia, ita ut omnia membra Ecclesiarum, quæ præsentibus litteris comprehenduntur, suum onus æquè sustineant, ratione semper habita eorum, quæ minus incommodi seu damni sint allatura, & pro rata taxatio, & adæquatio justa, quantum poterit, uniuscujusque particularis Ecclesiæ & loci, ejusque membrorum & annexorum pro modo facultatum fiat, antequam ad alienationem dictorum feudorum deveniatur, ab ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Officiis, Beneficiis, Mensis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus & Locis, eorumque proprietatibus, & juribus, ita ut etiam quoad reliqua bona non feudalia minus commoda, minusque Ecclesiis utilia ad id deligantur, quorumque alienatio Dignitatem Ecclesiis, Monasteriis, Beneficiis, Ordinibus & Locis non imminuat perpetuò, dismembrare, ac separare: & sic dismembrata, divisa, & à reliquo corpore sejuncta, quibuscumque meliorem offerentibus conditionem, Catholicis tamen, nec minori pretio de his qui feudalia non fuerint, quam ad rationem viginti quatuor denariorum, pro singulo denario vendere, & titulo venditionis transferre: ita quod omnes emptores prædicti, eorumque successores, illa tanquam profana, propria, paterna, & avita possidere, & de illis illorumque fructibus liberè disponere possint: pretium verò ex hujusmodi venditionibus proveniens Henrico Regi dictarum necessitatum causâ tradere, cæteraque omnia necessaria & opportuna facere & exequi, vicesque vestras, sive in toto, sive in parte, aliis delegare liberè, & licitè valeatis, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum; Non obstantibus Apostolicis, ac in Conciliis generalibus vel specialibus Edictis, nec non Symmachi, & Pauli Secundi, aliorumque Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis ad jus & proprietatem revocandis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum & Ordinum prædictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus & indultis Apostolicis, eisdem ac ipsorum Superioribus, per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu proprio & ex certa scientia, deque simili Apostolicæ Potestatis plenitudine, & aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis ac decretis, quotiescumque concessis, confirmatis, & innovatis, ac quibuslibet aliis indultis, ac Litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existentibus, per quæ præsentibus non expressa, vel non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus totisque ipsorum tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in Nostris Litteris mentio specialis: quæ omnia nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Si verò

quis-

quam vestrum legitimo detensus impedimento, prædictorum executioni minimè poterit interesse, tres ex vobis eadem nihilominùs exequantur.

Nulli ergò omninò hominum liceat, paginam Nostri Mandati, onerationis, permissionis, tributionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contradicere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, quinto decimo Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno quinto.

Sic signatum Cæ. Glorierius.

S. M. dati, & supra plicam.

A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem Secretarium sigillata Bulla plumbea, cum cordula sericea, rubei croceique colorum.

Leuës, publiées & registrées, oüy sur ce le Procureur General du Roy, sans approuver la clause. INVITIS CLERICIS, jusques à la concurrence de cinquante mille escus, & non plus avant, & aux charges contenuës par le Registre. Fait à Paris en Parlement le septiéme jour de Septembre. 1576.

LE PREVOST.

IV. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. 2. p. 1305.

Gregorius XIII. Pontifex concedit Archiepiscopo Cameracensi, aliisque Belgii Episcopis facultatem absolvendi subditos suos ab hæresi, rebellione, aliisque gravioribus Criminibus: anno 1576.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SUb die trigesima Mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno secundo, supplicationibus charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici ea in parte inclinati, Venerabili Fratri moderno Archiepiscopo Cameracensi, ut per se, seu alium, vel alios, quot sibi expedire videbitur, Prælatos, ac alios Presbyteros, & idoneos Viros Ecclesiasticos in Sacris Ordinibus constitutos Sæculares, vel cujuscumque Ordines Regulares, tam in Dignitate Ecclesiastica constitutos, quàm non constitutos, omnes & singulos utriusque sexus tam Laicos, quàm Clericos, Sæculares, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium Regulares, ac Presbyteros, qui Divinam Majestatem læsissent quomodocumque, etiamsi in hæresis crimen, non semel tantum, sed etiam pluries post errorem detestatum relapsi forent, ac Sacrilegia quæcumque, perjuria, incestus, stupra, etiam in personam Sanctimonialem commisissent, Ecclesias deviluissent, Sacramenta violassent, & enormiter Clericos in Sacris, vel etiam Presbyteratus Ordine constitutos vulnerassent, & occidissent, Episcopos, ac Religiosos Antistites persecuti forent, aut carcerassent, vel prædictis similia, vel dissimilia, etiam graviora delicta, vel excessus, etiam per Bullam in die Cænæ Domini legi solitam, quorum absolutio Sedi Apostolicæ duntaxat per quascumque constitutiones est reservata, commisissent, cujuscumque status, ordinis & conditionis, ac præeminentiæ existentes, etiamsi quacumque dignitate præfulgerent, si hoc humiliter intra tempus condonationis à Rege prædicto præfigendum, & semel, vel pluries ab eo prorogandum petiissent, & ad ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam, & Fidem Catholicam redire, & suas hæreses publicè coram eis, vel privatim in forma Ecclesiæ consueta abjurare vellent, & se ad pœnitentiam eis per dictum Archiepiscopum, vel ab eo Deputandos injungendam paratos obtulissent, eamque postmodum cum effectu adimplevissent, ab omnibus & singulis eorum hæresibus, & in eadem Fide Catholica erroribus, aliisque delictis prædictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiamsi illa speciali nota designanda essent, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris & pœnis, tam Ecclesiasticis, quàm temporalibus, etiam corporis afflictivis, ac capitalibus, à jure vel ab homine latis, & promulgatis, in utroque foro penitùs, & omninò absolvere, & liberare, aliaque desuper in præmissos, & circa ea necessaria, & opportuna facere, liberè & licitè valeret, omnimodam per alias nostras litteras concedimus licentiam & facultatem, prout in illis pleniùs continetur.

Cùm autem, sicut nuper accepimus, idem Philippus Rex publico edicto terminum condonationis trium Mensium præscripserit, quo durante personis quibuslibet errores, in quos prolapsi fuerant, detestantibus, & pœnitentiam pro commissis injunctam adimplere volentibus, condonavit, & remisit, ipseque terminus jam ultra annum expiraverit, & propterea à nonnullis revocetur in dubium, an idem Philippus Rex, postquam trium Mensium spatium lapsum est, alios terminos, ac toties quoties eidem Philippo Regi videbitur, ad absolutionis beneficium impendendum, & alia præmissa peragenda præfigere valeat, & prædictæ dubietatis occasione, non sine gravi dispendio animarum jampridem deprehensum extiterit, plures ante beneficium absolutionis obiisse, potissimùm in iis Oppidis, Castris, Villis, Municipiis, & Fortalitiis, quæ post expirationem prædicti termini, tam in Ducatu Geldriæ, quàm in Comitatibus Hollandiæ & Flandriæ numero satis copioso ad obedientiam ejusdem Philippi Regis à cæteris obedientibus subditis valdè opportunè rursus aggregata fuerunt.

Litteris idem Philippus Rex, ne gravior animarum jactura sequatur, Nobis humiliter supplicari fecit, quatenus ei opportuno & celebri remedio providere de Benignitate Apostolica dignaremur.

His igitur præmissis opportunè providere, omnemque dubitandi materiam, & quæstionem tollere, & animarum saluti, & aliàs opportunè consulere volentes, nec non prædictarum litterarum tenorem, perinde ac si de verbo ad verbum insereretur præsentibus, pro expresso habentes, ipsius Philippi Regis hac in parte supplicationibus inclinati, easdem litteras, & in eis contenta quæcumque adversus lapsum tempus hujusmodi, quatenùs opus fit, restituentes, & plenariè indulgentes, nec non potiori pro cautela, animarumque subditarum ejusdem Philippi Regis securitate consulere cupientes, prædicto Archiepiscopo Cameracensi, omnibusque aliis Archiepiscopis, & Episcopis Provinciæ Belgicæ, partiumque inferioris Germaniæ eidem Philippo Regi subjectæ, eorumque, & ipsorum cujuslibet, Vicariis, seu Officialibus generalibus in solidum, & ab eis, & eorum quolibet Subdelegatis Presbyteris Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, & idoneis Viris Ecclesiasticis, tam in Sacris Ordinibus, & Dignitate Ecclesiastica constitutis, quàm non constitutis, suarum, & aliarum vicinarum, quæ ad præsens Pastoris solatio destitutæ existunt, seu quas in futurum destitui contigerit, Civitatum, & Diœcesium utriusque sexus personas tam Laicos, quàm Clericos Sæculares, & quorumvis Ordinum, etiam Militarium Regulares, ac Presbyteros, qui Divinam Majestatem læserint quomodocumque, & in aliis præmissis culpabiles, etiamsi in hæresis crimen non semel tantùm, sed & pluries post errorem detestatum relapsi fuerint, ac Sacrilegia quæcumque, incestus, stupra, etiam in personam Sanctimonialem commiserint, Ecclesias, Sa-

cramenta violarint, & enormiter Clericos in Sacris, vel Presbyteratus Ordinibus constitutos, cujusvis etiam Ordinis Regulares, vulneraverint, & occiderint, Episcopos, ac Religiosos Antistites persequuti fuerint, vel carceraverint, vel prædictis similia, vel dissimilia, etiam graviora delicta, vel excessus, etiam in Bulla Cœnæ Domini legi solita, quorum absolutio Sedi Apostolicæ duntaxat per quascumque Constitutiones reservata existit, commiserint, cujuscumque gradus, ordinis, & conditionis, ac præeminentiæ existentes, etiamsi quacumque auctoritate præfulgeant, quandocumque, & aliàs toties quoties per eundem Philippum Regem, seu ejus in Belgio præsentem, aut futurum Generalem Gubernatorem, Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Vicarii, & Officiales Generales, & Subdelegandi prædicti requisiti fuerint, tam in supradictis oppidis, aliisque locis, jam, ut perfertur, de novo adductis, quàm similibus aliis, nec non in particularibus subditis imposterum similiter, vel dissimiliter quocumque tempore reducendis, ac usus, seu necessitas postulabunt, ac donec, & quousque inferior Germania prædicta in pristina Regis prædicti obedientia plenariè, & integraliter restituta, & reposita fuerit, quoscumque id humiliter petentes, si ad ipsam Sanctam Romanam Ecclesiam, ac Fidem Catholicam redire, & suas hæreses coram eis publicè, vel privatim in forma Ecclesiæ consueta abjurare voluerint, & si ad pœnitentiam eis per dictos Archiepiscopos, Episcopos, ac Vicarios, seu Officiales Generales, & alios, ut præfertur, ab eis, seu eorum altero deputandos, seu subdelegandos, injungendam, adimplendam paratos se obtulerint, eamque postmodum cum effectu adimpleverint, ab omnibus & singulis eorum hæresibus, & in eadem Fide Catholica erroribus, aliisque delictis prædictis, quamtumcumque gravibus, & enormibus, etiamsi illa speciali nota designanda essent, nec non excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque prædictis Ecclesiasticis Censuris & Pœnis, tam Ecclesiasticis, quàm Temporalibus, & Corporis afflictivis, & capitalibus à jure, vel ab homine latis, & promulgatis, in utroque foro penitùs & omninò Apostolica Auctoritate absolvendi, & totaliter liberandi: nec non cum eis super irregularitate præmissorum occasione, etiamsi ligati Missam, & alia Divina Officia etiam in Clavium contemptum celebraverint, & illis aliàs se immiscuerint, contracta, quòd etiam in Sacris Presbyteratus Ordinibus, ad quos promoti fuerunt, etiam in Altaris Ministerio ministrare, nec non tam Clerici, quàm Laici, & utriusque sexus illarum partium personæ, filii, nepotes, descendentes, ad gradus, honores, officia, & alia quæcumque assumi, illaque suscipere, & exercere, liberè & licitè valeant, dispensandi, speciali dono gratiæ dispensare, nec non inhabilitatis, & infamiæ maculam, sive notam per eos præmissorum occasione quomodolibet contractam penitùs & omninò abolendi, & illos in eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum restituendi, & plenariè redintegrandi, ita ut à quocunque desuper quomodolibet sic restituti, & absoluti molestari nequeant, plenam & omnimodam facultatem & potestatem, dicta Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus, elargimurque, dantes non solùm iidem Archiepiscopis, & Episcopis, verùm etiam eorum Vicariis, & Officialibus generalibus, alias Personas Ecclesiasticas, ut præfertur, idoneas cum simili, vel limitata facultate subdelegandi, licentiam.

Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac præmissis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel Specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non ipsius Germaniæ inferioris, & Belgicæ illius Civitatum, Terrarum & Locorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, & quavis facultate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Litteris Apostolicis dictis Provinciis, & quibuscumque personis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam etiam motu proprio concessis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, illarum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie derogamus, & derogatum esse decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et quia difficile foret, præsentes literas ad quæcumque dictæ Germaniæ inferioris Belgicæ Loca deferri, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo cujusvis Archiepiscoporum, seu Episcoporum prædictorum munitis, illa prorsus fides tam in judicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris 25. Februarii millesimo quingentesimo septuagesimo quatto, Pontificatus nostri anno quarto.

Jurisdictio Ordinariorum pro puniendis Vicariis, Famulis, alisque Ministris Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, juxta Decretum Concilii Tridentini, Sess. XXIV. Cap. 2. anno 1580.

V. Ex Actes & C. de France Tom. 2. pag. 199.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpuam rei memoriam.

Circumspecta in omnibus actibus suis Romani Pontificis providentia interdum ea, quæ certis etiam rationalibus tunc suadentibus causis à Sede Apostolica emanata reperiuntur, aliàs superveniente ratione, qua præsertim populorum offensioni occurritur, & Episcoporum Jurisdictioni ritè consulitur, reducere, ac suam declarationem interponere consuevit, & aliàs desuper disponit, prout temporum, rerum & personarum qualitate pensata, perspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque compertum sit, quamplurimos Clericos Sæculares, nec non Laicos gratiis, & privilegiis, quibus Sedes Apostolica dilectos Filios Magistrum, Conventum, & Milites Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani de Republica Christiana optimè semper meritos, ac eorum Ecclesias & Loca liberaliter prosecuta est, abutentes, unde sibi religiosiùs vivendi legem imponere deberent, inde laxioris vitæ occasionem arripere, dum varios, sæpe etiam vanos exemptionis libertatisque titulos prætexunt, alii quidem quòd pro Vicariis, Capellanis, Ministris, & inservientibus Ecclesiis dicti Hospitalis quomodolibet ascripti sint: alii verò quòd Coloni, Procuratores, & Familiares ipsorum Militum existant, quamvis in propriis domibus licenter degant, nihilominus ex prædictorum Militum privilegiis, illorumque confirmatione, etiam post Concilium Tridentinum à felicis recordationis Pio Papa V. Prædecessore Nostro obtenta, prætendant se ab omni jurisdictione Ordinariorum exemptos esse, nec ab illis inquiri, visitari, puniri, ac corrigi posse, eoque ipso delictorum sibi immunitate promissa, gravem in populo offensionem præbere, & in Episcoporum jurisdictione perturbationem in dies majorem excitare dignoscantur.

§. 2. Idcircò Nos huic malo, quod à prædicto Concilio multo ante prævisum fuerat, salubriter providere volentes, motu proprio, non ad alicu-

jus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate, ac deliberatione, & certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, exemptiones, gratias, & indulta, Magistro, Conventui, Militibus & Militiæ dicti Hospitalis per quoscumque Romanos Pontifices, Prædecessoros nostros, & Sedem prædictam in genere, vel in specie quomodolibet concessa, & confirmata, nec non dicti Pii Quinti litteras super eorumdem Confirmatione emanatas, sub Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 29. Novembris 1568. Pontificatus sui anno tertio, ad prædicti Concilii decretorum terminos, tenore præsentium reducimus, ac reducta esse, nihilque ex ipsis privilegiis, exemptionibus, gratiis & indultis, Ordinariis locorum detractum esse, quo minus ipsorum Militum Vicarii, Capellani, Ministri, Servientes, Ascripti, Coloni, Procuratores, & Familiares Militum hujusmodi, quibus ea jam concessa sunt, & in posterum concedi contigerit, ab ipsis Ordinariis, tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, de eorum excessibus, criminibus & delictis, etiam extra visitationem, quando & quoties opus fuerit, inquiri, visitari, puniri & corrigi possint, ipsorumque Ordinariorum jurisdictioni plenè in prædictis subjecti existant, (exceptis tamen iis, qui Ecclesiis, aliisque locis dictorum Militum actu serviunt, & intra eorum septa, & domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quæ omnia debere simul concurrere intelligantur, sine iis, qui legitimè & secundum regulam prædictæ Religionis professionem fecerint, (de qua loci Ordinario constare debeat.) Et ita in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices, Ordinarios & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, in quavis causa & instantia judicari & definiri debere.

§. 3. Præsentesque litteras de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostræ defectu, notari vel impugnari non posse, sed illas semper validas, & efficaces esse, ne per Magistrum, Conventum, & Milites prædictos quorumcumque privilegiorum, statutorum, consuetudine & styli prætextu ullatenus infringi, vel contra illas, & in eis contenta veniri non posse, neque debere, irritumque quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Hospitalis etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, usibus & naturis, nec non declarationibus, sententiis, juramentis, concordiis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, Magistro ac Conventui, ac Militibus prædictis, & eorum Vicariis, Capellanis, Colonis, Familiaribus, Procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum Militum intuitu vel contemplatione, per quoscumque Romanos Pontifices, & Sedem prædictam quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, ad effectum præsentium duntaxat specialiter & expresse, motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Eisdem Pii Papæ V. litteris memoratis, quoad alia, & in eo maximè, quod voluit prædictorum Militum privilegia, illorumque confirmationem non comprehendere, neque Ecclesias, neque Personas, in his, quæ ad Curam Animarum pertinent, sed in his dicti Concilii Tridentini Decreta omninò servari debere, in suo robore permanentibus.

§. 6. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides, tam in judicio quam extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quinta Novembris, anno millesimo quingentesimo octuagesimo, Pontificatus nostri anno nono.

Declaratio super Præcedentia inter Mendicantes, & Confraternitates Sæculares in Processionibus. anno 1583. VI. Ex ibid. tom. 2. pag. 201.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposcit Pastoralis Officii munus, cui disponente Domino præsidemus, ut ad ea sollicitè intendamus, per quæ discordiarum & litium, ac controversiarum quarumlibet, præsertim inter Personas Ecclesiasticas, materia tollatur.

§. 1. Sane nobis nuper innotuit, quòd in multis Civitatibus & Diœcesibus diversarum mundi partium nonnullæ lites, causæ & controversiæ inter Fratres Mendicantes, aliæ etiam similes lites & controversiæ inter Confratres Confraternitatum Christi Fidelium, super præcedentia vel jure præcedendi, ortæ jam sint, & oriri facilè possint.

§. 2. Nos considerantes, lites, causas, & controversias hujusmodi in Ecclesia, præsertim inter Religiosas personas, quæ relictis mundi vanitatibus, famulatum, & votum suum in humilitatis spiritu Domino, & Deo nostro, qui se pro nobis usque adeo humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere & persolvere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti, quæ est Humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicæque Religionis tranquillitati, ac Ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimum consulendum esse rati, ac supremam huic negocio manum apponere volentes, nec non causas, lites, seu controversias hujusmodi ubilibet, & coram quibusvis Judicibus motas, & in quibusvis instantiis indecisas pendentes, ab eisdem Judicibus harum serie ad Nos advocantes, illasque penitùs extinguentes, eisdemque Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus super præmissis perpetuum silentium imponentes.

§. 3. De Nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica Auctoritate decernimus, quòd quicunque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de Præcedentia hujusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites & causæ præmissorum occasione ortæ jam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac juris præcedendi sunt, ii, (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & aliis subterfugiis prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in Processionibus tam publicis quàm privatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non constet

de quasi possessione praecedentiae hujusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae, inter Confratres verò inter se litigantes ii, qui priùs saccis usi sunt, in Processionibus tam publicis quàm privatis praecedere debeant, ita ut si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus prius erecta & instituta sint, ille Ordo, qui priùs Monasterium seu Domum in loco habuerit, praecedat.

§. 4. Praeterea quia inter praedictos Ordines plerumque alia, in Processionibus, & alia in Conciliis Generalibus, & aliis actibus publicis sive privatis, ratio circa modum praecedendi servatur, nolumus per praesentes praerogativis dictorum Ordinum, quoad praecedentias hujusmodi, quae propriis Ordinibus praeterquam in Processionibus praedictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in Processionibus publicis sub Conventualium Sancti Francisci, aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, ut solent, incedere possint, aliquod praejudicium generari.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices & Commissarios, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Domorum, ac Confraternitatum quorumcumque, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro sufficienter & expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quàm extra adhibeatur, quae praesentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Anno à Nativitate Domini 1583. Indictione II. die verò Dominico 17. Mensis Junii, Pontificatus verò Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregorii, Divinâ Providentiâ Papae XIII. anno 12. retroscriptae Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae, affixae, & publicatae fuerunt in acie Campi Florae, ut moris est, per nos Petrum Guerram, & Melchiorem Riccium, *ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papae Cursores.*

Joann Baptista Bagni Magister Cursor.

SIXUS QUINTUS.

PONTIFEX CCXXXI.

ANNO DOMINI MDLXXXV.

Sixtus magni Nominis Pontifex, humili loco natus, parentibus ignobilibus. Sanctum Bonaventuram Ecclesiae Doctoribus addidit. Fabricam S. Petri promovit, & Tholum absolvit. Obeliscos quam plurimos erexit: erectaque ipsi fuit in Capitolio aerea Statua, Majora egisset, nisi eum mors praevenisset. Obiit Pontificatus anno sexto: (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 526. App.*)

Declaratio contrà Henricum Borbonium, assertum Regem Navarrae, & Henricum item Borbonium praetensum Principem Condensem, Haereticos, eorumque Posteros, & Successores, ac liberatio subditorum ab omni fidelitatis, & obsequii debito: anno 1585. I. Ex Mon. Gold. Tom. 3. pag. 124.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

AB immensa aeterni Regis Potentia, Beatò Petro ejusque Successoribus tradita auctoritas omnes terrarum Regum & Principum supereminet potestates, stabilique in petra consistens, nec ullis adversantibus, vel etiam secundis fatis à recto deflexa, inconcussa profert in omnes judicia: & ne Divinae maximè Leges violentur, summa ope providet, & si quos Ordinationi Dei resistentes invenit, severiore hos vindicta ulciscitur, & quamvis potentiores de solio dejiciens, veluti superbientis Luciferi Ministros, ad infima terrae deturbatos prosternit.

Quare pro incumbenti Nobis Ecclesiarum omnium, Populorum ac Gentium sollicitudine, ut animarum saluti inprimis prospiciatur, & non solum famulatus nostri, sed etiam omnia futura tempora, impiis ac detestandis monstris purgata, cunctis Christiani Orbis partibus pacem afferant, & quietem: & praesertim amplissimo Galliae Regno, in quo Christiana Religio omni tempore ita viguit, tantaque Regum illius pietas, fides, ac devotio: tot in Romanam Ecclesiam merita extiterunt, ut ii jure optimo gloriosissimum Christianissimi cognomen ab ea sint consecuti; ac etiam ne Nos de neglecta Officii Nostri Cura unquam apud Deum argui possimus, arma Militiae Nostrae, quae non carnalia sunt, sed potentia Deo in destructionem munitionum, nunc contra duos potissimùm irae filios, Henricum Borbonium quondam Navarrae Regem, & Henricum Borbonium, olim Principem Condensem, exercere compellimur. Ille enim quondam Rex Calvini errores, atque haereses etiam ab ineunte adolescentia secutus est, pertinaxque earum patrocinium tandiu exercuit, quoad clar. mem. Caroli Noni Francorum Regis, & charissimae in Christo Filiae Catharinae Reginae, ejus Matris pientissimae, atque etiam dilecti Filii Nostri Caroli, tit. S. Chrysogoni Presbyteri Cardinalis Borbonii, patrui sui, & Ludovici Mompenserii Ducis, piis, frequentibusque hortationibus, aspectisque eximiae virtutis ac Doctrinae Theologorum demonstrationibus ad Fidem Catholicam, & Apostolicam Romanam (ut existimabatur) conversus, haereticas omnes contra Fidem Catholicam opiniones Parisiis publicè in Ecclesia damnavit, anathematizavit, & abjuravit, Fidemque ipsam Catholicam expressè professus est; datisque

que subindè suis ad felicis recordationis Gregorium Papam XIII. Prædecessorem nostrum Litteris, quibus eundem Prædecessorem Supremum Catholicæ Ecclesiæ Caput jam agnoscens, ipsum supplex deprecabatur, ut pœnitentiæ, conversionis, & obedientiæ suæ confessionem acceptam habere, & anteactorum veniam, remissionisque gratiam concedere dignaretur: firmiter promittens se Fidem ipsam Catholicam perpetuò, integrè, ac inviolatè servaturum. Quibus Litteris utpote Regiis idem Prædecessor credens, & paternæ charitatis visceribus commotus, ac etiam gravissimo Regis, Reginæ Matris, Cardinalis, & Ducis prædictorum de hujusmodi conversione testimonio adductus, illum ipsum præteritos errores confitentem, veniamque humiliter petentem à crimine hæresis, & à Censuris Ecclesiasticis propterea incursis absolvit, & in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, communionemque Fidelium admisit, omni inhabilitate ab eo sublata. Quin etiam, ut arctiori & firmiori vinculo ligaretur, cum eo, & Margaritha dicti Caroli Regis Sorore, quæ ex illa Christianissima Stirpe nata, atque alta, facilè Maritum in Officio, & Religionis Catholicæ observantia continere posse sperebatur, dispensavit, ut non obstantibus impedimentis tertii, & aliorum forsan inter eos graduum consanguinitatis, & cognationis spiritualis, matrimonium inter se contrahere possent, prout in facie Ecclesiæ contraxerunt, excursisque deinde aliquot mensibus ille Johannem Duratii Dominum Oratorem suum, qui nomine suo de pœnitentia, conversione, fide, & constantia sua in Sedis Apostolicæ conspectu sponderet, ad dictum Prædecessorem delegavit: habitoque pro eo publico, solemnique in Aula Regia de more Consistorio, in consessu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prælatorumque, & aliorum frequentissimo concursu, professis omnibus supradictis, idem Henricus tanquam Rex recens ad Fidem conversus, & ut Catholicus admissus est, tota urbe exultante, & ingentes Deo de conquisita & inventa ove gratias agente. Sed ille, ut erat vario, & inconstanti animo, haud multò post à Catholica Fide, & debita erga Sedem Apostolicam obedientia, cæterisque à se expressè, & cum juramento professis deficiens, atque in eo, quo prius erat, cæno revolutus, à Rege Christianissimo clàm se subducens, collectoque in loco ab ipsius Regis aula satis remoto, quam potuit, copioso hæreticorum sceleratorum, aliorumque id genus impiorum hominum numero, ibi ea omnia, quæ de Calvinismi detestatione, ac Romanæ Fidei Catholicæ, & Apostolicæ Professione antea fecerat, palàm revocavit: testificans se Calvinismum ipsum profiteri, prout professus est, eique hæresi pertinaci, & obducto animo semper adhæsit, & in ea hucusque vivens, sæpiùs hæreticos perduelles, ac seditiosos (quorum caput Dux, & Propugnator in Gallia, & etiam exterorum hæreticorum acerrimus fautor semper fuit,) ad arma contra prædictum Carolum ac etiam charissimum in Christo Filium nostrum Henricum Regem Christianissimum, tametsi eum ut Regem, ac Dominum suum colere, ut sororium amare, & sequi debeat, omnis scilicet officii, ac pietatis immemor, adversus ipsum, & reliquos Catholicos omnes concitavit, infestissimos Exercitus, accitis etiam externarum Nationum hæreticis contraxit, à quibus omnia passim loca cruentis piorum hominum cædibus fœdata, Sacra Dei Templa temerata, & diruta, Sacerdotes, & Viri Religiosi cruciatibus trucidati sunt: Oppida præterea, & Munitiones Catholicorum partim insidiis, partim vi, & armis occupavit, & in eis Catholicæ Ecclesiæ ritus prohibuit, ac sustulit, Ministros & Concionatores hæreticos constituit, cives & incolas ad eandem impietatem capessendam minis, verberibus coëgit. Sed ne hæc quidem satis se existimans, inter alios, intimum quendam suum nefariis artibus suis instructum, extra Galliæ fines ad diversa loca misit, per quem cum primariis hæreticis impia consilia sua communicavit, eorumque vires, & arma contra Religionem Catholicam, & Romani Pontificis potestatem provocavit; conciliabula quoque hæreticorum in diversis Provinciis habenda curavit; quorum nonnullis (dum iniquissima ibi fœdera contra Fidem Catholicam, ac præsertim contra Ecclesias, Clerum, & universos Catholicos Regni Franciæ tractabantur) ille nonsolùm interfuit, sed etiam præfuit. Henricus verò Borbonius, Princeps Condensis, utroque parente hæretico genitus, cùm illi exitialia Calvini dogmata, eorumque Ministros pertinaciter in omni vita fovissent, eorumdem Patris, ac Matris secutus hæreses, consimilia facinora etiam adolescens perpetravit: deinde eadem illâ, qua alter Henricus, operâ, viam veritatis pœnitentiâ, & humilitate cordis, quantum conjici potuit, arripiens, detestatisque pariter & abjuratis publicè omnibus hæreticorum erroribus & deliramentis, Fidem Catholicam, ut præfertur, professus est. Quibus ad eundem Pontificem perlatis, ac etiam pro eo similibus precibus porrectis, ipse Prædecessor illum, ac etiam quondam Mariam Clivensem prætensam Conjugem suam, eodem tunc hæresis crimine infectam, simili modo pœnitentem, detestantem, ac profitentem ab hæresi, & censuris hujusmodi absolvit, eosque in gremium Catholicæ Ecclesiæ, fideliumque consortium recepit; quin etiam ex paternæ charitatis abundantia, cum eis, ut non obstante impedimento secundi gradus consanguinitatis, quo invicem tenebantur, matrimonium inter se contrahere possent, dispensavit. Sed ille paulò post ad pristinam impietatem rediens, deterrimamque illam viam, quæ signata & impressa erat vestigiis quondam Ludovici Condensis, patris sui, impiissimi Catholicæ Ecclesiæ persecutoris ingressus, eisdemque vestigiis insistens, se quoque hæreticorum, ac consceleratorum hominum dicti Regni Galliæ Ducem, & Defensorem, bellorumque civilium, & seditionum Auctorem præstitit; militum hæreticorum exterorum copias in Galliam transduxit, urbes & oppida expugnare tentavit, Templa evertit, Sacra violavit, Ministrosque impietatum substituens, perversam illorum doctrinam publicari, & custodiri jussit, & denique feritatis & sævitiæ genus, tam in Dei Ministros, quàm in cæteros Catholicæ Fidei Cultores exercuit. Quæ omnia, cùm manifesta publica, & notoria sint, cumque nobis plenè, & legitimè constet, præsertim ex processu, tempore ejusdem felicis recordationis Gregorii Papæ Prædecessoris nostri confecto, & aliis quamplurimis documentis, & gravissimis testimoniis, Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem prædictos notorii, & inexcusabilis criminis hæresis, & in hæresim relapsos, atque etiam hæreticorum fautoriæ reos existere; Nos gladium vindictæ contra eos pro officii nostri debito exerere coacti, vehementer indolemus, quòd illum in hanc prolem detestabilem, ac degenerem inclytæ Borboniorum Familiæ, in qua spectatæ Religionis Candor, & virtutis decus, ac in Sedem Apostolicam observantia omni tempore emicuit, pro his sceleribus convertere debeamus. Itaque in præcelso hoc solio, & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum, & Dominus Dominantium, licèt nobis indignis tribuit, constituti, Auctoritate Dei Omnipotentis, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio, pronuntiamus, & declaramus Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem supradictos fuisse, & esse hæreticos, in hæreses relapsos, & impœnitentes, hæreticorum quoque Duces, Fautores, & Defensores manifestos, publicos, & notorios, sicque læsæ Majestatis di-

vinæ reos, & orthodoxæ Fidei Christianæ hostes, adeò ut nulla possint se tergiversatione, aut excusatione defendere, ac proinde eos damnabiliter incurrisse in sententias, censuras, & pœnas Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, legibusque generalibus, & particularibus contentas, ac hæreticis relapsis, & impœnitentibus debitas, & specialiter eosdem fuisse, & esse ipso jure privatos, Henricum quondam Regem, videlicet prætenso Navarræ Regno, illiusque parte, quam adhuc obtinuit, nec non Bearni; alterum verò Henricum, Condensi, & utrumque, eorumque posteros omnibus, & quibuscunque aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Civitatibus, & locis, feudisque, & bonis, etiam emphyteuticis, & successionibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & officiis, etiam regiis, ac jurisdictionibus, & juribus, quæ de facto detinent, & ad quæ jus quomodolibet habuerunt, seu prætendunt, eosdemque propterea se illis reddidisse indignos, ac fuisse, & esse inhabiles, & incapaces ad illa retinenda, & alia hujusmodi inposterum obtinenda. Ac pariter eos ipso jure privatos, & incapaces, ac inhabiles ad succedendum in quibuscunque Ducatibus, Principatibus, Dominiis, & Regnis, ac specialiter in Regno Franciæ, in quo tot atrocia, & nefaria crimina patrarunt, ac Regno ipsi annexis Dominiis, jurisdictionibus, & locis, cæterisque omnibus bonis, & rebus prædictis, & ad illa aliàs quomodocunque acquirendum, prout etiam ex abundanti, & in quantum opus est, Nos illos, illorumque posteros privamus in perpetuum, videlicet Henricum quondam Regem Regno Navarræ, & illius parte, ac Bearni, & alterum Henricum Condensi, ac utrumque, & eorum posteros aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, ac cæteris omnibus bonis, & rebus, necnon jure succedendi, & acquirendi, aliisque prædictis universis, & singulis: ac etiam in perpetuum inhabilitamus eosdem, eorumque posteros ad illa, & ad successionem in quibusvis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, & Regnis, & signanter in Franciæ Regno, & illi annexis omnibus supradictis; Supplentes omnes juris, & facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Quin etiam Proceres, Feudatarios, Vasallos, Subditos, & Populos Regnorum, Ducatuum, Principatuum, & aliorum Dominiorum prædictorum, etiam alium Superiorem non recognoscentes, ac cæteros omnes, qui illis quomodocunque juraverunt, à juramento hujusmodi, ac omni prorsus dominii, fidelitatis, & obsequiis debito perpetuò absolutos esse, prout Nos illos omnes tam universè, quam singulatim auctoritate præsentium absolvimus, & liberamus, præcipimusque, & interdicimus eis universis, & singulis, ne illis, eorumve monitis, legibus, & mandatis audeant obedire: qui secus fecerint, eos excommunicationis sententia innodamus eo ipso. Cæterùm eundem charissimum in Christo Filium nostrum Henricum Francorum Regem Christianissimum per viscera misericordiæ JESU Christi hortamur, rogamus, ac etiam monemus, ut memor præstantissimæ Fidei, & Religionis Regum Majorum suorum, quam quasi hæreditatem longè ipso Regno potiorem ab eis accepit, memor, etiam illius juramenti, quod in ejus coronatione de exterminandis hæreticis solenniter præstitit, auctoritate, potestate, virtute, atque animi magnitudine verè regiâ ad executionem tam justæ hujus sententiæ nostræ incumbat, ut scilicèt in hoc quoque gratum se Omnipotenti Deo exhibeat, & Matri suæ Ecclesiæ obsequium debitum persolvat. Prætereà omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis per Regnum Franciæ, Navarræ, Bearni, & alia prænominata loca constitutis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut cùm primùm harum litterarum exempla ad eorum manus pervenerint, illa publicari faciant, & quantum in ipsis erit, ad effectum perduci curent. Volumus autem, quòd eædem præsentes litteræ nostræ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigantur, & publicentur, quòdque earum exemplis, etiam impressis, ac Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici, ejusque Curiæ Sigillo obsignatis, eadem prorsus fides in Judicio, vel extra illud ubique gentium habeatur, quæ haberetur istis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ pronunciationis, declarationis, privationis, inhabilitationis, suppletionis, absolutionis, liberationis, præcepti, interdicti, innodationis, hortationis &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo, octogesimo quinto, quinto Idus Septembris, Pontificatus nostri, anno primo.

A. de Alexiis.

✝ Ego SIXTUS Cath. Ecclesiæ Episcopus.

Ego Joan. Ant. Episc. Tuscul. Card. S. Georgii.

Ego M. S. Cardin. ab Altaemps.

Ego Ju. Ava. Card. de Aragon.

Ego P. Card. Sanctacrucius.

Ego Gulielm. Card. Sirlitus.

Ego Mich. Do. Card. Alex.

Ego Lud. Card. Madrutius.

Ego N. Cardinal. Senonensis.

Jul. Ant. Sanctorius Card. Severin.

P. Card. Cæsius.

Ego Hier. Card. Rust.

Ego Jo. Hier. Card. Albanus.

P. Card. Diza.

Ego Ant. Card. Caraf.

Joan. Ant. Card. SS. Quatuor.

Joan. Bapt. Card. S. Marcelli.

Aug. Card. de Verona.

Ego Vincen. Card. Montis Regalis.

Ego M. Card. S. Stephani.

Scipio Card. Lancellottus.

Ego Ferd. Card. de Medicis.

Phil. Vast. Card. Cam.

Ego Vincent. Card. Gonzaga.

Ego Fr. Card. Sfortia S. Nicol.

Alex. Card. de Montalto.

Anno à Nativitate Domini 1585. Indict. 13. die verò 22. Mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Sixti divinâ providentiâ Papæ V. anno primo, retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basilicâ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi

Floræ per Nos Hieronymum Lucium, & Nicolaum Talliottum, *Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.*

Joan. Andreas Panizza, Mag. Curs.

Joan. Cayanus Cur. Card. Cameræ Apostolicæ Ibotus Ful.

II. Ex Mem. du Clergé de France, Tom. 4. pag. 775.

Instante Henrico III. Galliarum Rege Clero ejusdem Regni permittit alienationem bonorum immobilium, quæ centum millium scutorum annuos fructus non excedant, modò Rex persevaret in bello contra hæreticos: anno 1586.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Carolo à Borbonio, & Ludovico à Guisia, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris Cardinalibus; ac Venerabilibus Fratribus Hieronymo Bergomensi, nostro, Sedisque Apostolicæ in Regno Franciæ Nuntio, & Petro Parisiensi, Episcopis, nec non dilectis etiam Filiis, Florentio Regnard Turonensi, & Ludovico Seguier Parisiensi, Decanis, ac Petro Ruelle Cantori etiam Parisiensi, nec non Joanni Le Roy, similiter Parisiensi, & Bono Broé Capellæ nuncupatæ Palatii Parisiensis, Ecclesiarum Canonicis, ac aulam Regiam Franciæ nunc & pro tempore sequentibus, Syndicis Generalibus Cleri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUm charissimus in Christo Filius noster Henricus Francorum Rex Christianissimus suis litteris & Nuntii, nobis significaverit, se jam omnes propemodum modos tentasse reducendi hæreticos, qui jam aliquam partem regni sui infecerant, in viam veram & Catholicam, ac tot retroactis sæculis in illo Regno usitatam magna cum pietatis laude, & ipsius regni tranquillitate, nec tamen quicquam proficere potuisse: volens satisfacere debito suo erga Deum Omnipotentem, per quem Reges regnant, paci etiam & quieti Regni sui consulere cupiens, scriptum est enim, *Omne regnum in se divisum desolabitur*: conscientiæ etiam securitati & animæ suæ saluti, quâ nulla res est pretiosior, prospicere intendens, quando alia via non licuit, ad arma succurrendum duxit, quo hanc pestem ex suo regno ejiceret, & eliminaret: eodem etiam tempore non solum conservationi Ecclesiarum ac personarum & bonorum Ecclesiasticorum, sed etiam recuperationi eorum, quæ ab his hæreticis detinentur, & impiè tractantur, diligenter intenderet; cum alioqui de his omnibus rationem Deo redditurus divini Judicii ultionem meritò reformidare cogatur, si, remissè ac negligenter negotium Dei ac Religionis, Ecclesiarum etiam & bonorum occupatorum tractarit. Quare cum jam arma sumpserit, in hoc Sancto proposito constantissimè obfirmatus, justum esse duxit, ut Clerus etiam Galliæ partem oneris sustineat; quod etiam ipse idem Franciæ Clerus legitimè congregatus necessarium judicavit, istis bellorum tempestatibus Regi succurrendum esse, etiam per alienationem bonorum immobilium. Nobis itaque supplicari fecit, ut dicto Clero facultatem vendendi bona mobilia, vel immobilia usque ad valorem centum millium scutorum in redditibus annuis concederemus. Nos considerantes, quòd si bellum hoc eum exitum habuerit, quem & optamus & aspirante regiis conatibus divina clementia firmiter speramus, Ecclesiasticus Ordo, non solum conservabit, quæ nunc possidet, sed recuperabit jam ab hæreticis occupata, quorum non parva summa est: postulatis Regiis libenter annuimus, ita tamen ut hic ordo servetur, in præsens quinquaginta tantùm millia alienentur; Quæ summa, ut quam minimo Ecclesiarum detrimento efficiatur, & fideliter atque utiliter in usum designatum erogetur, hunc ordinem servari jubemus, ut singulis Ecclesiis, etiam Metropolitanis ac Primatialibus, Monasteriisque, Prioratibus tam virorum, quam mulierum, dignitatibus etiam Conventualibus, majoribus & principalibus, nec non Administrantibus & Officiis, cæterisque Beneficiis Ecclesiasticis, Sæcularibus, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cistercensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, nec non Capitulorum, Conventuum & Locorum omnium in Regno Franciæ, & Dominiis eidem Regi ultra montes subjectis, consistentium, eorumque Mensarum, & annexorum: non tamen Mendicantium, & Pauperum, utriusque sexus, ac exceptis etiam omnibus Parochialibus Ecclesiis, trecentarum librarum, simplicibusque Beneficiis, quæ centum librarum valorem annuum non excedunt, ac Hospitalibus Sancti Joannis Hierosolymitani: pro tertia tantum parte, quæ eos tangeret, habita prius diligenti redditus cujusque eorum indagatione, prius bona mobilia, si id commodè fieri poterit, nec non decimas, & alios redditus annuos, deinde bona stabilia; vel ad longum tempus locandi, vel pignori dandi, vel postremò si hæc omnia satis non fuerint, alienandi, sylvas cædendi: modò tamen alienatio illorum bonorum fiat, quæ minus sint utilia, & quibus carere Ecclesia faciliùs possit, dummodo non sint primaria feuda, aut domus principales Beneficiorum, vel oppida mœnibus cincta, loca insignia, aut alia bona, quorum alienatio dignitatem Ecclesiis, Beneficiis, Ordinibus, & Locis prædictis imminuat, atque etiam, si fieri possit, illa cautio adhibeatur, per quam Ecclesia à suo jure in perpetuum non sit exclusa, sed possit vel per affrancationem, vel alia convenienti ratione aliquando illa recuperare; atque ista alienatio non nisi personis notoriè Catholicis, & non minori pretio fiat, quam ad rationem viginti quatuor denariorum pro singulo denario, ita ut aliàs facta alienatio irrita sit & invalida: Quòdque una Provincia, seu una Diœcesis, vel unum Beneficium pro alio non gravetur ad solutionem taxæ sibi impositæ: sed sit liberum, & pro alio minimè obligatum censeatur. Solutiones autem pecuniarum hujusmodi Cleri nomine, vel in singulos menses, aut aliàs, prout commodiùs videbitur, per manus eorum, quibus à vobis hæc tributa fuerit authoritas, atque etiam cum consilio & assensu Venerabilis Fratris nostri Episcopi Bergomensis, Nuntii nostri, vel alterius ejus loco surrogandi, fieri mandamus. Ad hæc autem omnia, quæ super his necessaria & opportuna videbuntur, agenda, & exequenda, tam vobis, de quorum fide & integritate plurimùm confidimus, & quorum conscientias oneramus, quam etiam prædicto, & pro tempore existenti Nuntio nostro, plenam, & liberam per præsentes damus & concedimus facultatem; Declarantes emptores bonorum Ecclesiasticorum hujusmodi, eorum successores, & causam habentes ab eis, illa tamquam prophana, propria, paterna, & avita possidere, & de illis, illorumque fructibus liberè disponere posse. Alia verò quinquaginta millia, eadem omninò quâ supra formâ servatâ, post tres Menses, scilicet post Kal. Maji, exigendi facultatem concedimus: Cum conditione tamen, si eos progressus in bello fieri viderimus, ut finis supradictus recuperationis bonorum Ecclesiasticorum jam occupatorum sperari possit, nec fervor iste expellendi ab regno hæreticos remittatur. Sicut enim progressus ad Dei gloriam, & honorem, ad religionis

augmen-

augmentum, ad hæreticorum extirpationem, & regni istius nobilissimi unitatem à nobis commendabitur, & adjuvabitur: Ita si, quod Deus avertat, à rectis, & piis consiliis, & à tam sancto proposito recessum fuerit, vel aliqua ex parte remissiùs agatur, dictorum quinquaginta millium alienandi facultatem ex nunc revocamus & annullamus: ac vobis, eo casu sub pœna majoris excommunicationis, eo ipso incurrenda prohibemus, interdicimus, ne ad ulteriorem posteriorum quinquaginta millium executionem, & alienationem procedatis. Quin etiam, si forte ad succurrendum urgenti necessitati Regis, & periculis imminentibus obviam eundum, aliqua pecuniæ pars jam à Clero soluta, vel de ea quoquomodo, vel Regis ministris, vel mercatoribus cautum reperiatur, id ratum esse volumus, & eadem auctoritate Apostolica confirmamus: ac tam Clerum ipsum universum, ejusque particulares personas, quam cæteros omnes, qui se negotio solutionis hujusmodi immiscuerunt, à censuris, & pœnis propterea incursis absolvimus, & liberamus: Non obstantibus Apostolicis ac in Conciliis generalibus editis, nec non Symmachi & Pauli II. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & alienatis ad jus & proprietatem revocandis, aliisque ordinationibus, & constitutionibus, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, indultis & litteris Apostolicis, eisdem & eorum Superioribus & Personis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de simili Apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, & decretis quomodocumque concessis, confirmatis & innovatis, ac quibuslibet aliis indultis, & Litteris Apostolicis, generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existentibus; per quæ præsentibus non expressa, vel non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus totisque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit mentio specialis. Quæ omnia nolumus cuiquam ad impediendum effectum præsentium in aliquo suffragari. Volumus autem, quòd si quis vestrum ante executionem præsentium ab hac luce decedat, reliqui superstites, ac etiam aliquibus ex vobis legitimo impedimento detentis, sed ex vobis, requisitis tamen prius legitimè impeditis, & interesse non valentibus, ac de eorum concessu, una cum altero ex Cardinalibus, aut ipso Nnntio contento in præsentibus, nihilominùs exequantur. Ut verò præsentes litteræ, quibus opus fuerit, faciliùs innotescant, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici, & sigillo ejusdem Nuntii nostri, seu Cleri, aut Deputatorum hujusmodi munitis, eadem habeatur fides, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis, voluntatis, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contradicere.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, tertio Kalendas Februarii, Pontificatus nostri, anno primo.

Sic Signatum, H. Cardinalis Aldobr. Prodatar. Joannes Baptista Canobius: & supra plicam, C. Robert.

Sigillata sub plumbo cum cordella cericea crocei ceruleique colorum. Et à tergo scriptum est, Registrata apud Joannem Baptistam, Secretarium.

Leuë, publiée & registrée, oüy ce requerant le Procureur general du Roy, pour l'alienation de cinquante mille escus de rente mentionnez. Et pour le surplus seront faites tres-humbles remonstrances au Roy. A Paris en Parlement le vingt-septiéme jour de Mars l'an. 1586.

Signé,

DU TILLET.

Alia super alienatione bonorum immobilium, quæ 50. millium scutorum fructus non excedant: an. 1586. III. Ex ibid. Tom. 4. pag. 794.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Carolo à Borbonio, & Ludovico à Guisia, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteris Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus Joanni Francisco Brixiensi, nostro, & Sedis Apostolicæ in Regno Franciæ Nuntio, & Petro, Parisiensi, Episcopis; nec non dilectis etiam Filiis, Syndicis Generalibus Cleri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Si Francorum Reges Christianissimi, ut Sectas Religioni Christianæ inimicas extirparent, & Christiani nominis fines quàm longissimè propagarent, ac denique Apostolicæ Sedis auctoritatem sartam tectamque conservarent, nullam sibi unquam difficultatem pertimescendam, nullum periculum detrectandum, nullamque dimicationem refugiendam putarunt: maximè decet nos horum non immemores, efficere, ut potentissimum illud & memoriâ nostrâ dignissimum Galliæ Regnum, continua bellorum serie, & ab alienis & à suis vexatum & direptum, conquisitis undique remediis conservetur, ipsiusque paci, & tranquillitati consulatur. Quod nuper ut fieret, supplicationibus charissimi in Christo Filii nostri Henrici Francorum Regis Christianissimi ea in parte adducti, Clero Franciæ vendendi bona mobilia, vel immobilia usque ad valorem centum millium scutorum in redditibus annuis, ac vobis quæ super his necessaria & opportuna viderentur agendi & exequendi plenam, & liberam facultatem per aliàs nostras litteras sub data, Romæ apud Sanctum Petrum, tertio Calend. Februarii, Pontificatus nostri anno primo, & propter causas in eisdem litteris expressas concessimus. Ita tamen, ut tunc quinquaginta tantum millia scuta dicti annui redditus sub certis formis, conditionibus, & modis in ipsis litteris contentis, quàm minimo Ecclesiarum detrimento fieri posset, alienarentur: alia verò quinquaginta millia eadem formâ prorsus servatâ, post tres menses dictarum litterarum computandos similiter alienarentur: cum certis tunc, & expressis conditionibus, prout in dictis litteris pleniùs continetur. Cum autem ad priorum quinquaginta millium scutorum annui redditus alienationem jam processum fuerit, dictusque Henricus Rex impensè desideravit, desideretque reliqua quinquaginta millia scuta dicti annui redditus in suarum totiusque Regni sui necessitatum subventionem alienari, & pro hujusmodi alienatione apud Nos, dictamque Sedem per litteras & Nuntios frequenter institerit. Nos bona Ecclesiastica tanquam viscera nostra perpetuò Ecclesiis conservare exoptantes, & quarumdum aliarum aliena-

tionum

tionum antea factarum, nec non gravium damnorum à Clero inter tantos bellorum istic gestorum tumultus perpessorum certam notitiam habentes, nec immemores & horum, ex quibus idem Clerus desuper apud Nos superioribus toties conquestus est; ne exhaustis tandem ex hujusmodi alienationibus Ecclesiæ facultatibus, non reperiatur qui illi amplius deserviet: diu multumque supersedimus, & executionem alienationis prædictorum quinquaginta millium scutorum hucusque distulimus, quam & nunc, si Regni urgens necessitas ad id nos non impelleret, & differremus & penitùs recusaremus. Verùm quia non sine magno animi nostri mœrore intelleximus, copiosum exterarum nationum exercitum ex variis locis ab hæreticis evocatum in Franciam contendere; maximumque inde periculum & personis & bonis Ecclesiasticis imminere, neque fieri posse, quin status Ecclesiasticus propterea vehementer perturbetur, nisi ex celeri, & prompto remedio succurratur; & jam ipse Henricus Rex convocatis, & congregatis propterea fére totius sui regni viribus eò incumbat, nulli labori, nulli periculo, non etiam propriæ vitæ discrimini parcere volens, ut periclitanti Regni sui & Ecclesiarum ac Ecclesiasticarum personarum statui consulere, & hoc non solùm ab eis malum avertere, sed etiam eosdem hæreticos profligare valeat. Nos similiter rebus afflictis succurrere, ac ipsius Henrici Regis animum, & intentionem in tam Sancto & laudabili proposito confovere desiderantes, impendentis calamitatis necessitate adducti, vobis de quorum fide plurimùm confidimus, alienationem dictorum posteriorum quinquaginta millium scutorum annui redditus faciendi, & exequendi licentiam & facultatem concedimus, ac injungimus, ut ad illius executionem, servatâ aliis in omnibus, & per omnia dictarum litterarum serie ac formâ, quarum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso insererentur, eisdem præsentibus pro expressis, & totaliter insertis haberi volumus, procedatis, non obstantibus præmissis ac omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstare. Ut verò præsentes litteræ, quibus opus fuerit, faciliùs innotescant, volumus, ut earum exemplis & impressis, & manu Notarii publici, ac Sigillo ejusdem Notarii, seu Clerici, aut Deputatorum hujusmodi munitis eadem habeatur fides, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, tertio Kalend. Augusti, Pontificatus nostri, anno tertio, & Dati.

Jo. Thom. Gualterutius.

Et sur le replis signé, A de Alexiis.
Et scellées de plomb à lacs de corde.
Et au dos est escrit. *Registrata apud Thomam, Secretarium.*

Et encore sur ledit replis est escrit: Registrée, oüy ce requerant le Procureur general du Roy, pour subvenir à l'urgente necessité des affaires de sa Majesté, & resister aux efforts & violences du grand nombre d'estrangers entrez en ce Royaume pour l'eversion de l'Estat & Religion Catholique Apostolique & Romaine, sans le tirer à consequence pour les deniers provenans de la vente & alienation mentionnée esdites Bulles, estre employez au fait de la guerre & non ailleurs. A Paris en Parlement le vingt-uniéme jour d'Aout 1587.

Signé,

MAIGNEN.

IV. Ex ibid. Tom. 2. pag. 440.

Confirmatio Constitutionum Pii IV. & Pii V. contra Beneficiorum Confidentiarios, speciatim pro Galliarum Regno: an. 1587.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii sollicitudo Nos admonet, ut quæ ad Dei laudem animarumquumque salutem à Prædecessoribus nostris providè statuta fuisse noscuntur, debitæ executioni demandari curemus, & si quando opus sit, illa etiam moderemur, prout personarum & locorum qualitate pensata id in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè felicis recordationis Pius Papa Quartus, Prædecessor noster, ad tollendam fiduciariæ mancipationis Beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit, & decrevit &c. & deinde recolendæ memoriæ Pius Papa Quintus, etiam Prædecessor noster, ad tam nefarium crimen faciliùs detegendum & profligandum, similiter statuit & decrevit &c. . . . . . Cum autem, sicut accepimus, litteræ prædictæ in Regno Galliæ, ob temporum injuriam, aliasque varias subortas difficultates, diversaque impedimenta, adhuc debitæ executioni non fuerint demandatæ, ac propterea tam perniciosum Confidentiæ vitium, quod celebriter extirpari & eradicari oportuerat, in dies magis serpere, ac propagari noscatur, in maximum animarum periculum ac scandalum plurimorum. Nos ad hanc corruptelam è Regno illo, quod non ita dudum omni Christianarum virtutum genere florebat, & adjuvante Domino, etiam in posterum florebit, tollendam ac prorsus eliminandam, animarumque saluti imprimis consulere volentes, omnibus, & singulis dicti Regni Archiepiscopis, & Episcopis, eorumque Officialibus, & ad quos de jure & consuetudine pertinet, per præsentes mandamus, ac sub interminatione divini officii districtiùs injungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Diœcesibus, & Locis, etiam exemptis, ad prædicta studiosè attendant, & in eos, quos in Confidentiæ crimine, præsertim verò in aliquo ex casibus superiùs expressis, etiam per præsumptiones, & conjecturas prædictas deliquisse constiterit, severè animadvertant. Qui si in præmissis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam suppleri volumus à Capitulis Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium, ac etiam Collegiatarum, ubi de Beneficiis ipsarum Collegiatarum Ecclesiarum agatur, ac etiam ab Abbatibus seu Prioribus claustralibus & Conventibus Monasteriorum, aliorumque Regularium Locorum, ubi de eorumdem Monasteriorum seu Locorum Officiis & Beneficiis quæstio extiterit. Et nihilominùs appellationes à Sententiis, quas contra delinquentes hujusmodi fieri contigerit, ad proximos Superiores juxta canonicas sanctiones devolvi, executionem tamen Sententiarum prædictarum minimè impedire, aut retardare. Beneficia verò occasione Confidentiæ hujusmodi ad præsens vacantia, & in posterum vacatura, ab ipsorum Beneficiorum ordinariis Collectoribus, perinde ac si dispositioni dictæ Sedis Apostolicæ minimè reservata fuissent, liberè conferri, & de illis provideri posse & debere decernimus; dum tamen talium criminum participes aut consentientes non fuerint, quo casu, ac etiam ubi iidem ordinarii Collatores per sex menses à die detectæ & comprobatæ seu convictæ Confidentiæ, Beneficia ipsa, ut præfertur, vacantia canonicè conferre, & de illis providere neglexerint, Beneficiorum eorumdem collatio, & provisio ad proximos Superiores devolvatur. Quæ verò Beneficia de jure Patronatus Laicorum fuerint, ad eorumdem Patronorum præsentationem, dummodo in crimine hujusmodi non fue-

rint

rint participes, conferri. De Ecclesiis verò ac Monasteriis, aliisque Beneficiis Ecclesiasticis, ad chariſſimi in Christo Filii nostri Henrici III. Francorum Regis Christianiſſimi nominationem spectantibus, novam ipsius Regis nominationem, juxta concordata, seu Indulta à Sede Apostolica ei concessa, volumus expectari. Fructus verò ex Ecclesiis, Monasteriis, & aliis Beneficiis prædictis malè & indebitè perceptos, ad reparationem Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum prædictorum, super quibus Confidentia hujusmodi contracta & commissa fuerit, per Archiepiscopos, Episcopos, seu Officiales, aliosque prædictos converti & applicari posse volumus, ac decernimus; Magnopere hortantes, & enixè in Domino requirentes eumdem Regem Christianiſſimum, ut omne studium, operam, & auctoritatem ad prædicta peragenda & exequenda præstare & impertiri velit. Absolutionem autem à Censuris & pœnis, ac irregularitatibus, propter crimen Confidentiæ hujusmodi quomodolibet incursis, pro tempore existenti nostro, & Sedis Apostolicæ apud Regem prædictum Nuntio, & quoad Provincias sub legatione Avenionensi comprehensas, eidem Avenionensi Legato, cum facultate etiam alios subdelegandi, de quorum pietate & prudentia magis confidant, per præsentes committimus & demandamus. Non obstantibus Pii Quarti & Pii Quinti Prædecessorum prædictorum litteris, quas, quoad dictum Regnum, in superiùs expressis duximus relaxandas, & moderandas, illis nihilominùs, quoad alia regna & loca, in suo robore duraturis, aliisque Apostolicis constitutionibus, privilegiis quoque & indultis generalibus, vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, præsentium effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri. Et de quibus eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscumque Curiæ Ecclesiasticæ, ejusve Prælati Sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem in judicio, & extra ubique Locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostrorum mandati, injunctionis, decretorum, hortationis, requisitionis, commissionis, demandationis & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ 1587. Id. Augusti. Pontificatus nostri, anno tertio.

GREGORIUS XIV.

PONTIFEX CCXXXIII.

ANNO DOMINI MDXC.

GRegorius ex Familia Sfondrata anno 1590. coronatus fuit Pontifex. Purpureos pileos Cardinalibus Ordinum Regularium, qui nigris antehac utebantur, concessit. Anathematizavit sponsiones quascunque de Pontificis morte, aut Electione; Obiit mense decimo Pontificatus sui. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 756. App.*)

Declarat cassata esse, & annullata privilegia exemptionis Cathedralis Ecclesiæ Antverpiensis, quatenùs militant adversus Jurisdictionem Ordinarii: an. 1591.

I. Ex Op. Dipl. Miræi Tom. II. p. 1107.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INter cætera quæ internis exoptamus affectibus, id unum est, ut inter Prælatos, eorumque subditos charitatem concordia nutriat, & pacem charitatis firmet amœnitas. Aliàs siquidem, cùm Dilecti Filii Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Antverpiensis ratione quorumdam privilegiorum in eorum favorem à felicis recordationis Alexandro Sexto, Leone Decimo, Adriano etiam Sexto, Prædecessoribus nostris, antequam dicta Ecclesia, quæ tunc Collegiata, & Diœcesis Cameracensis erat, in Cathedralem erecta extitisset, emanatorum, seu approbatorum, ampliatorum, & innovatorum, non solùm exemptionem à Jurisdictione, visitatione, correctione, & omnimoda superioritate moderni, & pro tempore existentis Episcopi Antverpiensis, seque, immediatè Sedi Apostolicæ subditos, verùm etiam jurisdictionem in universum Clerum Antverpiensem, tàm in Civilibus, Matrimonialibus, & Criminalibus Causis, quàm in facultate à casibus Episcopo reservatis absolvendi, ac concedendi Litteras dimissorias, nec non forsan pluribus aliis; & modernus Episcopus hujusmodi privilegia, si qua ipsi Decanus, & Capitulum haberent, ut præfertur, per erectionem dictæ Ecclesiæ in Cathedralem postmodum à piæ memoriæ Paulo PP. Quarto, etiam Prædecessore nostro factam, de medio sublata & abrogata fuisse prætenderet, causæque, seu prætensionis, & controversiæ hujusmodi de communi Partium consensu Venerabili Fratri nostro Episcopo Cajacensi, nostro, & dictæ Sedis in illis partibus Nuntio, componendæ commissæ fuissent, & ipse Episcopus Nuntius juribus ambarum Partium hujusmodi per eum diligenter visis, acta desuper emanata, & gesta ad recolendæ memoriæ Sixtum PP. Quintum similiter Prædecessorem nostrum, & Sedem præfatam transmitti, & perferri curasset, idemque Sixtus Prædecessor negotium hujusmodi Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ super Interpretatione Concilii Tridentini deputatis Cardinalibus audiendis cognoscendum, & fine debito terminandum commisisset; prædicti Cardinales visis diligenter juribus prædictis, nec non Advocatis & Procuratoribus partium hinc inde sufficienter auditis, causâque maturè, & prout decebat, diligenter, accuratéque discusâ, & in utramque partem examinatâ, censuerant pristina quondam Collegiatæ Ecclesiæ, quæ postea, ut præfertur, in Cathedralem Antverpiensem erecta est, privilegia Capitulo antedicto contra Episcopi Antverpiensis jurisdictionem non ampliùs suffragari in iis, quæ concernunt jurisdictionem ipsius Episcopi, & præsertim in Casibus, in quibus jurisdictio ipsi Episcopo à Concilio Tridentino tributa est.

Et nihilominùs prædicti Decanus, & Capitulum, præmissis non contenti, ad eundem Sixtum Prædecessorem, & Sedem prædictam de novo recursum habentes, prædictum negotium de novo ipsis Cardinalibus audiendum, & examinandum committi obtinuerunt, Cardinalesque prædicti in

deciſis remanentes, ſecundò pro Epiſcopi Antverpienſis jurisdictione, ita ut præfertur, cenſuerunt. Ac tandem ne aliqua Decano, & Capitulo antedictis ulteriùs litigandi remaneret occaſio, iidem Cardinales tertiò negotium prædictum reaſſumentes, unanimi conſenſu, in eandem, ut præfertur, devenerunt Sententiam.

Cùm autem Nos æquitate penſata jure ducamus providendum, ut quæ ipſi Cardinales magna cùm maturitate, & ſtudio tribus diſtinctis vicibus deſuper cenſuerunt, debitæ exequutioni demandentur, totius litis, ac differentiarum, & prætenſionum hujuſmodi Statum, nec non Cauſæ, & Cauſarum merita, ac moderni Epiſcopi, & Decani, & Capituli prædictorum privilegiorum eisdem Decano, Capitulo, & Eccleſiæ quomodolibet per prædictos Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros conceſſorum veriores etiam totos tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, ac Cauſam, & Cauſas, ſeu differentias, & prætenſiones prædictas univerſas, ſuper præmiſſis latiùs deductas, tam coram Epiſcopo Cajacenſi, & Cardinalibus prædictis, quàm aliis quibuſcumque Judicibus Ordinariis, & Delegatis in Romana Curia, & extra eam etiam ubilibet pendentes, in quibuſcumque, & ſtatu & terminis reperiantur, harum ſerie ad Nos avocantes, litemque, & lites hujuſmodi penitùs extinguentes, perpetuumque ſuper his Decano, Capitulo, & illius ſingularibus perſonis, & Canonicis, & aliis collitigantibus prædictis ſilentium imponentes, ac eis ſuper prædictis os claudentes, de conſilio eorumdem Cardinalium, quibus & Nos hujuſmodi negotium videndum, & Nobis referendum commiſimus, tenore præſentium dicimus, & declaramus, priſtina quondam Collegiatæ Eccleſiæ, quæ poſtea, ut præfertur, in Cathedralem Antverpienſem erecta eſt, privilegia, Capitulo antedicto contra Epiſcopi Antverpienſis jurisdictionem non ampliùs ſuffragari in iis, quæ concernunt jurisdictionem ipſius Epiſcopi, & præſertim in caſibus, in quibus Jurisdictio ipſi Epiſcopo à Concilio Tridentino tributa eſt, illaque revocata, caſſata, irrita, & annullata decernimus.

Mandantes eidem Decano, & Capitulo, quatenùs dicto Epiſcopo, tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, ac exhibentes ſibi obedientiam, ac reverentiam debitas, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere curent: Alioquin Sententiam, quam idem Epiſcopus ritè tulerit in contumaces, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis, & ſupradictis omnibus, & ſingulis ab omnibus cenſeri, ac ita, & non aliter per prædictos, & quoſcunque alios Judices, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Et nihilominùs Venerabilibus Fratribus Noſtris Archiepiſcopo Mechlinienſi, & Buſcoducenſi, & Gandavenſi Epiſcopis per præſentes præcipimus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes Litteras, & in eis contenta hujuſmodi, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, ac pro tempore exiſtentis Epiſcopi Antverpienſis præfati fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eidem efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra à Decano, & Capitulo prædicto, & omnibus aliis, quos eædem Litteræ, & in eis contenta ipſa quomodolibet concernunt, & concernent in futurum, inviolabiliter perpetuò firmiter obſervari, non permittentes modernum, & pro tempore exiſtentem Antverpienſem Epiſcopum deſuper per Decanum, & Capitulum prædictos, ſeu aliquem ex illis quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, nec non, legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, Sententias, Cenſuras, & Pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſæcularis.

Non obſtantibus Litis pendentiis, & Alexandri, Adriani, Leonis Prædeceſſorum noſtrorum privilegiis deſuper emanatis, quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, auctoritate, & tenore prædictis ſpecialiter & expreſsè derogamus contrariis quibuſcumque.

Aut ſi Decano, Capitulo, & aliis perſonis Eccleſiæ hujuſmodi, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem.

Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ, in Monte Quirinali, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Julii 1591. Pontificatus noſtri, anno primo.

CLEMENS OCTAVUS.

PONTIFEX CCXXXV.

ANNO DOMINI MDXCII.

CLemens Florentinus, Hippolytus Aldobrandinus anteà dictus. Hyacinthum Polonum, & Raymundum de Pennafort ex ordine Dominicanorum Sanctorum Albo inſeruit. Vetuit, ne in Eccleſiis vel ſupplicationibus aliæ cantentur Litaniæ, quàm omnium Sanctorum, & B. Virginis Lauretanæ. Obiit anno 1605. Sedis decimotertio (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. III. fol.* 1. *App.*)

Breve ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem, quo confirmat Breve Gregorii XIII. pro creandis novis Equitibus Ordinis Aurei Velleris extra comitia: an. 1596. II. Ex Op. Diplom. Miræi, Tom. I. pag. 240.

CLEMENS PAPA VIII.

Cariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm aliàs vacantibus pluribus Locis, & Officiis Ordinis, ſive Societatis Auri Velleris del Toſon, vulgò nuncupati, de quibus Tu forſan dubitabas, an extra Capitulum dicti Ordinis providere poſſes, felicis recordationis Gregorius XIII.

Præde-

Prædecessor noster, supplicationibus tuis inclinatus, Tibi, si extrà Capitulum generale ejusdem Ordinis de illis aliter disponere non posses, de iis extra illud liberè, & licitè providendi licentiam, & facultatem concesserit, prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris, in forma Brevis, decimo quinto Octobris, anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi, Pontificatus sui anno sexto, expeditis Litteris pleniùs continetur, quarum vigore, sicut nobis exponi fecisti, Tu de pluribus ejusdem Ordinis Locis, & Officiis tunc vacantibus disposuisti, sive providisti.

Cumque nunc de aliis etiam, quæ postea vacarunt, similiter providere cupias, eamque ob rem ejusdem Gregorii Prædecessoris Licentiam, ac facultatem usque ad numerum Locorum dicti Ordinis nunc vacantium completum, per Nos extendi, & ampliari, sive illa Tibi de novo concedi, per dilectum Filium Nobilem Virum Antonium de Cardona Suessæ Ducem, Tuum apud Nos Oratorem, à Nobis postulaveris.

Nos supplicationibus tuis hujusmodi inclinati, Litterarum prædicti Prædecessoris tenorem pro expresso habentes, Tibi de omnibus Locis, atque Officiis dicti Ordinis nunc vacantibus, quatenùs extra dictum Capitulum de illis aliter disponere, aut providere nequeas, ad tuum beneplacitum, usque ad numerum Locorum dicti Ordinis completum, extra idem Capitulum generale disponendi, & liberè, ac licitè providendi licentiam, & facultatem, Apostolica Auctoritate, tenore præsentium concedimus, & impartimur,

Non obstantibus dicti Ordinis, ut supra.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 15. Januarii 1596. Pontificatus nostri anno quarto.

II. Ex Actes, Titres &c. du Clergé de France, Tom. 2. pag. 205.

Executio Decreti Concilii Tridentini contra Regulares exemptos, qui extra Claustra cum scandalo vivunt; & punitio Superiorum eorundem, qui eos corrigere negligunt: an. 1596.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Susceptі muneris ratio postulat, ut ea, quæ in Sacro Tridentino Concilio providè constituta sunt, ab iis ad quos spectat, inviolatè observari curemus.

§. 1. Maturo sanè Consilio ipsius Concilii decreto provisum est, ut quicumque Regularis non subditus Episcopo, intra claustra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, & Superior de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minùs ipse à suo item Superiore Officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

§. 2. Verùm quia experientia compertum est, interdum in hujusmodi decreti executione nimis remissè procedi, cùm enim Episcopus instat, aliquem Regularem, eo, quo supradictum est, modo delinquentem, à suo Superiore puniri, sæpe fit, ut Superior Regularem delinquentem ad alia suorum Ordinum Loca, extra Episcopi diœcesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias Provincias se conferat, nec ulteriùs super delinquentis excessibus inquirat, & de ejus punitione Episcopum certiorem reddat. Unde nec Regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cùm extra ipsius Diœcesim existat, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur.

§. 3. Nos, pro pastorali nostra sollicitudine, præfati decreti executioni, quantum cum Domino possumus, favere, & præmissis malis, ut par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium prædicti Concilii interpretum sententia, Motu proprio & ex certa scientia, nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, omnibus & singulis cujuscumque Ordinis & instituti Regularium, etiam Mendicantium Superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac privationis Dignitatum, & Officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum decretum, quilibet ipsorum Regularem non subditum Episcopo, intra claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipsum, in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterùm si Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus, & simili motu atque auctoritate decernimus, ut Superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac privationis Dignitatum, & Officiorum obtentorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ac ulteriùs privationis activæ, & passivæ vocis, ad quas à nemine præterquam à Nobis & à Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à Loco, ad quem transmissus fuit, revocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, ut Ordinarius Loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario Loci in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum Concilii decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvertere possit, & debeat.

§. 4. Decernentes sic, & non aliter, per quoscumque Judices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam eisdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus quibusvis eorumdem Ordinum vel Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & approbatis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Ut autem præsentes litteræ omnibus supradictis innotescant, mandamus, illas ad valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi, & publicari, volumusque, post quindecim dies, eos qui in Urbe sunt, qui verò extra eam, & citra montes, intra quatuor, qui demum ultra montes erunt, intra octo Menses, à die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac si eorum unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 7. Ac earumdem præsentium litterarum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ obsignatis, eandem fidem in judicio,

cio, & extra illud haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

§. 8. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum præcepti, voluntatis, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, septimo Calend. Martii, Pontificatus nostri, anno quinto.

Anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Indictione nona, die verò decima octava Mensis Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis divinâ providentiâ Papæ VIII. anno ejus quinto: retroscriptæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, per Nos Josephum Spadam, & Ludovicum Massarutium, Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursores.

Gabriel Savarellus, Mag. Curs.

III. Ex ibidem Tom. 2. pag. 203.

Decretum tollens usum Litaniarum, exceptis his, quæ in Breviariis Pontificalibus, & Ritualibus leguntur, item B. Mariæ Virginis solitis cantari in Ecclesiâ Lauretanâ, & à Sacra Rituum Congregatione approbatis: an. 1601.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUoniam multi hoc tempore privati etiam homines, prætextu alienæ devotionis, novas quotidie Litanias evulgant, ut jam propè innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur, & in nonnullis ineptæ Sententiæ, in aliis (quod gravius est) periculosæ, & errorem sapientes inveniantur, Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. pro solicitudine sua providere volens, ut animarum devotio, Deique, ac Sanctorum invocatio, sine ullius detrimenti Spiritualis periculo foveatur, præcipit, ac mandat, ut retentis antiquissimis, & communibus Litaniis, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, nec non Litaniis de Beata Virgine, quæ in Sacra Æde Lauretana decantari solent: quicunque alias Litanias edere, vel jam editis, in Ecclesiis, sive Oratoriis, sive Processionibus, uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, & si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque sine Licentia prædictæ Congregationis, eam in publicum edere, aut publicè recitare præsumant, sub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii, & Inquisitoris severè infligendis. Præsens decretum factum fuit in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, coram prædicto Sanctissimo Domino Nostro, ac Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, octavo Idus Septembris, Anno à Nativitate Domini nostri JESU Christi M DC I.

IV. Ex Memoir. du Clergé de France, Tom. I. pag. 984.

Præscribit quæ sint necessaria ad ædificanda nova Monasteria Mendicantium, declarans necessitatem Confessionis Episcopi, & alia hujusœmodi: an. 1603.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUoniam ad institutam Regularium Locorum & Personarum reformationem promovendam, & conservandam maximè pertinet, ut in quibusque Domibus & Monasteriis is tantùm numerus Religiosorum, qui commodè ibidem ali possit, contineatur, ac eò pariter spectat, ut in quibuscunque Civitatibus & Locis aliorum Domorum, & Monasteriorum in eis existentium habita ratione, commodè sustentari posse dignoscantur.

1. Hac igitur nos consideratione ducti, & in præmissis providere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Constitutionibus, & negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, harum serie declaramus, Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscunque Mendicantium Ordinis, in Civitatibus & Locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis, erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causâ, servatis servandis, cognitâ constiterit, in eisdem Civitatibus, & Locis novos hujusmodi erigendos Conventus, sine illorum detrimento, commodè sustentari posse.

2. Si verò ab eorum Sententiis in hujusmodi causis, ad Nos & Apostolicam Sedem provocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque à Nobis & Apostolica Sede in eadem Causa pronunciatum extiterit. Irritum nihilominùs, & inane decernentes, quicquid secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

3. Quocirca universis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis per præsentes in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut præsentes nostras literas observent & observari curent & faciant.

4. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in universalibus Provincialibus & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibuscunque statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & confirmandis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 23. Julii, anno millesimo sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri, anno duodecimo.

Quid servare debeant Regulares, & Confraternitates in posterum in erigendis suis Congregationibus, & Societatibus, item Communicatio Indulgentiarum, Indultorum, & Eleemosynarum, nec non Confessorum Optio: an. 1604. V. Ex Actes &c. du Clergé de France, Tom. II. pag. 207.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUæcumque à Sede Apostolica ad promovendam Christi fidelium salutem, aliquando concessa sunt, etsi maturo consilio, magnaque prudentia, & cautione sancita & decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute solicitus, progressu temporis animadvertit, sensim ali-

quos

quos abusus in eisdem statutis & decretis observandis provenire, debet pro sui Pastoralis muneris debito opportuna ratione occurrere, & quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere.

§. 1. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, & forsan etiam à nobis, nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus & Institutis, ac etiam Christifidelium Sæcularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum Nationum, Nominum, & Institutorum, tam in alma Urbe nostra, quàm in aliis Civitatibus & locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi & instituendi, in eorum ab aliis Ecclesiis & Collegiis, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates & Congregationes in eadem Urbe, & in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta sibi concessa, respectivè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in hujusmodi erectionibus & communicationibus faciendis servari debeat; propterea, sive negligentiâ Superiorum, Ordinum, Religionum & Institutorum, vel Officialium Archiconfraternitatum & Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium, & communicantium, quæ Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non servant formam in hujusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus & communicationibus servari debitam, neque præscribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum, & Congregationum incuriâ, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet, ut illa consequantur, nonnullæ pravæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde provenerunt.

§. 2. Quibus Nos pro commisso nobis Apostolicæ solicitudinis Officio, paternaque ergo omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura, decernimus atque statuimus, ut in posterum tam hujus Almæ Urbis nostræ, quàm aliarum Civitatum, & Locorum totius Christiani Orbis, Regularium Ordinum, Religionum, & Institutorum, quibus in eorum & quibuscumque aliis Ecclesiis & Collegiis, Confraternitates Sæcularium erigendi, instituendi facultas concessa est, nec non etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum, cujusvis Nationis, Nominis, & Instituti illæ sint, & in quibuscumque Ecclesiis, Domibus, & Oratoriis, tam Sæcularium, quàm ut præfertur, quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, Religionum, & Institutorum Regularium, quavis tam ordinaria, quam Apostolica Auctoritate erectæ, nec institutæ existant, seu aliàs quovis modo introductæ reperiantur, quibus alias Confraternitates & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi & communicandi potestas à Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, vel à nobis, & Apostolica Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerii, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores & alii Officiales, seu Superiores quovismodo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum & Institutorum, unam tantum Confraternitatem & Congregationem, de consensu tamen Ordinarii Loci, & cum litteris ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ & instituendæ pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum & quibuscumque aliis Ecclesiis & Collegiis erigere & instituere.

§. 3. Cæterùm verò Archiconfraternitatum, & Congregationum, in singulis Civitatibus, Oppidis, vel Locis, unam etiam Confraternitatem, & Congregationem dumtaxat, quæ Apostolica vel ordinaria Auctoritate priùs erecta, ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi ejusdem, vel alterius Nationis, Nominis, & Instituti aggregata sit, prævio similiter Loci Ordinarii consensu, & cum ejus litteris testimonialibus, quibus ejusdem Confraternitatis, & Congregationis aggregandæ institutum, pietas & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consuevit, apud eos commendentur, adjungere & aggregare possint.

§. 4. Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ, ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi nominatim, & in specie, non autem quæ per extensionem vel communicationem, sibi quovis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresè, & in specie communicare valeant.

§. 5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum & Institutorum erigentium & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium edita, Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea priùs ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominùs ejusdem Episcopi decretis ac moderationi, & correctioni in omnibus semper subjecta remaneant.

§. 6. Insuper volumus & ordinamus, ut prædicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, nec non Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes certam erigendi, instituendi, aggregandi & communicandi formulam à nobis novissimè approbatam, diligenter observent, secundùm quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus, nominatim, & expresè, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra concessa, ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes fiunt, communicare possunt.

§. 7. Quibus Confraternitates & Congregationes ejusdem dumtaxat Nationis & Nominis, Ordinis, Religionis, & Instituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis cui aggregantur, tàm hactenus aggregatæ, quàm imposterum aggregandæ utantur, potiantur & gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, & Officiales, & alii privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta hujusmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejusdem Ecclesiæ Capitulo juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

§. 8. Quibus etiam Ministris Officialibus, & aliis prædictis, eleëmosynas, & alia oblata Chri-

stianæ Charitatis subsidia, juxta modum & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, pelvibus & capsis, quæ in Ecclesiis & Oratoriis dictarum Confraternitatum & Congregationum publicè ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tam Almæ Urbis nostræ, quàm aliarum Civitatum, & Locorum quorumcumque, juxta modum à Vicario Urbis, & ab Ordinariis Locorum, respectivè præscribendum, observare teneantur. Eleëmosynas autem sic collectas in reparationem & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri de Urbe, nec non Ordinariorum Locorum respectivè, fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant, Cœlestis Ecclesiæ Thesauros, non quæstus, aut alicujus lucri causâ, sed charitatis & pietatis excitandæ gratiâ, & Apostolicæ Sedis benignitate, Christifidelibus aperiri.

§. 9. Præterea volumus, ut Confessarii, qui vigore privilegiorum, ipsis Ordinibus, Religionibus Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregatis communicandorum, pro tempore eligi possunt, & poterunt, Sæculares scilicet in Alma Urbe à prædicto nostro Vicario, extra urbem verò à Locorum Ordinariis, Regulares autem non solum à prædicto Vicario nostro, & à Locorum Ordinariis respectivè, sed etiam à suis Superioribus approbati sint, utque Confratres confitentes, à criminibus, casibus & censuris, juxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, & Sacris Concilii Tridentini Decretis, ac Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam, & tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem Confessarii prædictos Confratres cujuscumque gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota dignæ fuerint, à casibus contentis in litteris, quæ die Cænæ Domini legi consueverunt, nec non violationis, immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & Clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria & urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam, si causa, & licentiâ concessâ abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, nec non violentæ manus injectionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus, tam à nobis, quàm prædicto nostro in Urbe Vicario, & Locorum Ordinariis respectivè reservatis, & pro tempore reservandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata absolvere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, prætextu dictorum privilegiorum, nullo modo possint.

§. 10. Demum statuimus, & pariter ordinamus, ut Confraternitates, & Congregationes ubivis locorum quavis auctoritate, ut præfertur, erectæ, & institutæ, & quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, novas erectionum institutionum, communicationum, & aggregationum litteras, juxta formam à nobis novissimè approbatam, infra annum, si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentium in Romana Curia faciendæ computandos impetrare teneantur, alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, & quæcumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessæ, nullius sint roboris, & momenti, ac revocatæ & abolitæ censeantur eo ipso.

§. 11. Erectionum autem, institutionum, communicationum, & aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum litteræ, ab ipsis Ordinibus, Religionibus & Congregationibus, gratis omninò, ac nullâ prorsus mercede, etiam à sponte dantibus acceptâ, expediri & concedi debeant.

§. 12. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales, quocumque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archi - Confraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum hujusmodi, quamvis auctoritate, vel privilegio ex officio fungantur, & præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, erectiones, institutiones, & communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum & indultorum, aliorumque præmissorum concessiones, nec non aggregationes per ipsos faciendæ, seu renovandæ, nullius sint roboris, & momenti, & quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum privationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnam, quæ ab alio, quam à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, remitti non possit, incurrat eo ipso.

§. 13. Decernentes præsentes litteras perpetuò validas & efficaces existere & fore, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque nostræ mentis & intentionis existere, & ita, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid super his à quoquam quavis auctoritate scienter & ignoranter contigerit attentari.

§. 14. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, quorumcumque Ordinum, Religionum, & Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatatum Sæcularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, ac Bulla Aurea nuncupatis, Regularibus, Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus, Congregationibus, & Confraternitatibus Sæcularium, eorumque Superioribus, & aliis quibusvis personis, cujuscumque Status, Gradus, Ordinis, Conditionis, Dignitatis, & Præeminentiæ existentibus, sub quibuscumque verborum formis & tenoribus, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus & aliis decretis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum, etiam pluries concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes,

tantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia requisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 15. Ut autem præsentes litteræ ad omnium quos concernunt notitiam faciliùs deveniant, volumus illas ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ more solito publicari & affigi, atque iis inde amotis earumdem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factaque publicatione hujusmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, Instituta, & Archiconfraternitates, Congregationes, & Confraternitates Sæcularium, quæ in Urbe quidem post mensem, quæ verò in Europa, post decem menses, quæ demum extra Europam fuerint, post octodecim menses, à die publicationis hujusmodi computandos, perinde afficere, & arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent.

§. 16. Et nihilominus, ut ipsæ præsentes litteræ notiores fiant, magisque omnibus innotescant, universis & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Locorum Ordinariis, per easdem præsentes committimus & mandamus, ut per se vel alium, seu alios, hasce nostras litteras, postquam eorum tenorem receperint, seu earum notitiam habuerint, semel aut pluries, prout eis magis expedire visum fuerit, in suis Cathedralibus, & majoribus respectivè Ecclesiis Civitatum, Oppidorum & Locorum quorumcumque eorum Diœcesium, dum in eas major populi multitudo ad Divina convenerit, solemniter publicent, & publicari Auctoritate Nostra mandent ac faciant.

§. 17. Cæterum quia difficilè foret easdem præsentes ad singula loca, ubi opus fuerit, deferri, volumus, & simili auctoritate decernimus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique Fides habeatur, quæ ipsismet litteris haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die septima Decembris, millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1604. *Indictione secunda, Pontificatus Sanctissimi Patris, & Domini nostri, Domini Clementis, Divinâ Providentiâ Papæ VIII. anno* 13. *die verò* 14. *Mensis Decembris retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Sancti Joannis.*

PAULUS QUINTUS.
PONTIFEX CCXXXVII.
ANNO DOMINI M DC V.

Paulus Quintus Burghesius anno 1605. Pontificatum accepit : Controversiam de Gratia & Libero Arbitrio inter Dominicanos & Ignatianos compressit, sic ut quisque à parte suâ staret sine damnatione adversæ sententiæ : annos sexdecim vixit. *(Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemburgensis 1727. Tom. III. fol. 195. App.)*

Breve Interdicti contra Rempublicam Venetam, & Edictum Leonardi Donati Ducis Venetiarum, de non recipiendo Brevi Pontificio : Anno 1606.

I. Ex Monarch. Goldasti Tom. 3. pag. 282.

PAULUS QUINTUS.
PONTIFEX MAXIMUS.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per universum Dominium Reipublicæ Venetorum constitutis, & dilectis Filiis eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus, nec non universis Abbatibus, Prioribus, Primiceriis, Præpositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Plebanis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, aliisque Personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis in eodem Dominio existentibus, tam Sæcularibus, quàm quorumvis Ordinum & Institutorum Regularibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Superioribus Mensibus ad nostram, & Apostolicæ Sedis audientiam pervenit, Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetorum annis elapsis in eorum Consiliis plura ac diversa Decreta, tùm Sedis Apostolicæ Auctoritati, & Ecclesiæ Libertati, ac Immunitati contraria, tùm Generalibus Conciliis, & Sacris Canonibus, nec non Romanorum Pontificum Constitutionibus repugnantia statuisse: & inter cætera sub die 23. Mensis Maji Anni M DC II. sumpta occasione ex quadam lite, seu controversia inter Doctorem Franciscum Zabarellam ex una, & Monachos Monasterii de Praglia nuncupatos, Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, aliàs S. Justinæ de Padua in Diœcesi Paduana ex altera, partibus, vertente, eorum Consilio statuisse, non solùm, ut dicti Monachi tunc, aut deinceps ullo unquam tempore actionem, per quam sub quovis titulo, aut colore in Bonis Ecclesiasticis emphyteuticis à Laicis possessis præferantur, prætendere, ac etiam Jure Prælationis, seu Consolidationis directi, cum utili Dominio, aut extinctionis lineæ, inprimis Investituræ comprehensæ, aut aliâ quavis causâ bonorum prædictorum proprietatem sibi vindicare minimè possent, sed tantummodò jus directi Dominii illis præservatum esset : verùm etiam, ut idipsum quoad cæteras omnes Personas Ecclesiasticas, Sæculares & Regulares, Monasteria Monialium, Hospitalia, & alia loca pia in eorum temporali Dominio existentia, declaratum, & firmiter deliberatum censeretur. Et sub die 10. Januarii ad superiora quædam consilia ab eorum majoribus, ut etiam asserebant, habita respicientes, quibus cavebatur, ne quisquam sive Sæcularis, sive Ecclesiasticus in Urbe Venetiarum, Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, atque alias Religiosas Domos, & pia loca, sine eorum speciali licentia fundaret, & erigeret, in Consilio Rogatorum congregatos iterum decrevisse, ut id

eandem in omnibus jurisdictionis eorum locis vim obtineret: & præterea exilii, ac perpetui carceris, & publicationis fundi, venditionisque ædificii contra secus facientes pœnam edixisse. Ulteriùs eosdem Ducem, & Senatum die 26. Mensis Martii, anni M DC V. inhærentes alteri Decreto, anno M D XXXVI. ab eodem Senatu facto, in quo (ut asserebant) erat expresse prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis pœnis in Urbe Venetiarum, ejusque Ducatu bona immobilia ad pias causas testamento, seu donatione inter vivos relinqueret, aut aliquovis titulo alienaret, sive ad earum favorem ultra certum tunc expressum tempus obligaret (quod in illum usque diem, ut ibi etiam dicebatur, usu receptum, & observatum non fuerat) non modo iterum id vetuisse, sed expressè etiam prohibuisse, ne bonorum ejusmodi immobilium alienationes in favorem Personarum Ecclesiasticarum, sine Senatus prædicti licentia fierent, ac insuper decretum ipsum, & pœnas in eo contentas per universum eorum Dominium extendisse, & per Rectores, & Potestates Civitatum, & Locorum sui Dominii promulgari fecisse, atque bona immobilia omnia, quæ contra præmissorum formam vendi, aut quovis modo alienari contingeret, ultra nullitatis pœnam publicari, & vendi, eorumque pretium inter Rempublicam ipsam, Magistratum exequentem, & ejus Ministros, ipsumque denuntiatorem dividi mandasse, & aliàs prout in Decretis & Mandatis Ducis, & Senatus prædictorum latiùs dicitur contineri. Ac præterea eosdem Ducem & Senatum, Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Forojuliensem Abbatem Monasterii, seu Abbatiæ de Nervesa Tarvisiæ Diœcesis, Personam in Dignitate Ecclesiastica constitutam, ob quædam prætensa crimina in Urbe Vicentina, & alibi per illos (ut dicitur) commissa, carceri mancipasse, & mancipatos detinuisse, sub prætextu, quod eis hæc facere liceret, inter alia ob quædam ipsis Duci & Reipublicæ à quibusdam Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, concessa (ut asserebant) privilegia. Cumque præmissa in aliquibus Ecclesiarum Juribus, & Personarum Ecclesiasticarum Privilegiis præjudicium inferant, ipsamque Libertatem, ac Immunitatem Ecclesiasticam tollant: Ac ea omnia in ipsorum Ducis, & Senatus animarum perniciem, & scandalum plurimorum tendant: Et cum ii, qui supradicta, ac similia edere & promulgare, illisque uti ausi sunt, in Censuras Ecclesiasticas à Sacris Canonibus Generalium Conciliorum decretas, & Romanorum Pontificum Constitutionibus inflictas, nec non etiam privationis feudorum, & bonorum, si quæ ab Ecclesiis obtinent, pœnas eo ipso incurrerint, à quibus censuris & pœnis, non nisi à Nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, & liberari possint, ac propterea inhabiles, & incapaces sint, qui absolutionis, & liberationis beneficium consequantur, donec editas leges novis edictis atque decretis sustulerint, omniaque inde sequuta re ipsa in pristinum statum reintegraverint: Cumque etiam Dux, & Senatus prædicti, post plures paternas nostras monitiones, à multis mensibus citra eis factas, adhuc decreta & edicta præfata non revocaverint, ac eosdem Canonicum Saracenum, ac Abbatem Brandolinum carceratos detineant, & illos Venerabili Fratri Horatio Episcopo Hieracensi nostro, & Apostolicæ Sedis apud eos Nuntio, ut debebant, non consignaverint: Nos, qui nullo pacto ferre debemus, ut Ecclesiastica Libertas, & Immunitas, nostraque & Sedis Apostolicæ Auctoritas violetur, & contemnatur, inhærentes plurimum Generalium Conciliorum Decretis, ac vestigiis Romanorum Pontificum Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. Alexandri IV. Clementis IV. & Martini etiam IV. Bonifacii VIII. Bonifacii IX. Martini V. Nicolai V. & aliorum Romanorum Pontificum, Prædecessorum nostrorum, quorum aliqui similia Statuta, aliàs contra Libertatem Ecclesiasticam edita, tamquam ipso jure nulla, invalida, & irrita revocarunt, ac nulla, invalida & irrita esse decreverunt, & declararunt, & aliqui contra similium edictionum statutarios, & alios excommunicationis promulgationem, nec non ad alia infrascripta, seu eorum aliqua devenerunt: habitâ cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura consultatione, de ipsorum consilio & assensu, licèt supradicta Decreta, Edicta, & Mandata ipso jure nulla, invalida, & irrita sint, ea nihilominùs ipso jure adhuc de novo nulla, invalida, & irrita, nulliusque roboris & momenti fuisse, & esse, & neminem ad illorum observantiam teneri, per præsentes decernimus, & declaramus. Et insuper Auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, nisi Dux, & Senatus prædicti intra 24. dies à die publicationis præsentium in hac Alma Urbe faciendæ computandos, quorum octo primos pro primo, octo pro secundo, & reliquos octo pro tertio, & ultimo ac peremptorio termino, & pro monitione canonica illis assignamus, prædicta decreta omnia, & in illis contenta, & inde secuta quæcunque omni prorsus exceptione, & excusatione cessante, publicè revocarint, & ex eorum Archivis, seu Capitularibus Locis, aut Libris, in quibus decreta ejusmodi annotata reperiuntur, deleri, & cassari, & in locis ejusmodi Dominii, ubi promulgata fuerunt, revocata, deleta, & cassa esse, neminemque ad illorum observantiam teneri, publicè denunciari, ac omnia inde secuta, in pristinum statum restitui fecerint: & ulterius nisi à similibus decretis contra Libertatem, Immunitatem, & Jurisdictionem Ecclesiasticam, ac Nostram, & Sedis Apostolicæ Auctoritatem, ut præfertur, facientibus edendis, & respectivè faciendis in posterum cavere, & penitùs abstinere promiserint, ac nos de revocatione, deletione, cassatione, nuntiatione, restitutione, ac promissione prædictis certiores reddiderint, & nisi etiam prædictos, Scipionem Canonicum, & Brandolinum Abbatem prædicto Horatio Episcopo & Nuntio cum effectu consignaverint, seu consignari fecerint, ipsos tunc, & pro tempore existentem Ducem, & Senatum Reipublicæ Venetæ Statutarios, & eorum Fautores, Consultores, & Adhærentes, & eorum quemlibet, etiamsi non sint specialiter nominati, quorum tamen singulorum nomina, & cognomina præsentibus pro expressis haberi volumus, ex nunc prout ex tunc, & èсontra excommunicamus, & excommunicatos nunciamus, & declaramus. A qua excommunicationis sententia, præterquam in mortis articulo constituti, ab alio quàm à Nobis & Romano Pontifice pro tempore existente, etiam prætextu cujuscumque facultatis, & cuilibet illorum, tam in genere, quàm in specie pro tempore desuper concessæ, seu concedendæ, nequeant absolutionis Beneficium obtinere; Et si quempiam eorum, tanquam in tali periculo constitutum, ab ejusmodi excommunicationis sententia absolvi contigerit, qui postmodum convaluerit, is in eandem sententiam concidat, eo ipso, nisi Mandatis nostris, quantum in se erit, paruerit. Et nihilominùs si obierit post obtentam hujusmodi absolutionem, Ecclesiastica careat sepultura, donec Mandatis nostris paritionem fecerit. Et si dicti Dux & Senatus per tres dies post lapsum dictorum 24. dierum, excommunicationis sententiam animo (quod absit) sustinerint indurato, sententiam ipsam approbantes: ex nunc pariter, prout ex tunc, Civitatem Venetiarum, & alias Civitates, Terras, Oppida, Castra, & Loca quæcumque, ac universum temporale Dominium dictæ Reipublicæ Ecclesiastico Interdicto supponimus, illamque & illud

suppo-

suppofita effe nunciamus, & declaramus: quo durante, in dictâ civitate Venetiarum, & aliis quibufcunque dicti Dominii civitatibus, Terris, oppidis, caftris, & locis, illorumque Ecclefiis, ac locis piis & Oratoriis, & Domefticis Capellis, nec publicè, nec privatim miffæ, tàm folemnes, quàm non folemnes, aliaque divina officia celebrari poffint, præterquàm in cafibus à jure permiffis: & tunc in Ecclefiis tantum, & non albi, & in illis etiam januis claufis, non pulfatis campanis, ac excommunicatis, & interdictis prorsùs exclufis; neque aliter quæcunque indulta, & Apoftolica privilegia quoad hoc, quibufcunque tàm fecularibus, quàm regularibus Ecclefiis, etiàm quantumcunque exemptis, & Apoftolicæ fedi immediatè fubjectis, etiamfi de ipforum Ducis, & fenatus jure patronatus, etiàm ex fundatione, & donatione, aut etiam privilegio Apoftolico exiftant, ac etiamfi tales fint, fub generali difpofitione non comprehendantur, fed de illis fpecialis, & individua mentio habenda fit, Monafteriis, ordinibus etiam mendicantium, aut Inftitutis regularibus, eorumque Primiceriis, Prælatis, fuperioribus, & aliis quibuscumque etiàm particularibus perfonis, aut piis locis, & oratoriis etiam domefticis, ac Capellis privatis, ut præfertur, in genere, vel in fpecie, fub quibufcunque tenoribus, & formis hactenùs conceffa, & in pofterum concedenda, eis ullatenùs fuffragentur. Ac ulteriùs eofdem Ducem, & fenatum, & quemlibe eorum, non folùm Reipublicæ, fed etiam privato nomine, fi aliqua bona Ecclefiaftica in feudum, feù aliàs quovis modo à Romana aut veftris, feù aliis Ecclefiis conceffa obtineant, illis bonis, & feudis, necnon etiam omnibus, & quibuscunque privilegiis, & indultis in genere, vel in fpecie in quibusdam videlicet cafibus, & delictis contrà clericos procedendi, illorumque cauffas certa forma præfcriptâ cognofcendi, à Romanis Pontificibus prædeceffonbus noftris illis forfan quomodolibet conceffis, ex nunc fimiliter prout ex tunc, & è contrà privamus, ac privatos fore, & effe nunciamus, & decernimus. Et nihilominùs fi ipfi Dux, & fenatus in eorum contumacia diutiùs perftiterint indurati, cenfuras, ac pœnas Ecclefiafticas contrà illos, ejusque adhærentes, & in præmiffis quovis modo faventes, aut auxilium, confilium, & favorem præftantes, etiam iteratis vicibus aggravandi, & reaggravandi, aliasque etiàm pœnas contra ipfos Ducem, & fenatum declarandi, & ad alia opportuna remedia juxtà facrorum Canonum difpofitionem contrà eos procedendi facultatem nobis, & Romanis Pontificibus fucceffloribus noftris nominatim, & in fpecie refervamus, non obftantibus quibusvis conftitutionibus, & ordinationibus Apoftolicis, nec non privilegiis, indultis, & literis Apoftolicis eidem Duci, & fenatui, aut quibufvis aliis perfonis, in genere, vel in fpecie, præfertim quod interdici, fufpendi, vel excommunicari non poffint per literas Apoftolicas non facientes plenam, & expreffam, ac de verbo ad verbum de indulto hujufmodi mentionem ac aliàs fub quibufcunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & infolitis claufulis, ac irritantibus, & aliis decretis, ac in fpecie cum facultatibus abfolvendi in cafibus nobis, & Apoftolicæ fedi refervatis, illis quovis modo per quofcunque Romanos Pontifices, ac nos, & fedem Apoftolicam in contrarium præmifforum conceffis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & fingulis, & aliis fuprà expreffis eorum tenores præfentibus pro expreffis habentes, hac vice duntaxat fpecialiter, & exprefsè derogamus, cæterisque contrariis quibufcunque. Ut autem præfentes noftræ literæ ad omnium majorem notitiam deducantur, vobis, & cuilibet veftrum per eafdem præfentes committimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ, & fub divini interminatione judicii, nec non fub interdicti ingreffus Ecclefiæ, ac fufpenfionis à Pontificalium exercitio, ac fructuum menfarum Patriarchalium, Archiepifcopalium, & Epifcopalium perceptione, quoad vos Fratres, Patriarchæ, Archiepifcopi, & Epifcopi, ac etiam privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclefiafticorum, quæcunque obtinueritis, ac etiam vocis activæ, & paffivæ, ac inhabilitatis ad illa, & alia in pofterum obtinenda, quoad vos Filii Vicarii, & alii fupra dicti eo ipfo incurrendis, aliisque arbitrio noftro infligendis pœnis diftrictè præcipiendo mandamus, ut per vos, vel alium, feù alios præfentes literas, poftquam eas receperitis, feù earum notitiam habueritis, in veftris quisque Ecclefiis, dum major in eis populi multitudo ad divina convenerint, ad majorem cautelam folemniter publicetis, & ad Chrifti fidelium notitiam deducatis, necnon ad Ecclefiarum earundem veftrarum valvas affigi, & affixas dimitti faciatis. Et ulteriùs volumus, ut præfentium tranfumptis, etiam impreffis manu alicujus notarii publici fubfcriptis, & figillo Perfonæ in dignitate Ecclefiaftica conftitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ ipfis præfentibus haberetur, fi forent exhibitæ, vel oftenfæ, quodque eædem præfentes, fivè earum exempla etiàm, ut præfertur, impreffæ ad Ecclefiæ Lateranenfis, & Bafilicæ Principis Apoftolorum, & Cancellariæ noftræ Apoftolicæ valvas, & in acie campi Floræ, ut moris eft, affixæ, & publicatæ eofque etiam univerfos, & fingulos refpectivè perindè afficiant ac fi eorum, ac veftrum cuilibet perfonaliter directæ, intimatæ & præfentatæ fuiffent. Datum Romæ apud S. Petrum fub annulo pifcatoris die 17. Aprilis anno 1606. Pontificatus noftri anno primo.

M. Veftrius Barbianus.

Anno à nativitate Domini noftri Jefu Chrifti 1606. Indictione 4. die verò 17. menfis Aprilis Pontificatus Sanctiffimi in Chrifto Patris, & D. N. D. Pauli divinâ providentiâ Papæ V. anno ejus primo, fupra dictæ literæ, earumque exempla impreffa, affixa, & publicata fuerunt ad valvas Ecclefiæ Lateranenfis, ac Bafilicæ Principis Apoftolorum, & Cancellariæ Apoftolicæ, nec non in acie campi Floræ, ut moris eft per nos Chriftophorum Fundatum, & Joannem Dominicum de Pace Apoftolicos curfores.

Petrus Aloyfius Peregrinus
Curforum Magifter.

EDICTUM Ducis Venetiarum contrà BREVE Pontificis.

LEONARDUS DONATUS

Dei gratia Dux Venetiarum &c. Reverendiffimis Patriarchis, Archiepifcopis, Epifcopis Univerfi Dominii noftri Venetiarum, & Vicariis, Abbatibus, Prioribus, parochialium Ecclefiarum Rectoribus & aliis Prælatis Ecclefiafticis falutem.

Ad aures noftras pervenit, fanctiffimi Patris Pauli Papæ V. mandato quoddam affertum Breve contrà nos, ac fenatum, & Dominium noftrum fulminatum, Romæ die 17. Aprilis proximè elapfi publicatum, & affixum fuiffe, vobisque directum, cujus tenor in ipfis ejus literis continetur. Quamobrem nos, qui tranquillitatem

ANNO 1606.

ac quietem dominii nostro regimini Deo commissi servare tenemur, & auctoritate Principis neminem superiorem in temporalibus sub Divina Majestate agnoscentis tueri debemus, his nostris publicis literis coram Deo, & universo Orbe protestamur, nihil eorum, quæ per nos fieri poterant, prætermissum fuisse, quò validissimæ, & indissolubiles rationes, & jura nostra Sanctitati suæ innotescerent, eique probarentur; primum quidem per Oratorem nostrum apud sanctitatem suam legatione fungentem, deindè verò per nostras literas; quibus respondimus prioribus Brevibus nobis ab eâ directis demùm per extraordinarium Oratorem ad eandem propterea missum. Verùm cum sanctitatis suæ aures clausas invenerimus, cognoverimusque præfatum Breve contrà omne jus, & æquum emanasse, & contra ea, quæ divina scriptura, sanctorum Patrum doctrina, sacrique Canones præcipiunt, in præjudicium auctoritatis secularis à Deo nobis traditæ, & libertatis Reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis, bonorum, honoris, & vitæ, quâ fideles subditi nostri, divina gratiâ, sub nostro regimine fruuntur, non fine omnium scandalo promulgatum fuisse: Prædictum Breve non modò ut injustum, indebitúmque, verum etiam uti nullum, nulliusque roboris aut momenti nobis habendum esse non dubitamus: Atque ità invalidum, irritum, & fulminatum illegitimè, & de facto, nulloque juris ordine servato, ut ea remedia adhibenda non duxerimus, quibus majores nostri, & alii supremi Principes usi sunt cum Pontificibus, qui Potestatis à Deo sibi in ædificationem traditæ, limites, ac modos egressi fuerunt. Præsertim cum exploratum nobis sit, vos, ceterosque Fideles nostros subditos, universumque Orbem idem de eo existimaturos. Non dubitantes, quin sicut ad hoc usque tempus curæ animarum fidelium nostrorum sedulo invigilastis divinoque cultui operam dedistis, qui vestra diligentiâ in hac nostrâ ditione floret, ut ceteris non sit invidendum; ità posthac in eodem pastorali Officio perseveraturi sitis: cum nobis decretum, constitutumque sit, in sancta Fide Catholicâ, & Apostolica, atque in observantia ergà S. Rom. Ecclesiam persistere, quam Majores nostri à prima hujus Civitatis origine hujusque, divinâ comitante gratia, & sine ullâ intermissione coluerunt.

Mandantes, has nostras, ut omnibus innotescant, in magis conspicuis hujus nostræUrbis, ac aliarum fidelium Civitatum nostro Principatui subjectarum, locis affigi: certò existimantes tàm manifestam promulgationem ad omnium aures perventuram, qui de ejusdem Brevis publicatione aliquid audierunt, immò ad Sanctitatis suæ aures accessuram. Deumque obsecramus, ut suo divino spiritu illius mentem excitet, quo Brevis sui, & omnium contrà nos actorum nullitatem cognoscat & causæ nostræ justitia ac æquitate perspectâ, animos nobis addat ad obsequium reverentiamque retinendam ergà sanctam sedem Apostolicam, cujus nos, Prædecessoresque nostri, ac Respublica universa semper fuimus studiosissimi, ac in posterum fore decrevimus.

Datum in nostro Ducali Palatio, die 6. Maji, Indictione: Anno MDCVI.

Jacobus Girardus Secretarius.

ANNO 1608.

II. Ex Memoires du Clergé Tom. 5. pag. 48.

Breve ad Clerum Gallicanum, quod Regis voluntati obtemperet pro Auxiliô præstando noviter Conversis ad Catholicam Religionem: Anno 1608.

PAULUS PAPA QUINTUS.

Venerabiles Fratrès, & dilecti Filii salutem & Apostolicam Benedictionem.

BENEDICTUS Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nos in tam gravibus, & assiduis laboribus constitutos consolari per ineffabilis misericordiæ suæ gratiam nunquam desistit; Accepimus namque cum summa animi nostri lætitia charissimum filium nostrum in Christo Henricum Regem vestrum verè Christianissimum, Zelo Catholicæ fidei propagandæ incensum dare operam quibuscumque rationibus ac viis potest, ut quamplurimi ex hæreticis quotidie ad Ecclesiæ Sanctæ gremium reducantur. Idque cum antea studio & diligentia summâ egerit, *nunc diligentius acriusque curare*, retribuat illi Dominus secundum opera sua. Quoniam autem renunciatum nobis est, quod longè facilior redderetur multorum conversio ab hæresi ad Catholicam communionem, si postquam reversi sunt, esset unde certum aliquod subsidium ad vitæ sustentationem illis assignaretur, cumque prò Pastorali nostro munere nullius rei magis satagamus, quàm salutis aberrantium nostrarum ovicularum, vehementer optamus, pium consilium atque studium charissimi filii nostri Regis promoveri, potissimum ab ejus Majestate requisiti, propterea vos etiam atque etiam hortamur in Domino, ac efficaciter requirimus, rationem ineatis qua ex Ecclesiasticis redditibus istius Regni possit aliqua ratione desiderio Regis satisfieri, & necessitatibus redeuntium ad fidem Catholicam subveniri. Confidimus in vestra pietate; prudentiam, & charitatem vestram magnam esse novimus, pietatis vestræ est Religionis Catholicæ incrementum adjuvare, prudentiæ communi bono consulere, charitatis salutem proximiorum quærere: quibus quidem omnibus cum in decernendo hoc subsidio apprimè provideatur, non dubitamus quin nostra hæc cohortatio valde efficax futura sit apud vos, quemádmodum vestra erga nos pietas, & observantia nobis pollicetur. Quod quidem re ipsa præstetis ex animo cupimus, atque cum omni charitatis affectu vobis omnibus peramenter benedicimus.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris 4. Idus Junii 1608. Pontificatus nostri Anno quarto. Signatum Petrus Strotia. Et sur le repli est ecrit, Venerabilibus Fratribus, & dilectis Filiis Archiepiscopis, Episcopis, & Clero Regni Franciæ.

Ce Bref fut presenté à l' Assemblée generale de 1608. par Monseigneur le Cardinal de Joyeuse, & en suite fut ordonné la somme de trente mille livres pour les pensions des Ministres convertis, les quelles furent payées sur les frais communs des Assemblées, jusque en celle de 1625. qui en fit un departement au sol la livre, selon la cotisation de la decime, ledit departement est de trente deux mille huit cens vingt trois livres quinze sols, des quelles le Receveur general compte à l' Assemblée.

III. Ex Papeprochius sub die 25. Maji pag. 105.

Breve, quô B. Gregorii VII. festum instituit, cum celebratione officii prò Ecclesia Salernitanâ: Anno 1609.

PAULUS PAPA QUINTUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

DOmini nostri Jesu Christi, qui Servos suos æternæ gloriæ præmio donat in Cœlis, vices quamquàm immeriti in terris gerentes, ex injuncti nobis officii debito omninò tenemur procurare, ut eorundem Servorum Christi honos, & veneratio in terris promoveatur, ideòque fidelium votis, quæ peculiarem ergà illos cultum respiciunt, libentèr annuimus, prout in Domino conspicimus expedire. Sanè nobis nuper fuit expositum, nomine Fratris Joannis Archiepiscopi Salernitani, ac dilectorum filiorum Decani, & Capituli Ecclesiæ, nec non totius Cleri Civitatis Salernitanæ, quod ipsi ex peculiari, quam ergà Beatum Gregorium Papam VII. cujus indignum successorem divina dignatio nos esse voluit, devotionis gerunt affectum, peculiari quoquè ritu, die Natali ipsius, & illius translationi sacro, de eodem Beato Gregorio sacrosanctum missæ, & alia divina officia tenoris subsequentis recitare desiderant: *Officium duplex recitandum per Capitulum, & Clerum Civitatis Salerni quotannis in die festo, & in die translationis B. Gregorii Papæ VII. omnia de communi Confessoris Pontificis præter illa quæ ponuntur propria*: Oratio. Deus qui beatum Gregorium, Confessorem tuum, atque Pontificem, Sanctorum tuorum gloria sublimasti, concede propitius, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum &c. *Fit commemoratio S. Urbani Papæ & Martyris in primis vesperis, & in laudibus (dum occurrit) & in Matutino IX. lectio. Similiter in secundis vesperis S. Eleutherii P. & M.*

Ad Matutinum in primo nocturno lectiones de initio secundæ Epistolæ B. Petri Apostoli, prout habet Breviarium Romanum in feriâ sextâ infrà octavam ascensionis. In secundo nocturno Lectio IV. Gregorius Papa VII. Joanæ in Etruria natus, doctrinâ sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirificè universam Dei illustravit Ecclesiam, supremam verò sacerdotis sui in terris dignitatem admirabilitèr, qui est admirabilis in sanctis suis Dominus præmonstrare dignatus est. Nàm cum parvulus ad Fabri ligna edolantis pedes, jam literarum inscius luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa Oraculi; *Dominabitur à mari, usque ad mare* divinitùs conformasse narratur. Is ab ineunte ætate Romæ honestis animum disciplinis excolens, in domo S. Petri est enutritus, tali nutritore dignus alumnus, ut cujus altissimam, Deo largiente, auctoritatem suscepturus aliquandò erat, ipsius Apostolico in gremio educatus, Apostolicis illis, quas posteà in gerendo summo Pontificatu exhibuit, virtutibus pleniùs imbueretur. Tu autem Domine.

Lectio V. Juvenis Ecclesiæ libertatem, à laïcis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub regula S. Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maximè vigebat Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinæ Majestati deserviebat, ut à sanctis ejusdem Cœnobii Patribus Prior sit electus. Indè mox à S. Leone Papa IX. quia lucerna lucens, & ardens in Claustrorum angustiis latere non debebat, sed in Ecclesiæ altissimo vertice Dei jussu locanda erat, Romam adductus, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus ordinatus, eidem S. Leoni, ac successoribus usque adeò carus fuit, ut nihil sinè ipsius Consilio gererent. A Victore Papa secundo legatus à latere in Galliam missus, Episcopum publicè simoniacâ labe infectum, quia humanitùs convinci non poterat, divinitus convicit; cum jussus Antistes Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto palàm pronuntiare, duabus, quidem divinis Personis facilè pronuntiatis, tertiam cujus donum Episcopatum pecuniis coëmerat, proferre nullo modo valuisset. Tu autem Domine, &c.

Lectio VI. Deniquè à Nicolao secundo Pontifice Archidiaconus Cardinalis, & ab Alexandro item secundo Cancellarius Rom. Ecclesiæ creatus, eidem in summum Pontificatum succedere meruit. Ad tanti verò honoris apicem assumptus, jam forma Gregis factus, quod verbo docuit, etiam exemplo demonstravit, ac fortis per omnia Athleta, se pro muro domui Israel ponere non timuit. Henricum Germaniæ Regem quartum, Ecclesiæ infestum, Fidelium communione, regnoque privans, subditos populos fide ei datâ liberavit. Cum posteà ab iniqui Regis exercitu Romæ gravi obsidione premeretur; excitatum ab hostibus incendium signo crucis extinxit; aliis quoque, tàm vivus, quàm mortuus miraculis clarus. Ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse traditur, qui majores pro Ecclesiâ Dei labores molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acriùs pugnaverit. Innumerabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit. De manu Henrici tandem à Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Salernum veniens, ibidem octavo Kalendas Junii, cum præfuisset Ecclesiæ annos duodecim, mensem unum, dies tres, creatis compluribus Romæ, atque alibi Cardinalibus, & Episcopis, die dominico migravit ad Dominum, ejusque sacrum Corpus in Cathedrali Basilicâ Salernitanâ est honorificè conditum. Tu autem &c. *In tertio nocturno lectiones de homiliâ S. Leonis Papæ in Evangelium*, venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi, *quas habet Breviarium Romanum die 22. Februarii, in festo Cathedræ Antiochenæ S. Petri.*

Missa dicitur, quæ ponitur in Missali Romano die XI. Aprilis in festo S. Leonis Papæ, præter Orationes. Oratio prima. Deus qui B. Gregorium, ut suprà. Secreta. B. Gregorii Confessoris tui, atque Pontificis, quæsumus Domine annua solennitas nos reddat acceptos, ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum. Post com. Da quæsumus Domine, fidelibus populis B. Confessoris tui, atque Pontificis Gregorii sempèr veneratione lætari, & ejus perpetuâ supplicatione muniri. Per Dominum nostrum. &c.

Cumque tàm Joannes Archiepiscopus, quàm Decanus, & Capitulum, ac Clerus prædicti nobis humiliter supplicati fecerint, ut de opportunâ sibi in præmissis licentiâ providere benignitate Apostolicâ dignaremur; Nos eorum laudabile desiderium in Domino plurimum commendantes, & eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quàvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi suppli-

cationibus inclinati, de venerabilium, fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium, sacris ritibus præfectorum, quibus rem examinandam & maturè discutiendam commisimus consilio, eisdem & pro tempore existentibus Archiepiscopo Salernitano, ac Decano, & Capitulo Ecclesiæ, & Clero Civitatis Salernitanæ, ut Officium prædictum cum missa de communi unius Pontificis, cum Orationibus, & lectionibus secundi nocturni, propriis, annis singulis, tàm ejusdem B. Gregorii, quàm ejus translationis diebus festis sub ritu publici recitare, liberè, & licitè valeant, Apostolica auctoritate tenore præsentium, perpetuam licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non D. Ecclesiæ, etiam juramenti, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 28. Julii 1609. Pontificatus nostri anno quinto.

S. Cobellutius.

IV. Ex Memoires du Clergé de France Tom. I. pag. 919.

Revocat indultum Mulieribus concessum ingrediendi Monasterium Monialium: Anno 1612.

PAULUS PAPA QUINTUS,

ad futuram rei memoriam.

Monialium statui, quæ secularia desideria abnegantes, Dei obsequio sese addixerunt, pastorali sollicitudine consulere cupientes, ad ea removenda, quæ religiosam earum quietem, & regularem observantiam perturbare dignoscuntur, curam nostram libenter impendimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Quoniam itaque, sicut accepimus, experientia compertum est, non levia incommoda licentias ingrediendi monasteria monialium mulieribus secularibus concessas, dictis monialibus inferre: Nos malis hujusmodi opportuno remedio providere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas licentias ingrediendi Monasteria monialium ubique locorum existentium; ac cum monialibus conversandi, & refectionem sumendi corporalem mulieribus cujuscumque status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus & efficacioribus, ac insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, ad tempus vel in perpetuum à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, & etiam à nobis concessas, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, haberi volumus pro expressis, Apostolica auctoritate, tenore præsentium revocamus, cassamus, & irritamus, ac revocatas, cassas, & irritas esse decernimus.

§. 2. Inhibentes mulieribus prædictis licentias hujusmodi habentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, ne monasteria prædicta prætextu licentiarum hujusmodi ingredi audeant, seu præsumant.

§. 3. Ipsorum verò Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, ac superioribus, sub eadem, ac privationis suorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis ne eas introducere seu admittere, vel admissas quoquo modo retinere audeant, seu præsumant.

§. 4. Quo circa dilectis filiis nostris, & Apostolicæ sedis pro tempore existentibus Nunciis, ac locorum Ordinariis, nec non dictorum Monasteriorum prælatis, & superioribus, præcipimus & mandamus, quatenus præsentes litteras publicari, & præmissa omnia observari faciant; Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes, per prædictas & alias sententias, censuras & pœnas, aliaque Juris, & facti remedia opportuna appellatione postposita compescendo; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Quia verò difficile foret has litteras ad omnia loca deferri; volumus quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, die decima Julii, millesimo sexcentesimo duodecimo, Pontificatus nostri Anno octavo.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo duodecimo, Indictione decima, Pontificatus sanctissimi Domini nostri Domini Pauli divina providentia Papæ V. anno ejus octavo, die verò duodecima mensis Julii Retroscriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, per me Brandimartem Latinum *Apostolicum Cursorem.* *Virginius de Virginiis pro mag. Curs.*

GREGORIUS XV.

PONTIFEX CCXXXVIII.

ANNO DOMINI MDCXXI.

Gregorius Bononiensis ex Gente Ludovisiæ annorum duorum Pontifex vetuit, nè in privatis Sermonibus, & scriptis Diva Virgo in peccato Originali asseratur concepta, & nè alio nomine in officio, & missa, quàm Conceptionis quis utatur. Obiit anno 1623. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. III. fol.* 418. *App.*)

Quod Congregatio Clericorum Regularium Sancti Pauli, omnibus gratiis, prærogativis, & privilegiis Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum perfruatur: Anno 1621.

GREGORIUS PAPA XV.

ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex personarum ecclesiasticarum quarumlibet præsertim regularium vota religionis propagationem, & augmentum respiciens ad exauditionis gratiam libenter admittit prout conspicit in Domino salubriter expedire. Exordium.

§. 1.

Petitio omnium Privilegiorum alias concessorum Congregationi Presbyterorumque Theatini nuncupatur.

Hæc vide in novo Bull. Const. II. Clem. VII. exponi fol. 575. cum ibi notatis.

§. 1. Sanè pro parte dilectorum filiorum Præpositi generalis, & Clericorum regularium Congregationis Sancti Pauli Barnabitarum nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, quod cum ipsi cupiant pro illorum Congregationis augmento ut ipsi in via Domini sub suavi religionis jugo Deo dante plurimum proficere possint, omnia privilegia, gratias, facultates tàm spirituales, quàm temporales, & indulta Congregationi presbyterorum Theatinorum nuncupatorum concessa eorum Congregationi hujusmodi concedi, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eorum desideriis hujusmodi annuere, aliasque in præmissis opportunè providere de benignitate apostolica dignaremur.

Absolutio à censuris ad effectum horum privilegiorum obtinendum duntaxat.

§. 2. Nos igitur Præpositum, & Clericos prædictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt; ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, Omnia, & singula privilegia prærogativas, concessiones facultates exemptiones, immunitates, indulta, indulgentias, & peccatorum remissiones, cæterasque gratias spirituales, & temporales, ac tàm conjunctim, quàm divisim etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet dictæ Congregationi presbyterorum Theatinorum nuncupatorum, illiusque Præposito generali, aliisque superioribus, Officialibus, ministris, & personis, eorumque domibus regularibus quibuscunque concessa, ac quibus dicta Congregatio Theatinorum, ejusque domus regulares, nec non Præpositi generales, superiores, officiales, ministri, & aliæ quæcunque illius personæ de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica, vel aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, & extensionis utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum eidem Congregationi Clericorum Barnabitarum, illiusque domibus regularibus, nec non Præposito generali, aliisque superioribus officialibus, ministris, & quibuscunque personis nunc, & pro tempore existentibus apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, illaque omnia, & singula ad dictam Congregationem Clericorum Barnabitarum, illiusque Domus regulares, nec non Præpositum generalem, superiores, officiales, ministros, & personas prædictas, ita ut dicta Congregatio Clericorum Barnabitarum, ejusque regulares domus, illorumque Præpositus generalis, superiores, officiales, ministri, & personæ nunc, & pro tempore existentes præmissis omnibus; & singulis æquè, & pariformiter, ac sine ulla differentia, uti, frui potiri, & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant perinde ac si singula præmissa illis specialiter, & expressè, ac principaliter non autem ad instar concessa, & præsentibus expressa, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserta fuissent auctoritate, & tenore præsentis extendimus, illaque omnia, & singula dictæ Congregationi Clericorum Barnabitarum illiusque domibus regularibus, & personis prædictis communicamus.

Concessio Pontificis eorundem privilegiorum.

Clausulæ præservativæ.

§. 3. Decernentes præsentes litteras semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Clausula sublata, &c.

§. 4. Sicque & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales ubique judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ derogatoriæ

§. 5. Non obstante nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, & quibusvis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac dictæ Congregationis Theatinorum, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus privilegiis quoque indultis, & litteris apostolicis dictæ Congregationi Theatinorum, ejusque superioribus, & personis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Fides transumptorum.

§. 6. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Superioris dictæ Congregationis Barnabitarum subscriptis, & sigillo ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. P. an. I. XXVII. Julii

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Julii MDCXXI. Pontificatus nostri Anno primo. In calce S. Car. S. Suf. A tergo in calce. Hen. de la Plume. loco ✠ sigilli.

Concordat in omnibus cum Originali &c.

D. Joannes Baptista Gropallo Præpositus Collegii S. S. Blasii & Caroli de Urbe ejusdem Congregationis.

II. Ex Memoir. du Clergé Tom. 2. pag. 924.

Diploma ad Instantiam Cardinalis de Rochefoucault concessum, & Consensu Regio firmatam, quod scilicet Moniales Hospitalariæ Regni Galliarum, exceptis his, quæ in Civitate, & sub urbiis Parisiorum, à Jurisdictione magni Eleemosinarii eximantur, & Episcopis Diocesanis subjiciantur: Anno 1622.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Francisco, tituli Sancti Calixti Presbytero Cardinali de la Rochefoucault nuncupato, salutem & Apostolicam benedictionem.

AD personam tuam quam divina clementia magnis illustravit gratiarum muneribus, paternæ dirigentes considerationis intuitum, dignum, quin potius debitum, reputamus, ut vota tua, præsertim ad prosperiorem, & salubriorem Regularium locorum directionem tendentia, ad exauditionis gratiam libenter admittamus. Cum itaque pro parte tua nobis expositum fuerit, quod cum Monasteria Monialium Hospitalariarum nuncupatarum in Galliis instituta, magno Eleemosinario dicti Regni in spiritualibus subjecta esse noscantur, illorumque Moniales uti à superiore, qui oculos in eas, ut deceret, intendat, remotæ, quandoque cum populi scandalo, divinique cultus & earum salutis detrimento, disciplinam & instituta regu-

laria, quibus votis adstrictæ existunt, relaxare videantur: Tu verò qui prædicti regni magnus Eleemosinarius existis, providè considerantes & pro tempore existentem magnum Eleemosinarium ipsius regni, propter locorum distantiam tantis Monialium Monasteriis invigilare non posse, & ob defectum alicujus jurisdictionem in eis exercentis, diversa incommoda, abusus, & etiam disciplinæ hujusmodi relaxationem irrepere posse, illisque salubri aliqua ratione obviare operæ pretium existere, Monasteria ipsa illorumque Moniales infra dictis dumtaxat exceptis, ab Eleomosinarii pro tempore existentis præsenti jurisdictione perpetuò eximi ac liberari, ac Diæcesanorum jurisdictioni subjici summopere desideras: Quare nobis humiliter supplicari fecisti quatenus votis tuis in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur te specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula Monasteria, loca, & hospitalia, in quibus dictæ moniales reperiuntur, ac easdem Moniales, illarumque Ministros, famulos & personas præterquam in Civitate Parisiensi, & illius suburbiis consistentia, quæ sub præsenti exemptione propter vicinitatem, & dicti Eleemosinarii residentiam nullatenus comprehensa esse censeantur, sed ejusdem Eleemosinarii jurisdictioni perpetuò ut prius subjecta remaneant ab omni, & quacunque jurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, & obedientia, nunc & pro tempore existentis ipsius Regni magni Eleemosinarii, de consensu charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, perpetuo Apostolica auctoritate quoad Spiritualia eximimus & liberamus: illaque sic exempta & liberata Diæcesanorum locorum & pro tempore existentium omnimodæ jurisdictioni, superioritati, visitationi, correctioni, & obedientiæ ita ut deinceps perpetuis futuris temporibus Diecesani locorum hujusmodi, illa quisque videlicet in sua Diœcesi & districtu visitare & corrigere possint & debeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si nunquam dicti Eleemosinarii jurisdictioni supposita fuissent, & ab eorum institutionis exordio Diæcesanorum locorum superioritati visitationi, & obedientiæ quoad spiritualia subjecta extitissent, auctoritate & tenore præmissis & perpetuò subjicimus, submittimus, & supponimus, ac ex nunc & in perpetuum subjecta, submissa, & supposita esse, & fore: Præsentes quoque literas semper validas, & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac singulis Diæcesanis prædictis suffragari, sicque per quoscunque judices & causarum Palatii Apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & de latere legatos, & vice legatos, sedisque Apostolicæ Nuncios judicari & diffiniri debere: ac quicquid secus super his à quocunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non monasteriorum locorum, & Hospitalium hujusmodi institutionibus & statutis, & juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis, illis, ac dilectis filiis eorum superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis & insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis in genere vel specie & motu proprio, & consistorialiter, ac aliis in contrarium forsan quomodolibet concessis. Quibus omnibus etsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma tradita ad hoc servanda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, subjectionis, submissionis, suppositionis & decreti ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Tusculi, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Pridie Cal. Junii, Pontificatus nostri Anno secundo.

III. Ex ibid. Tom. I. pag. 985.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Clementis VIII. super his, quæ sunt necessaria pro ædificatione novorum Monasteriorum: Anno 1622.

GREGORIUS PAPA XV.

Cum aliàs fel. rec. Clemens Papa octavus decreverit, Ordinariis locorum licentiam ad novos Conventus cujuscunque, præsertim Mendicantium, Ordinis in Civitatibus, & in locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, impertiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita, in eisdem Civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendi Conventus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse constituerit. Si verò ab eorum sententiis ad sedem Apostolicam provocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tam diù erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiù à dicta sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac aliàs prout in decreto hujusmodi plenius continetur.

2. Verùm per piæ memoriæ Paulum Papam quintum accepto, plerosque ex ordinariis prædictis, favore vel nimia exposcentium importunitate ad novos Conventus, seù domus, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos, plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosinarum, seu redditutum cujuscumque Monasterii, Conventus, seu domus ratione, Monachi, seu Fratres aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat, sacra Congregatio Illustrissimorum Dominorum Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, ad quos idem P. Papa V. negotium hujusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores, ac tot tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur pro plenè & sufficienter expressis habens, vivæ vocis oraculo à sancto Domino nostro Gregorio Papa decimo quinto habito, decretum prædictum, quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit.

3. Volens, quod de cætero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscunque, etiam mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiam

etiam fide illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque civitate, vel oppido, seu quocunque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis Eleemosinis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum seu Domorum, aliarum Religionum, vel Congregationum, aut societatum, seu Institutionum hujusmodi, non solum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu domus regularis sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis seu domibus antea in civitatibus, seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio vel societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur, instituendis, commodè alere, & manutenere valeant.

4. Si verò à decreto, seu decretis per Ordinarios prædictis in causis hujusmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc prout ex ea die qua appellatio interponetur, ea ad eamdem Sacram Congregationem una cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernentes: quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. Romæ 17. Augusti 1622.

Ant. Card. Saulius.

IV. Ex ibid. Tom. 1. pag. 921.

Leges diversæ circa Clausuram, & directionem Monialium, prædicationem Verbi Dei; Sacramentorum administrationem per Regulares &c. Anno 1623.

GREGORIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I*Nscrutabili* Dei providentia universalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus præsidentes, Pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantum sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta, atque ut virginum Deo sacratum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum est nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Nec non ut in Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura, personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam regulares, quàm seculares ejusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cujus Diœcesi sunt sita: Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis verò sedis Apostolicæ authoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari, maximè procurent, inobedientes, atque contradictores, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes: Atque ut regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, & coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modò prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare præsumant. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungantur: matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm sæculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium, Monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis sive regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel Beneficiis sive regularibus, sive secularibus incumbentem exerceant, seu alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopali licentia & approbatione, sive quomodolibet in dictæ Curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant: in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subjiciantur: Ad hæc tam regulares, quàm sæculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectorum, ab Episcopo loci, similiter tanquam ad hoc sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit puniri, & corrigi valeant. Confessores verò, sive regulares, sive seculares quomodocunque exempti tam ordinarii, quàm extraordinarii ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarũ, audiendas nullatenùs deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad ejusmodi Monasteria sanctimonialium, ut præfertur etiam regularibus subjectarum pertinentia, sive regulares extiterint, sive seculares, quomodolibet exempti Episcopo loci adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant; liceatque Episcopo, ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum superioribus regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eo-

rumdem

ANNO 1623.

rumdem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demum habeat Episcopus, tanquam sedis legatus, authoritatem coercendi, ac puniendi quoscunque exemptos, tam sæculares, quàm regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis, ac suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in supra scriptis casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunque Judices quavis auctoritate fungentes, etiam sacri Palatii auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam mendicantium, quàm non mendicantium, militiarum, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, societatum, ac cujus alterius instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam sæcularium, quàm regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessionis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis; et amsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, & formis speciali, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Cæterum quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut earundem præsentium literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, nonis Februarii, Pontificatus nostri anno secundo.

S. de Ursinis.

V. Dat.

Registrata in Secretaria Brevium.

In nomine Domini Amen. Anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo vigesimo tertio: Indictione sexta, die verò octava Mensis Februarii; Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregorii divina providentia Papæ XV. anno secundo, retroscriptæ litteræ Apostolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earumdem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earundem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmam Modium, & Alexandrum de Rochis sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Octavius Spada Magister Cursorum.

URBANUS OCTAVUS PONTIFEX CCXXXIX.

ANNO DOMINI MDCXXIII.

URbanus hujus nominis Octavus, Maphæus Barberinus anteà dictus: anno 1623. Pontifex recunciatus. Vetuit exponi eorum imagines in locis sacris, quos Ecclesiastica sanctos non edixerat. Cardinales *Eminentissimos* vocari jussit, qui priùs Illustrissimi, & antea amplissimi audiebant. Vixit annis viginti uno, mense uno, diebus viginti quatuor. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb.* 1727. *Tom. IV. fol.* 1. *App.*)

I. Ex Memoires du Clergé Tom. I. pag. 981.

Confirmatio & extensio Constitutionis Gregorii XV. revocatoria omnium Privilegiorum vivâ voce concessorum Regularibus, aliisque: anno 1622.

URBANUS EPISCOPUS,

ad perpetuam rei memoriam.

ALias fel. rec. Gregorius Papa XV. prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpe numero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis videlicet. *Gregorius Papa XV. ad perpetuam rei memoriam.*

Ro-

Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ Divina Providentia constitutus, gratias & indulta à se, & prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis Officii debitum moderatur; aut revocat, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias & concessiones quascunque spirituales & Ecclesiasticas, tam ad forum interiùs, quàm ad exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque; ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, societatibus, etiam societati Jesu, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessa, in iis videlicet quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua perpetuò fore, & esse; neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti nullo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus, firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus Indultis, & aliis concessionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem, propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt: decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas, quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere. Sicque per quoscunque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, tum de latere legatos, & nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ordinibus, societatibus & Congregationibus prædictis, eorum Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus & aliis superioribus prædictis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis; eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur; si forent exhibitæ, vel ostensæ. Quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die 2. Julii 1622. Pontificatus nostri anno 2.

Cùm autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari. Id circo, quantum cum Domino possumus his & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia facultates, licentias, & gratias quascunque per summos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædictæ Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscunque generalibus, Provincialibus, cæterisque superioribus & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & societatis, sive secularibus sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis & societatibus etiam societati Jesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, ac de cetero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus. Præterea, ut præsentes literæ omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quanto citiùs innotescant, omnibus & singulis generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis superioribus quorumcumque ordinum, Congregationum, societatum, etiam societatis Jesu & Institutorum, sub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, nec non vocis activæ & passivæ pœnis ipso facto incurrendis præcipimus, & mandamus, ut infra tres menses proximos à die publicationis præsentium computandos, omnes & singulos Pro-

ANNO 1622.

vinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu & Institutorum, de eisdem præsentibus literis certiores faciant, earumdemque præsentium exemplaria illis transmittant; qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est, publicent, decernentes præsentes litteras etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci; sive adversus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscunque Judices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum & inane si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis & Societatibus, eorumque Superioribus, quocunque nomine nuncupatis sub quibuscunque verborum formis & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alià exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitiæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes literæ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ hujusmodi similiter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima Decembris millesimo sexcentesimo trigesimo primo, Pontificatus nostri anno nono.

M. A. Maraldus.

Die, & anno supra dictis affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum, Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursorem.

ANNO 1623.

II. Ex Op. D. Mirai Tom 2. pag. 1112.

Urbanus octavus Pontifex confirmat declarationes sacræ Congregationis, quibus Ecclesiæ Cathedralis Atrebatensis privilegia, & exemptiones à Jurisdictione Ordinarii cassata, & annullata fuerunt Anno 1623.

URBANUS PAPA OCTAVUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem in Beati Petri Principis Apostolorum sede, à Domino constitutum, ut ea, quæ per sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in partem Apostolicæ sollicitudinis vocatos, pro sedandis litibus, & controversiis inter personas Ecclesiasticas vertentibus, maturè, & consultè declarata, & firmata sunt, suum sortiantur effectum, opportunè providere, & alias Pastoralis Officii sui partes desuper favorabiliter interponere, prout rerum, temporum, & personarum qualitatibus debitè pensatis concipit salubriter in Domino expedire.

Cum itaque, sicut accepimus, in Causa, seu controversia, aut quæstionis materia de, & super jurisdictione, inter venerabilem Fratrem Hermannum Episcopum Atrebatensem ex una, ac dilectos Filios Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ Atrebatensis ex altera partibus vertente, & tunc Sedis Apostolicæ in Belgicis ditionibus commoranti Nuntio commissa, per illum verò ad dictam sedem, & ab ea ad Venerabiles fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sacri Concilii Tridentini Interpretes remissa, super ejusdem Causæ seu controversiæ statu, & meritis infra scriptis ab iisdem Cardinalibus emanarint declarationes, seu decreta tenoris sequentis videlicet.

Cum annis superioribus Hermannus Ortembergus Episcopus Atrebatensis jurisdictionem sibi à Sacris Canonibus, & Tridentini Concilii decretis attributam, & quam felicis recordationis Paulus Papa Quartus in litteris erectionis Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium Belgii, instante gloriosæ memoriæ Philippo II. Rege Catholico Anno 1559. expeditis in Civitates, & Dioeceses, Cleros, & Populos ejusdem Belgii suis ipsorum, qui pro tempore fuerint Episcopis competere declaravit, exercere vellet in duos Beneficiatos suæ Cathedralis Ecclesiæ, occasione incestus, nec non sacrilegii, seu forsan alicujus incontinentiæ criminis ab eis, ut prætendebatur, patrati, Capitulum, & Canonici se opposuerunt, asserentes se unà cum Ecclesia Cathedrali, ejusque Beneficiatos Ministros, seu habitum ejusdem Ecclesiæ deferentes esse exemptos ab omnimoda Episcopi jurisdictione, præcipuè in vim cujusdam prætensæ concordiæ Anno MCCCCXXXIX. à Fortigano tunc Atrebatensi Episcopo initæ, & paulo post à felicis recordationis Eugenio Papa Quarto confirmatæ cum insertione totius tenoris in litteris confirmationis, atque ab immemorabili tempore observatæ, quam quidem assertam concordiam prætendebant non esse sublatam decretis Concilii, tum propter duplex vinculum, tum quia Concilium non substulit nisi exemptiones eorum, qui subsunt immediatè sedi Apostolicæ, non autem Capituli Atrebatensis, quod prætendit se immediatè fuisse subjectum primum Archiepiscopo Rhemensi, ac deindè Cameracensi, qui in illius locum fuit subrogatus, & propterea dicebant præsentem Episcopum, qui juravit se observaturum Jura, consuetudines, privilegia, ac libertates Ecclesiæ non esse audiendum contra proprium juramentum, sed eum debere stare sententiæ, seu decreto, quod Arrestum

Parlamenti Parisiensis vocant, super exequutione ejusdem Concordiæ in partibus lato.

Cum verò ejusmodi causa Nuntio Apostolico commissa fuisset, idem Nuntius, accedente etiam consensu inclytæ memoriæ Archiducis Alberti Belgarum Principis, Sanctissimum D. H. duxit consulendum, cum ageretur de re ad interpretationem sacri Concilii Tridentini pertinente, cujus quidem Concilii interpretatio, & declaratio à sola sede Apostolica, seu ab Illustrissimis Cardinalibus ejusdem Concilii Interpretibus, & non aliis peti, aut obtineri potest, & cum sanctitas sua hujusmodi controversiæ declarationem ad sacram Congregationem eorumdem Cardinalium remisisset, ac deinde Canonicorum, ac Capituli agens sæpius apud eandem sacram Congregationem pro ejusmodi interpretatione, & declaratione obtinenda auditus fuisset, tandem re sæpius, ac diligenter discussa, emanavit infra scriptum dubium, pro cujus declaratione nunc agitur videlicet.

Positis scripturis, ac Juribus utrimque exhibitis: An asserta Concordia, seu concessio Fortigarii, olim Episcopi Atrebatensis ab Eugenio Quarto confirmata fuerit à Concilio ex decretis cap. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25. sublata nec ne.

Die 10. Februarii 1623. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, re accurato studio discussa, declaravit fuisse sublatam Robertus Cardinalis Ubaltinus. Cum die 10. Februarii proximè præteriti, audito Capituli Atrebatensis Agente, actum fuisset in sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro declaratione, seu asserta Concordia, seu Concessio Fortigarii olim Episcopi Atrebatensis ab Eugenio Quarto confirmata, quâ Capitulum, & Canonici, Beneficiati, Ministri, ac aliæ Ecclesiæ Cathedralis Personæ eximebantur ab omnimoda Episcopi Jurisdictione, fuisset ejusdem Concilii decretis cap. 4. sess. 6. & cap. 6. sess. 25. sublata, eadem sacra Congregatio censuit fuisse sublatam; advertit enim inter cætera, ejusmodi concessionem singulis ejus partibus diligenter perpensis, non fuisse veram concordiam præservatam à Concilio, quemadmodum Capitulum contendebat, sed nudum privilegium ipsius Episcopi, seu pactum gratuitum, quod Concilium non præservavit, imò expressè sustulit dictis cap. 4. sess. 6.

Et nihilominus quatenus fuisset vera concordia, advertit tamen sacra Congregatio illam non fuisse ab Eugenio Quarto confirmatâ ex certa scientia, & cum Causæ cognitione verè, & non fictè, quemadmodum copulativè requiritur, ad hoc ut censeatur præservata à Concilio, neque in ipsa supplicatione, cujus vigore litteræ confirmationis expeditæ fuerunt insertum fuisse verè totum tenorem ipsius prætensæ Concordiæ, eamque coadjuvari haud posse sententia, seu decreto super illius exequutione in partibus lato, & à Capituli Agente producto, neque ei suffragari immemorabilem observantiam, quatenus etiam de ea constaret, aut prætensam immediatam subjectionem Archiepiscopo Cameracensi, vel alteri Archiepiscopo, aut Episcopo, cum his omnibus fuerit per Concilium amplissimè derogatum.

Nunc verò dubium quoddam circa interpretationem, & observantiam ejusdem declarationis emergit, quod licet sit veluti pars & sequela declarationis prædictæ, & satis per se clarum videatur, præsertim stantibus litteris felicis recordationis Pauli Quarti super erectione novorum Episcopatuum Belgii, instante gloriosæ memoriæ Philippo secundo Rege Catholico Anno 1559. expeditis, in quibus Civitates, Diœceses, Cleri, & Populi ipsius Belgii quoad ordinariam Episcopalem jurisdictionem, & potestatem attinet suis ipsorum, qui pro tempore fuerint, Episcopis subjecti esse decernuntur, statutis, ordinationibus, consuetudinibus, ac privilegiis quibuscumque non obstantibus, tamen ad contentiones evitandas supplicatur sacræ Congregationi, ut dignetur hujusmodi dubium ad interpretationem ipsius Concilii pertinens specialiter declarare videlicet: An Episcopus Atrebatensis suam Cathedralem Ecclesiam, ejusque Capitulum, ac personas visitare possit ad præscriptum dicti Cap. 4. sess. 6. & extra visitationem Capitularium Causas criminales cum adjunctis, aliorum verò, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de Capitulo, per se ipsum cognoscere valeat ex decreto dicti cap. 6. sess. 25. assertâ concordiâ, exemptionibus, privilegiis, sententiis, præscriptione, vel consuetudine etiam immemorabili contraria non obstantibus, & an in præmissis obstet Episcopo Juramentum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis, ac libertatibus Ecclesiæ suæ præstitum, die 17. Maii 1623. sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum declaravit, Episcopum Atrebatensem posse Ecclesiam suam Cathedralem, ejusque Capitulum, ac personas visitare, & extra visitationem Causas criminales Capitularium una cum adjunctis, aliorum verò, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de Capitulo, per se ipsum cognoscere, ac diffinire, non obstante asserta concordia, privilegiis, exemptionibus, sententiis, & præscriptionibus, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, eidemque Episcopo, quominus prædicta exequi possit minimè obstare juramentum, ut proponitur, præstitum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis, atque libertatibus Ecclesiæ suæ Robertus Cardinalis Ubaldus.

His tamen non acquiescens Canonicorum, & Capituli Agens ad eandem sacram Congregationem recursum habuit, petens ejusmodi dubium, ejusque declarationem revideri, & denuò examinari, & proinde nonnulla Jura, & documenta, una cum voto, seu allegationibus Doctorum Lovaniensium, & Duacensium universitatum exhibuit; quibus tamen objectionibus cum fuerit abunde satisfactum, supplicatur declarari an standum sit in declaratione, seu decisione die 10. Februarii proximè præteriti edita nec ne.

Die prima Julii 1623. sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum perstitit in decisis.

Nos inviolabili declarationum, seu decretorum eorumdem observationi, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, motu proprio, non ad dicti Hermanni Episcopi, vel alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, declarationes, seu decreta præfata cum omnibus, & singulis in eis contentis Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac eos, & singulos tam Juris, quàm facti, & quosvis alios etiam quantumvis substantiales defectus, si qui in præmissis, aut eorum aliquo quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici vel censeri possint, supplemus.

Decernentes præsentes litteras, omniaque, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore quoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, quos illa con-

ANNO 1624.

concernunt inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Joanni Francisco Patracensi moderno, & pro tempore existenti nostro, & sedis Apostolicæ in Belgicis ditionibus Nuncio, ac Mechliniensi Archiepiscopis, nec non Episcopo Tornacensi per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dicti Hermanni moderni, & pro tempore existentis Episcopi Atrebatensis fuerint requisiti solenniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos præmissorum omnium, & singulorum effectu pacificè frui & gaudere, eosdemque præsentes litteras, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari; Contradictores quoslibet, ut rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas aliaque opportuna Juris, & Facti remedia, appellatione postposita compescendo invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; & dictæ Ecclesiæ Atrebatensis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die tertia Novembris 1623. Pontificatus nostri Anno primo Signatum U. Theatinas.

III. Ex Memoires du Clergé Tom. I. pag. 920.

Declaratio, quod non obstante indulto Mulieribus concesso ingrediendi Monasteria Monialium, obtinendus sit Monialium consensus pro earum ingressu: Anno 1624.

URBANUS PAPA OCTAVUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacro Sanctum Apostolatus ministerium, quod ineffabilis Divina providentia humilitati nostræ, nullo licet meritorum suffragio, credidit, jugiter postulat, ut inter multiplices Pastoralis officii curas, illam sedulò amplectamur, qua Sanctimonialium quieti opportunè consulitur.

§. 1. Cum itaque plures licentiæ Monasteria Monialium ingrediendi diversis mulieribus sæcularibus, sub certis modo, & forma tunc expressis à nobis, & diversis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris concessæ fuerint, eædemque mulieres in vim licentiarum prædictarum Monasteria hujusmodi, nonnisi de expresso earumdem Monialium, & illorum superiorum consensu, ingredi possint, seu debeant.

§. 2. Nos omnem dubitandi materiam, quæ super modo consensum hujusmodi præstandi, forsan oriri posset, è medio tollere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostrà, harum serie decernimus, atque declaramus, consensum dictarum Monialium, de cætero per easdem Moniales capitulariter, & per secretà suffragia præstandum esse, & præstari debere; aliàs licentiæ hujusmodi, mulieribus, quibus concessæ fuerunt, nullatenus suffragentur.

§. 3. Et quæ Sanctimonialium Monasteria vigore licentiarum prædictarum, absque consensu capitulariter, ut præfertur, præstito, ingredi præsumpserint, sententias, censuras, & pœnas contra Clausuras Monasteriorum Monialium violantes, inflictas, se noverint incursuras.

§. 4. Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent adhibitæ, vel ostensæ.

Datum Tusculi sub annulo Piscatoris, die vigesima septima Octobris Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Pontificatus nostri Anno secundo.

IV. Ex ibid. Tom. I. pag. 987.

Prohibet ædificari nova Monasteria inconsulto Diœcesano; revocat quæ pridem concessa fuerant: Anno 1624.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex cui Salvator & Dominus noster (qui Charitas est, Deus pacis) Universalis Ecclesiæ credidit Principatum, ea interdum, quæ certis, etiam rationabilibus de causis à Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium paci, & quieti consulitur, litibusque ac controversiis inter eos obviam itur, revocat, & immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis, & providentiæ suæ studium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Cum itaque sicut nobis innotuit, complures licentiæ, sive facultates à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris per diversos Ordinum, etiam mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium Institutorum superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum, Monasteria, Domos,

Collegia, Conventus & alia loca regularia, quovis nomine nuncupata, servata dumtaxat sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini Decretorum forma, de sola Ordinarii licentia, seu etiam forsan non servata forma, & absque licentia hujusmodi, & contra decreta à sede Apostolica super præmissis edita fundandi, erigendi, & instituendi, importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel aliàs obtentæ, & extortæ fuerint. Idcirco nos, omnes, & quoscunque licentias, ac facultates hujusmodi, literasque desuper, tam sub plumbo, quàm in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, & datam præsentibus, ac si specificè & sigillatim exprimerentur & in sererentur pro plenè & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes: justis de causis animum nostrum moventibus, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascunque licentias, & facultates hujusmodi literasque desuper, tam sub plumbo, quàm in eadem forma Brevis expeditas, omniaque & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum regularium locorum hujusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu prorsus evacuamus.

§. 2. Præterea Ordinum etiam mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæterisque personis ad quas spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus; & prohibemus, ne licentiarum, seu facultatum per nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia loca regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum; & Concilii Tridentini nec non Constitutionis fel. rec. Clementis octavi quæ incipit. Quoniam ad institutam, sub data Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die vigesima tertia Julii millesimo sexcentesimo tertio, ac Decretorum de mandato ejusdem Clementis, nec non similis memoriæ Gregorii XV. Romani Pontificis prædecessorum, desuper editorum forma, recipere, erigere, fundare, seu alias quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absolvere audeant, seu præsumant.

§. 3. Decernentes, præsentes litteras, etiam ex eo quod causæ propter quas illæ emanarint, expressè verificatæ, & justificatæ, aut quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs, ex quocunque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuo valida firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, & Nuncios, quavis auctoritate fungentes; sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Quo circa Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque solemniter publicantes, faciant illas, & illa ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de jure quæsito non tollendo, & re. me. Bonifacii Papæ Octavi similiter prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum & Institutorum regularium etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, & litteris Apostolicis, illis eorumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenore præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, quod præsentes in Valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 7. Quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die vigesima octava Augusti, millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Pontificatus nostri anno secundo.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Urbani divina providentia Papæ VIII. anno ejus secundo, die verò ultima mensis Augusti, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum de Coris, & Julium Martitellium, Prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores &c.

V. Ex ibid. Tom. 4. pag. 652.

Breve ad Clerum Gallicanum, quod auxilium Regi præstet in obsidione Rupellæ: anno 1627.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilibus Fratribus, Primatibus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, cæterisque Ecclesiarum, secularium & Regularium Prælatis, Capitulis, Collegiis & Conventibus, ac personis Ecclesiasticis, quibuscumque per regnum Franciæ constitutis salutem, & Apostolicam benedictionem.

IN suprema militantis Ecclesiæ specula, nullo licet meritorum suffragio immensa Dei & Domini nostri benignitate constituti, & inter mentis nostræ arcana attentius considerantes, Principes & Potestates tenebrarum, adversus quos Ecclesia Sancta assiduè colluctatur, ad ejusdem Ecclesiæ perniciem, & Catholicæ fidei excidium incessanter vigilare, non possumus totis visceribus non commoveri: Ac licet certam spem & fiduciam habeamus in Domino Deo exercituum, qui sponsam suam Ecclesiam Sanctam sub omnipotentiæ clypeo protegit; cogimur tamen ex credita humilitati nostræ dominici gregis cura, in id omni cogitatione omnique studio incumbere, ut præcautionis nostræ ministerio non solum oves Christi adversus rapacium luporum insidias communitæ reddant Domino abundanter fructus suos, verum etiam Christianissimorum Regum vota, rationes exquirentium, quibus nefarii hostium ipsius fidei ausus reprimi, & dissipari valeant, propitium sortiantur effectum. Cum itaque, sicut nostra in Domino lætitia accepimus, carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, non immemor quantum ipse divinæ bonitati, quæ eum sedere in solio Patris sui, regni hostes ac rebelles, favente Deo, debellare, & nefarios eorum conatus machinationesque reprimere fortiter cœperit: utque tam piæ & Sanctæ expeditioni de cætero facilius vacare, & immensa expensarum onera subeunda perferre, imminentesque ac urgentissimas nomine majestatis suæ nobis expositas, in quas propterea regnum ipsum redactum est, necessitates tam Ecclesiasticis quàm laicis communes supportare valeat, subsidio unius millionis scutorum maximopere indigeat. Quia verò ad hoc eorumdem laicorum facultates minimè suppetunt, ad vos qui bona Ecclesiastica in eodem regno Dei benignitate, & fidelium beneficentia possidetis confugere, subsidiumque hujusmodi à vobis in prædictos, & non alios usus convertendum, si nostra & hujus Sanctæ sedis licentia desuper suffragetur, obtinere intendat. Nos pro ea Pastorali, quam universali Ecclesiæ debemus, sollicitudine, proque nostro præcipuo paternæ erga eumdem Ludovicum Regem regnumque prædictum charitatis affectu, & in tanto rerum discrimine, ac tam necessario tempore nullatenus deesse volentes, imo tam pium, & Christianissimo Rege dignum propositum ratum, & gratum habentes, vos paternè hortamur quatenus dicti Ludovici Regis, & regni necessitati hujusmodi compatientes, subsidium pecuniarum pro summa, quæ à vobis seu vestris deputatis, non tamen ultra prædictam summam, declarata fuerit, in locis, & terminis per vos seu deputatos hujusmodi statuendis, eidem Ludovico Regi persolvendum, & per eum in usus prædictos dumtaxat erogandum juxta Sacrorum Canonum dispositionem, sicut gravitas causæ postulat, pro hac vice dumtaxat, solvatis, & contribuatis. Licet autem de vestra pietate, prudentia & charitate erga patriam, ac zelo fidei Catholicæ propagandæ, nedum conservandæ plurimum in Domino confidamus: tamen pro nostro Pastoralis Officii debito facere non potuimus, quin vobis, ut merito existimamus, sponte currentibus literarum nostrarum calcar adderemus: ut sicut ex piis dicti Ludovici Regis armis ad hæreticorum extirpationem & Ecclesiarum dicti regni non modicam commoditatem & utilitatem ex Dei beneficio secundos exitus speramus, ita multo libentius & cumulatius vestro officio satisfaciatis: præsertim cum nobis rem tantæ curæ merito esse re ipsa intelligere potestis. Divinæ retributionis spem vobis proponere supervacaneum ducimus, cùm de Dei causa defendenda agatur: super cujus familiam ministri sumus constituti; ut demus illi tempore tritici mensuram, audituri, si fideles & prudentes erimus, Intrate in gaudium Domini vestri. Cæterum ut sublatis impedimentis quibuslibet, ad ejusdem subsidii contributionem devenire valeatis; vobis seu vestris deputatis subsidium hujusmodi imponendi, petendi & exigendi tempus, locumque solutionis, ac modum & formam, quantitatemque præscribendi, quascumque personas ad ipsius subsidii exactionem constituendi & deputandi, quascumque promissiones & obligationes necessarias & opportunas etiam juramento vallatas conficiendi contradictorie, quoslibet & rebelles per sententias censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacunque appellatione, recursu, & reclamatione prorsus postpositis, compescendi & compellendi, cæteraque omnia & singula alia in præmissis & circa ea necessaria & quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quæ magis specialem, specificam & expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, quærendi, & exequendi Apostolica auctoritate tenore præsentium plenam, liberam, & amplam facultatem & auctoritatem concedimus & impertimur; non obstantibus, Apostolicis ac universalibus provincialibusque & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum & Ordinum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirma-

tis

tis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum omnium & singulorum tenorem præsentibus pro plene & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod subsidio hujusmodi semel contributo, & persoluto, præsentes nullæ sint, neque exactioni amplius sit locus: quodque propterea bona stabilia Ecclesiarum, monasteriorum & Beneficiorum minimè alienentur: & quod sub impositione & exactione subsidii hujusmodi Ecclesiæ Cathedrales, quarum mille, & curata quorum reditus annui centum ducatorum auri de Camera non excedunt, insuper Ordines mendicantes ac Hospitalia hospitalitatem actu exercentia fratresque milites Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, nullatenus comprehendantur, sed omninò excipiantur, prout illos, & illa exceptos & excepta esse, & fore decernimus. Præterea juxta ordinationem in Concilio Viennensi desuper editam, sacri calices, libri, & alia ornamenta Ecclesiarum, Beneficiorum, & aliorum supra dictorum divino cultui dicata, ex causa pignoris, vel aliàs occasione solutionis summæ hujusmodi, nullo modo expientur, distrahantur, vel occupentur: & pariter quod præsentium transumptis sigillo alicujus Prælati Ecclesiastici, & publici Notarii subscriptione munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud quæ ipsis originalibus literis adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die quinta Novembris, anno Domini 1627. Pontificatus nostri anno quinto.

Et inferius M. A. *Maraldus* cum annulo Piscatoris super plicam in cera rubea.

VI. Ex ibid. Tom. I. pag. 979.

Revocatio Privilegiorum concessorum Regularibus circà Confessiones sæcularium excipiendas sine approbatione ordinarii: anno 1628.

URBANUS EPISCOPUS,

Ad futuram rei memoriam.

CUm sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorundam Ordinum, seu Congregationum à sede Apostolica indultum fuerit, ut sacramentales sæcularium Confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis, ad id examinati, & approbati non fuerint: Nec desint, qui temere asseverent, hoc ipsum Privilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis privilegiorum communicationibus, quas ab eadem sede Apostolica obtinuerunt, & hinc saluberrimum Sacri Concilii Tridentini decretum, desuper sancitum penitus evertatur: Nos huic malo opportunè providere volentes, de venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, omnia & singula Indulta hujusmodi, audiendi sæcularium Confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati Jesu, Congregationibus & Ordinibus, tam mendicantium, quàm non mendicantium, nec non Monachorum quorumcumque, etiam Sancti Benedicti, Cistercienfium & Carthusiensium, ac etiam quibusvis militiis, etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, ac quibuscunque Ecclesiis, etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis piis, sive eorum & earum respectivè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, Provincialibus, Capellanis, Confessariis, aut aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscunque, etiam quomodolibet exemptis, ac sedi Apostolicæ immediatè subjectis, cujuscunque dignitatis, praeeminentiæ & conditionis existentibus, & quovis privilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quàm motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quandocunque, & qualitercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda, causa, & aliàs quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, viribusque & effectu evacuamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, & fore; nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Jesu, Congregationibus, Ordinibus, ac militiis & Ecclesiis, monasteriisque prædictis, eorumque superioribus, & personis quibuscumque in posterum ullo modo suffragari, minusque illos, & illas, etiamsi de iis specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis hujusmodi uti posse; Præsentes verò literas, & in eis contenta, quæcumque etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcunque Juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere: Sicque per quoscunque judices Ordinarios, delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, & Nuntios sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari, decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus; & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus & aliis Superioribus, Capellanis, aliisque prædictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes,

illis

ANNO 1631.

illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; Quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla ad Valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die duodecima Septembris, anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Pontificatus nostri sexto.

M. A. Maraldus.

VII. Ex ibid. Tom. I. pag. 131.

Secularizatio Monasterii Malleacensis Ordinis Sancti Benedicti ob erectionem Capituli sæcularis in oppido Fontaniaci Comitis, quò translata sedes Episcopalis Malleacensis: anno 1631.

URBANUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei: Venerabili fratri Henrico Ludovico Episcopo Pictaviensi, salutem & Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex de Summi Apostolatus specula universo terrarum orbi debita servitute prospiciens inter multiplices cum quibus occurrentibus negotiorum varietatibus obsidetur, illam libenter amplectitur per quam Ecclesiarum Cathedralium quarumlibet venustas & decor augetur, divinus cultus accrescit, animarum salus incrementum suscipit, ac virorum doctrina pollentium commoditatibus providetur, in illis præsertim partibus quibus propter hæresim eorum opera maximè necessaria est, idque ut fiat interdum ipsarum Ecclesiarum statum immutari dignitates, & officia, cæteraque beneficia in illis supprimi, alia de novo erigi, numerum eorum augeri, ipsorumque fructuum tenuitati per opportunam prioratuum & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum unionem consuli benignè mandat, prout Christianorum Regum & Ecclesiasticorum Prælatorum aliorumque Christi fidelium vota id exposcunt, ac ipsarum personarum Ecclesiasticarum & locorum qualitatibus debitè pensatis, & diligenter consideratis conspicit in Domino salubriter expedire. Dudum siquidem nos ex certis tunc expressis causis ducti, ac supplicationibus Charissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum & Navarræ Regis Christianissimi nobis tunc desuper porrectis inclinati, tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut constito tibi de consensu tunc existentium Episcopi, & Capituli Ecclesiæ Malleacensis, & quod Ecclesia Parochialis Beatæ Mariæ Virginis oppidi Fonteniaci Comitis, Malleacensis Diæcesis capax & decens esset, in qua Ecclesia Cathedralis erigeretur, rebusque ad Cathedralem Ecclesiam necessariis esset instructa, & in dicto oppido competentes domus pro habitatione dictorum Episcopi & Capituli assignatæ essent in dicta Ecclesia Malleacensi, quæ regularis est, & cujus Capitulum monachis ordinem Sancti Benedicti expressè professis constat, titulum Ecclesiæ Cathedralis auctoritate nostra supprimeres & extingueres, oppidum prædictum civitatis titulo insignires, ipsumque oppidum in Civitatem Fonteniacensem nuncupandam, cùm juribus privilegiis & prærogativis quibus aliæ civitates illarum partium utuntur, nec non prædictam Ecclesiam Beatæ Mariæ in Cathedralem Ecclesiam Fonteniacensem nuncupandam, cum insigniis & juribus Episcopalibus, ad instar aliarum Cathedralium earumdem partium, ita quod moderans & pro tempore existens Ecclesiæ erigendæ ejusmodi Præsules Malleacenses Fonteniacenses Episcopi conjunctim denominari deberent, eadem auctoritate nostra perpetuò erigeres & institueres ac sedem Episcopalem, nec non Capitulum & Conventum dictæ Ecclesiæ Malleacensis ipsorumque Capituli & Conventus Monachorum & personarum capitularium residentium ad Ecclesiam Fonteniacensem erigendam transferres, aliaque faceres, prout in dictis nostris literis pleniùs continetur. Cùm autem, sicut exhibita nobis nuper pro parte venerabilis Fratris nostri Henrici de Bethune moderni Episcopi Malleacensis, ac dilectorum filiorum Conventus, & monachorum ipsius Ecclesiæ Malleacensis, nec non Hilarii de Pommeraye Archipresbyteri Archipresbyteratus Dardin juncti Malleacensi Diæcesi, & Magistri Francisci de la Barre Eleemosinarii d' Cuimes etiam juncti, licentiati in Theologia petitio continebat, litteræ prædictæ nondum executioni demandatæ extiterint: Idem verò Ludovicus Rex, cui nihil magis cordi est, quàm ut Ecclesiasticus Ordo in omnibus locis temporali suo dominio subjectis, & sacri religiosi Ordines, qui, divinâ favente clementiâ, in omnibus Galliæ provinciis numerosi sunt, florescant, ac eorumdem Regularium Ordinum Religiosi sua instituta piè religiosèque observent, quorum & per Dei gratiam, in variis sui regni partibus non exiguus est numerus, quique, quo magis eorum progressibus gaudet qui eam quam professi sunt regulam, sanctamque paupertatem sectantur & servant, vehementius eorum ruinas intimis animi sensibus dolet qui à sublimi religiosæ vitæ gradu collapsi videntur; considerans Monachos illos qui conventum dictæ Ecclesiæ Malleacensis constituunt, eorum prædecessorum exempla sequentes, contrariam Sancti Benedicti eorum Patris & Institutoris, qui nullam Monachis suis proprietatem permittit, sed omnia inter omnes vult esse communia proprietatibus addictos, suas particulares portiones & Officiorum Claustralium fructus proprios habere, de illisque ad libitum suum disponere; & exinde scandala cum animarum jactura regularis instituti transgressione, Deique offensione exoriri; neque verò sperandum esse quod iidem Monachi ex longa, & antiqua, & non ipsis tantùm, sed & ipsorum prædecessoribus tolerata consuetudine, proprietatibus assueti, prædictis literis executioni demandatis, & sequuti translatione hujusmodi, sanctam paupertatem quam professi sunt & sine cujus observantia non potest Monachalis professio subsistere, amplectantur, & proprietatibus abstineant, proindeque eorum animarum saluti ipsiusque Ecclesiæ splendori, atque etiam divino cultui expedire, quod dictorum Monachorum ipsiusque Ecclesiæ, ut Conventus status regularis in sæcularem mutetur, Ministrorum Ecclesiasticorum numerus, qui tantummodo denarius, atque ita minor est quàm Cathedralem Ecclesiam deceat, atque etiam eorum redditus, qui tenuissimi sunt, cum quælibet portio Monachalis trecentas libras monetæ illarum partium non excedat, augeantur, ac loco officiorum Claustralium, quæ quinque sunt, nempe Prioratus, subprioratus, sacristia, eleemosinaria & infirmaria, & quæ obtinentes unà cum illis unam etiam portionem Monachalem obtinent, totidem dignitates; loco verò portionum Monachalium, quæ decem existunt, totidem etiam Canonicatus, & totidem præbendæ

secu-

Seculares, & ultra illas aliæ etiam tres Dignitates, aliique decem Canonicatus totidemque Præbendæ instituantur, dictæque fructuum tenuitati per opportunam Prioratuum à dicta Ecclesia illiusque Mensa Conventuali dependentium, tùm dignitatibus instituendis, tùm futuræ Mensæ Capitulari sæculari unionem, provideatur, futurum nempe ut certis redditibus, Statuque immutato viri doctrina & scientia præstantes, quorum ea in regione, in qua plurimi adsunt hæretici, opera & industria est maximè necessaria, ad Canonicatus & Præbendas ac Dignitates dictæEcclesiæ potiùs aspirent, quam facerent, si fructus tenuiores, aut Præbendæ regulares existerent, & ad effectum illas consequendi eis Noviciatus jucundus perficiendus esset, præterquam quòd hæc Status Regularis immutatio eò magis conveniens videtur, quòd in eadem Ecclesia, quæ ad Episcopum & Dignitatem Episcopalem spectat, jam dudum Secularitas indicta est. Inconveniens namque & absurdum est, ut Corpus, & membra à capite conditione, statu, & professione penitùs discrepent. Conventus autem & Monachi prædicti animadvertentes se, qui Regulam Sancti Benedicti professi sunt, ob vetitas ipsisque eadem regulâ prohibitas proprietates in continua illius transgressione vivere, hincque sui Regularis Status in Sæcularem mutationem sibi salutarem fore, illam summopere exoptent, & propterea tam ipse Ludovicus Rex, quam Henricus Episcopus, & Conventus, ac Monachi, nec non Hilarius & Franciscus prædicti nobis humiliter supplicari fecerint, quatenus in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Et ulterius, Hilarius videlicet, Archipresbyteratum Dardin, Franciscus autem prædicti Eleemosynariam d'Oulmes prædictos, nec non perpetuam sine Cura & personalem Residentiam non requirentem Cappellaniam Sancti Martini in Ecclesia Sancti Michaelis le Clove *nuncupati*, dictæ seu alterius Diœcesis deserviri solitam, quam & quas respectivè tunc obtinebant, per dilectum Filium Joannem Marchand Clericum Pictaviensem eorum Procuratorem ad hoc ab eis, specialiter constitutum, in manibus nostris ad effectum infrascriptæ unionis, & ut ipsis de infrascriptis majore, & minore Archidiaconatibus & infra erigendis provideatur, & non aliàs, aliter nec alio modo, sponte tamen & aliàs liberè resignaverint, nosque resignationes ipsas ex eadem causa admittendas duxerimus, sicque Archipresbyteratus ac Elemosynaria ac Capellania prædicti per resignationes easdem apud Sedem Apostolicam vacaverint, & vacent ad præsens, nullusque de illis præter Nos, eo quod nos dudùm omnia Officia aliaque Beneficia Ecclesiastica Sæcularia & quorumvis Ordinum Regularia apud Sedem prædictam tunc vacantia & imposterum vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus, & ex tunc irritum decrevimus & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & Decreto obsistentibus supradictis. Nos qui etiam dudum inter alia voluimus, statuimus, & ordinavimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem tam Beneficiorum uniendorum, quàm illorum, quibus alia uniri peterentur, alioqui unio non valeret; quòdque semper in provisionibus commissio fieret ad partes, vocatis interesse habentibus, idemque observaretur in quibusvis suppressionibus, erectionibus & applicationibus perpetuis: quique Principum & Prælatorum votis, quantum cum Deo possumus, benignè annuimus, ac personarum quarumlibet, præsertim verò Ecclesiasticarum necessitatibus, & animarum saluti, divinique cultus augmento libenter consulimus: Henricum Episcopum ac Hilarium & Franciscum prædictos, ac singulares Personas dicti Conventus à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes: hujusmodi supplicationibus inclinatiFraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eisdem nostris Litteris translationis prædictæ semper salvis, & in suo robore remanentibus, salvaque illarum executione, post Executionem præsentium, & post factam infrascriptam Sæcularisationem facienda in dicta Ecclesia Malleacensi, illiusque Conventu ac Claustralibus & aliis Officiis ac Locis & Portionibus Monachalibus in eadem Ecclesia existentibus, nec non quibusvis Prioratibus & Beneficiis cum cura, & sine cura, regularibus, ab ea illiusque Conventu dependentibus, dictum Ordinem Sancti Benedicti omnemque statum & essentiam regulares, ita ut Regularia esse desinant, & Sæcularia efficiantur, auctoritate nostra perpetuò supprimas & extinguas, ac Regularem ipsius Ecclesiæ Malleacensis illiusque Claustralium & aliorum Officiorum ac Monachalium portionum ac Prioratuum, & aliorum Regularium ab eadem Ecclesia illiusque Mensa Conventuali dependentium statum in Sæcularem immutes, Monachos verò & Conventum ejusdem Ecclesiæ Officia Claustralia, ac portiones Monachales, & Prioratus ac Beneficia inde dependentia obtinentes, cæterosque dictæ Ecclesiæ Ministros Regulares prædictum Ordinem tacitè vel expressè professos, ab omni, & quacunque observatione, & vinculo observantiæ, constitutionum, ordinationum, definitionum, institutorum, statutorum & & consuetudinum Regularium Ordinis Sancti Benedicti, ac quacumque votorum ab eis emissorum obligatione, castitatis debito duntaxat excepto, & demum ab omni regula ejusdem Ordinis, itaque deinceps habitum regularem deferre, seu aliquid regularitatem indicans gestare aut facere, vel constitutiones, ritus, mores & constitutiones prædicti Ordinis, & quoad victum & vestitum, jejuniorum observantiam, seu ciborum abstinentiam, aut quævis alia, ad quæ virtute Regulæ seu professionis ab eis emissæ tenentur, observare non teneantur: Sed in habitu, tonsura, incessu, victu, moribus & divinorum celebratione, Presbyteris Sæcularibus ubique liberè, & licitè, & absque alicujus transgressionis, Apostasiæ, inhabilitatis, & infamiæ nota, ac censurarum vel aliarum pœnarum, etiam per regulas, & instituta dicti Ordinis inflictarum, incursu, se conformare valeant, ac de cætero Sæculares sint, & pro talibus habeantur, & reputentur: dicta auctoritate penitùs, & omninò absolvas & liberes, & in eadem Ecclesia sic ad Sæcularitatem reducta, loco Mensæ Conventualis Regularis in mensam Capitularem Sæcularem cum arca & Sigillo communibus, aliisque Capitulorum Cathedralium Ecclesiarum Sæcularium insignibus, ac loco quinque Officiorum Claustralium totidem Dignitates Sæculares: Nempe loco Sacristiæ, unam Thesaurariam cum omnibus juribus & emolumentis ad ipsam Sacristiam spectantibus, pro uno Thesaurario, & loco Sub-Prioratus unam Cantoriam cum grosso spectante ad ipsum Sub-Prioratum pro uno Cantore, & loco Prioratus unam Succentoriam cum grosso spectante ad Prioratum; & loco Infirmariæ unam Cancellariam, ac Eleemosynariæ Regularis unam Eleemosynariam Sæcularem pro uno Eleemosynario Sæculari, & ultra illas unum Decanatum pro uno Decano, ac unum majorem, & alterum minorem

ANNO 1361.

nuncupandos Archidiaconatus, pro uno majori, & altero minori nuncupandis Archidiaconis: Ita quod Decanatus prima, & major post Pontificalem, & electiva, ad quam, dum pro tempore, ubicumque & quomodocunque vacaverit, electio personæ idoneæ, servatâ juris formâ, eligendæ ad Capitulum & Canonicos ejusdem Ecclesiæ, cessantibus tamen reservationibus, & affectionibus Apostolicis; institutio verò ad pro tempore existentem Episcopum Malleacensem spectet: Thesauraria secunda, Eleemosynaria tertia, Archidiaconatus major quarta, Archidiaconatus minor quinta, Cantoria sexta, Succentoria septima, & Cancellaria octava, & ultima, Dignitates Sæculares dictæ Ecclesiæ Malleacensis existant; quas pro tempore obtinentes una cum illis unum, & unam ex Canonicatibus & Præbendis in dicta Ecclesia Malleacensi, ut infra erigendis, absque dispensatione Apostolica obtinere possint, & illarum occasione distributiones quotidianas lucrentur, ita tamen si unus & idem Dignitatem ac Canonicatum & Præbendam obtineat, non duplicem, sed simplicem portionem distributionum lucretur, excepto Decano, qui duplicem illarum portionem percipiat: Loco verò decem Monachalium portionum totidem Canonicatus & Præbendas Sæculares, & ultra illos, etiam alias decem, atque ita viginti Canonicatus & Præbendas pariter Sæculares, quorum atque dignitatum hujusmodi, Decanatu, qui, ut prædicitur, electivus existat, duntaxat excepto, collatio, provisio & omnimoda dispositio ad pro tempore existentem Episcopum Malleacensem, eisdem tamen reservationibus & affectionibus cessantibus, spectet, & pertineat, & quorum singulorum Canonicatuum & Præbendarum fructus unione infrascriptorum Prioratuum effectum sortientur, sint septingentarum librarum, trecentarum nempe pro grosso singularum Præbendarum, pro quo lucrifaciendo personalis residentia in loco facienda, & duobus Capitulis generalibus quolibet anno celebrandis assistendum erit: Reliquarum verò quadringentarum librarum pro distributionibus quotidianis ratione servitii & personalis interessentiæ divinis Officiis, & horis divinis, & nocturnis, juxta providenda desuper à Capitulo & Canonicis prædictis faciendam Ordinationem lucrifaciendis, pro totidem Canonicis Sæcularibus, qui cum Dignitates prædictas obtinentibus Capitulum Sæculare dictæ Ecclesiæ Malleacensis constituant, & Canonicorum Sæcularium aliarum Cathedralium Ecclesiarum illarum partium more, divina Officia & horas Canonicas diurnas, & nocturnas cum devotione & mentis attentione servatâque Ecclesiasticâ formâ celebrent, & decantent, & apud dictam Ecclesiam Malleacensem personaliter residere teneantur: ea ratione ut ii, qui ad præsens prædicta Officia Claustralia ac portiones Monachales obtinent, seu quibus illis provisum fuit, Dignitates prædictorum Officiorum Claustralium ac Canonicatus & Præbendas loco Monachalium portionum hujusmodi respectivè erigendos in vice prædictorum cujusque titulorum, eis de Officiis Claustralibus ac portionibus Monachalibus concessorum & competentium, absque alia eis de Dignitatibus ac Canonicatibus & Præbendis respectivè facienda provisione assequantur, & obtineant: dicta auctoritate, sine tamen alicujus præjudicio, etiam perpetuò erigas, ipsique Mensæ Capitulari erigendæ pro Canonicatuum & Præbendarum erigendorum dotis parte, ac infrascriptorum & aliorum onerum eidem Mensæ Capitulari incumbentium aliquali supportatione, omnia, & singula, fructus, redditus & proventus dictæ Mensæ Conventualis Regularis, bona, res, proprietates, & jura, in quibusvis rebus consistentia, pari auctoritate & perpetuò applices & appropries, & insuper pro ulteriori eorumdem Canonicatuum & Præbendarum atque Dignitatum erigendorum dote, & ut aucto aliorum & Ministrorum Ecclesiasticorum & aliorum Officialium & servientium numero divinus cultus etiam augeatur, divinaque Officia in dicta Ecclesia Malleacensi majori cum splendore celebrari possint, B. Mariæ de Fontaine, Sancti Michaelis le Clove, Sancti Petri d'Oleron de Champdenier, Capellæ Albæ, vulgò *Chapelle Blanche de Clauvay*, Sancti Theobaldi, Sancti Stephani de Marans, de Nuaillè, de la Laigue de Breuilleville, de Bazauges, Chassaye, l'Eglise de deux Genests de Cahenet, de Trelandry, de le Parte, du Pot, Sancti Michaelis de Douans, Sancti Nicolai dicti Oppridi Fonteniaci de Vouvant, Sancti Medardi le Merevant *de la Berand. S. Salvatoris de la Forest, S. Mauritii de Nouhes*, omnesque alios ab Ecclesia Malleacensi ejusque Monasterio & Conventu dependentes, exceptis infrapositis & ex suprapositis primo vacaturo dictæ futuræ Mensæ Capitulari, Sancti Stephani verò de Niort, & ex suprapositis primò vacaturum Decanatui, cum hoc quòd iidem futuri Capitulum, & Canonici Sæculares pro tempore existenti Decano pro parte grossi, seu grossorum fructuum ipsius Decanatus, ultra fructus prædicti Prioratus de Niort, donec, & quousque vacatio alterius Prioratus primò vacaturi evenerit, sexcentas libras ex fructibus, & redditibus dictæ futuræ Mensæ Capitularis desumendas, quotannis solvere debeant. Et si vacatione Prioratus primò vacaturi eveniente & occurrente, illius fructus ad sexcentas libras non ascenderint, id quod ad dictam summam defuerit, ipsi Decano ex dicta Mensa Capitulari solvatur, Si verò excesserint, id quod superfuerit in commodum Mensæ Capitularis cedat, & de Courson Archidiaconatui majori, & Sancti Hilarii de Fonteniaco Archidiaconatui minori, nec non d'Elle & Sancti Petri veteris in Insula Malleacensi Cantoriæ, & Dardin Succentoriæ & Sancti Maxentii de Urabec à dictis Ecclesia Malleacensi ejusque Monasterio ac Mensa Conventuali pariter dependentes Prioratus, quorum singulorum fructus, redditus & proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera, secundùm communem æstimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum primùm illos per cessum vel ex causa permutationis, vel decessum, seu Religionis ingressum, Matrimonii contractum, privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem illos nunc obtinentium, aut aliàs quovis modo ubicunque & quandocunque vacare contigerit, & si actu forsan quovis modo vacent, seu eorum aliquis vacet, Cancellariæ prædictis respectivè, ac propterea Archipresbyteratum Dardin, cujus viginti quatuor majori, & Eleemosynariam d'Oulmes & Cappellaniam Sancti Martini hujusmodi, quarum cujuslibet aliorum viginti quatuor Ducatorum similium, secundùm æstimationem prædictam, valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedit, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex aliorum quorumcunque personis, seu per similes resignationes dictorum Hilarii & Francisci, vel quorumvis aliorum de illis in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & testibus sponte factas, aut assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent, & si tanto tempore vacaverint, quòd eorum collatio, juxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem Apostolicam legitimè devoluta, ac Archipresbyteratus & Eleemosynaria, ac Capellania prædicti dispositioni Apostolicæ specialiter, vel aliàs generaliter reservati existant, ac super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo eorum dispositio ad Nos hac vice pertineat, cum eorum annexis respectivè & omnibus juribus & pertinentiis suis minori Archidiaco-

ANNO 1361.

chidiaconatibus respectivè prædictis : Ita quod liceat futuris Capitulo & Canonicis Sæcularibus eorum qui Mensæ Capitulari : Dignitates verò prædictas pro tempore obtinentibus eorum, qui singulis Dignitatibus prædictis respectivè in vim earumdem præsentium unientur, Prioratuum prædictorum, occurrente simul vel successivè eorum, vel alicujus eorum vacatione, nec non futuris majori, ac minori Archidiaconis respectivè, Eleemosynariæ Sancti Martini illorumque respectivè annexorum ac bonorum, rerum, jurium & proprietatum, corporalem, realem & actualem possessionem per se, vel alios eorum, ac Mensæ Capitularis, nec non Dignitatum respectivè nominibus propria auctoritate liberè apprehendere, & apprehensa perpetuò retinere, fructus quoque, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta exinde provenientia quæcumque percipere, levare, locare, arrendare, ac Capitulo & Canonicis nempe Mensæ Capitulari in assignationem grossi singulorum Præbendarum, ac usum distributionum, nec non solutionem Salariorum Cappellanorum & aliorum Ministrorum & Servitorum infrapositorum, ac Ecclesiæ illiusque fabricæ & Sacristiæ paramentorum & ornamentorum manutentionem : Dignitates verò prædictas respectivè obtinentibus singulis respectivè Dignitatibus uniendorum in suos respectivè usus, utilitatem & necessitates convertere, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, cum hoc, quòd propter infra positas uniones, Prioratus uniendi prædicti, ac Archipresbyteratus prædicti, Eleemosynaria d'Oulmes, & Cappellania hujusmodi, debitis non fraudentur obsequiis, sed eorum congruè supportentur onera consueta : pari auctoritate & perpetuò unias & annectes & incorpores, nunnulla verò minuta Officia in dicta Ecclesia Malleacensi existentia, quorum pinguioris ad quinquaginta, tenuioris verò fructus ad quatuor librarum Turonensium valorem annuatim vix ascendunt, eadem auctoritate perpetuò etiam supprimas, & extinguas, illorumque fructus, qui post cessum, vel decessum illa obtinentium, qui illis, quandiu vixerint, gaudere debeant, in usum distributionum quotidianarum convertantur, eidem Mensæ Capitulari pariter perpetuo applices & appropries, & insuper quòd ex fructibus dictæ Mensæ Capitularis & Prioratuum uniendorum, dum eorum seu alicujus eorum vacatio occurrerit, redditus distributionum usque ad quantitatem quadringentarum librarum pro quolibet Canonico & Dignitatem obtinente primò stabilitur, illoque stabilito grossum Præbendarum, quæ usque tunc illo caruerent, usque ad concurrentiam trecentarum librarum annuarum pro qualibet Præbenda compleatur, illoque completo, & redditibus prædictis per vacationem aliorum Prioratuum uniendorum Mensæ Capitulari hujusmodi, seu alicujus eorum, usque ad quantitatem octingentarum librarum auctis, dictus Henricus, seu pro tempore existens Episcopus Malleacensis, ultra prædictos viginti, unum alium Canonicatum aliamque Præbendam supradictis æquales pro uno alio Canonico, qui æquales fructus, nempe septingentas libras, tam pro grosso Præbendæ, quam distributionibus quotidianis modo supra dicto habeat, erigere, & instituere, illosque sic erectos personæ idoneæ conferre possit ; reliquæ verò centum libræ in favorem dictæ Mensæ Capitularis cedant. Supradictis autem peractis & unione Prioratuum Mensæ Capitulari uniendorum hujusmodi per illorum omnium vacatione tempore procedente effectum sortita in dicta Ecclesia Malleacensi, pro majori illius venustate divinique cultus augmento, viginti Presbyteri seu Clerici, qui Capellani seu Cantores nuncupentur, à Capitulo, & Canonicis ponendi, & ad eorum nutum amovendi, assignato eorum cuilibet Salario annuo trecentarum librarum : Itemque sex pueri symphoniaci, unusque Magister Musices cum annua expensa seu annuo inter eos Salario, mille, & quingentarum librarum, itemque unus bacularius, seu perticarius, vel virgarius, aut bidellus cum annua mercede trecentarum librarum, atque etiam quatuor inferiores Servitores, quos Courtres vocant, cum annuo Salario pro quolibet manuteneantur, & omnes munia, & servitia sibi à Capitulo & Canonicis dictæ Ecclesiæ Malleacensi injungenda, obire debeant : Ea quidem ratione, ut donec unio Prioratuum Mensæ Capitulari uniendorum hujusmodi integrè effectum sortita fuerit, tot solummodò ex dictis Cappellanis seu Cantoribus ac pueris, aliisque Officialibus, Ministris & Servitoribus prædictis manuteneantur, qui ex fructibus Prioratuum Mensæ Capitulari uniendorum, quorum vacatio occurrerit, manuteneri possint, & ii quidem quos Capitulum, & Canonici Ecclesiæ servitio magis expedire judicaverint. Verùm unione prædictorum Prioratuum prædictæ Mensæ Capitulari uniendorum per illorum omnium vacationem plenarium & integrum effectum sortita, tum demum integer numerus Cappellanorum seu Cantorum, & sex puerorum Symphoniacorum cum Magistro Musices, & quatuor inferiorum Servitorum, unusque bacularius seu perticarius, aut virgarius, seu bidellus, cum prædictis respectivè salariis habeantur, & manuteneantur : Quodque tam Episcopus, quam Capitulum & Canonici erga eandem Ecclesiam Malleacensem sequuta sæcularisatione taliter obligati sint, qualiter idem Episcopus, & Conventus Regularis ante Sæcularisationem ipsam obligati erant, & pro tempore existens Episcopus in Capitulum & Canonicos Sæculares Ecclesiæ Sæcularisatæ eandem Jurisdictionem, potestatem & auctoritatem habeat, quam ante Sæcularisationem ipsam, pro tempore existentes Episcopi Malleacenses in Conventum & Monachos Regulares dictæ Ecclesiæ Malleacensis habebant : dicta auctoritate statuas, & ordines. Nos enim, si suppressionem, extinctionem, absolutionem, liberationem, creationem, applicationem, appropriationem, unionem, annexionem, incorporationem, statum, & ordinationem, aliaque prædicta per te vigore earundem præsentium fieri contigerit, ut prædicitur, futuris Capitulo, & Canonicis Sæcularibus dictæ Ecclesiæ Malleacensis omnibusque ejus Ministris, & Personis, ut & sequuta dicta Sæcularisatione omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, antelationibus, jurisdictionibus, conservatoriis, præeminentiis, concessionibus, indultis, & aliis gratiis universis tam spiritualibus, quam corporalibus eidem Ecclesiæ Malleacensi illiusque Conventui & Monachis Regularibus aliisque personis & Ministris per quoscumque Romanos Pontifices nostros, Imperatores, Galliæ, aut alios Reges, aliosve Principes, aut Duces, ac quoscumque alios, & Regum, Ducum, aut aliorum Principum hujusmodi, seu etiam Religionis & Regularitatis intuitu & contemplatione, aut aliàs quomodolibet concessis, quibus per dictam Sæcularisationem nullatenus præjudicatum sit, aut esse censeatur, & quibusvis aliis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ illarum partium illarumque Capitula, Canonici, aliique Officiales, & Ministri de jure, usu, privilegio consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui potiri, & gaudere possint & poterunt quomodolibet in futurum, similiter, pariformiter, & absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen sint in usu,

ANNO 1631.

& non revocata, ac sacris Canonibus ac Constitutionibus Apostolicis, & Concilii Tridentini Decretis non repugnent, uti, frui, potiri & gaudere liberè, & licitè possint & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si ipsi Ecclesiæ Malleacensi, illiusque Capitulo, & Canonicis, aliisque Ministris, & Officialibus in statu Sæculari existentibus à principio concessa fuissent: Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ipsisque futuris Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ sic Sæcularisatæ, ut quæcunque statuta & ordinationes tàm circa divinorum Officiorum celebrationem, horarum Canonicarum recitationem, Chori servitium, ac munera sua, Officia, ac servitia, ac onera singulorum Capitularium, Capellanorum, Cantorum, Musicorum, & aliorum Officialium & servientium, quàm circa fructuum divisionem, & repartitionem modumque illos lucrandi, seu percipiendi, & exigendi, & aliàs felix ipsius Ecclesiæ Malleacensis illiusque futuræ Mensæ Capitularis Sæcularis rerum & bonorum regimen & gubernationem, divinique cultus directionem concernantia, licita tamen & honesta, sacrisque Canonibus & Constitutionibus Apostolicis, dictique Concilii decretis minimè adversantia concedere, & quoties pro rerum & temporum qualitate, aut aliàs expediens videbitur, illa immutare, alterare, limitare & corrigere, emendare & interpretari, aliaque etiam de novo condere & facere liberè & licitè valeant, quæ postquam edita, immutata, alterata, limitata, correcta, emendata & interpretata, aut de novo condita fuerint, eo ipso Apostolica auctoritate approbata esse censeantur: Licentiam & facultatem auctoritate & tenore præmissis etiam perpetuò concedimus & elargimur, easdemque præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos & Successores nostros Romanos Pontifices, etiam crastino cujusque eorum ad summi Apostolatus apicem assumptionis die, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, clausulis, irritantibusque & aliis Decretis, pro tempore quomodolibet edendis, minimè comprehendi, vel per eas confundi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas & plenariè reintegratas, ac si de novo sub quacunque posteriori data per pro tempore existentes Capitulum & Canonicos dictæ Ecclesiæ Malleacensis quandocunque eligenda concessa essent, fore, illasque ac omnia & singula in illis per Nos concessa, disposita & fieri mandata, ac in vim illarum facienda & inde sequuta quæcunque, postquam litteræ translationis hujusmodi executioni demandatæ, ac illarum vigore in Ecclesia Malleacensi nomen & titulus Cathedralis Ecclesiæ suppressa, & dictum Oppidum Fonteniacense Civitatis titulo insignitum, & dicta Ecclesia Parochialis in aliam Cathedralem erectam, de Episcopi, & Capituli ac Canonicorum Malleacensium residentia ad futuram Civitatem Fonteniacensem translata, aliaque per supradictas translationes, litteras, disposita, & ordinata executioni demandata fuerint, in futuris Ecclesia Cathedrali, & Capitulo Fonteniacensi locum habere, & de illis intelligi debere, perinde ac si eædem præsentes pro Ecclesia Fonteniacensi illiusque Capitulo, Mensa Capitulari, rebus & bonis sub nomine & denominatione Ecclesiæ Fonteniacensis emanassent, sicque per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes judicari, & definiri debere: Et si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus dictæ Ecclesiæ Malleacensis in statu regulari fundatione, aliisque præmissis ac prioribus voluntate, statuto, & ordinatione nostris prædictis, & Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à jure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, & aliis quibusvis Apostolicis, nec non in Provincialibus & Synodalibus, Universalibusque Conciliis editis & edendis, specialibus vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, dictorumque Ecclesiæ Malleacensis & Ordinis juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus litteras impetrarint, & si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet sit processum; quas quidem litteras & processus habitos per eandem ad Archipresbyteratum & Eleemosynariam, ac Cappellaniam hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per eas, quoad assecutionem Beneficiorum aliorum, præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, indultis & Litteris Apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumque tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo trigesimo primo, decimo nono Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Pro Eminentissimo Domino Cardinali Barberino Summatore, J. B. Episcopus Sydoniens.

Joannes Savenier. G. Pontanus. Visa P. Gentilii.

VIII.

Breve URBANI PAPÆ VIII.

Quo admittit iste Pontifex Religiosos Ordinis Sanctæ Crucis Parisiensis vulgò *de la Bretonnerie* nuncupatos Appellantes à Processu Cardinalis Rupifoucaldi *de la Rochefoucault* pro Introductione Canonicorum Regularium S. Augustini in dictam Domum S. Crucis: Anno 1641.

URBANUS EPISCOPUS.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Antonius Oudin Procurator & Syndicus Monasterii S. Crucis *de la Bretonnerie* nuncupati Parisiensis, nec non Martinus Heret Sub-Prior, & alii Religiosi dicti Monasterii S. Crucis, quod licèt dictum Monasterium sit subjectum dilecto Filio Abbati Generali totius Ordinis & Congregationis S. Crucis, Regulasque ac Statuta & Constitutiones omninò distinctas & separatas ab illis, qui Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini amplectuntur, habeat, & propterea non possit, nec debeat dictum Monasterium Ordinis S. Crucis Ordini Canonicorum Regularium S. Augustini invitis Superioribus dicti Monasteri S. Crucis uniri, seu incorporari, nihilominus dilectus Filius noster Franciscus Tituli S. Sixti Præsbyter Cardinalis *de la Rochefoucault* nuncupatus idem Mona-

ANNO 1641. ſterium Congregationi dictorum Canonicorum Regularium S. Auguſtini præſentis exponentibus inauditis & indefenſis per Sententiam definitivam, ſive decretum definitivum in prima inſtantia latum, ſeu factum in vim aſſertarum facultatum auctoritate Apoſtolica illi conceſſarum, ſimilem tamen facultatem illi minimè tribuentium, uniri debere declaravit, prout de facto univit & incorporavit. A quibus omnibus dicti Exponentes intra legitima, ut ipſi aſſerunt, tempora appellarunt, Nobisque humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis de opportuno Juris remedio ſubvenire paterna ſollicitudine curaremus. Nos igitur unicuique juſtitiam, ut decet, miniſtrari cupientes, ac ſtatum, & merita cauſæ & cauſarum hujusmodi præſentibus pro expreſſis habitis, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ, Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſeu diſcretioni veſtræ, Filii Officiales per præſentes committimus, & mandamus, quatenus Vos, tres, duo, aut unus veſtrum, vocatis ad id qui fuerint vocandi, cauſas appellationis, & appellationum hujusmodi, ... authoritate noſtra audiatis, cognoſcatis, fineque debito terminetis & decidatis ...... & quæcunque in integrum etiam, prout de Jure, reſtituendi, cæteraque in præmiſſis neceſſaria, & opportuna faciendi, exercendi & exequendi, plenam & liberam Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus facultatem, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die vigeſima Auguſti anno Domini milleſimo quadrageſimo primo, Pontificatus noſtri anno decimo nono.

Signatum L. Raggius, & ſupra plicam N. Raynerius & ſigillatum.

ANNO 1644.

INNOCENTIUS DECIMUS,

PONTIFEX CCXL.

ANNO DOMINI MDCXLIV.

INnocentius hujus nominis Decimus ex Panfiliorum Familiâ anno 1644. Sedem Pontificiam conſcendit: Decimum tertium Jubilæum celebravit anno 1650. Janſeniſmum editâ Conſtitutione damnavit: Obiit Pontificatus ſui anno decimo. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. V. Fol. 409. App.*

Ex Mem. du Clergé Tom. 1. p. 41.

Tranſlatio Epiſcopatus Malleacenſis ad Rupellenſem: anno 1648.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INſuper eminenti militantis Eccleſiæ ſolio, & Aſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſumma Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, nunc in novis Sedibus Epiſcopalibus in irriguo Eccleſiæ agro plantandis & inſtituendis, omnes in Diœceſium partibus dividendis quandoque, & in illis ex toto ſupprimendis & aliò transferendis, paſtoralis Officii noſtri partes, prout locorum, & temporum rationes ac ſublimium & excelſorum Regum vota poſtulant, libenter conferimus, ut exinde divinus cultus, & Chriſtifidelium devotio per amplius augeatur, animarumque Salus ſubſequatur, ac in Oppidis inſignibus & populi multitudine refertis, atque eorundem Regum piâ, & ſtrenuâ operâ è manibus Hæreticorum non ita pridem vendicatis, plantetur radicitus Chriſtiana Religio, & eorum dignioribus titulis decoratorum incolæ & habitatores Præſulum doctrina & auctoritate ſuffulti proficiant ſemper in fide, & quod in temporalibus ſunt adepti, non careant in ſpiritualibus incremento. Dudum ſiquidem per Nos accepto, Civitatem Malleacenſem valdè exiguam, nullis mœnibus cinctam, paucis domibus, aliisque everſis, pleriſque ruinoſis conflatam, aërem verò inſalubrem ob paludes undique adjacentes, ſortitam eſſe, ut pauci admodum incolæ, & omnes ferè pauperes eam modo inhabitent, domumque prope nullam, neque Conſeptum vel Dormitorium pro Capitulo licet Regulari Ordinis Sancti Auguſtini Canonicorum Regularium, nullum Monaſterium, nec Collegium, nullum Seminarium nec Hoſpitale, ſed unam tantum Confraternitatem adeſſe, Eccleſiam denique ipſam extremam ferè ruinam Hæreticorum injuriâ paſſam debitæ ſtructuræ nunquàm fuiſſe reſtitutam, hisque atque aliis de cauſis felicis recordationis Urbanum PP. Octavum Prædeceſſorem noſtrum Eccleſiam ipſam ad Oppidum Fontaniaci Comitis, Malleacenſis Diœceſis transferri mandaſſe, & ſucceſſivè ipſam Eccleſiam ſeculariſaſſe, ipſam tamen translationem effectum ſortiri nequiviſſe, rebus cauſisque aliter quam expoſitæ fuerunt ſeſe habentibus, non ex parte quidem ipſius Eccleſiæ & Civitatis Malleacenſis, quippe quæ conſtanti varietate etiam nunc pro translatione militent, ſed ex parte Oppidi Fontaniaci multò anguſtioris atque inferioris reperti, quàm quod Dignitatem ad illud transferendam capere poſſit; E converſo verò Oppidum Rupellenſis Eccleſiæ ad Oceanum Aquitanicum, emporium ab ipſa Malleacenſi Civitate ſeptem aut octo tantùm leucis diſtans, circuitu amplum, mœnibus circumdatum, propugnaculis validum, domibus magnificum, habitatoribus plerisque nobilibus refertum, & opibus abundans exiſtere, in eoque præter plures Eccleſias, Conventus, & unum Hoſpitale, adeſſe Eccleſiam, Templum majus nuncupatam, amplæ ac elegantis & recentis ſtructuræ, quæ non minus quàm Oppidum, in quo ſita eſt, capeſſendæ Dignitatis Epiſcopalis valdè capax, parque videatur, ut ex præmiſſis nomine chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Ludovici Francorum & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi Nobis ſupplicato, ut Dignitatem Epiſcopalem in Civitate & Eccleſia Malleacenſi ſupprimere, & Oppidum Rupellæ, ac ejus Eccleſiam, Templum majus nuncupatam, hujusmodi in Civitatem & Cathedralem reſpectivè erigere, ac ad eas ſic erectas dotem & Capitulum dictæ Eccleſiæ Malleacenſis transferre, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos inſtantiam Regis prædicti negotiumque ſuppreſſionis, erectionis, & translationis hujusmodi Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium rebus Conſiſtorialibus Præpoſitorum examinandum & diſcutiendum commiſimus. Cùm autem Congregatio ipſa ſub die vigeſima octava Maji anni proximè præteriti, re maturè diſcuſſa, ex jam dictis cauſis, ac etiam quia claræ memoriæ Ludovicus XIII. etiam Francorum, & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſtatim poſt Oppidi Rupellæ ANNO 1644.

ANNO 1655.

prædicti ac illius habitatorum sub ejus obedientia armis regiis factam reductionem, Sedem Episcopalem in illo meliori & commodiori, quâ potuisset viâ, erigi procurare destinaverat, & solemniter promiserat, confidens fore, ut mediante tali erectione Oppidum ipsum, quod antea firmum hæreticæ pravitatis & Hæreticorum Asylum extiterat, imposterum Religionis Catholicæ Apostolicæ, & Romanæ clarioribus signis ornatum ac fidei Catholicæ propugnaculum redderetur, eaque ratione Catholici ad illud habitationis causâ confluentes in eadem fide Catholica, & Orthodoxa confirmarentur, & Hæretici, si quos temporis necessitas illic remanere, indeque non dimitti suaderet, ad caulam Christi faciliùs reducerentur, mandatum de transferendo præfati supra nominati Urbani Prædecessoris nostri, quod executioni eatenus demandatum, ut præfertur, non fuerat, revocari ac circumscribi, ac dignitatem Episcopalem in prædictis Ecclesia & Civitate Malleacensi supprimi: Et remanentibus perpetuò in ipsa Ecclesia sic suppressa uno Parocho ad exercitium curæ animarùm illius, & aliquot aliis Præsbyteris ad divinum cultum inibi peragendum necessariis arbitrio Ordinarii, præviaque dismembratione dicti Oppidi Rupellensis ac Insulæ de Rè, & territorii de Aulnis vulgò dicti, suis finibus terminati ac centum circiter Parochiis constantis, dicto Oppido circumvicinorum, quæ eatenus fuerunt pars Diœcesis Xantonensis, ab ipso Xantonensi Diœcesi Oppidum Rupellense, & ejus Ecclesiam, Templum majus nuncupatam, in Civitatem & Cathedralem respectivè erigi, & ad Cathedralem & Civitatem sic erectas Capitulum Malleacense cum eorum Dignitatibus, seu Officiis ac Canonicatibus & Præbendis, seu Canonicalibus portionibus & redditibus, atque ipsius Ecclesiæ Malleacensis ornamentis Pontificalibus transferri, & Rupellensi Episcopo pro tempore existenti Ecclesiam, Templus majus nuncupatum, pro Cathedrali, & dotem ac redditus suppressæ Ecclesiæ Malleacensis pro dote illius, ac Civitatem Rupellensem sic noviter erectas pro Civitate, Insulamque de Re, & territorium d'Aulnix hujusmodi, nec non etiam Oppidum & totam Diœcesim Malleaci pro Diœcesi respectivè assignari, ac Episcopum Rupellensem pro tempore Archiepiscopo Burdegalensi, prout erat suppositus Episcopus Malleacensis, Jure Metropolitico supponi, ad supplicationem dicti Ludovici moderni Regis per Nos respectivè posse decreverit, de Consensu dilectorum Filiorum nominatorum in Episcopos tam Malleacensem quam Xantonensem, & Capitulorum Malleacensis & Xantonensis Ecclesiarum jam præstito, & quoad eosdem nominatos in Episcopos iterum præstando, postquàm à Sede Apostolica provisi fuerint, prout in ipso decreto desuper emanato latiùs continetur. Nos, qui audita ipsius decreti relatione, decretum ipsum confirmavimus, & approbavimus, attendentes Reipublicæ Christianæ, & præsertim animarum dictorum locorum incolarum Saluti, divinique cultus augmento plurimùm expedire, ipsi quoque Ludovico moderno Regi admodum gratùm futurum, si contenta in ipso decreto ac pia & sancta ipsius defuncti Regis Ludovici genitoris sui intentio, quàm citiùs suum effectum sortiantur, habita priùs super his cum Venerabilibus Fratribus nostris, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in Consistorio nostro secreto deliberatione matura, de ipsorum Fratrum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine, attentâ præsertim ipsius Ludovici Regis instantiâ, ad formam decreti Congregationis hujusmodi mandatum de transferendo præfati supranominati Urbani Prædecessoris, hujusmodi Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò revocamus & circumscribimus, & in prædictis Ecclesia & Civitate Malleacensi Dignitatem Episcopalem ac Dignitatis Episcopalis & Civitatis titulum respectivè etiam perpetuò supprimimus & extinguimus, & à dicta Diœcesi, ac pro tempore existentis Episcopi Xantonensis omnimoda jurisdictione, superioritate, visitatione, dominio, correctione & potestate Oppidum Rupellense, & Insulam de Re, ac territorium d'Aulnix hujusmodi, una cum illorum Clero, populo, & personis, Monasteriis, piis locis, Dignitatibus, Capellis & Beneficiis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, ac illa conferendi, aut aliàs de iis disponendi, aliisque Juribus, & actionibus super illis vel ad illa pro tempore existenti Episcopo Xantonensi prædicto quomodolibet competentibus, similiter perpetuò dismembramus & separamus, iisque sic dismembratis & separatis, ad Omnipotentis Dei Laudem & Honorem, nec non militantis Ecclesiæ exaltationem, Oppidum Rupellense in Civitatem, Rupellensem nuncupandam, cum juribus, honoribus & præeminentiis, quibus cæteræ Civitates illarum partium, & earum Cives utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum, & ejus Ecclesiam, Templum majus nuncupatam, hujusmodi Cathedralem Ecclesiam, Rupellensem nuncupandam, & in ea Sedem Episcopalem pro uno Episcopo, Rupellensi etiam nuncupando, qui eidem Ecclesiæ illiusque Civitati & Diœcesi præsit, Synodum convocet, evellat, destruat, ædificet, & plantet, ac omnia, & singula Jura Episcopalia habeat & exerceat cum Capitulo infrascripto, ac cum Episcopali & Capitulari Mensis, alterisque omnibus Cathedralibus, & Pontificalibus insigniis, nec non Juribus, jurisdictionibus, facultatibus, prærogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus & indultis realibus, personalibus, & mixtis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ illarum partium, earumque Præsules, Capitula & Personæ quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, perpetuò quoque respectivè erigimus & instituimus, ac Oppidum Rupellensis Civitatis, ipsiusque incolas civium, nec non Ecclesiam, Templum majus nuncupatam, hujusmodi Cathedralis Ecclesiæ honore, nomine, titulo & insigniis decoramus, & ad eas sic erectas, & institutas, Capitulum Malleacense cum sua Mensa Capitulari, ac cum aliis supradictis omnibus, ita tamen, ut apud ipsam Ecclesiam Malleacensem unus Parochus ad curam animarum, & aliquot Præsbyteri ad divinum cultum inibi peragendum necessarii, ut supra, pariter perpetuò remanere & manutenenri debeant, ibidem perpetuò transferimus, ac Episcopo Rupellensi pro tempore existenti dictam Ecclesiam, Templum majus nuncupatum, pro Cathedrali, ac dotem & redditus suppressæ Ecclesiæ Malleacensis pro dote illius, ac Civitatem Rupellensem, sic noviter erectas pro Civitate, Insulamque de Re & territorium d'Aulnix hujusmodi, nec non etiam Oppidum & totam Diœcesim Malleaci pro Diœcesi respectivè assignamus, & Episcopum Rupellensem pro tempore existentem Archiepiscopo Burdegalensi, quoad Jus Metropolitanum, prout suppositus erat Episcopus Malleacensis, pariter perpetuò supponimus. Nec non Episcopo ac Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Rupellensis capitulariter congregatis, ut pro felici statu & salubri regimine & administratione dictæ Ecclesiæ Rupellensis,

ac illius personarum, nec non divinorum officiorum in illa celebrandorum directione, quæcunque & qualiacunque statuta, constitutiones, ordinationes & decreta, licita tamen & honesta, sacrisque Canonibus, præsertim verò Concilii Tridentini Decretis minimè contraria, facere, condere & edere, illaque toties quoties, ut pro personarum, rerum, & temporum qualitate, varietate, & ipsius Ecclesiæ utilitate necessarium & opportunum fuerit, alterare, corrigere, & in melius mutare, ac de novo condere & edere, valeant, postquàm facta, edita alterata, correcta, mutata ac etiam de novo condita & edita fuerint, Apostolica auctoritate approbata, & confirmata esse censeantur, & ab omnibus, ad quos spectabit, sub pœnis in eis statuendis & comminandis, inviolabiliter observari debeant, plenam, liberam, & amplam facultatem tribuimus & impartimur. Non obstantibus nostra, per quam dudum inter alia voluimus, statuimus & ordinavimus, quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundùm communem existimationem, tam Beneficii uniendi, quàm illius cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, quodque semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis interesse habentibus, idemque observaretur in erectionibus, dismembrationibus & applicationibus perpetuis, ac de Jure quæsito non tollendo, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri, & Beneficia seu bona unius Beneficii, seu bonis alterius Diœcesis uniri respectivè prohibentis, aliisque Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus & Universalibus Conciliis editis & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus & Ordinationibus ac Xantonensis, Malleacensis & Burdigalensis Ecclesiarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, illarumque Præsulibus, Capitulis, & Canonicis, aliisque Superioribus, & personis in genere, vel in specie in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, etiam si aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ, observatâ, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene ac sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice tamen specialiter & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis circumscriptionis, suppressionis, extinctionis, dismembrationis, reparationis, erectionis, institutionis, decorationis, translationis, assignationis, suppositionis, tributionis, impartitionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1648. quarto Nonas Maji, Pontificatus nostri anno quarto.

Cardinalis *Barberinus* Summator.

F. *Morolus*. P. *Ciampinius*. Visa. P. *Gentilius* Registrata in Secretaria Brevium.

ALEXANDER SEPTIMUS,

PONTIFEX CCXLI.

ANNO DOMINI MDCLV.

Alexander, priùs vocatus Fabius Chisius, anno 1655. in Summum Pontificem electus fuit, qui mox Diploma Antecessoris sui de damnatione Propositionum Jansenii confirmavit. Mors ejus anno duodecimo Pontificatus sequuta est. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1723. Tom. VII. Fol. 1. App.*)

Pastoratum Ecclesiæ Sancti Martini Hallis Deiparæ unit Personatui, seu Rectoratui Collegii Societatis Jesu ejusdem Oppidi; an. 1659. I. Ex Op. Diplom. Miræi T. 2. p. 1120.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, dilecto Filio Officiali Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Cameracensis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Regimini universalis Ecclesiæ, quamvis immeriti, disponente Domino præsidentes, circa id ferventibus votis intendimus, ut loca pia quælibet, præsertim Collegia ad juventutis eruditionem instituta, aliquo auxilio fulciantur, ac ei opportunè provideri curemus.

Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti Filii moderni Rectoris Collegii dilectorum Filiorum Præsbyterorum Societatis Jesu Oppidi Hallensis Cameracensis Diœcesis petitio continebat, quòd Præsbyteri dictæ Societatis in dictum Oppidum his sub conditionibus admissi fuerunt, quòd ipsi proprium Templum in eorum Collegio nullo unquam tempore ædificare possent, sed Sacello B. Mariæ Virginis, quæ illic innumerorum miraculorum coruscans gloriâ, mirâ Christifidelium illuc undique confluentium devotione colitur, in Parochiali Ecclesia ipsius Oppidi posito, peculiarem curam, & sollicitudinem adhibere, ac suas consuetas functiones in dictâ Ecclesia peragere deberent, & deinde ab felicis recordationis Urbano Papa Octavo Prædecessore nostro, seu de ejus mandato ipsius auctoritate Personatus dictæ Ecclesiæ Collegio Præsbyterorum hujusmodi, quod tum in dicto Oppido inchoatum erat, ut ipsi Præsbyteri Societatis prædictæ in augenda Christifidelium devotione, & promovendo ejusdem Deiparæ Virginis cultu, juxta eorum vocationem, & instituta indies magis fructificarent, unitus fuit.

Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, ex quo Præsbyteri Societatis ejusmodi in dictum Oppidum, ut præfertur, admissi fuerunt, divinus cultus & beatæ Mariæ Virginis Veneratio in devotis Fidelium animis, operâ, prædicationibus, & aliis ipsorum Præsbyterorum piis exercitiis mirum in modum increverit, unum tamen esse noscatur, quòd dictæ Ecclesiæ bonum re-

Anno 1655.

gimen quandoque interturbare videtur, videlicet; Quòd ipsa Ecclesia uni Præsbytero Seculari conferri soleat, qui diversorum status, & ordinis, ac à Rectore ejusdem Societatis omninò independens, sæpiusque minus bene erga ipsam Societatem affectus, & concurrentiâ officii, & consortio potestatis, pia Presbyterorum Societatis hujusmodi exercitia quæsitis prætextibus, non sine divini cultus dispendio, ac Christifidelium scandalo, impedire, seu pervertere præsumit. Quare si ad tollendam dissensionum, & scandalorum, quæ aliquoties oriri contigit, occasionem, dicta Ecclesia Personatui, & proindè Collegio prædictis, ut infra, perpetuò uniretur, & annecteretur, sicque ea, quæ ad divinum Cultum, & animarum Curam, & Salutem spectant, ordinandi potestas penes unum, & eundem existeret, ex hoc profectò omnia cum meliori ordine, & Christifidelium majori ædificatione peragerentur, ac divinus Cultus magis, ac magis promoveretur.

Nos igitur, qui dissensionibus, & scandalis potissimùm inter personas Ecclesiasticas obviare, dictorumque Præsbyterorum statui consulere sinceris desideramus affectibus, prædictum Rectorem, qui, ut asserit, ratione Personatus prædicti primum locum in eadem Ecclesia obtinet, & Præsbyteros prædictos, & eorum singulos, ac Collegii hujusmodi singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non alias, si quæ sint uniones, annexiones, & incorporationes dicto Collegio hactenùs quomodolibet factas, verumque, & ultimum dictæ Ecclesiæ vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore Juris clausa, resultet, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus Rectoris, & Præsbyterorum prædictorum hac in parte nobis humiliter porrectis benignè inclinati, Discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenùs vocatis, qui fuerint evocandi, Ecclesiam prædictam, cujus, & illi forsan annexorum fructuum, redditus, & proventus viginti quatuor, una verò cum incertis centum Ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum primum illam per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, aut dimissionem, vel amissionem, aut privationem, seu Religionis ingressum dilecti Filii moderni dictæ Ecclesiæ Rectoris, aut alio quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam in aliquo ex mensibus, Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique prædictæ per Constitutiones Apostolicas, & Cancellariæ Apostolicæ regulas nunc, vel pro tempore reservatis, seu ordinariis Collatoribus etiam per Constitutiones & Regulas easdem, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia, & indulta hactenùs concessa, & in posterùm concedenda vacare contigerit, etiamsi actu nunc, ut præfertur, vel aliàs quovis modo, quem, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore Juris clausa resultet, pro expresso haberi volumus, & ex alterius cujuscunque persona, seu per liberam resignationem moderni dictæ Ecclesiæ Rectoris, vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & Testibus spontè factam, aut constitutionem P. M. Joannis Papæ XXII. etiam Prædecessoris nostri, quæ incipit Execrabilis, vel assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quòd ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodò tempore datæ præsentium non sit in ea alicui specialiter Jus quæsitum, & nunc prout & tunc, & è contra, dictis Personatui, ac Collegio, salvis tamen in omnibus, & per omnia remanentibus Juribus Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi, & dilectorum Filiorum Archidiaconi, & Decani Christianitatis districtus Hallensis modernorum, & pro tempore existentium, auctoritate nostra perpetuò unias, & annectas, ita quod liceat pro tempore existenti dicti Collegii Rectori per se, vel alium seu alios corporalem possessionem dictæ Ecclesiæ, ac annexorum, juriumque, & pertinentiarum suarum quarumcunque propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuò retinere, curam dilectorum Filiorum Parochianorum dictæ Ecclesiæ, ac cætera munia pastoralia per unum Præsbyterum Secularem Theologum, & aliàs benè qualificatum, per Rectorem dicti Collegii eligendum, & Ordinario Loci præsentandum, atque ab eodem Ordinario examinandum, & tanquàm idoneum, antequàm officium Vicarii dictæ Ecclesiæ recipere possit, approbandum, & admittendum, non tamen ad nutum Collegii prædicti Rectoris, nec ex quacunque causa, sed tantùm ex causa gravi, & quæ privationem mereatur, non solùm judicio dicti Rectoris, sed etiam Provincialis, & Consultorum dicti Collegii pro tempore existentium, amovibilem, exerceri, & administrari tantùm debeat, qui de cætero quoad administrationem curæ animarum, Sacramentorumque, & aliorum munium Pastoralium dicto Ordinario subjectus existat, prout anteà fuerunt Rectores Proprietarii dicti, & sunt similes Vicarii aliarum Parochialium Ecclesiarum.

In casu tamen infirmitatis seu legitimi impedimenti Vicarii sic, ut, præfertur, deputandi, prædicti Collegii Rector curam animarum, & munia pastoralia, prædicta durante infirmitate, seu legitimo impedimento hujusmodi, per se ipsum exercere, seu per alium ad id ab eo deputandum Præsbyterum Secularem, seu de Superiorum licentia Regularem ad id idoneum, exerceri facere liberè, & licitè possit.

Vicario verò, ut præfertur, deputando prædicto remaneant usus domus rectoralis, cæteraque alia dictæ Ecclesiæ fructus, & emolumenta, illaque omnia percipere, exigere, levare, ac in usus suos, ac utilitatem liberè convertere possit, & valeat, illis tamen exceptis, quæ Personatui, & Pastoratui sunt communia, quæ inter Rectorem dicti Collegii, & Vicarium, ut præfertur, deputandum hujusmodi erunt dividenda.

Præsentes quoque ex quacunque causa, quantumvis legitima, & juridica de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, seu in Jus, vel controversiam revocari, vel ad viam, & terminos Juris reduci, seu adversus illas quodcunque Juris, vel facti remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam posse, nec debere, sed semper, & perpetuò validas, & efficaces fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, easque, seu quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum

ad

Anno 1660.

ad summi Apostolatus apicem, & Sedem prædictam, etiam sub quibuscumque verborum formis, & expressionibus, pro tempore factis, & concessis, minimè comprehendi, seu confundi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè redintegratas, ac de novo etiam, sub quacumque posteriori data, per Rectorem Collegii hujusmodi quandocumque eligenda, concessas esse, & fore, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos. & Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, ac quidquid secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane auctoritate nostra prædicta decernens, non obstantibus regulâ nostrâ de exprimendo vero valore, & quatenus opus Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus à Jure permissis fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus, Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum.

Quas quidem Litteras & processus habitos, ac inde secuta quæcumque ad dictam Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in iisdem Litteris mentio specialis.

Volumus autem, quòd propter unionem, & annexionem prædictas, si illas per te vigore præsentium fieri contigerit, ut præfertur, Ecclesia prædicta debitis propterea non fraudetur obsequiis, & Cura animarum Parochianorum nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera consueta.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, Kalendis Octobris, Pontificatus nostri anno quinto.

Subsignatum erat diversarum signaturis, & tandem super plica Boulboul, eratque appensum Sigillum plumbeum dicti S. D. N. Alexandri VII.

II. InterMiscell. Biblioth. Anglicæ Tom. 35.

Duo Brevia ad Lovaniensem Universitatem, & Facultatem Theologicam, quibus iterum damnantur Jansenii Propositiones: Anno 1660.

S. D. N. ALEXANDRI PAPÆ VII.

Brevia ad Lovaniensem Universitatem, & Facultatem Theologicam, nuper Româ transmissa, & nunc primum edita: Leodii Typis Joannis Mathiæ Hovii 1660. Permissu Superiorum.

Typographus Lectori Benevolo &c.

PUblicum, & ingens Lovanii ante aliquot hebdomadas gaudium fuisse occasione Litterarum Apostolicarum tùm ad Universitatem, tùm ad Facultatem Theologicam missarum, passim Fama vulgavit: Sparsus etiam tùm Leodii, tùm alibi rumor fuit, *Alexandrum VII.* in iisdem retractasse sententiam ante hac contrà Jansenii dogmata à Sede Apostolica latam. Quod postremum, licèt Catholicis omnibus Sedis Apostolicæ infallibilitatem agnoscentibus risu potiùs, quam fide dignum visum fuerit, multorum tamen animos incessit Cupido cognoscendi, quæ tandem tanti gaudii causa esse potuerit. Horum justis desideriis ut inservirem, ipsas Litteras Apostolicas fideli manu descriptas typis vulgandas putavi. Utere benigne Lector & Vale.

Approbatio.

Ut varii, & scandalosi rumores luce veritatis evanescant, expediet has Litteras Apostolicas typis excudi. Datum Leodii 17. Decembris 1660.

Joan. Ernest. de Surlet,

Vicarius Generalis Leodiens.

Primum Breve ad Universitatem.

Dilectis Filiis, Rectori & Universitati Lovaniensi.

ALEXANDER P. P. VII.

Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PAcis inter ambos carissimos in Christo Filios nostros Reges, divinâ misericordiâ tandem compositæ commodis & felicitate frui vos Domino concedente posse, quemadmodum litteris vestris die vigesimo Martii datis ostenditis, pro paterna in vos caritate nostra profectò gaudemus. Cùm præsertim hoc otio vos ad incumbendum ardentiori Studio litteris & virtutibus verè Catholico viro dignis de more usuros esse planè credamus. Porrò autem eximium illud Salvatoris nostri voce toties inculcatum præceptum de servandis Ecclesiæ Mandatis, deque audienda voce Pastoris, quem Vicarium suum in terris universi gregis curâ demandatâ constituit, quam ad Salutem & vitam, tam profectò est ad omne veræ scientiæ, Doctrinæque lumen suscipiendum absolutè necessarium: Nisi enim omnibus omninò determinationibus Apostolicis, & Firmitati Petræ, supra quam Ecclesiæ suæ Fundamenta statuit Dominus, omnes Hominum, & præcipue litteris addictorum cogitationes, & Consilia immobiliter adhæreant, incredibile prorsus est, in quot, & quantas vanitates, & insanias falsas humani curiositas ingenii, quò magis etiam ejus vis, & perspicacitas excellit, per invia tandem, & abrupta feratur. Universitatem præclaram istam, hujus Sanctæ Sedis Auctoritate fundatam, & amplissimis donatam Privilegiis, tum viris doctrinæ, meritorumque luce fulgentibus locupletem, piè religiosèque Matrem suam respicere, & summopere venerari scimus, utque nullorum hominum turbidi Spiritus in ea planè remanserint, totius Consolationis Deum ex corde rogamus. Sed nulla satis magna diligentia est, quæ in coërcenda, & captivanda in obsequium Christi vaga per se illa sensuum ingeniique humani licentia,

ANNO 1660.

& elatione ponatur, nullaque in hac eadem re alia ratio efficax à summis etiam & sanctissimis viris pro se ipsis quoque continendis adhiberi unquam potuit, quàm hujus Petræ soliditati firmissima, & perquam absolutissima in omnibus adhæsio & obedientia. Si quid enim in hac parte nedum peccatum vel minimum fit, sed etiam non diligentissimè & exactissimè ab initio cautum, & curatum, vix dici profectò potest, quò res paulatim delabatur. Speramus planè de pietate, & Catholicæ Religionis Zelo vestro, omni curâ studioque, vos in hujusmodi rem cogitationes universas collaturos, neque passuros in posterum, ut à debita nobis obedientia turbulentis hominis alicujus flatibus retardemini: Quin immò religiosi obsequii vestri, tàm in observantia per accurata Constitutionum Apostolicarum adversùs errores Jansennii, quàm omnibus aliis in rebus, illustria documenta præstare vos nunquam destituros, quô magis magisque in dies eximiam, veréque paternam Caritatem nostram, atque adeò summi Dei gratiam, & protectionem demereamini; A quo vobis, dilecti Filii, totique Universitati Lovaniensi, Benedictionem Apostolicam peramenter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Augusti 1660. Pontificatus nostri anno sexto.

Eratque signatum F. Florentin.

Et in dorso subimpressus annulus Piscatoris in cera rubra. Superscriptio verò talis erat: *Dilectis Filiis, Rectori & Universitati Lovaniensi.*

Alterum Breve ad Facultatem Theologicam

Dilectis Filiis, Decano, & aliis Theologicæ Facultatis Magistris, Regentibus Lovaniensibus

ALEXANDER P.P. VII.

Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Litteras vestras die 20. Martii datas accepimus, & in eo sanè, quòd quinque propositiones illas, tàm in Constitutione fel. record. Innocentii X. Prædecessoris nostri, quàm in alia nostra posteà damnatas, tantoperè detestemini, ut neminem admittere ad gradus Academicos velitis, nisi prius religiosam observantiam prædictarum Constitutionum promittat, & juret, Obedientiam, & Zelum vestrum unicè commendamus, atque adeò speramus, vos nedum id egregiè persanctéque impleturos, verùm etiam omnibus aliis in hanc Sedem observantiæ, & obedientiæ documentis effecturos, ut omni rerum præteritarum, ex hominum animis evulsâ, & penitùs abolitâ memoriâ, pristinum decus existimationi, & laudi antiquæ vestræ restituatur. Ad hanc igitur salutaris obsequii gloriam verè, constanterque promerendam, quamvis uti credimus eximiè currentes, vos, Dilecti Filii, etiam atque etiam, quantum possumus, hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin vos pro singulari scientiæ, pietatisque studio, sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & S. S. Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri,& adversus orthodoxæ Religionis Hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis: quorum profectò Sanctissimorum virorum penès Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi preconii commendatione planè non egent. Porrò bonorum omnium largitorem Deum rogamus, ut vobis, dilecti Filii, cum pacis divinâ tandem Clementiâ restitutæ, prosperitate, cælestis gratiæ munera tueri, & augere quotidiè pro misericordia sua velit: ad quod feliciter consequendum, Apostolicam Benedictionem vobis peramanter impertimur.

ANNO 1668.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. Augusti Anno 1660. Pontificatus nostri anno sexto.

Signatum erat F. Florentin.

Et in dorso habebatur.

Dilectis Filiis, Decano, & aliis Theologicæ Facultatis Magistris, Regentibus Lovaniensibus.

Eratque sub impressus annulus Piscatoris in cera rubra.

ANNO 1667.

CLEMENS NONUS, PONTIFEX CCXLII.

ANNO DOMINI MDCLXVII.

Clemens, anteà dictus Julius Rospigliosus,electus fuit Anno 1667. at Anno 1669. amissâ Candiâ præ dolore vitam finiit. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VI. fol. 234. App.*)

Indultum Parlamento Parisiensi inter alia concedens, quòd Indultarii in Commendam obtinere valeant Beneficia Regularia eis collata in vim Indulti citrà necessitatem providendi Regulares &c. Anno 1668.

Ex Memoires du Clergé de France Tom. 2. pag. 291.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Summi *Regis* Regum providentiâ, qui humilitatem nostram evexit, universalis Ecclesiæ ac Sanctæ Sedis Apostolicæ regimini præsidentes, ad ea semper intenti sumus, per quæ ejusdem Sedis benignitas in dies magis ac magis elucescat erga omnes, & præsertim eas personas, quæ Regiis Ministeriis mancipatæ, earum indefessis studiis, laboribusque in publicum Ministerium, & populorum utilitatem operam navant, idque eo libentiùs exequimur, quo id à nobis eorumdem Regum vota exposcunt. Sanè charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, suo & dilectorum Filiorum modernorum Cancellarii, Præsidentium & Consiliariorum suæ supremæ Curiæ Parlamenti Parisiensis nominibus, nobis nuper exponi fecit, quòd aliàs, postquam felicis recordationis Eugenius Papa IV. Prædecessor noster, procurante clarissimæ memoriæ Carolo VII. Francorum Rege tum in humanis agente, Litteras Apostolicas in forma gratiarum expectativarum, seu mandatorum de providendo tunc & pro tempore existentibus Regni Franciæ Cancellario, nec non Præsidentibus &

Consiliariis Curiæ Parlamenti Parisiensis, quorum nonnulli Laici esse consueverant, ac per eosdem Laicos loco sui nominandis parentibus, familiaribus, & aliis tunc expressis de ejusdem Curiæ Corpore & gremio existentibus personis ad omnium, & singulorum Episcoporum, Abbatum & Capitulorum, ac aliorum ordinariorum Collatorum Regis Franciæ collationes, & alias quaslibet dispositiones, ita ut Cancellario, Præsidentibus & Consiliariis, Clerico seu Personæ per Cancellarium, Præsidentes, aut Consiliarios, seu aliam personam dictæ Curiæ Laicam, & ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica non capacem, nominatæ, ad ejusdem Caroli, & pro tempore existentis Regis, nominationem, uni ex eisdem ordinariis Collatoribus per suas patentes Litteras de Persona hujusmodi faciendam de uno Beneficio Ecclesiastico sæculari, vel cujusvis etiam Cluniacensis Ordinis Regulari, semel in Cancellarii, Præsidentium, Consiliariorum, seu personæ nominandæ, & ordinarii Collatoris hujusmodi vita dumtaxat, ac per eumdem ordinarium Collatorem provideri deberet, Apostolica auctoritate perpetuò concesserat, certis executoribus, qui in dictorum ordinariorum Collatorum negligentia personis, ut præfertur, nominatis, de Beneficiis hujusmodi providere possent, deputatis. Similis recor. Paulus Papa III. etiam Prædecessor noster, ad Supplicationem similis memoriæ Francisci primi eorumdem Francorum Regis ac Cancellarii, Præsidentium, & Consiliariorum Parlamenti hujusmodi per quasdam, cùm pro eo quod Cancellarius, Præsidentes, Consiliarii, & Personæ Curiæ hujusmodi, qui pro tempore fuerant, Litteris, & gratiis hujusmodi uti, & illarum effectum prosequi forsan prætermiserant, à nonnullis de viribus dictarum litterarum Eugenii Prædecessoris hæsitaretur, litteras Eugenii Prædecessoris hujusmodi cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, etiam ad hoc, ut Cancellarius, Præsidentes, & Consiliarii Parlamenti Parisiensis hujusmodi, tunc, & pro tempore existentes, Beneficia Ecclesiastica, sæcularia vel regularia sub dictis gratiis comprehensa assequi, & illis de eisdem Beneficiis, illorum pro tempore occurrente vacatione, per eosdem Ordinarios collatores, aut certos per eumdem Paulum Prædecessorem deputatos Judices, provideri liberè, & licitè posset, ita tamen quod propterea personis Mandata & Mandatum juxta formam Capituli, & duarum sequentium Decretalium pro tempore habentibus præjudicium aliquod non afferretur, nec prætextu nominationum in vim dictarum litterarum faciendarum à prosecutione Mandatorum hujusmodi excluderentur, dicta auctoritate approbavit & confirmavit, ac nominavit, ac prædictis, & pro tempore existentibus, Cancellario, Præsidentibus Consiliariis, & Personis, ut Beneficia Ecclesiastica, sæcularia, vel regularia infra valorem ducentarum librarum Turonensium, gratiarum, expectativarum, seu Litterarum Mandati de providendo hujusmodi, ac nominationum per dictum Franciscum, & pro tempore existentem Francorum Regem, faciendarum hujusmodi vigore acceptare, seu recipere minimè tenerentur, indulsit. Et subinde cùm pro eo, quod sub Litteris prædictis omnes, & singuli Episcopi, Abbates & Capitula, ac alii ordinarii Collatores dicti Regni comprehendi videbantur, à nonnullis nimis curiosis, & plusquam oportet sapere appetentibus, ac etiam S. R. E. Cardinales, ordinarii in dicto Regno Collatores sub eodem continerentur, in dubium revocaretur, in maximum eorumdem Cardinalium, ordinariorum Collatorum, jurisdictionis ordinariæ præjudicium, idem Paulus Prædecessor per alias suas litteras decrevit, & declaravit, mentis suæ nunquam fuisse, nec esse, Cardinales, qui tunc erant, & pro tempore essent in dicto Regno ordinarii Collatores, sub Litteris hujusmodi quomodolibet comprehendi, neque Judices per eum deputatos potuisse, aut in futurum posse personis, ut præfertur, nominatis, & de aliquibus Beneficiis sub eorumdem Cardinalium Indultis comprehensis, providere, ac ideo Cardinales Ordinarios collatores prædictos, Beneficia ad eorum ordinariam collationem spectantia, quibusvis personis, quibus eis videretur, liberè conferre valuisse, & in posterum valere, prout in dictis Litteris pleniùs continetur. Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, Indultum hujusmodi hactenus servatum fuerit, & servetur de præsenti, sed nominationes, quæ illius vigore fiunt, sæpe non habeant effectum, quin imò parvipendantur, tum quia ordinarii Collatores prædicti, nominatis, Parochiales Ecclesias, etiam rurales, sive alia Beneficia curam animarum habentia annexam, interdum conferunt, quæ ipsi nominati acceptare nequeunt, nisi eorum munera, quæ continuam assistentiam requirunt, deferant, tum etiam quia valor annuus ducentarum librarum Turonensium in Beneficiis per nominatos acceptandis, per prædictas Pauli Prædecessoris Litteras determinatus, secundum præsentium temporum conditionem dignitati personarum memorati Parlamenti parum respondet, accidit quòd cum juxta vulgatam regulam, Regularia Beneficia Regularibus sunt conferenda, nec ullus inter personas ejusdem Parlamenti existat Regularis, qui Beneficia Regularia in titulum obtinere valeat, Indultum prædictum, sub quo comprehenduntur expressi omnes ordinarii Collatores Regulares, etiam Ordinis Cluniacensis, suo effectu hac in parte frustrati videretur, in grave nominandorum detrimentum. Quare pro parte Ludovici Regis, ac Cancellarii, Præsidentium, Consiliariorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eos amplioris gratiæ favore prosequi de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes ejusdem Ludovici Regis præclara in nos Sedemque prædictam merita, ac Cancellarii, Præsidentium, & Consiliariorum prædictorum qualitates, eosdemque Cancellarium, Præsidentes & Consiliarios, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac Eugenii & Pauli Prædecessorum Litteras hujusmodi præsentibus expressis & insertis habentes, eisdem modernis, & pro tempore existentibus, Cancellario, Præsidentibus, Consiliariis, & Personis nominandis, ut de cætero gratiarum, expectativarum, seu Litterarum Mandati de providendo, ac nominationum per eumdem Ludovicum, & pro tempore existentem Francorum Regem faciendarum hujusmodi vigore Beneficia Regularia, quæ cessante eorum Commenda, per obitum illorum Commendatariorum pro tempore vacabunt, dummodo non sint Monasteria, neque Prioratus Conventuales, & verè electivi, neque Officia Claustralia, in Commendam acceptare, requirere, ac recipere valeant, illaque, ac quævis alia Beneficia Ecclesiastica prædicta, Sæcularia vel Regularia, infra valorem sexcentarum librarum Turonensium, seu Parochiales Ecclesias, aliave Beneficia Ecclesiastica curam animarum actualem habentia, acceptare seu requirere minimè teneantur, ac eisdem Ordinariis Collatoribus, ut Beneficia Regularia superiùs expressa Regiis nominatis, ut supra commendare valeant, facultatem concedimus & indulgemus respectivè per præsentes: Decernentes, præsentes Litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nulli-

ANNO 1668.

tatis vitio, seu intentionis nostræ, aut quovis alio defectu notari, impugnari, redargui, limitari, infringi, modificari, retractari, seu in Controversiam vocari, aut adversus illas, quodcumque juris, facti, gratiæ remedium intentari; vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio, atque ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine emanato vel concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, nullatenus unquam posse, sed semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, aut comprehensas semper ab illis exceptas esse & fore, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Vice-Legatos & Nuntios in quavis instantia eis sublata judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca dilectis Sancti Dionysii, & Sancti Germani Parisiensis Monasteriorum Ordinis Sancti Benedicti Abbatibus, ac Archidiacono majori nuncupato Ecclesiæ Parisiensis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, & quoties prò parte Ludovici, & pro tempore existentis Francorum Regis, & Cancellarii, Præsidentium & Consiliariorum prædictorum, etiam pro tempore existentium, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter, & immobiliter observari, ac singulos, quos ipsæ concernunt, eis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque contra earumdem præsentium tenorem quomodolibet molestari, contradictores quoslibet & rebelles per censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum in quibus Beneficia ipsa, Ordinum quorum Beneficia Regularia extiterint, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod ii ex Regiis nominatis prædictis, quibus Beneficia Regularia, ut præfertur, commendari contigerit, infra octo Menses à die Commendæ sibi de illis factæ computandos, novam illorum Commendam à Sede prædicta impetrare, ac jura Cancellariæ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere omninò teneantur, alioquin fructus non faciant suos, & ad illorum Restitutionem teneantur, & Commendæ ipsis, ut præfertur, factæ cessent, eisque cessantibus, Beneficia prædicta vacent eo ipso, quòdque in vacatione Beneficii Regularis Regiis nominatis vigore Litterarum hujusmodi pro tempore commendati, quod antea commendari non consueverat, sed immediato illius possessori tantùm pro prima vice, seu forsan etiam cum decreto revertendi in titulum commendatum extiterat, Beneficium prædictum ampliùs commendari nequeat, sed ad pristinam tituli naturam reverti, & Personæ Regulari in titulum conferri debeat, & Commendæ aliter, & sine expressione præsentis Decreti factæ nullæ sint eo ipso, quodque prædictæ Pauli Prædecessoris Litteræ in reliquis omnibus, & præsertim in ea parte, ubi declaravit, S. R. E. Cardinales, Ordinarios Collatores sub Indulto hujusmodi minimè comprehendi, salvæ, & illæsæ remaneant, ac omninò servari debeant. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, decreti, mandati & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

ANNO 1675.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1667. sexto decimo Kalend. Aprilis. Pontificatus nostri anno primo.

Enregistré ès Registres du grand Conseil du Roy, suivant l'Arrest ce jourd'huy donné in iceluy. A Paris le seizième jour de Novembre 1668.

Signé HERBIN.

ANNO 1670.

CLEMENS DECIMUS, PONTIFEX CCXLIII. ANNO DOMINI MDCLXX.

Vide Compend. Vitæ *in Magno Bullario Romano hujus Edit. 1727. Luxemb. Tom. VI. fol. 288.*

BREVE S. S. D. N. CLEMENTIS PAPÆ X.

Confirmationis, & novæ Concessionis Indulgentiarum, &c. pro Archiconfraternitate Cincturatorum, & Cincturatarum nuncupata S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub Invocatione Beatæ Virginis Mariæ de Consolatione Bononiæ erecta in Ecclesia S. Jacobi. Anno 1675.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis cœlitùs Apostolicæ servitutis munere spiritualium gratiarum concessiones ex pia, prudentique hujus Sanctæ Sedis dispensatione providè emanatas, quibus Christi fidelium devotio ad pietatis opera incitatur, & confovetur, Apostolici muniminis præsidio libenter constabilimus, & aliàs desuper statuimus, sicut matura deliberatione prævia ad Omnipotentis DEI Gloriam, & animarum Salutem expedire in Domino arbitramur.

Dudum siquidem fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster omnia, & singula Privilegia, Indulgentias, Prærogativas, Facultates, Gratias, & Indulta quæcumque Archiconfraternitati Cincturatorum, & Cincturatarum nuncupatæ S. Augustini, &Sanctæ Monicæ sub Invocatione B. Virginis Mariæ de Consolatione nuncupatæ in Ecclesia S. Jacobi Bononien. canonicè institutæ, sivè aliis quorumcunque locorum Confraternitatibus ei debitè annexis, & illius, sive illarum utriusque sexus Confratribus Cincturatis pro tempore existentibus, tam per rec. mem. Gregorium XIII. & Gregorium XIV. quàm quoscumque alios Romanos Pontifices Prædecessores pariter nostros quandocumque, & quomodocumque, etiam per viam, & modum Extensionis, Ampliationis, & Communicationis, ac aliàs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis

catenus

eatenus quomodolibet concessa, & aliquando revocata, ac sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, restrictionibus, & modificationibus Auctoritate Apostolica, etiam quandocunque, & qualitercunque factis comprehensa, Decretis tamen Concilii Tridentini non repugnantia, nec non litteras desuper emanatas eâdem Auctoritate perpetuò approbavit, & confirmavit, ac innovavit, eisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit; Et nihilominus pro potiori cautela, illa omnia cum eorum extensionibus, ampliationibus, & communicationibus prædictis de novo etiam perpetuò concessit, & aliàs prout in ipsius Gregorii XV. Prædecessoris desuper sub Plumbo Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXI. tertio Nonas Junii expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, ulteriùs continetur.

Cùm autem, sicut Venerabilis Frater Josephus Eusanius Episcopus Prophyrien. Sacrarii nostri Apostolici Præfectus, Nobis nuper exponi fecit, subinde Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, quasdam litteras die XXIII. Martii MDCXXIX. ad tunc existentem priorem Generalem Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini dederit, quibus Indulgentiæ Archiconfraternitati, eique aggregatis Confraternitatibus prædictis à Romanis Pontificibus concessæ, quippe quæ à piæ mem. Paulo Papa V. etiam Prædecessore nostro per suas litteras, quarum initium *Cùm certas* &c. die II. Octobris M DC VI. editas revocatæ fuerant, tametsi à memorato Gregorio XV. Prædecessore per suas litteras præfatas innovatæ fuissent, rejici posse videbantur. Verùm Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita, re diligentiùs examinata, censuerit, nihil obstare, quo minus Archiconfraternitatis, & Confraternitatum hujusmodi Confratres omnibus & singulis Indulgentiis per easdem Gregorii XV. Prædecessoris litteras confirmatis & innovatis uti, & frui possent, ac deberent, & aliàs prout in ipsius Congregationis Decreto desuper XVII. Aprilis M DC LXXIII. emanato, etiam continetur. Quia verò in dictis Gregorii Prædecessoris litteris specificè non exprimuntur Indulgentiæ à prædictis Romanis Pontificibus concessæ, ideò ab eadem Congregatione Cardinalium delecti fuerint duo ex Consultoribus illius, nempe dictus Josephus Episcopus, ac dilectus Filius Julius Maria de Blanchis Ordinis Prædicatorum Professor, in Sacra Theologia Magister, qui singulas Indulgentias hujusmodi ex authenticis colligerent Documentis, ad hoc, ut possent postmodum ad formam Constitutionis similis rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri, quæ incipit *Quæcunque &c.* Et Decreti ejusdem Congregationis die XVI. Martii dicti Anni M DC LXXI. editi, nominatim, & in specie communicari. Ipsis autem Consultoribus sic delectis, de nonnullis Indulgentiarum capitibus non consentientibus, visum fuerit eidem Cardinalium Congregationi, quicquid in controversiam veniret, bon. mem. Joanni, dum vixit S. R. E. præfatæ Præsbytero Cardinali Bonæ nuncupato, definiendum proponi; Et post habitam inter eosdem Consultores collationem, iterumque examinata capita illa, consentientibus in cunctis Consultoribus prædictis, reque omni per præfatum Joannem Cardinalem expensa, & probata, confectum fuerit Summarium Indulgentiarum hujusmodi ex Originalibus Romanorum Pontificum litteris, aliisque authenticis Documentis excerptum, tenoris qui sequitur, videlicet.

SUMMARIUM.

Indulgentiarum Archiconfraternitatis Cincturatorum S. Augustini, & Sanctæ Monicæ sub Invocatione B. Virginis Mariæ de Consolatione erectæ Bononiæ in Ecclesia S. Jacobi, & Confraternitatum eidem aggregatarum.

PRæmittendum primò, Confratres Cincturatos utriusque sexus uti, frui, & gaudere Indulgentiis, & Gratiis spiritualibus toti Ordini Eremitarum S. Augustini concessis ex Gregorio XIII. in Brevi *Ad augendam* die XVI. Dec. MDLXXVIII. anno VII. Pontificatus. Et in alio ejusdem Pontificis *Cùm sicut &c.* die XV. Decemb. MDLXXIX. his verbis. Confratres utriusque Sexus Confraternitatum Corrigiatorum nuncupatarum Sancti Augustini, ut frui, & gaudere possint Indulgentiis, & participes fieri omnium Gratiarum Spiritualium Ordini ipsius Sancti Augustini concessarum, omniumque Bonorum, quæ in dicto Ordine pro tempore fient, inter alia teneantur quotidie recitare tredecim Pater Noster, & totidem Ave Maria, & unum Salve Regina pro Salute Romani Pontificis, & felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ; Et si ipsum Salve Regina dicere ignoraverint, loco Salve Regina quinque Ave Maria devotè recitando, easdem Indulgentias, & Gratias Spirituales consequantur, quas consequerentur, si ipsum Salve Regina recitarent.

Secundò præmittendum est, quòd Leo X. *Solet annuere* VII. Kalen. Augusti MDXIII. anno primo, singula Privilegia, Immunitates, Exemptiones, Concessiones, Ingulgentias, & peccatorum plenarias Remissiones, & Indulta quæcunque quibusvis Domibus, & Congregationibus, aut aliis Locis, & illorum Personis dicti Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini olim in genere, vel in specie concessa, ac in posterum concedenda, ad ipsum Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini, & illius Personas, ac si illis specialiter concessæ fuissent, extendit, & communicat, ut eis gaudeant, & utantur, ac si eis, & singulis eorum Domibus, & Personis in specie concessa fuissent. Hoc idem antea in simili forma concesserat Julius II. *Dum fructus uberes* VII. Kalen. Julii M D VII. anno IV. Et Alexander IV. licèt non tam generaliter in Bulla *Ut eò libentius* XIII. Kalen. Augusti anno primo. Nec non in alia *Oblata Nobis* XII. Kalen. Maji anno III. Quæ fuerunt innovatæ per Martinum V. *Sinceræ* IV. Kalen. Maji anno VI. Et per Sixtum IV. *Dum fructus uberes* M CCCC LXXIV. VII. Idus Febrarii anno IV. in Mari Magno. Denique Idem Sixtus IV. in Bulla *Inter præcipuas* M CCCC LXXII. X. Kalen. Januarii anno II. Congregationi Lombardiæ præfati Ordinis, ejusque Professoribus, Domibus, & Locis universis concedit, & pariter indulget, quòd ipsi omnibus, & singulis Privilegiis, Exemptionibus, Libertatibus, Immunitatibus, Indultis, Indulgentiis, & Gratiis, Ecclesiæ & Domui de Populo, earumque Personis per Sedem Apostolicam hactenus concessis, in omnibus & per omnia uti valeant, & gaudere.

Tertiò. Præmittendum est, quòd Gregorius XIII. in Brevi *Ad augendam* ut supra, inter Gratias Spirituales dictæ Confraternitati tàm in particulari concessas, quàm forsan per participationem Indulgentiarum Ordinis Eremitarum S. Augustini, vel cujusvis alterius Religionis communicatas, nonnullæ reperiuntur cum clausula manus adjutrices porrigendi, quæ quidem per Sedem Apostolicam fuerunt revocatæ, vult, & decernit,

Anno 1675.

quòd eædemmet Indulgentiæ, & Spirituales Gratiæ dictis Confratribus suffragentur æquè, ac si in illis dicta Clausula non adesset, quam penitùs abrogat, dummodò loco porrigendi manus adjutrices, quinque vicibus Orationem Dominicam, & totidem Salutationem Angelicam pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, ac hæresium extirpatione recitent.

Ultimò præmittendum est, quòd Julius II. *Nihil est* die XXIV. Septembris M D VIII. Pontificatus anno quinto, ut omnia quàm firmissima sint, quæ Ordini prædicto Apostolica Sedes elargita est, proprio & motu, & scientia, atque de plenitudine potestatis vult, statuit, & decernit, ut quæcunque concessio Ordini præfato facta, sive per se, sive per Communionem, quam fecit cum aliis Ordinibus, & Congregationibus, eandem omninò vim, atque efficaciam perpetuò habeant, tam in Judicio, quàm extra Judicium, ac si plumbeo sigillo obsignatæ essent, quod intelligi vult tam de his, quæ in forma Brevis, quàm de his, quæ per supplicationes expeditæ sunt, in quibus placuit, ut sola signatura sufficeret: Quamobrem quæcunque fuerunt eidem Ordini utcunque concessa, sive ipsa Exemplaria, sive eorum transumpta ostendantur, Prælati alicujus, aut publici Notarii manu signata, aut etiam Generalis Ordinis sigillo firmata eodem motu, scientia, & potestate decernit, mandatque, eandem omninò, & vim esse, & fidem adhiberi, ac si plumbi signum haberent. Idem habet Leo X. *Licet sponte* die VI. Maji M D XIV. Pontificatus anno II.

Indulgentiæ autem prædictis Confratribus, seu Consororibus concessæ, sunt sequentes:

IN festis Domini, & Primò. In Nativitate Domini nostri Jesu Christi, Collegium XXIV. Cardinalium in litteris sub dat. Romæ anno M CCCC XCVIII. die XXVIII. Maji sub Alexandro VI. anno VI. videlicet; Quilibet ipsorum per se præfatis utriusque Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui Capellam Confraternitatis à primis usque ad secundas Vesperas inclusivè devotè visitaverint, & manus porrexerint adjutrices (*ex Indulto Gregorii XIII. ut supra quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam recitaverint*) annuatim pro die prædicto, quo id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxat: Quod ex Constitutione Sixti *IV. Inter præcipuas* confirmatur.

Secundò in Festivitate Sancti Spiritus, & usque ad octavam ipsius, eisdem ut supra Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ordinis Ecclesiam, & Capellam, vel Altare Confraternitatis annis singulis venerabiliter visitaverint, unus Annus, & quadraginta dies de injuncta pœnitentia misericorditer relaxantur: Alexander *IV. Sanctorum meritis* III. Id. Februarii Pontificatus anno III.

Tertiò in festis Nativitatis Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes, ac per Octavas eorum, & in festo Circumcisionis prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis atque manus porrigentibus adjutrices (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies, ut supra) nec non Ecclesias Ordinis, & Altare, vel Capellam Confraternitatis annuatim devotè visitantibus, mille Anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius *IV. Quoniam* VI. Kalen. Maji Pontificatus anno primo.

Quartò in omnibus Festivitatibus Domini nostri Jesu Christi, & per octavas ipsarum præfatis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, venientibus ad Ecclesias Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, & Altare vel Capellam Confraternitatis, ut supra visitantibus, LXX. Anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ; Eisdemque pariter visitantibus, ut supra, in omnibus prædictis festis Domini, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum, sive Oratorii, vel Capellæ Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies ut supra) per quamlibet illarum festivitatum Centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum conceduntur: Gregorius *IX. Ex Transumpto Oscensi* die X. Januarii M D LXXIV.

In festis Beatæ Mariæ Virginis, & primò in festivitate Nativitatis ejusdem Virginis Mariæ Confratribus prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui Ordinis Ecclesiam, & Altare, vel Capellam Confraternitatis à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas devotè visitaverint annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) illa Indulgentia, & remissio peccatorum conceditur, quam, Ecclesiam Beatæ Mariæ in Portiuncula dictam de Angelis extra muros Assisinatenses primo (hoc est à Vesperis primis ejusdem diei) & secundò diebus mensis Augusti annuatim visitantes quomodolibet consequuntur. Bonif. *IX. Dum Præcelsa.* III. Kalen. Septembris Anno XI. Eodemque die prædicti Confratres verè pœnitentes, & confessi, seu statutis à Jure temporibus firmum confitendi propositum habentes, qui Ordinis Ecclesiam, & Altare, sive Capellam Confraternitatis à primis Vesperis usque ad secundas Vesperas diei hujusmodi devotè visitaverint, & inibi pro Sanctæ Matris Ecclesiæ Exaltatione, & hæresium extirpatione, nec non Pace inter Principes Christianos conservanda ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequuntur. Pius *IV. Salvatoris* Anno Incarnationis Dominicæ M D LXIII. X. Kal. Martii anno V. Eadem pariter die Gregorius *XIII. Reddituri* ut supra, iisdem verè pœnitentibus, confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam Ordinis, ac Confraternitatis Altare à primis Vesperis usque ad occasum Solis devotè visitaverint, & pias inibi preces ad Deum pro Sanctæ Matris Ecclesiæ Exaltatione, infidelium conversione, & hæresium extirpatione, ac aliis prout unicuique suggeret devotio, fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem elargitur. Similiter in eadem Nativitate, ac etiam in Annunciatione ejusdem Beatæ Mariæ Collegium XXIV. Cardinalium, ut supra, annuatim pro singulis festivitatibus, seu diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxát.

Secundò. In Dominica infra octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis prædicti Confratres verè pœnitentes, & confessi, ac devotè visitantes Ordinis Ecclesiam, & Capellam Confraternitatis, ut supra, à primis Vesperis usque ad occasum Solis subsequentis diei, & manus porrigentes adjutrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) lucrantur omnes, & singulas Indulgentias etiam plenarias per fel. rec. Innocent. IV. & alios Romanos Pontifices Prædecessores visitantibus Ecclesias Domorum dicti Ordinis, & manus porrigentibus adjutrices (Ex Indulto Gregorii XIII. quinquies &c.) concessas. Julius II. *Et si Cuncti* Non. Julii M D VI. anno III.

Tertiò. In festo Assumptionis, Nativitatis, Annunciationis, & Purificationis Beatæ Mariæ, nec non per octavas Nativitatis, & Assumptionis ejusdem beatæ Mariæ prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, atque manus porrigentibus adjutrices (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) nec non Ordinis Ecclesias, & Capellam, aut Altare Confraternitatis annuatim devotè visitantibus mille Anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius *IV. Quoniam* ut supra.

Quartò. In omnibus Festivitatibus beatæ Mariæ Matris Domini nostri JESU Christi, & per octavas ipsarum præfatis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesias Ordinis venerint, & Capellam, vel Altare Confraternitatis visitaverint, LXX. anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ; Eisdemque pariter visitantibus, ut supra in omnibus prædictis festis Dominæ nostræ Sanctæ Mariæ, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum, sive Capellæ, vel Altaris Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) per quamlibet illarum festivitatum, centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum conceduntur. *Gregor. IX.* ut supra.

Quintò. Singulis anni festis ejusdem B. M. Virginis, Greg. *XIII. Ad ea* die XV. Junii M D LXXV. Pont. anno IV. omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui Altare ut supra devotè visitaverint, & ibi oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedit, & relaxat.

In festis Apostolorum, & primò in festivitate Sancti Jacobi Majoris Collegium XXIV. Cardinalium, videlicet quilibet ipsorum per se eisdem Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, atque visitantibus, ut supra, annuatim die prædicto quo id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxat.

Secundò in festo Apostolorum Petri, & Pauli, & in solemnitatibus Apostolorum, & Evangelistarum eisdem Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, atque manus porrigentibus adjutrices, (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) nec non Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis annuatim devotè visitantibus, mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius *IV. Quoniam* ut supra.

Tertiò in festis omnium Apostolorum per quamlibet illarum festivitatum præfatis Confratribus visitantibus Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum; Eisdemque pariter verè pœnitentibus, & confessis ad dictas Ecclesias Ordinis venientibus, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, visitantibus in omnibus festivitatibus Apostolorum, & Evangelistarum septuaginta anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ conceduntur. Gregor. *IX.* ut supra.

In festis Sanctorum Ordinis. Et primò in festo B. Augustini Doctoris Ecclesiæ, & per octavam ejus prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis venientibus ad dictas Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare, ut supra, visitantibus, LXX. anni, & totidem quadragenæ Indulgentiæ conceduntur, Gregor. *IX.* ut supra. Eodemque festo prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam Ordinis, & ad Capellam, vel Altare Confraternitatis causâ devotionis accesserint, annuatim centum dies de injuncta pœnitentia misericorditer relaxantur. Alex. *IV. Vitæ perennis* V. Idus Junii Pont. anno V. In omnibus pariter festivitatibus ejusdem B. Augustini prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui præfatas Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, devotè visitaverint annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innoc. *IV.* ut supra.

Secundò in diebus festivitatum ejusdem S. Augustini, & S. Monicæ, Greg. *XIII. Ad augendam*, ut supra, prædictis Confratribus, qui pœnitentes, & confessi, & sanctissima Communione refecti Ecclesias Ordinis, & prædictam Confraternitatis Capellam, ac Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ hujusmodi sita Altaria à primis vesperis usque ad occasum Solis, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro pace inter Christianos Principes conservanda ac hæresium extirpatione, sanctæque Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino perpetuò concedit. Nec non idem Greg. *XIII. Etsi cunctæ* Idib Decemb. M D LXXX. prædictis similiter verè pœnitentibus, & confessis, qui Capellam Sanctæ Monicæ in festivitate ejusdem Sanctæ Monicæ à primis vesperis, ut supra, singulis annis devotè visitaverint, & inibi pro Sedis Apostolicæ exaltatione, hæresiumque extirpatione pias ad Deum preces effuderint, & Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, etiam plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem elargitur.

Tertiò in diebus item festivitatum ipsius D. Augustini, ac Sanctæ Monicæ ejusdem Augustini Matris, & S. Nicolai Confessoris de Tolentino nuncupati statuitur, & ordinatur, quòd omnes, & singuli utriusque sexus Confratres prædicti verè pœnitentes, & confessi, qui Ordinis Ecclesiam, & Capellam, vel Altare Confraternitatis à primis vesperis vigiliarum, & per totam diem festivitatum earundem inclusivè devotè visitaverint annuatim, & manus ad ejusdem Ecclesiæ sive Capellæ, vel Altaris Confraternitatis reparationem, restaurationem, & augmentum porrexerint adjutrices, (Ex Indulto Greg. *XIII.* quinquies &c.) pro qualibet die festivitatum hujusmodi omnium, & singulorum suorum criminum, & delictorum, ac peccatorum, etiamsi de illis tunc memores non extiterint, dummodò, si memoriam illorum haberent, illa confitendi propositum habuerint, & si recordati aliquando confessi fuerint, plenissimam auctoritate Apostolica remissionem misericorditer consequuntur: Sixtus IV. *Dum attentè* anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LXXIX. XII. Kalen. Aprilis Pont. anno IX.

Quartò. Conceditur etiam prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui in Dominica festum S. Nicolai de Tolentino immediatè sequente à primis vesperis usque per totum diem ipsius Dominicæ Capellam ejusdem S. Nicolai, & Altare Confraternitatis devotè visitaverint annuatim, illa Indulgentia, & remissio peccatorum, quam visitantes Ecclesiam B. Mariæ in Portiuncula, aliàs dictam de Angelis, ut supra annuatim quomodolibet consequuntur. Bonif. *IX. Licet Is* Kalen. Martii Pont. anno XI.

ANNO 1675.

In aliis diebus anni, Et primò in festis S. Joannis Baptistæ, & omnium Sanctorum prædictis per quamlibet illarum festivitatum visitantibus Ordinis Ecclesias, & Capellam vel Altare Confraternitatis, centum anni, & centum quadragenæ Indulgentiæ suorum peccatorum, dando aliquid in adjutorium pro fabrica dictarum Ecclesiarum sive Capellæ, vel Altaris Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) conceduntur. Gregor. *IX.* ut supra. Eisdemque verè pœnitentibus, & confessis, in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, nec non per ejusdem octavam, & celebritate prædicta omnium Sanctorum, qui devotè visitaverint Ecclesias Ordinis, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innocentius IV. *Quoniam &c.*

Secundò. A feria sexta post Dominicam tertiam Quadragesimæ usque ad octavam Resurrectionis Dominicæ prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui fide, ac reverentia præviis ad gratiam implorandum cum Eleemosinis accesserint (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) diebus singulis, quibus Ordinis Ecclesiam, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra visitaverint, Annorum decem & septem, & quadragenarum totidem Indulgentia conceditur. Ex litteris authenticis Raynaldi Archiep. Thebani, ac in Urbe Vicarii Generalis Clementis Papæ V. anno M CCC IX. die XXX. Martii ejusdem Clementis Pont. anno quarto.

Tertiò. A Dominica septuagesimæ inclusivè usque ad octavam Paschæ, prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui devotè visitaverint Ordinis Ecclesias, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Greg. *XIII.* quinquies &c.) mille anni, & totidem quadragenæ misericorditer relaxantur. Innoc. IV. *Quoniam* ut supra.

Quartò. Leo X. *Cum sicut accepimus* die VI. Januarii M D XV. Pontificatus anno II. omnibus, & singulis corrigiatorum Confratribus in toto Christianorum Orbe constitutis, qui vel quæ orationem serotinam consuetam in Ordine Eremitarum Sancti Augustini singulis diebus in communi, vel ex se orationem pro statu S. R. E. & pro Summo Pontifice dici consuetam, vel eam, quæ incipit Salve Regina, devotè dixerint, septem annos de vera Indulgentia, & totidem quadragenas concedit, & indulget.

Quintò. Diebus Stationum in Missali Romano præscriptis, prædicti Cincturatorum Confratres, qui contriti, & confessi in Ecclesiis Ordinis singulis diebus pro tempore quadragesimali visitaverint tria Altaria, scilicet Altare Confraternitatis, & alia duo à Prioribus ejusdem Ordinis deputanda, & quinque Pater noster, totidemque Ave Maria, ob reverentiam Dominicæ Passionis, & Gloriosæ Dei Genitricis Mariæ genibus flexis cum oratione, quæ pro Summo Pontifice fieri consuevit, videlicet *Deus omnium Fidelium Pastor &c.* dixerint, eandem Indulgentiam consequuntur, quam habituri essent, si Romanis Stationibus interessent. Qui verò dictam orationem dicere nescíverint, loco illius dicant Salve Regina pro felici conservatione status Ecclesiæ Romanæ; & Summorum Pontificum, qui pro tempore fuerint: Si verò tot Altaria non essent, ut prædictas orationes, & Pater cum Ave Maria replicent ante Altare Confraternitatis; Sixtus *IV. Per Signaturam.* Innocentius deinde *VIII.* in Bulla *Cùm aliàs* die VII. Decembris M C D LXXXIX. Pontificatus anno VI. prædictas Indulgentias Stationum Almæ Urbis pro tempore quadragesimali ut supra concessas confirmavit, & ad Stationes totius anni (ad normam Missalis Romani, ut supra) extendit. Et nihilominus, si contingat aliquem ex legitima causa à locis, ubi sunt Ecclesiæ præfati Ordinis, sive Altare Confraternitatis abesse, in quacunque Ecclesia, & loco, etiam unum tantum Altare habente, si ante dictum Altare eas orationes, quæ ante tria Altaria fieri jubentur, ter dixerit, præfatas totius anni Indulgentias perinde consequatur, ac si eas coram tribus Altaribus, ut supra deputatis dixerit, indulsit.

Sextò In Hebdomada majori, præfati Corrigiatorum Confratres verè pœnitentes, & confessi, qui Ordinis Ecclesiam, & Capellam, vel Altare Confraternitatis ut supra, à primis vesperis diei Martis dictæ majoris hebdomadæ usque per totum diem Mercurii immediatè sequentem devotè visitaverint annuatim, & ad earundem conservationem manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Greg. *XIII.* quinquies &c.) illam perpetuis temporibus Indulgentiam, & peccatorum remissionem lucrantur, quam visitantes Ecclesiam S. Marci de Venetiis Castellanen. Diœcesis, in festo Ascensionis Domini nostri JEsu Christi, annuatim quomodolibet consequuntur. Bonifacius IX. *Sinceræ Devotionis* IV. Kalen. Martii, Pontificatus anno IX. Eodem pariter die Mercurii, nec non die Jovis, & die Veneris hebdomadæ sanctæ, præfati Confratres verè pœnitentes, & confessi, qui devotè visitaverint Ecclesias Ordinis, & Capellam aut Altare Confraternitatis, ut supra annuatim, & manus porrexerint adjutrices (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) à pœna & à culpa misericorditer relaxantur. Inncentius *IV. Quoniam* ut supra; Quam concessionem Sixtus *IV. Inter præcipuas* ut infra, Indulgentiam plenariam nominat.

Septimò. In omnibus Sabbatis Quadragesimæ prædictis Confratribus verè pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesias Ordinis, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, qualibet die Sabbati singularum hebdomadarum Quadragesimæ devotè visitaverint annuatim, omnium peccatorum suorum remissio, & venia conceditur. Sixtus *IV. Cùm ineffabilia* anno Incarnationis Dominicæ M CCCC LXXIX. XIII. Kalen. Julii Pontificatus anno VIII. Præterea singulis diebus Sabbati totius anni, iisdem verè pœnitentibus, & confessis, atque sacra communione refectis, qui Ecclesiam Ordinis, & Capellam, vel Altare Confraternitatis, ut supra, visitaverint devotè, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresium extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio misericorditer in Domino conceditur. Gregor. *XIII. Ineffabilia* die XXV. Januarii M D LXXXII. Pont. anno X.

Octavò. Iisdem Confratribus semel in vita, ut Confessorem idoneum Regularem dicti Ordinis (juxta Concilii Tridentini decreta ab Ordinario approbatum) quem ipsi Corrigiati, & eorum quilibet duxerit eligendum; qui ipsos Confratres, & eorum quemlibet ab eorum excessibus, & delictis absolvere, exceptis casibus in Bulla Cœnæ contentis, & casibus Episcopis locorum reservatis, ac aliis ad formam Consti-

tutionis

ANNO 1675.

tutionis *Quæcumque* Clementis *VIII.* & eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungere, ac plenariam omnium peccatorum suorum remissionem elargiri possit, Apostolica auctoritate conceditur, & indulgetur. Quam etiam in Articulo mortis verè pœnitentes, & confessi consequi possunt. Julius *II. Dum fructus uberes,* ut supra.

Nonò. Plenariam quoque Indulgentiam in articulo mortis lucrari possunt prædicti Confratres, si verè pœnitentes, & confessi nomen JEsu, ore, vel corde invocaverint. Gregor. *XIII. Etsi cunctæ* ut supra, & *Reddituri*, pariter ut supra.

In Processionibus. Et *Primò* Gregor. *XIII. Ad ea*, ut supra, omnibus, & singulis utriusque sexus Confratribus prædictis verè pœnitentibus, & confessis, qui quartâ Dominicâ cujuslibet mensis, cessante legitimo impedimento, dictæ Processioni interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem; ac eisdem Confratribus Missæ solemni quartâ Dominicâ cujuslibet mensis ad Altare Confraternitatis, ac etiam privatæ Missæ in Oratorio, sive Altari ejusdem Confraternitatis dictâ quartâ Dominicâ celebrari solitis interessentibus, ac inibi pro Rom. Pont. conservatione, & exaltatione Sedis Apostolicæ, & unione Principum Christianorum, hæresiumque extirpatione pias ad Deum preces effundentibus, centum dies de injunctis eis; aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino concedit, & relaxat. Eandem plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem in Processione præfatæ Dominicæ elargitur idem Gregor. *XIII.* in Brevi *Reddituri*, ut supra, verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, & ut præfertur orantibus. Plenariam pariter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem idem Gregor. *XIII. Ad augendam*, ut supra, præfatis omnibus utriusque sexus dictæ Confraternitatis Confratribus, quando pœnitentes, & confessi, & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refecti Processionem semel in mense celebrabunt, misericorditer in Domino perpetuò concedit.

Secundò. Gregor. *XIII. Etsi cunctæ*, ut supra, eisdem associantibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, aut qui infirmitate impediti id facere nequiverint, campanæ ad id signo dato genuflexi, si commodè potuerint, ter Orationem Dominicam pro eodem Infirmo recitaverint, centum dies; Deinde ipsius utriusque sexus Confratribus, qui Processioni in festivitate Sanctæ Monicæ fieri solitæ interfuerint, etiam centum dies; Præterea idem Pontifex in alio *Reddituri*, ut supra, Confratribus præfatis, qui ad Processiones faciendas convenerint, etiam sexaginta dies de eis injunctis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxat.

In exercitio piorum operum. Et *Primò* omnibus utriusque sexus Confratribus, qui dederint secundùm propriam eorum devotionem aliquam Eleemonysam pro reparatione, & ædificatione Domorum, & sustentatione Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini, sive Capellæ vel Altaris, aut Oratorii Confraternitatis (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies, &c.) conceditur facultas, quòd possint eligere Confessorem idoneum Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis Religiosum ab Ordinario, utrumque ut supra, approbatum, qui eorum confessionibus diligenter auditis pro commissis per eos excessibus, criminibus, delictis, quantumcumque gravibus, & omissionibus horarum canonicarum, & à censuris, & pœnis quâvis causa, vel occasione latis (exceptis casibus reservatis ad formam Constitutionis *Quæcumque* Clementis *VIII.* ut supra) toties quoties opus fuerit, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint semel in vita, & semel in mortis articulo, plenariam remissionem omnium peccatorum ipsis in sinceritate fidei, unitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia, & devotione Romanorum Pontificum persistentibus impendere, ac pœnitentiam salutarem injungere valeant, & si forsan contingat, personas præfatas sine Confessione decedere, dummodò aliqua signa contritionis ante obitum eorum in eis apparuerint, vel morte repentina ab hac luce subtracti fuerint, etiam plenariam absolutionem, & remissionem hujusmodi consequuntur; quòd si dederint eandem, ut supra, Eleemosynam pro defuncto (seu ex Indulto Gregorii *XIII.* &c.) verè pœnitentes, & confessi eandem Indulgentiam consequuntur; ita quòd plenaria Indulgantia hujusmodi pro plenissima relaxatione pœnarum, quibus in Purgatorio igne sunt expositæ animæ defunctorum, suffragetur, prædictique Confratres benefactores Confraternitatis, tam vivi, quàm defuncti, fiunt participes in perpetuum in peregrinationibus, & stationibus Terræ Sanctæ, & liminum Apostolorum Petri, & Pauli, & Jacobi in Compostella, & in omnibus suffragiis, precibus, eleemosynis, jejuniis, orationibus, disciplinis, & cæteris omnibus spiritualibus bonis, quæ fient, & fieri poterunt per Fratres dicti Ordinis, & in tota Sacrosancta militante Ecclesia, & in omnibus membris ejusdem. Sixtus *IV. Inter præcipuas,* Anno Incarnationis Dominicæ MCDLXXVII. VI. Kalend. Decembris, Pontificatus anno septimo.

Secundò. Prædictis Confratribus existentibus Procuratoribus dicti Ordinis sive Confraternitatis centum anni, & facientibus Eleemosynam eidem Ordini, sive Confraternitati (Ex Indulto Gregorii *XIII.* quinquies &c.) quadraginta anni conceduntur Indulgentiæ. Martin. *IV. ex Transumpto Oscensi* ut supra. Præterea Gregorius *XIII. Etsi cunctæ*, etiam ut supra eisdem Confratribus, quoties Divinis Officiis in Capella, aut Oratorio Confraternitatis celebrandis, aut Congregationibus, vel Orationibus per eosdem Confratres, & Sorores fieri solitis interfuerint, vel ex alio casu præstiterint auxilium, consilium, vel favorem, centum dies; Et in alio *Reddituri*, etiam ut supra, iisdem qui ad Divina Officia recitanda, mortuos sepeliendos convenerint, aut infirmos, & carceratos visitaverint, Sexaginta dies de eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxat.

Tertiò, & ultimò. Præfati Confratres, & Consorores gaudent non solùm omnibus Indulgentiis, quæ directè concessæ fuerunt toti Ordini Eremitarum S. Augustini ex præfatis Constitutionibus Apostolicis, verùm & quibuscunque aliis, quas eidem Ordini concesserunt per communicationem cum Ordinibus Prædicatorum, & Minorum Sixtus IV. in Mari Magno *Dum fructus uberes*, VII. Id. Februar. MCDLXXIV.; Prædicatorum atque Carmelitarum, & Servorum Julii *II. Etsi* die XVII. Junii MDVIII. Cum Mendican-

ANNO 1675.

tibus omnibus idem Julius *Religionem Vestram*, die trigesima Junii MDVIII. Cum aliis Ordinibus & Congregationibus, idem Julius *Nihil est*, die XXIV. Septembris MDVIII. Cum iisdem Ordinibus omnibus universalissimè Alexandri *VI. Sacræ Religionis*, die VIII. Martii MCDXCVII. Leo X. *In rerum*, die X. Junii MDXIII. & Gregorius *XIII. Ad augendam* ut supra; tum etiam Clemens *VII. Romanus Pontifex*, die ultima Octobris MDXXX. per communicationem cum prædicto Ordine Eremit. & cum Ordinibus omnibus, eorumque Confraternitatibus in amplissima forma sub his verbis. Ipsosque Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domos, Ecclesias, & alia loca Religionis hujusmodi, omnibus, & singulis Privilegiis, Exemptionibus, Indultis, & Gratiis quibusviis dicti, & aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, etiam de Observantia nuncupatorum, ac Ordinis Prædicatorum, Carmelitarum, Beatæ Mariæ Servorum, ac Minimorum, & aliorum quorumcumque Ordinum Fratribus, & Personis, ac Congregationibus, Confraternitatibus, illorumque Ecclesiis, Oratoriis, Domibus, & aliis piis locis, illorumque Prioribus, Fratribus, & Sororibus, conversis, & oblatis, corrigiatis, mantellatis, & de Pœnitentia nuncupatorum, & aliis utriusque sexus personis per eosdem Prædecessores, ac etiam per Nos quomodolibet, etiam vivæ vocis oraculo in genere concessis, & imposterum forsan concedendis &c. uti, frui, & gaudere posse, & debere in omnibus, & per omnia, perinde ac si Tibi, & Ordini tuo, ac Fratribus, Monasteriis, Ecclesiis, & Locis ejusdem Ordinis tui concessa fuissent, scientia, auctoritate, & tenore præfatis etiam decernimus. Et cum eodem Ordine Eremitarum S. Augustini tantùm Julius *II.* die 2. Julii MDXII. in Brevi *Præ cæteris*, his verbis. Declarantes insuper tres superiores ejusdem Ordinis gradus, videlicet Fratres, Moniales, & Mantellatos, quòd omnibus, & singulis Privilegiis, gratiis, & indultis, quæ in Mari Magno, seu aliis concessionibus, tàm per Nos, quàm per alios Romanos Pontifices Prædecessores nostros Ordini antedicto concessis continentur, & expressa sunt, integrè perfrui debeant, & possint, sed quarti gradus utriusque sexus personæ, quibus zonam dari consuetum est, Indulgentiis tantùm gaudeant. Hoc iisdem ferè verbis habet Leo X. die X. Maji MDXIII. *Præ cæteris*; quarum vigore litterarum Apostolicarum, omissis iis, quæ dictis Indulgentiis sunt consimiles, aliisque pluribus, selectæ sunt infra scriptæ Indulgentiæ.

Prædictis Confratribus, & Consororibus verè pœnitentibus, & confessis, seu firmum confitendi propositum habentibus, qui Capellam, sive Altare Confraternitatis singulis diebus Dominicis cujuslibet Quadragesimæ, ac in Resurrectionis, & Ascensionis D. N. I. C. ac Pentecostes, & Sanctissimæ Trinitatis, & Nativitatis ejusdem D. N. I. C. festivitatum diebus à primis Vesperis singularum Dominicarum, seu dierum hujusmodi usque ad occasum Solis cujuslibet ipsarum devotè visitaverint, & ibidem ter Orationem Dominicam, toties Salutationem Angelicam recitaverint, plenaria, & vera omnium peccatorum suorum Indulgentia, & remissio; aliis verò singulis Dominicis diebus cujuslibet respectivè anni modo præfato visitantibus XXX. anni, & totidem quadragenæ de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxantur. Leo X. *Etsi cunctæ* MDXVIII. Kalend. Julii, Pont. anno VI. *Oracula vivæ vocis*.

ANNO 1675.

Vigore Constitutionis Julii *II. Religionem Vestram*, nec non Clementis *VII. Romæ Pontificis*, quibus conceditur communicatio privilegiorum cum aliis Ordinibus, etiam vivæ vocis oraculo, tam concessorum, quàm imposterum concedendorum.

Primò. Prædicti Confratres visitantes Altare Confraternitatis, & sex alia Altaria deputanda in Ecclesiis Ordinis, consequuntur eas Indulgentias, quas habere & consequi valerent & possent, si septem Ecclesias Privilegiatas inviserent, & adirent, quæ intra & extra Urbis Romæ mœnia constructæ reperiuntur. Pius V. *ex litteris Orig.* Joan. Pauli tit. Sancti Pancratii S. R. E. Cardinalis ab Ecclesia nuncupati sub Dat. Romæ anno MDLXXI. die vigesima quinta Novembris, Pontificatus ejusdem Pii V. anno VI.

Secundò. In omnibus diebus Communionis, quæ solet fieri in Ordine Fratrum Eremitarum S. Augustini, scilicet in prima Dominica Adventus, in die Nativitatis Domini nostri JEsu Christi, in die Epiphaniæ, in Purificatione Beatæ Mariæ Virginis, in prima, & quarta Dominica Quadragesimæ, in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis, feriâ quintâ in Cœna Domini, in Dominica Resurrectionis Domini, in Ascensione ejusdem, in die Sancto Pentecostes, in Festo Corporis Christi, in Nativitate Sancti Joannis Baptistæ, in Festo Apostolorum Petri, & Pauli, in Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, in Festo Sancti Augustini, in Nativitate ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, in Festo Sancti Michaelis Archangeli, & in solemnitate omnium Sanctorum, Prædicti utriusque sexus Corrigiatorum Confratres pœnitentes & confessi, & sacra Communi refecti, si post ipsam Communionem genibus flexis recitaverint Orationem, Deus omnium fidelium, &c. aut Orationem Dominicam, si prædictam nescierint, pro conservatione status Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, ex gratia, & concessione Sedis Apostolicæ plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam diebus prædictis consequentur.

Omnes supradictæ Indulgentiæ fuerunt approbatæ, confirmatæ, & innovatæ à diversis Pontificibus respectivè, nec non S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopis, Prælatis, ac Ministris pro manutentione commendatæ, inter quos præcipuè sunt sequentes.

Alexander *IV.* in Bulla *Odore suavi*, Idib. Julii. Pontificatus anno primo. Idem, & Nicolaus *III. ex Transumpto Oscensi* ut supra. Cœlestinus V. ex Bulla *Ex parte dilectorum*, Nonis Decem. anno primo. Urban. *VI.* in Bulla *Solet annuere*, XI. Kalen. Maij anno XI. Sixtus *IV.* in Bulla *Dum fructus uberes*, ut supra, item in Bulla *Inter præcipuas*, etiam ut supra, qui omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, concessiones, ac peccatorum plenarias remissiones, quocumque nomine nuncupata, & sub quibuscumque tenoribus eidem Ordini Fratrum Eremitarum Sancti Augustini illiusque Fratribus, & domibus quomodolibet concessa, sive à Sede Apostolica, sive à suis Prædecessoribus, & ea, quæ à quibusvis Prælatis, & personis Ecclesiasticis, & à Regibus, & Principibus, seu aliis Christi fidelibus indulta sunt, confirmavit. Julius *II.* in Bulla aurea *Dum fructus uberes*, ut supra, item in Brevi *Et si ad benè*, die XVII. Junii MDVIII. anno V. & in Brevi *Exigit*, die XXI. Julii MDXI. anno VIII. & in alio *Nihil est*, die XXIV. Septembris MDVIII. anno V. Leo X. *In rerum Christianarum*, X. Junii MDXIII. anno primo, & in Bulla *Solet annuere*, ut supra, & in Brevi *Licet spontè*,

die

die VI. Maji MDXIV. anno 11. Clemens *VII. Rom. Pontifex* pariter ut supra. Gregor. XV. in amplissima forma in Bulla *Injuncti nobis* III. Non. Junii MDCXXI. anno primo, post revocationem factam à Paulo V. *Cum certas*. Quæ quidem Bulla Greg. XV. à Sacra Congregatione Indulgentiarum, & Reliquiarum fuit diligenter examinata, eademque censuit nihil obstare, quò minùs Confratres Archiconfraternitatis Cincturatorum, eique aggregatarum Confraternitatum uti, & frui possint ac debeant omnibus, & singulis Indulgentiis in eadem Bulla confirmatis, & innovatis, non obstante præfata Pauli V. revocatione, ut ex decreto ejusdem Sac. Congregat. sub die XVII. Aprilis MDCLXXIII. patet.

Indulgentiæ pro cunctis utriusque sexus Christi fidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis, vel exercentibus opera pia.

Alexander *IV.* omnibus venientibus ad Prædicationem Fratrum Eremitarum S. Augustini centum, & octoginta dies concedit Indulgentiæ, ex Transumpto Oscensi ut supra. Martinus *IV.* & Joannes *XXII.* omnibus visitantibus dicti Ordinis Monasteria in omnibus festivitatibus Sanctorum, & Sanctarum dicti Ordinis, præcipuè B. Augustini & Beatæ Monicæ Matris ejus, & per Octavas ipsarum, & Translationibus & Conversione Sancti Augustini, pro qualibet ipsarum festivitatum concedit quadraginta annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ. Nicolaus Tertius supradictas Indulgentias, & in aliis anni diebus pro qualibet die concedit centum dies Indulgentiæ, & adhuc remittit omnibus morientibus in habitu S. Augustini, si elegerint sepeliri in dicto habitu, quartam partem suorum peccatorum. Hoc idem Clemens *IV.* concedit de habitu, ex transumpto ut supra. Nicolaus *IV. Licèt is.* VIII. Idus Februarii anno primo, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui in festivitatibus Assumptionis B. Mariæ Virginis, & S. Augustini Confessoris usque ad octo dies sequentes annis singulis cum devotione debita venerabiliter visitaverint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxat. Urbanus V. omnibus Benefactoribus Ordinis concedit suffragia, orationes, & bona facta per Fratres dicti Ordinis, & quæ fiunt per totam universalem Ecclesiam in perpetuum, in quibus vult, ut sint participes tam vivi, quàm defuncti.

Nobis propterea præfatus Josephus Episcopus dilectorum filiorum Nicolai Olivæ Prioris Generalis, ac totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur piis eorumdem Josephi Episcopi, ac Nicolai Prioris Generalis, & Fratrum dicti Ordinis votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositorum, qui Indulgentias in *Summarium* hujusmodi redactas promulgari posse censuerunt Consilio, Summarium præinsertum, omniaque, & singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & quatenus opus sit, omnes & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, & pœnitentiarum relaxationes in eodem Summario expressas, de novo eadem auctoritate harum serie perpetuò concedimus, nec non præinsertum Summarium duntaxat, abrogatis reliquis omnibus Summariis Indulgentiarum Archiconfraternitati, & Confraternitatibus Cincturatorum hujusmodi concessarum ante hac editis, de cætero publicari, atque servari debere decernimus, & declaramus.

Præterea omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem, vel aliquam ex Confraternitatibus illi jam aggregatis, & impostерum quandocumque aggregandis de cætero ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Utque omnes, & singulæ Indulgentiæ præfatæ animabus Christi fidelium, quæ Deo in charitate cunjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, indulgemus.

Et quia præcipua principalisque solemnitas Archiconfraternitatis, & Confraternitatum præfatarum, ex concessione dicti Gregorii *XIII.* Prædecessoris per quasdam suas litteras, quarum initium *Cupientes &c.* die XX. Novembris. MDLXXVI. expeditas (ut asseritur) facta cum Processione quotannis primâ Dominicâ Adventus communiter celebrari consuevit, ipsarumque Archiconfraternitatis, & Confraternitatum Confratribus, & Consororibus, qui Processioni hujusmodi intersunt, & injuncta pietatis opera adimplent, plenaria Indulgentia concessa reperitur. Nos specialem eisdem Confratribus, & Consororibus, quibus dicta dies Dominica minus commoda esse dicitur, gratiam facere volentes, Solemnitatem, ac Processionem, & Indulgentiam plenariam hujusmodi à dicta prima Dominica Adventus ad Dominicam primam post festum Sancti Augustini, servatâ tamen in reliquis earundem Gregorii *XIII.* Prædecessoris litterarum formâ, & dispositione, ac sine ullo specialium Indultorum Apostolicorum, per quæ nonnulis ex dictis Confraternitatibus dies proprii pro ejusmodi solemnitate celebranda assignati sint, præjudicio, auctoritate, & tenore prædictis transferimus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus per-

Anno 1678.

sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCLXXV. Pontificatus nostri anno quinto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

I. G. Slusius.

Decretum Sacræ Congregationis

Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ.

CUm Summarium Indulgentiarum Archiconfraternitatis Cincturatorum Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ sub invocatione Beatæ Virginis MARIÆ de Consolatione, erectæ Bononiæ, fuerit à Sacra Congregatione recognitum die 11. Septembris 1674. & à fel. rec. Clemente X. confirmatum, ac Brevi insertum, quod incipit, *Ex injuncto nobis &c.* dato die 27. Martii 1675. nihil obstat, quò minus possit seorsum à Brevi iterum imprimi, & ubique promulgari; & Indulgentia præsertim ibidem expressa à Bonifacio IX. in Dominica Festum S. Nicolai de Tolentino proximè sequente concessa, quam nonnulli satis non advertentes eandem esse arbitrantur ac illam in novissimo Decreto hujus Congregationis lato die 7. Martii 1678. adnumeratam apocryphis, & falsis; cùm tamen *Die, aliisque circumstantiis* ab ipsa diversa sit. Romæ die 5. Julii 1678.

A. Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Sacr. Congr. Secr.

Anno 1676.

INNOCENTIUS UNDECIMUS,

PONTIFEX CCXLIV.

ANNO DOMINI MDCLXXVI.

INnocentius Comensis, anteà Benedictus Odeschalchus Anno 1676. Pontifex renunciatus. Vitâ, moribusque integerrimis, alienus à suis, Pauperibus addictus. Christianorum armis contrà Turcas ingenti pecuniâ prestò fuit. Queis devictis in rei memoriam Festum S. Nominis Mariæ quotannis celebrari jussit. Ludovicum XIV. Galliæ Regem infensum habuit. Michaelis Molinos Hispani Quietistarum Antesignani errores diris devovit. Obiit Anno 1689. cum annum decimum tertium regnaret. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 1. App.*)

Ex Calvorii hist. Schysm. pag. 577.

Damnatio Propositionum, & Errorum Michaelis Molinos: Anno 1687.

Anno 1687.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

COelestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum, à potestate Diaboli, sub qua miserè post lapsum primi nostri parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos charitatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est. Mox rediturus in Cœlum Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tanquam novam Civitatem, Sanctam Jerusalem, descendentem de Cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam sanctamque in Terris relinquens, armis suæ potentiæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam, ab ipsius ore haustam, sartam tectamque custodirent, ne Oves pretioso sanguine suo redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè Beato Petro mandasse nos Sacræ Litteræ docent. Cui enim Apostolorum nisi Petro dixit: Pasce oves meas? Et rursus, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Quare Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis Consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ à Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad consummationem seculi permansuram esse promisit.

Cùm igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata, tum verbo tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & usum à Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles à vera Religione, & à Christianæ pietatis praxi in maximos errores & turpissima quæque inducebant; Nos, cui cordi semper fuit, ut Fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tutò pervenire possint, legitimis præcedentibus judiciis, prædictum Michaëlem de Molinos Carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce, tum scripto susceptis, maturéque perpensis, imploratâ etiam Sancti Spiritus assistentiâ, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infrascriptorum propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, à quo fuerant pro suis recognitæ, & de quibus propositionibus tanquam à se dictatis, scriptis communicatis, & creditis ipse convictus, & respectivè confessus fuerat, ut latiùs in processu, & Decreto de Mandato nostro lato die 28. Augusti anni præsentis 1687. patet, devenire, ut infra, decrevimus.

PROPOSITIONES.

I. Oportet Hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna.

II. Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & posteà permanere, velut Corpus exanime.

III. Vota de aliquo facienda sunt perfectionis impedimenta.

IV. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis.

V. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinitata: Et Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una tantùm: Et hâc ratione vivit Deus, & regnat in nobis, & anima se ipsam annihilat in esse operativo.

VI. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere; Et hoc modo rectè proceditur.

VII. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.

VIII. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; Nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet, ut corpus exanime, manere.

IX. Non debet anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscunque rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

X. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodò non adsit voluntas scandalizandi: & ad proprios defectus non posse reflectere gratia Dei est.

XI. Ad dubia, quæ occurrunt, an rectè procedatur necne, non opus est reflectere.

XII. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso: Nec debet desiderium habere propriæ Perfectionis, nec Virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ Salutis, cujus spem purgare debet.

XIII. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

XIV. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cùm sit actus propriæ voluntatis, & electionis: Et est velle, quòd divina voluntas nostræ conformetur, & illud Evangelii: Petite, & accipietis: Non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; Imò hujusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.

XV. Sicut non debet à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debet, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

XVI. Non convenit Indulgentias quærere pro pœnâ propriis peccatis debitâ, quia melius est divinæ Justitiæ satisfacere, quàm divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostro interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

XVII. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ, etsi natura commovetur, oportet sinere, quia est natura.

XVIII. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in Spiritu, & Veritate.

XIX. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

XX. Asserere, quòd in Creatione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantiæ est: Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eam non impedit.

XXI. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscunque cogitationis particularis, ac distinctionis attributorum Dei, ac Trinitatis; Et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

XXII. Cognitio hæc per fidem non est actus à Creatura productus, sed est cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec posteà cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de amore.

XXIII. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper in 1. sistit, nunquam ad 2. pertransit: Qui semper in 2. persistit, nunquam ad 3. pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodò Deus animam non trahat (absque eo, quòd ipsa id expectet) ad contemplationam infusam: Et hâc cessante, anima regredi debet ad 3. gradum, & in ipso permanere, absque eo, quod ampliùs redeat ad secundum, aut primum.

XXIV. Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei, imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

XXV. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis, quia oratio, & resignatio, resignatio & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

XXVI. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet interna.

XXVII. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum; Et malè agit, cùm eam desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tàm in locis sacris, quàm in diebus solennibus.

XXVIII. Tædium bonorum spiritualium bonum est, siquidem purgatur amor proprius.

XXIX. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullam in se ipsâ sentiens fervorem, bonum signum est.

XXX. Totum sensibile, quòd experimur in vitâ spirituali, est abominabile, spurcum & immundum.

XXXI. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci; Opus est amittere virtutes.

XXXII. Nec antè, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro istis animabus internis, quam permanentia in solitâ resignatione passivâ, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & fiunt in vitâ ordinaria: Et in hâc occa-

ANNO 1687.

occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiam actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse in impulsu speciali Dei, aliàs sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

XXXIII. Malè agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solennibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi; Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

XXXIV. Verbis & linguâ Deo gratias agere non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis, & quò magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu *Pater noster* recitare.

XXXV. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate: Aliàs non essent mortuæ, nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; Quia cum ista sensibilia sunt objecta, talis est amor erga illa.

XXXVI. Nulla Creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro Corde, quia solus Deus vult illud occupare & possidere.

XXXVII. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione remanere.

XXXVIII. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

XXXIX. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

XL. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior: Igitur ad Sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

XLI. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis etiam acceptitiis, Dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actusque carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physicè illis manus, & alia membra contra earum voluntatem, & idem dicitur quoad illos actus per se peccaminosos, in quo earum non sunt peccata, quia in his non adest consensus.

XLII. Potest dari casus, quo hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum Personarum, scilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

XLIII. Deus præteritis temporibus Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, annihilent, & se Deo resignent.

XLIV. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex Dæmonis violentia.

XLV. Sanctus Paulus hujusmodi Dæmonis violentias in suo corpore passus est: Unde scripsit: Non quod volo bonum hoc ago; Sed quod nolo malum hoc facio.

XLVI. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandum animam, & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via, & hæc est via facilior, & tutior.

XLVII. Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet Homo in suo nihilo: Et etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscæni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foràs emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magis candida, & acquiritur sancta libertas, & præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissimè fit non confitendo, quia hoc pacto superatur Dæmon & acquiritur Thesaurus pacis.

ANNO 1687.

XLVIII. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulteriùs progrediatur: Unde ad ejus vires enervandas, meliùs est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

XLIX. Job ex violentia Dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quò mundas habebat ad Deum preces: Sic interpretando locum ex cap. Job. XVI.

L. David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur, harum impurarum operationum externarum.

LI. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuissent, de Juditha, quæ Holopherni mentita fuit; De Elisæo, qui pueris maledixit; De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab; An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel ministerio Dæmonum, ut aliis animabus contigit, in dubio relinquitur.

LII. Cùm hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, ut de facto semper unitur.

LIII. Sed cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis Personis fuerit violentia; Regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum aliarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod non his consenserint, & videre, quòd sint animæ, quæ proficiunt in via externa, sed regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ, & Theologicâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum interna certitudine, quòd talis operatio est violentia: Et certus sum, quod hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: Eo modo, quò interdùm contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quòd ipse sit, qui revelet, & anima in contrarium non potest dubitare.

LIV. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

LV. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentiâ ad purgandas, & extinguendas omnes passiones; Ita quod nihil ampliùs sentitur, nihil, nihil: Nec ultra sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se ampliùs commoveri sinit.

LVI. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quamdiù perdurat amor proprius: Unde quando purgatus est & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt ampliùs duæ illæ leges, & duæ cupiditates, nec ulteriùs lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

LVII. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi ampliùs peccata nec mortalia, nec venialia.

LVIII. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo ampliùs ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

LIX. Vita interna sejuncta est à Confessione, à Confessariis, à Casibus conscientiæ, à Theologia, & à Philosophia.

LX. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tantâ gratiâ præservante, quantam in Sacramento reciperent; Et ideò hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile.

LXI. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest ampliùs aliud velle quàm quod Deus vult, quia non habet ampliùs voluntatem, & Deus eam illi abstulit.

LXII. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum, quin imò signum, quòd quis in statu nihilitatis maneat, id est, mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent ampliùs res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas applicet.

LXIII. Per viam internam pervenitur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili.

LXIV. Theologus minorem dispositionem habet quam rudis Homo ad statum contemplativum: Primò, quia non habet fidem adeo puram: Secundò, quia non est adeo humilis: Tertiò, quia non adeo curat propriam Salutem: Quartò, quia caput habet refectum phantasmatibus, speciebus, opinionibus, speculationibus: Et non potest in illum ingredi verum lumen.

LXV. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodò ad exterius pertingit: In interiore verò res aliter se habet, quò solus Deus & Director intrant.

LXVI. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quòd anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, quòd si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat, novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Autores eam unquam tradiderunt nec tradere possunt; Quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcunque sibi bene visum.

LXVII. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quòd peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & simulationibus.

LXVIII. In mundo non est facultas nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ.

Quas quidem propositiones tanquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christiane Disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas, respectivè, ac quæcunque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorundem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & Inquisitorum Generalium damnavimus, proscripsimus, & abolevimus; Deque eisdem, & similibus omnibus & singulis posthac quoque modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscunque interdiximus, & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis ipso facto perpetuò privavimus, & inhabiles ad quæcunque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, à quo nisi à Nobis, & à Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi.

Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocunque loco & idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem Michaëlis de Molinos, vetuimusque, ne quis cujuscunque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali notâ dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine, ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneantur, sub eisdem pœnis superius inflictis, qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem, ut prædictus Michaël de Molinos ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis Filiis Consultoribus nostris sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, & in Jure Pontificio Magistris, cum eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michaëlem de Molinos, tanquam reum convictum, & confessum respectivè, & uti hæreticum formalem, licèt pœnitentem, in pœnam arcti, & perpetui Carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato Juris ordine, damnavimus: Mandantes, ut die, & horâ præfigendis in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam hujus almæ urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processûs, stante in suggestu eodem Michaële de Molinos, una cum sententia inde sequuta legeretur: Et postquam idem de Molinos habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreses publicè abjurasset, facultatem dedimus dilecto Filio nostri Sancti Officii Commissario, ut eum à censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret; Quæ omnia in executionem dictæ nostræ ordinationis die tertia Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licèt supranarratum Decretum de mandato nostro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominùs, ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam Salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione supradictum Decretum denuò approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum supradictas propositiones definitivè damnantes, & reprobantes, librosque, & manuscripta ejusdem Michaëlis de Molinos prohibentes, & interdicentes sub eisdem pœnis & censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernentes

ANNO 1690.

Decernentes insuper præsentès literas semper & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Sicque per quoscunque Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, quicquid secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem Fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo, duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Datarius. J. F. Albanus.

Visa de Curia.

S. de Pilastris.

Registrata in Secretaria Brevium.

D. Ciampinus.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Indictione undecimâ, die verò 19. Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ XI. anno ejus duodecimo, præsentes literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum S. S. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

ANNO 1689.

ALEXANDER OCTAVUS,

PONTIFEX CCXLV.

ANNO DOMINI MDCLXXXIX.

ALexander antea dictus Petrus Ottobonus an. 1689. Pontifex renunciatur. Romanam Ecclesiam Menses sexdecim administravit: Molinismi reliquias delere sategit: Plures Sanctorum Albo adscripsit. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 79. App.*

ANNO 1690. Ex Berni Istoria dell'Eresi: Tom. 4.

Proscriptio Actuum editorum à Clero Gallicano pro declaranda Ecclesiastica Potestate an. 1682. sub Innocentio XI. quos hîc prius referre placuit: an. 1690.

IV. PROPOSITIONES.

I. Beato Petro ejusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium, & ad æternam Salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam potestatem, C. Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate Clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, ac obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse &c.

II. Sic inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant S. Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua Religione custodita Decreta, de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quanta, & quinta continentur &c.

III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos &c.

IV. In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere: Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

REGIS DECRETUM.

Ut eæ Propositiones in universa ditione, & Provinciis, atque Academiis Regnorum suorum defendantur, neque quisquam gradum aliquem literarum in Theologia, aut Jure Canonico accipiat, nisi jurata prius earum defensione.

Hæ sunt Propositiones Cleri cum Decreto Regio, sequitur statim Bulla Alexandri Papæ VIII. ubi earundem proscriptio continetur.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, &c.

INter multiplices Pastoralis Officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicæ Sedis, ac universalis Ecclesiæ, nec non etiam singularum Ecclesiarum, Locorumque, ac Personarum Ecclesiasticarum Jura, ubique sartatecta ac illibata tueri, & conservare, eaque adversus quæcunque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri posset, traditâ Nobis divinitùs potestate, vindicare satagamus, omnibus maturè ac debitè pensatis, justitiæ ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Cùm itaque, ex quo primùm humilitatem nostram inscrutabili divinæ suæ providentiæ arcano in suprema militantis Ecclesiæ specula collocavit Altissimus, præ cæteris, quæ Pontificiæ nostræ sollicitudini sese obtulere, negotiis, illa in primis gravissima in Nobis

qui

qui chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Ludovicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, ac florentiſſimum illius Regnum in viſceribus gerimus charitatis, permoleſta, & planè acerba acciderint, quæ ſive adverſus dicti Regni Eccleſiarum Jura, ſive adverſus Romani Pontificis, & Eccleſiæ univerſæ auctoritatem, nonnulli Venerabiles Fratres Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii ejusdem Regni Eccleſiaſtici Viri in Comitiis Cleri Gallicani Pariſiis an. 1682. congregati, tum præſtito inibi per eos extenſioni illius Juris, quod vocant Regaliæ, ad omnes dicti Regni Eccleſias aſſenſu, tum edita ſubinde de poteſtate Eccleſiaſtica quatuor propoſitiones continente declaratione peregerunt, quæque ipſa Comitia ſubſecuta fuerunt mandata, arreſta, confirmationes, declarationes, Epiſtolæ, Edicta, & Decreta quæcunque à quibusvis Perſonis, Eccleſiaſticis ſive Laïcis quavis auctoritate, & poteſtate fungentibus, edita, ſeu publicata, nec non quæ aliàs nonnullis ab hinc annis in Regno præfato eidem Sedi Apoſtolicæ Romanæque Eccleſiæ, ſeu quibuscunque aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & Locis piis, illorumque reſpectivè Perſonis, rebus, bonis, & juribus, ſeu aliàs Jurisdictioni, immunitati, aut libertati Eccleſiaſticæ quomodolibet præjudicialia quovis modo peracta, ac geſta fuerunt. Hæc nos, qui Jurium Eccleſiaſticorum aſſertores in terris à Domino conſtituti ſumus, dies, noctesque in amaritudine animæ noſtræ cogitantes manus noſtras cum lacrymis, & ſuſpiriis levavimus ad Dominum, eumque toto cordis affectu rogavimus, ut Nobis potenti gratiæ ſuæ auxilio adeſſet, quò in re tam ardua commiſſi noſtri Apoſtolici muneris partes ſalubriter exequi valeremus: Eaque conſideratione adducti, ac ne ſupremo Judici rationem villicationis noſtræ reddituri, negligentiæ in credità nobis adminiſtratione argueremur (quantum divina bonitas dedit) nihil hucusque prætermiſimus, quò præjudicialia præfata ab iismet, qui ea peregerant, ex animo retractarentur. Verùm quò efficaciùs, ac uberiùs Sedis præfatæ, Eccleſiæ univerſæ, Jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis Eccleſiaſticæ, Eccleſiarumque, Monaſteriorum, & Locorum piorum hujusmodi, illarumque Perſonarum præfatarum indemnitati perpetuis futuris temporibus conſultum ſit, auditis quam plurium ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & nonnullorum in Sacra Theologia Magiſtrorum, ac etiam in Decretis Doctorum ad examen negotiis hujusmodi à nobis ſpecialiter delectorum, qui illud maturè diſcuſſerunt, remque totam nobis expoſuerunt, Sententiis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris noſtri, qui in occaſione reſcribendi ad litteras, quibus Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Viri ſupradicti de rebus ab ipſis geſtis certiorem eum reddiderant, per quasdam ſuas in ſimili forma Brevis die 11. Aprilis 1682. expeditas literas improbavit, reſcidit, & caſſavit, quæ in dictis Comitiis acta fuerant in negotio Regaliæ cum omnibus inde ſequutis, & quæ ſubinde attentari contigiſſet, eaque perpetuò irrita, & inania declaravit, veſtigiis inhærentes; Nec non in dictis Comitiis anni 1682. circa extenſionem Juris Regaliæ, quam circa declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica hujusmodi actorum, ac etiam omnium, & ſingulorum Mandatorum, Arreſtorum, Confirmationum, Declarationum, Epiſtolarum, Edictorum, Decretorum quâvis authoritate ſive Eccleſiaſticâ, ſive etiam Laïcali editorum, ſeu publicatorum, nec non aliorum quomodolibet præjudicialium præfatorum in Regno ſupradicto quandocunque ex quacunque cauſa, & quovis modo factorum, & geſtorum, ac inſecutorum quorumcunque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem de neceſſitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, & exactiſſimè ſpecificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula, quæ tam quoad extenſionem Juris Regaliæ, quam quoad declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica, ac quatuor in ea contentas propoſitiones in ſupradictis Comitiis Cleri Gallicani an 1682. habitis acta, & geſta fuerunt, cum omnibus, & ſingulis mandatis, aſſertis, confirmationibus. declarationibus, epiſtolis, edictis, & decretis à quibusvis Perſonis, ſive Eccleſiaſticis, ſive Laïcis quomodolibet qualificatis, quâvis authoritate & poteſtate, etiam individuam poſſeſſionem requirente, fungentibus, editis, ſeu publicatis, nec non reliqua omnia quæcunque, & qualiacunque eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ, vel Jurisdictioni, immunitati, vel libertati Eccleſiaſticæ, ſeu aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & Locis piis præfatis, illorumque reſpectivè & perſonis, rebus, bonis, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuscunque quomodolibet præjudicialia in dicto Regno peracta, & geſta cum omnibus, & ſingulis quandocunque inde ſecutis, & quocunque tempore ſequuturis, ipſo Jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque & effectu penitùs & omninò vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, vel titulum etiam coloratum, vel poſſidendi, aut præſcribendi cauſam, etiamſi longiſſimi, vel immemorabilis temporis poſſeſſione, citra ullam interpellationem, vel interruptionem ſubſecuta ſit, vel ſubſequatur, acquiſitum fuiſſe, nec eſſe, minusque ullo tempore acquiri, & competere poſſe, neque illa ullum ſtatum facere, vel feciſſe, ſed perinde ac ſi nunquam emanaſſent, vel facta fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere, tenore præſentium declaramus, & decernimus, & nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, acta, & geſta præfata, aliaque præmiſſa omnia, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus improbamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitùs, & omninò vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo proteſtamur. Decernentes easdem præſentes literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicunque in præmiſſis intereſſe habentes, etiam ſpecifica, & individua mentione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocari, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacunque cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium, vel habere prætendentium conſenſûs, aliove quocunque, etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite à jure vel facto, aut ſtatuto, conſuetudine, vel privilegio reſultante notari, impugnari, invalidari, retractari, in con-

ANNO 1690.

troversiam vocari, seu ad terminos Juris reduci ullatenus posse; Sed ipsas præsentes literas semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore quandocunque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quâcunque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, Generalibus vel Specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de Jure quæsito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, & literis Apostolicis quibuscunque locis, & personis, etiam regali, & aliàs quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, & pluries iteratis, & quantiscunque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum & gentium in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die quarta Augusti 1690. Pontificatus nostri anno primo.

ANNO 1691.

BREVE ejusdem Pontificis ad LUDOVICUM Francorum Regem.

Charissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo.

ALEXANDER PP. VIII.

Charissime in Christo Fili noster, Salutem &c.

CUm in summopere metuendo mortalis hujus vitæ confinio constituti, de reddenda Judici districto & pulsanti, demandatæ nobis in Ecclesia Dei supremæ administrationis ratione seriò cogitemus, nostrarum esse partium omninò duximus, irrita atque inania declarare omnia, quæ aliquot ab hinc annis in isto Regno tuo, sive adversus Ecclesiarum ejusdem Regni, Personarumque, & Locorum Ecclesiasticorum Jura, sive aliàs adversus Romani Pontificis, Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque universæ authoritatem acta, gesta, & respectivè pronunciata fuerunt, quæque inde quomodocunque secuta, & secutura sunt, sicuti ex Brevi hac super re edito manifestè apparet. Quia verò nullis concluditur finibus charitas, quâ Majestatem tuam complexi semper sumus, & complectimur, susceptam à nobis perquam necessariam hujusmodi deliberationem hisce tibi significamus, effuso cum paterni cordis affectu, etiam atque etiam à te flagitantes, ut ipsam æqui, bonique habeas, ac ab universis prædicti Regni tui Ordinibus fideliter servari cures. Sanè ubi id præstes, quemadmodum à Filio suo primogenito præfata Sedes, & Ecclesia jure merito expectant, constantem tibi ab illo, per quem Reges regnant, secundorum eventuum faustitatem polliceri procul dubio poteris, dum nos sollicitudinem nostram firmâ hâc spe non parum levantes Majestati tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur.

Datum Romæ &c. die trigesima Januarii 1691.

ANNO 1691.

INNOCENTIUS DUODECIMUS,

PONTIFEX CCXLVI.

ANNO DOMINI MDCXCI.

INnocentius Neapolitanus, antea Antonius Pignatellus, in pauperes misericors, à suis alienissimus. Quamobrem Lateranense Palatium pauperibus curandis alendisque adscripsit; & Constitutionem edidit celebrem admodum, quâ Pontificum consanguineos Ecclesiæ bonis ditari interdixit. Ut Jus Romæ commodiùs redderetur, Tribunalia per Urbem dispersa unum in locum coëgit, Centumcellas Urbis Titulo donavit; Antium portum reædificandum curavit. Obiit anno 1700. Sedis Decimo (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 119. App.*)

I. Ex Calvorius Hist. Schism. p. 588.

Damnatio Libri Parisiis anno 1697. impressi, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure &c. anno 1699.*

INNOCENTIUS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quemdam

Gallico

Gallico Idiomate editum, cui titulus : *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure, par Messire Francois de Salignac Fenelon, Archevéque, Duc de Cambray, Precepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris ches Pierre Auboin, Pierry Emery; Charles Clousier,* 1697. Ingens verò subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeò percrebuerit, ut oportunam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, maturè, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porrò hi mandatis nostris obsequentes, postquam inquam plurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem libro exceptas diuturno, accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur tàm voce, quam scripto Nobis exposuerunt. Auditis igitur, in pluribus itidem coram Nobis desuper actis Congregationibus, memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum Sententiis: Dominici gregis nobis ab æterno Pastore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientiâ, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum, ubicunque, & quocunque alio idiomate, seu quàvis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum; Quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem Propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attentâ sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respectivè, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, recensionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specificâ, & individuâ mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicunque supradictum librum penes se habuerint, illum statim atque præsentes literæ ei innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omninò teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque &c. Cæterùm Propositiones in dicto librò contentæ, quas Apostolici censurâ Judicii, sicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico Idiomate in Latinum versæ sunt tenoris, qui sequitur; Videlicet

I. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum, habent ampliùs in eo partem. Non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

II. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris & spei.

III. Id quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo; Quod adeò durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeò potest illas scandalisare, aut in perturbationem conjicere.

IV. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet ampliùs desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse; Exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

V. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium; Sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas, impressione suæ gratiæ.

VI. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus ampliùs Salutem, ut Salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum, sed eam volumus voluntate plenâ, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

VII. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus à nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ Probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio, exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

VIII. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quàm maximè desinteressatis, circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

IX. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse, persuasione reflexâ, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se justè approbatam esse à Deo.

X. Tunc anima divisa à semetipsa expirat cum Christò in Cruce, dicens: *Deus Deus meus ut quid dereliquisti me*? In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii, quoad æternitatem.

XI. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse: Sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum.

XII. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.

XIII. Inferior Christi pars in Cruce non comunicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

XIV. In extremis probationibus, pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca, & involuntaria perturbatione: Nam totum, quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris.

XV. Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facilè distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitio amoris interessati.

XVI. Datur status contemplationis adeò sublimis, adeòque perfectæ, ut fiat habitualis; Ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis, primò in fervore nascentis earum contemplationis; Secundò anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis Probationibus.

XVIII. In statu passivo exercentur omnes vir-

tutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult: Et amor zelotypus simul efficit, ne quis ampliùs sibi virtutem velit, nec unquam sit adeò virtute præditus, quàm cum virtuti ampliùs affixus non est.

XIX. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & desinteressata, nec ipsum amorem velit ampliùs, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solùm quatenus est id, quod Deus à nobis vult.

XX. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum; Non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

XXI. Sancti mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

XXII. Quamvis hæc doctrina esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata; Antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

XXIII. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus faciliùs innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter & auctoritate præfatâ decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ generalis in Monte Citorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut sic publicatæ omnes & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus Fides, tàm in Judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam sub annulo Piscatoris, die 12. Martii, anno Christi 1696. Pontificatus nostri octavo.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1696. Indictione septimâ, die verò 13. Mensis Martii, Pontificatus autem SSmi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Innocentii divinâ providentiâ Papæ XII. anno ejus octavo, supradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis, & consuetis urbis, per me Franciscum Perinum, ejusdem SSmi D. N. Papæ Cursorem. Sebastian. Vasellus Mag. Curs.

Confirmatio, Innovatio, & extensio Constitutionis Alexandri VII. de datis, & promissis pro Justitia, vel Gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda: anno 1699.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SAcerdotalem, & Regiam Urbem nostram innumeris divinæ largitatis muneribus decoratam, quemadmodum inter omnes per universum terrarum Orbem Ecclesias solicitudini nostræ divinitus demandatas peculiari affectu diligimus; Sic mundam, & immaculatam custodire satagimus, ac omni, quo possumus, studio laboramus, agnoscentes profectò, quàm deceat, ut quæ per B. Petri Sedem Caput Orbis effecta est, exempla bonorum operum in corpus omne diffundat; Ibique potissimum charitatis, justitiæ, virtutumque omnium splendor effulgeat. ubi divinæ Fidei dispensantur oracula, & Christiani viget Sacerdotii Principatus.

Quoniam verò ejusdem Almæ Urbis, Romanæque Curiæ decori nihil æquè videtur officere, quam si Justitiæ, Gratiæque negotia, quæ magno numero indies ex omnibus Catholicæ Ecclesiæ partibus ad Sedem Apostolicam deferuntur, non ea, qua decet, integritate, & ab omni procul avaritiæ suspicione expediantur; Propterea fel. rec. Alexander Papa VII. Prædecessor noster nonnullorum Romanorum Pontificum, & signanter recol. me. Bonifacii VIII. & Gregorii XIII. pariter Prædecessorum vestigiis inhærendo, eorumque Apostolicas Constitutiones hac de re editas innovando, & ampliando, quasdam suas in forma Brevis desuper literas promulgavit, tenoris qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad perpetuam rei memoriam. Inter gravissimas, multiplicesque curas, quæ ex debito pastoralis officii humilitati nostræ divinitus commissi Nobis assiduè incumbunt, illam peculiari studio amplectimur, ut Justitiæ, & Gratiæ expeditiones, quæ apud Sedem Apostolicam indies obtinentur, ea, qua par est, rectitudine peragantur, nec pernicioso cujusquam circa illas excessu Romanæ Curiæ existimatio ullatenus lædatur, sed ipsa Curia in omnibus præclara semper splendeat laude integritatis, & abusus quicunque ab illa procul arceantur. Quapropter operæ pretium facturos Nos existimamus, si ea, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris simili Consilio providè sancita sunt, ut in posterum firmiùs observentur, innovemus, illaque declaremus, & extendamus, prout in Domino arbitramur rationi esse consentaneum.

Dudum siquidem emanarunt à fel. record. Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris literæ tenoris, qui sequitur, videlicet: Excommunicamus, & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive sint familiares Curiæ, sive alii undecunque, qui aliquod pactum fecerint, seu aliquid parvum, vel magnum promiserint, vel promissionem receperint, aut ex pacto, sive promissione occulta, vel manifesta facta sub generalibus, & plenariè non expressis, sive sub specialibus, & expressis apertè verbis quicquam dederint, aut receperint, magnum, vel parvum, vel promissionem de quacunque re, aut utilitate, propter hoc consequenda fecerint, vel receperint pro aliqua Justitia, sive Gratia pro se, aut pro alio in causis, vel Judiciis, seu aliàs per literas Apostolicas, & quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda.

Et hanc sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantes, & recipientes duximus extendendam.

Illos quoque, qui aliquem sciverint culpabilem in prædictis, & Nobis intra dierum trium spatium non retulerint, vel alicui, per quem ad Nos verbum fideliter perferatur, simili decernimus sententiæ subjacere.

Decernimus etiam, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam pro prædictis, vel aliquo prædictorum (absque speciali mandato) nostræ absolutionis Beneficium valeat obtinere; nisi forsan ad Nos habere accessum non posset in mortis articulo constitutus: nec etiam ad Absolutionis gratiam admittatur, nisi priùs, quantum dedit, vel recepit, integraliter pauperibus largiatur.

Justitiam verò, sive Gratiam sic obtentam nullius prorsus esse momenti volumus; omnique statuimus carere effectu, & robore firmitatis.

Sed & scienter utentes ipsis simili sententia excommunicationis adstringimus, & reservantes No-

bis

bis absolutionem eorum cum præmissis in omnibus ad pœnas similes obligamus.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatus nostri principio, quàm maximè possumus, enitimur, atque contendimus, ut Domus, & Curia nostra à sordibus expurgentur.

Cui salubri Consilio incumbens fel. rec. Bonifacius Papa VIII. excommunicavit, & anathematizavit omnes Clericos, Religiosos, & Laicos utriusque sexus, sive familiares Curiæ, sive undecunque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid parvum, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, sive sub verbis generalibus, & plenè non expressis, sive specialibus, & apertè expressis facta quicquam darent, aut reciperent pro Justitia, sive Gratia, sive pro se, sive pro alio in causis, vel judiciis, seu aliàs per litteras Apostolicas, & quibuscunque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiam ad promittentes, & acceptantes, dantesque, & recipientes duxit extendendam. Illos etiam, qui sibi intra triduum non renunciarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subiacere; ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis Articulo constitutus: Sed nec quisquam admitteretur ad Absolutionis gratiam, nisi priùs erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Justitiæ verò, sive Gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsus essent roboris, vel momenti; & scienter illis utentes simili sententia innodavit, ac reservans sibi absolutionem eorum cum prædictis ad pœnas similes in omnibus obligavit.

Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus adnixi, hujusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes, turpissimè nundinentur; alii alios, quos gratiâ præstare arbitrantur, donis, & pollicitationibus ambiant; quidam etiam se talium operam, atque industriam pretio, & muneribus quæsisse affingant; Quæ cùm pessima sint, & Curiæ prædictæ existimationem gravissimè offendant, in eos, qui talia agunt, animadvertendum fore arbitrati, Constitutionem prædictam cum suis censuris, & pœnis omnibus innovamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualecunque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis, & aliis supradictis auxilium, consilium, vel favorem.

Quin etiam eos omnes omni Beneficio, & Officio Ecclesiastico, & Sæculari, sive temporali, sive perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, & præterea infamiæ subjectos perpetuò, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo.

Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque, fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentensimo, septuagesimo quarto, Nonis Novembris, Pontificatus nostri Anno tertio.

Cùm autem subinde variæ vulgatæ fuerint prædictarum Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutionum interpretationes, quarum aliquæ ipsarum Constitutionum rigorem non sine earum utilitatis diminutione, & boni publici detrimento contra eorumdem Prædecessorum mentem nimiùm relaxant: hinc est, quòd Nos omnem, quæ circa præmissa in posterùm enasci posset, dubitationem tollere, & quamcunque speciem, suspicionem, & occasionem damnatæ per Constitutiones hujusmodi labis à Curia prædicta, quantùm Nobis ex alto conceditur, perpetuò excludere cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine easdem præinsertas Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones cum omnibus, & singulis censuris, & pœnis, ac aliis quomodolibet contentis in illis (sublata tamen revelandi obligatione) tenore præsentium perpetuò confirmamus, innovamus, & adversus quemcunque non usum, seu contrarium usum, qui quoquomodo prætendi posset, restituimus, & plenariè reintegramus.

Ac in eisdem Constitutionibus casus, in quibus aliquid promittitur, datur, accipitur, vel deponitur pro Justitia, vel Gratia, sive in spiritualibus, sive in temporalibus, & mixtis apud Sedem prædictam, & non solùm ab ipso Romano Pontifice, verùm etiam à quibuscunque ejus Ministris, Judicibus: & Officialibus, etiam Episcopis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & alia qualibet Ecclesiastica, vel mundana dignitate, & auctoritate præditis, & fungentibus, aut ab aliis gratia, vel favore pollentibus, etiam eidem Summo Pontifici consanguinitatis, seu affinitatis gradu quocunque conjunctis, seu attinentibus, etiam Laicis obtinenda in alma Urbe, aut in alio quocunque loco, in quo dictam Curiam esse contigerit, comprehendi decernimus, & declaramus.

Præterea Constitutiones hujusmodi non tantùm in actionibus jure naturali, & divino prohibitis, quia malæ sunt, sed etiam in aliis, quæ ideo malæ sunt, quia jure humano, & prædictis Apostolicis Constitutionibus, ac præsenti nostra interdicuntur, locum habere.

Necnon mediatores sive immediatos, sive mediatos quotquot, & quicunque sint, & quavis dignitate, præeminentia, auctoritate, favore, consanguinitate, atque affinitate, ut præmissum est, polleant, & præfulgeant.

Ac etiam promissiones, seu verba promissoria, dationes, & receptiones factas ob bonum finem comprehendere, nec earum dispositionem, ac pœnas evitari posse in casibus, in quibus esset suspicio mali.

Deinde illos etiam comprehendere, qui pro aliorum Justitia, vel Gratia quomodolibet impedienda, vel differenda aliquid dant, & recipiunt, vel deponunt, promittunt, seu pollicentur, unde aliis damnum, vexatio, vel molestia quomodocunque inferri, & resultare posset, & mediatores quoscunque immediatos, sive mediatos.

Insuper quæcunque verba, seu signa etiam æquivoca quovis modo apta inducere quamcunque obligationem justitiæ, aut fidelitatis in principali, seu mediatore, etiam sub titulo remunerationis, vel gratitudinis à Constitutionibus supradictis prohiberi.

Quinimo non licere quicquam promittere, dare, vel accipere quibuscunque Judicibus, Ministris, Officialibus, & aliis auctoritatem, aut potestatem habentibus, nec quibuscunque Mediatoribus pro defensione Juris quæsiti, sive executione quærendi, etiam ad redimendam injustam vexationem, motu, scientiâ, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore prædictis decernimus pariter, & declaramus.

Ad hæc dationes, promissiones, & acceptationes pro Guberniis, vel aliis quibuscunque Officiis, & muneribus etiam minoribus obtinendis, sive pro unica vice, sive in singulos annos, aut menses, vel aliter quomodocunque à Constitutionibus prædictis interdici, neque Judicibus, Ministris, ac Officialibus pro Gratia, vel Justitia obtinenda, etiam in his, quæ dependent ab eorum arbitrio, & ad quæ obligatione Justitiæ non tenentur, quicquam dare, aut promittere, nec ipsis accipere licere.

Neque etiam permissum esse Officialibus, vel Ministris dictæ Sedis in Provisionibus, seu earum occasione quorumcunque Officiorum, etiam jurisdi-

ctionem, vel ejus exercitium annexum non habentium imponere Pensionem ullam, responsionem, præstationem, vel onus, seu partem aliquam commodi, vel emolumenti ad sui, vel alicujus alterius cujuscunque favorem reservare, absque expressa, & speciali in singulis casibus nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis Licentia in scriptis in singulis casibus ab utraque parte obtinenda.

Insuper exigentes à partibus, vel aliis interesse habentibus, seu Agentibus, ac Mediatoribus quibuscunque pollicitationes, promissiones, pacta, vel recipientes aliquid sub assertione, quòd Judicum, Ministrorum, Officialium, aut Magnatum, seu aliorum quorumcunque operam, auctoritatem, vel Officia pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quæsiverint.

Nec non pollicitantes, promittentes, offerentes, ac tradere tentantes, licèt pollicitatio, promissio, & oblatio non fuerint acceptatæ, neque traditio secuta, nullumque habuerint effectum.

Ac etiam illos, qui, ex eo quòd gratias, & favores ipsis ob familiaritatem, obsequia, ac servitia propriis Dominis, vel aliis præstita debitos, seu ab ipsis speratos in aliorum cum propria ejusmodi juris, vel spei jactura commodum & Beneficium transferunt, convertunt, & impendunt, pro Gratia, seu Justitia pro eis obtinenda, aliquid recipiunt, sub memoratis Constitutionibus contineri, illarumque pœnis, & censuris subjectos esse.

Pro actuali verò labore circa expeditionem impetratorum non licere Officialibus, Curialibus, & aliis quibuscunque recipere, nec illis polliceri, promittere, vel cum eis pacisci, nisi mercedem labori convenientem.

Judicibus autem, Officialibus, & Ministris quibuscunque, quibus incumbit expeditio Gratiæ, minimè permitti quidquam recipere, neque illis polliceri, vel cum eis pacisci ultra taxas præscriptas, etiam ratione celerioris, aut facilioris expeditionis.

Quin etiam illicitum esse quidquam magnum, vel parvum Judicibus, ac Ministris quibuslibet offerre, promittere, pacisci, seu polliceri, dare, vel ipsis recipere mediatè, vel immediatè, etiam quod eorum animum movere non possit, pro Gratia, vel Justitia obtinenda.

Demum supradictarum Constitutionum Dispositionem, censuras, & pœnas non censeri abolitas, vel sublatas ob scientiam, patientiam, seu tolerantiam Romani Pontificis per quemcunque etiam longissimi temporis cursum, nisi speciali licentia, vel indulto in unoquoque casu à singulis partibus in scriptis particulariter obtinendo fuerint expressè remissæ, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore paribus decernimus, statuimus, & declaramus.

Præfatasque Constitutiones, ac censuras, & pœnas in eis contentas ad omnes, & singulos casus supra expressos, quatenus opus sit, extendimus, & ampliamus.

Præterea easdem Bonifacii, & Gregorii Prædecessorum Constitutiones per alteram piæ mem. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris pariter nostri, quæ incipit. Pro commissa, Anno Incarnationis Dominicæ 1592. decimo octavo Kalend. Septembris editam ad cæteras Ditionis temporalis S. R. E. Civitates, & loca immediate subjecta (præterquam quoad bona Communitatum) minimè extensas fuisse, neque per hanc nostram extendi; Sed eos quidem omninò comprehendere, qui in aliis locis ejusdem Status Ecclesiastici, & cujusvis alterius partis Mundi existentes pollicentur, promittunt, paciscuntur, mittunt, vel dari faciunt per litteras, vel mediatores, vel aliter quomodocunque, & qui ab eis recipiunt contra dictarum Constitutionum dispositionem quidquam magnum, vel parvum pro Justitia, vel Gratia apud Sedem prædictam obtinenda, declaramus pariter, & statuimus.

Postremò tametsi credamus, & speremus in Domino, nunquam eventurum, ut aliquis ex Venerab. Fratribus nostris Episcopis, Archiepiscopis, Metropolitanis, Primatibus, & Patriarchis, aut in quacunque alia etiam superiori Ecclesiastica quantumuis sublimi, & speciali nota digna constitutis dignitate in præmissis quoquomodo delinquat; quia tamen diligentiam nostram in removendis ab eadem Curia abusibus quibuslibet abundare potiùs, quàm in aliquo deficere volumus, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates, ac Patriarchas, cæterosque in quacunque alia etiam prædictis superiori, ac quantumvis sublimi, & speciali nota digna constitutos dignitate, etiamsi per nostras, & Cancellariæ nostræ Apostolicæ regulas cautum sit, quòd illi Constitutionibus per Nos editis, & edendis non comprehendantur, nec comprehensi censeantur, nisi in eisdem Constitutionibus facta fuerit ipsorum expressa mentio, in prædictis Constitutionibus, ut præmittitur, declaratis, & extensis, ac in præsenti nostra quoad censuras comprehendi, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine, & tenore similibus statuimus.

Porrò xenia solita, esculenta, & poculenta, quæ Judicibus, Ministris, & Officialibus Romanæ Curiæ exhiberi consueverunt, præfatis Prædecessorum nostrorum litteris, ac præsentibus nostris minimè prohibita fuisse, nec prohiberi decernimus.

Declarantes per præsentem nostram Constitutionem non censeri abrogatam Constitutionem similis recordat. Pii Papæ V. etiam Prædecessoris nostri contra ambientes Dignitates, & Officia jurisdictionis administrationem habentia, eaque pretio, seu promissione procurantes, quæ incipit: Etsi Romani, &c. Nonis Decembris, Anno sexto ejus Pontificatus emanatam, sed illam, ac cæteras ipsius Pii Prædecessoris, & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum quorumcunque Constitutiones, Ordinationes, Canones, & Decreta in hac materia, vel circa eam hactenus edita, ac nostram, & Cancellariæ Apostolicæ regulam 67. qua statuimus, ut Officiales Romanæ Curiæ prædictæ nihil exigant ultra debitum, in suo robore remanere.

Ac decernentes præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd prædicti, & alii quilibet etiam speciali nota, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenus fuerint, vel ex alia quacunque quantumuis justa, legitima, juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, occasione, & capite etiam in Corpore Juris clauso nullo, unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, seu interesse habentium, & aliorum quorumcunque consensûs defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, limitari, ad viam, seu terminos juris reduci, in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium Constitutionum, ac declarationum, & extensionum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, seu aliis contrariis dispositionibus unquam comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, & plenariè reintegratas esse, & censeri, firmasque, validas, & efficaces existere, & fore, ac ab omnibus, & singulis prædictis,

& aliis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, cujuscunque qualitatis, ordinis, gradus, & conditionis fuerint, perpetuò inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari.

Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Curiæ, & Urbis præfatarum Judices, Officiales, & Miniſtros, & alios quoslibet quavis auctoritate, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi Facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus de jure quæſito non tollendo, & quòd Cardinales non comprehendantur ſub regulis, & conſtitutionibus editis, & edendis, niſi in eisdem facta fuerit ipſorum expreſſa mentio, ac cæteris noſtris, & Cancellariæ præfatæ regulis, aliisque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conciliaribus, nec non earumdem Urbis, & Curiæ, ac illarum Tribunalium quorumvis, & aliis quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, indultis, motuum propriorum cedulis, Chirographis quorumcunque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum manu ſubſcriptis, ac litteris Apoſtolicis ſub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & Decretis, etiam irritantibus, in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, Conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, & ſervatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem eædem præſentes litteræ omnibus innoteſcant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, ſeu earum exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Datariæ noſtræ, Cancellariæ prædictæ, necnon in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, prout moris eſt, publicentur, & affigantur, quæ ſic publicatæ & affixæ omnes & ſingulos perinde afficiant, ac ſi illis perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Quòdque illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 2. Maij 1656. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Quamvis autem Conſtitutionis præfatæ tenorem ab omnibus Romanæ Curiæ Judicibus & Miniſtris religioſè ſervari publicè per ſe pateat, nobisque maximè compertum ſit, & quamplurimis optimis, integrisque Advocatis, Procuratoribus, Agentibus, Expeditoribus, aliisque negotiorum Geſtoribus, & Officialibus eadem Curia, miſerante Domino, abundet: nihilominus ad evitandas fraudes, quæ quandoque eveniunt, eò quia fortaſſe aliqui turpis lucri gratiâ in Curia moram trahentes non ceſſant Curiam ipſam apud exteras gentes diffamare cum eorum Epiſtolis, notulis, ſeu liſtis, quas transmittunt Principalibus, ſeu Correſponſalibus, in quibus petunt pecunias pro muneribus dandis, vel affingunt munera dediſſe Miniſtris Gratiæ, vel Juſtitiæ, aliisque in dicta Conſtitutione Alexandri VII. contentis, de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus id rei examinandum commiſimus, Conſilio, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione præinſertas Alexandri Prædeceſſoris litteras cum omnibus & ſingulis cenſuris, pœnis, aliisque in eis contentis confirmamus, approbamus, & innovamus, ac adverſus quemcunque non uſum, ſeu contrarium uſum, qui quomodo prætendi poſſet, reſtituimus, & plenariè redintegramus.

Easdemque litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam quoad Cenſuras & pœnas, omnes & ſingulos Agentes, Expeditores, Procuratores, cæterosque Curiales, negotiorum Geſtores, aliasque Perſonas tam Sæculares, & Eccleſiaſticas, quàm cujusvis Ordinis, & Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, Regulares ad Urbem miſſos, vel in ea exiſtentes, & pro quibuscunque exteris, & forenſibus cujuscunque ſtatus & conditionis, & quacunque dignitate, etiam maxima & majore fulgentibus, etiamſi ſpeciali, & individua notâ digni ſint, etiam Capitulis, & Religionibus ſuis Juſtitiam, aut Gratiam procurantes, & Principalibus, ſeu Correſponſalibus ſcribentes, aut notulas transmittentes, ſive per Nuncium, aut aliàs quomodolibet etiam per interpoſitas Perſonas ſignificantes, aut inſinuantes, ſe pro impetranda Juſtitia, vel Gratia, aut poſt earumdem impetrationem munera tradidiſſe, aut ea neceſſaria eſſe, ſive animo revera munus dandi, ſive affingendi & ſimulandi id egerint, etiam ſub prætextu redimendæ vexationis omninò injuſtæ, & evidentis, etiam in caſibus, in quibus Principalis rem poſſideat, aut quòd ſalarium, ſeu honorarium ipſis datum, ſeu promiſſum, aut aliàs conſuetum labori ac diligentiæ in negotio adhibitæ minùs reſpondeat, quodque Gratia, aut Juſtitia publicum Regionis, vel Eccleſiæ bonum reſpiciat, aut aliis quibuscunque prætextibus in eadem Alexandri Conſtitutione damnatis, atque rejectis, vel forſitan in futurum pro excuſatione allegandis, comprehendere; & ad caſus etiam, in quibus pro Gratia, vel Juſtitia apud quoscunque extra Romanam Curiam ab Apoſtolica Sede, vel ab Ordinariis ejusdem Romanæ Curiæ Judicibus, aut etiam Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, Legatis etiam de Latere, & Prolegatis, ſpecialiter delegatos obtinenda munera in Curia data, vel neceſſaria eſſe pro comparandis favoribus apud eosdem delegatos, vel litteris commendatitiis, tam ante, quàm poſt obtentam Gratiam, ſive Juſtitiam, etiam ſub quibuscunque modo dictis prætextibus quomodolibet dictum, ſcriptum, aſſertum, & inſinuatum fuerit, extendi & locum habere, harum ſerie decernimus, & declaramus.

Contravenientes verò ultra excommunicationis eidem Sedi reſervatæ, privationis cujuscunque Beneficii, & Officii Eccleſiaſtici, & Sæcularis, temporalis, ſive perpetui, ac infamiæ pœnas in præfata Alexandri Conſtitutione contentas, etiam amiſſionis, ſeu extinctionis omnium & ſingularum penſionum Eccleſiaſticarum forſitan obtentarum, nec non falſi, furti, ac injuriarum Magiſtratui publico illatarum, tam jure communi, quàm Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Bannimentis generalibus Status no-

ſtri

Anno 1699.

ſtri Eccleſiaſtici contentis pœnis teneri, & tanquam veros fures & falſarios, ac Magiſtratui injuriam inferentes puniri: Principales verò & Correſponſales cujuſcunque dignitatis & conditionis, tam Sæculares, quàm Eccleſiaſticos, & cujusvis Ordinis, ſeu Inſtituti Regulares, etiam vigore quorumcunque privilegiorum ſpecialiter nominandos, ubilibet exiſtentes, & pecuniam ſolventes, transmittentes, aut ſolvi, vel transmitti mandantes directè, vel indirectè ad effectum dandi munera, vel eorumdem pretium pro Miniſtris Gratiæ vel Juſtitiæ tàm in Curia exiſtentibus, quàm extra Curiam ut ſupra delegatis, nullo ex ſuperiùs rejectis, vel aliàs forſan ſub quocunque quæſito colore in poſterum allegandis prætextibus eos excuſante, ultra pœnas in dicta Alexandri Conſtitutione contentas, etiam nullitatis ipſo jure Gratiæ, Decreti, Reſcripti, vel Sententiæ, immo & amiſſionis cauſæ, crediti, vel juris, ſuper quo lis agebatur, ac perpetuæ inhabilitatis ad quæcunque Beneficia Eccleſiaſtica, etiam de Jure Patronatus Laicorum, & ad alias quaſcunque gratias à Sede præfata in poſterum obtinendas, incurrere; Immo & in ſingulis prædictis caſibus ſolum conatum ad earumdem pœnarum incurſum ſufficere, etiamſi pecuniæ transmiſſæ non fuerint, ſed tantùm notulis, Epiſtolis, aut aliàs quomodolibet à Principalibus in Partibus petitæ, vel ab iiſdem Principalibus reſpectivè oblatæ, omnibus, qui rem adhuc incognitam, compliceſque, fautores, & ſocios retexerint, impunitate conceſſa, ſtatuimus, atque decernimus.

Epiſcopos autem, Archiepiſcopos, ſimileſque perſonas pœnâ dumtaxat in dicta Alexandri Conſtitutione ſpecificatâ teneri volumus, & mandamus.

Revelantibus verò, ſeu denunciantibus, dummodo indicia ſaltem ad torturam, vel ad transmittendam inquiſitionem contra contumaces ſufficientia ſubminiſtraverint, ducentorum ducatorum auri de Camera præmium ex eadem Camera noſtra ſolvendum conſtituimus & aſſignamus.

Et ut in poſterum facilè apparere valeat, quinam ſint illi, qui in talibus notulis, & liſtis excedunt, vel quocunque modo contraveniunt, volumus, & mandamus, ut quilibet Agens, Expeditor, negotiorum Actor, Procurator, ſeu quilibet Curialis, aut quicunque alius, ut ſupra, ad Gratiam, vel Juſtitiam in Romana Curia impetrandam utcunque deputatus, etiamſi Eccleſiaſticus, Sæcularis, ſeu cujusvis Inſtituti etiam neceſſariò exprimendi Regularis, notulas, ſeu liſtas omnium & ſingularum expenſarum, quoties eas Principalibus, ſeu Correſponſalibus extra Curiam transmittet, teneatur propria manu ſubſcribere; Et nihilominus poſt Gratiæ, ſeu Cauſæ per ſententiam, vel Decretum vim ſententiæ habens, aut per reſcriptum, in quibuscunque Tribunalibus expeditionem, vel quamcunque concordiâ, renunciatione, morte Principalis, aut alia quavis cauſa mediante, ceſſationem, exceptis dumtaxat negotiis, quæ in ejusdem S. R. E. Cardinalium, ſeu aliis Congregationibus extra folium, ut vocant, perfici ſolent, integram omnium & ſingularum expenſarum per ſe, vel per alios in toto negotii decurſu factarum notulam, iis etiam repetitis, quæ in aliis notulis forſan ut ſupra transmiſſis continebantur, atque etiam ſummam certam pro honorariis ſibi debitis, nec non omnes pecunias à Principalibus, ſeu Correſponſalibus eo uſque habitas clarè & diſtinctè iterum propriâ manu ſubſcribere, & ad dictos Principales, ſeu Correſponſales transmittere, ejusque copiam integram & uniformem intitulatam duplicatum notæ ſimilis transmiſſæ in Partibus ad talem Principalem, ſeu Correſponſalem pariter propriâ manu ſubſcriptam intra tres menſes à die expeditionis, ſeu ſcientiæ ceſſationis negotii computandos, Notario Cauſæ, vel Officiali ad hunc effectum in quibuscunque Gratiæ Tribunalibus ſpecialiter deputando reipſa exhibere, & conſignare, ſoluta eidem congrua mercede ratione laboris tantùm per deputatam à Nobis Congregationem taxanda de pecuniis Principalium, pro quorum indemnitate id agitur, ultra quam ſub pœnis infraſcriptis nihil ampliùs accipere liceat; ipſi verò Notarii, & Officiales eamdem copiæ, ſeu duplicati exhibitionem in peculiari libro adnotare, ac præfatas copias ſaltem per decennium conſervare ſecretò, ita ut nemini niſi intereſſe habenti, vel denunciare intendenti, de expreſſa tamen Judicis, ſeu alterius Superioris, apud quem negotium actum fuit, licentia oſtendere, ſub pœnis etiam corporis afflictivis, eorumdem Judicum, vel Superiorum arbitrio infligendis, omnino debeant & teneantur.

Quòd ſi prædictæ perſonæ, ut ſupra ſpecificatæ, notulam, ſeu liſtam à prædicta ab ipſis ſubſcripta diverſam & difformem transmiſerint ad Principales, vel Correſponſales, vel transmiſerint liſtam, ſeu notulam ab ipſis non ſubſcriptam, & in Epiſtola ſeparata, vel per Nuncium, aut indirectè quocunque modo alias expenſas, vel partitas addiderint; tunc ſi partitæ deſcriptæ in notula, ſeu Epiſtola ſeparata ſint confictæ, alteratæ, aut falſæ, vel contineant munera data, vel danda Miniſtris Juſtitiæ, vel Gratiæ, ſive omnibus aliis perſonis expreſſis in d. Conſtitutione Alexandri VII. ultra omnes alias pœnas ſupra ſpecificatas plecti debere tanquam veros fures, falſarios, ac injuria afficientes Magiſtratum reſpectivè pœnis furti, falſi, & ſimilibus in jure, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Bannimentis generalibus Status noſtri Eccleſiaſtici ſtabilitis contra veros fures, falſarios, & injuriâ afficientes Magiſtratum, juxta qualitatem partitæ vel ſummæ alteratæ, falſæ, vel confictæ: Si autem partitæ ſint veræ, & non de prohibitis, non tamen deſcriptæ in duplicato in Actis exhibito ut ſupra; tunc tanquam contravenientes huic Conſtitutioni plecti poſſe pœnâ arbitrariâ etiam corporis afflictivâ ultra amiſſionem crediti arbitrio Judicis ut ſupra, ad quem effectum easdem notulas, ſeu liſtas, aut etiam Epiſtolas reorum manu ſubſcriptas pro plenis probationibus habendas eſſe, vel in earum defectum probationes illas, quæ pro crimine Simoniæ evincendo de jure ſatis eſſent, ſufficere ſtatuimus, atque decernimus.

Itaque omnibus & quibuscunque, quos ad Romanam Curiam deinceps pro Gratia, vel Juſtitia conſequenda recurrere ex qualibet Mundi parte contigerit, liberum erit in poſterum & expeditum, fidelem exactamque omnium pecuniarum à ſe in præfatis negotiis impenſarum, & impendendarum rationem mediantibus notulis ut ſupra præſcriptis exigere, ac ubi in iis aliquid pro muneribus in præinſerta Alexandri Conſtitutione prohibitis adnotatum repererint, certò ſe à ſuis Actoribus, ſeu Procuratoribus deceptos & fraudatos agnoſcere, adeoque à transmittendis pecuniis abſtinere, ſique ſe in præfatis notulis quovis modo gravatos prætenderint, apud Judicem, ſeu Miniſtrum Cauſæ, vel Gratiæ, ſeu ad alium, quem maluerint ejusdem Romanæ Curiæ Judicem Ordinarium (qui etiam ex Officio, & per Inquiſitionem procedent) etiam mediante Procuratore noſtro Fiſcali generali, cui, ſuppreſſis Principalium nominibus, agendi Facultatem concedimus, inſtare pro juſtitia conſequenda, & prædictarum pœnarum executione.

Decernentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quòd in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, ſeu cauſæ, propter quas eædem præſentes emanarunt, ſufficienter adductæ, verificatæ, aut juſtificatæ non fuerint, vel ex alia quantumuis legitima &

privile-

ANNO 1699.

privilegiata causa, colore, prætextu, & Capite etiam in corpore Juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ defectu notari, impugnari, restringi, limitari ad viam, seu terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu proprio concessa quempiam in Judicio vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, ac ab omnibus & singulis prædictis & ab aliis, ad quos spectat, & pro tempore quantocunque spectabit, cujuscunque qualitatis, dignitatis, ordinis, gradus, & conditionis extiterint, perpetuò & inviolabiliter observari; sicque per quoscunque judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, nec non Curiæ, & Urbis præfatarum judices, Officiales, & Ministros, & alios quoslibet quavis authoritate, & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter Judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa universis & singulis locorum Ordinariis per quæcunque Provincias, & Regna Christiani Orbis constitutis, & quibusvis nostris & Sedis Apostolicæ etiam de latere Legatis, ac Vicelegatis præcipimus & mandamus, ut in suis quisque Civitatibus, Diœcesibus, Provinciis, & locis præsentem nostram Constitutionem publicari, & inviolatè observari curent, & adversus contravenientes, sive Clericos, sive Laïcos quacunque dignitate fulgentes, tanquam invariantes, & infamantes Curiam Ecclesiasticam Romani Pontificis, sive etiam Capitulares, servata forma à Concil. Trid. præscripta, immo etiam cujusvis Ordinis, aut Instituti etiam necessariò exprimendi Regulares, aut aliàs quomodolibet exemptos, & contra Abbates, sive alios quoscunque Prælatos jura quasi Episcopalia habentes cum territorio separato, ii, qui viciniores fuerint, tanquam nostri & Sedis Apostolicæ in hac parte specialiter delegati per viam accusationis, vel denunciationis, aut inquisitionis, & ex mero officio, prout eis videbitur, procedant, reosque culpabiles repertos condignis pœnis, ut supra afficiant, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis.

Non obstantibus de jure quæsito non tollendo, ac cæteris nostris, & Cancellariæ regulis, aliisque Constitutionibus; & ordinationibus Apostolicis etiam Conciliaribus, nec non earumdem Urbis, & Curiæ, earumque Tribunalium, & aliis quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apostolica, au alia quavis firmitate roboratis statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apostolicis, sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis etiam irritantibus, in genere, vel in specie, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, insertis & servatis respectivè habentes, illis aliàs suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut autem eadem præsentes literæ omnibus innotescant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Datariæ nostræ, Curiæ generalis, & Cancellariæ prædictæ, nec non in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, prout moris est, publicentur & affigantur, quæ sic publicatæ & affixæ omnes & singulos perinde afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Quodque illarum transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, restitutionis, reintegrationis, decretorum, declarationis, statutorum, voluntatum, mandatorum, constitutionis, assignationis, præcepti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nogagesimo nono, tertio Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno nono.

B. Card. Prodatarius. J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia C. A. Fabronus

Phil. Porta.

Registrata in Secretaria Brevium.

Loco † Plumbi.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo septingentesimo, Indictione octava, die verò octava Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina providentia Papæ XII. Anno nono: Supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Io. Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Innocentiæ in Monte Citatorio & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Io. Philippum Castigliam ejusdem Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

Decius de Camills Magister Cursorum.

III. Breve *Innoc.* XII. quò firmat privilegia Sabaudiæ Ducum: anno 1700. In responsis de Privilegio à Nicolao V. Ludovico Sabaudiæ Duci concesso impressis Coloniæ Agrip. an 1712.

Ad Futuram rei memoriam.

CUm dudum fel. record. Nicolaus Papa V. Prædecessor noster, tunc in humanis agentem Lovicum, dùm vixit Sabaudiæ Ducem, specialis favore benevolentiæ prosequi volens, ut omnem ei tol-

ANNO 1724.

leret suspicionis caussam, ne ex promotione quorumvis ad quarumcunque Ecclesiarum, vel monasteriorum infrà districtum sui temporalis Dominii consistentium regimina, seù provisionibus quibuslibet de quibusvis dignitatibus dispositioni Apostolicæ reservatis, inibi consistentibus, quibuscumque Personis, per ipsum Nicolaum Prædecessorem faciendis, statui suo succederet dispendium, aut alia quævis adversitas intestina Præfatum Ludovicum Ducem per quasdam suas Literas certum reddiderit, eique promiserit, quod ipso & Dominio hujusmodi, in integritate obedientiæ sedis Apostolicæ persistentibus, ad quarumcumque metropolitanarum, vel aliarum Cathedralium Ecclesiarum regimina, aut dignitates Abbatiales infrà districtum prædictum neminem præfecisset, seu illis de quorumcumque personis non providisset, nisi habitis priùs per eam intentione, & consensu ipsius Ludovici Ducis de personis idoneis ad regimina, seu dignitates Abbatiales hujusmodi promovendis, vel de quorum personis tales provisiones fuissent faciendæ, & alias prout in præfatis Nicolai Prædecessoris literis de super anno Incarnationis Dominicæ 1451. quarto Idus Januarii sub plumbo expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plenè & sufficienter expresso, & inserto habere volumus uberiùs dicitur contineri. Et subinde fel. mem. Leo X. Clemens VII. Julius III. Gregorius XIII. & Clemens VIII. Romani Pontifices, etiam Prædecessores nostri, per suas pariter sub plumbo expeditas literas, quarum tenores præsentibus itidem habere volumus pro expressis, supradicti Nicolai Prædecessoris literas sub certis modo, & forma tunc expressis, confirmaverint, & approbaverint.

Novissimè vero exortum fuerit dubium, an memorati Nicolai Prædecessoris Indultum, ejusque literæ præfatæ, ubi de districta temporalis Dominii dicti Ludovici Ducis mentionem faciunt, etiam Citramontanas ipsi Ludovico Duci tunc subjectas ditiones comprehendant. Hinc est, quod nos, qui æqui, bonique assertores in terris à Domino constituti sumus, dubium hujusmodi secundum Justitiæ regulas dirimere ac ea, quæ à sede præfata ad sublimium Principum ortodoxæ Fidei defensorum, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentium favorem emanasse noscuntur, illibata conservare cupientes, de nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, qui jussu nostro dubium prædictum maturè discusserunt, consilio: supradicti Nicolai prædecessoris indultum, ejusque literas hujusmodi, etiam citramontanas, eidem Ludovico Duci tunc subjectas ditiones comprehendere auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque & non aliter in præmissis per quosque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales etiam de latere Legatos, & dictæ sedis nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes & functuros sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâ vis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis: nec non omnibus, & singulis illis, quæ in supradictis Nicolai, aliorumque præfatorum Prædecessorum literis respectivè concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris Die 3. Julii M. DCC. Pontificatus nostri anno nono.

J. Franciscus Cardinalis Albanus.

ANNO 1724.

BENEDICTUS XIII.

PONTIFEX CCXLIX.

ANNO DOMINI MDCCXXIV.

BENEDICTUS XIII. Vincentius Maria Ursinus, anteà dictus Patricius Neapolitanus, ac Venetus. Natus est 4. Nonas Februarii anno 1649. ex Ursinorum Familiâ, quam duodeviginti sanctitate præstantes viri, Pontifices quatuor Stephanus III. Paulus I. Cœlestinus III. Nicolaus III. illustrarunt. Venetiis Prædicatorum Ordini nomen dedit. Sacris Concionibus operam navavit. Bononiæ cùm degeret vigesimum tertium ætatis annum agens à Clemente X. S. R. E. Cardinalis renunciatus est. Tres administravit Ecclesias, Spontinam, Cæsanatensem, postremò Beneventanam. Tandem Pontificiis comitiis IV. Kal. Junii anni 1724. concordibus suffragiis ad Petri sedem fuit evectus; Anno 1725. Jubilæum ordinarium decimum-sextum celebravit. Creavit 28. Cardinales. Obiit Romæ 21. Februarii an. 1730. sedit V. annos, Menses 8. Dies 24.

I.

De beato Laurentio Justiniano, Canonico sæculari Congregationis sancti Georgii in Alga ultimo Episcopo, & primo Patriarcha civitatis Venetiarum, per Alexandrum VIII. Pontificem Maximum Sanctorum Confessorum Pontificum canoni adscripto.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

RAtioni congruit & convenit æquitati, ut quæ olim Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum unanimi eorum consilio communicato, sanxit & definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum literæ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

I. Consilia Romanorum Pontificum de beato Laurentio Justiniano in Sanctorum canonem referendo.

Patris æterni filius Redemptor noster conditionis humanæ gloriam peccatis obrutam conspicatus, assidue providere non cessat, ut propterea in exsilio positos ad libertatis patriam per famulos suos, signis ac virtutibus claros, revocet. Hoc tribus ab hinc sæculis & eo amplius per beatum Laurentium Justinianum maxime egit, qui, pontificali apice inclytus, non solum Venetis suis atque Italis universis, sed toti, quaqua patet, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ perspicua vitæ sanctimonia &

mira-

ANNO 1724.

miraculis se spectabilem reddidit; unde factum, ut Duce & Dominio Venetorum ferventissime flagitantibus, piæ memoriæ decessores nostri Romani Pontifices Xystus IV. Leo X. Hadrianus VI. Clemens VII. Paulus V. Gregorius XV. & Urbanus VIII. de Laurentio Sanctorum titulis honestando consilium inierint: quod omnium tandem fidelium acclamatione & plausu felicis recordationis antecessor noster Alexander Papa VIII. universis, quæ tantæ rei peragendæ necessaria erant, rite dispositis, ad optatum finem perduxit.

II. Beati Laurentii ortus, pia educatio, & religiosum vitæ institutum.

Anno Christi Domini MCCCLXXXI. ipsis Kalendis Juliis, qua die, insigni ad Clodiam parta victoria, civitas Venetiarum publicis ad Deum supplicationibus, omnique lætitiæ genere perfusa gestiebat, Laurentius ex prænobili Justiniana familia in lucem editus est, ipse aliquando virtutibus suis patriæ gaudium, præsidiumque apud Deum futurus. Sublato Bernardo patre, Quirina mater eum sancte educavit, donec anno ætatis undevicesimo sacri instituti amore captus, divinæque sapientiæ alloquio dignatus, ut nuptias sibi paratas vitaret, ad Marinum matris suæ consobrinum, Canonicum sæcularem congregationis beati Georgii in Alga, quæ est Insula, alias cœnobium instituti Augustiniani prope Venetias, alacriter convolavit, ubi calcatis honoribus & fortunæ bonis, toto vitæ suæ tempore uni Deo militare constituit. Primum certamen corporeis illecebris strenuus Christi miles indixit, ratus nihil illis indulgendum, sed quasi in teterrimum hostem, jejuniis, vigiliis, & asperrima pœnitentia contra illas pugnandum. Sitim tam patienter tulit, ut siquando ea per jejunium, manuum laborem, peregrinationem, aut valetudinem se torreri sentiret; nunquam potum deposceret, sibi eum offerentibus ignorare se dicens, quo pacto Purgatorii calores esset laturus qui sitim ferre non posset. Viridarium relaxandi animi causa, ut fit, nunquam intravit: corpus, morbo affectum, nunquam liberalius fovere voluit. Nocturnas vigilias ita servavit, ut primus ad divinas laudes canendas properaret, ultimus inde recederet, illuc, ceteris quiescentibus, rediturus. Quamvis, ut natura imbecillis, frigus immodice pateretur, nunquam tamen rigente hieme ad ignem accessit. Psallens, nunquam læva, aut dextera sedilibus hæsit; semper gradu nixus stetit, etiam ægrotus. Strumarum peracerbo morbo in gutture graviter læsus, sectioni, ustionique generose succubuit; timentem medicum hortatus, ut audacter incideret, cujus novacula martyrum laminas non superaret. Cœnobio præfectus, infima quæque munia obivit, se increpari, contemni & despici cupiens.

III. Miræ Laurentii Christianæ virtutes.

Tanta fuit viri Dei in proposito constantia, ut postquam suis valedixisset, fraternam, maternamve domum nunquam, nisi pietatis causa ter solum intraverit. Stipem ex ordinis instituto foris petens, nunquam ingressus est; inque maxima frequentia mendicans, saccum panibus plenum ab alio ferri minime voluit; quod mater, filii, immodico pondere gravis, miserta, aliquando conata est. Hujus dormitioni Laurentius interfuit, sed plorantibus aliis, ipse dono lacrymarum alias maxime instructus, morientem siccis oculis vidit. Amicus illum a proposito, sacroque instituto blanditiis & vi retrahere molitus, ejus verbis, æternæ vitæ plenis, in cœnobium trahitur, una cum Laurentio & vivere & mori se velle testatus. Quantopere servum suum Deus probaret, dono prophetiæ illi tradito manifestavit. Etenim Fantino Dandulo, viro in Republica Senatori, de alio vitæ statu minime cogitanti, qui ad beatum Georgium officiis pietatis liberius vacaturus secesserat, in summo capite sacros cineres, perituræ humanitatis nuncios, ex ejus manibus suscipienti, præcipuas Ecclesiæ dignitates prædixit: ad quas paulo post recolendæ memoriæ decessor noster Eugenius Papa IV. Dandulum, apud se pro patria oratorem, evexit, Legatione Bononiensi & Episcopatu Patavino auctum. Marcum & Leonardum fratres, ab utroque mutua caritate quotidie invisus, nunquam invisit nec etiam rogatus, licet diu, nec sine vitæ periculo, diverso tempore uterque decumberet. Iturum se dixit, ubi tempus id postularet. Ultro adiit tandem quum spiritus discessioni jam esset paratus: gaudioque significato ob Laurentii fratris inexpectatum adventum, inter ejus amplexus uterque suaviter expiravit.

IV. Venetiarum, jubente Eugenio IV. Pontifice invitus obit.

Viri Dei humilitas eluxit, dum Eugenius Pontifex magnis Laurentii virtutibus captus, animum induxit, ut eum Venetis Episcopum daret. Etenim Francisco Maripetro ex Castellano civitatis Venetiarum Episcopatu ad Cathedram Vicetinam translato, successorem Laurentium pronunciavit. Qui tamen fugam mente agitavit, & pastorale onus pro sua modestia deprecatus, semel atque iterum pontifici jubenti humillime restitit, literis ingenui pudoris, sincereæque probitatis ac sanctimoniæ plenis ad eundem conscriptis. Laurentii collegæ inter se jejuniis & precibus indictis, Eugenium, ne sibi patrem eripiat, vehementer obsecrant. Bis ad illum mittunt, bis rescribit Eugenius, dulcissimis eos verbis solatus. Quare Laurentius Pontifici ter jubenti obtemperavit. Noctem, qua Episcopatum nulla pompa, & fratribus etiam remotis, iniit, insomnem duxit, precibus & lacrymis Dei præsidium in tanto munere implorans. Familiam curis parem delegit, sibi alias grandem esse, cujus studio premeretur, dicere solitus, pauperes Christi significans. Ædium ornatus, argentumque omnino sprevit. In mensa non sordida, sed munditiæ plena, nihil appetens aut improbans, fictilibus usus est. In cubili angusto ex palea & centone laneo conquievit, inde omnibus semper exclusis, quo liberius lacrymis & orationi vacaret.

V. Laurentii virtutes & curæ episcoles.

Suæ Ecclesiæ pontificali pro dignitate excolendæ primam operam dedit; sed & reliquis sacris ædibus in solitudinem ferme redactis probe consuluit. Mox cleri mores adortus, saluberrimis eum constitutionibus instauravit; pari studio sacrarum Virginum monasteria prosequutus, nec minori vigilantia ceterarum ovium sedulam curam gerens. Pecuniam, ut Episcopum decet, summe contemsit. Episcopium universis, omne penu egenis patere voluit; non tamen fratribus suis, a quibus contra non semel grandi pecunia adjutus est. Amoris fraterni hoc signum retinuit, ut tribus festis diebus, Paschatis, Nativitatis Domini, atque Apostolorum Petri & Pauli, duobus panibus ex farinæ flore confectis eos donaret. Demortuis duobus, uni superstiti eos semper pependit. Rationes procuratore adferente, quid deesset, quid superesset tantum adspexit; nefas ratus, si lucro animarum præfectus sederet ad calculos. In occultis pauperibus indagandis fuit summe sollicitus, iis præcipue, qui ex opulentis inopes evasissent; mallens aliquando decipi, quam scrupulosius examinare. Si quando in alterutrum offendendum esset, potius cui non oporteret dare cupiit, quam non dare cui oporteret. Res tamen humano usui necessarias libentius, quam pecuniam erogabat: libentius quoque plures summas, quam majores, ut nimirum in tanto populo communior esset beneficentia. Sæpenumero servi sui votis Dei providentia mirifice adfuit, pecunia multis de locis ad eum insperato veniente. Viri justitia inde patuit, quod nihil unquam ab illo judicatum, rescissum est, ejusdemque sententiæ inappellabiles habitæ sunt. Quid vero æque mirum dici

ANNO 1724.

dici potest, ac hominem, qui vix prima literarum elementa a præceptore didicisset, de omnibus in sacra Scriptura disputatis, gravissime respondere potuisse, plurimaque Deo plena, literis consignasse? Nimirum scientia potius divinitus infusa, quam humanitus acquisita instructus apparuit. Calumnias & contumelias magno animo devoravit, nec auctores scire voluit. Dominus tamen, cujus negocium agebatur, ipsi adfuit, auctores ipsos impunes abire non sinens. Spirituum & cogitationum discretio nusquam major, quam in Laurentio visa est. Immo hoc etiam illi a cœlo datum, ut sacræ Virgini absenti ipse missarum solemnia ad populum celebrans, extra se raptus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum administraret.

VI. Laurentius à Nicolao V. Pontifice Maximo fit primus Patriarcha Venetiarum.

Crescente in dies tanti præsulis fama, Eugenius Pontifex eum apud se identidem habere se velle significavit, semperque Laurentius excusationes prætendit. Bononiam tamen vocatus, Alpium incommodis atque itineris longitudine, quæ erant excusationum caussæ, cessantibus pontificem adiit, à quo in S. R. E. frequenti Senatu hoc perhonorifico elogio exceptus est: *salve decus & gloria præsulum.* Pontifice eum apud se retinere cupiente, corporis imbecillitatem caussatus, ad suam Ecclesiam lætior rediit, quam inde discesserat. Eum pari animi significatione amplexus est Eugenii successor proximus piæ memoriæ antecessor noster Nicolaus Papa V. qui in tanto præsule ornando cum Eugenio plane certans, Laurentium, tametsi reluctantem, Patriarcham esse voluit, sicut Eugenius Episcopum esse voluerat. Etenim Dominico Michaelio Gradensi Patriarcha demortuo, Nicolaus dignitatis amplitudini, civitatisque Venetiarum splendori consulturus, ex Grado modica Insula juxta veterem Aquilejam, unde sub adventum Langobardorum Gradensis patriarchatus, novæ Aquilejæ nuncupatus, multorum caussa dissidiorum, emerserat hunc Venetias una cum omni honore suo transtulit, extincto Venetæ civitatis episcopatu, eidem Gradensi Patriarchatui antea subjecto: qui quidem episcopatus à loco Sedis, Clivolensis primum, mox Castellanus est dictus. Hinc factum, ut nomen Patriarchæ Gradensis, quem exinde Venetum appellaverunt, olim invidiosum, in Laurentio gratissimum esse cœperit.

VII. Magna Laurentii apud omnes gentes pietatis fama & veneratio.

Novi Patriarchæ sanctitatis præconio longe lateque resonante, quicunque Venetias adpellebant, Laurentium videre in primis cupierunt. Non vulgus tantum ad eum, veluti ad Angelum de cœlo lapsum, conspiciendum per vicos & compita certatim currere; sed viri principes domi eum invisere, intimos episcopii recessus venerationis caussa lustrare, vimque auri pauperibus dispertiendam ad illum adferre. Advenæ Pannones, Germani, Galli, Hispani ad limina Apostolorum vel ad Christi Domini sepulcrum peregrinantes, se felices putabant, ubi Laurentii benedictione accepta discederent; adeoque in maximis periculis Respublica Venetorum ad Laurentii precationes, tanquam ad oraculum, confugere consuevit; Deusque ipse quam gratæ sibi essent Laurentii pro ea preces, procul apud Corcyram prodigio comprobavit, ubi in mediis rupibus & speluncis vir, a triginta annis solitarius, uni Deo vacans, & prophetiæ spiritu insignis, an res Venetorum in bello cum Duce Mediolanensi perituræ essent, consultus, omnino ait perituras, nisi eorum præsulis lacrymæ apud Deum intercederent. Laurentius tamen solitario illi juxta ac omnes fere mortales, inauditus & incognitus erat.

VIII. Laurentius virtutum & meritorum plenus pie obit.

Jam Venetus Patriarcha annum quartum supra septuagesimum exegerat, vigiliis, susceptisque ultro incommodis attritus, quum se libenter hinc abiturum, si Domino placeret, aliquando pronunciavit. Paucos post dies febri correptus decumbit; lectumque molle sibi parari commotus est, quum Christus Dominus in durissimo ligno cubitasset. Pecunias, quibus pro ejus salute non parcebatur, in pauperes aptius erogari monuit. Migrationis diem advenisse intelligens, prope esse sponsum ait, eidemque obviam eundem. Quare susceptis Ecclesiæ sacramentis, deque mortis utilitate sermone habito, populoque suo, proceribus, & viris sacris ad se confluentibus bene precatus, & multis, quæ eventura erant, prædictis, obdormivit in Domino VI. idus Januarias anno Domini MCCCCLV. episcopatus anno XIX. patriarchatus IV. quum se nulla pompa supremis tabulis inter Canonicos sancti Gregorii in Alga sepeliendum mandasset. qui eum, optime de se meritum, deinceps, quasi auctorem & parentem suum, coluerunt.

IX. Post obitum pro viro sancto ab omnibus colitur.

Tantus omnium ordinum universæ civitatis concursus ad Laurentii corpusculum factus est, ut ex episcopio ad sacram ædem ob multitudinis oculos depascendos, mox illud deferri oportuerit, ubi turba se se comprimente, feretrum à gradibus chori ad valvas Ecclesiæ raptum est. Discissæ vestes, sublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Ob ejus sanctitatis ubique vulgatam opinionem urbani sodalitiorum processus magna celebritate ad funus accurrerunt, nullo tamen funebri signo, ut in mortuorum elationibus fierit solet, sed omni honoris & lætitiæ significatione ultro & publice instructi. In funere ipso suavissimi cantus, & modulationes auditæ, Angelicæ non humanæ. Sacrum pignus inter utrosque Canonicos, patriarchales, & beati Gregorii de eo dando & retinendo contentione orta, quasi litis exitum expectaturum, in ecclesiæ cathedralis secretario repositum est. ubi altero ac tertio die nec corruptum, nec fœtens, immo nec quinto, nec sexto repertum, genis rubescentibus & vivo simile visum est. Tota civitate effusa ad prodigium, octava die palam in ædem sacram adfertur. Interim sacræ exuviæ, aliis instantius eas postulantibus, aliis diligentius custodientibus, iterum in secretarium allatæ, ubi per dies quadraginta incorruptæ & integræ permanserunt, quamplurimis ad illas venerationis causa affluentibus, donec tandem totius populi & civitatis suffragio canonicis patriarchalibus illas adjudicante, septimo die supra sexagesimum sepulturæ in basilica patriarchali XVI. Kalendas Apriles traditæ sunt officiis & honoribus, non quibus ceteri solent, de quorum virtutibus & meritis ambigitur; sed quasi viri sancti reliquiæ. Non solum ex Italia, sed ex Illyrico etiam, atque Epiro multi ad prodigium profecti: quod medici omnes nulla naturæ vi, præsertim quum Laurentius putrida febre laborasset, fieri potuisse, testati sunt.

X. De Laurentii virtutibus, & miraculis jussu Romanorum Pontificum acta conscribuntur.

Quæ & quanta deinde miracula divinam opem ad Laurentii sepulcrum implorantibus acciderint, difficile dictu est. Hæc felicis recordationis antecessorem nostrum Xystum Papam IV. permoverunt, ut ad Ducis & Domini Venetorum summas preces, ob eum in Sanctorum canonem referendum, acta, rei tantæ necessaria, conscribenda curaret. Sed quum eadem acta patriarchalis ædis conflagratione periissent, alter piæ memoriæ decessor noster Leo Papa X. ad negocii inquisitionem rursus procedi jussit. Post Leonem hoc pariter egit successor ejus similis memoriæ Hadrianus Papa VI. Quo deinde sublato, Clemens Papa VII. literis Apostolicis in forma Brevis ad Antonium Contarenum civitatis Venetiarum Patriarcham, Duce & Dominio Venetorum pie deposcentibus, concessit, ut pro æterni Regis laude & gloria ac ipsius beati Laurentii pontificis & confessoris reverentia, sanctæ Ecclesiæ decore, & catholicæ fidei splendore, populorumque dicti Dominii devotione, singulis annis in die, qua beatus Laurentius migravit ad Dominum, festum & officium de eodem cum oratione unius pontificis & confessoris sub nomine beati Laurentii Patriar-

chæ

XI. Ejus sanctitatem summi Pontifices agnoscunt.

chæ in ejus & aliis ædibus Deo sacris Dominii Venetorum, ab omnibus celebraretur. Hoc pacto Clemens Laurentium Beatorum catalogo adscripsit.

Postmodum recolendæ memoriæ Xystus Papa V. plenariam indulgentiam die festo beati Laurentii ædem sacram, ubi ejus corpus adservabatur devote invisentibus largitus est: quod similis recordationis Clemens Papa VIII. semel atque iterum indulsit, adprobatis lectionibus propriis in ejusdem instituti congregationibus, beatorum Georgii in Alga & Johannis Evangelistæ in Lusitania, cum ejus officio recitandis. Mox piæ recordationis Paulus Papa V. iisdem Canonicis beati Georgii in Alga indulsit, ut quintis cujuscunque hebdomadæ feriis non impeditis, illud idem officium recitarent. Idem postea Paulus æque ac ejus successor Gregorius Papa XV. ac subinde Urbanus Papa VIII. piæ quoque memoriæ antecessores nostri, de magnis virtutibus & miraculis, per intercessionem beati Laurentii patratis, acta & commentarios pro eo in Sanctorum canonem solemni pompa referendo iterum conscribi jusserunt, de ejus corporis translationibus, atque aris, Deo in ejusdem honorem, auctoritate Apostolica, erectis, mentionem facientes: quo tempore hujus beati confessoris & pontificis summæ sanctitatis fama etiam in regno Siciliæ ita percrebuit, ut Senatus Panormitanus ob civitatem ac contagionis morbo Laurentii patrocinio divinitus liberatam, eum sibi præcipuum patronum elegerit, impetreta etiam a jam dicto Urbano Papa VIII. Apostolica facultate, ut in Ecclesiis Panormitanis officium & missa de eodem beato viro, tanquam de patrono, celebraretur.

XII. Alexander VIII. Laurentium Sanctorum confessorum Pontificum numero adscribit.

Tot tantisque monumentis, apud Apostolicam Sedem comprobata viri Dei sanctitate, quam christianæ virtutes & complura miracula illustraverant, is tandem, quem supra memoravimus Alexander Papa VIII. ad summum pontificatum evectus, de Laurentio cum aliis beatis viris ubique celeberrimis, ex Romanorum Pontificum auctoritate, ritualibus constitutionibus, canonibus & decretis, rite servatis, in sanctorum tabulis, Duce & Dominio Venetorum orantibus, describendo provide cogitavit, ideoque gesta omnia beati viri in novum examen adducta sunt: quo ex veteri more Apostolicæ Sedis in tribus Consistoriis ac plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum in Urbe præsentium coram se rite peracto; Beatum Laurentium statuta die in Sanctorum canonem per se referendum pronunciavit. Quare XVII. Kalendas Novembres anno salutis MDCXC. sui pontificatus secundo in sacrosanctam beati Petri principis Apostolorum Basilicam, summa celebritate totius Ecclesiæ Romanæ, Laurentium maxima cæremonia inter Sanctos numeraturus, Alexander profectus est, ubi in plenario conventu eorundem venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum semel, iterum, & tertio iteratis pro Laurentio Justiniano in Sanctorum fastos referendo ad Deum precibus, unanimi omnium acclamatione & suffragio idem Alexander Papa VIII. post gratiam paracliti Spiritus summa religione invocatam, auctoritate omnipotentis Dei & Domini Nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac sua ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ, & Christiani nominis incrementum, beatum Laurentium Justinianum Venetum, confessorem & Pontificem, de cujus virtutibus & miraculis antea constiterat, & tunc satis constabat una cum aliis beatis viris Johanne à Capistrano, Joanne a sancto Facundo, Johanne de Deo, & Paschale Baylonio, confessoribus non pontificibus, Sanctum confessorem pontificem esse decrevit & definivit, in Sanctorum confessorum pontificum catalogum & canonem retulit, eumdemque imposterum in tota Ecclesia, tanquam vere Sanctum, colendum, invocandum, honorandumque sancivit. Ad ejus honorem sacras ædes atque altaria, in quibus sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, & quotannis VI. idus Januarias, quo die migravit ad Dominum, illius memoriam, ut Sancti confessoris pontificis ab omnibus pie coli posse pronunciavit. Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui annis singulis in illius dormitionis die ad ejusdem sepulcrum religiose accessissent, annum & quadraginta dies: accedentibus vero infra octavam, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet debitis canonicis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit.

XIII. Summus Pontifex solemnem Missam de beato Laurentio celebrat.

Mox Deum Patrem æternum, Regemque gloriæ Christum Dominum, ejus sempiternum filium, sanctumque paraclitum spiritum in trinis personis unum Deum & Dominum, Alexander magna religione veneratus, & peculiari oratione per beati Laurentii Justiniani confessoris & pontificis merita precatus, cum ejus & ceterorum commemoratione, in ara maxima supra confessionem beati Petri solemnem Missam celebravit, universis Christi fidelibus, qui tantæ cæremoniæ aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus.

Ne vero de hujusmodi Alexandri Papæ VIII. decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem, aut ab ejus successoribus Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. piæ memoriæ Romanis Pontificibus antecessoribus nostris de more literæ decretales conscriptæ & promulgatæ non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet hæsitari; nos, qui meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, & reliqua hactenus recensita, a jam dicta die XVII. Kalendas Novembres anni MDCXC. suum undequaque & plenarium consequantur effectum, ac si ab eodem Alexandro VIII. literæ decretales revera eadem die conscriptæ & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

XIV. Hæ literæ ad probandam beati Laurentii canonizationem ubique sufficiant.

Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscumque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

XV. His ubique fides adhibeatur.

Ceterum quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla etiam typis impressa, manu publici Notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi vel ostendi contingeret.

XVI. Nemo has literas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolo rum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto pridie idus Junias, Pontificatus nostri anno primo.

Anno 1724.

✠ Ego BENEDICTUS catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tit. Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
†
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. Sancti Petri in Vinculis Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus Tit. Sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tit. Sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. SS. Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
† Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
† Ego Cornelius Tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Bentivolus.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga.
† Ego Joseph Tit. Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.

†
† Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Salernus.
†
† Ego Albarus Tit. Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus Major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. Sancti Calixti Presbyter Cardinalis Marefuscus.
† Ego Frater Augustinus Tit. Sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.
† Ego Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.
†
†
† Ego Nicolaus Maria Tit. Sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Fr. Laurentius Tit. Sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis Cozza.
†
†
† Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius Sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
† Ego Fabius Sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliveriis.
†
† Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
†
†
†
†
†
†
†

P. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

II.

De Beato Isidoro Agricola Hispano, per Gregorium XV. Pont. Max. Sanctorum Confessorum Canoni adscripto.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit & definivit, licèt posteà ob ejusdem Pontificis obitum litteræ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

I. Beatus Isidorus Agricola apud Apostolicam Sedem virtutibus & miraculis clarus.

Summus rerum opifex suæ virtutis potentiam ostensurus, nostræque salutis causam acturus, fideles suos, quos coronat in Cœlo, sæpè etiam honorat

norat in mundo, ad eorum memorias signa & prodigia faciens, per quæ pravitas hæretica confundatur, & fidei Catholicæ veritas confirmetur. Hinc piæ recordationis Romani Pontifices antecessores nostri quum olim audissent, luculentis indiciis patefieri apud hanc sanctam Apostolicam Sedem, Beatum Isidorum Agricolam, inter mortales degentem magnis vitæ meritis & virtutibus excelluisse, ac posteà viventem in Cœlo multis miraculis coruscâsse; inde ex venerandis S. R. E. constitutionibus & regulis certum ejus sanctitatis argumentum propterea duxerunt, quod & merita vera præcessissent, & miracula clara consecuta essent, unde Romana Ecclesia ad ejus venerationem induceretur, quem Deus meritis præcedentibus & subsecutis miraculis venerandum ostenderat. Quare felicis memoriæ antecessor noster Gregorius Papa XV. ad universalis Ecclesiæ regimen evectus, postquam ex frequenti relatu coram se habito eximias virtutes & signa quam plurima ejusdem Beati Isidori intellexit, quem ob longam, generalem, & assiduam sanctitatis famam & cultum viro Dei per multa sæcula constanter exhibitum, Gregorii, nostrique antecessor Paulus Papa V. Rege Catholico Philippo III. per oratores suos vehementissimè flagitante, beatis viris adnumerandum ritè sanciverat, de eodem post maturam deliberationem, per longas & complures discussiones hac de re habitam, in Sanctorum Canonem, more majorum, provide referendo cogitavit.

II. Isidori ortus: & piæ vitæ institutio.

Mantuæ Carpetanorum, Sede Regum Hispaniæ, quæ alias Matritum vocatur, in Diœcesi Toletana, humilibus quidem, sed piis Catholicisque parentibus natus, floruit Isidorus sæculo XII. cujus nomen, tanquam probatissimi hominis, vitæque mira innocentia & signorum gloria illustris, inde usque ad sæculum XVII. uno omnium Hispanorum ore celebratum est, universis honoribus ei palam tributis, quæ in Ecclesia Catholica unis beatis & sanctis viris tribuuntur. Christianas virtutes à tenerioribus annis ita coluit Isidorus, ut adultior factus cæteris artibus, quibus vitam aleret, propterea agriculturam prætulerit, quod humilior, laboriosior, animæque saluti comparandæ aptior & tutior ei videretur. Hanc toto vitæ suæ tempore ita exercuit, ut vel minima pietatis & Religionis officia, quæ semel susceperat, nulla unquam die, causa ejus, prætermitteret. Ad agrum colendum nunquam accessit, quin prius, audito sacrosanctæ missæ sacrificio, precibusque ad Deum ac beatam Virginem ex imo pectore fusis, divinum auxilium implorâsset: quod illi sæpè numero præsto fuit, ubi præsertim apud herum, cujus agrum curabat, propterea accusatus est, quod pietatis operibus plus æquo occupatus, agri opus negligere videretur. Herus enim irarum plenus, ut de Isidoro pœnas sumeret, in agrum, quem incultum putabat, profectus, trino illum boum jugo arari conspexit. Unum & alterum gemini juvenes albis induti regebant, tertium vero medius Isidorus, duo illi, hero accedente, disparuerunt, atque ita factum, ut herus vera esse intelligeret, quæ ei sæpè affirmaverat Isidorus, horas nimirum, quas divino obsequio impendisset, nequaquam perire. Rursus Isidoro divinæ orationi in sacra æde vacanti nunciatur, ejus jumentum à Lupo, nisi citius accurreret, jamjam devorandum. Ipso tamen ob id se ab oratione avelli non passo, absolutâque oratione ex æde egresso, jumentum incolume reperitur, lupus verò propè ipsum exanimis, Deo pro Isidori precibus vicariam operam ei rependente.

III. Permagnæ Isidori virtutes miraculis comprobatæ, & Mariæ uxoris sanctitas.

Tanta fuit Isidori charitas erga proximum, ut sibi pauperi, egenis & pauperibus profuturus, necessaria subtraheret. Quum omnia in eos aliquando erogâsset, alius quidam, stipem deprecaturus, advenit, Isidoro mœrente, quod nihil pauperi dandum superet, piissima conjux semel atque iterum, ei obsequutura, ollam vacuam scrutatur: quam tandem cibo plenam reperit, quo pauper esuriens abundè reficeretur. Eadem Beati Isidori conjux, Maria à Capite nuncupata, virtutum & morum sanctitate venerabilis, viroque suo planè persimilis apud Hispanos habita est, hinc ejus antiquissimus cultus à piæ memoriæ decessore nostro Innocentio XII. anno Christi Domini MDCXCVII. probari meruit, in examen adductus per venerabiles Fratres S.R.E. Cardinales, referente Joanne Francisco Diacono Cardinali Sancti Adriani, Albano nuncupato, mox ejusdem Innocentii in Cathedra Beati Petri successore, felicis recordationis Clemente XI. antecessore nostro. Magnam Isidori caritatem non tantùm erga homines; sed erga ipsa animantia, Cœlique volatilia Deus pergratam sibi esse manifestavit. Quandoquidem asperrima hieme, dum omnia nivibus & glacie concreta rigerent, Isidorus triticum mola frumentaria terendum advehens, palumbas fame confectas arboribus mœstè insidentes conspicatus, quod nive omnia tegente, deesset, unde alerentur, ipse terram nive detersit, tantum tritici spargens, quantùm palumbis alendis satis esse arbitraretur. Factum displicuit socio Isidori, ab eo propterea correpti. Deo tamen nequaquam displicuit, qui triticum, quod superarat, ita auxit, ut posteà nihil è sacco extractum videretur. Injuriis quibuscunque se inconcussum semper ostendit, deque fraudata opera, licèt falsò, accusatus, hoc ægre non tulit, quin potiùs pacate, respondit, accusatorum arbitrio se hero suo satisfacturum.

IV. Deus alias Isidori virtutes signis illustrat.

Probi viri fiducia in Deum tanta fuit, ut omnia, licèt magna & difficilia, certo speraret. Quamplurima præcellentis hujus virtutis exempla occurrunt, ex quibus unum silentio non præteribimus, in sacra æde orationis dulcedine captus, ad socios, pium de more convivium instruentes, serò descendit; neque ipse unus, sed pauperum, qui eum, ut patrem, sequebantur, grege stipatus descendit. Nihil ex convivio præter portionem seorsum pro eo servatam superérat. Ob multitudinem esurientium tristes socios bono animo esse jussit Isidorus; suam portionem viritim inter eos dividendam. Mox Isidori portio tam copiosa reperitur, ut non modò præsentes affatim, sed absentes etiam pascere potuerit. Sed aliis quoque multis & magnis miraculis per Isidori, etiamnum viventis, merita & sanctitatem Deus patefecit. Hero enim in agro, quem Isidorus arabat, sitienti, aquam in loco sicco & undique arido, percussa terra, manantem aperuit, quæ hactenùs manat perennis, nullis unquam solis ardoribus exsiccata. Ei vis divina inesse dignoscitur, Deusque per Isidori intercessionem, in ægris ad eam confluentibus assidua signa operatur.

V. Isidorus piè obit, ejusque corpus ab injuria temporum servatur illæsum.

His, aliisque quamplurimis Dei servus per omnem Hispaniam celebris & illustris, piè obiit circa annum Christi Domini MCXXX. postquam, præeunte Sacramento pœnitentiæ, humilique confessione, suos ad veram pietatem & caritatem ferventi efficacia cohortatus, corpus Domini cum summa religione suscepisset. Servi Dei corpus sub dio totos quadraginta annos in cœmeterio depositum jacuit, imbrium injuriis, quasi in cloacam per scrobem in sepulturam ejus confluentium, expositum. Elapso quadragesimo anno, Dei monitu corpus è cœmeterio in ædem ad honorem beati Andreæ Apostoli Deo sacram, transferendum, effoditur: quod integrum, atque incorruptum, velaminibus pariter integris & incorruptis contectum, suavique odore fragrans, repertum est. Tandem anno Christi Domini MDCXIII. ex novo & honorifico sepulcro, ubi antea conditum fuerat, rursus extractum, eadem integritate & suavi fragrantia spectandum, omnibus patuit.

Isidori

ANNO 1724.

VI. Isidori exuviæ miraculis conspicuæ.

Isidori sacras exuvias innumeris miraculis Deus illustravit. Cœci enim, surdi, claudi, aliique non pauci, variis morbis laborantes, pulvere sepulturæ usi, convaluerunt. Sacrarum ædium Mantuæ Carpetanorum æs campanum atque organa tandiu, nemine pulsante, sonurunt, quandiu supplex & publicus translationis processus duravit. Ad unum omnia ob servi Dei invocationem in ægris sanitati restituendis acta prodigia, longum esset enumerare. Omnia in actis apud Apostolicam Sedem sufficienter & legitime probata fuerunt, perpetuoque pro luculentis & apertissimis testimoniis Summi Dei habebuntur, qui ad plenam fidem de Isidori sanctitate faciendam, quasi testis speciatim invocatus & rogatus accessit.

VII. Rebus Isidori per summos Pontifices solemni ritu recognitis, Gregorius XV. eum in Sanctorum canonem refert, & Urbanus VIII. in Martyrologio Romano describi jubet.

Hæc triennali spacio per S. R. E. Cardinales coram piæ memoriæ antecessoribus nostris Romanis Pontificibus Paulo V. & Gregorio XV. solemni examine, post illum, beatorum canoni adscriptum, discussa fuerunt, omnibus in eam sententiam abeuntibus, ut ejusdem S. R. E. legitimo ritu Isidorum Agricolam in sanctorum Confessorum tabulas referendum esse censerent, jamdiu id vehementer post Philippum III. Regem catholicum, etiam Philippo IV. ejus filio & successore, immo & tota Hispania apud Sedem Apostolicam flagitantibus. Quare Gregorius ex veteri Ecclesiæ Romanæ disciplina in tribus consistoriis coram se habitis tota re denuo in concilium adducta, jejuniisque, eleemosynis & orationibus divino ad id auxilio implorato, decretum condidit de Isidoro inter sanctos publice referendo. Ad hæc idem Pontifex universis, quæ ex sacris constitutionibus, & S. R. E. consuetudine agenda erant, rite peractis, IV. idus Martias anno Christi Domini MDCXXII. pontificatus secundo, in sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum maximo apparatu & frequentia profectus, in plenario venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum conventu repetitis pro Isidoro in sanctorum canonem referendo ferventissimis ad Deum precibus, sanctique Spiritus gratia humiliter implorata, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fideique catholicæ exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus Sancti, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum, totius ejusdem plenarii conventus consilio, unanimique consensu, beatum Isidorum Agricolam Hispanum, de cujus vitæ sanctitate, fidei sinceritate & miraculorum excellentia plene constabat, una cum beatis confessoribus Ignatio a Loyola, Francisco Xaverio, Philippo Nerio, sacraque Dei Virgine Teresa a Jesu, sanctum esse pronunciavit, Sanctorum confessorum catalogo in universa Ecclesia adscribendum esse decrevit, ab omnibus Christi fidelibus, tanquam vere Sanctum, colendum & honorandum esse definivit, in ejus honorem sacras ædes atque aras, ubi incruentum Deo sacrificium offeratur, construi & consecrari posse; & singulis annis idibus Majis ejusdem festum, ut sancti Confessoris, celebrari sancivit: quem postea piæ memoriæ Urbanus Papa VIII. in tabulas Martyrologii Romani sub die VI. idus Majas referendum curavit. Gregorius eadem quoque Apostolica auctoritate, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem festo die sepulcrum, ubi Isidori corpusculum requiescit, devote invisissent, annum unum, & quadragenam; iis vero, qui in festi octava, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavit. Postremo gratiis cum summa lætitia Deo actis, quod sanctum Isidorum Agricolam cum ceteris confessoribus, & Virgine Deo sacra, in conspectu omnium gentium honorificasset, suamque Ecclesiam perinsigni hoc lumine illustrari voluisset, cantata in ejusdem Isidori, & ceterorum solemni oratione in ara maxima supra confessionem beati Petri, Missam cum ejusdem commemoratione celebravit, omnibusque Christi fidelibus, qui tantæ cæremoniæ aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus est.

VIII. Isidori adscriptio sanctorum catalogo confirmatur.

Ne vero de hoc decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, statuto, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod de illis per eumdem Gregorium XV. perque ejus successores piæ memoriæ Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandum VII. utrumque Clementem IX. & X. Innocentium XI. Alexandrum VIII. Innocentium XII. Clementem XI. atque Innocentium XIII. antecessores nostros literæ decretales de more conscriptæ & promulgatæ non fuerint, unquam possit imposterum quomodolibet hæsitari; nos, qui iisdem Romanis pontificibus, disponente Domino, in cathedra beati Petri, licet immeriti, tandem successimus, volumus, & nobis tradita Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, definitio, sanctio, adscriptio, relatio, statutum, concessio, ceteraque hactenus recensita, a jam dicta die IV. idus Martias anni MDCXXII. suum undequaque consequantur effectum, ac si super illis ab eodem Gregorio revera literæ decretales eadem die conscriptæ & promulgatæ fuissent, ut superius enarratur.

IX. Hæc Constitutio ubique fidem obtineat.

Volumus autem, ut præsentes nostræ literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscunque probationis adminiculum ad id amplius requiratur. Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obtinerent, sicubi eas exhiberi, vel ostendi contingeret.

X. Nemo hanc Constitutionem infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, sanctionis, adscriptionis, relationis, statuti, concessionis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo quarto, pridie nonas Junias, pontificatus nostri anno primo.

✠ Ego BENEDICTUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



[✠ Ego

ANNO 1724.

†
†
† Ego Franciscus Episcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.
†
†
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
†
† Ego Joseph Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.
†
†
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
†
†
† Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Tit. Sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
† Ego Bernardinus Tit. Sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Scottus.
†
†
† Ego Nicolaus Tit. Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Salernus.
†
† Ego Alvarus Tit. Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
†
† Ego Joannes Baptista Tit. Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius, Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.
†
† Ego Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ in Dominica Presbyter Cardinalis Coscia.
†
†
†
†

† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Joseph Renatus sancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
† Ego Curtius sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Origus.
† Ego Fabius sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.
† Ego Carolus sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ de Rotunda Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

III.

De beato Philippo Benitio, ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, per Clementem X. Pont. Max. sanctorum Confessorum canoni adscripto.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Rationi congruit & convenit æquitati, ut quæ Romanus Pontifex in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, unanimi eorum consilio communicato, sanxit & definivit, licet postea ob ejusdem Pontificis obitum literæ Apostolicæ de his conscriptæ non fuerint, suum tandem consequantur effectum.

I. Clemens X. concilium init de referendo in canonem Sanctorum Philippo Benitio.

Jamdudum piæ memoriæ antecessor noster Clemens Papa X. Dei servos, quos summarum virtutum & signorum præstantia in variis religiosorum ordinum cætibus olim fulsisse cognoverat, omnium Christifidelium imitatione exprimendos propositurus, inter ceteros unum elegit venerabilem virum Philippum Benitium ex familia fratrum servorum beatæ Mariæ Virginis, quem ob sanctitatem, ex ritu S. R. E. probatam atque recognitam, ubique colendum, honorandumque decerneret.

II. Philippi ortus & vitæ institutio.

Philippus Florentiæ Tuscorum anno Christi Domini MCCXXXIII. dum annua festa agerentur beatæ Mariæ Virginis in cœlum assumtæ, a qua eum parentes precibus impetraverant, familiæ fratrum Servorum ejusdem Virginis, eodem die atque anno institutæ magnum ipse ornamentum futurus; in lucem editus est. Luteciæ & Patavii studiis sacrarum literarum absolutis, hoc assiduis jejuniis & orationibus a Domino obtinuit, ut ordo fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, cui nomen daret, sibi præmonstraretur: cujus ordinis vestem in classe laicorum ob modestiam, indutus, aliquandiu solitariam vitam in montis Senarii eremo supra Florentiam traduxit. Postmodum ex obedientia ad presbyteratum evectus, terrenisque rebus ob cœlestium contemplationem despectis, verbo Dei promulgando se totum addixit, suæque familiæ generalis præfectus in unam hanc curam ardenter incubuit, ut per se suosque variis linguis instructos, Christi Domini Evangelium ubique

ANNO 1724.

prædicandum curaret: quod ipse, salutis animarum percupidus, nullisque periculis territus, sedulo, tantaque alacritate agere consuevit, ut ejus fama permotus piæ memoriæ Clemens Papa IV. decessor noster eum sibi Apostolicum concionatorem adlegerit Peccatores ad Deum conversurus, Galliam, Germaniam, Frisiam & Sarmatiam peragravit, eodemque pio instinctu Pistoriensem civitatem, funestis Gibellinorum Guelforumque odiis laniatam, Christianæ concordiæ restituit; unde factum, ut plures Dei virum imitaturi, res suas pauperibus erogarent, ipsique primarii Gibellinæ factionis duces ad cor redeuntes, religiosum Philippi institutum amplecterentur. Summæ ejus caritatis fervor eluxit, ubi eleemosynam flagitanti, interiorem vestem sibi detractam Viterbii largitus est: qua pauper contectus, à morbo Lepræ convaluit. Magnum quoque & Deo gratissimum Christianæ lenitatis argumentum edidit, dum Liviensis populi in Æmilia crimina & mores pro concione corripiens, virgis cæsus, saxisque impetitus, pro persecutoribus tanto spiritu Deum exoravit, ut ex his unum Peregrinum ad pœnitentiam traxerit, qui Philippi religionem ingressus, sua & civium peccata delevit, postea & ipse eximiis virtutibus & miraculis florens, propterea per nos ipsos, favente Deo, quamprimum in sanctorum canonem referendus.

III. Philippus vetere anachoretas æmulari studet, Pontificatum respuit, & Tuderti obit.

Philippus veterum anachoretarum mores æmulari studens, in cryptam montis Senarii, Deo liberius vacaturus, quadriennium secessit. Ceteris ejus virtutibus par fuit cordis humilitas, qua patriæ Ecclesiæ episcopatum respuit, Viterbium inde properans post piam dormitionem decessoris nostri Clementis Papæ IV. ubi per Ottobonum S. R. E. Diaconum Cardinalem sancti Hadriani, suique ordinis patronum, sibi oblata pontificia dignitate, palam se indignum professus, in solitudinem remeavit, ipsum Ottobonum ad tantum fastigium aliquando evehendum, sed brevi eo potiturum, vaticinatus. Is fuit antecessor noster piæ memoriæ Hadrianus Papa V. Sed Philippus religiosæ solitudinis amore captus, quum iterum tres menses in crypta mentis Senarii latitasset, ab alio inclytæ recordationis decessore nostro Honorio Papa IV. Perusiæ pontificali benedictione munitus, Tudertum petiit, ubi ad populum, qui magna frequentia ei obvius advenerat, concione habita, lethali morbo decubuit, summæque pietatis & religionis argumentis, pœnitentiales Davidis psalmos non sine profusis lacrymis recitans, migravit ad Dominum anno salutis MCCLXXXV. x. Kal. Septembres, dum solemnia absolverentur octavæ beatæ Mariæ Virginis in cœlum assumtæ, quibus in lucem prodierat. Ad ejus corpus sex dies palam expositum populi maxima frequentia venerationis ergo confluere visi sunt, missæque sacrificium, episcopo, clero & tota civitate præsentibus, non pro defuncto, sed de beato confessore nutu Dei celebratur.

IV. Signa post obitum a Philippo patrata, & ejus adscriptio inter beatos, ac postea inter sanctos.

Mox vir justus prodigiis claruit. Ad ejus enim corpus & sepulchrum claudi gressum, cœci visum, ipsique mortui vitam receperunt: quibus aliisque rite cognitis & perspectis, felicis memoriæ antecessor noster Leo Papa X. Philippum beatorum numero adscripsit, officium, missamque in ejus honorem a fratribus ordinis Servorum, beati viri anniversario die recurrente, celebrari permissis, ad id postmodum accedente etiam auctoritate diplomatum sanctæ memoriæ decessorum nostrorum Clementis VIII. & Pauli V. Quare ex S. R. E. regulis & ritualibus Constitutionibus, per Romanos Pontifices editis, de more cognita & compluries in examen adducta, etiam sub fecilis recordationis itidem decessore nostro Urbano VIII. semperque probata viri Dei sanctitate perinsignibus ejus virtutibus, signisque testata, ad pias preces per viros principes ad hanc sanctam Apostolicam Sedem vehementissime repetitas, præsertim vero ab illustris memoriæ Leopoldo Romanorum Imperatore electo, & Cosmo III. olim in Etruria sibi subjecta magno Duce, idem Clemens papa X. Philippum Benitium, de cujus virtutum & prodigiorum magnitudine diserte constiterat, in sanctorum Confessorum canonem referendum pronunciavit. Itaque indicta die, nimirum Dominica secunda post Christi Domini Resurrectionem, pridie idus Apriles anni MDCLXXI. pontificatus sui primo, cum in sacrosanctam beati Petri Apostolorum principis Basilicam, tantam cæremoniam solemni ritu peracturus processisset, semel, iterum, & tertium iteratis ad Deum precibus in plenario conventu venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum pro Philippo Benitio in sanctorum Confessorum canonem referendo, unanimi omnium acclamatione & suffragio, post sacros hymnos, precesque ad Deum pie fusas, & Paracliti Spiritus gratiam enixe invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, exaltationem fidei catholicæ, Christianæque religionis amplificationem, idem Clemens Papa X. auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli beatum Philippum Benitium una pariter cum beatis Confessoribus non ponticibus Francisco Borgia, Cajetano Thienæo, Ludovico Bertrando & Virgine non martyre Rosa a sancta Maria sanctum esse decrevit & definivit, in sanctorum Confessorum canonem retulit, eumdemque imposterum ab universis Christifidelibus, tanquam vere sanctum, colendum, invocandum, honorandumque sancivit: ad ejus honorem sacras ædes, atque altaria, in quibus sacrosanctum missæ sacrificium Deo offeratur, construi ac dicari, & quotannis x. Kalendas Septembres, quo die vir sanctus obdormivit in Domino, illius memoriam, ut sancti Confessoris non Pontificis, pie coli posse pronunciavit. Mox gratiis cum plurimo gaudio Deo actis, præcipuaque oratione per beati Philippi merita ad Dominum recitata, ad aram maximam supra confessionem beati Petri, cum ejusdem Philippi, ceterorumque commemoratione missam celebravit, universis Christifidelibus, qui aderant, plenariam peccatorum indulgentiam & remissionem largitus.

ANNO 1729.

V. Clementis X. decretum de Philippo Benitio inter sanctos relato constitutione hac confirmatur.

Ne vero de hujusmodi Clementis Papæ X. decreto Apostolico, definitione, sanctione, adscriptione, relatione, concessione, ceterisque præmissis, propterea quod ab eodem Clemente, aut ab ejus successoribus Innocentio XI. Alexandro VIII. Innocentio XII. Clemente XI. & Innocentio XIII. piæ memoriæ Romanis pontificibus antecessoribus nostris, literæ decretales, de more, conscriptæ non fuerint, deinceps unquam possit quomodolibet hæsitari; nos, qui, meritis licet imparibus, disponente Domino, in cathedra beati Petri iisdem successimus, volumus & Apostolica auctoritate statuimus, ut decretum, sanctio, relatio, adscriptio, concessio, ceteraque hactenus memorata, à jam dicta die pridie idus Apriles anni MDCLXXI. suum undequaque & plenarium consequantur effectum, acsi super illis ab eodem Clemente Papa X. literæ decretales revera eadem die conscriptæ, & de more promulgatæ fuissent, ut superius enarratur. Volumus autem, ut præsentes literæ ad probandum decretum, definitionem, sanctionem, adscriptionem, relationem, statutum, concessionem, ceteraque præmissa ubique omnino sufficiant, neque alterius cujuscunque probationis adminiculum ad id amplius requiratur.

VI. Hæc constitutio ubique fidem obtineat.

Præterea quia difficile foret, has nostras ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut earumdem exempla, etiam typis impressa, manu publici notarii subscripta, sigilloque alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munita, eamdem ubique fidem obtineant, quam hæ nostræ obti-

ANNO 1724.

tinerent, ficubi eas exhiberi, vel oftendi contingeret.

VII. Nemo eam infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noftri decreti, definitionis, fanctionis, adfcriptionis, relationis, ftatuti, conceffionis infringere, aut ei temerario aufu contraire. Si quis autem hoc attentare præfumferit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit incurfurum.

Datum Romæ apud fanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millefimo feptingentefimo vicefimo quarto, pridie nonas Junias Pontificatus noftri anno primo.

✠ Ego BENEDICTUS Catholicæ Ecclefiæ Epifcopus.



†
†
† Ego Francifcus Epifcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus.
†
†
† Ego Laurentius Epifcopus Tufculanus Cardinalis Corfinus.
†
† Ego Jofeph Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Sacripantes.
†
† Ego Thomas Tit. Sanctæ Mariæ Tranftiberim Presbyter Cardinalis Rufus.
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Cæliciæ Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sancti Silveftri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
†
†
† Ego Antonius Felix Tit. Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Marcellinus Tit. Sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Melchior Tit. Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
† Ego Bernardinus Tit. Sancti Petri in Monte aureo Presbyter Cardinalis Scottus.
†
†

†
†
†
†
† Ego Georgius Tit. Sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Ludovicus Tit. Sanctæ Prifcæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Jofeph Tit. Sanctæ Sufannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Joannes Baptifta Tit. Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Salernus.
†
† Ego Alvarus Tit. Sancti Bartholomæi in Infula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
†
† Ego Joannes Baptifta Tit. Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Profper Tit. Sancti Chryfogoni Presbyter Cardinalis Marefufcus.
†
† Ego Nicolaus Tit. Sanctæ Mariæ in Dominica Presbyter Cardinalis Cofcia.
†
†
†
†
† Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Jofeph Renatus fancti Georgii in Velabro Diaconus Cardinalis Imperialis.
† Ego Laurentius fanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus fancti Angeli in Foro Pifcium Diaconus Cardinalis Columna.
† Ego Curtius fancti Euftachii Diaconus Cardinalis Origus.
† Ego Fabius fanctorum Viti & Modefti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.
† Ego Carolus fanctæ Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis de Marinis.
† Ego Julius fancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander fanctæ Mariæ in Cofmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Nicolaus fanctæ Mariæ de Rotunda Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

VISA

De Curia J. Archiepifcopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Regiftrata in Secretaria Brevium.

IV.

Pro Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus totius Orbis Catholici Ecclefiis. Altare privilegiatum quotidianum, & perpetuum.

BENEDICTUS PP. III.

Ad perpetuam rei memoriam.

Omnius faluti paterna charitate inventi, facra interdum loca fpiritualibus Indulgentiarum

ANNO 1724.

muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex Purgatorij pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes, & singulas Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales totius Orbis Catholici Ecclesias, in quibus Altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, & in eis Altare per Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos respectivè locorum gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes semel tantùm designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, seù instituti Regularis Missam Defunctorum pro anima cujuscumque Christifidelis; quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur: Ita ut ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Julij MDCCXXIV. Pontificatus Nostri anno primo.

F. Card. Oliverius.

IV.

Indulgentiæ perpetuæ pro Orantibus ad pulsum salutationis Angelicæ.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ à Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris Beatissimæ, atque Augustissimæ Cœli Reginæ Virginis Deiparæ Mariæ Patronæ, & Advocatæ nostræ venerationem, excitandamque, & confovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum: Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi; Omnibus, & singulis Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui manè, aut meridiè, seu vesperè ad pulsum Campanæ *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis cum tribus Ave Maria* flexis genibus devotè recitaverint, & pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxàt, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam omnium, peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: In reliquis verò anni diebus iisdem Christifidelibus verè contritis, quotiès id egerint, centum dies de injunctis eis, seù aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris; Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xiv. Septembris 1724. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F.Cardinalis Oliverius.

V.

Pro restituenda, & conservanda in Religione Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, Reformatorum, Discalceatorum, Recollectorum, Tertiariorum, vel quocumque alio nomine nuncupatorum sub directione Ministri Generalis Totius Ordinis viventium antiqua Regulari Disciplina.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiversalis Ecclesiæ Regimini, nullo licèt meritorum nostrorum suffragio, inscrutabili Divinæ Providentiæ arcano præsidentes, inter multiplices, ac sanè gravissimas Pastoralis Officii Nostri sollicitudines, quibus jugitèr premimur, memores sub suavi Religionis Fratrum Prædicatorum jugo à teneris usque annis Nosmetipsos Deo devovisse illam peculiari quâdam ratione curam suscipimus, per quam prisca Regularis disciplinæ observantia in Religiosis Ordinibus conservetur, atque instauretur, & ne ii, qui per emissorum in illis votorum semitam ad apicem perfectionis contendunt, à recto Institutorum suorum tramite deflectant, quæcumque felici eorum regimini, ac providæ Animarum suarum directioni impedimento esse possunt, removere studemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, in Domino salubritèr expedire conspicimus.

Cum itaque, sicut accepimus, ac Nos ipsi, dum in minoribus constituti, commisso Nobis à fel. rec. Clemente XI. & Innocentio XIII. Rom. Pontificibus Prædecessoribus Nostris in quibusdam Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci tum de Observantia, tum Reformatorum nuncupatorum Provinciis Visitatoris Apostolici munere fungebamur, experientiâ didicimus, in Ordine præfato, qui suaves, ac uberrimos in Ecclesia Dei fructus omni tempore protulit, & in dies, Eo benedicente, à quo bona cuncta procedunt, proferre non desistit, nonnulli irrepserint abusus contra primitivæ illius disciplinæ formam, ac dispositionem quarumdam Apostolicarum Constitutionum, præsertim rec. mem. Urbani PP. VIII. Prædecessoris paritèr Nostri die xxIII. Junii MDCXXXIII. xxvI. Junii MDCXXXIX., ac primâ etiam Junii MDCXL. respectivè editarum, quarum priore incipiente *Inter cæteras* - omnia privilegia personalia in eodem Ordine perpetuò abrogata fuerant, neque de cætero à quoquam concedi posse cautum erat; Alterâ verò, cujus initium est - *Admonemur* - ad- Præsentis Constitutionis Motiva.

versùs

ANNO 1724.

versùs illius Superiores favores extrà Ordinem ipsum in concessione gratiarum, graduum, Officiorum, & dignitatum, ac remissione pœnarum attendentes, nec non Fratres ejusmodi favores conquirentes emanaverat; & tertiâ demùm, quæ incipit - *Militantis Ecclesiæ* - inter alia Patribus ejusdem Ordinis jus, arbitrium, ac consuetudinem superintendendi Provinciis, Conventibus, Fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, quæ sibi ex officiis, quibus functi fuerant, remansisse, seu competere prætendebant, adempta, & abolita fuerant; ob minùs accuratam autem harum Constitutionum observantiam multa, & gravia in dicto Ordine adversùs Regularis observantiæ nitorem incommoda oriri dignoscantur, nec non magnum relaxationi ostium pandatur, atque spiritui Paupertatis, & Humilitatis, quo Seraphicus ille Ordo potissimùm innititur, plurimùm detrahatur, non sine modica etiam religiosæ illius Fratrum pacis, & tranquillitatis perturbatione.

§. 1. Abrogantur omnia, & quæcumque privilegia personalia. Et innoventur Constitutiones aliàs editæ. Gregor. PP. XV. incip. -- Pastoralis -- 3. Febr. 1623. Urban. PP. VIII. -- cæteras -- 23. Jul. 1639. Ejusdem - Militantis 1. Jun. 1640. Clem. PP. X. - Sacrosancti -- 7. Octobr. 1672.

Hinc est, quòd Nos, qui Regularem disciplinam ubique vigere, omnemque illius relaxationis viam præcludi summoperè exoptamus, hujusmodi malis, & incommodis de opportuno remedio, quantùm cum Domino possumus, providere volentes, antiquis, ac laudabilibus dicti Ordinis Statutis per Sedem Apostolicam confirmatis inhærendo, Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc Nostrâ perpetuò valiturâ sanctione confirmantes, & expressè innovantes, quæ ab eodem Urbano Prædecessore in ternis ejus Constitutionibus supradictis, & à piæ mem. Clemente PP. X. Prædecessore etiam Nostro per quasdam suas in pari forma Brevis die VII. Octobris MDCLXXII. super nova eorumdem privilegiorum personalium abrogatione expeditas literas disposita, & ordinata fuere; omnia, & quæcumque Indulta, seu Privilegia personalia tam Ex-ministrorum, Excommissariorum seu Vice-commissariorum, Exprocuratorum, & Ex-diffinitorum Generalium, quàm Ex-ministrorum, Ex-custodum, Ex-diffinitorum Provincialium, proùt etiam Ex-generalium, Prædicatorum, atque Lectorum Theologiæ supra numerum, nec non apud Parentes, vel Consanguineos, aut alibi extrà Claustra habitu retento degendi, aut in uno Conventu ita determinatè commorandi, ut sublata sit Superioribus facultas ad alios Conventus transferendi, & quævis alia hîc non expressa, quibuslibet Fratribus de Observantia, Reformatis, Discalceatis, Recollectis, Tertiariis, vel quocumque alio nomine nuncupatis sub regimine, ac directione Ministri Generalis dicti Ordinis viventibus, cujuscumque dignitatis, qualitatis, & conditionis existant (Charissimorum in Christo Filiorum nostrorum Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Theologis, Concionatoribus, & Confessariis actualibus dumtaxàt exceptis) quovis titulo, prætextu, causâ, & occasione, & ad cujuscumque instantiam, & supplicationem, tam à Nobis, & Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & à quibusvis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, quàm etiam ab ipsius Sedis Apostolicæ Nunciis, aut de Latere Legatis, ac quibuslibet Ordinis hujusmodi Superioribus hactenùs quoquo modo contra, & præter Regularia Ordinis prædicti Statuta, & Apostolicas Constitutiones concessa perpetuò revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque in perpetuum revocata, cassata, abrogata, & abolita, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, neminique ullatenùs suffragari, neque deinceps à quoquam concedi posse decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis, privationisque suorum Officiorum, ac vocis activæ, & passivæ pœnis eo ipso incurrendis, dilectis filiis Ministro, & Commissario Generalibus, ac Ministris Provincialibus, Custodibus, aliisque ejusdem Ordinis Superioribus, ut quamprimùm præsentes Nostræ literæ ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres & Fratres Ordinis hujusmodi similia indulta, seu privilegia habentes, etiam si à Nobis, vel à Prædecessoribus prædictis de non completo, vel complendo integro tempore officiorum, ex quibus illa desumere prætendunt, dispensationem quoquomodo obtinuissent, illis eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam eis in posterùm uti sinant, vel permittant.

Fratres verò, quibus per dicti Ordinis Constitutiones Conventus, in quibus degant, pro suo arbitrio deligere concessum est cùm ad præscriptum Regulæ, quàm solemniter voverunt, *nec domum nec locum, nec aliquam rem in hoc Mundo sibi possint appropriare*, ex nunc, & decreto perpetuis futuris temporibus, omni usu in contrarium penitùs sublato, à Superioribus Generalibus, vel Provincialibus de Conventibus eis magis acceptis, eâ, quâ decet humilitate sibi provideri postulent. Superiores autem pro singulorum meritis, & qualitate eos in Conventibus postulatis collocari procurent, sicut in Domino expedire viderint; exceptis tamen Almæ Urbis nostræ Conventibus, inquibus utpotè numerosâ familiâ gravatis, nec ipsos etiam Ordinis Discretos, qui non fuerint Patres Romanæ Provinciæ, sive de Observantia, sive Reformatorum, vel dictæ Sedis servitio addicti, volumus de Familia commorari posse, sed expletis eorum officiis, ad proprias Provincias, vel ad Conventus sibi à dictis Superioribus assignandos proficisci omninò teneantur, in quibus Guardianis suis juxtà Divi Francisci Institutoris mentem ita illi, eorumque Socii subesse debeant, ut extrà Claustra, absque expressa eorumdem Guardianorum qualibet vice obtinenda licentia exire non possint.

Quod nullus possit in posterum eligere sibi Conventum, nisi de licentia Superiorum. Ex Reg. S. Franc. c. 6.

FF. omnes teneantur obedire Guardianis suis, nec extra Conventum possint exire absque eorum licentia. Regula S. Franc. c. 10. & in ejus Testamento Clem. PP. VIII. de Reform. Regul.

§. 2. Quod non concedantur per emendicata suffragia extra claustra officia in Ordine, gradus, & alia.

Juxta Constitutiones aliàs emanatas. Sa. m. Clem. PP. VIII. de Regul. Refor. 25. Jun. 1599. Pauli PP. V. -Admonemur- 18. April. 1619. Urban. PP. VIII. Admonemur-- 29. Jul. 1693.

Insuper ne ad gradus, officia, & dignitates per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus, & additus præbeatur vagis, & otiosis Fratribus per alienas Provincias errandi, vel etiam propriæ Provinciæ Conventus circumeundi ob exortas à suis Superioribus facultates per conquisitos extrà Ordinem favores similiter in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna privationis officiorum Nostro, ac Romanorum Pontificum successorum Nostrorum arbitrio Superioribus Generalibus ejusdem Ordinis; Provincialibus verò, & reliquis dicti Ordinis Prælatis nunc, & pro tempore existentibus arbitrio ipsorum Superiorum Generalium præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum, tam Ecclesiasticarum, quàm Laicarum extrà dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quâcumque sæculari dignitate, & excellentiâ, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis præfati Ordinis Religioso ullam gratiam impertiri, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, & administrationes ejusdem Ordinis concedere audeant; quinimo Fratres, qui contra præsentium tenorem mediis, & viis hujusmodi per conquisitos favores, & suffragia extrà Ordinem, aliquid sibi procuraverint, ad talia, & similia, ac etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuò inhabiles, & incapaces declaramus: Eos verò, qui personarum extrà Ordinem favorem, vel auctoritatem interpellaverint ad extorquendas à suis Superioribus facultates vagandi, vel de uno in alium Conventum transeundi, pœnâ carceris formalis Superiorum suorum Generalium, vel Provincialium pariter arbitrio puniendos esse statuimus; ipsisque Religiosis, & Fratribus dicti Ordinis quibuscumque sub eisdem respectivè pœnis præcipimus,

ANNO 1724.

& expresse inter dicimus, ut non solùm in præmissis omnibus favores ejusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, ut ab eis minimè procuratos recipere, & similiter, nec ad hunc effectum munera aliqua prædictis Personis exhibere præsumant.

§. 3. Quod Patres nullum in posterum habeant jus nominandi Diffinitores, & Guardianos nec titulo convenientiæ possint Conventus invicem partiri: & confirmantur Constitutiones super hac re aliàs publicatæ. S. m. Clem. PP. VIII de Reform. Reg. die ut supra. Urban. PP. VIII. Militantis 1. Junii 1642.

Præterea omne, & quodcumque prætensum Jus, seu assertam consuetudinem, quæ potiùs abusus dici debent, Diffinitores, vel Guardianos in ipsius Ordinis Capitulis Provincialibus, vel Congregationibus intermediis nominandi, præsentandi, seu proponendi, Provinciis, Conventibus, ac Fratrum collocationibus superintendendi, quovis titulo convenientiæ, vel directionis, seu alio qualitercunque nuncupato inducta & obtenta, & intrusa in perpetuum similiter cassamus, & abolemus, ac cassata, & abolita esse, & censeri debere, cuicumque in posterùm tales nominationes, præsentationes, & propositiones, aliaque præmissa faciendi facultate penitùs interdictâ sub privationis vocis activæ, & passivæ, necnon inhabilitatis ad officia obtenta, & alia in futurum obtinenda ipso facto incurrendis pœnis decernimus, & ordinamus. Declarantes propterea eos, qui Superiores, vel Diffinitores Generales, Officiales Romanæ Curiæ, Provinciarum Ministri, vel qui inter ipsos juxta dicti Ordinis Statuta connumerantur, quique Custodes etiam, aut Diffinitores Provinciarum fuerint ex officiis, quibus functi sunt, nullum habere, vel prætendere posse Jus, arbitrium, superintendentiam, intelligentiam, vel quocumque alio nomine nuncupetur, præeminentiam in Provinciis, Conventibus, Fratrum collocationibus, aliisque dispositionibus, sed liberum omninò sit Provincialibus, & Diffinitoribus (nullo ad prædictos Patres habito respectu) de Conventibus disponere, Guardianos instituere, Fratres collocare, aliaque exequi, prout communi Provinciarum bono magis convenire censuerint. Ipsis etiam Provinciarum Ministris, Custodibus, ac Diffinitoribus nunc, & pro tempore existentibus sub eadem pœnâ privationis officiorum, quæ obtinent eo ipso quoque incurrenda districtè inhibemus, ne titulo convenientiæ, vel directionis, seu alio quocumque nomine Conventus invicem partiri, in eisque Guardianos nominare, proponere, & præsentare audeant, cùm intentionis nostræ sit, omnes, & quascumque ejusmodi Conventuum distributiones, Guardianorum nominationes, & præsentationes penitùs tollere, & abrogare.

Quod in Capitulis, & Congreg. Provinc. præsens Constitut. legatur, & Vocales juramentum præstent. &c.

Præcipientes omnibus, & singulis Fratribus dicti Ordinis suffragium, & vocem activam habentibus in Capitulis, & Congregationibus Provincialibus, ut priusquam ad electiones deveniant, has præsentes literas legi faciant, omnesque, & singuli observare jurent, quo scilicèt depositis privatis studiis, & affectionibus, nullâque dictorum Patrum habitâ ratione, eos tantùm in Provinciales, Custodes, Diffinitores, & Guardianos liberè eligere, & approbare valeant, qui juxta Apostolicas, & dicti Ordinis Constitutiones eligi debent, quosque prævià meritorum qualificatione digniores, ac ipsis Provinciis, & Conventibus regendis utiliores, & ad id magis idoneos dijudicaverint.

Familiæ Conventuum à solo Diffinitorio deputentur juxta Constitut. supra citatas.

In deputatione autem familiarum, seu destinatione Conventuum in Capitulis, & Congregationibus Provincialibus hujusmodi facienda, ut juxta Conventuum exigentiam, & personarum merita Religiosi opportunè collocentur præcipimus, & mandamus sub vocis activæ privatione, aliisque arbitrio Superiorum Generalium infligendis pœnis, ut in iisdem Capitulis, & Congregationibus Familiæ Fratrum ab integro Diffinitorio deputentur, & Conventus destinentur, Fratres verò sub pœna etiam carceris formalis arbitrio Ministri Provincialis ad Conventus sibi assignatos se conferre, ibique commorari teneantur, nisi legitimâ excusentur causâ ab ipso Diffinitorio approbandâ, & Guardiani aliquem sine causa respuentes, privationis sui officii pœnam incurrant, at si causa subsit illum rejiciendi, eam Superioribus Provincialibus deferre debeant, quæ si legitima, & rationabilis eorum judicio probabitur, tunc Religiosum sic rejectum ad alium Conventum mittere valeant.

ANNO 1724.

§. 4. Revocantur suffragia perpetua in Capitulis, & Congreg. Provincialibus, secundùm alias editas Constitutiones Rec. m. S. Pii PP. V. Pastoralis 28. Maii 1571 Clem. PP. VIII. — 28. Seraphicum Ordinem — 10. April 1600 Gregor. PP. XV. Militantis — 22. Februarii 1622.

Quia tamen in Provinciarum regimine nec abusus tolli, sed potiùs augeri, nec omnimodam libertatem in electionibus, & deputationibus familiarum hujusmodi, prout par esset, pluribus ab hinc annis obtineri posse non uno experimento compertum habemus, eò quòd Superiores officio functi, ac fermè semper iidem Provinciarum Patres Diffinitoria ingrediantur, ibique locum, & votum habeant, perniciosis hujusmodi malis occurrere cupientes, utque Provinciarum gubernia juxta ipsius Ordinis Constitutiones singulis trienniis ex integro immutentur, & nullatenùs perpetua reddantur, providere volentes, cum aliquando contingat, Suffragia perpetua Patrum, quos Habituales vocant votis Diffinitorum actualium æqualia esse, immò illa excedere in grave ipsarum Provinciarum præjudicium, quandoquidem ipsis dumtaxat Diffinitoribus Jus sit in Capituli hujusmodi pro earumdem Provinciarum majori bono, & felici gubernio Religiosos ad officia eligere, ac proinde in hac parte literis sanctæ mem. Pii V., Clementis VIII., & Gregorii XV. Romanorum Prædecessorum itidem Nostrorum hac super re emanatis insistentes omnia, & quæcumque perpetua suffragia tàm de Jure, quàm de consuetudine, quoquomodo in Capitulis, Congregationibus, vel Diffinitoriis particularibus Provinciarum, & Custodiarum, tàm de Observantia, quàm Reformatorum, Discalceatorum, Recollectorum, Tertiariorum, vel alio nomine nnncupatorum, quibusvis Fratribus hactenùs quomodolibet competentia, motu, scientiâ, ac de potestatis plenitudine paribus harum serie etiam perpetuò revocamus, annullamus, & abrogamus, nulliusque roboris, & momenti deinceps fore, & esse declaramus.

Volentes proinde in Capitulis Provincialibus hujusmodi Guardianos, Diffinitores, Custodes, & Provinciales Ministros, ac Præsidentes Capitulares vocem activam pro novo Diffinitorio eligendo, ipsosque Ministros Provinciales tunc officio functos votum etiam consultivum, & decisivum in omnibus actibus Capitularibus unà cum novo Diffinitorio, & Præsidente in futurum dumtaxàt habere, in reliquis verò Diffinitoriis particularibus, & Congregationibus intermediis solos Provinciales Ministros, Custodes, & Diffinitores hujusmodi voce consultivâ, & decisivâ uti, & frui debere. Cùmque eadem prorsùs sit ratio de Capitulis, & Congregationibus generalibus, & ne etiam ob hanc Suffragiorum perpetuitatem aliqui ex dictis Religiosis Sanctæ, & Seraphicæ humilitatis obliti, spiritu Superbiæ inflentur, vel diuturnitate gubernandi allecti subesse dediscant, & alii eorum exemplo simili cupiditate accendantur, priusquàm hujusmodi scandala in Ordinis, & animarum detrimentum invehantur, idipsum quod de Capitulis, & Congregationibus Provincialibus disposuimus, ut præfertur, ad Congregationes etiam, & Capitula Generalia dicti Ordinis extendimus. Inhibentes propterea omnibus, & singulis prædicti Ordinis Patribus, ne in Capitulis, & Congregationibus Generalibus præfatis quisquam eorum in posterùm cujuscumque habitualitatis, etiam Generalatus prætextu suffragium

Idem statuitur in Capitulis, & Congreg. Generalit. pari ratione, & ad formam Constitutionum supra relat.

fer-

ANNO 1729.

ANNO 1724.

ferre possit pro Superioribus Generalibus, vel Diffinitoriis noviter eligendis, sed illi tantùm inibi votum habeant, qui juxtà Ordinis Constitutiones de Corpore Diffinitorii Generalis fuerint, ita tamen, ut ipsi Superiores Generales officio functi in illis Capitulis, & Congregationibus, in quibus eorum munus expleri, seù cessare contigerit, votum consultivum, & decisivum in omnibus actibus Capitularibus obtineant, quibus absolutis soli Minister, & Commissarius Generales noviter electi cum eorum Officialibus Curiæ, & Diffinitoribus universum Ordinem, vel Familiam respectivè, seclusis quibuscumque Ordinis Discretis valeant, & debeant moderari; ita quòd Superiores Generales hujusmodi in arduis, vel Familiæ negotiis aliquos ex Discretis, & Patribus præfatis, quos maluerint, consulere, & etiam ad ordinarios Congressus, si id commode fieri poterit, vocare debeant, prout Religionis bono conducere existimaverint.

Quomodo posterum ri debeant bstitutio-s, & sub gationes trum.

Porrò quod attinet ad subrogationem Patrum in Capitulis, & Congregationibus, sive particularibus Diffinitoriis, aut Congressibus tam Generalibus, quàm Provincialibus, ea omnia servari debere mandamus, quæ aliàs per Statuta dicti Ordinis præscripta reperiuntur, ita ut secundùm uniuscujusque gradum, & dignitatem primò Ordinis, & Familiæ Discreti, deinde Ex-officiales Romanæ Curiæ, ac Ex-diffinitores Generales postea Ex-ministri, & Provinciæ Patres respectivè juxtà eorumdem Statutorum dispositionem substituantur, & subrogentur; Volentes tamen, quòd Provinciarum Ministri officio functi; & qui inter eos ad præscriptum Constitutionum Ordinis præfati connumerari solent, sive sint Exguardiani Hierusalem, Ex-secretarii, aut Ex-commissarii Generales in partibus Indiarum, vel Lectores jubilati de numero, ac alii hujusmodi inter se ita æqualem omninò Ordinem de cœtero perpetuis futuris temporibus servent quoad substitutiones hujusmodi, ut illi primo loco subrogentur, qui priùs inter Provinciarum Patres, seù Ex-ministros locum fuerunt adepti, quamvis exindè ipsos Provinciarum Ministros, qui reverà officio functi sunt, post alios non anteà Ministros contingat suffragari, cùm mentis, & intentionis Nostræ sit, ut hoc substituendi, & suffragandi Jus non in aliquot tantum, sed in omnibus Patribus, quibus illud competit suum sortiatur effectum.

Commuta-r in priva-onem offi-iorum, pœ-a excom-unicationis flicta in li-ris Urbani P. VIII.

Quoniam verò in supradictis Urbani Prædecessoris Constitutionibus, non minùs contra Fratres favores extrà Ordinem præfatam attendentes, vel conquirentes, quàm super abolitione prætensi Juris, consuetudinis, vel arbitrii Patrum ejusdem Ordinis, qui officiis functi fuerant, editis, pœna excommunicationis adversùs transgressores ipso facto incurrenda infligitur, ne ex hoc Religiosorum dicti Ordinis conscientiæ scrupuli ingerantur, ac laquei struantur in gravem Animarum suarum perniciem; eisdem Constitutionibus, firmâ remanente in reliquis earum dispositione, in hac parte tantùm derogantes, pœnam excommunicationis hujusmodi in illam privationis officiorum, ut præfertur, quæ tamen non nisi à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris relaxari valeat, commutamus.

Clausula-m præser-tivarum junctio.

Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo; quòd Superiores, & Fratres Ordinis præfati, aliique quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis præeminentiæ, vel dignitatis existant, seù aliàs speciâ, & individuâ mentione, & expressione digni in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, seù ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas ipsæ præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, vel capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo umquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seù intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seù adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seù etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extrà illud uti, seù se juvare ullo modo posse, neque easdem præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam à Nobis, ac Successoribus præfatis pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, nisi de ipsis literis, earumque dispositione fiat mentio specialis, sed ab illis semper excepta, & perpetuò valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabilitèr, & inconcussè observari, & adimpleri; sicque, & non alitèr, in præmissis censeri, atque ita per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicandi, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariorum ampla derogatio.

Non obstantibus præmissis, ac quatenùs opus sit Nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, & fel. rec. Gregorii XIII. ac ejusdem Urbani VIII. & Alexandri VII. Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, per quas suffragia perpetua in Capitulis & Congregationibus Provincialibus, & generalibus Patribus Ordinis, & Provinciarum concessa fuerant, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus; vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non dicti Ordinis, ejusque Congregationum, Reformationum, Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, aliisque quibuslibet etiam juramento confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis, Usibus, Stylis, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, ejusque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua ac de verbo ad

verbum,

ANNO 1724.

verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hâc vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut Superiores in omnibus Provincialibus Capitulis de hujusmodi Constitutionis observantia diligenter inquirant

Volumus autem, ne ullo unquàm tempore hæc in oblivionem seù desuetudinem abeant; ut Superiores Generales, vel eorum Commissarii in Provinciarum visitatione sub iisdem privationis officij, vocisque activæ ipso facto incurrendis pœnis, quæ nonnisi à Nobis, vel Romanis Pontificibus Successoribus Nostris similitèr relaxari valeant, de contentorum in hac nostra sanctione observantia diligenter inquirant, ac transgressores in vocis activæ, & passivæ privationis pœnam incidisse, & ad officia Ordinis inhabiles eo ipso declarent; utque earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis Ministri Generalis, aut Notarii publici subscriptis, & Sigillo Officii ejusdem Ministri, aut Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xvi. Novembris MDCC XXIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Loco ✝ Annuli Piscatoris.

VII.

Literæ Apostolicæ quibus per totam Italiam, & Insulas adjacentes Providendis de Beneficiis Ecclesiasticis non affectis, aut reservatis S. Sedi demandatur solutio mediæ annatæ favore fabricæ Metropolitanarum, & Cathedralium, ac Collegiatarum Ecclesiarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Pius, & misericors Dominus, qui dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiæ recordatur, Templa dominica construi, & divinis precibus consecrari voluit, & præcipit, in quibus cum hominibus habitat, ut plebs fidelis per oblationes, & pacificas hostias devotæ orationis, iram Judicis mitiget, ipsius Clementiam humiliter postulando. Nè igitur domos Dei, quas decet sanctitudo, & quarum decorem summoperè diligendum sacra eloquia testantur, propter temporum injuriam collabi, in pejus ruere, minusque decenter retineri contingat, Sacri Canones modis omnibus providere non omiserunt.

Veruntamen experientia ostendit, quod dolenter dicimus, hactenùs constituta haud sufficienti præsidio fore, ut sacrarum legum vota adimpleantur, quamobrem cum ad universalis Ecclesiæ Pastorem pertineat vigili cura in re tàm sancta, in qua nulla sollicitudo nimia videri potest, nova subministrare subsidia, præsertim ubi de reparandis, iisve debito modo conservandis Ecclesiis Cathedralibus agitur, & Collegiatis, in quibus fidelis Populus frequentius ad orandum convenire solet, de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & aliquot insuper dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quos ad id specialiter deputavimus consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, præcipimus, & mandamus per totam Italiam, & Insulas adjacentes, ut in posterùm provisi de Parochialibus unà cum incertis annuum redditum scutorum centum monetæ Romanæ excedentibus: & de Canonicatibus, & Beneficiis, tam residentialibus, quàm non residentialibus, & simplicibus sitis extra Ecclesias Collegiatas cujuscumque valoris existant teneantur solvere, & respectivè deponere mediam annatam pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis; Provisi verò de Parochialibus unà cum incertis annuum redditum scutorum centum monetæ præfatæ excedentibus: & de Canonicatibus, & Beneficiis tam residentialibus, quàm non residentialibus, & simplicibus sitis in Ecclesiis Collegiatis, vel ad illas translatis cujuscumque valoris existant itidem teneantur solvere, & respectivè deponere mediam annatam pro fabrica Ecclesiæ Collegiatæ, sive Beneficia prædicta liberæ collationis, sive Jurispatronatus mixti, ac etiam laicalis fuerint, & ad quemcumque electio, collatio, institutio, & provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, sive ad Capitulum, sive ad alium quemcumque Inferiorem, dummodo collationis, institutionis, & provisionis S. Sedis minimè existant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, vel dimittendi fructus sex mensium, aut similem non tamen minorem ratam favore Fabricæ, vel Sacristiæ, utroque enim in casu pro Fabrica prædicta nihil solvendum, aut deponendum erit.

Ut autem præmissa, quæ ad consulendum debito Metropolitanarum, & Cathedralium, ac Collegiatarum Ecclesiarùm decori disposita dignoscuntur, suum sortiantur effectum, præcipimus, & mandamus, quod mediæ annatæ hujusmodi deponantur penès personam idoneam ab Episcopis cum scientia, & consensu Capitulorum deputandam, & successivè ab eisdem deficiente necessitate occurrendi reparationi Ecclesiæ investiantur, & collocentur in stabilibus, & fundis, seu Capitalibus tutis, securis, atque fructiferis, ac ubi fieri poterit in locis montium Cameralibus non vacabilibus, pro dote Fabricæ singularum Ecclesiarum prædictarum, ac ejusmodi dotium annuus proventus non in alium usum, quàm reparationis, conservationis & manutentionis Fabricæ earumdem Ecclesiarum, ab unicujusque Præsulibus, cum scientia pariter, & consensu suorum Capitulorum in occurrentibus casibus erogetur, & quotiescumque dictas Ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus & fructuum fructus Dotium prædictarum in aliis stabilibus fundis & Capitalibus tutis; atque fructiferis, ac respectivè in aliis locis montium eodem prorsùs modo re investiantur, & collocentur, ad hoc, ut ipsæmet Dotes majora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis Fabricæ ipsarum Ecclesiarum oneri satis esse possint.

Cæterùm super præmissis omnibus, ac præsertim super iis, quæ rectam, & fidelem præfatarum dotium administrationem respicient, eorumdem Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum inferiorum, atque etiam Capitulorum conscientiam peculiariter, & districtè oneramus; Ac insuper quoties Archiepiscopi, Episcopi vel Ordinarii Inferiores, ac respective Capitula in aliquo ex his defecerint, itaut vel ratione minus fidelis, idoneique depositarij, aut ex causa non facti, vel minùs tuti, & exindè deperditi investimenti, aut demùm propter erogata Capitalia, vel fructus in alios usus, aliquod præjudicium emerserit Patrimonio Fabricæ ipsi Archiepiscopi, Episcopi, vel Ordinarii

Inferiores,

Inferiores, & respectivè Capitula, & singuli Canonici qui defecerint, eorumque hæredes, & successores teneantur ad omnia damna, & interesse favore prædictæ Fabricæ, eorumdemque bona omnia pro potiori cauthela affecta sint, & specialiter hypothecata favore ejusdem Fabricæ.

Quoniam verò nostræ mentis non est per hanc nostram Constitutionem, ut præmisimus, Sacrorum Canonum statuta, & præsidia minuere, sed quantùm in Domino possumus augere favore Ecclesiarum, declaramus, & expressè volumus firmissimum nihilominùs manere onus reparandi, restaurandi, & manutenendi Ecclesias Cathedrales Episcopis à Jure injunctum, itaut in restaurandis, reparandis, & conservandis Ecclesiis Cathedralibus, antequam tangantur fructus, seu capitalia favore fabricæ, vigore hujus Constitutionis conficienda, teneantur Episcopi, & ad normam Sacrorum Canonum exquiratur de eorum obligatione.

Prætereaque decernimus hanc nostram Constitutionem locum habere favore omnium Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum totius Italiæ, & Insularum adjacentium, tametsi pro nonnullis Ecclesiis æditæ fuerint aliquæ provisiones, sicuti per fel. record. Innocentium PP. XIII. Prædecessorem nostrum pro tribus Ecclesiis, nempè Auximana, Viterbien., & Tuscanen., & per Nos hactenùs pro quatuor scilicet Nuscan., Vigilien., Castellanaten., & Sypontina mediante unione ratæ pensionis super fructibus earumdem Ecclesiarum, ad certum tempus favore fabricæ earumdem Ecclesiarum, actum fuisse constet, & in universum pro Ecclesiis Regni Neapolitani emanaverit Constitutio sa. mem. Innocentii PP. XII. etiam Prædecessoris nostri incipiens = *Inscrutabili*, & supervenerit alia nostra ampliativa incipiens = *Sacrosancti Apostolatus*.

Excipimus tamen ab hac Constitutione Beneficia nostræ Archidiœcesis Beneventanæ; Dudum enim eorum respectu per aliam nostram Constitutionem incipientem = *Romanus Pontifex* = confirmando, declarando, & ampliando antiquam Constitutionem fel. recordat. Pii PP. II. pariter Prædecessoris nostri simile injunximus onus Beneficiis in universa Archidiœcesi existentibus.

Volumus autem, quod huic nostræ Constitutioni, seu solutioni mediæ annatæ prædictæ minimè subjecta existant Beneficia illarum Diœcesum, & respectivè Collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium fabricæ sufficienter instructum, aut onus, seu obligatio reparandi, restaurandi, & conservandi Ecclesias residet penès Communitates Locorum, vel adsunt dictarum Ecclesiarum Patroni, qui nisi reparare, & manutenere velint easdem Ecclesias, earum Patronatum amittere debent; Cùm enim in his satis consultum sit reparationi, & conservationi Ecclesiarum, nolumus aliud superaddere Beneficiatis impendium, quod vergeret in sublevamen eorum, qui de jure tenentur.

Decernentes easdem præsentes, ac præinsertas Literas semper validas, firmas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. A. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ & Cancellariæ Apostolicæ regulâ de jure quæsito non tollendo: necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis: Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque sub quibusvis tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, ac aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ad hoc autem, ut præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Flore de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; Sicque publicas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, ampliationis, restitutionis, reintegrationis, decreti, declarationis, statuti, voluntatis, mandati, Constitutionis, assignationis, præcepti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, IV. Idus Maii, Pontificatus nostri anno primo. 4. Idus Maij, 1725.

Sanctissimi D. N. D. Benedicti Divina Providentia Papæ XIII. Constitutio ut Regulares Apostatæ ad suos Ordines impunè reverti possint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

PAstoris æterni vices licèt immeriti gerentes in terris, paternæ charitatis nostræ partes esse reputamus, ut Oves, quas Sathanæ versutia à caulis Domini abduxit, ad easdem opportunis rationibus reducere, & ne in perpetuum pereant, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere studeamus. Ita-

que in præsenti anno Jubilæi, anno scilicet remissionis, & gratiæ, quem ad totius Catholicæ Ecclesiæ consolationem, atque ædificationem, apertis, atque largiter prolatis spiritualium gratiarum dispensationi nostræ divinitùs creditarum thesauris, indiximus, & benedicente Domino, maximo cum animi nostri gaudio celebramus, pietatis nostræ viscera erga Regulares professionis suæ desertores aperire, eosque ad Christi Ovile, suos videlicet cujusque Ordines, extra quos Luporum rapacium insidiis, atque periculis expositi mirabiliter vagantur, quantùm divina benignitas largiri dignabitur, ut ad salutarem vitæ normam, quam amplexi fuerant, velut postliminio reversi vota sua Domino reddere studeant, revocare cupientes, ac fel. rec. Urbani VIII., Clementis X, & Innocentii XII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, qui annis Jubilæi tunc instantibus, seu currentibus ejusmodi Regularium desertorum reductioni providè consuluerunt, vestigiis inhærentes, authoritate Apostolica tenore præsentium misericorditer indulgemus, ac statuimus, & decernimus, ut Regulares Apostatæ, & fugitivi, cujuscumque sint Ordinis, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessariò exprimendi, qui citra Montes intra quatuor, ultra Montes verò intra octo menses à publicatione earumdem præsentium litterarum inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierint, tunc pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam hujusmodi inflictarum, vel infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur; Ita tamen, ut debeant à suo quisque respectivè Superiore humiliter petere absolutionem, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri, & viceversa Superior benignè illos teneatur ab hujusmodi pœnis absolvere, & paterna charitate complecti, cui propterea ad effectum præmissum dumtaxat, quatenus opus sit, omnem facultatem necessariam dicta authoritate harum serie impertimur. Non obstantibus præmissis, nec non Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, stylis, & usibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis etiam Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis hujusmodi, illorumque Generalibus, & aliis Superioribus, ac personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac Consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum in genere, vel in specie concessis, & quantiscumque vicibus iteratis, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eædem præsentes litteræ omnibus faciliùs innotescant, Volumus, illarum exempla ad Dilectos Filios Nostros, & Apostolicæ Sedis Nuncios, ac Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ecclesiarum Prælatos, & Locorum Ordinarios transmitti, qui illas quantocitiùs publicare studeant: Ipsarum verò præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem omninò fidem in Judicio, & extrà illud ubicumque locorum haberi, quæ haberentur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 4. Aprilis 1725. Pontificatus nostri Anno Primo. 4. April. 1725.

F. Card. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, die verò 12. mensis Aprilis, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno Primo, supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Bartolottum Apostolicum Cursorem.

Joannes del Rè Mag. Curs.

Motus proprius Sanctissimi D. N. BENEDICTI PAPÆ XIII. Pro inclusione Clericorum Civitatis, & Diœcesis Cæsenaten. in Collegio Juristarum ejusdem Civitatis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiæ Catholicæ per universum Terrarum Orbem longè, latèque diffusæ, regimini, ineffabili Divinæ Sapientiæ abundantia præpositi, in his, per quæ personarum Ecclesiasticarum honori, & commodis, àc uberiori in bonarum literarum scientia, laudabilibusque disciplinis, progressui opportunè consulitur, Pastoralis curæ nostræ partes libentèr interponimus, prout in Domino conspicimus salubritèr expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, in Universitate Studij Generalis Cæsenaten., quæ in tota Provincia nostra Romandiolæ unica existit, Collegium Juristarum, viginti Doctoribus constans, dudùm erectum reperiatur, ac eidem Collegio fel. rec. Julius PP. II. Prædecessor Noster, per suas Literas die XXIV. Junij MDIV. expeditas, Notarios creandi, & rec. mem. Clemens PP. VII. similitèr Prædecessor Noster, per suas Literas die X. Februarij MDXXIV. emanatas, duos ad id idoneos quotannis ad gradum Doctoratus in utroque Jure, servatis servandis, promovendi facultatem respectivè concesserint: hæcque facultas à Clemente Prædecessore concessa, ad alios duos annis singulis Doctoratus laurea decorandos, à piæ mem. Paulo PP. V. Prædecessore paritèr Nostro, per suas die iij. Septembris MDCX. desupèr editas Literas, ampliata: & omnes gratiæ supradictæ à simil. rec. Alexandro VII. & Clemente X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus quoque Nostris, per eorum Literas die iij. Decembris MDCLVII., & die XXVIII. Septembris MDCLXXV. expeditas, cum concessione Indulti, non solùm prædictos quatuor, sed etiam quoscumque alios idoneos similitèr promovendi, per eumdem Clementem X. Prædecessorem facta, confirmatæ fuerint: Necnon piæ mem. Paulus PP. III. Prædecessor etiam Noster, per suas die XXX. Decembris MDXXXV. conditas Literas, omnia Statuta, Privilegia, Ordinationes, & Decreta dicto Collegio Juristarum eatenùs concessa, confirmaverit. Verùm Clerus Cæsenaten. graviùs semper tulisset, ac pluriès conquestus fuisset, quòd ipse à Collegio ejusmodi excluderetur, nec

unquàm obtinere valuerit, ut in eo admitteretur; quinimò anno MDCCXIII. lite adversùs Juristas laicos in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiæ, & Controversiis Jurisdictionalibus præposita, ad Jurium suorum tuitionem desupèr mota, contrariam resolutionem passus fuerit, binis potissimùm innixam fundamentis: primò nimirùm, quòd per Statuta dicti Collegij, à memorato Paulo III. Prædecessore confirmata, personarum Ecclesiasticarum admissio in eodem Collegio prohibebatur: & altero, quòd idem Collegium institutum fuerat, ut exindè haberi possent Jurisperiti, ad diversa Officia sæcularia, cum statu Ecclesiastico incompatibilia, exercenda. Sed sicut postmodùm per eumdem Clerum animadversum fuit, Statuta prædicta nonnisi in forma communi, ut vocant, & cum clausula, *quatenùs licita, & honesta, sacrisque Canonibus non contraria, neque contrà libertatem Ecclesiasticam existerent*, confirmata fuerint; prout ex ipsius Pauli Prædecessoris Litterarum tenore apparet. Officium autèm Prætoris, quem Potestatem ibi appellant, cujus vices, dum eumdem Prætorem abesse, vel aliquo impedimento detineri contingit, Prior ejusdem Collegij pro tempore existens gerere solet, quidquid olìm fuerit, hodiè non ampliùs præseferat potestatem judicandi in Causis Criminalibus, in quibus agitur de pœna sanguinis infligenda, quæ personis Ecclesiasticis nusquam congrueret, quemadmodùm pro earum exclusione in enarrata lite adductum fuerat; sed Causarum Criminalium hujusmodi cognitio ad Civitatis Cæsenaten. Gubernatorem, vel S. R. E. Cardinalem in Provincia Romandiolæ, & Exarchatu Ravennaten. Apostolicæ Sedis de Latere Legatum, pro tempore existentes privativè nunc spectare dignoscitur. Hinc est, quod Nos, qui ab eo jàm tempore, quo in Minoribus constituti, Ecclesiæ Cæsenaten. præeramus, ipsius Cleri querimonias Nobis interdùm latas desupèr audivimus, ipsumque à Collegio prædicto arceri, necnon personas Ecclesiasticas, quas non minore Literarum scientia, ac doctrina, quàm laicos pollere decebat, in Universitatibus Studiorum Generalium Ditionis Ecclesiasticæ deterioris esse conditionis, quàm in similibus Universitatibus in Principum Sæcularium Dominijs consisten., ubi libentèr, passimquè admittuntur, indignè ferebamus; ejusdem Cleri Cæsenaten., quem peculiari paternæ Charitatis semper complexi fuimus, & adhùc complectimur affectu, Votis hac in re, quantùm cum Domino possumus, annuere, illiusque utilitati, ac decori in præmissis prospicere volentes, *Motu proprio*, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, harum seriem statuimus, & ordinamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus, prædictum Collegium Juristarum viginti Doctoribus Collegialibus de numero participantibus constare debeat; quorum decem ex Clero, seù Cœtu Ecclesiastico Cæsenaten. Civitatis, vel Diœcesis, sive indè originem ducentes, sive exteri, qui tamèn ibidem domicilium contraxerint, vel Dignitatem, Canonicatum, aliudvè Beneficium Ecclesiasticum, vel Officium residentiæ inibi obtinuerint, & totidem laici qualitatibus, quæ hactenùs requiri consueverunt, prædìti existant: ita tamèn, quod omnes Doctores laici, qui de præsenti in eodem Collegio reperiuntur, in eo remaneant, donec per obitum, cessionem, vel absentiam ad denarium numerum redacti fuerint: omnesque viginti Doctores prædicti tam Ecclesiastici, quàm Laici, Collegium Juristarum inter se constituant, & emolumenta ipsi Collegio obvenientia inter se æquis portionibus partiantur. Prætereà Venerabilem Fratrem modernum, ac pro tempore existentem Episcopum Cæsenaten. in Priorem, seù Præsidentem ejusdem Collegij, motu, scientia, & Potestatis plenitudine paribus tenore præsentium perpetuò similitèr facimus, constituimus, & deputamus. Volentes, ac mandantes, ut Collegium prædictum in posterùm in Episcopio convocetur, & celebretur, Ecclesiasticis scilicèt à dextris, juxtà cujusque Dignitatis Ordinem, & laicis Doctoribus à sinistris ipsius Episcopi sedentibus: idem verò Episcopus omnes illas functiones peragat, quæ à Priore laico dicti Collegij huc usquè expleri consueverunt: assignando nempè ad Doctoratum promovendis puncta examinis, ac postquàm examen ritè, & collegialitèr expletum, & promovendi per pluralitatem Suffragiorum Doctorum ibi præsentium, tam Ecclesiasticorum, quàm Laicorum, approbati fuerint, Episcopus prædictus, tanquàm Caput, ac nomine Collegij prædicti, professionem Fidei Catholicæ, per ipsos promovendos emittendæ, recipiat, deindè illos laurea doctorali insigniat, & ad Doctoratus gradum in utroque Jure promoveat, eisque consuetas patentes Literas, à se subscriptas, suoque, & ejusdem Collegij sigillo munitas, desupèr expediat, & relaxet, servato in reliquis, nihilque immutato more, ac ritu in promotionibus ad Doctoratum hujusmodi, per idem Collegiatum hactenùs servari consuetis. Sede autem Episcopali Cæsenaten. vacante, Vicarius Capitularis ipsius Ecclesiæ Cæsenaten. tunc legitimè deputatus, ejusdem Episcopi vices in omnibus præmissis gerat, & sustineat. Porrò cùm Prior laicus supradicti Prætoris absentis, vel impediti, partes supplere antehac consueverit, ut præfertur; quod de cætero Doctor laicus antiquior ejusmodi officio fungatur: sicuti etiam secundus in Antianitate, Judicis appellationum munus exerceat, quatenùs usus appellandi ad Doctorem dicti Collegij vigeat: ac tertius Doctor in negocijs aquarum, viarum, & aliarum rerum similium jus dicendi facultatem habeat, si, & dummodò id alicui Doctori ejusdem Collegij competat; Motu, scientia, & Potestatis plenitudine similibus earumdem tenore præsentium statuimus itidèm, & ordinamus. Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædicti Doctores laici, seù alij quilibet in præmissis interesse habentes, seù habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque Causæ, propter quas præsentes emanarunt, sufficientèr adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex alia quacunque causa, colore, prætextu, & càpite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, aut ad terminos Juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversùs illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato etiam Motu, scientia, & Potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse: sed ipsas præsentes Literas semper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quandocumque, in omnibus, & per omnia inviola[...]r observari, & illis respectivè plenissimè suffragari. Sicque, & non alitèr, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate; judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scientèr,

vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà Venerabili Fratri Hieronymo moderno, ac pro tempore pariter existenti Archiepiscopo Ravennaten., per præsentes Motu pari committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios, præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quotiès pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium Literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere: non permittens illos desupèr à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: legitimisque super his haben. servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstan, Lite, & Cardinalium resolutione supradictis, ac fel. rec. Bonifacij PP. VIII. Prædecessoris etiam Nostri, de una, & Concilij Generalis, de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, necnon Pauli III. Literis prædictis, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis atque quatenùs opus sit, Collegij prædicti, alijsque quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eidem Collegio, ejusque personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & alijs Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, & Potestatis plenitudine similibus, ac Consistorialitèr, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialitèr, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xi. Aprilis MDCCXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo. *Fr. Card. Oliverius.*

11. April. 1725. Loco † Sigilli.

Quâ decernitur, & mandatur; ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium de cætero tumulabuntur, Quarta Funeralis persolvatur cum aliis ordinationibus, & derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex æqui, bonique supremus Assertor, auctoritatem à Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdùm, quæ à Prædecessoribus suis ob rationales, & justas causas olim sancita fuerunt, ubi in grave aliorum præjudicium, & detrimentum redundare cognoscit, atque dissidiis, & contentionibus fomentum præbere animadvertit, maximè inter Dei, & Ecclesiæ Ministros, quorum est evangelizare pacem, & quibus à Domino non aliud frequentiùs, neque enixiùs commendatur, quàm ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliasque Pastoralis Officii sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis, maturè pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium Animarum saluti, divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sanè quàmplures Romani Pontifices Prædecessores nostri multiplicia, ac planè insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt præsidiis, Viris nempè vitæ sanctitate, doctrinæ laude, ac Orthodoxæ Religionis zelo præstantibus, eidemque in Cælis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis indultis, & privilegiis benignè decorarunt, ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem seù quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quæ in eorum Ecclesiis sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minimè tenerentur; ac ad majorem ejusmodi Privilegii firmitatem, Sanctioni etiam à fel. rec. Clemente V. Prædecessore nostro editæ in Concilio Viennensi, & relatæ in Clementinâ *Dudum de Sepultur.*, necnon Concilii Tridentini Decreto relato in *cap. 13. sess. de reformat.*, prædictam Quartam Funeralem Parocho apertè reservantibus, non semel amplissimè derogarunt; Unde non acerbæ modò Parochorum querelæ, sed innumeræ etiam contentiones, atque lites inter eos, & Regulares super solutione ejusdem Quartæ diversis temporibus excitatæ fuerunt, quæ coram Ordinariis Locorum & deindè in variis quoque almæ Urbis nostræ Tribunalibus, præsertim verò in Auditorio Palatii nostri Apostoli, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium præfati Concilii Tridentini Interpretum magno Partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussæ, sicut accepimus, aliquandò ad favorem Parochorum, aliquandò autem ad favorem Regularium, pro diversis Causarum circumstantiis, atque vario Judicantium sensu, decisæ, ac definitæ fuerunt. Hæc porrò Judicatorum, Sententiarumque diversitas, cùm nullam certam, ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum planè fomentum, & ansam relinquit, imò & latam sternit viam ulterioribus inter prædictos Regulares, & Parochos litibus, & controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cætero perturbari dissidiis, novisque prægravari dispendiis possunt cum Divini Cultûs detrimento, & scandalo plurimorum.

Quocircà Nos maximè expedire censentes, ut ejusmodi controversiæ, & lites ab Ecclesia Dei penitùs arceantur, ac insuper, licèt universos Ordines Regulares, in quibus, nempè in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternæ charitatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia, Catholica Fide, & Sede Apostolica optimè meritos, præcipuo semper in honore, ac pretio, habuerimus, & habeamus; nihilominùs considerantes exemptionem à solutione Quartæ Funeralis præfatis Ordinibus à dicta Apostolica Sede concessam modò vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesiis prædictorum Regularium; ac proindè non modò consentaneum, sed etiam necessarium arbitrantes, ut eorumdem Parochorum quibus cæteroquin Sacri Canones, & prisca Ecclesiæ disciplina apertè suffragantur, in-

demnitati

demnitati opportunè consulatur,& antedicta Apostolica Privilegia ad æquitatis limites reducantur: Hinc igitur est quod Nos omnia,& singula memorata Privilegia exemptiva à solutione Quartæ Funeralis quibusvis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede,ut præfertur, quandocumque,& quomodocumque concessa præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore substantia satis superque instructi,de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanæ Curiæ Prælatorum à Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in præsenti Sacro Concilio congregatis, ac insuper Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine,hac nostra perpetuò valitura Constitutione, præmissa omnia Privilegia quoad Quartam Funeralem tantùm pro locis infra exprimendis moderamur, reformamus, ad viam juris reducimus, & quatenus opus sit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse, vel debere decernimus.

Præterea motu,scientiâ,& potestatis plenitudine similibus sancimus,statuimus,& mandamus, ut in Italia,eique adjacentibus Insulis,à die publicationis præsentis Constitutionis in futurum Parochis Defunctorum,qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur, persolvatur & cum effectu tradatur Quarta Pars omnium Intorticiorum & Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, nec non omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A prædicta tamen Quarta Funerali exceptæ intelligantur, & sint Candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quòd si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominùs assignetur Quarta Pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit,circa Cœnotaphium,seu tumulum honorarium,atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ, accensa fuerint. Hæc porrò omnia locum habeant, & exactè in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extrà suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur,sive quia in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem Sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulturam elegerit. Cæterùm sub prædicta Quarta Funerali comprehendi non intendimus,imò expressè ab ea excipimus, legata Missarum, & Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiæ tumulantis, vel exponentis à Defuncto disposita; Circa quæ,ac omnia, & singula alia,de quibus in præsenti Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia prædictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa salva prorsùs,illæsa, ac inviolata perpetuò permanere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inconcussè, ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi verò consuetudines legitimæ probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem prædictâ Quartâ emolumentorum funeralium portionem assignarent,ea in ijs, in quibus vigent, locis inconcussè ab omnibus observari motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, sancimus, præcipimus, & jubemus.

Decernentes pariter præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictorum Ordinum Regularium Superiores, vel quicumque alij in præmissis interesse habentes, seù habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seù causæ, propter quas præsentes emanarent,adductæ,verificatæ,seù aliàs justificatæ non fuerint,vel etiam enormis, enormissimè, & totalis læsionis,aut alio quovis prætextu,& ex quocumque capite,colore, & causa etiam necessariò exprimenda,de subreptionis,vel obreptionis,seù nullitatis vitio,aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari,impugnari,in toto, vel in parte rescindi, retractari,invalidari,in jus,vel controversiam revocari,ad terminos juris reduci, seù adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut quodcumque aliud juris,vel facti,gratiæ,vel justitiæ remedium impetrari,seù eo impetrato quemquam uti,seù se juvare in judicio,vel extrà nullatenùs posse; sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, ac obtinere, & ab omnibus,ad quos spectat,& pro tempore quandocumque spectabit,inviolabiliter, & inconcussè observari debere; Sicque,& non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum dicti Palatij Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari,& definiri debere, ac irritum,& inane, & secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque,& synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, necnon quorumvis Ordinum prædictorum,etiam juramento, confirmatione Apostolica,vel quavis firmitate alia roboratis Statutis,& Consuetudinibus, etiam immemorabilibus:Privilegijs quoque, Indultis,& literis Apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros eisdem Ordinibus,ut præfertur, illorumque Superioribus,& Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs,& alijs efficacioribus, & insolitis clausulis,& Decretis irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis,confirmatis,& innovatis;Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua,ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio facienda,aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores,formas, & occasiones,ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus prò plenè, & sufficienter expressis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant,& nemo illarum ignorantiam allegare valeat,volumus illas,seù earum exempla,ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe,ut moris est,affigi,& publicari;sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctare, & afficere ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utique ipsarum præsentium Literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis,manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tàm in judicio, quàm extra il-

lud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, concessionis, assignationis, præcepti, sanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Kalendas Maij Pontificatus nostri Anno Primo. 4. Kal. Maii 1725.

P. M. Card. Oliverius.

Visa de Curia I C. Archiepiscopus Amasenus.
Loco † Plumbi. L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, die verò 8. mensis Junii, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papa XIII. Anno secundo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicorum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Baldum Apost. Curs. Antonius Pelliccia Mag. Curs.

Literæ in forma Brevis quibus diversæ annuæ contributiones, & applicationes pro augendis redditibus Seminarii Ecclesiastici Cæsenaten. demandantur, cum suppressione, & unione parvi Conventus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, aliisque Ordinationibus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Apostolicæ Dignitatis apicem, nullo licet nostrorum suffragio meritorum per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam evecti, in his per quæ Seminaria ad rectam adolescentium in bonis moribus, Ecclesiastica disciplina, literarumque studiis instructionem providè instituta nedùm conserventur, ac jugiter persistant, verùm uberiora quoque in dies suscipiant incrementa, pastoralis muneris nostri partes libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, Seminarium Ecclesiasticum in Civitate nostra Cæsenaten. centum, & ultra ab hinc annis fundatum, & rectum reperiatur cum modica dote, seu assignatione annuorum dumtaxàt centum quinquaginta trium scutorum monetæ, quæ ex fructibus mensæ Episcopalis, & Capitularis, ac Beneficiorum Civitatis, & Diœcesis Cæsenaten. ad Sacri Concilii Tridentini decretorum præscriptum detrahuntur, & ob Cleri inopiam, atque exiguas, ac multiplices portiones, quæ hanc pecuniæ summam constituunt, duræ, & difficilis, ut plurimùm, exactionis redduntur, neque alia eidem Seminario integri, & ampliùs ab ejus fundatione ævi decursu bona, quàm parvi Conventus suppressi, ac cujusdam hæreditatis cum onere alendi duos Juvenes ad quorumdam Patronorum nominationem inibi admittendos ei aliàs relictæ, ex quibus centum circiter scuta paris monetæ annuatim retrahuntur, huc usque obvenerint, aut quæsita fuerint, itaut Seminarium prædictum, utpotè congruis, ac necessariis redditibus destitutum in incerto semper statu, ac periculo, nè sensim dilabatur, versetur, quandoquidem annui ejus proventus vix mercedi Præceptoribus, Ministris, ac inservientibus solvendæ, aliisque communibus sumptibus hujusmodi faciendis satis esse dignoscantur. Nos hoc sanctum, & pium opus à memorato Concilio Tridentino tantoperè commendatum, ac pro recta Puerorum Civitatis, & Diœcesis prædictarum educatione, vel maximè necessarium, quòd nullum ibi adsit Collegium Clericorum Societatis Jesu, nullaque Domus Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei, Scholarum Piarum nuncupatorum, qui eos erudiant, ac instruant, quantùm Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, non absimili ratione, quâ olim Seminarii Ecclesiastici Civitatis Sypontin., cùm Metropolitanæ isti Ecclesiæ præeramus, egestati, approbante Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita *, opportunè prospeximus, ipsi Seminario Cæsenaten. subveniendum duximus. Idcircò motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine harum serie statuimus, decernimus, & mandamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Confraternitas, seu Hospitale Sancti Tobiæ, necnon Confraternitates B. Mariæ de Suffragio, ac ejusdem B. Mariæ de Populo respectivè nuncupatæ dictæ Civitatis Cæsenaten., eidem Seminario Cæsenaten. annua quinquaginta scuta paria pro earum qualibet contribuere, ac realiter, & cum effectu præstare teneantur, & obligatæ existant; ita tamen, quod unicuique ex tribus Confraternitatibus ejusmodi nominare liceat singulis annis Puerum Civitatis prædictæ in eodem Seminario gratis alendum, & educandum, cujus nominatio hoc pacto fiat, nimirùm pro parte cujuslibet dictarum Confraternitatum, earumve Confratrum tres Pueri de dicta Civitate Venerabili Fratri moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Cæsenaten. præsententur, ex quibus unus ab eodem Episcopo, quem magis idoneum, ac melioris indolis in Domino judicaverit, deligatur. Prætereà Parvum Conventum de Casacarella Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in Diœcesi Cæsenaten. ruri positum, in quo duo soli Fratres ejusdem Ordinis de præsenti degunt, unà cum illius Conventualitate, titulo, essentia, & demonstratione, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus, ipsique Seminario in perpetuum unimus, & incorporamus, ac tam dicti parvi Conventus bona mobilia, & immobilia sacra, & prophana, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, ac jura quæcumque, quàm alterius Confraternitatis sub Titulo Sanctissimi Rosarii ejusdem B. Mariæ Virginis juxta Ecclesiam Fratrum Ordinis Prædicatorum præfatæ Civitatis Cæsenaten. erectæ, cujus bona, dum Ecclesiam Cæsenaten. regebamus, inanibus litibus, & controversiis plerumque injustis adversùs Fratres Ordinis prædicti, necnon temerè contra Jurisdictionem Episcopalem per tunc existentes ejusdem Confraternitatis Confratres agitandis absumi dolenter videbamus, omnes annuos fructus, redditus, & proventus cujuscumque quantitatis, speciei, & valoris existant, eidem Seminario itidem perpetuò applicamus, & assignamus. Decernentes pariter easdem præsentes literas, etiam ex eo, quod prædictarum Confraternitatum Officiales, & Confratres, ac dicti parvi Conventus, illiusque Ordinis Fratres, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ, ullatenùs fuerint, ullo unquàm tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à Jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore Juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privi

*Sac. Congreg. S.R.E. Card. negotiis, & consultationi bus Episcop., & Regular. præposita 10 Novembris 1679.

legiata,

legiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque Juris, facti vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quàvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus, super his à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca eidem moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Cæsenaten. per præsentes motu pari committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicans, dictoque Seminario in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat authoritate nostrâ Seminarium præfatum præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittens illud desuper à quoquam quâvis authoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna Juris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis: Ipsi moderno Episcopo seriò insuper injungentes, ut postquàm Ecclesiarum, & locorum piorum Civitatis, & Diœcesis prædictorum visitationem peregerit, reliquorum locorum piorum earumdem Civitatis, & Diœcesis statum in compendium redactum ad Nos quamprimùm diligenter transmittat, ut singulorum redditibus perpensis, ratam portionem à quolibet eorum dicto Seminario annuatim conferendam, & solvendam, maturâ consultatione adhibitâ definire, & taxare valeamus, quemadmodum de supradictæ Congregationis Cardinalium assensu pro prædicto Seminario Sypontin. Nos olim fecisse meminimus. Non obstan. præmissis, ac quatenùs opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, nec non Lateranen. Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri prohiben., aliisque Apostolicis; ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Confraternitatum, & Conventus hujusmodi, illiusque Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quàvis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Confraternitatibus, Conventui & Ordini, eorumque Fratribus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 30. Maij. 1725. Pontificatus Nostri Anno Primo. *F. Card. Oliverius.* 30. Maij 1725.

Quâ Oppidum Pontis Curvi, seù Fregellarum in Provincia Romana, Civitatis titulo, ac honore insignitur, ejusque Collegiata Ecclesia S. Bartholomæi in Cathedralem erigitur, & Cathedrali Ecclesiæ Aquinati æquè principaliter in perpetuum unitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN excelsa Sedis Apostolicæ specula, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem illius, cujus est terra, & plenitudo ejus, clementiam constituti, levamus jugiter in circuitu Agri Dominici mentis nostræ oculos, pervigilis more Pastoris inspecturi, quid Provinciarum, & locorum quorumlibet statui conveniat, quidve operis ad promovendum ubique spirituale Christifidelium bonum impendi debeat. Dignum verò Pontificia nostra solicitudine in primis arbitramur, & justum, ut ad ea, quæ Ecclesiarum quarumcumque decorem, & amplitudinem, Divinique cultus incrementum respiciunt: quæque simul Oppidorum illustrium, ac eorum præsertim, quæ Romani Pontificis etiam temporali dominio subjecta sunt, splendidiori ornamento conducere, & populis erga Nos, eamdemque Sedem fide, ac devotione præstantibus peculiarem consolationem afferre possunt, studia, curasque nostras libenter convertamus, nostrique Pastoralis Officii partes propensa charitate desuper interponamus, prout pia eorumdem populorum vota postulant, & Nos, matura abhibita consultatione, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Cùm itaque, sicuti pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum Secularis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi, necnon Universitatis, & Populi Oppidi nostri Pontis Curvi Aquinatis Diœcesis in Provincia Romana, nuper expositum Nobis fuit, idem Oppidum inter alia illarum partium insigne, & antiquitatis gloria percelebre, quippe quod ex ruinis veterum Fregellarum (claræ olim in Latio Urbis) fuisse conditum existimatur, conspicua habitatorum, incolarumque multitudine, benedicente Domino, refertum existat: ac septem Parochialibus Ecclesiis, quarum tres sunt Collegiatæ congruo Canonicorum numero instructæ, pluribus diversorum Ordinum Virorum, atque Mulierum Cœnobiis, quatuor Confraternitatibus Laicorum, duobus Hospitalibus, Monte pietatis pro subsidio pauperum, Commenda Equitum Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, multis nobilibus ædificiis, & non paucis familiis honestissimis decoretur, ac ultrà Pagum Sanctæ Olivæ nuncupatum sibi suppositum, amplum, atque fructiferum habeat territorium, quod ad triginta circiter milliaria protenditur; retroactis verò temporibus plures in lucem ediderit sacros Præsules, & alios vitæ sanctimonia, optimarum disciplinarum cultu, & militari etiam

laude

laude illustres Viros, adeóque à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris non specialibus modò gratiis, & beneficiis ornari, sed Civitatis quoque titulo aliquandò appellari meruerit: Prætereà, cùm Episcopi Aquinates ob cœli insalubritatem, & Domus Episcopalis defectum, apud suam Cathedralem Ecclesiam, quæ ceteroquin unum Archipresbyterum cum sex tantùm Canonicis habet, residere non possint, ab antiquo tempore jugiter in ante dicto Oppido Pontis Curvi resideant, & in memorata Ecclesia S. Bartholomæi nobilis, & amplæ structuræ, ubi Archipresbyter, qui est unica Dignitas, Canonicus Theologus, & decem alii adsunt Canonici, Divinis Officiis more Cathedralium inservientes, Cathedram fixam tenere, Sacra Olea conficere, Ordines conferre, & functiones Pontificales, quæ ex Tridentini Concilii præscripto in Cathedralibus Ecclesiis peragi debent, decenter exercere ab antiquo etiam tempore consueverint: In eadem insuper Collegiata Ecclesia honorificè asservetur & peculiari fidelium veneratione colatur sacrum Corpus S. Grimoaldi Confessoris, ipsius Ecclesiæ olim Archypresbyteri, & Concivis, cujus nomen in Martyrologio Romano descriptum est: Ad hæc in præfato Oppido speciosum extet Episcopium à moderno Episcopo propriis sumptibus cum Curia, & Archivio constructum, ubi Episcopus, & illius Vicarius in spiritualibus generalis habitare possunt, & solent; eidemque Palatio conjuncta conspiciantur duo satis ampla ædificia, quorum alterum pro Monte pietatis destinatum est, alterum verò usui Seminarii inservit, in quo plures Alumni ex universa Diœcesi delecti, & Convictores etiam non pauci probè educantur, & ab idoneis Præceptoribus iis accuratè instituuntur disciplinis, quas Tridentinum Concilium in Seminariis Ecclesiasticis tradi mandat: Ac propterea Capitulum, & Canonici, Universitas, & Populus antedicti Oppidum Pontis Curvi, & Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi hujusmodi dignioribus titulis augeri summoperè exoptent, Nobisque humiliter supplicaverint, ut dictum Oppidum in Civitatem, & dictam Collegiatam Ecclesiam in Cathedralem erigere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur præmissorum omnium, & singulorum plenam, certamque notitiam habentes, & Capitulo, Canonicis, Universitati, & Populo prædictis, quos ob spectatam in Nos ac Sanctam Sedem devotionem, & fidem paterna charitate diligimus, specialem gratiam facere, necnon Venerabilem Fratrem Josephum modernum Episcopum Aquinatem, quem propter egregia ejus in Ecclesiam Aquinatem, dictumque Oppidum promerita, & signanter quòd ibidem Palatium Episcopale, ut præfertur, ac Seminarium, & Montem pietatis, novamque etiàm Cathedralem Aquini, loco veteris collapsæ (quam in minoribus constituti jam collabentem propriis oculis dolenter inspeximus) ædificanda curaverit, ac insuper Episcopalis Mensæ proventus multipliciter auxerit, Archiepiscopi Tyanensis titulo nuperrimè insignimus, benigno, & grato favore prosequi volentes, omnibusque, & singulis præmissis Nobis, ut præfertur, expositis, pro verificatis, & justificatis habentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Oppidum præfatum in Civitatem Pontis Curvi deinceps nuncupandam cum omnibus juribus, prærogativis, honoribus, & præeminentiis, quibus aliæ Civitates, earumque Cives utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum: & Secularem Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi hujusmodi in Cathedralem sub eadem invocatione, & in ea Sedem Episcopalem pro Episcopo Aquini, & Pontis Curvi, seu Fragellarum conjunctim etiam nuncupando, qui in illa, & Civitate prædicta omnia, & singula, quæ Ordinis, & jurisdictionis, ac cujuscumque alterius muneris Episcopalis sunt, exerceat; necnon cum omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, indultis, & gratiis, quibus aliæ Cathedrales Ecclesiæ, earumque Præsules de jure, vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac ipsius S. Bartholomæi honorem, & Christifidelium devotionis augmentum, tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus, illasque sic erectas, & institutas, necnon Episcopum pro tempore existentem, ac ipsius Ecclesiæ Capitulum, Sedi Apostolicæ immediatè etiam perpetuò subjicimus, & sub peculiari Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum protectione suscipimus.

Prætereà motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus Cathedralem Ecclesiam S. Bartholomæi Pontis Curvi hujusmodi antiquæ Cathedrali Ecclesiæ Aquinati æquè principaliter perpetuò unimus, itaut in posterum eadem Ecclesia S. Bartholomæi Pontis Curvi Concathedralis cum Ecclesia Aquinate sit, ac esse debeat, & Episcopus pro tempore existens, Episcopus Aquinas, & Pontis Curvi, seù Fregellanus conjunctim esse, & nominari debeat, necnon in actibus Consistorialibus, ac in Literis Apostolicis super promotione novi Episcopi ad prædictas Aquinatem, & Pontis Curvi, seù Fregellarum, sicut præfertur, Ecclesias æquè principaliter unitas, semper fieri debeat mentio prædictæ Ecclesiæ Pontis Curvi, seù Fregellarum, uti Concathedralis ejusdem Ecclesiæ Aquinatis: conditione tamen adjecta, quòd eveniente Sedis Episcopalis vacatione Capitulum Ecclesiæ Aquinatis, uti antiquius, inconsulto, & minimè audito Capitulo dictæ Concathedralis Ecclesiæ Pontis Curvi, seù Fregellanæ, ad electionem Vicarii Capitularis procedere valeat, & qui ab eodem Capitulo Aquinate canonicè electus, & deputatus fuerit Vicarius Capitularis, suam jurisdictionem etiam in Ecclesia Pontis Curvi, seù Fregellana, ut hactenùs consuevit, exercere liberè possit: ea planè ratione, quam Nos observari decrevimus, atque mandavimus tàm in electione Vicarii Capitularis, quàm etiam in omnibus aliis actibus consimilem Concathedralitatem respicientibus, cùm nuper Ecclesiam Setinam declaravimus Cathedralem, & unitam à fel. rec. Honorio Papa III. æquè principaliter Ecclesiæ Terracinensi, & quatenùs post ejusmodi unionem Cathedralis esse desiisset, vel nunquam Cathedralis extitisset, eam denuò in Cathedralem ereximus, eidemque Terracinensi Ecclesiæ æquè principaliter in perpetuum univimus, quemadmodum in litteris Apostolicis hoc eodem anno Incarnationis Dominicæ 1725. tertio Kal. Maii à Nobis in simili forma sub plumbo desuper expeditis uberiùs continetur.

Cæterùm, cùm expositum Nobis fuerit Archipresbyterum, & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Aquinatis ex antiquo Apostolico privilegio omnibus Ecclesiasticis functionibus deferre solitos esse Rocchettum cum Cappa Magna; æquum verò, justumque arbitremur, ut inter illos, & Archipresbyterum, atque Canonicos Concathedralis Ecclesiæ Pontis Curvi, seù Fregellanæ prædictæ nullum prorsus intercedat discrimen, sed utraque iisdem omninò Canonicalibus indumentis utantur; ipsis modernis, ac pro tempore existentibus Archipresbytero, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ S. Bartholomæi Pontis Curvi, seù Fregellan. per alias nostras ab ipsis per Cancellariam, ut moris est, expediendas Literas Apostolicas benignè indulgebimus, ut Rocchettum, & Cappam Magnam eo prorsùs modo, iisque temporibus, quibus prædicti Archipresbyter, & Canonici antiquæ Concathedralis Ecclesiæ Aquinatis ejusmodi indumenta gestare hactenùs consueverunt, tàm in eorum Ecclesia, quàm in Capitulo, vel extrà, ac in Processionibus, etiam funeralibus, & aliis quibuscumque functionibus, postquam tamen Literas nostras Indulti ejusmodi per Cancellariam, ut præfertur, expediendas obti-

nuerint, & non ante, deferre poſſint & valeant.

Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque, vel qualibet cauſa quantumvis legitima, & juridica, etiam ex eo quòd Capitulum, Archipresbyter, & Canonici dictæ Eccleſiæ Aquinatis, ſeù quicumque alii cujuſcumque dignitatis, gradus, & præeminentiæ ſint, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis cauſa, ratione, actione, vel occaſione jus, vel intereſſe habentes, ſeù habere prætendentes illis non conſenſerint, aut ad id vocati, & auditi, & cauſæ, propter quas eædem præſentes emanaverint adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, ſeù invaliditatis vitio, ſeù intentionis noſtræ, aut jus, vel intereſſe habentium conſenſus, aut quolibet alio quantumvis magno, ſubſtantiali, inexcogitatò, & inexcogitabili, ac ſpecificam, & individuam mentionem, ac expreſſionem requirente defectu, ſive etiam ex eo quod in præmiſſis, eorumque aliquo ſolemnitates, & quævis alia ſervanda, & adimplenda, ſervata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut ſtatuto, vel conſuetudine aliqua reſultante, ſeù enormis, enormiſſimæ, totaliſque læſionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel cauſa, etiam in corpore juris clauſa, occaſione, aliave cauſa, etiam quantumvis juſta, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, aut quod de voluntate noſtra, & aliis ſuperiùs expreſſis nullibi appareret, ſeù aliàs probari poſſet, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas reſtitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel juſtitiæ remedium impetrari, ſeù quomodolibet, etiam motu ſimili conceſſo, vel impetrato, aut emanato uti, ſeù ſe juvare in judicio, vel extrà poſſe, neque ipſas præſentes ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliiſque contrariis diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores Noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, & Sedem Apoſtolicam prædictam, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter ex quibuſlibet cauſis, & ſub quibuſvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiamſi in eis de eiſdem præſentibus, earumque toto tenore, ac data ſpecialis mentio fiat, pro tempore factis, & conceſſis, ac faciendis, & concedendis comprehendi, ſed tamquam ad majus bonum tendentes, ſemper & omninò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacumque poſteriori data quandocumque eligenda conceſſas eſſe, & fore; ſicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, V. Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ac alios quoſcumque quavis authoritate, poteſtate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præeminentia fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, in quocumque judicio, & in quacumque inſtantia judicari, & definiri debere, & ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, noſtra Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque in contrarium præmiſſorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, univerſalibuſque Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictarum Eccleſiarum Aquinatis, & Pontis Curvi, ſeù Fregellarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmate alia roboratis ſtatutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ac locis quibuſcumque, etiam ſpecifica, & expreſſa, ac individua mentione dignis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu pari, ac conſiſtorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium præmiſſorum conceſſis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſsè, quod illis per quaſcumque Literas Apoſtolicas, etiam motu ſimili, pro tempore conceſſas, quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias in ſe continentes derogari non poſſit, neque cenſeatur eis derogatum; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, aut quæcumque alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & cauſas, etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas præſentibus pro plenè, & ſufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, inſertis, expreſſis, & ſpecificatis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum omnium, & ſingulorum validiſſimum effectum hac vice dumtaxàt latiſſimè, & pleniſſimè, ac ſufficienter, necnon ſpecialiter, & expreſsè, motu, ſcientia, & pietatis plenitudine ſimilibus harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrarum erectionis, inſtitutionis, unionis, conceſſionis, indulti, præcepti, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, Nono Kalen. Julii Pontificatus noſtri anno ſecundo. 9. Julij 1725.

M Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

Viſa de Curia J. C. Archiepiſc. Amaſenus.

Loco † Sigilli. L. Martinettus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

XIII. Quâ Literæ Apoſtolicæ ſan. mem. Sixti V., Urbani VIII., & Innocentii XI., atque Decretum DD. Judicum querelarum, & Controverſiarum Sacri Concilii Romani in favorem Abbatialis Eccleſiæ, & Abbatis Sacri Monaſterii Caſinenſis Ordinis S Benedicti ampliſſimè confirmantur; Necnon eamdem Abbatialem Eccleſiam fuiſſe, & eſſe quaſi Cathedralem, & Abbati prædicto Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in omnibus Diœceſis Caſinenſis Eccleſiis competiiſſe, & competere declaratur; Ac inſuper Capitulo, Clero, & Populo Oppidi, ſeù Civitatis S. Germani quoad novi Epiſcopatus erectionem, ſeù reſtitutionem, perpetuum ſilentium imponitur, cum aliis ordinationibus, & clauſulis, atque derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUod inſcrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati noſtræ, meritis licèt, ac

ac viribus longè impari, committere dignata est, Sacrosancti Apostolatus Officium à Nobis exigit, ut omnium quidem Ordinum Regularium, quorum in numero Nos ipsi jamdudum Sacrum Prædicatorum Institutum professi fuimus, paternam geramus curam, sed eos potissimùm Pontificiæ dilectionis brachiis complectamur, foveamus, & traditæ Nobis cælitùs authoritatis præsidio tueamur, undè uberes, atque suaves in militantem Ecclesiam fructus jugiter profluxisse, quotidieque profluere compertum est. Hos inter præcipuus sanè locus jure debetur Ordini, quem magnus ille Occidentalium Monachorum Parens, Catholicæque Ecclesiæ lumen splendidissimum Benedictus instituit, & per Alumnos suos à mari usque ad mare, & usque ad terminos terrarum mirificè propagavit. Cujus quidem Sacri, & religiosissimi, Ordinis Professores quàm eximio universam Ecclesiam cunctarum Christianarum virtutum fulgore illustraverint, quamque præclarè de Orthodoxa Religione, deque hac ipsa Sancta Sede omni tempore meriti fuerint, illustria Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum præconia, & monumenta testantur. Quamobrèm & charitatis stimulo urgemur, & justitiæ lege compellimur prædicti Ordinis, & Congregationis præsertim Casinensis, ac Monasteriorum illi subjectorum felicem, prosperumque statum omni cura, & vigilantia provehere, eorumque bona, jura, & privilegia quæcumque sarta tecta, & illibata custodire, ac iis etiam, quæ pro illorum indemnitate, & quiete rectè, ac providè constituta fuisse comperimus, ut firmiùs subsistant, & perpetuis futuris temporibus observentur exactiùs, Apostolicæ confirmationis robur, atque munimen adjicere, quatenùs eorumdem Cœnobiorum Monachi nulla re, quæ eos à religioso proposito, divinoque cultu avocet, præpediti, secundùm regularia præfati Ordinis instituta, tranquillis mentibus, gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Expositum siquidem Nobis nuper fuit pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis antedictæ Congregationis Casinensis, quod licèt Ecclesia Abbatialis Sacri, & celeberrimi Monasterii à S. Benedicto in Monte Casino fundati in Provincia Romana ab antiquissimo, ac immemorabili tempore Cathedralis, vel quasi, denominatione, & prærogativa gavisa sit, ejusdemque Monasterii Abbas pro tempore existens in ea, & aliis finitimis Ecclesiis, & Locis jurisdictionem Episcopalem, vel quasi exercere consueverit: Quam sanè jurisdictionem fel. rec. Sixtus Papa V. Prædecessor Noster præ cæteris amplissimè confirmavit per suas Literas Apostolicas sub plumbo expositas tenoris sequentis.

„Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Benignitas Apostolicæ „Sedis consueta, ea, quæ per Romanos Pontifices „pro Religionis incremento, & decore facta fuisse „noscuntur, libenter approbat, eisque Apostolici „muniminis robur adjicit, itaque de novo concedit, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Abbatis, „& Conventus Monasterii in Monte Casino, Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis, nullius Diœcesis, exhibita Nobis petitio continebat, „quod dictum Monasterium per diversos Romanos „Pontifices Prædecessores Nostros multis, & variis „gratiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, „& indultis cumulatum, & decoratum fuit, illiusque „Abbas pro tempore existens nemini subest, sed „omnimodam jurisdictionem Episcopalem, ac proprium Territorium, ac jus congregandi Synodum „habeat, prout illam congregasse, & in ea Examinatores elegisse, ac posse Concursum instituere, „examinare, approbare; Oeconomos deputare, necnon Sacramentum Chrismatis contulisse, & Commissiones gratiarum Apostolicarum debitæ executioni demandasse constat, juxta declarationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ „Ecclesiæ Cardinalium, Concilio Tridentino interpretando Præfectorum, desuper factam. Cùm autem ea, quibus dictæ Sedis intercedit auctoritas, „meliùs observentur, ac proinde, sicut eadem petitio „subjungebat, ipse Abbas, & Conventus cupiant „præmissa omnia, dictæ Sedis patrocinio communiri; „pro parte eorumdem Abbatis, & Conventus Nobis „fuit humiliter supplicatum, quatenus eorum desiderio in præmissis annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Abbatem, & singulares personas Conventus hujusmodi, à quibusvis ex „communicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à „jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa „latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad „effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, „necnon tenores omnium, & singulorum privilegiorum prædictorum, præsentibus pro expressis „habentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, „omnia, & singula privilegia, immunitates, gratias, „facultates, & indulta præsertim conferendi Sacramentum Chrismatis, dummodo illud sit priùs per „Catholicum Antistitem, gratiam, & communionem dictæ Sedis habentem, consecratum, Concursum pro conferendis Beneficiis Ecclesiasticis curatis in mensibus Apostolicis faciendi, ac Commissiones gratiarum, tàm justitiam, quàm gratiam, „etiam quoad Dispensationes Matrimoniales concernentes, Abbati Monasterii Casinensis præsenti; „sive suo Vicario Generali pro tempore directorum, „debitæ executioni demandandi, aliaque desuper „necessaria, & opportuna faciendi, juxta decreta „dicti Concilii, Apostolica auctoritate, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac „omnes, & singulos, tàm juris quàm facti defectus, „si qui desuper intervenerint, supplemus. Necnon „pro potiori cautela, moderno, & pro tempore existenti Abbati dicti Monasterii, vel suo Generali „Vicario, ut cùm Parochiales Ecclesiæ jurisdictionis dicti Monasterii vacare contigerit, concursum „instituere, examinare, approbare, & magis idoneos eligere, & Ecclesias hujusmodi legitimè conferre, ac in mensibus Nostris, & Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum collationi reservatis, personas in concursu electas, Nobis, & dictæ Sedi pro collatione obtinenda significare, necnon Sacramentum Chrismatis; dummodo illud „priùs sit per Antistitem prædictum consecratum, „ut præfertur, conferre, ac quascumque Literas Apostolicas, tàm justitiam, quàm gratiam, etiam quoad dispensationes Matrimoniales personarum dictæ „jurisdictionis, concernentes, sibi tamen, & nulli „alteri dirigendas, debitæ executioni demandare „liberè, & licitè valeat, juxta decreta ejusdem „Concilii, dicta auctoritate tenore præsentium „concedimus. Decernentes ex tunc irritum, & „inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, „& ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & aliis in contrarium „quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. „Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis mentio „habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè „derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. „Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam „Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, suppletionis, concessionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare „præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei,

ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se" noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum" Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo" quingentesimo octuagesimo nono, Decimo Kalen." Martii Pontificatus Nostri anno quinto."

Ac ejusmodi jurisdictionis quasi Episcopalis intuitu recol. mem. Urbanus Papa VIII. Prædecessor etiam Noster decrevit, & statuit, ut quæcumque Literæ Apostolicæ gratiam, vel justitiam concernentes, & aliæ consimiles expeditiones ab Officialibus, ac Administris Pontificiis dirigi semper deberent Abbati pro tempore existenti prædicti Monasterii Casinensis, sive ejus Vicario in spiritualibus generali, & non alteri, prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Literis in forma Brevis expeditis uberiùs continetur, quorum tenor est, qui sequitur, videlicèt.

Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam" Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Abbas" Monasterii Casinensis, nullius Diœcesis Provinciæ" Capuanæ Ordinis S. Benedicti, quod aliàs fel. rec." Sixto Papæ V. Prædecessori Nostro pro parte tunc" existentis Abbatis, & Conventus Monasterii hujus" modi exposito quod dictum Monasterium per di-" versos Romanos Pontifices etiam Nostros, tunc suos," Prædecessores multis, & variis gratiis, facultatibus," libertatibus, immunitatibus, & indultis cumulatum," & decoratum fuerat, illiusque Abbas pro tempore" existens nemini suberat, sed omnimodam jurisdictio-" nem Episcopalem, ac proprium Territorium, & jus" congregandi Synodum habebat, prout illam congre-" gasse, & in ea Examinatores elegisse, ac posse Con-" cursum instituere, examinare, approbare, Oeco-" nomos deputare, necnon Sacramentum Chrisma-" tis contulisse, ac commissiones gratiarum Apos-" tolicarum executioni demandasse constabat; juxta" declarationem tunc existentium S. R. E. Cardina-" lium Concilio Tridentino interpretando Præfecto-" rum desuper factam; idem Sixtus Prædecessor sup-" plicationibus Abbatis, & Conventus prædictorum" inclinatus, omnia, & singula privilegia, immu-" nitates, gratias, facultates, & indulta; præsertim" conferendi Sacramentum Chrismatis, dummodo" illud foret priùs per Catholicum Antistitem gra-" tiam, & communionem Apostolicæ Sedis haben-" tem consecratum: Concursum pro conferendis Be-" neficiis Ecclesiasticis Curatis in Mensibus Aposto-" licis faciendi, ac Commissiones gratiarum Aposto-" licarum tam justitiam, quàm gratiam, etiam quo-" ad Dispensationes Matrimoniales concernentes Ab-" bati Monasterii Casinensis prædicti, sive suo Vica-" rio Generali pro tempore directorum, debitæ exe-" cutioni demandandi, aliaque desuper necessaria," & opportuna faciendi juxta Decreta dicti Conci-" lii approbavit, & confirmavit. Necnon pro potio-" ri cautela tunc, & pro tempore existenti Abbati" dicti Monasterii, vel suo generali Vicario, ut cùm" Parochialis Ecclesiæ jurisdictionis dicti Monaste-" rii vacatio contingeret, concursum instituere, exa-" minare, approbare, & magis idoneos eligere, ac" Ecclesiam hujusmodi legitimè conferre, & in Men-" sibus Romanorum Pontificum collationi reservatis" personas in Concursu electas Romano Pontifici, &" Sedi prædictæ pro collatione obtinenda significare," necnon Sacramentum Chrismatis, dummodo illud" priùs sit per Antistitem prædictum consecratum, ut" præfertur, conferre; ac quascumque Literas Apos-" tolicas tàm justitiam, quàm gratiam, etiam quo-" ad Matrimoniales Dispensationes personarum di-" ctæ jurisdictionis concernentes, sibi tamen, & nulli" alteri dirigendas debitæ executioni demandare li-" berè, & licitè valeret, juxta Decreta dicti Con-" cilii concessit; decernens irritum, & inane ex tunc," si secùs super his à quoquam quavis authoritate" scienter, vel ignoranter contingeret attentari, &" aliàs, prout in ejusdem Sixti Prædecessoris Lite-" ris, quarum tenores præsentibus pro sufficienter ex-" pressis haberi volumus, dicitur uberiùs contineri." Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, juxta" Literarum hujusmodi tenorem, fuerint retroactis" temporibus Commissiones gratiarum Apostolica-" rum prædictarum Abbati dicti Monasterii, seù Vi-" cario generali à Datariæ, Secretariæ Brevium, Can-" cellariæ, Pœnitentiariæ, & Cameræ Apostolicæ" nostrarum Officialibus directæ, & illæ, quæ propter" Subditorum jurisdictioni dicti Monasterii, vel ex-" peditionum similium gratiarum ignorantiam, à" dictis Officialibus prædictæ jurisdictionis ignaris," interdum directæ fuerunt Episcopis vicinioribus" correctæ fuerint, & Abbati, seù ejus Vicario hu-" jusmodi directæ, non absque tamen Abbatis, &" Conventus prædictorum incommodo, quos de ti-" tulo, ejusque observantia docere, ac Subditorum" prædictorum dispendio, quos novas propterea ex-" peditiones solvere oportuerit. Quare ut similia in-" commoda, & dispendia in posterum evitentur," Nobis Abbas prædictus humiliter supplicari fecit," ut desuper opportunè providere de benignitate" Apostolica dignaremur. Nos igitur Abbatem præ-" dictum specialibus favoribus, & gratiis prosequi" volentes, eumque à quibusvis excommunicationis," suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis" sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homi-" ne quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo-" modolibet innodatus existit, ad effectum præsen-" tium dumtaxat consequendum, harum serie absol-" ventes, & absolutum fore censentes; ac prædicta-" rum Sixti Prædecessoris Literarum tenorem præsen-" tibus pro expresso habentes, hujusmodi supplica" tionibus inclinati, dilectis Filiis Magistro Ægidio" Ursino de Vivariis, ac Marco Aurelio Maraldo" nunc, & pro tempore existentibus Nostris, & Ro-" manorum Pontificum Successorum nostrorum Da-" tariis, & Brevium nostrorum Secretorum Secreta-" riis, nec non Cancellariam Apostolicam Regenti-" bus, ac omnibus, & singulis aliis Datariæ, Se-" cretariæ Brevium prædictorum, Cancellariæ, Pœ-" nitentiariæ, & Cameræ Apostolicæ nostrarum" Officialibus, cæterisque, ad quos spectat, & spe-" ctabit quomodolibet in futurum pro potiori cau-" tela, & in executionem dictarum Sixti Præde-" cessoris Literarum, districtè præcipiendo manda-" mus, ut ipsi posthàc quascumque tàm justitiam," quàm gratiam, etiam quoad Dispensationes Ma-" trimoniales concernentes, etiam in forma Brevis," ac in forma significavit, & collationum Beneficio-" rum in forma Dignum, & Gratiosa, ac Commis-" sionum si in evidentem respectivè nuncupatarum," & absolutionum, aliarumque similium gratiarum" Literas Apostolicas, personarum infrascriptorum" locorum, videlicet Civitatis S. Germani, Casalis" S. Basilii de Chaira, necnon S. Eliæ, S. Victoris," S. Petri in fine, S. Apollinaris, S. Andreæ, S. Am-" brosii, S. Georgii, S. Petri in Curulis S. Angeli in" Theodice, S. Salvatoris de Cucurutio, S. Petri" de Avellana respectivè nuncupatorum, ac Vallis" rotundæ, Bellimontis, Cerbarii, Teroculi, Roc-" chæ Evandri, Pignatarii, Vallis Frigidæ, Castri No-" vi, Pescularum propè Iserniam, Vallis Regiæ," Civitellæ, Villettæ, Pesculi Constantii, Serræ Mo-" nacesche, Faræ Filiorum Petri, & Citrarii Castro-" rum, seù Terrarum, quæ, ut dictus, ut supra, Abbas" asserit, ejus, & prædicti Monasterii Casinensis ju-" risdictionis, ac Diœcesis existunt, eidem moderno," & pro tempore existenti Monasterii hujusmodi Ab-" bati, sive ejus Vicario in spiritualibus generali, &" non alteri dirigant; decernentes ex nunc irritum," & inane si secus super his à quoquam quavis au-" thoritate scienter, vel ignoranter contigerit atten-" tari. Non obstantibus Apostolicis, & in Conciliis" Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus edi-" tis generalibus, vel specialibus Constitutionibus," & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis, &"

„Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet
„concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omni-
„bus, & singulis eorum tenores præsentibus pro
„sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo ro-
„bore permansuris, ad præmissorum effectum spe-
„cialiter, & expresè derogamus, cæterisque con-
„trariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsen-
„tium transumptis, etiam impressis, manu alicu-
„jus Notarii publici subscriptis, & sigillo perso-
„næ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis
„eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibea-
„tur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent
„exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Ma-
„riam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Maii
„1639. Pontificatûs nostri anno XVI.

Nihilominus Capitulum, & Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi, seù Civitatis S. Germani antedictam Abbatialem Ecclesiam Montis Casini antiquis suis prærogativis exuere, atque spoliare contendentes, illique, ut Cathedrali, vel quasi subesse detrectantes, anno 1676. hoc, & alia dubia proponi curarunt in Congregarione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, quæ iisdem dubiis ad Rotæ nostræ Romanæ Auditorium pro Voto remissis, ibique diù accuratè discussis, & ad favorem Abbatialis Ecclesiæ resolutis, anno tandem 1681. Ecclesiam Collegiatam S. Germani esse subjectam Ecclesiæ Abbatiali Montis Casini, eidemque Ecclesiæ S. Germani, ac illius Capitulo, & Canonicis super præmissis dubiis, & controversiis imponendum fore, & esse perpetuum silentium censuit, & declaravit. Decretum verò à prædicta Congregatione desuper editum subindè à piæ memoriæ Innocentio Papa XI. Prædecessore itidem nostro approbatum, confirmatumque fuit per suas Literas Apostolicas in forma Brevis tenoris sequentis, videlicèt.

„ Innocentius Papa XI. ad futuram rei memo-
„riam. Aliàs in causa jurisdictionis, inter dilectos
„Filios Abbatem, & Monachos Monasterii Montis
„Casini Ordinis S.Benedicti ex una,& dilectos etiam
„filios Capitulum, & Canonicos Collegiatæ Eccle-
„siæ S. Germani ex altera Partibus pendebat inde-
„cisa, emanavit à Congregatione Venerabilium
„Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium nego-
„tiis, & consultationibus Episcoporum, & Regu-
„larium præposita Decretum tenoris, qui sequitur,
„videlicet = In Causa Montis Casini Jurisdictionis
„vertente inter P. Abbatem, & Monachos Mon-
„tis Casini ex una, & Capitulum, & Canonicos
„Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani Partibus ex altera
„de, & super dubiis, & controversiis per hanc Sa-
„cram Congregationem Eminentissimorum S. R.E.
„Cardinalium negotiis, & consultationibus Episco-
„porum, & Regularium præpositam, Partibus hinc
„inde in facto, & in jure informantibus, sub die
„12. Martii 1676. referente Eminentissimo Castal-
„do, remissis ad Sacrum Auditorium Rotæ pro ejus
„Voto, eadem Sacra Congregatio visis tribus Deci-
„sionibus per Sacram Rotam, utraque Parte infor-
„mante, coram R. P. D. Albergato editis sub die-
„bus 30. Aprilis 1677., 14. Aprilis 1679., & 27.
„Januarii 1681., visoque ejusdem Sacræ Rotæ Voto
„registrato in calce ultimæ Decisionis emanatæ, om-
„nibus Auditoribus votantibus, reque maturè dis-
„cussa, necnon pluries citato, & intimato Procu-
„ratore Capituli, & Canonicorum S. Germani, re-
„ferente Eminentissimo Casanate in locum Emi-
„nentissimi Castaldi absentis subrogato, censuit, &
„declaravit Ecclesiam Collegiatam S. Germani esse
„subjectam Ecclesiæ Abbatiali Montis Casini, ei-
„demque Ecclesiæ S. Germani, illiusque Capitulo,
„& Canonicis super præmissis dubiis, & controver-
„siis imponendum fore, & esse perpetuum silentium,
„prout præsentis Decreti vigore imponit. Romæ 14.
„Novembris 1681. = G. Card. Carpineus = Loco†
„Sigilli = B. Panciaticus Secretarius = Cùm autem,
„sicut dilectus Filius Procurator Generalis Congre-
„gationis Casinensis dicti Ordinis Nobis nuper ex-
„poni fecit, ipse Decretum hujusmodi, quò firmiùs
„subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ robo-
„re communiri plurimùm desideret; Nos ipsius Pro-
„curatoris Generalis votis hac in re, quantù m cum
„Domino possumus, favorabiliter an nuere volen-
„tes, eumque à quibusvis excommunicationis, sus-
„pensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen-
„tentiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine
„quavis occasione, vel causa latis, si quibus quo-
„modolibet innodatus existit, ad effectum præsen-
„tium dumtaxàt consequendum, harum serie ab-
„solventes, & absolutum fore censentes, supplica-
„cationibus ejus nomine Nobis super hoc humili-
„ter porrectis inclinati, Decretum præinsertum au-
„thoritate Apostolica tenore præsentium approba-
„mus, & confirmamus, illique inviolabilis Aposto-
„licæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen sem-
„per in præmissis authoritate memoratæ Congrega-
„tionis Cardinalium. Decernentes easdem præsen-
„tes Literas semper firmas validas, & efficaces exis-
„tere, & fore, suosque plenarios, & integros effe-
„ctus sortiri, obtinere, ac illis, ad quos spectat, &
„pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, & ab
„eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in
„præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, &
„Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Au-
„ditores, definiri debere, ac irritum, & inane, si
„secùs super his à quoquam scienter, vel ignoran-
„ter contigerit attentari. Non obstantibus Cons-
„titutionibus, & Ordinationibus, Apostolicis, cæ-
„terisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ
„apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris
„die 22. Martii 1687. Pontificatûs Nostri anno XI.

Verùm Decisionibus Rotalibus, Decreto Congregationis, ejusque confirmationi Apostolicæ hujusmodi minimè acquiescentes prædicti Capitulum, & Canonici, necnon quidam alii turbolenti Incolæ S. Germani, Cleri, & Populi nomine, rursùs, & quidem acriùs instaurandam susceperunt in diebus nostris rejectam petitionem; nam occasione Concilii Romani, quod, benedicente Domino, proximè celebravimus, Nobis, & Venerabilibus Fratribus Nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus, necnon Venerabilibus itidem Fratribus Jo: Baptistæ Archepiscopo Nisibeno, & Francisco Episcopo Elusino Judicibus querelarum, & controversiarum ejusdem Concilii, exhibuerunt, ac deindè etiam palàm spargi curarunt nonnullos Libellos typis impressos, pluribus refertos contumeliis, quibus enixè, summaque cum impudentia flagitabant, ut Jura quasi Episcopalia Abbati Montis Casini in Diœcesi Casinensi competentia supprimerentur, iisque ab ipso in perpetuum avulsis, Sedes Episcopalis, propriusque Episcopus in Oppido, seù Civitate, & Ecclesia S. Germani institueretur. Eorumdem vero Libellorum examine jussu nostro à memoratis Præsulibus Judicibus deputatis diligenter peracto, rebusque expositis, qua par erat, maturitate discussis, iidem Judices suum desuper protulerunt Decretum, cujus tenor est, qui sequitur, videlicet.

„Cùm Sacrum Casinense Monasterium Auctoris
„sui, & Monachorum Sanctimonia, atque Roma-
„norum Pontificum beneficiis celebre per quosdam
„Oppidi, Civitatis nuncupati S. Germani Incolas,
„Cleri, & Populi nomine, libellis pluribus contu-
„meliis refertis, ac palàm sparsis, & exhibitis San-
„ctissimo Domino Nostro occasione Sacri Concilii
„Romani, ac Nobis, uti Judicibus querelarum, &
„controversiarum in eodem Concilio, in eum finem
„impetitum fuerit, ut supprimerentur Jura quasi
„Episcopalia Abbati Montis Casini in Diœcesi Casi-
„nensi competentia, iisque perpetuò ab eodem avul-

sis,

ſis, Sedes Epiſcopalis inſtitueretur, ſive ut prætendunt, reſtitueretur, ac proprius Epiſcopus in Civitate, & Eccleſia S. Germani crearetur: Nos Judices prædicti, maturo deſuper pro rei gravitate habito examine, comperimus querelas expoſitas contra Abbatem Caſinenſem, ejuſque Monachos fuiſſe, & eſſe inſubſiſtentes, & contumelioſas, & tamquam tales rejiciendas, & proſcribendas, perpetuumque ſilentium quoad Epiſcopatus erectionem, ſive, ut prætendunt, reſtitutionem, aliaque in eiſdem libellis contenta Clero, & Populo, ac Particularibus S. Germani præſenti noſtro Decreto imponimus, ac impoſitum eſſe volumus, prout latiùs in Literis Apoſtolicis in calce hujus Concilii apponendis conſtabit. Romæ in Eccleſia Lateranenſi 18. Maii 1725. = Jo: Baptiſta Archiepiſcopus Niſibenus Judex querelarum, & controverſiarum Sacri Concilii Romani = Franciſcus Epiſcopus Eluſinus Judex querelarum, & controverſiarum Sacri Concilii Romani. "

Poſt hujuſmodi Decreti publicationem, etſi præfati S. Germani Incolæ ab iniuſta, ac planè audaci petitione deſtiterint, & Nos in noviſſima Præſynodali Congregatione eorum impudentiam palàm arguere, & improbare, ſimulque Ordinem maximè Venerabilem, & tanti nominis Monaſterium digna laude proſequi non omiſerimus, contumelias tamen, quibus ejuſdem Monaſterii Abbatem, & Monachos proſcindere, eorumque exiſtimationem, ac honorem lædere auſi fuerant, impunitas dimittendas non eſſe cenſuimus, cùm res ad exemplum pertinere videretur, & oporteat, quemadmodùm B. Gregorius admonet, *canonica ultione, quando quid tale committitur, coerceri, ne facinus, cum aliorum peccato parcitur, vires ex diſſimulatione percipiat.* Juſſimus itaque, & curavimus, ut ejuſmodi criminis participes, & conſcii merita plecterentur pœna ad emendationem; parati tamen congruo tempore Apoſtolicam lenitatem, & manſuetudinem exhibere correctis, cùm, ut idem B. Gregorius advertit, *plus miſericordiæ, quàm diſtrictæ Nos conveniat operam dare juſtitiæ.*

Nunc autem conſiderantes præfatum Caſinenſe Monaſterium nullius Diœceſis Provinciæ noſtræ Romanæ, utpotè diuturno Fundatoris ſui uſque ad obitum incolatu conſecratum, & ab ipſo promulgatione regulæ Miraculorum ſplendore, ſuique tandem Sacri Corporis depoſito decoratum, & Caput Ordinis conſtitutum, magno ſemper in honore, ac pretio apud omnes, præſertim verò apud Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, qui non ſemel ad benedicendum Abbatem in proprio Monaſterio perſonaliter acceſſerunt, eorumque exemplo Nos ipſi nuper dilecto Filio Sebaſtiano Gadaleta electo ejuſdem Monaſterii Abbati ſtato ritu in Eccleſia S. Calixti de Urbe benedictionis munus ſolemniter impertivimus extitiſſe, atque meruiſſe, ut ab eis conſpicuis augeretur beneficiis, & privilegiis, ac ſub immediata Sedis Apoſtolicæ ſuperioritate, & patrocinio ſuſciperetur; Ac inſuper compertum habentes à Monachis ibidem degentibus omnia, quæ ad eorum regularia Inſtituta pertinent, laudabiliter obſervari, Sacrarum Literarum ſtudia ſedulò exerceri, divinumque in primis cultum ſumma cum religione peragi, quemadmodùm propriis inſpeximus oculis, dum in minoribus conſtituti illuc Sanctuarium adeò celebre devotionis gratia viſitaturi perreximus; Et propterea eorumdem Prædeceſſorum Noſtrorum exemplo, antedicti Monaſterii Caſinenſis, ejuſque Abbatialis Eccleſiæ, & Abbatis pro tempore exiſtentis prærogativas, præeminentias, & jura quæcumque inconcuſſa, ac inviolata perpetuis futuris temporibus ſervari, atque cuſtodiri cupientes; & Procuratoris Generalis ipſius Congregationis Caſinenſis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxàt conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine ſuper hoc Nobis humiliter porrectis inclinati, præinſertas Sixti, Urbani, ac Innocentii Prædeceſſorum Literas Apoſtolicas, & in illis contenta quæcumque, necnon præinſertum Judicium querelarum, & controverſiarum prædicti Concilii Romani Decretum Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ampliſſimè approbamus, & confirmamus, ac ipſis perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis vim, robur, atque munimen adjicimus, illaſque, & illud iis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, ac ab omnibus aliis reſpectivè perpetuis futuris temporibus inconcuſsè, & inviolabiliter obſervari debere præcipimus, decernimus, & mandamus.

Præterea æquum juſtumque arbitrantes, ut antedictum Caſinenſe Monaſterium, ejuſque Abbas, & Monachi nunc, & pro tempore exiſtentes; ab ulterioribus in poſterum litibus, moleſtiis, & vexationibus penitùs eximantur, eorumque ſtatui, paci, & tranquillitati pleniùs, atque uberiùs conſultum ſit, Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Eccleſiam Abbatialem præfati Monaſterii fuiſſe, & eſſe quaſi Cathedralem Diœceſis Caſinenſis, eique cæteras omnes tùm Sancti Germani, tùm etiam aliorum locorum Caſinenſis Diœceſis Eccleſias, tamquam membra capiti, ſubjectas fuiſſe, & eſſe; Necnon antedicti Monaſterii pro tempore Abbati competiiſſe, & competere Jura quaſi Epiſcopalia non modò in omnibus memoratis Eccleſiis, verùm etiam in univerſo Clero, & Populo, & locis quibuſcumque prædictæ Diœceſis juxtà memoratas Sixti, Urbani, ac Innocentii Prædeceſſorum Conſtitutiones, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus; & quatenus opus ſit, & non aliàs præfatam Abbatialem Eccleſiam de novo quaſi Cathedralem conſtituimus, illique omnes, & ſingulas ſupradictas Eccleſias omnimodè ſubjicimus, ac ipſius Abbati pro tempore exiſtenti quaſi Epiſcopalem in univerſas Eccleſias, Clerum, & Populum, & loca quæcumque univerſæ Diœceſis Caſinenſis Juriſdictionem etiam de novo in perpetuum concedimus, attribuimus, & aſſignamus, & pro conceſſa, attributa, & aſſignata ab omnibus haberi volumus, & mandamus. Quo verò ad ſolemnem benedictionem Abbatum futurorum ejuſdem Caſinenſis Monaſterii Decretum antedicti noſtri Concilii Romani, & legem à Nobis inibi præſcriptam ſervari volumus

Ad hæc ut omnis anſa, atque fomentum quibuſcumque ulterioribus diſſidiis & contentionibus præcidatur, Capitulo, & Canonicis prædictæ Collegiatæ Eccleſiæ, nec non reliquo Clero Univerſitati, Hominibus, & Populo præfati Oppidi, ſeù Civitatis Sancti Germani, quoad petitam, ac, ut præfertur, rejectam Epiſcopatus, & Cathedralis erectionem, ſeù reſtitutionem in eadem Collegiata Eccleſia Sancti Germani, perpetuum ſilentium Apoſtolica authoritate tenore præſentium imponimus, & impoſitum eſſe volumus: illis omnibus diſtrictè præcipientes, ac inhibentes, ne de cætero memoratos Abbatem, & Monachos ſuper hujuſmodi prætenſa erectione, ſeù reſtitutione vexare, inquietare, perturbare, ullave amplius moleſtia afficere audeant, ſeù præſumant ſub pœnis noſtro, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis arbitrio infligendis; ac ita perpetuis futuris temporibus obſervari debere ſancimus, decernimus, & mandamus.

Decernentes pariter eaſdem præſentes Literas ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere,

1725. ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis legitima, & juridica, etiam ex eo quòd aliqua ex præmissis, narratis, ac expositis non substinerent, & Capitulum, & Canonici d. Collegiatæ Ecclesiæ S. Germani, & quicumque alii cujuscumque gradus, & conditionis existant, in præmissis omnibus, & singulis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, titulo, & occasione jus, vel interesse habentes, seù habere prætendentes illis non consenserint, aut ad ea vocati, & auditi, & causæ, propter quas eædem præsentes emanaverint, in Consistorio nostro, vel alibi, vocatis vocandis, & præviis debitis tractatibus, ac servatis, & adhibitis solemnitatibus, & aliis de jure, vel consuetudine, vel juxta Constitutiones, & Ordinationes Apostolicas, & Ecclesiæ prædictæ statuta, privilegia, & indulta, etiam confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roborata, aut aliàs quomodolibet requisitis, & in similibus necessariis examinatæ, verificatæ, ac justificatæ non fuerint, de subreptionis, aut nullitatis, seù invaliditatis vitio, vel intentionis nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individuam mentionem, aut expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in præmissis, eorumq; aliquo solemnitates, & quævis alia de jure servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure, statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seù etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, & quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, & tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, & aliis superiùs expressis nullibi appareat, nec aliàs probari possint, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seù quomodolibet, etiam motu simili concesso, vel impetrato, aut emanato uti, seù se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, & dispositionum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam prædictam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialiter ex quibuslibet causis, & sub quibuslibet verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiamsi in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fieret, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis comprehendi, sed tanquam ad majus bonum, & Ecclesiasticarum Personarum prædictarum quietem, ac pacem tendentes, semper, & omninò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, & fore; sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, aut V. Legatos, dictæque Sedis Nuncios, aut alios quoscumque quavis authoritate, potestate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præeminentia fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, in quocumque judicio, & quacumque instantia judicari, & definiri debere, & si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, ac inane decernimus, & declaramus. 1725.

Non obstantibus, quatenùs opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, universalibusque Conciliis specialibus, vel generalibus, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædictarum Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, illis, earumque Superioribus, & personis, ac locis quibuscumque, etiam specifica, & expressa, ac individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiamsi in eis caveatur expressè, quod illis per quascumque Literas Apostolicas, etiam motu simili, pro tempore concessas, & quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes clausulas derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & clausulas, etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, & specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum omnium, & singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxàt latissimè, & plenissimè, ac sufficienter, necnon specialiter, & expressè, motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat nostram hanc paginam approbationis, confirmationis, declarationis, subjectionis, mandati, decreti, voluntatis, præcepti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Pridiè Nonas Augusti Pontificatus nostri anno secundo. 9. Aug. 1725.

P. M. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

Visa de Curia I. Fontaninus.

Loco † Plumbi. L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XIV. Bulla Sanctissimi D. N. D. Benedicti Papæ XIII. Reintegrationis S. Mariæ Civitatis Priverni ad Cathedralitatem, & quatenùs opus sit de novo in Cathedralem erectionis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Super Universas Orbis Ecclesias, meritis licèt imparibus, divina dispositione constituti ad ea libenter intendimus, per quæ Ecclesias ipsas, præ-

sertim Beatissimæ Virginis Mariæ nomine decoratas, & in Civitatibus insignibus consistentes, nostræque Ditioni subjectas ad pristinam earum Cathedralitatem, si illa in desuetudinem abiisse dicatur libenti animo restituamus, ac quatenùs opus sit eas de novo in Cathedrales erigamus, earum Dignitatibus, & Canonicis nova Privilegia, & Indulta concedamus, prout pensatis circumstantiis universis ad Dei Omnipotentis, ejusdemque Virginis Mariæ laudem, & honorem, ac Populorum in eis degentium quietem, & tranquillitatem conspicimus in Domino salubriter expedire. Cùm itaque, sicut accepimus, à dilectis filiis Capitulo, & Clero Civitatis Priverni in Latii sitæ, & Ditioni Sedis Apostolicæ immediatè subjectæ eadem Civitas ob originis antiquitatem, rerum omnium ad humanæ vitæ usum necessarium ubertatem, ædificiorum àmplitudinem, ac Habitatorum, & Incolarum numerum quatuor mille Animas excedentem, aliasque infrascriptas prærogativas inter principaliora loca Latii hujusmodi adscribitur, & ibi Divus Thomas Aquinas nuncupatus, dùm viveret Ordinis Fratrum Sancti Dominici Prædicatorum expressè professus, & à pluribus annis ejusdem Civitatis Patronus, dùm ad Lugdunensem Concilium proficiscebatur in Monasterio Fossæ novæ nuncupato Cisterciensis Ordinis moram fecit, ibique lethali morbo correptus,ægrotant Sacra Cantica Canticorum,explanavit, & obdormuit in Domino, illiusque Domicilium in Cappellam cum Altari redactum fuit, plures in eadem Civitate adsunt familiæ tàm generis nobilitate, quàm literis, & armis conspicuæ, & propriis redditibus decore viventes; Ultra infrascriptam majorem, quinque numerantur Parochiales Ecclesiæ, in quibus Animarum cura debita, quâ par est, vigilantia, promptaque, & assidua Sacramentorum administratione exercetur; Quatuor Religiosorum Virorum Conventus ibi reperiuntur, nec non Collegium Clericorum Regularium Doctrinæ Christianæ, ibidem diversarum scientiarum scholas habentium, unum existit Sanctimonialium Monasterium,quæ Voti solemnis Religioni consecratæ monastico Sanctioris vitæ instituto illibatam servant Virginitatem; Quinque etiam reperiuntur Laïcorum Confraternitates, ac Tria oratoria, aliaque Loca pia hujusmodi Canonicè erecta, in quibus divini cultus promoventur officia, ac plura pietatis, & misericordiæ opera exercentur. Illud verò, quod ad majorem præfatæ Civitatis cedit honorificentiam, & prærogativàm venustissima est, & decora propemodùm Ecclesiæ majoris ejusdem Civitatis nobilis, & antiquæ structuræ, ac Beatissimæ Virgini Mariæ dicatæ Majestas, & Ministrorum inibi divino Cultui incumbentium pietas, ac Sacrarum Reliquiarum,ac rerum omnium pro divinis officiis obeundis inibi existentium ubertas, nec non pro Ecclesiasticis functionibus decenter exercendis, sacrisque utensilibus opulenter ornata egregia insignitatis laude præfulgens illius Capitulum Archipresbitero Dignitate unica, ac quatuordecim Canonicis decoratur, qui Ecclesiasticis cæremoniis instructi, sacrisque actibus imbuti, illa, quam Domus Dei exposcit,majestate, & decentia sacris laudibus vacant, & divinæ servitutis obsequio horas Canonicas persolvunt, ob præfatas, aliasque Civitatis, & majoris Ecclesiæ hujusmodi prærogativas, etiam antiquis temporibus in eis præfulgentes, præfata major Ecclesia Sanctæ Mariæ Ecclesia Cathedralis extitit, ac quinque præ cæteris Privernenses Episcopi in ea extiterunt, quorum primus Eleutherius Episcopus Privernas, qui Anno Domini octingentesimo vigesimo quarto interfuit Synodo, sexaginta trium Episcoporum ab Eugenio PP. III. Prædecessore Romæ celebratæ, in qua subscriptus legitur Eleutherius Episcopus Privernas;Secundus fuit Majus Episcopus; qui in alia Synodo celebrata sub Leone Quarto,etiam Prædecessore nostro Anno ejusdem Domini octingentesimo quinquagesimo tertio in Basilica Principis Apostolorum de Urbe cum interventu sexaginta trium Episcoporum subscriptus legitur Majus Episcopus Privernas. Tertius fuit Benedictus Episcopus, qui interfuit Synodo Romæ celebratæ Anno ejusdem Domini noningentesimo nonagesimo secundo. Quartus fuit Martinus Episcopus, qui legitur vixisse ante Annum ejusdem Domini millesimum: ac quintus denique Petrus Episcopus, qui interfuit Concilio Romano Anno eiusdem Domini millesimo sexagesimo sexto sub Benedicto PP. IX. pariter Prædecessore nostro similiter celebrato. Postmodum verò præfata Ecclesia Privernen. Ecclesiæ Terracinen. Ab Onorio PP. III., etiam Prædecessore nostro unita fuit, ac stante unione hujusmodi decursu temporis qualitas Cathedralitatis dictæ Ecclesiæ Privernen. in desuetudinem abiisse dicitur, & super Cathedralitate hujusmodi inter Terracinen., Setin., & Privernen. Ecclesias plures lites, & controversiæ extiterunt, quæ tamen inter præfatas Ecclesias Terracinen., & Setin. per nos extinctæ fuerunt; Super Cathedralitate tamen Ecclesiæ Privernen. forsan adhuc pendent indecisæ. Nos considerantes, quod præfata major Ecclesia Priverni ob præfatas qualitates, & prærogativas digna videtur, ut ad pristinam qualitatem Cathedralis restituatur, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, meraque deliberatione nostris lites, & causas super Cathedralitate dictæ majoris Ecclesiæ Privernen. inter præfatam majorem Ecclesiam Privernen., & Ecclesiam Terracinen. adhuc forsan pendentes indecisas ad Nos avocamus, easque penitùs, & omninò extinguimus, ac omnibus, & singulis Personis in causis, & litibus hujusmodi existentibus, ac interesse quomodolibet habentibus, seù habere prætendentibus, perpetuum silentium imponimus, & Ecclesiam præfatam Sanctæ Mariæ Priverni ad Cathedralitatem reintegramus, & quatenùs opus sit, de novo in Cathedralem erigimus, & dictæ Ecclesiæ Terracinen., unà cum dicta Ecclesia Setina æquè principaliter etiam de novo unimus, ità ut in posterùm Ecclesia Privernen., Setina, & Terracinen. tres Cathedrales insimul unitæ sint, & esse debeant, & in actibus consistorialibus, & in literis Apostolicis super promotione novi Episcopi ad præfatas Ecclesias Terracinen., Setin., & Privernen., sic ut præfertur, æquè principaliter unitas semper fieri debeat mentio præfatæ Ecclesiæ Privernen. uti Concathedralis, ad hoc autem ut Capitulum, & Canonici præfatæ majoris Ecclesiæ Privernen. in præfata Majori Ecclesia Privernen. horas Canonicas canere, & Ecclesiasticas functiones majori cum honorificentia, & decore, divinique cultus splendore exercere valeant, modernis, & pro tempore existentibus Archipresbitero, & Canonicis præfatæ majoris Ecclesiæ Privernen., ut ipsi perpetuis futuris temporibus mozzettam violacei coloris supra rocchettum tam in dicta majori Ecclesia Privernen., illiusque Capitulo, quàm extra eam, ac in Processionibus, funeralibus,& aliis quibuscumque functionibus,& actibus capitularibus publicis, & privatis, quibuslibet Anni temporibus & diebus, etiam in præsentia quorumcumque Archiepiscoporum, vel Episcoporum, Sedis Apostolicæ Nunciorum, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiam de latere legatorum, & aliorum quorumcumque quavis authoritate, & potestate fungentium, ac honore, & præeminentia fulgentium deferre liberè, & licitè possint, & valeant, ac super gestatione mozzettæ, & rocchetti hujusmodi à quoquam quavis authoritate directè, vel indirectè impediri, molestari, inquietari, vel perturbari nullatenùs possint,etiam perpetuò concedimus, & indulgemus; decernentes insuper easdem præsentes semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus &

singulis,

singulis,ad quos quomodolibet nunc spectat, & pro tempore spectabit firmiter,& inviolabiliter observari debere,ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis legitima,& juridica, etiam ex eo quod Capitulum, & Canonici Ecclesiarum Terracinen.,& Setin. aut quicumque alii, in præmissis, & circà ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione Jus, vel interesse habentes, aut habere prætendentes illis non consenserint, nec ad id vocati, & citati, & auditi fuerint, & causæ propter quas eædem præsentes emanaverint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut Jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio, quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, inexcogitabili, ac specificam, & individuam mentionem, ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in præmissis, eorumve aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à Jure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seù etiam enormis, & enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causa, etiam in tempore Juris clausa occasione, aliave causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, & aliis superiùs expressis nullibi appareret, seu aliàs probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, & terminos Juris, aut aliud quodcumque Juris, facti, gratiæ, vel Justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu simili concesso, aut impetrato, vel emanato uti seù se juvare, in judicio, vel extrà posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus,etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam præfatam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus,etiam consistorialiter, & quibuslibet causis, & sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, decretis, etiam si de eisdem præsentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat pro tempore factis,& concessis, ac faciendis, & concedendis, nisi Capitulorum, & Canonicorum præfatarum Ecclesiarum Terracinen., & Setin.,aut quarumcumque aliarum Personarum ad id interesse habentium, seù habere prætendentium expressus accesserit assensus comprehendi, sed tamquàm ad majus divini cultus augmentum, Personarumque Ecclesiasticarum pacem, & tranquillitatem, uberioremque etiam Laicorum spiritualem consolationem, & utilitatem tendentes semper, & omninò ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum,& validissimum, ac eum, in quo anteà quomodolibet erant statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Capitulum, & Canonicos dictæ majoris Ecclesiæ Privernen. quandocumque eligenda concessas esse,& fore,sicque & non aliàs per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præfatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ac aliàs quomodolibet quavis authoritate, potestate, prærogativa,& privilegio fungentes. ac honore, & præeminentia fulgentes sublata eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate in quocumque Judicio, & in quacumque instantia judicari, & definiri debere;& si secus super his à quoquam quavis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari irritum, & inane decernimus : non obstantibus, quatenùs opus sit, nostris,& Cancellariæ Apostolicæ de Jure quæsito non tollendo,& de unionibus ad partes committendis, vocatis, quorum interest, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, & edendis regulis, aliisque quibusvis,etiam in Synodalibus,Provincialibus,universalibusque Conciliis editis, vel edendis, specialibus,vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictarumque Ecclesiarum Terracinen., Setin., & Privernen., etiam Juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate aliàs roboratis Statutis, eorumque reformationibus,& novis additionibus, stylis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis illis,eorumque Personis,& locis quibuscumque, etiam specifica, expressa, & individua mentione dignis sub quibuscumque tenoribus & formis,ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque,& aliis decretis in genere,vel in specie etiam motu simili, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium præmissorum concessis, approbatis,confirmatis, & innovatis,etiam si in eis caveatur expresè, quod illis per quascumque literas Apostolicas etiam motu pari pro tempore concessas quascumque etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes derogari non possit, neque censeatur eis derogatum, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda,aut quæcumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum omnium, & singulorum tenores, formas,& causas,etiam quantumvis prægnantes, pias, & privilegiatas, præsentibus pro plenè, & sufficientèr, ac de verbo ad verbum nihil penitùs omisso insertis, expressis,ac specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris,ad præmissorum omnium, & singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissimè, plenissimè, ac sufficientèr, nec non specialitèr, ac expresè motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod per præsentem reintegrationem dictæ majoris Ecclesiæ Privernen. ad Cathedralitatem seu illius novam erectionem in Cathedralem à nobis sic, ut præfertur, factas Episcopi Terracinen. pro tempore existentes possint in præfata Civitate Priverni residere, aut retinere Vicarium Generalem, aut specialem, functionesque Episcopales temporibus, & diebus eis benevisis ibidem peragere, semper tamen eorum arbitrio; Sede autem Episcopali vacante Capitulum Ecclesiæ Terracinen., juxtà hactenùs observatam consuetudinem, etiam inconsulto, & minimè audito Capitulo Ecclesiæ Privernen. Vicarium Capitularem eligere valeat,qui postquam à dicto Capitulo Terracinen. canonicè electus, & deputatus fuerit suam Jurisdictionem etiam in Ecclesia Privernen. exercere valeat; Quodque ad tollendas futuris temporibus controversias quascumque inter Privernen., & Setin. Ecclesias, præcipuè in casibus, & functionibus, in quibus Capitula Privernen., & Setin. Ecclesiarum præfatarum insimul adesse contigerit, ac etiam in actibus consistorialibus alternativa inter eos præcedentiæ exerceatur. Volumus denique, quod Communitas, Capitulum, & Clerus Privernen. obligati sint & teneantur eorum expensis emere, seù construere aliquod decens Palatium, in quo præfatus Episcopus ad ejus arbitrium commodè,& decentèr habitare valeat, eique solvere debeant procurationem, quando

tempore

tempore incœptæ visitationis in Civitate Privernen. non resederit: decernentes etiam quoad posteriorem voluntatem nostram hujusmodi ex nunc irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ avocationis, extinctionis, reintegrationis, erectionis, Indulti, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Idus Septembris Pontificatus nostri
4. Id. Sept. 1725. Anno secundo.

Taxa CL. residuum gratis de mandato Sanctissimi.
P. Cardinalis Prodatarius. F. M. de Carconiis.
I. Vathour. V. Pro R. P. D. Sinibaldo.
I. C. Pelucchius Substitutus. N. Lesen.
Registrata in Camera Apostolica.
Dominicus Antonius Galosius Secretarius.

XV. Suppressio Confraternitatis Sanctissimi Rosarii Civitatis Cæsenaten., & applicatio ejus mobilium, ac ornamentorum sacrorum, unà cum Oratorio, Ecclesiæ Conventus Ordinis Prædicatorum ejusdem Civitatis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm Nos nuper inter alia Confraternitatis Sanctiss. Rosarii Civitatis nostræ Cæsenaten. omnes annuos fructus, redditus, & proventus cujuscumque quantitatis, speciei, & valoris existerent, Seminario Ecclesiastico ejusdem Civitatis sub certis modo, & forma tunc expressis applicaverimus, & assignaverimus, prout in nostris desuper in simili forma Brevis die XXX. mensis Maii proximè præteriti expeditis Literis, quarum tenorem præsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberiùs continetur. Nunc autem Nos rationabilibus causis Nobis notis adducti, Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dictam Confraternitatem Sanctissimi Rosarii in Ecclesia Conventus Ordinis Fratrum Prædicatorum dictæ Civitatis canonicè, ut asseritur, erectam, necnon quamcumque præeminentiam, & jus, quæ Confratribus memoratæ Confraternitatis in ejusmodi Ecclesia quomodolibet competere potuerint, unà cum titulo, essentia, & denominatione tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus. Ac universa præfatæ Confraternitatis, mobilia, & ornamenta sacra Ecclesiæ, & Capellæ Sanctissimi Rosarii hujusmodi, unà cum Oratorio, quod est de directo dominio prædicti Conventus, & cui annuus canon in concessione fundi jamdudum à Fratribus prædicti Conventus facta cum pactis expressis in illa appositis reservatus fuit, harum serie perpetuò applicamus, & incorporamus. Decernentes, easdem præsentes Litteras, etiam ex eo, quod præfatæ Confraternitatis Officiales, & Confratres, & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ, propter quas præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ ullatenùs fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem præmissis, solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, vel ad terminos juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, vel aliud quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quomolibet spectabit in futurum, plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Moderno, & pro tempore existenti, Episcopo Cæsenatensi per præsentes Motu pari committimus, & mandamus, quatenùs ipse per se, vel alium, seu alios præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicans, dictisque Fratribus in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra Fratres Conventus præfati præsentium Litterarum, & in eis contentorum hujusmodi, commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, & quatenùs opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, necnon Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis prohiben., aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac omnibus, & singulis illis, quæ in prædictis Litteris voluimus non obstare, necnon prædictæ Confraternitatis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè denegamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Septembris MDCCXXV. 15. Sept. 1725.
Pontificatus nostri Anno secundo. *F. Card. Oliverius.*

Pro Annona urbana, & re agraria bene gerenda. XVI.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

AD summum Pontificem, ut communem omnium pastorem, atque parentem, non solùm Ad summum Pon-

Pontificem non solùm pertinet cura universalis rei Christianæ, sed specialis subditorum S. R. E.

pertinet generalem totius rei Christianæ, sed etiam specialem populorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditioni in temporibus subjectorum curam suscipere, eorumdemque optimo statui & felicitati propria quadam, & peculiari vigilantia providere. Hoc, Deo favente, eventurum speramus, si ad Annonam urbanam artemque agrariam, in qua totius reipublicæ vigor, & incrementum constituta esse noscuntur, mentis nostræ oculos convertamus. Antecessores quidem nostri Romani Pontifices pro ea, quam gerebant, erga populos sibi commissos, paterna sollicitudine, saluberrimis legibus, & institutis tantò negocio consulere studuerunt. Attamen quia vicissitudine temporum res salubriter institutæ identidem in deterius mutantur, è dignitate nostra esse duximus, ut si quid hac in re collapsum est, id pro viribus reparemus, ut ex studio, & sollicitudine nostris uberem fructum populi, Sedis Apostolicæ imperio immediatè subjecti, percipiant.

I.

Ex mercatura & negotiatione Annonæ, quæ mala orta agricolis & pistoribus.

Itaque cùm nos gravissimum rei agrariæ incommodum imminere non sine ingenti totius reipublicæ detrimento, ob magna, assiduaque dispendia, atque onera, quæ mercatores, cultoresque agrorum, ac pistores hujus nostræ almæ Urbis, ejusque districtus in dies subire, ac pati coguntur, ex ipsorum clamoribus ad aures nostras perlatis, acceperimus, mercatoribus agrorumque cultoribus una voce conquerentibus, ex publicæ Annonæ, & rei frumentariæ licitationibus, mercaturisque, quas ejus ministri hucusque exercere consueverunt, præcipuum laborum suorum fructum sibi eripi, Romanos agros spe uberioris messis excolendi sibi potestatem & commodum adimi, maximam lucri partem, quam sibi ex propria in rebus agrariis industria ad vitæ sustentationem comparari possent, in urbanæ Annonæ, ut aiebant, commoda cedere sine ullo publicæ rei emolumento: clamantibus etiam pistoribus, se plus æquo Annonæ causa opprimi, & ob magnam frumenti vim, supra vires eis distributam, utpote nimis gravi pretio emendam, se impares fieri oneri sustinendo, atque ad artem suam deserendam impelli: & quandoquidem semper ejusdem ponderis panem conficere debent, se ex eadem arte sua vix posse vitæ suæ necessaria percipere, suppetente præsertim tanta farinæ cujuscumque generis copia in publicis horreis ad Thermas Diocletiani, ut quamplurimi ex infimo populo eam certatim ad conficiendum domi panem empturi, illuc confluant, unde difficillima iisdem pistoribus reddatur furfuris & purgamentorum tritici venundatio, aliàs à vulgo & plebe magnopere expetita atque hinc fieri, ut pistores damno sibi illato perterriti, animoque collapsi de claudendis furnis suis cogitarent. Pervulgatum est etiam, ex tot malis & incommodis, nisi eis opportunè occurratur, metuendum esse, ne saluberrima, & laudatissima omnium artium agricultura quæ superioribus sæculis huic nostræ almæ Urbi ingentem opum vim attulit, quæque non solùm populis imperio nostro subjectis tritici ubertatem suppeditavit, sed extranearum etiam nationum penuriæ atque egestati levandæ suffecit magna qua publica, qua privata nostrarum regionum felicitate ex hac tritici venundatione emergente, jam tandem penitus labefactata corruat, aut majori ex parte destituta intereat, urgente propterea interitus periculo quod pauci admodum in agro Romano, inque Urbis districtu campi, aratro ad sementem scissi reperiantur, qui fundorum dominis, agrorumque cultoribus aliquam afferant utilitatem ob graves impensas hac in re necessarias, summamque vendendæ, ac distrahendæ frumentariæ messis difficultatem; unde factum, ut brevi paucorum annorum spatio subditi nostri, quos in sinu paternæ caritatis foventes singulari amore prosequimur, sæpenumero tritici inopia concussi ab extraneis Provinciis non sine gravissimis sumptibus illud subsidium emendicare coacti sint, quod antea facillimè poterant, & nunc etiam possent, ex propriis suis agris abundè percipere. Quare nos de populorum nostrorum, præcipuè pauperum, & egentium, quorum saluti consulere semper nobis in animo fuit, tot tantisque malis, ac periculis vehementer solliciti, eam rationem inire tandem statuimus, qua publicam, privatamque jacturam reparare, præsentibus incommodis occurrere, ac deinceps præsidiis communi bono opportunis, atque agrariæ artis augmento, prospicere valeremus.

II.

Congregatio indicta pro cõsulendo Annonæ, & rei agrariæ.

Nos ex quo certiores facti fuimus, Annonæ urbanæ patrimonium una cum emolumentis & lucris ex frumenti licitatione, negociatione & mercatura perceptis, ad magnam, & notabilem sortem in præsentia auctum esse, annuatimque augeri, non modo sine ullo reipublicæ commodo, sed contra cum ejusdem agrariæ artis immodico, detrimento, hæc eadem inutilia lucra in publicam utilitatem convertere, atque hinc solidum rei agrariæ munimen, & fulcimentum petere cogitavimus. Hoc ut maturiori discussione felicius, utiliusque exequeremur, paternique animi nostri consilium plenius perficeremus, specialem hac de re Congregationem habendam jussimus anctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, cui una cum aliis Prælatis viris, unus quoque interesset ex Romanis patriciis Laicus, ut patet ex nostro Chirographo subsignato die 30. Januarii currentis anni 1725, cujus quidem Congregationis prudentiæ, ac vigilantiæ injunximus, ut priùs per idoneos, & peritos viros ipsius Annonæ statum passivum, & activum sedulò examinandum, describendumque curaret: mox de illis remediis æquè sedulò cogitaret, quæ facto opus esse intelligeret, eas deliberationes suscipiens, quæ ad præsentia mala tollenda, futuramque agrariæ rei securitatem stabiliendam, magis expedire arbitraretur. Postquam verò in eadem Congregatione, cùm primum facta fuit, deputatio ejus viri, cui onus hujusmodi commissum fuit, publicæ Annonæ statum accuratè descripsit, & ob oculos posuit, eo completo atque in subsequenti Congregatione per eumdem ad id deputatum, relato, compertum est ejusdem Annonæ lucra à die XVII. Julii anni 1718. pro toto mense Junii anni 1724. ad summam pervenisse trecentorum nonaginta quinque millium trecentorum quadraginta novem scutorum Romanorum, & obolorum seu bajoccorum sexaginta, non comprehensis hac summa capitalibus seu fundis, quæ priùs ab ipso Annonæ magistratu possidebantur. Hinc factum fuit, ut in eadem Congregatione unis omnium calculis subsequentia sancirentur.

Lucra Annonæ usque ad annum 1724. per deputatum reperta in sc. 395349 60.

Resolutiones primæ Congregationis à Sanctissimo Domino nostro approbatæ.

1. Quòd deinceps in publicis Annonæ horreis serventur mensuræ, sive ut vulgò dicimus, *rubra* triginta millia frumenti, ut inde cuilibet futuræ urbis necessitati commodè consulatur.

2. Quòd Annonæ ministri se abstineant imposterum ab emendo, vendendoque frumento, proque eo servando fiat ejusdem tritici renovatio per pistores urbis hoc pacto. I. Quòd tempore sterilitatis renovatio fiat arbitrio Annonæ Præfecti; extra sterilitatem per annum omnium rubrorum triginta millium renovatio fiat de trimestri in trimestre in quarta per eosdem pistores uno tenore ad formam Chirographi recolendæ memoriæ Alexandri VIII. antecessoris nostri. II. Quòd ipsi pistores per suos consules qualibet hebdomada visitare debeant dictum frumentum in ipsis horreis Annonæ, sique illud invenerint pejorare, seu deteriorare posse in parte sive in toto, statim id Præfecto denunciare teneantur, ut frumentum ad formam dicti Chirographi renovari mandet, ut suprà.

3. Quòd in renovatione, qualibet vice, ut suprà, facienda frumentum per pistores reportandum cribretur in horreis mercatorum ad libitum Annonæ Præfecti, non autem in horreis ejusdem Annonæ.

Hujusmodi sanctiones ad nos per Congregationis

Dubia proposita in secunda Congregatione, sed maturè non resoluta ob defectum notitiæ status Annonæ totius mensis Junii 1725.

Secretarium perlatas, dignas duximus quæ nostra approbatione fulcirentur, ideoque illas auctoritatis nostræ robore firmavimus, & approbavimus. Coacta deinde iterum est eadem Congregatio deliberandi causa aliis de rebus nondum discussis, hæc dubia respicientibus.

1. An ad servandum perpetuò liberum commercium in emptione, & venditione frumenti sit imposterum omittenda facultas Præfecti; cui sufficiat notitia copiæ frumentorum vendendorum, emendorumque, ad eum per Caporales perferenda.

2. An mutuationes in pecunia, vel frumento facienda sint agricolis, & terrarum cultoribus? In quanam vero quantitate,& quibus personis, quibusque cautelis? quæ dubia ad Marchionis Hieronymi Theodoli sententiam remissa sunt. His dubiis,æquas resolutiones, bonum Annonæ regimen ac artis agrariæ beneficium respicientibus, cùm opportuna, maturaque responsio parari non posset ob defectum notitiæ status ejusdem Anonnæ totius mensis Junii anni 1725. congruum judicavimus præcipere,ut ulla deliberando priùs approbaretur, quàm postremus Annonæ urbanæ status à jam dicto deputato describeretur: quo mox confecto, eoque nobis ex decreti nostri auctoritate speciatim exhibito, statim ex relatione nobis super id porrecta animadvertimus, eumdem statum ad summam scutorum Romanorum quingentorum sexaginta duorum millium quadringentorum quinquaginta septem,& obolorum novem ascendere: ex qua summa detractis scutis centum sexaginta octo millibus ducentis quinquaginta quatuor, & obolis octoginta quinque, consistentibus in horreis tam Romæ,quàm Centumcellis,pro frumenti conservatione constructis, & in uno furno sub ejusdem Annonæ dominio, atque ex residua utilium summa perveniente ad numerum scutorum trecentorum nonaginta quatuor millium ducentorum duorum, & obolorum viginti quatuor, demptis viginti duobus millibus sexcentis quatuordecim, & obolis octoginta quatuor, in fructifera sorte collocatis, reliquam pecuniæ summam liberam, & immunem, nostræ dispositioni, & arbitrio remanentem, ad numerum scutorum trecentorum septuaginta unius millium quingentorum octoginta septem & obolos quadraginta ascendisse comperimus. Quam summam in agrariæ artis subsidium, & augmentum, inque populorum sub jure Sancti Petri existentium beneficium provida dispositione impendere cupientes, in primis omnes, & singulas deliberationes, & provisiones susceptas stabilitasque in Congregatione, habita die XVIII. Aprilis anni 1724. à nobis speciatim indicta approbamus, & confirmamus, quemadmomodum etiam alias provisiones ac resolutiones præscriptas & editas ab eadem Congregatione die XII. Julii anni 1725. similiter approbatione nostra firmamus, omologamus, & firmatas approbatasque esse volumus & mandamus, ac speciatim illas, in quibus decernitur.

Statu ejusdem mensis Junii 1725. confecto, repertus totus assis in capitalibus, & in lucris, sc. 562457. & oboi. 9.

Assis in capitalibus scutorum 168254.85. assis in utilibus & lucris scut. 394201.24. demptis scutis 22614. 84. in fructifera sorte collatis.

Reliqua pecuniæ summa in utilibus & lucris remanet dispositioni Sanctissimi Domini nostri Papæ in scutis 371587.40.

Provisiones editæ in terra & ultima Cōgregatione, à Sanctissimo Domino nostro approbatæ.

1. Quòd mutuationes agricolis fieri debeant in pecunia, non in frumento.

2. Quòd eædem mutuationes sint faciendæ tam Agricolis, fundorum dominis, & conductoribus agri Romani, quàm districtualibus.

3. Quòd districtualibus mutuationibus fiant sub tenui censu scutorum duorum pro quolibet centenario ad solvenda stipendia Commissariis locorum ex causa obligationis, quam ipsi assumere debent super nominibus debitorum exactorum, & non exactorum.

4. Quòd Annonæ præfectus incumbat ad curandam restitutionem scutorum viginti millium, quæ Præfectus Grasciæ reddere debet ex mutuo ei dato die XXII. Martii anni 1723.

5. Quòd ad tollenda mercimonia pistorum, & eorum, qui bellaria, placentas, atque alia ejusmodi esculenta conficiunt, & vicatim vendunt, vulgòque dicuntur *Vermicellari, & Ciambellari*, renovari debeant edicta, aliaque etiam publicari, prohibentia tritici emptionem in acie Campi Floræ, ex eo, quod propterea congeritur, ut pluris vendatur, & vulgò dicitur *incettare*. Præsertim verò Edicta vulgentur, in areis agri Romani, ac districtus tempore collectionis tritici interdicentia ejusmodi frumentariis exercitium artis agrariæ, nè hoc prætextu frumentum viliori pretio emant, atque hinc impediantur agricolis venundationes.

6. Quòd eadem edicta prohibitiva, ad ponderatores aliosque Annonæ ministros extendi debeant.

IV.

Indictio Congregationis specialis quinto decimo quoque die facienda.

Quoniam omnia,quo fieri potest utiliori modo ac forma ejusmodi Annonæ lucra in beneficium agrariæ artis impendi ac distribui cupimus, etiam quoad dubia *quinto*, & *sexto* loco in memorata Congregatione proposita die XVIII. Aprilis anni 1724. super quibus, quia jam certi sumus de integro & accurato ejusdem Annonæ statu, speciatim, & magis præcipuè tantæ rei providere volumus.Ideo nos motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque nostræ potestatis plenitudine, ut plenius, uberius atque omni meliori & efficaciori modo, voluntas, & provida nostra intentio impleantur, deputamus, indicimus, & instituimus specialem Congregationem,quam constare volumus dilectis filiis, nostro Thesaurario generali, & Præfecto ejusdem Annonæ; pro urbe Roma ejusque districtu Alexandro de Abbatibus in utraque Signatura Referendario, Hieronymo Marchione Theodolo, & Tiberio Cincio;pro Umbria & Marchia venerabili fratre Marco Antonio Archiepiscopo Damiatæ; pro Bononia Alexandro Tanario in utraque Signatura Referendario; pro Ferraria Carolo Calcagnino causarum nostri Palatii Apostolici Judice; pro Romandiola Anselmo Dandino in utraque Signatura Referendario cum Adsessore Pontiano Fargna juris pontificii, & Cæsarei consulto, in Romanæ curiæ foro causarum patrono, per auditorium nostri palatii Apostolici approbato, & superiùs ab eadem Congregatione selecto, & deputato. Hi verò omnes per se ipsos intersint,& quintodecimo quoque ab eis statuendo die omnes simul conveniant, deque arte agriculturæ restituenda, instauranda,augendaque, & de ulteriori statu Annonæ, rebusque universis illam spectantibus, sermones invicem conferant, pertractent, & diligenter perpendant: quodque ab eis sive à majori eorum parte matura collatione fuerit consultum, nobis referant, ut seriò quid pro publica utilitate statuendum sit, decernere possimus; firma tamen remanente in rebus arduis Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super ubertate ejusdem Annonæ urbanæ à nobis in laudato nostro Chirographo indicta, juxta Constitutionem felicis recordationis Pauli V. prædecessoris nostri, incipientem: *Pastoralis officii*, sub datum XIX. Octobris anni 1611.

V.

Facultates eidem Congregationi collatæ.

Præterea, dum paterna nostra caritas æquè in omnes, nostro temporali dominio subjectos, diffunditur, quos uno eodemque amoris gradu complectimur; volumus, & præcipimus, ut eadem Congregatio occurrat, provideatque indigentiis, quæ contingunt, aut unquam futuris temporibus contingere possunt in universis terris, & provinciis Sancti Petri, omnesque ex iisdem provinciis subditorum instantias,& petitiones quæ ab eis præsentari unquam poterunt, agnoscat, deque illis deliberet.

VI.

Eidem Congregationi subjiciuntur locorum Gubernatores & Provinciarum Præsidētes.

Mandamus insuper, & auctoritate nostra præcipimus universis,& singulis tam locorum Gubernatoribus, quàm Præsidentibus provinciarum, ut omnibus, & quibuscumque quomodolibet ad agrariæ artis statum, dispositionem, & augmentum pertinentibus, subsint prædictæ Congregationi à nobis erectæ, cujus regimini omnes necessarias facultates conce-

dimus publicandi edicta, bannimenta, atque omnia alia expendi, quæ ad agriculturæ tam agri Romani, & districtus, quàm ipsarum provinciarum perfectiorem statum, & consistentiam judicaverit expedire: ejusdemque Congregationis solertiæ, & vigilantiæ seriò injungimus, ut quanta valet efficacia, ac sollicitudine pro viribus studeat, curetque, ut mercatura, necessariaque reipublicæ negotiatio instauretur pro distractione, & venundatione frumenti, quod populorum nostrorum sustentationi superabundat, quoque indigere possunt extraneæ nationes: quibus, cùm in nostra ditione, universoque dominio negociationem, publicumque commercium induci, institui utilibus, contractibus, ac stabilimentis servari, opportunisque legibus roborari cupimus.

Eidem Congregationi solertia & vigilantia injuncta.

VII.

Expedita executio omnium hîc contentorum inculcatur.

Injungimus insuper exactam accuratamque omnium earum dispositionum, & provisionum executionem, quæ à nobis in hoc nostro motu proprio observandæ, & debitæ executioni mandandæ injunguntur. Quoniam verò paterni nostri amoris instinctus, qui vehementer fertur in Subditorum nostrorum utilitatem, quæ maximè in omni principatu ex re agraria, & assiduis crebrisque commerciis expectanda est, moras non patitur, & citam expeditamque eorum executionem, quæ huic fini assequendo retardari non sustinet; propterea volumus, ut omni celeritate plenè ac perfectè impleantur quæcumque resolutiones, & deliberationes, quas sæpedicta Congregatio in magnum Subditorum nostrorum beneficium cessuras judicaverit.

VIII.

Determinationes ab eadem Congregatione prolatæ approbantur & confirmantur.

Inhærentes igitur determinationibus ab ipsa jam editis, & à nobis superiùs enunciatis, volumus, eas omnes ad perfectam observantiam, & plenarium effectum omnino deduci; propptereaque, eas iterum speciatim, & præcipuè confirmamus, & approbamus, volentes, ut irrefragabile robur, & vim perpetuò habeant, & undequaque observentur, cùm eas inviolabiliter observari, suumque plenum effectum sortiri, sit nostra specialis, & absoluta voluntas. Illas verò deliberationes, quæ à nobis speciatim approbatæ non sunt, approbare intendimus, easdemque præsentis nostræ paginæ tenore in forma speciali approbamus, & confirmamus, declarantes, relativè ad propositionem, seu dubium *quinto* loco in eadem Congregatione propositum die XII. Julii mensis elapsi hujusce anni 1725. videlicet, *quomodo, qua ratione, & quibus cautionibus pro Annonæ securitate debeant fieri mutuationes agricolis, fundorum dominis, & conductoribus agri Romani, ac ejus districtus*; hujusmodi determinatio unicè pertineat, ac pertinere debeat ad Congregationem Prælatorum, aliorumque, à nobis in hoc nostro motu proprio super ea re deputatam: ad quam unicè etiam spectare declaramus cognitionem idoneitatis eorum, quibus erogandum erit dictum mutuum, & cautionem etiam suscipiendorum, & exigendorum juxta qualitatem mutuatarii. Quantùm vero ad *sextam* propositionem seu propositum dubium in eadem Congregatione, eadem die, mense, & anno, videlicet: *in quanam quantitate, & summa facienda sint prædictis agricolis mutuationes* considerantes nos juxta postremum statum Annonæ superiùs constabilitum, pecuniam, de qua liberè disponere possumus, ad notabilem, & conspicuam summam ascendere scutorum Romanorum trecentorum septuaginta unius millium quingentorum octoginta septem, & ob. 40. qua quidem summa abundantiùs, pleniùsque agricolis subvenire possumus; volumus, præcipimus atque mandamus, ut ex hac pecunia, post parata triginta millia rubra frumenti, in publicis horreis servanda, appretiata in scutis 210000, ut superiùs decretum fuit, eoque frumento collato cum summa ducentorum, & decem millium scutorum Romanorum, ex reliquis scutis centum sexaginta uno millibus quingentis octoginta septem, & obolis quadraginta, fieri debeant perpetuò singulis annis mutuationes, scilicet in portione scutorum sexaginta millium agricolis, fundorum dominis, & conductoribus agri Romani; nec tamen magistratus Annonæ ob dictum mutuum quicquam prætendere, aut sperare valeat in genere census, usuræ, aut alterius generis lucri. De summa autem aliorum scutorum quinquaginta millium disponi volumus, quemadmodum auctoritate nostra disponimus, in commodum, & favorem agricolarum, dominorum, & conductorum agrorum in districtu Romano; ea tamen conditione, ut, cùm ad Annonam pertineat in nonnullis locis ejusdem districtus ministros stipendio conducere, iidem agricolæ districtuales pro reparatione, ac reintegratione eorumdem stipendiorum solvere debeant publico Annonæ magistratui scuta duo pro quolibet centenario, ex mutuo accepto. Reliquum verò totius sortis scutorum quinquaginta unius millium quingentorum octoginta septem, & obolorum quadraginta, seu quicquid ad aliam majorem, & certiorem summam ascenderit, volumus, & mandamus, ut ea, qua par est diligentia, & sollicitudine (exactis nominibus debitorum Annonæ, retractoque pretio ex venditione frumenti superexcedentis quantitatem rubrorum triginta millium tritici, perpetuò ad publicæ Annonæ commoda servandum) debeat constabiliri, atque investiri in tot locis montium cameralibus non vocalibus. Horum insuper locorum fructus una cum omnibus aliis lucris, quæ ad eamdem Annonam tam ex firmis quotidianisque redditibus, quàm ex omni alio fortuito proventu pertinere unquam poterunt, volumus, ut semper, & in perpetuum uniri debeant, & quolibet anno investiri in aliis locis montium, ex eisque constitui augmentum, sive multiplicum, ut hac prompta, & parata pecunia cuicumque necessitati hujus nostræ almæ Urbis, ejusque districtus & præcipuè tempore sterilitatis, aut penuriæ, à quibus subditos nostros divina clementia immunes custodiat, opportunè subveniri, ac provideri possit.

Præservātur sc. 210000. pro rubris 30000. frumenti asservandā.

Declaratur à Sanctissimo Domino nostro summam scut 60000. mutuò dandā agri Romani cultoribus absque ullo censu.

Reliqua summa scutorum 50000. summus Pontifex mutuò dandam jubet agricolis Romani districtus.

Reliqua scuta 51587. 40 Sanctitas Sua redigi jubet in multiplicum, pro quacumque Urbis necessitate impendendum.

IX.

Circa verò præmissorum & omnium à nobis statutorum, & dispositorum plenam executionem & integrum adimplementum, eamdem Congregationem Prælatorum, aliorumque, ut suprà, à nobis nominatorum, & deputatorum, sedulò incumbere, & invigilare jubemus. Quam Congregationem bis in mense superiùs haberi mandavimus, ut crebrioribus congressibus melius celeriusque, tam regimini œconomico Annonæ, quàm politico agrariæ artis consulatur in utriusque beneficium, & incrementum, audiendo, si qui fient, mercatorum, pistorumque recursus, iisque opportunis determinationibus providendo, mercaturam, venditionem, & pretium tritici tam agri Romani, & districtus ejus, quàm totius nostri dominii curando, & moderando, ac demum super observantia omnium, & singulorum in hoc nostro motu proprio contentorum, ac præceptorum solerter invigilando, atque insistendo.

X.

Præcipimus etiam Congregationi & deputatis prædictis & eorum singulis, ut præsentes nostras literas, inque eis contenta quæcumque, observent, & exequantur, ac firmiter, & inviolabiliter executioni mandari, & observari faciant ab universis, & singulis personis tam ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus, quàm laicis cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis existant, dantes nos eidem Congregationi in præmissis, & circa ea plenam, & omnimodam, atque eam, quam nos ipsi habemus, facultatem, & potestatem declarandi, & decidendi quicquid in præsenti nostro motu proprio opus esse videbitur; necnon quæcumque edicta seu bannimenta, etiam pœnalia pro præmissorum observatione & executione necessaria, & opportuna fuerint, faciendi, & publicandi.

Hæc omnia ab omnibus cujuscumque gradus observentur.

XI.

Derogatio aliis constitutionibus adversantibus.

XI

Hæc omnia fieri, & servari statuimus, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis etiam speciali nota dignis, huic nostræ Constitutioni quomodolibet fortasse adversantibus, eaque præsertim, quatenus opus sit, quam felicis recordationis Pius IV. antecessor noster vulgavit *de registrandis*, itaut præsentes literæ nostræ absque alia in Camera nostra Apostolica admissione, & registratione, validæ sint, suumque sortiantur effectum, non obstantibus quoque Urbis, civitatum, terrarum, oppidorum, villarum, & locorum quorumcumque juramento, confirmatione Apostolica, & quavis alia firmate roboratis statutis, consuetudinibus, reformationibus, decretis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis communitatibus, universitatibus, baronibus, aliisque prædictis, & quibusvis à Sede Apostolica, vel à nobis forsan concessis, ac etiam confirmatis, approbatis, & renovatis, quæ eis quoad præmissa, volumus suffragari, etiamsi talia essent, quæ sub generali expressione non venirent, sed de illis specialis & individua mentio habenda foret in genere vel in specie, & sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus & aliis decretis in contrarium præmissorum, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, pro plene, & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat speciatim & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

XII

Volumus etiam solam præsentium signaturam nostram sufficere, etiam absque alia data, & registratura, regula quacumque contraria pariter non obstante.

XIII

Insuper hæ nostræ literæ in quavis forma expediri possint cum clausulis opportunis, earumdemque literarum transumptis, & typis impressis, manu unius Cameræ nostræ apostolicæ Notarii subscriptis, & sigillo alicujus ex Congregatione prædicta obsignatis, in judicio, & extra plena fides adhibeatur.

Idib. Oct. 1725. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem idibus Octobribus MDCCXXV. Pontificatus nostri anno II.

Placet motu proprio V. M. *Visa*

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Registrata in Secretaria Rev. Cameræ Apostolicæ.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto Indictione tertia, die verò 17. mensis Octobris, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. anno secundo, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum, Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis in locis solitis, & consuetis per me Franciscum Bartolottum Apost. Cursorem.

Jo. del Rè Magister Cursorum.

XVII. Concessio loci fixi ac perpetui, Officii Consultoris in Congregatione de sacris Ritibus, facta uni ex Clericis Regularibus S. Pauli decollati Barnabitarum nuncupatorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm sicut dilectus filius Marius Maccabei Procurator Generalis Congregrationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit ipsa Congregatio de Sacris Ritibus ob tot in illis à q. Bartholomæo Gavanti, dùm vixit, Clerico Regulari expressè professo ejusdem Congregationis exantiatos labores benemerita sit, dictus verò Marius Procurator Generalis unus ex Consultoribus Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præpositæ Consultor repe riatur, prout antehàc alij suæ Congregationis Religiosi Consultores fuerunt, locumque fixum Consultoris hujusmodi eidem suæ Congregationi assignari summoperè desideret. Nobis propterea humilitèr supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur erga primodictam Congregationem aliquod Paternæ nostræ benevolentiæ monumentum extare, ipsumque Marium Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus locus Consultoris secundodictæ Congregationis Cardinalium uni ex primodictæ Congregationis Professoribus concedi, & assignari debeat, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium decernimus & ordinamus. Prætereà dilecto pariter filio moderno, & pro tempore existendi Præposito Generali ejusdem primodictæ Congregationis per easdem præsentes præcipimus, & mandamus, ut eidem Mario Procuratori Generali octoginta scuta monetæ pro ejus decenti subsidio facta distributione pro ratâ super Collegiis suæ Congregationis assignari faciat. Decernentes pariter quamcumque collationem, concessionem, assignationem, aut aliam dispositionem de dicto officio aliter facien., & litteras desuper confectas, etiam quascumque derogatoriarum derogatorias, ac alias, & fortiores, & efficaces clausulas in se continentes, etiamsi in illis de præsentibus de verbo ad verbum, & cum illorum totali insertione mentio haberetur, & illis expresè derogaretur, & quæcumque pro tempore indè secuta, nulla, irrita, & inania, nulliusque fore roboris, vel momenti, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. prædictæ Cardinales judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scientèr, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Congregationis Clericorum Regularium, & Collegiorum prædictorum etiàm juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus prò plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialitèr, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris MDCCXXV. Pontificatus Nostri anno secundo. 1. Octobr. 1725.

F. Card. Oliverius.

XVIII. Pro Fratribus Minoribus Ordinis Sancti Francisci. Sancti Pii V. Pont. Max. Constitutio pro Ordinibus Regularium Mendicantium utriusque sexus edita, confirmatur; Ordo Fratrum Minorum regularis & strictioris observantiæ, inter quatuor Mendicantium Ordines comprehensus, privilegiis ea contentis gaudere jubetur; ab om-

nium vectigalium onere, & literarum ſolutione, præſertim in dominiis S. R. E. perpetuò eximitur, aliiſque gratiis Apoſtolicis cumulatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Summi Pontificis amor erga Ordines Regulares, præſertim Mendicantes.

SOllicitudo Eccleſiæ univerſalis, per bonorum omnium largitorum nobis injuncta, exigit, ut religioſos Dei famulos, eique placentes Ordines Regulares, præſertim Mendicantium, qui relictis mundi illecebris, & arctam viam quæ ducit ad vitam, ingreſſi, ſequuti ſunt dominum Redemptorem, gratiis Apoſtolicis) fovere, & modis omnibus propugnare ſtudeamus. Ea propter anteceſſor noſter beatus Pius Papa V. erga eoſdem Ordines Mendicantes pontificiam benevolentiam oſtenſurus, eis literas tenoris ſequentis indulſit:

II. Sanctus Pius V. Ordines Mendicantes utriuſque ſexus, & res eorum à quibuſcumque exactionibus & vectigalibus eximit.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

„DUm ad uberes, quos ſacri Mendicantium Or-
„dines in agro Dominico quotidie faciunt fru-
„ctus, attentè reſpicimus, & attentæ conſiderationis
„indagine perſcrutamur ipſorum Religionis ſince-
„ritatem & voluntariæ paupertatis habitum, in qui-
„bus ſub humilitatis ſpiritu devotum Altiſſimo præſ-
„tant famulatum, dignum, quin potiùs debitum,
„reputamus, ut illis ea libenter concedamus, per
„quæ, ſemotis quibuſlibet gravaminibus, promptio-
„res ejuſdem Altiſſimi inhæreant ſervitiis. Hinc est,
„quod nos volentes eoſdem Mendicantium Ordines,
„& dilectos filios eorum fratres & monachos, cæte-
„raſque perſonas, ac etiam moniales quaſlibet ejuſ-
„dem Ordinis, ſub illorum cura degentes, ſpeciali-
„bus favoribus & gratiis proſequi, motu proprio,
„non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis
„inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſ-
„tolicæ poteſtatis plenitudine, quod ex nunc dein-
„ceps perpetuis futuris temporibus omnes & ſinguli
„Mendicantium Ordinum hujuſmodi fratres, mo-
„nachi, & dilectæ filiæ in Chriſto moniales, ſeu ſo-
„rores, & aliæ utriuſque ſexus perſonæ regulares
„ubilibet per totum Chriſtianum orbem diffuſæ &
„conſtitutæ, illorumque monaſteria, cœnobia, do-
„mus, conventus, eccleſiæ, cappellæ, oratoria, & alia
„loca, etiam unita, ac membra & dependentia, nec
„non terræ cultæ & incultæ, poſſeſſiones, prædia,
„agri, & alia omnia & ſingula mobilia & immobilia,
„ac ſe moventia, & ubilibet, ac in quibuſlibet rebus
„conſiſtentia bona, nec non eorum in dictis bonis
„laborantes, coloni, arrendatarii, locatarii & affi-
„ctuarii, negociorumque ſuorum geſtores univerſi,
„quomodolibet nuncupati, nunc & pro tempore
„exiſtentes, in perpetuum ab omnibus & ſingulis
„exactionibus tam urbanis, quàm ruſticis, nec non
„datiis, gabellis, pedagiis, veſtigalibus, collectis, im-
„poſitionibus, & oneribus ordinariis & extraordina-
„riis, ac tam realibus, quàm perſonalibus, meris &
„mixtis, etiam ſubſidio triennali, & augmento, ac
„facultatibus, equorum taxis, militumque hoſpitiis,
„ac aliis quibuſcumque nominibus nuncupatis, qua-
„vis auctoritate quomodolibet impoſitis & impo-
„nendis, & quæ laïcis, ac aliis quibuſvis quomodo-
„libet imponi conſueverunt, in futurum imponen-
„tur, ac ratione quarumcumque mercium, & rerum
„cujuſcumque generis, vel qualitatis exiſtentium,
„tam per mare & aquam dulcem, quàm per terram
„undecumque, & quomodocumque pro tempore
„delatarum; nec non animalium quorumcumque,
„mortuorum & vivorum, & quæ aliàs quomodoli-
„bet, & ex quavis cauſa, ac ſuper quibuſcumque
„rebus tam in alma Urbe noſtra, quàm extra eam
„ubilibet locorum exiguntur, & in futurum exigen-
„tur; nec non à contributionibus & ſolutionibus in
„illis faciendis, ac tam pro victu & veſtitu, quàm
„quocumque alio uſu ſuo tantùm, ac tam emendo,
„quàm vendendo, & aliàs quomodolibet negocian-
„do; nec etiam à ſolutione quadrantis pro ſingulis
„libris carnium de animalibus, quæ nunc, & pro
„tempore ex armentis occidi contigerit; nec non
„etiam quæ in ſuis ædibus, prædiis & poſſeſſioni-
„bus privatis detinent, & nutriunt, ac à contribu-
„tione ſumptuum, & expenſarum, quæ aliquando
„pro pontibus, viis, aquæductibus, muris, mœnibus,
„aliiſque machinis ſtruendis & reparandis, ſeu refi-
„ciendis; ac civitatum, terrarum & locorum quorum-
„cumque fortificationibus; nec non etiam aliàs in
„omnibus, & per omnia, ac tam in dicta Urbe, quàm
„extra eam ubilibet penitus, & omninò liberi, immu-
„nes, & exempti, ac liberæ & exemptæ, liberaque,
„immunia, & exempta ſint, & eſſe cenſeantur, ac
„pro talibus teneantur, & reputentur: quodque ter-
„ræ, agri, poſſeſſiones & loca arativa, ut præfertur,
„in illis, quæ aliquando pro paſculis animalium ad
„certum tempus reſervantur, nullatenus unquam
„comprehendantur, nec comprehendi cenſeantur: ac
„etiam monaſteria, cœnobia, aliaque omnia regula-
„ria loca prædicta pro quorumcumque militum
„tam equitum, quàm peditum hoſpitiis, quemad-
„modum magno cum noſtro dolore hucuſque in
„pleriſque locis factum comperimus, neququam
„aſſignentur, nec aſſignari debeant.

III. Res Mendicantium in alium, quàm in eorum uſum, non impendantur, niſi Superiorum conſenſu.

„Et inſuper, quòd fructus, redditus, proventus,
„introitus, & alia quæcumque bona monaſteriorum,
„cœnobiorum, & aliorum locorum Regularium
„prædictorum ab aliis, quàm à ſyndicis & procura-
„toribus religioſis, fratribus, monachis & moniali-
„bus, aliiſque perſonis præfatis exigi, illaque dum-
„taxat in beneficium loci, & ſuſtentationem ipſo-
„rum religioſorum, fratrum & monialium expendi,
„nec per alios quoſcumque, quovis nomine cenſean-
„tur nec in alium, quàm præmiſſum uſum converti,
„ſeu expendi poſſint, neque debeant, niſi de conſenſu
„Superiorum illius loci, cui data, vel conſignata, aut
„donata fuerint, ſeu ad quem aliàs ſpectabunt: nec
„etiam ſoli tutores, aut curatores, ſeu protectores,
„& alio nomine ſanctesii, aut aliàs nuncupati, de
„eiſdem bonis ullo modo diſponere poſſint: quod-
„que idipſum etiam de eleemoſynis, oblationibus,
„& quibuſcumque aliis donativis intelligi, & obſer-
„vari debeat, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſen
„tium perpetuò ſtatuimus, ordinamus, volumus, &
„declaramus: nec non fratres, monachos, moniales,
„ac alias regulares perſonas, eorumque monaſteria,
„cœnobia, conventus, eccleſias, cappellas, oratoria, &
„alia loca, ac terras, poſſeſſiones, prædia, agros, &
„bona, nec non laboratores, colonos, arrendatarios,
„affictuarios, ac geſtores, prædicta, ut præfertur,
„immunia, & exempta eiſdem auctoritate & teno-
„re, facimus, ac fore, & eſſe decernimus.

IV. Sal, Mendicantium uſui neceſſarium, ex camera Pontificia erogetur.

„Mandantes præterea dilectis Filiis modernis, &
„pro tempore exiſtentibus Cameræ Apoſtolicæ Camera-
„rio, Præſidentibus, & Clericis, ac Commiſſariis,
„Agentibus, & Officialibus quibuſcumque, ut om-
„nibus, & ſingulis tam virorum, quàm mulierum
„Monaſteriis Mendicantium Ordinum hujuſmodi,
„exiſtentibus ſub ditione noſtra temporali mediatè,
„vel immediatè conſtitutis, tantum ſal, quantum pro
„eorum uſu ſuffecerit, ſingulis annis, omni dilatione
„ceſſante, & contradictione remota, contribuere,
„& aſſignare, ac contribui, & aſſignari facere de-
„beant realiter, & cum effectu, diſtrictius etiam in
„virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſ-
„træ, ac excommunicationis majoris latæ ſententiæ,
„ac duorum millium ducatorum auri de Camera,
„pro una Baſilicæ Sancti Petri de Urbe, & pro al-
„tera, medietatibus, ſingulis, monaſteriis, & locis,
„præfatis, quæ moleſtari, ſeu perturbari contigerit,
„irremiſſibiliter applicandorum, pœnis, eo ipſo, ſi,
„& quoties contrafactum fuerit, incurrendis: inhi-
„bentes tam illis, quàm dilectis Filiis Legatis, Vi-
„celegatis, gubernatoribus, poteſtatibus, datiorum,

gabellarum,

gabellarum, onerum, & aliorum præmissorum" exactoribus, conductoribus, & appaltatoribus, nec" non quibusvis universitatibus, & communitatibus," illarumque officialibus, & personis, aliisque qui-" buscumque, ad quos spectat, & quomodolibet" spectabit in futurum, quatenus præmissa om-" nia & singula inviolabiliter, & perpetuò ob-" servent, ac ab omnibus observari faciant, neque" Fratres, monachos, moniales, & alias religio-" sas personas, aliosque supradictos super præmis-" sis quomodolibet molestent, & perturbent; neque" permittant, per quoscumque quomodolibet moles-" tari, seu perturbari. Ergo si quis contradicere, aut" quovis modo contravenire præsumpserit, per man-" datum executivum contra ipsum cujuscumque di-" gnitatis, status, ordinis, vel præeminentiæ fuerit," ipso facto procedi, & sic per quoscumque judices," & commissarios quavis auctoritate fungentes, su-" blata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi" & interpretandi facultate, judicari & definiri de-" bere: & quidquid secus super his à quoquam qua-" vis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari" contigerit, irritum & inane decernimus."

V. Publicatio, executio & defensio harum literarum seriò injungitur.

Quocirca Venerabilibus fratribus Patriarchis," Archiepiscopis, & Episcopis, vel eorum Vicariis in" spiritualibus, generalibus; nec non dilectis filiis cu-" riæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditori, ac ab-" batibus, prioribus, præpositis, decanis, archidia-" conis, canonicis & capitulis, ac aliis quarumcum-" que ecclesiarum prælatis, & personis ubilibet & in" quibuscumque regionibus, terris & locis existenti-" bus, ac aliis, ad quos quomodolibet spectat &" spectabit, per præsentes motu simili mandamus," quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, vel per" alium, seu alios præsentes literas, & in eis conten-" ta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quo-" ties pro parte fratrum, monachorum, monialium," aliarumque religiosarum personarum prædictarum" fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque" in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten-" tes, faciant auctoritate nostra illos & eorum singu-" los, statuto, ordinatione, voluntate, declaratione," constitutione, deputatione, mandato, inhibitione," decreto, aliisque præmissis pacificè frui & gaudere;" non permittentes desuper per camerarium præsi-" dentes, clericos & commissarios cameræ hujusmo-" di; nec non legatos, vicelegatos, gubernatores, col-" lectores, gabellarios, & exactores prædictos, aut" quoscumque ad aliquam solutionem, contributio-" nem, vel præstationem, præmissorum occasione" quomodolibet facienda, quovis modo cogi & com-" pelli, aut aliàs contra præsentium tenorem quomo-" dolibet molestari, perturbari, aut inquietari: con-" tradictores quoslibet, & rebelles per prædictas," aliasque opportunas censuras & pœnas, appellatio-" ne postposita, compescendo, ac legitimis super his" habendis, servatis processibus, censuras & pœnas" hujusmodi incurrisse declarando; interdictum ec-" clesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si" opus fuerit, auxilio brachii sæcularis."

VI. Pro hac constitutione servâ iacæteris quibuscumque derogatur.

Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii" Papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & Concilii" generalis de duabus diætis, dummodò ultra tres" diætas aliquis auctoritate præsentium non extraha-" tur: ac omnibus illis, quæ in contrarium per quos-" cumque officiales, & quosvis alios, ac præsertim" per officiales civitatis nostræ Bononiensis, & quos-" vis alios adducta sunt hactenus, & deducentur im" posterum, ac adduci, & allegari possent: nec non" quibuscumque judicibus, etiam palatii nostri causa-" rum Auditoribus, ac S. R. E. Cardinalibus super" præmissis inter quoscumque quomodolibet pen-" dentibus, ac etiam instructis, & ad sententiam de-" ductis, vel etiam à sententia terminatis, nisi in fa-" vorem Ecclesiæ fuerint, & præsertim quædam li-" tes inter hujusmodi regulares, ac cives & commu-" nitatem dictæ civitatis Bononiæ in Romana curia" pendentes, quas & quam, ac omnes processus, &" scripturas, productas, & producendas, ac registra" & sententias ubivis comparentes & latas, ac feren-" das, ad Nos advocamus, & penitus extinguimus," cassamus, annullamus & delemus, perpetuumque" desuper silentium imponimus, nec non quibusvis" Apostolicis, ac in provincialibus & synodalibus" conciliis editis generalibus, vel specialibus consti-" tutionibus, & ordinationibus etiam contra exemp-" tos quomodolibet editis & edendis, ac etiam decre-" to, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate" alia roboratis, statutis, & consuetudinibus: privi-" legiis quoque, indultis & literis Apostolicis, illis, &" eorum singulis sub quibuscumq; tenoribus & for-" mis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum dero-" gatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac in-" solitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in" genere, & in specie, etiam motu simili, ex certa" scientia, etiam consistorialiter, & alias quomodoli" bet, etiam iteratis vicibus in contrarium concessis" & approbatis, ac innovatis: quibus omnibus illo-" rum tenores, præsentibus pro sufficienter expressis" habentes illis alias in suo robore permansuris, hac" vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus," contrariis quibuscumque, aut si aliquibus commu-" niter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum," quod interdici, suspendi, vel excommunicari non" possint per literas Apostolicas, facientes plenam," & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto" hujusmodi mentionem."

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem" sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1566. pontifica-" tus nostri anno primo."

VII. Fratres Minores regularis observantiæ Sancti Francisci, inter quatuor Ordines Mendicantes cóprehensis, omnino gaudeant privilegiis & exemptionibus Ordinum Mendicantium.

Cùm autem, sicut accepimus, Fratres Minores regularis observantiæ, sancti Francisci nuncupati, licèt contextum regulæ sub uno & eodem ministro generali, totius Ordinis ad literam profitentes, non solùm inter quatuor præcipuos Mendicantium Ordines connumerentur, verùm etiam ob perfectissimam, quam profitentur, paupertatem, & in particulari ac in communi summa & peculiari ratione præ aliis habendi sint; proptereaque omnibus & singulis libertatibus, exemptionibus, & facultatibus, privilegiis, & indultis, & in vim præinsertarum literarum omnibus Mendicantium Ordinibus concessis, omnimodè, ac plenè frui, potiri, & gaudere debeant; nihilominus super vectigalium, gabellarum, dationum, & pedagiorum, aliorumque onerum & impositionum solutione ab illorum & illarum exactoribus perperam, & non sine eorumdem Fratrum Minorum, &, ab eis strictè professæ paupertatis, detrimento, olim, & nunc etiam, eos in judicium trahi, vexari, perturbari, ac assiduè molestari contingat; Nos ad evellendam omnem quæstionis materiem, & attendentes, quòd Fratres Minores prædicti propterea quod ipsi, ut præfertur, actu mendicent, & verè nudam profiteantur paupertatem illam, quæ terrenis ubique destituta bonis se divitem exhibet Altissimo; meritò eos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes; nec non ipsos, & eorum singulas personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; nec non quarumcumque litium, & causarum status, & merita, nomina, & cognomina judicium, coràm quibus illæ pendent, ac collitigantium, aliorumque nec non quorumcumque aliorum privilegiorum, & indultorum facultatum, exemptionum, & immunitatum, eis quomodolibet concessorum, præsentibus pro expressis habentes, causasque hujusmodi ad Nos harum serie advocantes, illasque penitus, & omninò extinguentes, ac collitigantibus hujusmodi perpetuum super præmissis silentium imponentes, motu

proprio,

proprio, non ad eorumdem Fratrum Minorum de observantia super hoc nobis oblata petitionis instantia, sed ex certa scientia, meraque liberalitate nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, & indulta, in eisdem præinsertis literis contenta, ac omnibus, & singulis Ordinibus Mendicantibus in communi, ut præmittitur, concessa eisdem Fratribus Minoribus, sive regularis, sive strictioris observantiæ nuncupatis, ita quod ipsi imposterum de omnibus & singulis, quæ absolutè eorum victum & vestitum, ac religiosum usum, & commun[i]cium concernunt, quidquam datiorum, & gabellarum, & vectigalium quibuscumque, & quomodocumque, per illos solvi debere prætendentibus, solvere minimè debeant, speciatim, & expresse Apostolica auctoritate perpetuò concedimus.

VIII. Fratres Minores ob servantes S. Francisci à quibuscumque vectigalibus ubique, præsertim in terris S. Petri perpetuò immunes.

Ac insuper eosdem Fratres Minores ubique terrarum, & præsertim in ditione nostra temporali ab omnibus datiis, vectigalibus, præcipuè super frumenti commolitione, vino, oleo, carne, animalibus etiam vivis, tam emptis, quàm aliis, quæ eisdem Fratribus Minorum pro eleemosyna offeruntur, & quocumque alio comestibili: lanis ad eorum vestimenta necessariis, portu etiam, tam maris, quàm fluminum: gabellis in exitu, & ingressu terrarum, locorum, & civitatum, aut transitu pontium, & viarum, seu etiam in doganis quomodocumq; nunc impositis, & imposterum pro tempore quomodolibet imponendis etiam, plenè, & expresse d. Apostolica auctoritate similiter in perpetuo eximimus, & liberamus, eosque à præmissis omnibus, & singulis aliis datiis, gabellis, & oneribus, etiam si cæteri Mendicantes ad ea teneri dignoscantur, nec ab eis censeantur esse exempti, perpetuò immunes, & exemptos esse volumus, & declaramus.

IX. Iidem Fratres Minores eximantur à solutione literarum quæ per tabellarios publicos ad eos perferuntur.

Ac præterea ulteriori eorumdem Fratrum Minorum de observantia indemnitati consulere volentes, motu simili, eos, & eorum quemlibet à solutione portus omnium, & singularum simplicium epistolarum in semifolio scriptarum, ad eorum quemlibet à quacumque regione pro tempore advenientium, necnon etiam aliarum duplicium, & in folio scriptarum, eorumq; involucrorum, à tabellariis deferri solitorum, quæ per Ordinis Superioris eorum subditis, & per eosdem subditos ipsis Superioribus cum eorum publici sigilli munimine; non autem quæ sine munimine hujusmodi alicui ex eis particulariter diriguntur; pro quibus scilicet duplicibus sine munimine hujusmodi sic directis aliquod munus, aut debitum sibi emolumentum ab eorumdem Fratrum Minorum de observantia conventibus, seu domibus prætendere, seu ea liberè, si tabellarii ipsi velint, relaxare possint, eadem Apostolica auctoritate eximimus, & liberamus.

X. Has literas Apostolicas perpetuò servandas, & valituras decernitur.

Decernentes quoque præinsertas literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari ullatenus posse; minusque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, & aliis contrariis dispositionibus tam per nos, quàm etiam per successores nostros quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque decretis pro tempore factis, & faciendis, quorumcumque tenorum existant, includi; sed, illis non obstantibus, in suis robore, & efficacia persistere: & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, etiam sub data per ipsos Fratres Minores de observantia prædicti Ordinis eligenda, de novo concessas esse: & ita incommutabilis voluntatis & intentionis nostræ esse: & ad hoc, & perpetua firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractos inter dictam Sedem, & prædictorum Ordinum Mendicantium Fratres hujusmodi habere: sicque per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis alias judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XI. Harum publicatio, defensio & executio, sanctæ Sedis Apostolicæ ministris injungitur.

Quo circa dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus in Bononiensi, Ravennati, Ferrariensi, & Urbanensi civitatibus nostris nunc, & pro tempore existentibus de latere Legatis, ac dilecto filio curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Minorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsos Fratres Ordinis Minorum hujusmodi voluntate, statuto, declaratione, & aliis præmissis omnibus & singulis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos per quoscumque quomodolibet indebitè molestari: contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: & nihilominus legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XII. Pro hac Constitutione servanda, aliis quibuslibet derogatur.

Non obstantibus præmissis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri una, & Concilii generalis de duabus diætas quis vigore præsentium ad judicium non extrahatur, & aliis: necnon in provincialibus & synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus quoque, & aliis decretis in genere vel in specie, & quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros prædictos, ac nos, & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, & de Fratrum nostrorum consilio; necnon Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent præsentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hoc vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

XIII. Harum exemplaribus, eorum ad quos pertinet, manu & sigillo munitis, plena fides adhibeatur.

Volumus præterea, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex secretariis generalibus dicti Ordinis, aut notarii publici subscriptis, & sigillo officii, ministri, aut Commissarii generalis, vel procuratoris Ordinis præfati, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

XIV. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam

nostræ

Nemo has literas violare audeat.

nostræ confirmationis, invocationis, approbationis, absolutionis, exemptionis, liberationis, voluntatis, declarationis, decretis ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

4. Idus Decemb. 1725. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto IV. idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

M. Card. Prodatarius. *F. Card. Oliverius.*

Visa de Curia J. C. Archiepisc. Ancyranus.

Lucas Martinettus.

XV. Sanctissimi D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIII. Concessio Privilegiorum pro nonnullis suis Familiaribus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilibus Fratribus Nicolao Mariæ Lercario Nazianzen. Cubiculi nostri Præfecto, Prospero Marefusco Cæsarien. Auditori nostro, Nicolao Coscia Trajanopolitan. Libellorum supplicum nobis porrectorum, Camillo Merlini Iconien. Notarum arcanarum, & Carolo Majella Emessen. literarum nostrarum in forma Brevis, quæ ad Principes scribuntur respectivè Secretariis, ac Josepho Accorambono Philippen. Archiepiscopis Subdatario, Nicolao Augustino de Abbatibus Oliverio Porphyrien. Sacrarii nostri Præfecto, Francisco Antonio Fini Avellin., & Dominico de Rubeis Vulturarien. Episcopis, nec non dilectis filiis Philippo Coscia Vicario in Civitate, & Diœcesi Beneventan. à Nobis deputato, Nicolao Albini Vestiario, & Eleemosynario Secreto, ac Nicolao de Simone Beneventan., Nicolao Xaverio Santa Maria Salernitan., Joanni Vincenti Reatin., Bernardo Pizzella Triventin., Francisco Pacca Neapolitan., Januario Vitelli Pincernæ, & Francisco Ascolesi Beneventan. Architriclino, Hieronymo Columnæ Forerio Majori, Octavio Rinaldo de Bubalo à Valle, & Philippo Astallio Romanis Cubiculariis intimis, seu Secretis, Michaeli Angelo de Paulis Pisauren., & Joanni Baptistæ Nuccarini Fulginaten. Medicis secretis, Dominico Prati Brittinorien., Ignatio Clementi, & Januario Genovese Beneventan., Paschali Ferrari Nolan., Ignatio Philippo Piersanti Camerinen., Nicolao Schinosi Beneventan., & Michaeli Angelo Troysi Minervien. Cappellanis secretis, Josepho Longo Beneventan., & Januario Santa Maria Nolan. Clericis Cappellæ nostræ secretæ, Dominico Eustachi Beneventan., Dominico Martino Firman., Donato Antonio Civitella, & Antonio Ferri Beneventan., Andreæ Jannes Prænestin., & Andreæ Coppola Beneventan. respectivè Civitatum, vel Diœcesum Cubiculi nostri adjutoribus, ac Julio Silvaggio Romano Magistro Domus nostræ, Clericis, seu Presbyteris, vel Laïcis familiaribus continuis commensalibus nostris salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Circumspecta Romani Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, & fideles suos, illos præsertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac præclaris dignitatum titulis decorare, & ornare, nec non specialis benevolentiæ favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire. Hinc est, quòd Nos ad grata familiaritatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, & quilibet vestrum Nobis hactenùs impendistis, & adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, nec non ad vitæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ juvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiæ, ac specialis honoris, & excellentiæ dignitatis titulo sublimare volentes, Vosque, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutos fore censentes; Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Vos, & quemlibet vestrum respectivè in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios (sine tamen præjudicio dilectorum filiorum Notariorum de numero participantium) Apostolica auctoritate tenore præsentium recipimus, ac Sacri Palatii, & Aulæ Lateranen. Comites, nec non auratæ Militiæ Equites, ac Nobiles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum Avenionen., Bononien., Ferrarien., & Beneventan., omniumque, & singularum aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectorum Cives, cum omnibus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, & insignibus debitis, & consuetis creamus, & constituimus, ac in numerum, & consortium aliorum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum, nec non Palatii, & Aulæ hujusmodi Comitum, Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorumque Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum referimus, & conscribimus; Vobisque etiamsi Habitum, & Rocchettum Notariorum dictæ Sedis juxtà decreta Lateranen. Concilii novissimè celebrati non deferatis, aut Civitates hujusmodi non incolueritis, nec unquàm in eisdem Civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus, & quibuscumque privilegiis, & facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, & indultis, quibus cæteri omnes Notarii nostri, etiam de numero participantium, ac Comites, Equites, & Nobiles (citrà tamen exemptiones à Sacro Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceatis Ordinariis, ac citrà facultates legitimandi, ad gradus promovendi, Notarios, seù Tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia à Notariis, & comitibus præfatis prætensa; itaut illis nullibi uti valeatis; ac irritum, & inane existat quidquid secus per vos, aut quemlibet vestrum respectivè attentari contigerit) nec non Cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, ac sæcularium, etiam ex personis Romanorum Civium originariorum vacantium assecutione, & exercitio tam in Urbe, quàm in omnibus, & singulis Civitatibus prædictis, & aliàs ubique locorum, & gentium, necnon sessionum, & conventuum utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiæ, & indulta hujusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri, & gaudere, ac in omnibus, & singulis Apostolicis, aliisque literis, instrumentis, & scripturis publicis, & privatis deinceps nomine vestro conficiendis Notarios, Comites, Equites, & Nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon Romanæ, & aliarum Civitatum, & Terrarum Cives, prout libuerit, Vos inscribere, & illis subscribere valeatis, ac pro veris, & non fictis Notariis, Comitibus, Equitibus, & Nobilibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur; nec non honoris causâ insignia gentis nostræ sivè integrè, sivè cum vestris respectivè composita gestare

positis, prout vobis placuerit, concedimus. Et insuper vos, vestraque Beneficia, & Officia Ecclesiastica quæcumque, quotcumque, & qualiacumque, illorum fructus, & jura ubicumque locorum, Regnorum, & Provinciarum, nec non in Urbe, Civitatibus, Terris, & locis eidem Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjectis consistentia, prædia, domos, possessiones, & bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, & immobilia, ac semoventia, nec non actiones, & jura præsentia, & futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, & naturæ, ac cujusvis etiam annui valoris, fructus, reditus, & proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quæcumque à vobis vendenda, ac pro vestris, & familiarum vestrarum usibus emenda ab omnibus, & quibuscumque, decimis, quartis, & dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, & quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, cæterisque oneribus, & contributionibus tàm urbanis, quàm rusticis, ordinariis & extraordinariis, realibus, personalibus, & mixtis, etiam ratione munitionum mœnium, & pontium, portarum, & moliturarum, mercium cujuscumque generis, transitus, seù passus, & vecturæ, etiam in aliud Territorium, seù Provinciam, Terra, Mari, & Flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum Militum, institutionis Seminarii Ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis, ità quod vos, & quilibet vestrum nihil omninò horum, aut aliorum similium subire teneamini, nec per Cameræ Apostolicæ, aut alios Commissarios, seù vectigalium, & tributorum hujusmodi redemptores, conductores, & exactores quocumque privilegio, exemptione, & facultate suffultos, aliàs quàm, ut præfertur, valeatis coarctari (quandiù servitiis nostris institeritis dumtaxat) eximimus, & liberamus. Ad hæc vobiscum, & cum quolibet vestrum respectivè, ut quæcumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium Cathedralium etiam Metropolitanarum, aut aliarum etiam Collegiatarum Ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, & principalis, Canonicatus, & præbenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, & ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si alicui vestrum aliàs canonicè conferantur, aut quisque vestrum eligatur, præsentetur, aut aliàs assumatur ad illa, & instituatur in eis, recipere, & dummodò illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul quoad vixeritis retinere; necnon etiam, quandiù Nobis inservieritis tantùm, in beneficiis Ecclesiasticis, etiam Curatis (non tamen Parochialibus, nec Curatis curâ animarum Parochianorum) per vos pro tempore respectivè obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio, personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in Cathedralibus, etiam Metropolitanis post Pontificalem majores, ac Collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec per locorum Ordinarios, aut Ecclesiarum earundem Capitula, seù quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque, & singulos nihilominùs vestrorum Beneficiorum obtentorum fructus, reditus, & proventus, durante servitio prædicto, cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxàt exceptis) cum qua illos percipere, exigere, & levare; ac interim, vel postmodum, si volueritis, in Romana Curia, vel extrà eam à quocumque, quem malueritis, Catholico Antistite gratiam, & communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extrà tempora à jure statuta, proprii Ordinarii, aut cujusvis alterius licentia desuper minimè requisita, si aliàs ad id idonei reperti fueritis, super quo Antistitis conscientiam oneramus, promoveri, & promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare, necnon, etiamsi Presbyteri fueritis, ac dignitates, & officia obtinueritis, leges, & jura civilia, etiam publicè in scholis, & Universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodò trigesimum ætatis annum non excesseritis, audire, & si habiles, & sufficientes reperti fueritis, etiam ad doctoratûs gradum in hujusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque jura etiam publicè docere, atque Judicis, Advocati, & Procuratoris officium in causis Ecclesiasticis, & civilibus tantùm exercere liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis de specialis dono gratiæ dispensamus. Liceat quoque vobis, & cuilibet vestrum aliquem idoneum, & approbatum ab Ordinario Presbyterum sæcularem, vel cujusvis Ordinis Regularem in vestrum eligere Confessorem, qui vita cujuslibet vestrum comite vos, & quemlibet vestrum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, & per vos incursis, & quibus vos etiam Apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, & quorumcumque Votorum, & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas, etiam Ecclesiasticas (non tamen Episcopos, vel alios Superiores Prælatos) de præterito injectionibus, seù consilii, vel favoris ad id præstationibus, jejuniorum omissionibus, (non tamen recitationis horarum Canonicarum, aliorumque Divinorum Officiorum) & denique ab omnibus, & quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes prædicta meritò consulenda foret, videlicèt à contentis in literis die Cœnæ Domini publicari consuetis, semel tantùm in vita, & mortis articulo; In reliquis verò dictæ Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis (sine tamèn alicujùs præjudicio) auctoritate Apostolica absolvere, & vobis pro commissis pœnitentiam injungere salutarem, necnon vota quæcumque (ultramarino, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, castitatisque, & Religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat. Vobisque ulteriùs, & cuicumque vestrum respectivè, ut quicumque loci Ordinarii, vel Canonici Metropolitanarum, seù aliarum Cathedralium Ecclesiarum, aut personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ tàm in dicta Curia, quàm extrà eam ad id per vos respectivè coram Notario, & Testibus fide dignis eligendi, seù eligendæ, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum Abbatialium, seù Capitularium, ac Episcopalium, & Archiepiscopalium, ac quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium; etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, quomodocumque, & qualitercumque qualificatorum fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & distributionibus etiam quotidianis, seù illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta vobis nunc, & pro tempore assignata, & reservata, ac reservanda, pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de Camera quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respectivè placuerit, simul, vel successivè, in toto, vel in parte, etiam in cujuslibet vestrum mortis articulo, cassare, & extinguere, ac postquam cassatæ, & extinctæ fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, reditibus, proventibus, juribus,

obventionibus,

obventionibus, & distributionibus, & emolumentis, seù illarum loco fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, & emolumenta hujusmodi usque ad summam, & quantitatem prædictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quæcumque, quotcumque, & qualiacumque beneficia Ecclesiastica obtinentibus, & expectantibus Clericis, seù Clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, seù eorum Procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo, & forma, quibus vobis assignatæ, & reservatæ, seù assignata, & concessa fuerint respectivè, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa aliàs cassari, & reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones, & fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, & emolumenta hujusmodi, etiam plurіès cassata, & de novo assignata fuerint, usque ad summam, & quantitatem prædictam, etiam literis Apostolicis super reservationibus, & assignationibus hujusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus, & quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, & cautelis, ac etiam censuris, & pœnis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, & contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris Juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integrè persolvendas, servatâ tamen formâ Constitutionis fel. recor. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris Nostri, super translationibus pensionum editæ, reservare, constituere, & assignare valeant, auctoritate, & tenore prædictis de speciali gratia indulgemus. Necnon etiam vobis, ut de omnibus, & singulis domibus, prædiis, possessionibus, terris, & locis, ac jurisdictionibus, cæterisque bonis mobilibus, & immobilibus, quæ tamen non sint Altaris, seù Altarium Ecclesiarum vobis commissarum ministerio, seù alicui speciali earumdem Ecclesiarum Divino cultui, seù usui deputata, seque moventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, & conditionis existentibus, ac Juribus, & actionibus ad vos ratione Ecclesiarum, etiam Cathedralium, & Metropolitanarum, quibus vos forsan præesse contigerit, necnon Monasteriorum, Prioratuum, Præposіturarum, Dignitatum, & aliorum quorumcumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium, quæ etiam ex quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis, & obtinebitis, ac fructuum, redditutum, & proventuum Ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, & proventibus vobis reservatorum, & assignatarum, ac reservandorum, & assignandarum, quos, & quas perceperitis, percipitis, & percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum, & aliàs quomodolibet spectantibus, & pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus, & pensionibus annuis, necnon vestra, & cujuslibet vestrum industria, & labore quomodolibet, & undecumque, licitè tamen acquisitis, & acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus, & officiis, quæ exercueritis, & vos exercere contigerit, & aliàs quavis occasione, vel causa, seù contemplatione ad vos perventis, & perventuris, etiamsi in pecunia numerata, & jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tàm dicta Curia, quàm extra eam, ubiq; locorum, etiam penès Beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, & veros etiam annuos valores, etiam si talia forent, quæ generali appellatione bonorum, & supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & denominarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camera pro unoquoque vestrum ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, & proventibus, & pensionibus debitis, & debendis (servata tamen forma Constitutionum Apostolicarum jam editarum, & si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulativè, cum quibusvis aliis similibus facultatibus habitis, & habendis, tam pro decentibus, & honestis impensis funebribus, quàm etiam pro remuneratione illorum, qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, ac in vestrorum consanguineorum, & affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem, & usum, ac aliàs pro arbitrio, & voluntate vestris, & cujuslibet vestrum absolutis testari, & testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos, quàm causa mortis, & aliis quibuscumque modis, & titulis scriptura etiam minùs solemni, coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam cedula sola manu vestra scripta, vel subscripta, & aliàs in omnibus, & per omnia prout, & quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsa Curia, & in mortis articulo, etiam nulla facta mentione præsentis, vel aliorum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seù disponere velitis, & intendatis, semel, atque iterùm, aut pluriès disponere, statuere, & ordinare, itaut quicquid testatum gestum, aut ordinatum, seù aliàs dispositum à vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni alio meliori modo valeat, & servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, & dispositiones, ordinationes, legata, & statuta pluriès, ac totiès quotiès vobis videbitur moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, & alia de novo condere liberè, & licitè valeatis, auctoritate Apostolica earumdem tenore præsentium plenam, & liberam concedimus facultatem. Et insuper statuimus, & ordinamus, vobisque indulgemus, quod si vos ab intestato, & sine ulla, vel cum minùs valida bonorum, & rerum, ac fructuum, redditutum, & proventuum prædictorum dispositione in dicta Curia, vel extra eam tàm continua, quàm interpolata inibi cujuslibet vestrum respectivè mansione, ac etiam extra Beneficia vestra, vel alia loca debitæ à vobis residentiæ personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedatis, omnia, & singula bona, res, & jura, etiam, ut præfertur, qualificata, necnon spolia cujuscumque quantitatis, & valoris existentia, etiam ex prædictis, & aliàs undecumque provenientia ad Cameram Apostolicam, seù in dictis Beneficiis successores non pertineant, sed ad hæredes vestri sanguinis integrè deveniant, & illis deficientibus inter familiares vestros arbitrio personæ, seù personarum, quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione vestra scriptura etiam minùs solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsæ personæ, vel alii Judices, seù Executores omninò exequi, & adimplere, illique se conformare in omnibus, & per omnia debeant. Et nihilominùs quæcumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, & alia forsàn à vobis, etiam nulla, vel minùs sufficienti facultate suffultis, de hujusmodi bonis, juribus, & actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum, & affinium prædictorum, & aliàs quomodolibet facta cum omnibus indè secutis, ac etiam ea, quæ per vos in futurum fient, ex nunc, prout ex tunc, & è contra pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus, & confirmamus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum omissarum, & omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, specifica, & expressa de illis mentio præsentibus habenda esset, supplemus, Districtiùs inhibentes quibusvis Archiepiscopis, Episcopis, aut aliis Ecclesiarum Prælatis, necnon Cameræ prædictæ Præsidentibus Clericis ac eorum, necnon Fabri-

1725. cæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ac Cruciatæ Sanctæ, & aliis Collectoribus, & Subcollectoribus, cæterisque cujuscumque dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, & potestate fungentibus, sub excommunicationis majoris, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, nè Universitates, Collegia, ac loca, & legatarios, hæredes, & personas, necnon testamentorum, voluntatum, & ordinationum hujusmodi executores prædictos directè, vel indirectè quovis quæsito colore, vel ingenio molestare audeant quoquo modo, vel perturbare. Ac decernentes prædicta omnia, & singula, præsentesque litteras, & testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, & alia quæcumque, necnon quæ in præmissis facta sunt, aut fieri contigerit tam vigore præsentis, quàm etiam aliarum concessionum vobis factarum, & deinceps in genere, & in specie faciendarum cum inde secutis, & secuturis, etiamsi vos intrà Curiam, aut in quacumque alia Mundi parte extra Ecclesias, & Beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc, & pro tempore obtenta, etiam pro vestra sola voluntate, & nulla subsistente causa non residendi ab humanis decedere contigerit, sub litteris rec. mem. Pii Papæ IV. Prædecessoris pariter nostri contra quoscumque Episcopos, Archiepiscopos, & alios Prælatos, necnon Parochialium Ecclesiarum Rectores, cæterosque residentiæ personali prædictæ adstrictos extra illam quomodocumque decedentes septimo Kalen. Decembris Pontificatus sui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, & sub quibuscumque aliis Constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, Decretis, declarationibus Apostolicis, Cancellariæ Apostolicæ Regulis ex quibuscumque causis quantumcumque maximis, urgentibus, & inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, & Divini cultus augumentum, ac consistorialiter etiam à Nobis, & Sede prædicta hactenùs, vel nunc, & pro tempore factis, & editis minimè comprehendi, sed semper ab illis excepta, & quotiès emanata fuerint, totiès in pristinum, & validissimum statum, & etiam sub posteriori data, etiam cum derogationibus, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis Decretis per vos eligenda apponendis, & latissimè specificandis reposita, restituta, & plenariè reintegrata, ac de novo concessa, validaque, & efficacia fore, necnon perpetua firmitate subsistere, suosque plenarios, & omnes effectus, quos de jure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, & efficacis contractus inter vos ex una, ac Nos & Cameram prædictam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad Ecclesiam Cathedralem, etiam Metropolitanam, aut translationem, vel aliam status, & personæ vestræ mutationem cessare, nec per similes, vel dissimiles gratias vobis concessas, & concedendas confundi, sed ipsis cumulativè in omnibus, & per omnia uti, & si quid in una ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec hæredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quæ bona, jura, & actiones hujusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores prædictos ad tertiam, seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, hæredibus, legatariis, ac donatariis prædictis liberaliter concedimus, & donamus, Cameræ, vel Fabricæ, aut beneficiis prædictis, etiam pro expeditione contra Infideles, & quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sivè indultum, aut confirmationem præsentium à Nobis, vel Successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, seu confirmatione illius vobis quomodocumque concedenda, de præsenti mentionem aliquam faciendam ullatenùs teneri, nec ad id ulla unquam necessitate cogi posse; Et sic in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem S.R.E. Cardinales, necnon pro tempore existentes dictæ Cameræ Camerarium, Præsidentes, & Clericos in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Ostien., & Portuen. Cardinalibus Episcopis, & dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, per Apostolica scripta mandamus motu simili, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quandò opus fuerit, & quoties pro parte vestra desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacificè frui, & gaudere, non permittentes vos per quoscumque quavis authoritate fungentes contra earundem præsentium tenorem quomodolibet indebitè molestari, inquietari, vel perturbari: Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis, super his haben. servatis processibus, censuras; & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris etiam nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus diætis, dummodò ultra tres diætas aliquis authoritate præsentium in judicium non trahatur, nec non Lateranen. Concilii novissimè celebrati de certo Notariorum numero, etiamsi ad illum nondùm deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu præstando in pensionibus, & quibusvis aliis etiam per Nos, & Sedem prædictam editis, & in posterum edendis Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac stylo in similibus hactenùs observato, ac rec. mem. Alexandri Papæ VI. pariter prædecessoris nostri tertiam partem bonorum Ecclesiasticorum Cameræ prædictæ deberi inter alia disponente, necnon ejusdem Bonifacii Papæ VIII. per quam concessiones fructus in absentia percipiendi sine præfinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii Papæ. IV. Prædecessoris etiam nostri de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in dicta Camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, ita quod præsentes in eadem Camera nullo unquam tempore registrari facere teneamini, ac similis rec. Urbani Papæ VIII. pariter Prædecessoris nostri de pensionibus aliàs translatis iterùm non transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & quibusvis aliis Apostolicis, ac universalibus; provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon legibus, etiam Imperialibus, & municipalibus, tam Urbis, quàm aliarum Civitatum, & locorum, in quibus Cives originarii creati existitis, & quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, & Hospitalis prædictorum, necnon quorumvis Collegiorum, & Officiorum dictæ Curiæ, & Regnorum, Provinciarum, & Urbis, ac aliarum Civitatum, & locorum, ac Cameræ prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, etiamsi de illis servandis & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel ab aliis impetratis, aut aliàs quomodolibet concessis utendo vos per vos, vel procuratores

vestros præstiteritis forsan hactenùs, vel vos in posterùm præstare contigerit juramentum; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis dictis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Hospitalibus, illorumque Præsulibus, seu Administratoribus, & Superioribus, ac Magistris, Præceptoribus, Prioribus, Militibus, etiam Antianis, Capitulis, Conventibus, Civitatibus, & locis, aliisque prædictis, ac illorum Communitatibus, Universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ordinariis, etiam eisdem Cardinalibus, ac dictæ Curiæ Officialibus, illorumque Collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, & onerum exactoribus, & appaltatoribus, & aliorum onerum redemptoribus sub quibuscumq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, etiam Consistorialiter, ac de eorumdem Cardinalium consilio, etiam per modum Statuti, & Constitutionis perpetuorum, ac motu, & scientia similibus, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, vel ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, & aliorum Principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac statutis, & stabilimentis prædictis caveatur exprèsse, vel tacitè, quod Urbis nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi priùs in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque Præceptoriæ, & alia beneficia quæcumque dicti Hospitalis tam ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis sæcularibus, & aliis personis, etiam Apostolica authoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, & privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascumque literas Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio Cardinalium eorumdem fiat, & tum demùm Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque literæ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non alias, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic fient etiam de simili consilio derogationibus sit apposita clausula, quod illam effectum sortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non alias, nec alio modo; quodque ipsi Exactores, & Appaltatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi, etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum præsentium sufficienter, & exprèsse derogamus, ac derogatum esse decernimus; Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod antequàm gratia creationis in nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, ut supra, facta perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxtà articulos pridem à Sede prædicta propositos exprèsse emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini; Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extrà, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Cæterùm volumus pariter atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quorum respectivè etiam familiares continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentes literæ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minimè suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Decembris MDCCXXV. Pontificatus nostri Anno Primo. 15. Decem. 1725.

F. Card. Oliverius.

XX.

De beato Stanislao Kostka, novitio Societatis Jesu, sanctorum Confessorum Canoni per eumdem adscripto die XXXI. Decembris anni MDCCXXVI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Dei cultus in Sanctis ejus amplificatur.

DUm Christi voce compertum est, à nemine lucernam accendi, & poni eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt; nos, Dei cultus in sanctis ejus amplificandi summè solliciti, hinc monemur, pium & justum esse, ut quos Deus stola gloriæ indutos ob merita sanctitatis coronat in cœlis, eosdem nos quoque publicæ venerationis præconio in terris laudantes, ipsum Deum in iis glorificemus, cujus magnitudinem in gestis sanctorum coruscare certissimum est. Hos inter fulsit beatæ memoriæ adolescens Stanislaus Kostka, Christianis virtutibus, magnisque miraculis clarus, quæ ad S. R. E. canonicas regulas maturo consilio comprobata, nos induxerunt, ut hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri Confessoris atque Pontificis in Deo sacra, cum sanctorum Confessorum fastis adscriberemus.

II. Beati Stanislai ortus, institutio, & magnarum virtutum præstantia.

Stanislaus in avito opido Masoviæ, Ducatus Regni Polonici, medio sæculo Christi Domini decimo sexto ex senatoria familia natus, Viennam Augustam in Seminario Societatis Jesu liberalibus disciplinis imbuendus profectus est. Præ multis virtutibus, quibus excelluit, illibatum morum candorem tam sanctè servavit, ut si quem minùs honestè loquentem audiret, veluti exanimis statim concideret. Ob rerum & temporum vices soluto Seminario Viennensi, Stanislaus post annum inde egressus, in tenera ætate magnæ virtutis, Christiano more exercendæ, occasionem offendit. Hospes enim, in cujus ædes cum fratre migrare coactus est, Lutherana hæresi infectus, nimiusque fratris rigor, innocentissimi adolescentis animum non modica perturbatione impleverunt. Sed invicta Stanislai virtus nunquam succubuit, unam dumtaxat ærumnarum omnium durissimam ratus, quod in domo à recta fide aliena graviter decumbens, sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refici non posset. Divino tamen prodigio per cœlestes juvenes, præsente beata Barbara virgine & martyre, cujus patrocinio in re tanta se commendaverat, pane angelico recreari meruit, unde animæ & corporis viribus mirificè confirmatus, de quibuscumque vexationibus strenuè trium-

phavit, quem aliàs rerum cœlestium assidua contemplatio, summè innocens corpus in servitutem redactum, incredibilis mansuetudo, inque fratris asperitate triennali spatio toleranda Christianum animi robur, supra ætatem planè admirandum reddiderunt. Mox Deiparæ Virginis monitu, quæ divinum infantulum ei amplectendum porrexit, jam dictæ Societati Jesu, ingenti plausu tunc recens natæ, nomen dare constituit; utque citiùs voti compos fieret, sub habitu peregrini, licèt ab omni re, tam longo itineri necessaria, imparatus, Romam properare contendit, à fratre citatis equis eum quæritante, divinæ gratiæ præsidio nequaquam agnitus, & rursus à choro Angelorum cœlesti pabulo in via recreatus.

III. Societatis Jesu tirocinium Dei amore inflammatus init, & piè obit.

Aliquandiu in famulatu seminarii Dilingensis in diœcesi Augustana, tanquam religiosæ vocationis experimento, commoratus, Romam tandem per viarum ambages & vitæ discrimina ingressus, inque tirocinium Societatis Jesu à beato Confessore Francisco Borgia, tunc Præposito generali, admissus est, ubi nullis suorum minis perterritus, in omnium Christianarum virtutum agone se veteranum Dei militem spectandum exhibuit, à perspicuæ pietatis viris, interque hos à beato confessore & pontifice Francisco Salesio, singulari præconio cumulatus. Deiparam Virginem, ut dulcem patronam suam maximo semper cultu observavit, tantoque divini amoris æstu ardere visus est, ut brumali tempore pectus linteis frigida aqua conspersis malefaceret. Morbo demum levi correptus, vehementique Dei amore inflammatus, in ejus sinum translatus est anno reparatæ salutis MDLXVIII. die festo, ut prædixerat, Deiparæ Virginis in cœlum assumptæ, XVIII. Kal. Septembres, anno ætatis XVIII. regularis tirocinii mense decimo.

IV. Stanislai, miraculis clari exuviæ incorruptæ, proque eo sanctorum canoni adscribendo Christianorum Principum supplicationes.

Miræ innocentiæ adolescentis exuviæ biennio ab ejus depositione incorruptæ, suavique odore perfusæ repertæ sunt. Postmodum triumphalem in cœlesti Hierusalem servi sui gloriam, quem piæ memoriæ antecessor noster Paulus Papa V. beatorum numero adscripserat, Deus miraculo comprobavit, dum Sigismundo Rege Poloniæ in Turcas, Christianorum cervicibus imminentes, bella Domini præliante, sublimis in aëre visus est Stanislaus in splendido curru cum Deipara Virgine & filio Jesu; unde Polonorum animi in dubia certaminis alea viribus aucti, immanissimos hostes fuderunt, quo tempore beati adolescentis caput à felicis memoriæ decessore nostro Gregorio Papa XV. in Poloniam missum, adventu suo victores populos novo gaudio cumulavit. His atque aliis, omnium Christifidelium veneratione dignissimis, per Stanislai preces apud Deum editis signis, sanctitatis ejus fama ubique diffusa, apud Apostolicam Sedem exorantibus Poloniæ Regibus Sigismundo, Uladislao & Johanne Casimiro, de eo sanctorum canoni adscribendo actum est, præcipuè sub Romanis Pontificibus antecessoribus nostris Paulo V. Innocentio X. & Clemente X. quorum postremus sacrum officium à Societate Jesu, itemque à clero sæculari totius Poloniæ, magnique ducatus Lituaniæ, certa die de eo recitari auctoritate Apostolica indulsit: quod, propria subinde oratione addita, confirmavit alius venerandæ memoriæ antecessor Innocentius Papa XI.

V. Polonis & Lituanis patronus datur, deque eo in sanctorum cõfessorum canonem referendo decretum vulgatur.

Denique Stanislai virtutibus per Clementem X. qui eum Polonis & Lituanis primarium apud Deum patronum adsignavit, undequaque adprobatis, piæ quoque recordationis Clemens XI. ejusdem miracula, coram se per venerabiles fratres S. R. E. Cardinales in examen adducta, pontificia auctoritate adprobavit, decreto edito de beato Dei servo in sanctorum confessorum canonem referendo. Clemente verò priusquàm solemni ritu rem tantam absolveret, viam universæ carnis ingresso, nos, qui meritis licèt imparibus, eidem in cathedra beati Petri successimus, in tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium, gestis beati Stanislai ritè perpensis, unanimi omnium sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, & Societatis Jesu, pro illo in sanctorum confessorum canonem referendo, precibus Apostolicæ Sedi & nobis enixè porrectis, rei perficiendæ solemnem de more diem indiximus.

VI. Beatus Stanislaus solemni ritu inter Sanctos connumeratur.

Mox per orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei ope ferventissimè implorata, ac universis, quæ ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina receptisque constitutionibus agenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, una cum jamdictis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterùm & tertiò pro Dei servo Stanislao sanctorum confessorum canoni adnumerando, per dilectum filium nostrum Alvarum S. R. E. Tituli sancti Bartholomæi in Insula presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, precibus repetitis, post decantatas sacras orationes & Spiritûs sancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritûs sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Stanislaum Kostkam Polonum, Societatis Jesu novitium, de cujus sanctitate, fidei & cæterarum virtutum magnitudine, ac miraculorum excellentia plenè constabat & constat, unà cum beato Aloysio Gonzaga ejusdem Societatis Jesu clerico, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus & definimus, prout præsentium tenore adscribimus, decernimus & definimus, eumdemque per omnes Christifideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari, & quotannis idibus Novembribus, ejus solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

VII. Pontifex sacras ejus exuvias Visitantibus peculiares indulgentias concedit.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui eodem solemni die in honorem beati Stanislai quotannis ad ejus exuvias, quæ in æde ad honorem beati Andreæ Apostoli Deo sacra in Quirinali adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

VIII. Sacrosanctum missæ sacrificium in ejus honorem celebrat.

Postremò gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Stanislai Kostkæ & Aloysii Gonzagæ solemni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosan-

ctum Missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem & alterius confessoris commemoratione, omnibusque Christifidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

IX. Deus glorificandus in sanctitate beati Stanislai.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem & bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Stanislai Kostkæ, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus nisi Deus noster.

X. Hæ literæ Apostolicæ ubique fidem obtineant.

Cæterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XI. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxarionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum annò incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, pridie Kalendas Januarias, pontificatus nostri anno tertio.

Pridie Kal. Januar. 1726.

✠ *Ego Benedictus catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
†
† Ego Joseph Renatus Tit. Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Philippus Antonius Tit. sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
† Ego Annibal Tit. sancti Clementis Presbyter Cardinalis, sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. S. Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
† Ego Petrus Tit. sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula, sanctæ Agnetis nuncupatus.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
†
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis Marefuscus.
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.
†
† Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.
†
†
†
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†
†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus, Cardinalis Alexander nuncupatus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus

Cardinalis

Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†
†

P. Card. Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

Visa De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXI. De beato Aloysio Gonzaga, clerico Societatis Jesu, sanctorum Confessorum Canoni per eumdem adscripto die XXXI. Decembris Anni MDCCXXVI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Dei servorum sanctitas à summo Pontifice toti Ecclesiæ manifestatur.

Christianæ virtutes & summa vitæ innocentia strenuos Dei milites post triumphum de hoc mundo, perquàm dignos efficiunt, qui inter cœlestis Hierusalem emeritos cives commerentur; atque hinc nobis universalis Ecclesiæ regimini præpositis maximè convenit Apostolica voce eorumdem sanctitatem manifestare, ut omnes tanto patrocinio in cœlis muniti, optimisque piæ illorum conversationis exemplis instructi per viam salutis incedere valeant, unde & ipsi tandem vitæ cursu feliciter consummato, eorum consortio adjungi mereantur, quorum se regulis conformare studuerunt. Itaque nos hac die, in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, cum ingenti exultatione & celebritate in basilicam Principis Apostolorum convenientes, angelicum juvenem, inque regulari militia probatissimum clericum, Aloysium Gonzagam, sanctorum canoni adscripsimus, ut Christifideles in ejus meritis solemni præconio ad Dei gloriam recolendis propitium in cœlo deprecatorem obtineant.

II. Beati Aloysii Gonzagæ ortus, pia educatio, utriusque admiranda.

Castellione, Galliæ Cisalpinæ ad fines Mantuani ducatus nobili opido, quod discriminis causa *Stiverorum* appellatur, Marchionatus olim, dein principatus titulo, insigni, ex primaria Gonzaga familia VII. idus Martias anno Christi Domini MDLXVIII. natus est Aloysius, antea baptizatus, quàm totus in lucem editus. Ab ipsis infantiæ & eo magis pueritiæ primordiis magna in illo & multa futuræ sanctitatis argumenta apparuerunt, quæ beatus Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis coram miratus, illum adhuc duodennem, in rebus divinis adeò instructum reperit, ut dignum putaverit, quem sanctissimo Eucharistiæ Sacramento suis manibus ipse primus reficeret. Tum verò in patriis ædibus, & Florentiæ, ubi Aloysius novennis Deiparæ virginitatem suam vovit, quam semper una cum innocentia baptismali illibatam servavit, tum maximè in aula regia Hispaniarum, quo tredecennis cum parentibus in comitatu Mariæ Augustæ petierat, cœlestes ejus animi dotes patuerunt. Ibi enim rara ejus pietas in dies prodiens, omnium oculos & admirationem in se convertit, nullis mundi illecebris innocentissimum puerum alio trahentibus: cujus etiam sanctus pudor is fuit, ut matronas, consanguineas quoque, ac matrem ipsam, adspicere, & seorsum alloqui refugeret. Quin, ut Dei famulatum tutiùs amplecteretur, vix annum decimum quintum egressus, in Societatem Jesu migrare constuit: quam cogitationem nullæ Regum & Principum blanditiæ, nullæ à parentibus toto triennali spatio adhibitæ machinæ, ex ejus animo evellere potuerunt.

III. Societati Jesu nomen daturus, magna animi fortitudine suis valedicit, & Romam petit ubi Christianis virtutibus omnium oculos in se convertit.

Quare mirantibus & lugentibus consanguineis, Romam iturus, siccis oculis avito se principatu abdicavit, inque alma æde Lauretana votum, quo eum pia mater incolumen paritura, Deo se obstrinxerat, incredibili religione persolvit, Romæ verò in primariis septem Ecclesiis Deum propitium sibi precatus, mox in domum probandis spiritibus, Societati Jesu nomen daturis, destinatam, maximo gaudio convolavit, ubi eximiis ejus virtutibus patefactis, votisque postea regularibus de more ab eo nuncupatis, in clericum adscitus, primisque ordinibus initiatus est. Quanta verecundia se spectandum, quantaque humilitate, paupertatis studio, suique contemptu viliora officia ultrò subire gestiens, se toti Urbi admirandum ostenderit, oculati & probatissimi testes literarum monumentis consignaverunt. Sed ejus caritas præcipuo sermone celebranda est, quippe quæ maxima fuit, & præsertim enituit, dum ex annonæ inopia sævo in Urbe contagio ingruente, quod multa millia hominum sustulit, ipse quamvis corpusculi macerationibus pænè confectus, pedibus vix consisteret, à majoribus impetravit, ut in publicis valetudinariis lethaliter ægrotantes inviseret, stipem vicatim per Urbem esurientibus erogaret, inque communi vastitate languidos ipsos in hospitales domos suis humeris latos exueret, sordibus mundaret, ac cibo etiam verbi Dei pasceret: quæ omnia tanto studio peregit, ut & ipse pestilenti halitu afflatus aliquandiu novo hoc experimento probandus, contabesceret.

IV. Piè obit, & pro sancto agnoscitur.

Tandem suæ migrationis tempus appropinquare animadvertens, Ecclesiæ sacramentis ad magnum iter munitus, dulcissimoque Jesu nomine, quod semper in corde atque ore habuerat, repetito; nocte, quam prædixerat ante diem XI. Kalendas Julias anni MDXCI. plurimis admirandæ & consummatæ virtutis speciminibus editis, placidissima in pace quievit, anno ætatis, placidissima in pace quievit, anno ætatis suæ XXIII. religionis sexto, clericatus quarto. Ad ejus exuvias venerandas tanta populi Romani turba confluxit, ut ædis portas claudi oportuerit, nè sacrum pignus devotionis causa in frustra discerperetur. Et quamvis loculum sepulcralem, ei servando adsignatum nullus foris titulus distingueret, Fidelium tamen pietas accensis facibus, votivisque tabellis ac donariis subinde allatis, eum probè distinxit. Aloysii sanctitatem diserto etiam præconio vulgavit in mentis excessu Dei ancilla, postmodùm sanctis Virginibus adnumerata Maria Magdalena de Pazzis.

V. Synodus Mantuana & Christiani Principes pro Aloysio sanctis Confessoribus adscribendo Apostolicam sedem exorant. Ejus virtutes & miracula comprobantur, seque eo Horæ Canonicæ & Missæ celebrari statuuntur.

Quin crebra & maxima signa per Servi sui intercessionem à Deo patrata, ejusdem sanctitatis famam per universam Italiam eo usque vulgarunt, ut Synodus Mantuana recolendæ memoriæ antecessori nostro Paulo Papæ V. enixas preces obtulerit pro Aloysio in Beatorum numerum referendo, eodemque relato cùm multi Christiani, Principes à Sede Apostolicâ flagitarent, ut inter Sanctos quoque numeraretur, res tanta Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, sacris Ritibus examinandis præpositorum Judicio perpendenda commissa est. Hi verò beati Aloysii virtutes & miracula, de quibus plenè constabat, ad sacros Ecclesiæ Canones & disciplinam suffragiis suis omninò

compro-

comprobaverunt, ita ut Dei servum inter sanctos referri, deque eo, tanquam de beato confessore, officium recitari posse judicarent. Tres deinde antiquiores sacri palatii Apostolici causarum judices hac de re suam relationem, quinquennali discussione compositam, ediderunt, in qua praevio examine & approbatione virtutum ac miraculorum, causam in eo statu esse dixerunt, ut tuto, & quandocumque id luberet, beatus Dei servus inter sanctos confessores referri posset. Postmodum Cardinales simul iterum congregati inhaerendo his, quae antea censuerant, & praesertim relationi eorumdem trium sacri palatii judicum, pridem à se acta & judicata uno ore & nemine discrepante confirmaverunt. Quare Paulus Papa V. his auditis, auctoritate Apostolica non solum Romae, sed in quibuscumque locis Italicis, Mantuani Ducis & Principum ex Gonzaga gente imperio subjectis, inque Ecclesiis Societatis Jesu sacrosanctum missae sacrificium, atque horas canonicas in beati Aloysii honorem celebrari, & recitari posse decrevit; quod indultum, Apostolicis literis traditum, per alios postea Romanos Pontifices antecessores nostros ad universam Societatem Jesu, & complura alia loca, de eorumdem venerabilium fratrum consilio, suffragioque extensum est.

VI. Benedictus XIII. beatum Aloysium à Clemente X. in Martyrologium Romanum relatum, sanctorum confessorum canoni adnumerat.

Hinc Aloysii ubique celeberrimi virtutes & signa, omnibus ferme Christianis Principibus apud Apostolicam Sedem aeque laudantibus, proque ejus inter sanctos Domini confessores adscriptione sub proximis antecessoribus nostris Romanis pontificibus Clemente XI. & Innocentio XIII. ac etiam nobis ipsis, dum in minoribus essemus, enixe deprecantibus, tandem singulis, quae ad novissima antecessorum nostrorum decreta impleri debebant, accurate & sedulo impletis, inque conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium una congregatorum repetita omnium eorum, quae acta jam fuerant, absoluta notione, plenaque ex omni parte, & juridica expositione; tum quoad miracula, olim plene discussa atque approbata, nos eundem Aloysium, cujus nomen inclytae memoriae antecessor Clemens Papa X. in tabulis Martyrologii Romani describendum curaverat, sanctorum confessorum fastis adnumerare decrevimus. Itaque in tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romae praesentium, universis ad eum pertinentibus pro more discussis, unanimi Patrum sententia per Apostolicae Sedis Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum & Societatis Jesu pro beato Aloysio, quem scholis ejusdem Societatis patronum Apostolicis literis nostris pridem adsignavimus, in sanctorum confessorum canonem referendo, multis precibus eidem sanctae Apostolicae Sedi nobisque porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum omnibus, quae ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones & Sanctae Romanae Ecclesiae disciplinam agenda erant, summa religione peractis, hac ipsa die in honorem antecessoris nostri Silvestri confessoris atque pontificis Deo sacra, cum jam dictis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Dei servo Aloysio Gonzaga clerico Societatis Jesu sanctorum confessorum canoni adscribendo iteratis precibus per dilectum filium nostrum Alvarum Sanctae Romanae Ecclesiae Tituli sancti Bartholomaei in Insula presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, post cantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem sanctae & individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, & christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium consilio & unanimi consensu, beatum Aloysium Gonzagam clericum Societatis Jesu, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plenè constabat & constat, una cum beato adolescente Stanislao Kostka ejusdem Societatis Jesu novitio, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout praesentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christi fideles, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali in ejus honorem aedes sacrae & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, construi, & quotannis XI. Kal. Julias, quo die migravit ad Dominum, solemnia ejus natalitia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

VII. Pontifex sacras ejus exuvias visitantibus peculiares indulgentias concedit.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus & confessis, qui eodem solemni die natalitio in memoriam beati Aloysii Gonzagae quotannis ad sacras ejus exuvias, quae in aede ad honorem beati Ignatii confessoris Deo sacra adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

VIII. Sacrosanctum missae sacrificium in ejus honorem celebrat.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Aloysii Gonzagae & Stanislai Kostkae solemni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum ejusdem & alterius confessoris commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

IX. Deus glorificandus in sanctitate beati Aloysii.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem & bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in saecula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Aloysii Gonzagae, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes, quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

X. Hae literae Apostolicae ubique fidem obtineant.

Ceterum quia difficile foret, praesentes nostras literas ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

XI. Nemo eas infringere audeat.


Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit

ANNO 1726. Pridie Kal. Januar. 1726.

verit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, pridie Kalendas Januarias, Pontificatus nostri anno tertio.

✠ *Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
†
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
†
† Ego Joseph Renatus Tit. sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
† Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
† Ego Petrus Tit. sanctæ Mariæ trans Tiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter

ANNO 1726.

Cardinalis Spinula, sanctæ Agnetis nuncupatus.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
†
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis Marefuscus.
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.
†
† Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.
†
†
†
†
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†
†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus, Cardinalis Alexander nuncupatus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†
†

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. *Archiepiscopus Emissenus.*

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

De

ANNO 1726.

XXII.

De beato Johanne à Cruce ordinis Fratrum beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, sanctorum confessorum canoni per eundem adscripto die XXVII. Decembris Anni MDCCXXVI.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Ecclesia solemnes honores illis decernit, qui eam gestis suis illustraverunt.

PIa Mater Ecclesia præcipuis universalis honorificentiæ præconiis illos ornari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis & moribus eam illustrantes, divini nominis gloriam & Deo famulantium numerum dictis & factis augere, perque viam salutis ducere summa cura studuerunt. Hujusmodi virum, Christianis virtutibus, cœlesti doctrina, jugi pœnitentia, multisque signis probatum Ecclesiæ catholicæ dedit ea pars Hispaniæ Tarraconensis, cui Castellæ veteris nomen est, nosque illum hac die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, sanctorum confessorum non pontificum canoni, solemni sanctæ Romanæ Ecclesiæ cæremonia, adnumerare decrevimus.

II. Beati Johannis à Cruce ortus, pietas & vitæ institutio.

Is est beatus Johannes à Cruce, ordinis Fratrum beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo, qui Exalceati appellantur, primus professor & parens, qui Anno Christi Domini MDXLII. ex perhonesta Jepesia familia ortus est in oppido, quod dicitur Fons Tiberii in Episcopatu Abulensi. A primis annis egregiæ animi dotes in eo, pie Christianeque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus & carus esset Deiparæ Virgini, in cujus patrocinium confugerat, inde patuit, quod aquam è puteo hausturus, in illum prolapsus, patronæ manu sublatus, incolumis prodiit. Adolescens, eximiæ pietatis ductu Metymnæ campi hospitalem domum ingressus, ægrotantium & pauperum famulatui se addixit, maxima caritate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvandis obire detrectans; unde factum, ut ceteri in nosocomio Christiana Johannis acta demorati, ægrotorum corporibus animisque curandis certatim ejus exemplo alacrem & sollicitam operam darent. Quidquid interim tam pio ministerio supererat, præclarus juvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis, & Dominicæ passioni religiosissimo animo recolendæ, impendebat: quæ tandem ipsi ad Fratrum ordinis beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo institutum ineundum, jucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est, ut vota emissa purioris disciplinæ studio accurate observaret, ad primitivi ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore & tremore, ac jussu majorum, ob summam rei divinæ præstantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

III. Fit comes beatæ Teresæ in primæva disciplina promovenda inter Carmelitas.

Quum verò Dei virgo Teresa, quæ postea, excelsis ejus virtutibus, signisque flagitantibus, per felicis memoriæ antecessorem nostrum Gregorium Papam XV. in sanctarum virginum canonem relata est, inter sorores jam dicti ordinis beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo primævi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro Fratribus ejusdem familiæ animo volutaret, Dei ancillæ magni operis comes Johannes à Cruce, strictioris disciplinæ promovendæ ardore vehementer accensus, plane cælitus datus est. Quare tantæ rei negocio inter sacram virginem & Dei famulum agitato, ordo Fratrum Carmelitarum communi omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus, & per universam Europam non sine ingenti Dei gloria diffusus est, plurimis Teresæ virginis cura, per totam Hispaniam erectis atque optime institutis cænobiis, quæ ipse, nullis vitæ incommodis & periculis territus, singula perlustravit.

IV. Beatus Johannes multa pro Deo passus, die & hora à se prædictis obiit.

Ubi verò admiranda innocentia, assidua rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitæ rigore, summisque virtutibus inclytus, suorum corda in perfecto Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo & in crure quinque plagis, sanie manantibus, patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiæ sacramentis summa fide & religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum*, piissime pronunciato, die & hora à se prædictis, in Ubede cœnobio, XIX. Kal. Januarias Anno salutis MDXCI. ætatis XLIX. vitæ cœnobiticæ XXIX. purissimam efflavit animam vir, Deo percarus, dæmoni formidatus, animi lenitate, constantia in adversis, miraculorum, ac prophetiæ dono per totam Hispaniam illustris, inque mysticæ theologiæ arcanis scripto explicandis, æque ac Teresa, divinitus instructus, quam, decreto S. R. E. nondum beatis adnumeratam, ipse sodali suo, inter sanctas Dei virgines, eo superstite, referendam prænunciavit.

V. Ut sanctus agnoscitur & beatis adnumeratur.

Ad servi Dei exuvias, quasi odore perfusas, & postea corruptionis expertes, eundem veluti placido somno sopitum referentes, populi eas osculantis multitudo copiosa turmatim confluxit, vestium, & ipsius etiam corpusculi particulas, venerationis instinctu, auferre conata. Tanti viri, quem Teresa, ut sanctum suspexerat, sanctique elogio compluries ornaverat, virtutum & prodigiorum fama in dies percrebrescente, gesta ejus maturo judicio venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium, sedente piæ recordationis decessore nostro Alexandro Papa VII. ad canonicos ritus discussa & probata fuerunt, unde per similis memoriæ Clementis Papæ X. Apostolicas literas, inter beatos relatus est.

VI. Solemni ritu inter sanctos refertur.

Novis deinde miraculis post solemnem beatificationem, ob ejus merita à Deo patratis, jussu Dei servi Innocentii Papæ XI. undique conquisitis, & coram nobis ipsis per venerabiles fratres nostros in examen adductis, ac veteri disciplinæ & majorum constitutionibus respondere per omnia compertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium conventu, rite perpensis, unanimi eorumdem sententia, per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, atque ipsius ordinis Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo, enixis precibus pro beato Johanne à Cruce in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissimè imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina agenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia, in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum, Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei in sanctorum confessorum

ANNO 1726.

non pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. Episcopum Cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei Catholicæ exaltationem, & christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio, & unanimi consensu, beatum Johannem à Cruce Hispanum ex ordine Fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beatis perinde confessoribus non pontificibus, Peregrino à Foro-Livii ordinis fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, & Francisco Solano ordinis Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per universos Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis XIX. Kal. Januarias, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus natalis, ut sancti confessoris non pontificis, festa solemnia, celebrari possint.

VII. Pontifex sacras ejus exuvias visitantibus peculiares indulgentias concedit.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui ejusdem diei natalis festo in memoriam beati Johannis à Cruce quotannis ad sacras ejus exuvias venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

VIII. Sacrosanctum missæ sacrificium in ejus honorem celebrat.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sanctorum Johannis à Cruce, Peregrini à Foro-Livii, & Francisci Solani, oratione solemni, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem confessoris non pontificis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

IX. Deus glorificandus in sanctitate beati Johannis à Cruce.

Decet igitur, ut pro tam peculiari magnoque beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui Johannis à Cruce, indignationem suam à nostris peccatis avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

X. Hæ literæ Apostolicæ ubique fidem obtineant.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XI. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

6. Kal. Januar. 1726.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, VI. Kalendas Januarias, Pontificatus nostri anno tertio.

✠ *Ego Benedictus catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tit. sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
†
†
† Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†

†

†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.
† Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†
†
†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXIII.

De beato Francisco Solano ordinis Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia appellantur, sanctorum confessorum canoni per eumdem adscripto die 27. Decembris anni 1726.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Dei gloria in Sanctis ejus manifestatur.

AD fidelium Dei servorum gloriam in terris manifestandam, unde cultus divinus maximè augeri, & frigescentia corda hominum ad veræ pietatis opera, præclaris eorum exemplis inflammari, atque erigi possint, libenti & pervigili animo intendimus; quoniam Christum Dominum in sanctis ejus laudare jubemur. Hinc beatum Dei servum Franciscum Solanum ex ordine Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, Christianarum virtutum præstantia, & miraculorum numero illustrem nacti, magnum populis, nostræ sollicitudini creditis, præsidium nos allaturos putavimus, si eum solemni S. R. E. cæremonia hac die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscriberemus.

II. Beati Francisci Solani ortus, pia educatio, vitæque religiosæ institutio.

Montiliæ, Hispaniæ Bæticæ oppido sub Ecclesia Cordubensi, quam complures Christi martyres nobilitarunt, Franciscus Solanus, voluntate martyr futurus, lucem vitalem aspexit VI. idus Martias anno reparatæ salutis MDXLIX. ingenuis, piisque parentibus ortus, qui filium timorem Dei, virtutesque, Christiano homine dignas, sollicite docendum curarunt, quibus ipse animo accensus, in Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, sacram familiam adolescens cooptatus est. In ea miris & multis severioris disciplinæ, Christianæque humilitatis argumentis eluxit, diu noctuque divinæ pietatis, assiduæque pœnitentiæ exercitiis intentus; beatos etiam illos patres, Benedictum & Franciscum imitatus, qui se nudos inter pungentissimas spinas projecerunt, ut omnem vim sensuum domarent. His, aliisque præclaris animi dotibus ex ejus admirando tenore vitæ identidem prodeuntibus, sacris ipse concionibus, quas ardentissima caritas, ceteræque eximiæ virtutes, in eo fulgentes, ornabant, animas lucrifaciens, *Sancti* elogium passim consecutus est, præsertim ubi ægri pueri corpusculum, totum ulceribus tectum, amotis linteis, lambens, sanitati restituit.

III. Ejus pietas erga pestifero morbo tabescentes.

Sed lue crudeli grassante in Hispania Bætica, maximam suam caritatem Dei famulus morbo pestifero tabescentibus patefecit, ubi humano & spirituali solatio destitutis in tanta calamitate opem laturus, pereuntium animabus, corporibusque curandis, nulla mortis formidine territus, summam operam dedit; immo & ipse mortali contagione infectus, & manu Dei sospes redditus, in pristino ministerio usque ad lethalis morbi finem se alacrius exercere perrexit.

IV. Magna ejusdem modestia & caritas erga proximorum salutem.

Per ora omnium Solani sanctitatis fama percrebrescente, vir modestissimus, qui Dei, non suam, gloriam quærebat, se ei clam subducere cogitavit. Quare martyrii pro Christo subeundi percupidus, hanc sibi gratiam à majoribus dari humillime flagitavit, ut in Africam, verbum Dei prædicaturus, trajiceret. Compos tamen voti nequaquam factus, hoc tandem obtinuit, ut ad remotissimos Indos evangelica doctrina imbuendos cum aliis verbi Dei præconibus navigaret. Animarum salutem multis, iisque gravissimis maris terræque periculis vir Dei præferens, non

ANNO 1726.

XXIV.

De beato Peregrino Latioso à Foro-Livii ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, sanctorum confessorum canoni per eundem adscripto die 27. Decembris anni 1726.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Ecclesia præcipuos honores illis decernit, qui meritis supra alios claruerunt.

REdemptor humani generis Christus Dominus, qui fideles famulos suos cœlestis beatitudinis consortes efficere consuevit, eos peculiari præmiorum retributione prosequitur, quos ingentior meritorum excellentia commendat, sicque sancta mater Ecclesia sui sponsi vestigiis insistens, licet omnes cum ipso viventes in cælo sollicitis studiis honoret, illos tamen, qui supra ceteros virtutum & miraculorum præstantia in terris fulserunt, præcipuis honoribus venerari disponit.

II. Per beati Peregrini à Foro-Livii virtutes & signa Dei nomen celebratum.

Tam piis causis inducti, beatum Peregrinum à Foro-Livii, quatuor ab hinc sæculis in ordine Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis asperrima pœnitentia, & Christianis moribus clarum, ac signis etiam, quæ omnipotens Deus per ejus merita ostendit, nos hac ipsa die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, solemni Ecclesiæ Romanæ cæremonia in sanctorum confessorum canonem referre decrevimus, ut in magnis, multisque tanti viri virtutibus, earumdem auctoris summi Dei nomen per omnes gentes celebrari audiatur.

III. Ejus ortus, educatio, mores, conversio, & sanctitas.

In Foro Livii, præcipua beati Petri civitate in Æmilia ex perhonesta Latiosa prosapia ortus est Peregrinus anno Christi Domini MCCLXV. quem, licet Christianè educatum, atque à teneris annis Deiparæ Virgini speciali studio addictum, tamen corrupti sæculi mores eo abduxerunt, ut civilibus patriæ discordiis & seditionibus involutus, à legitimo imperio sanctæ Apostolicæ Sedis una cum reliquis suis conterraneis deficeret, eo etiam prolapsus, ut Philippum Benitium, ejusdem familiæ Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, postea ob vitæ sanctimoniam Dei confessoribus adnumeratum, quem recolendæ memoriæ antecessor noster Martinus Papa IV. illuc miserat, ut sacris concionibus Liviensem populum ad saniorem sensum revocaret, contumeliis & lapidibus cæsum, atque extra civitatem ejectum, alapa in faciem percuteret. Philippo tamen pro hostibus suis Deum exorante, Peregrinus admissi criminis dolore tactus, flevit amarè, ac Philippum extra civitatem propere adiens, veniam supplex deprecatus est, inque viam salutis à pio viro ductus, regulæ Fratrum Servorum nomen daturus, monitu Deiparæ Virginis atque Angelo comite, Senas, quæ est civitas Virginis, statim profectus est, ubi novum plane hominem induens, omni genere pœnitentiæ se totum Deo dicavit, ut præteritum facinus undequaque expiaret. Itaque in alterum plane hominem immutatus, diuturnis jejuniis & macerationibus corpus domans, meditationibus, vigiliis ac lacrymis, perque totos triginta annos nunquam sedens, sed parieti vel saxo incumbens quiescere solitus, omnium admirationem in se convertit. Caritati maxime studens, ad peccatorum salutem tanta sollicitudine operam dedit, ut triginta latrones in silvis alienæ vitæ & bonis inhiantes, adire non formidaverit, omnesque, Deo favente, ad seriam pœnitentiam attraxerit, propterea Æmiliæ Apostolus vocitatus.

ANNO 1726.

IV. Magna Peregrini fides, & virtus gravi morbo probata.

Quanta in Deum fide excelluerit, inde fit palam, quod deficientem annonam, in pauperes erogandam, divinitus multiplicaverit. Sed manus Domini excelsam Peregrini virtutem morbo, omnium truculentissimo, adhuc probare voluit. Crus enim viri Dei mortifero tumore contabuit: quique per triginta annos nunquam sederat, in lectulo decumbere coactus est. Mox graveolenti gangræna cruciatus, ac Jobo persimilis, ab omnibus derelictus, neque ideo mœstus, quum de crure amputando supremum consilium iniretur, præsenti Dei ope convaluit, ut nec vestigium ullum plagæ appareret. Quare Peregrini, Deo cari, virtutum fama ubique diffusa, omnium ore *Sancti* elogio passim vocari meruit.

V. Meritis inclytus pie obit, & miraculis illustratur.

Tandem post exactum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, febri correptus in cœnobio Fratrum Servorum, quod in patria excitandum curaverat, meritorum plenus obdormivit in Domino Kalendis Maiis anno reparatæ salutis MCCCXLV. tanta sanctimoniæ laude inclytus, ut finitimis populis corpusculum ejus veneraturis magna frequentia undique adcurrentibus, portæ ipsæ civitatis noctu claudi, & sacræ exuviæ, suavem odorem emittentes, nisi post multos dies terræ mandari nequiverint. Nec illud silendum, cœco ad beati viri pheretrum per densam multitudinem irrepenti, visum cœlitus restitutum.

VI. Miracula per merita beati Peregrini à Deo patrata, & ejus cultus.

Quapropter ad viri Dei tumulum Christi fidelibus ob receptas vel recipiendas, ejus intercessione à summo bonorum omnium largitore gratias, assidue confluentibus, sub felicis recordationis decessore nostro Paulo Papa V. de Peregrini sanctitate, miraculis & veteri cultu actum est, rem totam exponente Dei servo Roberto S. R. E. tituli beatæ Mariæ in Via presbytero Cardinali, Bellarmino nuncupato; inque Peregrini honorem, de ejus officio in Ecclesiis & cœnobiis totius familiæ Servorum recitando, deque ejus nomine in tabulas Martyrologii Romani referendo, rite sancitum est. Postmodum sedente alio antecessore nostro felicis memoriæ Urbano Papa VIII. eædem Peregrini exuviæ corruptionis expertes ex veteri in novum atque aptius sacellum permagna totius civitatis veneratione translatæ sunt, ejus officio sub ritu duplici toti ordini Servorum recitari permisso.

VII. Inter sanctos ritu solemni refertur.

Eximiis deinde & vere Christianis Peregrini virtutibus sub aliis Romanis Pontificibus decessoribus nostris, Innocentio XII. & Clemente XI. ad canonicas majorum sanctiones discussis, miracula etiam post concessam viri Dei ab Apostolica Sede venerationem & cultum patrata, in examen per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales coram nobis de more adducta fuerunt: quibus veteri disciplinæ per omnia respondere compertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium rite probatis, unanimi eorumdem sententia, per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, civitatis Liviensis, atque ordinis Servorum enixis precibus pro Peregrino in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, tantæ rei perficiendæ solemnem diem indiximus, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploravimus, & implorari mandavimus; ac tandem universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis agenda erant, omni reli-

gione

ANNO 1726.

gione peractis, nos hoc die festo beati Johannis Apostoli & Evangelistæ una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum, Deo supplicantes, convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro beato Peregrino à Foro-Livii ex ordine fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, in Sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. Episcopum Cardinalem Tusculanum, Corsinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio, & unanimi consensu, beatum Peregrinum à Foro-Livii ex ordine Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beatis viris, perinde confessoribus non pontificibus, Johanne à Cruce ordinis fratrum Excalceatorum beatæ Mariæ Virginis à monte Carmelo, & Francisco Solano ordinis Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, sanctum esse definivimus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, eumdemque per universos Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari ac consecrari, & quotannis pridie Kalendas Majas ejus festa solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

VIII. Indulgentiæ, ejus exuvias visitantibus concessæ.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Peregrini ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

IX. Missa celebrata à Pontifice in ejus honorem.

Postremò gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Christi confessorum Peregrini à Foro-Livii, Johannis à Cruce, & Francisci Solani oratione solemni, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem Peregrini & ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

X. Deus glorificandus in sanctitate beati Peregrini à Foro-Livii.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, omnium bonorum auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Peregrini, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

XI. His literis ubique fides adhibeatur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XII. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

6 Kal. Januar. 1726.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, VI. Kalendas Januarias, Pontificatus nostri Anno tertio.

✠ *Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
†
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tit. sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Philippus Antonius Tit. sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
†
† Ego Annibal Tit. sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.

ANNO 1726.

† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.
†
† Ego Nicolaus Maria Tit. sanctorum Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius Tit. sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Cozza.
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†
†
†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

ANNO 1726.

XXV.

Pro Fratribus Minoribus Ordinis Sancti Francisci.

Quâ ubique terrarum præcedentiâ gaudere jubentur, tam in Processionibus, quàm in aliis publicis & privatis actibus, & functionibus super omnes Fratres Reformatos Ministro Generali totius Ordinis subjectos.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Officii nobis divinitus injuncti sollicitudo Nos admonet, ut omni cura, ac studio ad ea jugiter intendamus, per quæ Christifidelium sub suavi arctioris Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre jugiter satagentium quieti, & tranquillitati consulitur, & quæ Religiosum eorum propositum turbare possunt, removentur, ut nulla re præpediti, ac sublatis animorum dissidiis, & æmulationibus juxtà Regularia suorum Ordinum instituta in pacis amænitate gratum Altissimo impendant famulatum, felicioribusque in dies in via Domini proficiant incrementis. Cum itaque, sicut accepimus, tametsi Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Excalceati, Recollecti, ac Reformati respectivè nuncupati unicum corpus Religionis, ac Ordinem insimul constituant, atque sub uno, eodemque capite, & Ministro Generali, etsi sub diversis Constitutionibus in Ecclesia Dei militent, antiquus tamen usus, ac generalis prope consuetudo invaluit, ut ipsi Fratres de Observantia ubique nedum in Galliarum, Hispaniarum, Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, ac Universa Germania, verùm, & in hac Alma Urbe nostra, ac reliqua passim Italia, ubi fel. rec. Gregorii XIII. Prædecessoris Nostri Constitutio super præcedentia edita maximè viget, eosdem Fratres Excalceatos, Recollectos, & Reformatos in Processionibus, aliisque tum privatis, tum publicis actibus, & functionibus quibuscunque, nullâ habitâ ratione majoris, vel minoris antiquitatis suorum Conventuum præcedant, solùmque aliquot ab hinc annis pro parte dictorum Fratrum Reformatorum nonnullæ quæstiones super ejusmodi præcedentia memoratis Fratribus de Observantia in quibusdam Italiæ Provinciis motæ fuerunt sub obtentu, quod quidam eorum Conventus tempore, & fundatione illis Fratrum de Observantia forent Priores, licet in reliquis ejusdem Italiæ Provinciis Fratres de Observantia prædicti præcedentiam præfatam pacificè obtineant, etiamsi eorum Conventus post alios Fratrum Reformatorum inibi erecti reperiantur. Nos considerantes ejusmodi controversias inter Fratres dicti Ordinis, qui vota sua in spiritu humilitatis, & paupertatis Domino exhibere profitentur minimè decere, ac turbas in eundem Ordinem non sine scandalo, ac mutuæ inter eos charitatis detrimento invehere posse, adeòque illas omni ratione recidere, unamque ac certam hac in re formam ab omnibus Fratribus Reformatis prædictis servandam præscribere volentes, nec non Gregorii Prædecessoris literarum prædictarum tenorem, & alia quæcunque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, quas-

cunque

ANNO 1726.

cunque causas, lites, seù controversias, inter Fratres de Observantia, & Reformatos prædictos super præcedentia præfata ubilibet, & coram quibusvis Judicibus quomodolibet motas, ac pendentes, ad Nos harum serie avocamus, illasque penitùs, & omninò extinguimus, ac supprimimus, & perpetuum desuper silentium imponimus. Utque deinceps idem usus, ac mos, qui in Urbe præfata, ac alibi inter Fratres de Observantia, & Reformatos servatur, ac retinetur, in universa Italia observari, & retineri debeat, quod scilicet dicti Fratres de Observantia ubique in Processionibus, aliisque actibus, tam publicis, quàm privatis digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ac ipsos Fratres Reformatos præcedant motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus tenore præsentium statuimus, & ordinamus; Districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub excommunicationis majoris latæ sententiæ, eo ipso per contrafacientes incurrenda pœna omnibus, & singulis Fratribus Reformatis Ordinis prædicti nunc, & pro tempore existentibus inhibentes, ne deinceps super præmissis, eorumve occasione Fratres de Observantia hujusmodi molestare, inquietare, perturbare, aut quoquomodo impedire audeant, vel præsumant. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacunque auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quocircà Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Locorum Ordinariis per præsentes motu simili mandamus, quatenùs ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium, seù alios ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum de Observantia fuerint requisiti, eis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate Nostra præmissâ, juxtà præsentium continentiam, & dispositionem observari: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus dictis Gregorii Prædecessoris literis, ac Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, aliisque quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, ac Fratrum Reformatorum prædictorum, illorumque Conventuum, Domorum, & Locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis, clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro eorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs ubique fides, tam in Judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die decimâ quartâ Februarii millesimi septingentesimi vigesimi sexti, Pontificatus Nostri Anno Secundo. 14. Febr. 1726.

F. Cardinalis Oliverius.

Locus † Annuli Piscatoris.

SANCTISSIMI D. N. D. BENEDICTI PAPÆ XIII. XXVI.

APOSTOLICÆ LITERÆ IN FORMA BREVIS

AD MAGISTRUM GENERALEM ORDINIS PRÆDICATORUM.

QUibus, inhærendo Constitutionibus *Pauli III. S. Pii V. Alexandri VII. & Clementis IX.* nec non Proposito ac menti *Innocentii XII.* Conventus quicumque spectantes ad Congregationem S. Sabinæ curæ ac regimini Provincialis pro tempore Provinciæ Utriusque Lombardiæ, sub opportunis iisque sanctissimis Institutis inviolabiliter, ac perpetuò observandis, de Plenitudine Potestatis subjiciuntur: eidem Provinciæ restituuntur, ac uniuntur: atque in novam Provinciæ ipsius Regionem erigendi decernuntur: in Regularis Observantiæ incrementum.

Dilecto Filio Thomæ Ripoll Ordinis Fratrum Prædicatorum Magistro Generali.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

QUod Apostolicæ sollicitudinis officium ad propagandam Regularem disciplinam omnibus Religiosorum Ordinibus libenter impendimus, decet Nos inclyto Prædicatorum Ordini, & Provinciæ præsertim Lombardiæ tantò libentiùs, & alacriùs persolvere, quantò gratiori memoriâ animôque illius in Nos merita recolere consuevimus; in qua scilicet sacrum Religionis habitum per ipsos adolescentis ætatis annos suscepimus, & Prædicatorum Institutum expresè professi sumus. Neque verò sola præcipui amoris incitamenta Nos excitant, ut nostræ auctoritatis opem ad cultum, & incrementum meritissimæ familiæ conferamus, sed suo veluti jure

Anno 1726.

dilectissima Provincia operam nostram deposcit; ut quæ Nos diù doctrina, & Religiosis moribus aluit, ac Sanctissimis Institutis ad Apostolicas curas informare conata est, fructum qualemcumque impensi laboris cepisse videatur. Maternæ igitur sedulitati vicem Paternæ caritatis reddere cupientes, nihil omittere debemus, quo uberiùs fructificet suavitatem odoris, & observantiæ salutaris vitæque perfectioris exempla latiùs per universam Provinciam dilatentur, opportunisque Providentiæ nostræ legibus firmiùs muniantur. Porro Sanctus Pius V. Antecessor noster, qui Prædicatorum Ordini in eadem Lombardiæ Provincia nomen dederat, Constitutioni fel. record. Pauli Papæ III. sui nostrique Prædecessoris inhærens, per Apostolicas literas die vigesima Martii anno 1567. datas, Romanum Conventum Sanctæ Sabinæ una cum omnibus juribus, ac bonis ante dictæ Provinciæ adnexuit, & incorporavit. Quoniam verò Generalia ejusdem Ordinis Comitia decreverant, ut per singulas Provincias in uno saltem Cœnobio exacta Regulæ disciplina integrè rigidèque, illæsâ tamen Prioris Provincialis auctoritate, eique debitâ subjectione, vigeret; felicis record. Prædecessores nostri Alexander Papa VII. & Clemens PP. IX. arctioris hujus observantiæ in ante dicto Conventu Sanctæ Sabinæ palæstram, & domicilium collocarunt; ut tyronibus in ea severiori exercitatione institutis, imitanda virtutis exempla per universam Provinciam diffunderentur. Neque tamen Provinciæ & Provinciali Lombardiæ quidquam juris, & auctoritatis detractum est; ut in Apostolicis ipsorum literis, illis præsertim, quas laudatus Clemens IX. dedit die 21. Maii anno 1669. perspicere licet. Igitur Domino dante benignitatem terra illa dedit fructum suum, & Provinciali suo plenè subjecta Provincia Lombardiæ tam in Conventu Sanctæ Sabinæ, quàm in aliis strictiori Observantiæ dicatis, Summorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum consiliis, & optatis Comitiorum Generalium respondere perrexit; donec sub Innocentio XII. fel. itidem rec. Prædecessore Nostro exempta ab omni jurisdictione Prioris Provincialis Congregatio erecta est Sanctæ Sabinæ, eique aliis nonnullis attributis Conventibus, proprius Vicarius præpositus est à Generali Ordinis Magistro singulis bienniis eligendus; ut in Apostolicis Literis, quas anno sui Pontificatus quarto dedit, fusiùs explicatur. Votis tamen ejusdem Pontificis Observantiæ latiùs dilatandæ, exitus minimè obsecundavit. Floruit enim Regularis disciplina, & Sanctæ Sabinæ Congregatio optimis exemplis Religiosæ virtutis abundavit; sed per novam illam regiminis formam potiùs intra Congregationis fines conclusa, quàm ad totius Provinciæ utilitatem amplificata Observantia est. Nos proinde diuturna longi temporis experientia edocti, atque ad propagationem non minùs, quàm conservationem purioris disciplinæ animum intendentes, Constitutionibus Antecessorum nostrorum Pauli Tertii, Sancti Pii Quinti, Alexandri Septimi, & Clementis Noni, & ipsius etiam Innocentii Duodecimi Proposito inhærentes, nec non desideriis, & conatibus Comitiorum dilectissimi Ordinis suffragantes, post maturam deliberationem, & collata consilia cum Viris zelo, prudentiaque commendatis, per Apostolicas hasce nostras in forma Brevis literas perpetuò valituras, præcipimus & mandamus, ut strictâ Observantiâ firmâ permanente in Conventibus inferiùs exprimendis, salvisque Regulis, quas pro munienda, propagandaque observantia in ante dicta Provincia Lombardiæ præscribendas duximus, auctoritati, jurisdictioni, visitationi, correctioni, curæ & Regimini Prioris Provincialis Lombardiæ pro tempore existentis omnino pareant, & subjecti sint una cum omnibus bonis, juribus & pertinentiis suis, Conventus & Fratres in ipsis commorantes, videlicet: Sanctæ Sabinæ Romæ, Sancti Dominici Ravennæ, Sancti Dominici Ferrariæ, Sancti Dominici in Urbe Sancti Severini, S. Catharinæ in Trino Diœcesis Casalen. & qui positi sunt Auximi, Cæsenæ, in Lugo, in Meldula, in Bonifacio, una cum altero in eadem Insula Corsica constituto; perinde ac si nunquam Apostolicæ literæ ejusdem Innocentii Duodecimi, aliæque Constitutiones editæ fuissent, quæ enumeratos Conventus ab auctoritate, ac jure Prioris Provincialis Lombardiæ, aut cujuscumque alterius Provincialis subduxerunt: quibus & aliis in contrarium quomodolibet facientibus de plenitudine potestatis per has præsentes literas amplissimè derogamus: Pro conservanda verò, ac dilatanda per totam Lombardiæ Provinciam severiori disciplina, has Regulas præscribimus, atque ut perpetuò serventur, districtè præcipimus, & mandamus. I. Vita communis, & rigor Observantiæ Regularis, qui tam in Conventu Sanctæ Sabinæ, quàm in aliis superiùs expressis in præsens viget, perpetuò retineatur, & quàm fieri potest maximo perfectionis studio custodiatur, & observetur. II. Cum Provinciales pro tempore ad visitandos eosdem Conventus se conferent, neque ipsi utantur Regulæ remissionibus, ac dispensationibus, neque illas sociis suis permittant, quæ consuetæ eorumdem Conventuum vitæ adversentur. Ipsorum enim exempla cæteris esse debent vivendi norma. III. Ita quoque se gerant Visitatores, si qui forte ad supplendas Provincialium vices destinabuntur: & Commissarii omnes, qui ad Conventus ante dictos quacumque de causa perrexerint. Ejusmodi autem vices, & commissiones non demandentur, nisi Fratribus zelo, & gravitate præditis, atque erga Regularem Observantiam optimè animatis. IV. Cum Provincia Lombardiæ in plures Regiones, quas Quarteria appellant, partita sit, singulis autem Regionibus Vicarius præsit, qui absente Provinciali, subjectis sibi Conventibus advigilet prospiciatque; Nova Regio in eadem Provincia constituatur, Sanctæ Sabinæ nomine nuncupanda, in qua memorati Conventus comprehendantur, eique à Provinciali Vicarius præficiatur, qui tamen semper in aliquo ex novæ Regionis Conventibus commoretur. V. Tyrocinii Domus, sive Novitiatus purus in eodem Conventu Sanctæ Sabinæ conservetur pro tradendo Religionis habitu, ea prorsus ratione, qua, ad normam Decreti fel. record. Alexandri Septimi, fuerat ibidem constitutus antequam Conventus ille à Provincia separaretur. Provinciales autem pro tempore, quoad ejus fieri poterit, curent & satagant, ut quot in Novitiatu Cellæ sunt, totidem Tyrones in anno probationis ibi exercendos, destinent & adsignent. VI. Quoniam Affiliationes, quas vocant, strictiori disciplinæ laudatissimi Ordinis non adversantur; immo potius valde conducunt, ut Religiosi Observantiæ cultores retineantur in Conventibus, quibus per affiliationem fuerint adscripti, volumus & mandamus, ne quis in posterum ad habitum in nova Regione admittatur, nisi certo Conventui per affiliationem adscribatur, ejusdem quidem Regionis, si fieri possit, aut saltem Provinciæ, si tanto Religiosorum numero ejus Regionis Conventus abundent, ut novis affiliationibus locus esse non possit. Qui verò sine affiliatione ulla hactenus in Congregatione admissi sunt, illis Conventibus per affiliationem incorporati intelligantur, quibus in præsens adsignati inveniuntur. Præterquam si quis, antequam Congregatio erigeretur, per affiliationem jam fuisset alicui ex Conventibus sive hujus Regionis, sive Provinciæ affixus,

cui

cui semper affixum remanere decernimus; graviter interdicentes tam admissis, quàm admittendis, ne sine expresso Apostolico Beneplacito affiliationem suam ad Conventus alterius Regionis aut Provinciæ transferre valeant. VII. Juniores Religionem professi in Conventu Sanctæ Sabinæ, sive in aliis Conventibus ejusdem Regionis, in qua probationis domicilia fuerint benedicente Domino, utcumque multiplicata, ad colenda studia in solis ejusdem Regionis Conventibus assignentur. VIII. Methodus autem assignandi Studiorum causa juniores in nova hac Regione professos, diligentissimè teneatur, ac servetur per annos saltem quinque ab emissa professione numerandos, quo temporis spatio minimè liceat Priori Provinciali ad alterius Regionis studia eosdem destinare, nisi quis fortasse ægrâ valetudine impar evaserit rigori Observantiæ diutiùs ferendo, tunc enim Prior Provincialis, quod facto opus erit, pro sua prudentia decernet; modo tamen causa infirmitatis probata sit testimonio subscripto, & jure jurando firmato à Fratribus Consilii illius Conventus, cui Professus valetudinarius adsignatus est. IX. Ut quæ de Studiorum domicilio præscripsimus, firmiùs consistant, non solùm studia, quæ Materialia dicuntur, in nova regione stabiliantur; sed Formale etiam, quod appellatur, Studium in apto Conventu constituatur, in quo juniores triennale curriculum studii Theologici formalis explere possint, atque ad gradum Lectorum se rite comparare. In studio tamen Generali Bononiensi tam ad Studium formale, quàm ad Lectoris gradum, secundùm communes toti Provinciæ leges, examinentur & approbentur. X. Ubi studium formale novæ Regionis idoneo numero fuerit instructum ad formam cæterorum Provinciæ studiorum formalium; quemadmodum etiam ubi studiis materialibus suus non desit Studentium numerus; liceat quidem Priori Provinciali alios ultra numerum redundantes aliis studiis, præsertim formalibus Provinciæ assignare; si tamen in hisce aliis Conventibus Observantia vigeat per Sacram Congregationem Disciplinæ Regulari præpositam approbata, ac simul qui adsignandi sunt per integrum saltem quinquennium in observantia suæ regionis exerciti fuerint, & confirmati. XI. Pro studiis iisdem Lectores non designentur, nisi qui in eadem nova Regione habitum Ordinis induerint, atque in ea educati, & instituti sint. Quod si aliquando peculiaris causa postulet, ut ex alia Regione Lector assumatur, non aliter id fieri liceat, quàm si Lector ipse per integrum saltem annum jam antea laudabiliter vixerit in Conventibus novæ Regionis, sitque propenso studio erga observantiam affectus. XII. Priores Provinciales pro tempore operam libenter conferant, ut qui in aliis Provinciæ Conventibus educati sunt, ad studia novæ Regionis volentes transeant, curentque pariter, ut cæteris quoque fratribus cujuscumque conditionis aut gradus aditus pateat, si qui observantioris vitæ desiderio impulsi, ultro se ad novam Regionem transferre voluerint. XIII. Sub pœna nullitatis nemo eligatur, aut electus confirmetur in Priorem, aut quocumque titulo in Superiorem eorumdem Conventuum, qui habitum non susceperit, ac simul educatus non fuerit in hac nova Provinciæ Regione; aut saltem in eadem per quadriennii spatium antea non vixerit, ac sui pro observantia studii zelique specimen idoneum non præbuerit. Quod in Magistris etiam Novitiorum tam Simplicium, quàm Professorum eligendis, ac præficiendis observetur. XIV. Hujus novæ Regionis Alumni, qui in illa habitum, atque institutionem acceperint, pro quovis provinciæ Conventu eligi, confirmari & institui Priores possint, atque ad Lectoris, superioremque alium quemcumque gradum provehi, etiam in Generali Studio Bononiæ; nec non ad prædicandi verbi Dei, & alia quælibet munera, præsertim verò ad gravissimum Magistri Novitiorum tam simplicium, quàm professorum officium; ut Zelo, exemplo, ductuque suo per totam Provinciam observantiæ cultum diffundant, & augeant; quod est præcipuum nostræ sollicitudinis propositum, in hisce Capitulis sanciendis; quæ perpetuò, & inviolabiliter observanda præcipimus sub pœna indignationis nostræ, aliisque nostro, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis adversùs eos, qui illa vel in totum vel ex parte violare præsumpserint. Has igitur præsentes in forma Brevis literas, & quidquid in iisdem præscripsimus, firma & valida semper mansura decernimus, & ab illis, ad quos spectat, inviolabiliter observanda: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane esse, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim antedicti felic. record. Innocentii Papæ XII. nec non Ordinis, Congregationis, & Conventuum hujusmodi, aliisve etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, etiam ejusdem Ordinis Congregationi, & Conventibus, eorumque personis quibuslibet ac sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides adhibeatur, quæ ipsis Originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Collatâ itaque Zeli tui sedulitate, atque in mandatis nostris capessendis, & obeundis alacritate, ac vigilantiâ, plenè confidimus, fructum Paternæ sollicitudinis pro severioris disciplinæ incremento votis nostræ caritatis esse responsurum. Ac Tibi, Dilecte Fili, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die v. Junii 1726. Pontificatus Nostri Anno Tertio. 5. Junii 1726.

Carolus Archiep. Emissenus.

Loco † Annuli Piscatoris.

ANNO 1726.

Cum ad D. N. BENEDICTI XIII. notitiam pervenerit Bullam quæ incipit Ratio Apoſtolici miniſterii . . . . *in favorem* Tertiariorum ordinis Capucinorum *emanatam anno* 1726. *nono Kalendas Junias, non eſſe inſertam in Bullario quod* Luxemburgi *imprimitur, ideo ſua ſanctitas injunxit Em. D. Card. Secretario ſtatus, curam dare Illuſtriſſimo Domino* NUNTIO BRUXELLENSI *ut dicta Bulla apponatur, prout conſtat ex ſequenti Copia.*

Copia Epiſtolæ Eminentiſſimo Domino Cardinali Secretarii Status, ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Nuntium Bruxellenſem 26. Novemb. 1729.

Cum notitiam habuerimus Luxemburgi actualiter imprimi Bullarium in quo ſupponitur non inſerendam hic junctam Bullam (Ratio Apoſtolici miniſterii) *in favorem Tertiariorum ordinis Capucinorum emanatam, & quia reflectitur ex tali omiſſione poſſe dari prætextum impugnandi ſubſiſtentiam dictæ Bullæ, quæ ſicut omnes aliæ S. Domino noſtro in corde eſt, & omni ſua authoritate munita; ſua ſanctitas mihi injunxit J. D. V. curam dare procurandi ut dicta Bulla in editione facienda, uti & in omni altera in dictis partibus imprimenda, inſeratur, imo recurrendo (ſi opus fuerit) ad autoritatem Sereniſſimæ Archiduciſſæ, ſuorumque miniſtrorum interea J. D. V. hæc exequatur cui & auguro &c.*

Hæc copia concordat cum ſuo tranſumpto authentico mihi conceſſo ex Secretaria ſtatus, ac penes officium conſervando, in cujus fidem: Romæ 10. Decembris 1729.

Signatum erat
Fr. MAXIMILIANUS WANGHEN:
Aſſr. Provinc. German. ord.
Capucinorum.

Locus † Sigilli.

XXVII.

Pro Tertiariis Ordinis Fratrum Minorum beati Franciſci, qui Cappuccini appellantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Summus Pontifex diſcordias ex regularibus evellit.

Ratio Apoſtolici miniſterii, nobis, licet immeritis, à Chriſto Domino injuncti, exigit, ut litigia & diſcordias, quæ humani generis hoſte zizania ſuperſeminante, Ordines regulares; ad cœleſtium meditationem incumbentes; aliquando perturbant, omni cura evellere ſtudeamus, ne Dei cultus in ſacris viris frigeſcat, inque animis ſæcularium, qui eos inter ſe diſſidentes conſpiciunt, ſcandala propterea exoriantur.

II. Conſtitutio pro Tertiariis Minorum obſervantiam ad Tertiarios

Nuper admodum in Tertiariis, de *Pœnitentia* appellatis, ſub regimine Fratrum Minorum beati Franciſci, alias à regulari obſervantia nuncupatorum, viventibus, ſpirituale ſolatium, & pietatis fervorem augere ſtuduimus Apoſtolicis litteris noſtris, quæ incipiunt: *Paterna Sedis Apoſtolicæ providentia*, Romæ vulgatis anno Domini MDCCXXV. IV. idus Decembris, Pontificatûs noſtri anno ſecundo, quibus litteris immunitates, gratias, privilegia & indulta, ab anteceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus eiſdem Tertiariis conceſſa, renovavimus & confirmavimus, ſi alacrius & ſanctius Deo famulari pergerent. Sed poſtea non ſine admiratione atque animi noſtri moleſtia inde ortas altercationes audivimus, eaſdemque noſtras litteras, quæ unos Tertiarios, Fratribus Minoribus, à regulari obſervantia nuncupatis, ſubjectos reſpiciunt, contra mentem noſtram ad alios Tertiarios, ſub regula quidem beati Franciſci Deo famulantes, ſed ſpeciali nota dignos, inque iiſdem litteris noſtris minimè nominatos, aut comprehenſos, perperam detortas fuiſſe intelleximus: qui ſane Tertiarii Fratribus Minoribus, à regulari obſervantia nuncupatis, nullo modo ſubſunt; ſed Miniſtro generali Ordinis Fratrum Minorum beati Franciſci, qui Cappuccini appellantur, à quo, & ab ejus ſecundariis Miniſtris, in rebus ſpiritualibus directi, omnino dependent, atque habitum religioſum accipiunt.

ANNO 1726. Cappucinorum male detorta.

III. Congregationis conſultationi de rebus Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ decreta pro Tertiariis Cappuccinorum, confirmata à Clemente XI. Pont. Max.

Propterea huic errori & incommodo pro noſtrâ auctoritate & ſollicitudine proſpicere cupientes, eorumdem Fratrum Minorum beati Franciſci, qui Cappucini appellantur, jura & privilegia, ſæpe in judiciis contradictoriis coram venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, conſultationi de rebus Epiſcoporum & Regularium præpoſitis, plenè diſcuſſa, pontificioque oraculo, ac litteris Apoſtolicis à felicis recordationis Clemente Papa XI. anteceſſore noſtro confirmata atque approbata, nos præſentibus, perpetuum robur impoſterum habituris, poſt maturam deliberationem; motu proprio, & ex certa ſcientia, ad tollendas quaſcunque diſcordias, iterum munimus & approbamus, confirmantes omnia jura, immunitates, facultates, prærogativas, gratias, indulta & privilegia Miniſtro generali Ordinis Fratrum Minorum beati Franciſci, qui Cappuccini appellantur, competentia in conferendo eodem ſcapulari & cingulo Tertiariis ſibi ſubjectis, quæ omnia ei olim fuerint adjudicata, ejuſdemque Clementis Papæ XI. litteris confirmata, quarum tenor talis eſt:

CLEMENS PAPA XI.

ad futuram rei memoriam.

IV. Litteræ Clementis XI. pro Tertiariis Capuccinorum.

Emanarunt nuper à Congregatione venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, ad favorem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum ſancti Franciſci, Cappuccinorum nuncupatorum, Regni Sardiniæ, tria decreta, videlicet.

1. In cauſa, vertente inter Patres Minores Cappuccinos Regni Sardiniæ ex una, & Patres Minores de obſervantia ejuſdem Regni, ſeù &c. partibus, ex altera, de & ſuper infra ſcripto dubio, nempe, an Patribus Cappuccinis Regni Sardiniæ liceat diſpenſare, ſeu diſtribuere habitum ſeu ſcapulare parvum cum cingulo Sancti Franciſci ſæcularibus utriusque ſexûs in propriis domibus, & ſub juriſdictione ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarii, ſeu tertii ordinis; eoſque dirigere in ſpiritualibus juxta regulas dicti tertii ordinis in propriis Eccleſiis, in caſu &c.

2. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſs. S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & regularium præ-

posita

posita, partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Gabriellio, censuit, ac declaravit, comperere Patribus Cappuccinis facultatem conferendi scapulare cum cingulo S. Francisci, Romæ die xvi. Novembris MDCCIII. ...

3. Et die xxix. Februarii MDCCIV. denuò auditis Religionibus Patrum Minorum de observantia, & Patrum Minorum Cappuccinorum S. Francisci, referente eodem Eminentissimo Gabriellio, Eminentissimi Patres censuerunt, persistendum esse in decisis sub prædicta die xvi. Novembris MDCCIII. Romæ &c.

4. Die verò vi. Martii ejusdem anni MDCCIV. tertia vice proposita causa per eumdem Eminentissimum Gabriellium ad preces Procuratoris Generalis Commissarii Curiæ Minorum de observantia, & Procuratoris Generalis strictioris observantiæ Sancti Francisci, eadem sacra Congregatio censuit ac decrevit, extra dandum supra dictum Decretum Romæ &c.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco † Sigilli.

5. Cùm autem, sicut pro parte dilecti filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis nobis subinde expositum fuit, ipsa decreta hujusmodi, quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret; nos, ipsum modernum Procuratorem Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicto; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & omnibus, à jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes; & absolutum fore censentes; supplicationibus, ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; decreta præinserta auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium; decernentes, easdem præsentes litteras firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter, contigerit attentari: non obstantibus Constitutionibus ac ordinationibus Apostolicis: ac, quatenus opus sit, ordinum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis, statutis & consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 29. Martii MDCCIV. Pontificatus nostri anno quarto.

F. Oliverius.

V. Tertiarii Cappuccinorum ubicumque existentes ab eorumdem Fratrum Ministro Generali, & non ab alio, dependent.

Itaque hasce litteras Clementis Papæ XI. auctoritate nostra iterum nos confirmantes, statuimus & declaramus, Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum beati Francisci, qui Cappuccini appellantur, & secundariis superioribus, ab eodem Ministro generali dependentibus, tanquam veris & legitimis filiis beati Francisci, convenire & competere in quocumque loco, Civitate, Provincia, & Regno, etiam ubi alii Tertiarii ejusdem beati Francisci jam sunt, erigere, instituere & fundare tertium Ordinem beati Francisci pro quibuscumque piis & devotis personis sæcularibus utriusque sexûs, atque hujusmodi tertii Ordinis professoribus beati Francisci scapulare sive habitum cum cingulo conferre, in rebus spiritualibus eos dirigere in tertia regula beati Francisci observanda privatim & publicè docere, & instruere, ut pietatis & virtutum Deo gratos & uberes fructus, benedicente Domino, emittant.

VI. Tertiarii Cappuccinorum fruuntur omnibus indulgentiis & gratiis in reliquos Tertiarios Fratrum Minorum collatis.

Ad hæc volumus & declaramus, prædictos Tertiarios, seu tertii Ordinis beati Francisci professores, sub Ministro generali Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ejusque secundariis superioribus, omnino gaudere, atque uti posse & debere omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, favoribus, & prærogativis, per hanc Sanctam Apostolicam Sedem Ordini Tertiariorum à quocunque Ministro generali dependentium sub suo capite, qui unus est beatus Franciscus, aliàs concessis; volentes propterea, ut vicissim quilibet Tertiarii ejusdem Ordinis Minorum beati Francisci, præmissis gratiis gaudentes, ad eos transire licitè & validè possint, quorum statum saluti animæ suæ aptiorem & utiliorem in Domino, esse cognoverint. Prædicta verò universa ita, & non aliter judicari, & firma atque inconcussa ab omnibus haberi statuimus; non obstantibus ordinationibus & Constitutionibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque, quibus, quatenus opus est, derogamus, eaque annullamus, proque annullatis, derogatis & nullis hac in re haberi volumus; pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam, aliasque censuras prò nostro arbitrio iis interminantes, qui contrariè, vel temerario ausu ea impugnare præsumpserint, quæ hac nostra Apostolica Constitutione firmamus atque decernimus: ob cujus plenam perfectamque observantiam, auctoritate nostra præcipimus Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorumdem Vicariis & Ministris, ut pro horum executione tuenda auctoritate sua vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc, auxilio brachii sæcularis.

VII. His litteris omnimoda fides adhibeatur.

Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis Ministri, vel Procuratoris generalis dicti Ordinis Fratrum Capucinorum, sive Notarii publici subscriptis, & sigillo Officii ejusdem Ministri, vel Procuratoris generalis ipsius Ordinis, vel cujuscumque personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

VIII. Hanc Constitutionem nemo infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, præcepti & derogationis infringere, aut ei temerario ausu contraire, vel subreptionis, aut obreptionis notam impingere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

9. Kal. Junii 1726.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Dominicæ Incarnationis millesimo septingentesimo

ANNO 1726.

mo vigesimo sexto, nono Kalendas Junias, Pontificatûs nostri anno tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.
L. Martinettus.

Hoc transumptum conforme esse suo Originali fidem facio & attestor ex Officio. In nostro Immaculatæ Conceptionis Conventu de Urbe die quartâ Julii anno 1726.

Loco † Sigilli

F. CHERUBINUS A NOVE Rmi. P. Gnalis. *Socius à Secretis nec non in Curiâ pro Provinciis & Ditionibus Gallicanis &c.*

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Fidem facio per præsentes ego Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarius publicus infra scriptus; qualiter, porrecto pro parte Patris Procuratoris Generalis Fratrum Minorum S. Francisci Cappuccinorum supplici libello Sanctissimo Domino Nostro Papæ BENEDICTO XIII. mihi &c. originaliter exhibito cum petitione, ut interim, donec à Sancta Sede Apostolica decidantur nonnullæ dubitationes circà intelligentiam Bullæ per Sanctitatem Suam editæ incipientis: *Ratio Apostolici Ministerii*, nono Kalend. Junii 1725. sua Religio ad quietem, & salutem animarum plenè, & pacificè fruatur, ac frui possit circà Tertiarios B P. S. Francisci omnibus facultatibus, & gratiis, quæ Sanctitas Sua in eadem Bulla in favorem Ordinis Cappuccinorum clementissimè largita est, à tergo illius recognovi rescriptum per me diligenter de verbo ad verbum, nil addendo, vel minuendo, quod substantiam mutet, aut variet intellectum, sed prout jacet extractum tenoris sequentis, videlicet: *Ex Audientia Sanctissimi die 24. Mensis Septembris 1726. Sanctissimus annuit declarationi, quod per Constitutionem Sanctitatis Suæ favore PP. Ordinis Sancti Francisci de Observantia non fuit derogatum Privilegiis Ordinis Cappuccinorum vestiendi, & ad mittendi ad Professionem Tertiarios ejusdem Ordinis. N. Card. Coscia. Loco † Sigilli dicti D. Cardinalis.* Dictumque supplicem libellum, expleta dicta extractione, statim exhibenti restitui non solùm &c. sed & omni &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ hac die secunda Octobris anni 1726.

Ita est. Salvator Paparozzius Caus. Curiæ Cam. Apost. Not.

Nos ad præsens Cameræ Almæ Urbis, Inclytique Populi Romani Conservatores, universis fidem indubiam facimus, & sub verbo veritatis attestamur, supra dictum D. Salvatorem Paparozzium esse talem, qualem se suprà fecit, Rev. Cameræ Apostolicæ Notarium publicum legalem, authenticum, & fide dignum, scripturisque suis tam publicis, quàm similibus in judicio, & extrà semper adhibitam fuisse, & de præsenti plenam adhibere fidem. In quorum testimonium &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris Capitolinis, hac die 2. Octobris 1726.

Pro D. Secretario Nob. Collegii DD. NN CC. Urbis Philippus Cajetanus Diamila de mandato &c.

Concordat supra scriptum transumptum cum Originali in Archiviis Officii nostri asservato. Romæ 8. Octobris 1726.

Loco † Sigilli

F. BERNARD. PROC. Coms. Glis. Minor. Cappuc.

Ita est. F. CHERUBINUS A NOVE in Curia pro Galliis &c.

ANNO 1726.

XXVIII.

CONSTITUTIO

Qua Parochialium Ecclesiarum & Vicariarum rectoribus, extra mœnia Urbis constitutis, & æqua sustentatione carentibus, congrua portio adsignatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Rectoribus Ecclesiarum parochialium congrua sustentatio debetur.

Pastoralis nostra sollicitudo exigit, ut in hoc præcipue excubemus, ne cura animarum in Ecclesiis parochialibus hujus almæ Urbis, & extra ejus pomœria constitutis, neglecta & collapsa propterea concidat, quod earumdem Rectoribus congrua sustentatio desit, sine quibus eorum officium non eo, quo par est, zelo & pietate exerceri, ipsamque animarum salutem magnum discrimen incurrere, longa experientia didicimus. Antecessor quidem noster Pius Papa V. ut sacrosancti Concilii Tridentini decreta in usum induceret, varias in hujus almæ Urbis Ecclesiis perpetuas Vicarias, actualem animarum curam habentes, congrua & sufficienti portione adsignata, providè instituit. Alii quoque felicis recordationis antecessores nostri, Urbanus VIII. & Clemens XI. quasdam parochiales Ecclesias & Vicarias extra pomœria Urbis erexerunt, ut incolis suburbanis auxilia spiritualia, quacunque occasione, tam in doctrinæ Christianæ rudimentis rite explicatis, quàm in Dei verbo festis diebus ex ore sacrorum Ecclesiæ ministrorum audiendo, inque Christi Domini sacramentis, ex eorumdem manu recipiendis, prompte suppeterent.

II. Ecclesiæ parochiales & Vicariæ extra Urbis mœnia, quibus congrua portio non est adsignanda.

Nihilominus priusquam ad erigendas novas parochiales Ecclesias procedamus, in maturum examen vocari decrevimus, an revera hujusmodi Rectores, & Vicarii, olim, ut diximus, instituti, congrua & sufficienti sustentatione fruerentur; sique eis æqua & congrua ejusdem portionis adsignatio deesset, quonam pacto eis adsignari posset. Ad hanc rem penitus explorandam, S. R. E. Cardinalium & Prælatorum Congregationem habendam indiximus, quorum suffragia, & simul expositione n, hac de re literis traditam per eum ex Prælatis, qui eidem Congregationi fuit à secretis, attentè consideravimus. Quare uniformi suffragiorum & sententiarum tenore percepto, consilioque & approbatione totius Congregationis probe intellectis, in hanc determinationem devenimus, ut primo loco subsequentibus Vicariis & parochialibus Ecclesiis congruas portiones non esse adsignandas judicaremus, quia sufficienter dotatæ reperiuntur. Sunt verò

1. Beati Angeli ad Fornaces.
2. Beati Lazari.

Hæ duæ Vicariæ à Basilica Vaticana dependent.

3. Parochialis Ecclesia beatorum Laurentii & Urbani ad primam Urbis portam.
4. Vicaria beatæ Mariæ ad Magos, quæ à Basilica Lateranensi dependet.
5. Parochialis Ecclesia beati Sebastiani extra portam Capenam, ex Basilica Lateranensi olim dismembrata.

Secundo loco statuimus & declaramus, nullam congruam adsignandam parochiali Ecclesiæ Basilicæ sancti Pauli in via Ostiensi, olim dismembratæ ex diaconia beatæ Mariæ in Cosmedin. Siquidem cœnobium Monachorum Casinensium, ad quos eadem Basilica sancti Pauli pertinet, reditus & sufficientem portionem habet. Quare huic nulla congrua portio debetur. Pari modo parochiali Ecclesiæ beati Laurentii in agro Verano, quam regunt Canonici regulares sancti Sal-

vato-

vatoris, nullam congruam portionem adsignandam esse decernimus.

III. Ecclesiæ parochiales extra Urbis mœnia, quibus congrua portio adsignatur.

Tertio loco portionem, & congruam sustentationem subsequentibus Ecclesiis parochialibus adsignandam esse perspeximus; & hac nostra Constitutione adsignamus. Hæ verò sunt.

1. Parochialis Ecclesia beati Francisci in Monte Mario, quæ pertinet ad Congregationem Eremitarũ beati Petri de Pisis. Huic Parochiali Ecclesiæ, ejusque Rectori centum annua scuta argentea monetæ Romanæ pro congrua adsignari volumus & mandamus.

2. Parochialis Ecclesia beatæ Agnetis in via Nomentana, quæ pertinet ad Canonicos regulares sancti Salvatoris, annuam portionem congruam sexaginta scutorum argenteorum monetæ Romanæ omnino habeat.

Licet vero jam dicto parochialis Ecclesia beati Francisci in Monte Mario pro majori parte dismembrata fuerit ex parochiali Ecclesia beatæ Mariæ de Populo ad portam Flaminiam, quæ ad fratres Eremitas Augustinianos, Congregationis Lombardiæ nuncupatos, pertinet, ex qua Ecclesia altera quoque beatæ Agnetis in via Nomentana fuit dismembrata, unde censeri posset, utriusque parochialis Ecclesiæ Rectori congruam portionem ex fructibus Ecclesiæ matricis debere adsignari; nihilominus quia, re accurate perpensa, comperimus, Ecclesiam beatæ Mariæ ad portam Flaminiam redditibus non superabundare, nec ei tot fructus suppetere, quot necessarii sunt pro commoda primarii & secundarii sui Rectoris alimonia, ita ut absque detrimento rerum necessariarum pro decenti suorum ministrorum, qui curam animarum exercent, sustentatione, congruam portionem novis Rectoribus beati Francisci in Monte Mario, & beatæ Agnetis in via Nomentana de suo dare non possit; ideo sacrorum Canonum dispositioni inhærentes, qui hoc casu matricem Ecclesiam à quacumque contributione eximunt, & parochianos obligant, ut congruam portionem novis Rectoribus de suo subministrent, nos præsentibus literis nostris, perpetuum robur imposterum habituris, statuimus & declaramus; ut centum annua scuta argentea monetæ Romanæ parochiali Ecclesiæ & Rectori beati Francisci in Monte Mario, & similiter scuta sexaginta alterius parochialis Ecclesiæ Rectori beatæ Agnetis in via Nomentana adsignentur ex divisione; Partitione & taxa, prædiis imponenda, quæ intra limites utriusque Ecclesiæ comprehenduntur, quum dictis Ecclesiis, aut matrici nullas decimas solvant.

Concil. Trid. sess. XXI. cap. IV.

IV. Directi domini prædiorum congruam solvant Rectoribus Ecclesiarum parochialiũ.

Volumus autem, ut per directos dominos eorundem prædiorum tota eadem taxa Ecclesiis, respective, solvatur. Si vero prædia à directis dominis in emphyteusin tradita fuerint; tunc decernimus, ut per emphyteutam rata ejusdem taxæ ita solvatur, ut dominus directus, qui totam taxam Ecclesiæ persolvit, pro rata, quæ contingit emphyteutam, ab hoc refici debeat: quæ refectio ut facilior evadat, statuimus, ut dum prædia taxantur, emphyteuta distinctim pro sua rata etiam taxetur. Pauperes tamen agricolas & vinearum cultores rerum inopia laborantes, qui propriis manibus & corporis assiduo labore sibi victum conquirunt, à quacunque ejusmodi congruæ portionis solutione immunes esse & fore Apostolica auctoritate declaramus, ac penitus eos eximimus.

V. Clausulæ derogatoriæ.

Præsentes verò literas ex eo etiam quod quicunque in præmissis interesse & rem habentes, aut habere prætendentes, illis non consenserint, & ad ea vocati non fuerint, & causæ, propter quas illa fiant vel facta sint, alias examinatæ, verificatæ & justificatæ non fuerint, seu alias ex quocunque alio capite vel causa, quantumvis legitima, vel juridica, de intentionis nostræ, vel quocunque alio defectu, notari, impugnari, retractari, annullari, vel invalidari, seu in jus vel controversiam vocari, aut ad viam & terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris vel facti remedium impetrari aut concedi, nullatenus posse decernimus, sed semper illas validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere debere: neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, Sedemque Apostolicam, sub quibuscunque verborum expressionibus & formis; ac cum quibusvis clausulis & decretis, pro tempore, quomodolibet factis, comprehendi vel confundi; sed ab illis semper excipi: & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, & plenarie reintegratas, ac de novo, & sub quacunque posteriori data, per beati Francisci in Monte Mario ac beatæ Agnetis in via Nomentana parochialium Ecclesiarum, prædictos respective, Rectores, nunc & pro tempore existentes, quandocumque eligenda, concessas esse, & fore; sicque per quoscunque Judices ordinarios Commissarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & definiendi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

VI. Urbis Vicario generali in spiritualibus committitur executio hujus constitutionis.

Quocirca dilecto filio nostro in Urbe prædicta, ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali, cui per easdem præsentes auctoritate nostra prædicta facultatem concedimus & impertimur, ut prædiis, quæ sub prædictis beati Francisci in Monte Mario & beatæ Agnetis in via Nomentana parochialibus Ecclesiis, respective, comprehenduntur, taxam prædictam eo modo, quo alias in hujusmodi; eventibus impositam fuisse cognoverit, respective, imponere libere, & licite valeat; per easdem præsentes etiam committimus, & mandamus, ut ipse per se vel alium, seu alios easdem præsentes & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit & quoties pro parte beati Francisci in Monte Mario & beatæ Agnetis in via Nomentana parochialium Ecclesiarum prædictarum, respective, pro tempore existentium Rectorum hujusmodi, fuerit requisitus, solemniter publicans, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos præmissorũ omnium & singulorum plenario effectu pacifice frui & gaudere, atque eis de portionibus prædictis integre responderi, non permittens illos super his à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari; contradictores quoscunque per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, ac manu regia compescendo; non obstantibus nostra & cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non testantium voluntatibus, aliisque dispositionibus, dictæque Urbis ac artis agrariæ in Urbe prædicta, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, respective, roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, Urbi & arti prædictis, ac Urbis populo, Senatori, Conservatoribus, nec non artis ejusdem Consulibus, artemque hujusmodi exercentibus, & quibuscumque Ecclesiis & Basilicis, etiam parochialibus, aut cujusvis ordinis & instituti monasteriis ac religiosis domibus, etiam mendicantium, Congregationi etiam undecim Congregationum nuncupatæ, Societati etiam Jesu, militiis etiam beati Johannis

Hierosolymitani, ac hospitalibus etiam nationalibus aut regularibus, etiam sancti Spiritus in Saxia, beati Antonii Viennensis, & generatim quibuscumque locis piis, quomodolibet nuncupatis, & quibusvis aliis personis, quomodolibet pariter nuncupatis, cujuscunque gradus & conditionis, etiam speciali mentione dignis, eis, eorumque prædiis ac bonis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis & insolitis ac irritantibus clausulis & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet, etiam pluries concessis, approbatis & innovatis: quibus omnibus & singulis, eorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

VII. Nemo his literis contradicere audeat.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, confirmationis, innovationis, sanctionis, declarationis, præcepti, decreti, & voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

13. Kalend. Aug. 1726.

Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem Anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, XIII. Kal. Augustas, pontificatus nostri Anno tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

VISA.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vicesimo sexto, Indictione quarta, die verò 6. mensis Septembris, Pontificatus autem SS. in Christo Patris & D. N. D. BENEDICTI divina providentia Papæ XIII. anno tertio, supra dictæ Literæ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum, Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis in locis solitis & consuetis per me Antonium Ursinum Apost. Cursorem.

Bandinus Cheti Curs. Mag.

XXIX.

Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri

BENEDICTI XIII. PONTIF. MAXIMI. *CONSTITUTIO.*

Pro Tertiariis Fratrum Minorum beati Francisci, qui conventuales appellantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Procemium.

Singularis devotio, quam erga beatum Franciscum, ordinis fratrum minorum in plures familias distincti, piissimum Conditorem, profitemur, jure exigit, ut universos tanti parentis Religiosos filios pari nostræ benevolentiæ significatione complectamur & omnia litium semina ex illis, qui sub ejus Regula Deo famulantur, prorsus evellere studeamus.

II. Constitutio edita pro tertiariis fratrum minorum observantium non respicit tertiarios fratrum minorum Conventualium.

Non modica quidem animi nostri molestia nuper accepimus, inter illos discordiæ occasionem inde ortam, quod per Constitutionem nostram, quæ incipit: Paterna sedis apostolicæ providentia, vulgatam IV. Idus Decembres, Anno Domini MDCCXXV. Pontificatus nostri secundo totius ordinis fratrum minorum beati Francisci, qui alias à regulari observantia nuncupantur, Ministro Generali & secundariis superioribus auctoritatem & jurisdictionem in suos Tertiarios, per felicis memoriæ antecessores nostros Romanos Pontifices traditam, confirmaverimus, ut per ejusdem beati Francisci vestigia gradientes, alacrius in Dei famulatu perseverarent, suique sanctissimi Institutoris Exempla aliis imitanda proponerent. Hanc enim Constitutionem tam luculentam, atque alienæ interpretationis expertem, quæ unos Tertiarios, Ministro Generali fratrum, minorum, qui à Regulari observantia nuncupantur, subjectos tantum respicit, & singulatim nominat, non verò alios, speciali nota dignos; nihilominus contra expressam mentem nostram, ad illos Tertiarios etiam, qui vivunt, semperque vixerunt, sub ministro Generali & secundariis superioribus fratrum minorum beati Francisci, qui Conventuales dicuntur, detortam fuisse intelleximus. Quare nos ipsi, quibus cura specialis incumbit, ut auctoritate nobis divinitus tradita, jus suum unicuique pro virili servemus, atque ordines regulares privilegiis, ob suarum virtutum merita sibi ab hac sancta apostolica sede concessis, pacifice in Domino utantur; huic dissidio post maturam deliberationem occurrere volentes, præsentibus litteris nostris, perpetuum robur imposterum habituris, motu proprio & ex certa scientia declaramus, sancimus, atque statuimus, uni Ministro Generali & secundariis superioribus ordinis fratrum minorum beati Francisci, qui conventuales dicuntur, non verò aliis auctoritatem & jurisdictionem in suos Tertiarios deberi & competere.

III. Privilegia per summos pontifices fratribus minoribus conventualibus concessa iterum confirmantur.

Hanc autem auctoritatem & jurisdictionem, iisdem fratribus Conventualibus piæ memoriæ Romani Pontifices antecessores nostri pluribus ab hinc sæculis apostolica largitate indulserunt, videlicet Innocentius IV. literis incipientibus: Vota Devotorum, datis Lugduni idibus Juniis anno Domini MCCXLVI. Pontificatus IV. Nicolaus IV. literis incipientibus: Unigenitus Dei filius, datis apud Urbem veterem VI. idus Augustas Anno MCCXC. Pontificatus III. Martinus V. literis incipientibus: *inter cætera* datis Romæ V. idus Decembres Anno 1425. Pontificatus X. & Sixtus IV. literis incipientibus *Romani Pontificis providentia*, datis Romæ 18. Kalend. Januarias Anno 1475. pontificatus I. quare nos quoque decessorum nostrorum gestis inhærentes, eorumdem Apostolicas literas, jam recensitas, auctoritate nostra iterum confirmamus, inque suo primævo robore nunc, & deinceps manere volumus: ideoque approbantes, atque iterum confirmantes omnem potestatem, auctoritatem & jurisdictionem in eosdem Tertiarios Ministro Generali cæterisque secundariis superioribus ordinis Fratrum minorum Conventualium beati Francisci, ab antecessoribus nostris olim concessam, omnes-

que

que facultates, exemtiones, prærogativas, Indulgentias, & præeminentias, in prædicta Constitutione nostra, Paterna sedis Apostolicæ providentia, ministro Generali totius ordinis fratrum minorum, beati Francisci, qui observantes dicuntur, in proprios Tertiarios à nobis indultas, pariter indulgemus easdemque extendimus ad Ministrum generalem fratrum minorum, qui Conventuales dicuntur, super Tertiarios, eidem ordini & ministro Generali subjectos; volentes præterea & statuentes, ut hi Tertiarii subsint uni eidem ministro Generali fratrum minorum Conventualium, præterea Nemini; utque ad unum eundem ministrum Generalem dumtaxat, & non ad alium quemcumque, in quibuscumque locis, Civitatibus, provinciis & regnis, etiam ubi alii Tertiarii sunt, spectet instituere, condere & propagare eundem suum ordinem, utriusque sexus Tertiariorum, de pœnitentia nuncupatum; quæque illorum profectum spiritualem respiciunt, stabilire & decernere, illos corrigere & reformare, & omnia disponere, quæ jam laudata Constitutio nostra Ministro Generali fratrum minorum observantium in proprios Tertiarios disponenda concedit. Etenim æquum est, ut ministro Generali ordinis Fratrum minorum Conventualem beati Francisci, qui inter cæteros ordines, sub uno & eodem Seraphico patre, & capite Deo famulantes, vetustissimus est, omnem jurisdictionem, auctoritatem, facultates & gratias in tertii ordinis, ab eodem celeberrimo Confessore instituti, pœnitentis, indulgeamus, quæ aliis fratribus muneribus indultæ fuerunt, maxime cum ejusdem Seraphici patris & Confessoris Corpus requiescat in eorumdem fratrum Conventualium Basilica Cœnobii Assisiensis, quam propterea esse caput, & matrem totius ordinis fratrum minorum felicis recordationis antecessores nostri Romani Pontifices suis Apostolicis literis decreverunt, nimirum Gregorius IX. Incipientibus: is, qui Ecclesiam suam, datis Laterani X. Kalendas majas Anno MCCXXX. Pontificatus IV. Clemens IV. literis pariter incipientibus: is, qui Ecclesiam suam, datis Perusiæ XVII. Kalendas majas Anno MCCLXVI. pontificatus II. Nicolaus III. literis incipientibus: Gloriosissimi Confessoris, datis Reate pridie idus majas MCCLXXVII. Pontificatus I. & Sixtus IV. literis incipientibus: ad Insignem, datis Romæ VI. idus Decembres Anno MCCCCLXXX. pontificatus V.

IV. Tertiarii fratrum minorum conventualium fruantur privilegiis & gratiis spiritualibus, quæ cæteris tertiariis concessæ fuerunt.

Volumus etiam, decernimus, atque statuimus, ut Tertiarii, directioni Ministri Generalis fratrum minorum Conventualium subjecti, omninò gaudeant & fruantur omnibus exemtionibus, immunitatibus, prærogativis, indulgentiis, privilegiis, gratiis & favoribus spiritualibus & temporalibus, quas Antecessores nostri Romani Pontifices iisdem largiti fuerunt, qua propter has iterum approbamus, confirmamus, atque concedimus, easdemque etiam omnes & singulas, quas pridem concessimus in eadem Constitutione nostra, quæ incipit: Paterna sedis Apostolicæ providentia; decernentes tamen & declarantes, ut quacunque consuetudine in contrarium non obstante, memorati Tertiarii, directioni & correctioni Ministri Generalis fratrum minorum Conventualium subjecti, vestes religiosas, colore & forma tertiariis proprias, induant, eo prorsus modo, quem Romani Pontifices suis Apostolicis literis observandum præscripserunt, ad hoc, ut iisdem indulgentiis & gratiis frui possint.

V. Clausulæ derogatoriæ & Censuræ in contra-facientes.

Hæc verò universa Ministro Generali fratrum minorum Conventualium in Tertiarios ei subjectos, præsentibus literis nostris concessa, ita, & non aliter judicari & firma, atque inconcussa ab omnibus haberi statuimus; non obstantibus ordinationibus, & constitutionibus apostolicis aliisque contrariis quibuscumque, quibus quatenus opus est, derogamus, easque abrogamus, proque abrogatis, derogatis & nullis hac in re haberi volumus; pœnam Excommunicationis ipso facto incurrendam aliasque censuras pro arbitrio nostro iis interminantes, qui contraire, vel temerario ausu ea impugnare præsumpserint, quæ hac nostra Constitutione firmamus atque decernimus: ob cujus plenam perfectamque observantiam injungimus venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & eorumdem Vicariis & ministris, ut pro horum omnium plena executione tuenda, auctoritate sua vigilent, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio brachii sæcularis.

VI. His literis fides ubique adhibeatur.

Volumus autem, ut præsentium literarum transumtis, seu exemptis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis, Ministris vel procuratoris generalis dicti ordinis fratrum minorum Conventualium, sive Notarii publici subscriptis, & sigillo officii ejusdem ministri vel procuratoris generalis ipsius ordinis, vel cujuscumque personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

VII. Nemo has literas infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, declarationis, confirmationis, innovationis, concessionis, decreti, voluntatis, præcepti & derogationis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

9. Julii 1726.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Dominicæ Incarnatiouis millesimo, septingentesimo vicesimo sexto, tertio nonas Julias pontificatus nostri Anno tertio.

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro Domino Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

VISA.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXX.

Bulla Benedicti XIII. quâ Consultores Regularium inservientes Indici Librorum prohibitorum debent manere in Urbe Roma modo solvant pensionem annualem domus in quâ habitant.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs fel rec. Clementi P. P. X. Prædecessori nostro pro parte tunc existentium Consultorũ Congregationis etiam tunc existentium S. R. E. Cardinalium Indicis Librorum prohibitorum, & expurgandorũ præpositæ exposito, quod rec. mem. Alexander P. P. VII. pariter Prædecessor noster, Anno 1659. decreverat, & declaraverat, non licere Superioribus Regularibus removere ab Urbe, ac à suis Conventibus suos

Subditos Regulares inservientes dictæ Congregationi in Officio Judicis Consultorum, quia talis remotio cedebat in præjudicium ipsius Congregationis, quæ alios Consultores inexpertos, veteranis, & expertis substituere constringebatur, hocque decretum Superioribus eorumdem Regularium à tunc itidem existente Congregationis prædictæ Secretario intimatum fuerat, dicti verò exponentes, quò quietiùs, majorique studio huic Sanctæ Sedi obsequium præstare valerent opportunè sibi in præmissis à præfato Clemente Prædecessore provideri plurimùm desiderabant; idem Clemens prædecessor justis eorumdem exponentium petitionibus favorabiliter annuere volens, supplicationibus etiam memoratorum Cardinalium nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ac suprà expressum Alexandri Prædecessoris decretum approbans, & confirmans, omnibus, & singulis tam tunc præsentibus, quàm futuris Superioribus Generalibus, & Provincialibus, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti Auctoritate Apostolica præcepit, & mandavit, ut tunc, & pro tempore existentibus Consultoribus Regularibus Congregationis prædictæ suis respectivè Subditis Conventualitatem in Collegiis, seù Domibus Regularibus in Urbe prædicta existentibus, in quibus literarum studia vigerent, quò commodiùs ejusmodi studiis, dictæque Sedis obsequiis incumbere valerent, si adessent, sin minùs in aliis Monasteriis, Conventibus, seù Domibus Regularibus suorum respectivè Ordinum, Congregationum, & Institutorum in eadem Urbe positis, absque ulla mora, vel tergiversatione concederent, & assignarent; ipsos autem Consultores indè nisi causis ab eadem Cardinalium Congregatione, illiusque Secretario pro tempore existente benè examinatis amoveri nullo modo posse auctoritate prædicta statuit, & ordinavit, & aliàs proùt in prædicti Clementis Prædecessoris literis die 5. Decembris MDCLXXIII. desuper in simili forma Brevis expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberiùs continetur. Hinc est, quod Nos præmissorum robori, & inviolabili observationi opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, enarratas Clementis Prædecessoris literas auctoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac quatenùs etiam opus sit innovamus. Præterea, ne privilegium hujusmodi Consultoribus dictæ Congregationis per supra dictas literas concessum, Conventibus, & Domibus Regularibus onerosum sit, eisque ab illa obedientia, quam professi sunt se se subtrahendi stimuli addantur, Motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præcipimus, & mandamus, ut in posterum unus dumtaxat ex Ordinibus Regularibus Congregationis prædictæ Consultor esse, ac ejusmodi privilegio frui possit, illoque vivente, alii, qui ad Consultoris munus hujusmodi assumpti fuissent, eodem privilegio potiri nequeant, sed in eadem Urbe de Superiorum suorum licentia permanere volentes, Conventibus, qui ab iisdem Superioribus collocabuntur, alimenta ad rationem duorum juliorum singulis diebus persolvere teneantur, & inde à suis Superioribus totiès, quotiès ipsis benè visum fuerit, etiam extra eamdem Urbem mitti possint, nec isti privilegium prædictum etiam à Nobis, & Romanis Pontificibus successoribus nostris absque speciali derogatione, & præsentium nostrarum Literarum mentione impetrare queant. Declarantes ulteriùs, quod ejusmodi privilegium Consultoribus prædictæ Congregationis dumtaxat concessum sit, & quod tam memorati Consultores privilegio hujusmodi gaudentes, quàm pariter alii illo minimè fruentes socium sibi addictum habere, nec postulare valeant, sed illum volentes, & à suis Superioribus permissum, alimenta pro eodem socio, sicut præmittitur, præstare debeant. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac prædictis Consultoribus Regularibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, aliosve quoslibet quâcumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit quorumvis Ordinum, Congregationum, Institutorum, Provinciarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, & Domorum Regularium, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Institutis, Monasteriis, Provinciis, Conventibus, Collegiis, & Domibus Regularibus, illorumque Superioribus Generalibus, & Provincialibus, aliisque Personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, ac pluriès confirmatis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, & de verbo ad verbum,non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Secretarii supra dictæ Cardinalium Congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1727. Pontificatus Nostri Anno quarto. 21. Aug. 1727.

F. Card. Oliverius.

XXXI.

De beato Jacobo à Marchia ordinis Fratrum Minorum, qui à regulari Observantia nuncupantur, sanctorum confessorum canoni per eumdem adscripto die 10. Decembris anni 1726.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Servorum Dei merita per summum Pontificem toti Ecclesiæ manifestantur.

SUmmi Dei gloria maxime postulat, ut Romanus Pontifex, auditis magnis virtutibus & miraculis, quæ Christus Dominus per servos suos operari dignoscitur, illorum memoriam super candelabrum totius Ecclesiæ collocari decernat, unde universis Christi fidelibus clara lux effundatur, qua per viam salutis tuto ambulantes, eorumdem exemplis & patrocinio in superna tabernacula perduci mereantur.

II. Jacobi à Marchia ortus, vitæ ratio, pie acta, obitus, miracula, & veneratio.

Itaque nos animo revolventes, beatum virum Jacobum à Marchia, Christianis virtutibus, signisque, omnipotentis Dei manu per merita ejus patratis, excelluisse, quem in Piceni agro Asculano ortum anno Christi Domini MCCCXCI. pieque educatum, inter suos excepit ordo Fratrum Minorum, qui à regulari observantia nuncupantur, in hanc deliberationem maturo consilio devenimus, ut eum, cœlestium donorum copia spectatissimum, aspero vitæ genere insignem, & compluribus Legationibus pro re Christiana susceptis de Ecclesia præclarè meritum, ac jamdudum beatis adnumeratum, in plenario conventu sanctorum confessorum canoni adscriberemus. Etenim Dei virum beati Bernardini Senensis discipulum, inque avertendis ab agro Dominico ingruentium contagionum afflatibus, beati Johannis à Capistrano socium, magna quæque commendant; quippe quem ut vitæ sanctimonia percelebrem, à Cæsaribus, Regibus & Principibus pro religionis causa expetitum, septemque decessorum nostrorum piæ recordationis Romanorum Pontificum, Martini V. Eugenii IV. Nicolai V. Calixti III. Pii II. Pauli II. & Sixti IV. Legationes contra hæreticos Fraticellos, Manichæos redivivos, Patarenos, Hussitas, Thaboritas & Turcas ipsos, magna doctrinæ & zeli Apostolici laude in Italia, Pannonia, Germania, Bohemia & Sarmatia, per innumera vitæ pericula, obeuntem, universa Ecclesia mirata est. Quare probatissimum virum, qui multis magnisque meritis plenus VI. Kalendas Decembres anno MCCCCLXXV. Neapoli in Campania obdormivit in Domino, perplura miracula nutu divino per eum patrata, sacris illius exuviis in æde Sanctæ Mariæ novæ corruptionis expertibus ac suavi & perenni odore perfusis, undequaque inclytum reddiderunt: quas quidem exuvias nos ipsi, adhuc in minoribus constituti, hisce manibus contrectantes, carissimo in Christo filio nostro Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico venerandas ostendimus. Hinc factum, ut Carolo V. Romanorum Imperatore, apud felicis memoriæ antecessorem nostrum Clementem Papam VII. flagitante, de Jacobo inter Sanctos referendo actum fuerit; atque iterum Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico adnitente apud similis memoriæ decessores Paulum V. & Urbanum VIII. qui Jacobi virtutibus & miraculis comprobatis, officium de eo recitare, missamque in ejus honorem, universo ordini Fratrum Minorum, ac toti civitati & diœcesi Neapolitanæ, cujus patronus electus fuerat, decreto Apostolico celebrare permisit.

III. Beatus Jacobus sanctis adscribitur.

Deinde novis miraculis post Jacobi beatificationem per venerabiles fratres nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales coram nobis in examen adductis, decessorumque nostrorum constitutionibus respondere omnino repertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, quum pro beato Jacobo sanctorum confessorum fastis adnumerando Regum & Principum Christianorum supplicationibus sanctæ Apostolicæ Sedi porrectis, etiam ordo Fratrum Minorum cum Neapolitana & Asculana civitatibus suas adjunxissent, solemni cæremoniæ & maximo ritui de more complendis die indicta, perque orationes, jejunia & eleemosynas, ope omnipotentis Dei ferventissime implorata, ac universis, quæ ex S. R. E. disciplina peragenda erant, religiose peractis, tandem hac die in honorem antecessoris nostri pontificis & martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, nos ipsi una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei Jacobo à Marchia in sanctorum confessorum canonem referendo, per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, repetitis precibus, post cantatas de more orationes, & Spiritus sancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Jacobum à Marchia ordinis Fratrum Minorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat & constat, una cum beatis Thuribio Archiepiscopo Limano confessore pontifice, & Agnete Politiana virgine nostri ordinis Prædicatorum, Sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis IV. Kal. Decembres, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari possint.

IV. Indulgentiæ ejus exuvias visitantibus concessæ.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Jacobi à Marchia quotannis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

V. Missa celebrata à Pon-

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam

ANNO 1726.

ANNO 1726.

tifice in ejus honorem.

suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Jacobi à Marchia, Thuribii Archiepiscopi Limani, & Agnetis Politianæ solemni oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus, cum ejusdem confessoris & ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

VI. Deus glorificandus ob beatum Jacobum.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Jacobi à Marchia, à peccatis nostris indignationem suam avertens ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

VII. His literis ubique fides adhibeatur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

VIII. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

4. Idus Decemb. 1726.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, IV. idus Decembres, Pontificatus nostri anno tertio.

✠ *Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

†
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tit. sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
†
†
† Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.
† Ego Frater Augustinus Tit. sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.
†
†
† Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†

†

†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXII.

De beata Agnete ordinis Prædicatorum ex monte Politiano in Tuscia, sanctarum Virginum canoni per eundem adscripta die 10. Decembris anni 1726.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Sanctæ Virgines præ aliis Deo caræ. *S. Ambrosii exhortatio virginitatis cap. v. Exod. xv. 20. Luc. I 27. 2. Cor. XI. 2. Isai. XXXVII. 22. Apoc. XXI. 27.*

IN omnium sanctorum, sed præcipue Dei Virginum, meritis celebrandis, Deum ipsum glorificari constat, qui publicæ salutis palmam semper Virginibus dedit. In veteri Testamento filios Israel, terra marique clausos, Virgo pedes per mare duxit incolumes. In Evangelio auctorem mundi, & Redemptorem nostrum Virgo genuit. Virgo est Ecclesia, quam Paulus Apostolus castam Virginem Christo Domino exhibuit. Virgo quoque est filia Sion, Virgo est cœlestis illa Hierusalem, in quam nihil commune, nihil immundum ingreditur. Virgines demum Dei sponsas, sacrata Deo corpora, Dei templa ab Ecclesia catholica passim dici non ignoramus.

II. Beatæ Agnetis Politianæ ortus, sanctitas, & miracula.

Ex his una beata Agnes in nostro ordine Prædicatorum quatuor ab hinc sæculis floruit, orta in agro montis Politiani in Tuscia anno salutis MCCLXVIII. eximiisque virtutibus, quas majores nostri in Dei Virginibus laudaverunt, ante faciem Domini summe conspicua. Hanc à prima ætate luculentis futuræ sanctimoniæ præsagiis, multoque signorum numero & claritate Deus illustravit, præsertim ubi, etiamnum adolescentula, religiosum institutum amplexa est. Ex patrio enim monasterio ad aliud Proceni in agro Urbevetano exstruendum missa, eidem exstructo præfecta est, ubi annis quindecim pane & aqua jejunavit, more futuri parentis sui beati Dominici confessoris humi cubans, nec nisi majorum imperio sibi gratissimum vitæ ordinem mutare visa. Orationi tam ferventer inhæsit, ut Deus ancillam suam à solo extolleret, ac cœlesti manna, quasi nive, tunicam ei non semel contegeret; immo & Ecclesiam ipsam mannæ granis, figuram crucis referentibus, Episcopo ad Agnetem solemni cæremonia consecrandam accessuro, conspersit. Ei secreta cœlestia patuerunt; & princeps tenebrarum, ea veniente, ex corporibus ab se truculenter obsessis, procul fugere coactus est. Tanto Dei amore flagravit, ut nocte assumtæ in cœlum beatæ Mariæ Virginis infantem Jesum inter ulnas matris videre meruerit. Ex quamplurimis gratiæ suæ donis, quibus Dominus ancillam suam cumulavit, omnium maximum præterire non licet, ei nimirum ab Angelo allatum Dominici corporis sacramentum. Sanctæ etiam Palæstinæ regiones, ubi Salvator conceptus, natus, conversatus & passus est, ut visitaret, à Domino cum lacrymis flagitanti, portiuncula terræ, Christi sanguine aspersæ, divinitus data est. De reliquiis quoque sanctorum Apostolorum Petri & Pauli idem ei contigisse proditum est: quibus & illud accedit, tanta in Deum fide excelluisse, ut oleum, panem & nummos multiplicare potuerit.

III. Ejus magnæ virtutes à dæmone formidatæ. Diem obitus sui prænunciat.

Quare Agnetis fama circumquaque diffusa, Politiani cives sibi eam restitui summis votis & precibus exorare non destiterunt, donec in patriam redux, inque visu à beatis viris Augustino, Francisco, & præcipue Dominico ad se illam attrahente, mirifice recreata, sibi & suis nutu Dei monasterium, sacramque ædem condere statuit, impuro feminarum habitaculo in piarum Dei Virginum domicilium ad honorem beatæ Mariæ Virginis sub regula ordinis Prædicatorum converso, quo in loco dæmones, corvorum specie unguibus & rostro Agnetem, adhuc adolescentulam, tanquam sibi aliquando infestam futuram, vexare tentaverant. Monasterio feliciter absoluto, invita, omnium consensu præficitur, ubi in dies Christianis virtutibus signisque, & prophetico etiam spiritu inclaruit. Tandem hora indicta, qua ad cœlestis sponsi nuptias propeRaret, peracerbis alias morbis piè constanterque toleratis, afflicta, decubuit, sumtisque magna religione Ecclesiæ sacramentis, sororesque, appropinquante sui transitu, mœstas solata, ac Dei patrocinio ob sanctam regulæ observantiam illis promisso, in earum amplexibus piè obiit XII Kalendas Majas anno Christi Domini MCCCXVII. prima Dei Virgo claustralis nostri ordinis Prædicatorum, multis post dormitionem suam miraculis clara, beatæ Catharinæ Senensis veneratione ac laudibus inclyta, & eundem ac Senensis Virgo, beatum Raymundum à Capua, totius postea Prædicatorum familiæ generalem magistrum, vitæ suæ scriptorem nacta.

IV. Summi Pontifices eam, ut sanctam Virginem, venerandam gnoscunt.

Ad sacras Agnetis exuvias corruptionis expertes, & mirifico rore assidue perfusas, ob beneficia à Deo per ejus intercessionem accepta, Christi fidelibus magna religione confluentibus, felicis recordationis decessor noster Clemens Papa VII. Apostolicis literis indulsit, ut Fratres Prædicatores, & Politiana Ecclesia ac cives beatæ Agnetis festum, officiumque solemniter celebrarent: quod similis memoriæ Clemens Papa VIII. adprobavit, lectiones proprias confirmans eodem festo die à toto Prædicatorum ordine recitandas in honorem Agnetis, quam piæ recordationis Gregorius Papa XIII. in Martyrologio Romano describi jusserat. Alii quoque antecessores nostri Romani Pontifices Pius Papa V. & Clemens X. compluribus, ex S. R. E. ritu editis indulgentiis, fidelium pietatem erga beatam Agnetem fovere studuerunt.

V. Ejus miracula post Clementem XI. BENEDICTUS XIII. in examen adducit, eandemque in sanctarum Virginum canonem refert.

Quibus omnibus sub similis memoriæ Clemente XI. discussis, Deique ancillæ virtutibus & miraculis, post concessum à Sede Apostolica ejus cultum, de more, coram nobis in examen adductis & veteri disciplinæ ac sanctorum Patrum constitutionibus respondere per omnia repertis, inque tribus consistoriis & plenario conventu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepisco-

Anno 1726.

piscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque & Principum Christianorum, atque ordinis Prædicatorum enixis precibus pro Agnete in sanctarum virginum non martyrum canonem referenda Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, nos demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri Pontificis & Martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum, Deo supplicantes, convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro beata Agnete Politiana in sanctarum virginum non martyrum canonem referenda precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam; ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio, & unanimi consensu, beatam Agnetem Politianam ordinis Prædicatorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene constabat & constat, una cum beato Thuribio confessore & pontifice Ecclesiæ Limanæ, & beato Jacobo à Marchia confessore non pontifice ordinis Minorum, Sanctam esse definivimus, sanctarum virginum non martyrum canoni adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eamdemque per universos Christi fideles, tanquam vere Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentū sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari possint, & quotannis XII. Kal. Majas, quo ad cælestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sanctæ virginis non martyris, celebrari possint.

VII. Pontifex sacras ejus exuvias visitantibus peculiares indulgentias concedit.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beatæ Agnetis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

VIII. Sacrosanctum missæ sacrificium in ejus honorem celebrat.

Postremò gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum, Agnetis Politianæ virginis, Thuribii confessoris pontificis, & Jacobi à Marchia confessoris, solemni oratione, in ara Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem virginis & ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

IX. Deus glorificandus in sanctitate beatæ Agnetis.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, omnium bonorum auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electæ suæ Agnetis virginis, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

X. Hæ literæ Apostolicæ ubique fidem obtineant.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XI. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

4. Idus Decemb. 1726.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, IV. idus Decembres, Pontificatus nostri Anno tertio.

✠ *Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.*



†

† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

†

† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.

† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.

† Ego Joseph Renatus Tit. sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.

†

† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.

†

†

†

†

†

†

† Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.

† Ego

† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.
† Ego Frater Augustinus Tit. sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.
†
†
† Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius S.R.E. Presbyter Cardinalis Cozza.
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†
†
†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXIII.

De beato Thuribio Archiepiscopo Limano in America, sanctorum confessorum pontificum canoni per eundem adscripto die X. Decembris Anno 1726.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Orationes Sanctorum quanti valeant apud Deum. *Apoc.* v. 8.

Quoniam Spiritus sancti oraculo per beatum Johannem Apostolum dictum est, odoramenta in phialis aureis visa coram Agno extincto, esse orationes sanctorum, quæ ad expiandas nostrorum criminum sordes ante conspectum Altissimi odorem suavitatis emittunt; ideo nos, quibus, licet immeritis, idem Spiritus sanctus regendæ totius Ecclesiæ curam injunxit, æternæ Christi fidelium saluti plurimum credimus expedire, si eorum memoriam solemnibus præconiis ubique celebrari decernimus, quorum assiduis deprecationibus & patrocinio gregem catholicum nostræ fidei commissum, in cœlo adjuvari speramus.

II. Beati Thuribii ortus, vitæ institutio & Archiepiscopatus sancte initus.

Itaque summa beati Thuribii merita & signa jamdudum apud hanc sanctam Apostolicam Sedem per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales sub piæ memoriæ antecessoribus nostris Romanis Pontificibus in longum examen adducta, nos, in beati Petri Apostolorum Principis cathedra, disponente Domino, vix constitutos, magnopere excitaverunt, ut de insigni viro publicis sanctorum honoribus honestando cogitaremus, quem Majoricæ, oppido Hispaniæ Tarraconensis in episcopatu Legionensi, xvi. Kal. Decembres anno Christi Domini MDXXXVIII. ex prænobili Mogroveja gente ortum, per vias Domini perpetuò ambulantem, inque omnium virtutum stadio laudabiliter proficientem, Hispania primum, & postmodum oræ Americanæ, quas Indias occidentales vocamus, conspicere meruerunt. Is enim liberalibus disciplinis, & vere Christianis institutionibus educatus, doctrinisque evangelicis Salmanticæ optime instructus in collegio Ovetensi, ubi ejus brachium magna veneratione adservatur, ex sacro munere Apostolici Quæsitoris Fidei in Regno Granatensi, quod magna innocentia & pietate subibat, ad Archiepiscopalem cathedram Ecclesiæ Limanæ inscius atque onus refugiens Americanos populos pastorali officio recturus, divino consilio vocatus est, quò se vir Dei supremo nutu trahi sentiens, per ingentes difficultates, & vitæ pericula invicto animo properavit. Lima-

nam gentem moribus fœde corruptam, variisque superstitionibus turpiter inquinatam, ad Christianam pietatem alacriter excolendam summo studio traducere contendit, rebusque Ecclesiæ Limanæ dispositis, diœcesim & sacram provinciam nudis pedibus totam lustravit, unde factum, ut incredibilis Thuribii caritas vitia & mutua odia, quæ passim dominabantur, ex animis suæ plebis prorsus evelleret. Tum vir Dei prope gnarus, nihil aptius ad disciplinam, & Evangelii semina, quæ bonum fructum redderent, in agro Dominico seminanda, quam sacra Synodorum statuta, reperiri, mox ad presbyterorum & confratrum Episcoporum diœcesana & provincialia Concilia identidem celebranda omnem suam sollicitudinem vertit, quæ hujus etiam Sedis Apostolicæ munimine roborata, multa & probatissima habuit. Tum sacris viris & virginibus, pauperibus & infirmis præsenti ope consuluit, sibi ipsi pernecessaria in eorum usum impendens; unde christianitas illarum partium, Deo favente, mirifice aucta est, ita ut ad nongentos & eo amplius mille fideles salutari fonte renatos ipse unus per manus impositionem chrismatis sacramento confirmaverit. His ancilla Dei Rosa ex nostro ordine Prædicatorum, adnumeratur, quam postea signis æque, ac virtutibus claram, felicis recordationis antecessor noster Clemens Papa X. in sanctarum virginum canonem retulit.

III. Diœcesim perlustrans pie obiit, & beatis, ac postea sanctis adscribitur.

Interea Limanus pontifex ad sui gregis salutem impigre incumbens, diœcesim de more perlustrans, in oppido Sanræ lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sanctissimæ eucharistiæ & extremæ unctionis sacramentis probe munitus, fide & spe in Deum summe lætus, hilari vultu proximæ resolutionis suæ nuncium accepit, atque ingeminatis Davidicis verbis, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*, spiritum Deo commendans, sanctissimam efflavit animam x. Kalendas Apriles anno Christi Domini MDCVI. ætatis duodeseptuagesimo, Archiepiscopatus vicesimo quinto, Thuribii animæ in cœlum receptæ mirabilis Deus signis quamplurimis sanctitatem patefecit, Limæ præsertim, quo sacræ ejus exuviæ, prodigiis eas comitantibus, advectæ fuerunt. Quare eximiis servi Dei virtutibus per plura miracula comprobatis, piæ memoriæ antecessor noster Innocentius Papa XI. IX. Kalendas Julias anno Christi Domini MDCLXXIX. Thuribium beatis adscripsit, in ejus honorem sacris precibus & missæ sacrificio celebrari permissis; annoque insequenti in tabulas Martyrologii Romani cum beatis relatus est. Postmodum per nos ipsos, novis miraculis post ejus beatificationem patratis, æque discussis, inque tribus consistoriis & plenario conventu venerabilium fratrũ nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum Romæ præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, ac cleri, populique Limani precibus pro beato Thuribio in sanctorum confessorum pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & S.R.E. disciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem antecessoris nostri pontificis & martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis almæ domus Lauretanæ memoria recolitur, una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro viro Dei in sanctorum confessorum pontificum canonem referendo, precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Franciscum S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes, & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Thuribium Limanæ Sedis Archiepiscopum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat & constat, una cum beatis Jacobo à Marchia confessore ordinis Minorum, & Agnete Politiana virgine nostri ordinis Prædicatorum, Sanctum esse definivimus, sanctorum confessorum pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eumdemque per universos Christi fideles, tanquam verè Sanctum, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis quinto Kal. Majas, quo ejus exuviæ Limam translatæ sunt, Thuribii Limani festa solemnia, ut sancti confessoris & pontificis, celebrari possint.

IV. Indulgentiæ, sacrum ejus depositum visitantibus concessæ.

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Thuribii ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

V. Missa à summo Pontifice in sancti Thuribii, & aliorum honorem cantata.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Thuribii, Jacobi à Marchia, & Agnetis Politianæ solemni oratione, in ara Principis Apostolorum sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus, cum ejusdem confessoris pontificis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

VI. Insigne beneficium à Deo toti Ecclesiæ concessum in beato Thuribio.

Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus & glorificemus Deum Patrem, omnium bonorum auctorem, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Thuribii, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

VII. His literis ubique fides adhibeatur.

Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras literas ad singula loca, ubi opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

VIII. Nemo eas

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-

ginam

14. Idus Decemb. 1726.

ginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo sexto, IV. idus Decembres, Pontificatus nostri anno tertio.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



†
†
†
† Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
†
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tit. sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
† Ego Philippus Antonius Tit. Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
†
†
†
†
†
†
† Ego Annibal Tit. Sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tit. sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
†
† Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.
†
†

†
†
†
†
†
† Ego Nicolaus Tit. sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
†
†
†
† Ego Georgius Tit. sanctæ Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
† Ego Cornelius Tit. sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
†
†
† Ego Ludovicus Tit. sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
† Ego Joseph Tit. sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
†
† Ego Alvarus Tit. sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
† Ego Bernardus Maria Tit. sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
† Ego Joannes Baptista Tit. sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius Tit. sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
† Ego Prosper Tit. sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marefuscus.
† Ego Frater Augustinus Tit. sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia.
†
†
† Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
† Ego Frater Laurentius S.R.E. Presbyter Cardinalis Cozza.
†
† Ego Benedictus sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
† Ego Laurentius sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
†
†
†
† Ego Julius sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
† Ego Alexander sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
† Ego Nicolaus sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
†
†
†
†

P. Cardinalis Prodatarius.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emissenus.

VISA.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXIV.

Qua universa privilegia, indulta & gratiæ Apostolicæ, ordini Fratrum Eremitarum sancti Augustini olim concessa iterum confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Summorum Pontificum amor erga ordines regulares.

Libenter ea largiri consueverunt Romani Pontifices, quæ pietatem & regularem observantiam in religiosis ordinibus augere possunt, quæque immunitates & privilegia, eorundem meritis & virtutibus ita exigentibus, concessa respiciunt, ut hoc Pacto Apostolicis gratiis ornati, alacrius in assiduo Dei cultu, & fideli Ecclesiæ famulatu, Deo dante imposterum perseverent.

II. Privilegia à summis Pontificibus concessa ordini Augustiniano, iterum confirmantur.

Itaque olim complures Romani Pontifices prædecessores nostri, paterno Apostolicæ benignitatis instinctu, ordinem Fratrum Eremitarum sancti Augustini Hipponensis Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, illiusque monasteria, Ecclesias, provincias, domos regulares, Congregationes, grangias, cappellas, priores, aliosque superiores & fratres, ab eodem ordine quomodolibet dependentes, multiplicibus privilegiis, indultis, gratiis, exemtionibus, immunitatibus, indulgentiis, aliisque concessionibus, per diversas infra scriptas suas literas, perpetuo decorantes, beneficentiæ suæ donis cumulaverunt. Pontifices verò earundem literarum auctores hi sunt, quorum seriem hic damus:

1. Felicis recordationis Gregorius Papa IX. per suas, incipientes: *Sacrosancta Romana Ecclesia*, Laterani sexto Kalendas Decembris, pontificatus sui Anno primo.

2. Innocentius Papa IV. per quasdam, incipientes: *Quoniam ait Apostolus*; ac alias, incipientes: *Religiosam vitam eligentibus*, Laterani sexto Kalendas Maji, pontificatus sui anno primo; ac per alias, incipientes: *Qua ex Apostolici cura*, Lugduni decimo tertio Kalendas Maji ejusdem pontificatus sui anno octavo; ac per alias pariter, incipientes: *Admonet nos cura*, Perusii decimo septimo Kalendas Maji, pontificatus etiam sui anno undecimo.

3. Alexander Papa IV. per quasdam incipientes: *Religiosam vitam eligentibus*, Anagniæ tertio Kalendas Augusti; & alias, incipientes: *Quanto studiosius*, Neapoli decimo tertio Kalendas Aprilis; ac alias, incipientes: *Cum ex Apostolici cura*, Anagniæ septimo Kalendas Julii, pontificatus sui anno primo; aliasque, incipientes: *Ut eo fortius*, Laterani idibus Aprilis; ac etiam alias, incipientes: *Vobis assiduè*, etiam Laterani quinto Kalendas Maji; ac alias, incipientes: *Cœlestis amor patriæ*, etiam Laterani tertio Kalendas Maji, pontificatus sui anno secundo; aliasque, incipientes: *Oblata nobis ex parte vestra petitio*, pariter Laterani duodecimo Kalendas Maji; ac alias, incipientes; *Meritis vestræ religionis*, Viterbii tertio idus Junii, pontificatus sui anno tertio. Idem alias, incipientes; *Inducunt nos*, etiam Viterbii nonis Julii, pontificatus sui anno quarto: cum aliis, incipientibus: *Vitæ perennis gloria*, Anagniæ idibus Julii pontificatus sui anno quinto.

4. Clemens Papa IV. etiam per quasdam, incipientes: *Devotionis augmenta*, Perusii decimo Kalendas Julii, pontificatus sui anno primo; aliasque, incipientes: *Pacis vestræ quærentes*, Viterbii quinto idus Julii; aliasque, incipientes: *Quasdam literas*, etiam Viterbii idibus Julii, pontificatus sui anno secundo.

5. Honorius Papa IV. etiam per quasdam, incipientes: *Pro reverentia beati Augustini*, Romæ apud sanctam Sabinam decimo Kalendas Junii, pontificatus sui anno secundo.

6. Cœlestinus Papa V. etiam per quasdam, incipientes: *Cum sollicitæ considerationis*, Neapoli quinto Kalendas Decembris; aliasque, incipientes: *Ex parte dilectorum filiorum*, item Neapoli nonis Decembris, pontificatus sui anno primo.

7. Bonifacius Papa VIII. etiam per quasdam, incipientes: *Sacer ordo vester*, Laterani duodecimo Kalendas Februarii, pontificatus sui anno quarto; aliasque, incipientes: *Inter sollicitudines nostras*, etiam Laterani, decimo septimo kalendas Februarii, pontificatus sui anno octavo.

8. Benedictus Papa XI. etiam per quasdam, incipientes: *Licet ad hoc*, Laterani quarto idus Februarii, pontificatus sui anno primo.

9. Johannes Papa XXII. etiam per quasdam, incipientes: *Veneranda Sanctorum Patrum*, Avenione decimo quarto Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno sexto.

10. Innocentius Papa VI. etiam per quasdam, incipientes: *Religionis favor*, Avenione decimo sexto Kalendas Februarii, pontificatus sui anno primo.

11. Gregorius Papa XI. etiam per quasdam, incipientes: *Ad Romani Pontificis Providentiam*, Avenione quinto idus Novembris, pontificatus sui anno tertio.

12. Urbanus Papa VI. etiam per quasdam, incipientes: *Solet annuere*, Perusii tertio Kalendas Maji, pontificatus sui anno undecimo.

13. Bonifacius Papa IX. etiam per quasdam, incipientes: *In sinu sedis Apostolicæ*, apud sanctum Petrum septimo idus Novembris; ac alias, incipientes: *Licet is, de cujus munere venit*, etiam apud sanctum Petrum Kalendis Martii; aliasque incipientes: *Pro singulorum fidelium*, etiam apud sanctum Pettrum undecimo Kalendas Maji, pontificatus sui anno undecimo.

14. Martinus Papa V. etiam per quasdam, incipientes: *Sinceræ devotionis*, Romæ apud sanctos Apostolos nonis Novembris, pontificatus sui anno octavo; ac alias, incipientes: *Ad circumspectam Romani Pontificis*, etiam Romæ apud sanctos Apostolos sexto idus Junii, pontificatus sui anno nono; aliasque, incipientes: *Romani Pontificis providentia*, etiam Romæ, apud sanctos Apostolos nonis Junii, pontificatus sui anno decimo.

15. Nicolaus Papa V. per quasdam, incipientes: *Dispositione divina*, apud sanctum Petrum decimo sexto Kalendas Junii; & alias suas, incipientes: *Regimini universalis Ecclesiæ*, apud sanctum Petrum quinto Kalendas Decembris, pontificatus sui anno quinto.

16. Pius Papa II. etiam per quasdam, incipientes: *Sacræ Religionis sinceritas*, Senis undecimo Kalendas Aprilis, pontificatus sui anno sexto.

17. Xystus Papa IV. etiam per quasdam, incipientes: *Inter præcipuas nostri pectoris curas*, apud sanctum Petrum decimo Kalendas Januarii; ac alias, incipientes; *Ineffabilia gloriosæ Virginis*, etiam apud sanctum Petrum septimo idus Septembris; ac alias, incipientes: *A Sede Apostolica*, etiam apud sanctum Petrum quarto idus Octobris, pontificatus sui anno secundo; ac alias; *Mare magnum*, nuncupatas, incipientes: *Dum fructus uberes*, etiam apud sanctum Petrum septimo idus Februarii, pontificatus sui anno quarto; ac alias, incipientes: *Inter præcipuas nostri pectoris curas*, etiam apud sanctum Petrum

sexto Kalendas Decembris, pontificatus sui anno septimo; ac alias, incipientes: *Cum ineffabilia*, etiam apud sanctum Petrum decimo Kalendas Julii, pontificatus sui anno octavo.

18. Innocentius Papa VIII. etiam per quasdam in forma Brevis, incipientes: *Tuis supplicationibus inclinati*, apud sanctum Petrum die decima sexta Februarii, pontificatus sui anno secundo.

19. Alexander Papa VI. etiam per quasdam, incipientes: *Ad sacram ordinis Fratrum Eremitarum*, apud sanctum Petrum idibus Octobris, pontificatus sui anno sexto.

20. Julius Papa II. etiam per quasdam in forma Brevis, incipientes: *Nuper nobis*, apud sanctum Petrum die vicesima quarta Martii, pontificatus sui anno tertio; ac alias, *Bulla aurea*, nuncupatas, incipientes: *Dum fructus uberes*, septimo Kalendas Julii, pontificatus sui anno quarto; ac alias in forma Brevis, incipientes; *Etsi ad bene merendum*, apud sanctum Petrum die decima septima Junii; ac alias pariter in forma Brevis, incipientes; *Nihil est, quod sæpius volvamus animo*, etiam apud sanctum Petrum die vicesima quarta Septembris, Pontificatus sui anno quinto; ac alias pariter in forma Brevis, incipientes: *Religionem vestram*, etiam apud sanctum Petrum die tricesima Junii, pontificatus sui anno sexto; ac alias pariter in forma Brevis, incipientes: *Exigit tua in nos*; etiam apud sanctum Petrum die vicesima prima Julii, pontificatus sui anno octavo; ac alias pariter in forma Brevis, incipientes: *Præ cæteris curis*, etiam apud sanctum Petrum die decima Maji, pontificatus sui anno nono.

21. Leo Papa X. etiam per quasdam in forma Brevis, incipientes: *Præ ceteris curis*, apud sanctum Petrum die decima Maji; ac alias, incipientes: *In rerum Christianarum curam*, etiam apud sanctum Petrum die decima Junii, pontificatus sui anno primo; ac alias, incipientes: *Quæ sicut accepimus*, etiam apud sanctum Petrum die sexta Januarii: ac alias incipientes: *Multa accepimus*, Pali Portuensis diœcesis die quinta Februarii; ac alias incipientes; *Licet sponte nostrâ*, apud sanctum Petrum, pontificatus sui anno secundo; ac alias, incipientes: *Superioribus diebus*, etiam apud sanctum Petrum die decima quarta Maji; aliasque, incipientes: *Dudum postquam*, etiam apud sanctum Petrum, pontificatus sui anno quinto.

22. Clemens Papa VII. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Romanus Pontifex*, apud sanctum Petrum die tricesima prima Octobris, pontificatus sui anno septimo.

23. Paulus Papa III. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Religionis sinceritas*, apud sanctum Petrum, pontificatus sui anno sexto; ac alias, incipientes: *Pontificalis auctoritas*, apud sanctum Marcum die septima Julii, pontificatus sui anno octavo.

24. Julius Papa III. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Ex debito pastoralis officii*, apud sanctum Petrum die tricesima Januarii, pontificatus sui anno primo; ac alias, incipientes: *Cum nos nuper*, etiam apud sanctum Petrum die septima Julii, Pontificatus sui anno secundo; ac alias, incipientes: *Cum nihil nobis*, etiam apud sanctum Petrum die vicesima tertia Novembris, Pontificatus sui anno quinto.

25. Pius Papa IV. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Cum nos nuper*, apud sanctum Petrum die vicesima tertia Julii, Pontificatus sui anno primo.

26. Gregorius Papa XIII. etiam per quasdam in forma Brevis, incipientes: *Dum ad uberes*, apud sanctum Marcum die quinta Septembris; ac alias, incipientes: *Cum, sicut accepimus*, pariter apud sanctum Marcum die tertia Septembris, pontificatus sui anno primo; ac alias, ut supra, incipientes: *Ad ea ex paterna charitatis officio*, apud sanctum Petrum die decima quinta Junii, pontificatus sui anno quarto; ac alias, ut supra, incipientes: *Ad augendam dilectorum filiorum*, pariter apud sanctum Petrum die decima sexta Decembris, pontificatus sui anno septimo; ac alias, incipientes: *Cum sicut accepimus*, pariter apud sanctum Petrum die decima quinta Decembris; ac alias incipientes: *Volentes, sicut conveniens esse videtur*, pariter apud sanctum Petrum die duodecima Novembris, pontificatus sui anno octavo: ac alias suas, incipientes: *Dominicum gregem*, apud sanctum Marcum die vicesima quinta Junii, pontificatus sui anno duodecimo.

27. Xystus Papa V. per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Exigit incumbentis nobis*, apud sanctum Petrum die decima quarta Maji, pontificatus sui anno tertio.

28. Clemens Papa VIII. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Quæ nobis*, apud sanctum Petrum die decima sexta Februarii, Pontificatus sui anno quarto; aliasque, incipientes; *Universali Ecclesiæ*, pariter apud sanctum Petrum die vicesima octava Februarii, pontificatus sui anno quinto.

29. Paulus Papa V. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Alias à felicis recordationis Clemente Papa* VIII. apud sanctum Petrum die decima tertia Februarii, pontificatus sui anno primo; ac alias, incipientes: *Cum certis Confraternitati cincturatorum*, apud sanctum Marcum die secunda Octobris; ac alias simili modo, incipientes: *Expositum nobis nuper fuit*, apud sanctum Petrum die decima sexta Februarii, pontificatus sui anno secundo; ac alias, incipientes: *Admonemur*, apud sanctum Marcum die quarta Julii, pontificatus sui anno quarto; ac alias simili modo, incipientes: *Alias postquam*, apud sanctum Petrum die vicesima tertia Januarii, pontificatus sui anno quinto; ac alias, incipientes: *Splendor paternæ gloriæ*, etiam apud sanctum Petrum die prima Februarii, pontificatus sui anno sexto; ac alias, incipientes: *Nuper à nobis emanarunt literæ*, apud sanctum Mariam Majorem die decima quarta Julii; ac alias, incipientes: *Provisionis nostræ*, etiam apud Sanctam Mariam Majorē die vicesima septima Novembris, pontificatus sui anno decimo; ac alias, incipientes: *Exponi nobis nuper fecerunt*, pariter apud sanctam Mariam Majorem die vicesima quinta Januarii, pontificatus sui anno duodecimo.

30. Gregorius Papa XV. etiam per quasdam suas incipientes: *Injuncti nobis*, apud sanctum Petrum tertio nonas Junii, pontificatus sui anno primo.

31. Urbanus Papa VIII. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Alias per felicis recordationis Clementem Papam* VIII. apud sanctam Mariam Majorem die vicesima tertia Maji; ac alias, incipientes: *Ex injuncti nobis*, pariter apud sanctam Mariam Majorem die vicesima prima Julii, pontificatus sui anno quinto; ac alias, incipientes; *Inter cæteras Apostolicæ servitutis curas*, pariter apud sanctam Mariam Majorem die decima Maji, pontificatus sui anno sexto; ac alias, incipientes: *Exponi nobis nuper fecit*, apud sanctum Petrum die vicesima tertia Januarii, pontificatus sui anno decimo quinto.

32. Clemens Papa IX. per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Cum sicut dilectus*, apud sanctam Mariam Majorem die vicesima quarta Februarii, pontificatus sui anno primo.

ANNO 1726.

33. Clemens Papa X. etiam per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Unigeniti Dei Filii*, apud sanctam Mariam Majorem die decima octava Decembris, Pontificatus sui anno secundo; ac alias incipientes: *Ex injuncto nobis*, pariter apud sanctam Mariam Majorem die vicesima septima Martii, pontificatus sui anno quinto; ac alias, incipientes: *Exponi nobis nuper fecit*, pariter apud sanctam Mariam Majorem die nona Maji, pontificatus sui anno sexto.

34. Innocentius Papa XI. per quasdam suas in forma Brevis, incipientes: *Exponi nuper fecit*, apud sanctum Petrum die decima septima Aprilis, pontificatus sui anno tertio; ac alias suas, ut supra, incipientes: *Exponi nobis nuper fecit*, pariter apud sanctum Petrum die quinta Julii, pontificatus sui anno quarto.

35. Nos ipsi per literas in forma Brevis, incipientes: *Cupientes, ut debitus*, Romæ die sexta Maji, pontificatus anno secundo. Hucusque literæ Apostolicæ, prout in singulis singulorum prædecessorum & nostris literis plenius continetur.

III. Varia decreta Augustinianis concessa.

Nos verò ad confovendam in ordine ipso religiosæ pacis tranquillitatem, præsentium tenore præter has literas, confirmamus etiam nonnulla Decreta, quæ ab infrascriptis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus prodierunt; unum videlicet à Congregatione sacrorum Rituum, diei 19. mensis Decembris, anni Domini 1637. per quod decernitur, ut sanctorum Augustini & Nicolai de Tolentino, aliorumque Beatorum ejusdem Ordinis imagines, à Fratribus ordinis prædicti, Excalceatis nuncupatis, cum habitu ordinis Excalceatorum hujusmodi depictas aut impressas iidem Fratres Exalceati aboleant; iisque injungitur sub pœnis arbitrio Congregationis, ne talia agere amplius audeant; alterum sub die 13. Aprilis anni ejusdem Domini 1638. per quod à decisis recedendum non esse, statutum est. Congregatione vero Visitationis aliud decretum, vulgatum die 20. Junii, anni Domini 1628. per quod sancitur, Vicarium generalem Fratrum dicti ordinis Excalceatorum, qui antea se *Generalem* dicti ordinis nuncupare consueverat, se, juxta alterum decretum prædictæ Congregationis Visitationis hujusmodi, sub die 23. mensis Maji anni dicti Domini 1626. non *Generalem* dicti ordinis Excalceatorum, sed tantum *Vicarium generalem* Fratrum dictæ Congregationis Excalceatorum denominare, seu denominari facere debere, & non alias, sibi licuisse & licere: ac reliqua decreta sub die 21. Martii anni 1642. per quod tunc, & pro tempore existenti Priori generali dicti ordinis injungitur, ut omnes & singulos suos religiosos, cujuscunque status, gradus, conditionis existant, ac tunc, & imposterum, propria auctoritate, ex diversis prætextibus, ad Urbem accedentes, & extra suos conventus vagantes, ad sua claustra sub certis, modo, certisque pœnis, à constitutionibus Apostolicis, ac Concilii Tridentini decretis, dictique ordinis legibus & statutis, aliisque pœnis in tertio Congregationis Visitationis decreto respectivè inflictis, ab Urbe infra breve tempus pro suo arbitrio, discedere cogat, sub pœna etiam suspensionis à divinis ipso facto ab iisdem transgressoribus incurrenda, ut alio pergere debeant, & teneantur: quæ quidem omnia ad providam, debitamque regularis disciplinæ observantiam necessaria & opportuna esse noscuntur. In tertio vero decreto Congregationis Visitationis decernitur, ut memorata decreta libere & licitè executioni mandari possint & valeant. His accedit aliud decretum, à Congregatione, negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita confectum die 30. Septembris anni Domini 1622. ut benedictio corrigiæ beatæ Monicæ, ac panniculorum beati Nicolai de Tolentino à superioribus dicti ordinis tantum fieri debeat. Præterea ejusdem Congregationis Episcoporum & Regularium decretum anni 1649. diei 13. Octobris, quo declaratur nomine sexennii officii Fratrum Assistentium, intelligi debere spacium ab uno ad aliud Capitulum generale. Item aliud ejusdem Congregationis decretum diei 16. Augusti anni 1715. quo confirmatur decretum Capituli generalis Romæ celebrati anno 1685. concedens præcedentiam & votum in Capitulis provincialibus iis, qui laudabiliter novennio non interrupto officium Magistri novitiorum exercuerint. Ac demum aliud à Congregatione sacrorum Rituum, sub die 26. Januarii anni 1641. editum, fervente quæstione inter clerum oppidi montis Cossari Firmanæ diœcesis ex una; & Fratres conventus dicti ordinis ejusdem Terræ, ex altera, partibus, super modo & forma exequendi defunctorum funeralia in eorundem Fratrum Ecclesia, decernitur, ut officium super cadaveribus in Ecclesiis regularium per ipsos regulares peragi debeat, & ita in casu proposito servari, non obstante contraria consuetudine; & alias, prout in singulis Congregationum decretis plenius continetur.

IV. Eadem privilegia bullæ Apostolicæ, & decreta iterum confirmantur.

Cum autem ea firmius subsistere, ac majorem vim, & robur obtinere, & exactius observari dignoscantur quæ sæpius fuerint Apostolicæ confirmationis & approbationis auctoritate munita, proptereaque moderni Prior & Procurator generales dicti ordinis, dilecti filii, nobis humiliter supplicari fecerint, ut eorum honesto desiderio annuere, inque præmissis & infra scriptis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur, nos, qui regularium ordines, ex quorum religiosa vita mater Ecclesia uberes sanctarum virtutum percipit fructus, summa prosequimur benevolentia, eorumque nominis gloriam in suo robore per nostræ approbationis & confirmationis opem, ad eorundem ordinum decus subsistere optamus, eorum indemnitati consulere satagentes, literarum omnium singulorum prædecessorum nostrorum, & eorum cujuslibet, necnon omnium & singulorum decretorum à sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in jam dictis Congregationibus editorum, & causas, propter quas illæ, & illa prodierunt, præsentibus cum totis suis tenoribus pro expressis habentes, ac Priori & Procuratori generali prædictis specialem gratiam facere volentes, eosque, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, omnes & singulas omnium & singulorum prædecessorum prædictorum, respective, literas memoratas, omniaque & singula privilegia, indulta, facultates, exemtiones, immunitates, & cujusvis generis gratias, indulgentias, declarationes, aliaque, respective, in eis, sub quacunque verborum expressione contenta, & respective per eas, dicto ordini, illiusque monasteriis, conventibus, ecclesiis, cappellis, cappellaniis, oratoriis, grangiis, aliisque locis regularibus, ab ordine ipso quomodolibet dependentibus, necnon illius fratribus, prioribus, superioribus, ministris, monialibus, confraternitatibus, binzocariis, aliisque personis, similiter ab eo dependentibus, quomodolibet concessa, etiam eorumdem fratrum, monialium, confraternitatum, ali-

arum-

arumque personarum bonum regimen, & in easdem personas ab eo dependentes concernentia, & ab eisdem prædecessoribus, ex quacunque causa quomodolibet, respective, disposita, dummodo Concilii Tridentini decretis aliisque Constitutionibus Apostolicis, subsequenter editis, non adversentur; necnon omnia & singula earundem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationum, respective, decreta, ab eisdem Congregationibus, ut præfertur, respective edita, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo approbamus, confirmamus & innovamus, illisque & eorum singulis perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, & earundem præsentium patrocinio communimus, omnesque & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui forsan intervenerint, in eisdem supplemus.

V. Summus pontifex suum Breve ad Fratres Augustinianos Lusitaniæ confirmat & extendit ad totum ordinem.

Utque per eorundem prædecessorum Apostolicæ benignitatis, erga eundem ordinem, vestigia ad nostræ ampliationis, declarationis & extensionis, promissorum, necnon de novo à nobis, ut infra, concedendorum largitionem procedamus; nos, qui nuper per nostras literas in forma Brevis, incipientes: *Ex poni nobis nuper fecerunt*, datas Romæ die. 14. mensis Junii, anni Domini 1727. pontificatus nostri anno quarto, omnibus & singulis religiosis dicti ordinis provinciæ Lusitaniæ, sub certis modo & forma, Apostolica auctoritate præcepimus, ne ipsi apud Sedem Apostolicam exemtiones Exprovincialium, Præsentatorum, Prædicatorum, vel Exassistentium generalium quovis modo petere, procurare, obtinere præsumant, minusque eis dispensationes super tempore lecturæ pro dicti eorum ordinis gradibus obtinendis, sub privationis utriusque vocis pœna, tam à procurantibus gratias ipsas, quàm testimonium ad illas petendas concedantur literas nostras hujusmodi cum omnibus & singulis pœnis in eis contentis ad omnes & singulas ordinis prædicti Provincias, & Congregationes dicti ordinis, ubicunque, & in quocunque dominio existentes, Apostolica auctoritate prædicta, tenore præsentium, perpetuo extendimus & ampliamus.

VI. Xysti V. decretum & Clementis VIII. literæ de Augustinianorum appellationibus, confirmantur.

Insuper attendentes, quod alias, & usque de anno Domini 1587. à Congregatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, & de mandato piæ memoriæ Xysti V. prædecessoris nostri emanavit decretum, quo recursus, seu appellationis ordo à Fratribus dicti ordinis servandus præscribitur, videlicet à Superiore locali ad Provincialem, à Provinciali ad Priorem generalem, à Priore generali ad Sedem Apostolicam faciendus, prout in dicto decreto plenius continetur; nos illud tenore præsentium, auctoritate nostrâ, approbantes, nec non literas Clementis VIII. prædecessoris nostri, incipientes: *Nostri Pastoralis*, desuper editas, cum omnibus & singulis pœnis, in eisdem Clementis VIII. contentis, innovantes, appellationem prædictam à Superiore locali ad Priorem provincialem; à Provinciali ad Priorem generalem; à Priore generali ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationes & tribunalia Urbis interponi præcipimus & mandamus.

VII. Pauli V. literæ de sepulturis in Indiarum Ecclesiis Augustinianorum, ad ceteras totius ordinis Ecclesias extenduntur.

Quia tamen Paulus Papa V. in suis literis, incipientibus: *Expositum nobis nuper fuit*, diei 16. Februarii, pontificatus sui anno secundo, statuit contra Rectores parochialium Ecclesiarum, in Indiis Occidentalibus, ne ipsi ab iis, qui in Ecclesiis & domibus ordinis prædicti sepeliuntur, majorem exigant eleemosynam, quam à Concilio Tridentino præscribitur, & à Pio IV. prædecessore nostro explicatur; nos literas prædicti Pauli V. prædecessoris, ad omnes & singulas dicti ordinis provincias & Congregationes, eorumque, respective, conventus & domos cum omnibus & singulis pœnis inibi contentis & expressis, omnibusque & singulis clausulis & decretis ac derogationibus, in eis memoratis, perinde ac si ad omnium, & singularum provinciarum & Congregationum, conventuum & domuum dicti ordinis favorem, earumque intuitu prodiissent, dicta auctoritate nostra similiter perpetuo extendimus & ampliamus.

VIII. Libera sepultura in Ecclesiis Augustinianorum, sibi eam eligentibus, per totum ordinem confirmatur & præscribitur.

Cum autem Bonifacius VIII. in suis: *Inter sollicitudines nostras*; Innocentius IV. in suis, *Religiosam vitam eligentibus*, Xystus IV. in suis: *Dum fructus uberes*, incipientibus literis, per nos, tenore præsentium confirmatis & approbatis, sepulturam liberam in dicti ordinis, Ecclesiis, omnibus & singulis Christi fidelibus, dummodo excommunicati, vel interdicti, aut usurarii non sint, sepeliri volentibus, concesserunt, ac alias etiam ab anno Domini 1664. à Congregatione, negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, in quæstionis materia tunc inter Fratres conventus sancti Augustini ejusdem ordinis, terræ Plebis, Albinganensis diœcesis ex una & ejusdem terræ clerum ex altera partibus, vertente, dictæ terræ conventus & Fratrum eorundem favore, prodiit decretum; nos liberæ sepulturæ hujusmodi in Ecclesiis præmissis sibi eam eligentibus concessionem, omnesque & singulas prædecessorum nostrorum literas denuo super decreto, ut præfertur, edito, nunc per præsentes, respective, approbamus, pariter ad omnes & universas dicti ordinis Provincias & Congregationes, earumque conventus, & in singulis earum & eorum Ecclesiis ejusdem ordinis, cum hoc tamen, quod Frates prædicti, in Italia, inque insulis adjacentibus, pro tempore existentes, quartam funeralem, juxta nostram Constitutionem, quæ incipit *Romanus Pontifex*, necnon juxta declarationem in altera nostra Constitutione, quæ incipit: *Pretiosa in conspectu Domini*, super ea factam, parochialium Ecclesiarum in Italia, ac insulis prædictis existentium Rectoribus persolvere teneantur: quibus defunctorum cadavera in Ecclesiis dicti ordinis, aut earum cœmeteriis sepelire, missas celebrare, aliaque defunctorum hujusmodi divina Officia & Exequias persolvere, invitis Fratribus; minime liceat, dicta Apostolica auctoritate, perpetuo extendimus & ampliamus; omnibusque & singulis parochialium Ecclesiarum Rectoribus præcipimus ne imposterum eligendæ sepulturæ libertatem hujusmodi, quæ semper firma & illæsa remaneat, quoquomodo, aut quocunque jure, quavis causa & prævia cujuscunque conventionis aut consuetudinis; etiam immemorabilis, cassatione, & abolitione, directe vel indirecte, impedire ullo modo audeant; neque electæ sub quocumque prætextu præjudicium aliquod inferre quomodolibet præsumant, per easdem præsentes perpetuo inhibemus, ac ex nunc inhibitum esse volumus; utque in defunctorum funeralibus faciendis, eorumdem defunctorum animas, & etiam vivorum precantium, semota quacumque jurgiorum & prætensorum emolumentorum occasione, animos constituamus in pace, & pax ipsa in debita mentis attentione, animique tranquillitate ascendat ad Dominum, nos determinationem numeri regularium, defunctorum cadavera associare debentium, spectare nolumus ad parochialium Ecclesiarum Rectores, juxta normam clericorum sæcularium, quacunque consuetudine, etiam immemorabili, nequaquam obstante, minusque ab eorum parochianis in

aliis,

aliis, quam in eorumdem parochianorum parochialibus Ecclesiis sepulturam sibi eligentibus, tam electionis, quàm missarum, vel anniversariorum celebrationis, aut obtentus cadaveris in cathedrali vel parochiali Ecclesia prius exponere, seu transitus per limites parochiales aliarum parochialium Ecclesiarum, respective, ratione, seu alio quocunque etiam colorato titulo, majorem eleemosynam, aliaque graviora emolumenta petere, exigere & prætendere, nullo modo posse volumus, quàm quæ à Paulo V. prædecessore in sua Constitutione, quæ incipit: *Expositum nobis nuper fuit*, præscribuntur, prævia, cujusvis prætensæ rationis, seu prætensi juris cassatione & abolitione, prout per easdem præsentes omnino, penitusque abolemus, cassamus & irritamus: & si quid pluris exigant, uti indebite, ac inique exactum, ad illius restitutionem, eo ipso facto, eos omninò teneri declaramus. Numerum verò Fratrum, ut præfertur, associare debentium, ad defuncti sive adulti, sive impuberis, sive in quacunque alia, etsi in infantili ætate, constituti, ad hæredes, & infantis parentes, nullo habito respectu, ad numerum clericorum sæcularium, dumtaxat spectare, decernimus; ac Fratres ordinis prædicti, & hæredes, ac parentes eosdem ad transeundum per cathedrales, parochiales, seu alias parochiales Ecclesias parochianorum, aut per eas transeuntes, ad exponenda in eis cadavera, vel causa transitus hujusmodi aliquid solvendum, aut ad totum clerum sæcularem, vel illorum determinatum numerum, nullatenus cogi posse, neque debere. Parochialium autem Ecclesiarum pro tempore morientium parochianorum Rectores, imposterum, iis dumtaxat emolumentis, quibus de jure gaudent, fruuntur & potiuntur, & non aliis, gaudere, frui & potiri debere sancimus.

IX. In parvis conventibus Augustinianorum, non in cathedrali, Fratres obedientiam exhibeant Episcopo eos visitanti.

Et sicut nobis innotuit, postquàm Innocentius X. prædecessor per suam, quæ incipit: *Instaurandæ*, certis causis adductus, conventus regulares parvos, sub certis modo & forma, tunc expressis, Apostolica sua auctoritate suppresserat, & deinde per alteram suam Constitutionem, quæ incipit, *Ut in parvis*; conventus parvos suppressos hujusmodi, sive illorum aliquos, eadem Apostolica auctoritate, etiam sub certis modo & forma, restituerat; nonnulli ex Archiepiscopis seu Episcopis, in quorum diœcesi conventus parvi, sicut præfertur restituti existunt, iidem Archiepiscopi & Episcopi in generali cleri sui visitatione clerum regularem unà cum clero sæculari debitam sibi in sua cathedrali Ecclesia reverentiam & obedientiam exhibere, à tempore restitutionis hujusmodi usque nunc prætenderint, & prætendant de præsenti; nos, licet conventus parvi, sic suppressi, & restituti, & Fratres in eis pro tempore degentes, Archiepiscopis & Episcopis, eorum correctioni & visitationi subesse dignoscantur; eos tamen ad cathedralem Ecclesiam, una cum clero sæculari, ad exhibendam obedientiam minine accedere, sed illam in suis conventibus & Ecclesiis Arrchiepiscopo seu Episcopo, conventum, vel ipsius conventus Ecclesiam visitanti, in actu visitationis exhibere volumus, ita ut clerus sæcularis Archiepiscopo vel Episcopo Ecclesiam sæcularem; clerus vero regularis Ecclesiam regularem, respective, visitanti debitam obedientiam exhibeant.

X. Fratres Augustiniani philosophiæ prælectores ceteris Fratribus Baccalaureatis præcedant, & post XII. annos prælectionum, suffragium habeant in Capitulis.

Ad hæc attendentes, quod alias, & usque de anno Domini MDCLXXXV. in Capitulo generali Fratrum ordinis sancti Augustini, tunc habito, ad promovendum studiorum fervorem; statutum, decretumque fuerit, ut Fratres ab ejusdem ordinis sancti Augustini Superioribus pro tempore ad legendam philosophiam in professoriis provinciarum dicti sui ordinis delecti, præcedentia ceteris Fratribus Baccalaureatis, & post lapsum duodecim annorum assiduæ lecturæ hujusmodi, voto in Capitulis provincialibus gaudere debeant; nos, qui fervori hujusmodi calcar justi honoris adjungere studemus, decretum statutumque hujusmodi, & in eo contenta quæcunque, præsentibus pro expressis habentes, Apostolica auctoritate perpetuo similiter approbamus & confirmamus, Lectoresque jam dictos præcedentia, votoque hujusmodi gaudere volumus.

XI. Indulgentiæ Cincturatis olim concessæ, confirmantur, & omnibus Augustinianis communicantur, & conceduntur.

Porro, ut omnes & singulæ personæ, ab eodem ordine sancti Augustini quomodolibet dependentes, hujus suæ dependentiæ fructum percipiant, Clementis X. prædecessoris nostri, qui in prædicta sua Constitutione, quæ incipit: *Ex injuncto nobis*, omnes & singulas indulgentias, prærogativas, facultates, privilegia & indulta à Xysto IV. Julio II. Gregorio XIII. Gregorio XIV. aliisque Romanis Pontificibus ejusdem Clementis X. & etiam nostris prædecessoribus, Archiconfraternitati Cincturatorum & Cincturatarum sancti Augustini & beatæ Monicæ, sub invocatione beatæ Mariæ Virginis de Consolatione, nuncupatæ, in Ecclesia sancti Jacobi civitatis nostræ Bononiensis, canonicè institutæ, aliisque confraternitatibus quorumcumque locorum, dictæ archiconfraternitati debite annexis, illiusque & illarum utriusque sexus, respective, confratribus pro tempore existentibus, concessa de novo, & Gregorius XIII. prædecessor similiter omnium indulgentiarum, omniumque, & singularum gratiarum spiritualium, prædicto ordini sancti Augustini concessarum, quæ in eodem ordine pro tempore fiunt, archiconfraternitatis & confraternitatum earundem confratribus pro tempore existentibus participationem respective concesserunt; nos concessioni hujusmodi inhærentes, illamque approbantes, omnibus & singulis Fratribus, monialibus, mantellatis, sive pinzoncariis ejusdem ordinis beati Augustini pro tempore existentibus, omnes & singulas gratias spirituales, & indulgentias prædictarum archiconfraternitatis & confraternitatum, respective, confratribus, ut præfertur, concessas, & de eis participes respective participantibus, plenarie, ac pariformiter, Apostolica auctoritate, perpetuo concedimus, & largimur, perinde ac à Clemente X. & Greg. XIII. prædecessoribus respectivè concessæ forent, & Gregorius XIII. de eis tunc eos participes fecisset. Etiam indulgentias, remissiones peccatorum, quas visitantes Ecclesiam beatæ Mariæ in Portiuncula, aliàs dictam de Angelis extra muros Assisinatenses, quomodolibet consequuntur, concessas ipsis confratribus vere pœnitentibus & confessis, qui ordinis Ecclesiam & altare confraternitatis, & beati Nicolai de Tolentino, respective, à primis vesperis, usque ad secundas vesperas nativitatis beatæ Mariæ Virginis, & Dominicæ infra octavam beati Nicolai de Tolentino: quas indulgentias, respective, pariter approbamus, ac denuo concedimus: Et quemadmodum idem Clemens X. aliique summi Pontifices plenariam omnium peccatorum indulgentiam utriusque sexus confratribus Cincturatis, singulis annis in die Dominica infra octavam festi sancti Augustini processioni fieri solitæ, interessentibus, vel cappellam, seu altare beatæ Mariæ Virginis de Consolatione nuncupatæ, visitantibus concessit; nos indulgentiam hujusmodi ad totam dicti festi octavam Cincturatis ipsis, cappellam seu altare hujusmodi pie visitantibus, ut præfertur, concessa, per præsentes extendimus & ampliamus. Insuper Fratribus dicti ordinis sancti Augustini, nunc & pro tempore existentibus concedimus, ut imposterum eandem, aliasque processiones, per eos fieri solitas, absque interventu Rectoris parochialis Ecclesiæ, de licentia tamen Ordinarii loci, cum Cruce erecta Stolã gestates, via per eosdem Fratres eligenda, nisi alias ex antiqua cõsuetudine constet,

has processiones in aliquibus locis factas fuisse sine ulla licentia Episcopi, secundum hujus Apostolicæ Sedis; unum videlicet, diei 6. Junii 1708. aliud diei 27. Aprilis 1709. ac aliud diei 11. Maji 1697. à sacrorum Rituum Congregatione die 21. Novembris 1699. vulgata: quæ per præsentes similiter approbamus & confirmamus, perpetuò agere liberè & licitè possint.

XII. Augusti- niani ex- ra tempo- a ordina- i possint. Vicarii generales quicunque titulum Reverentissimi non accipiant.

Quamquam vero in Concilio Romano, à Nobis anno Domini 1725. celebrato, inque ejusdem Concilii titulo 5. cap. 2. inter alia, Regulares, vigore suorum privilegiorum, tuto & absque novo indulto Apostolico, extra tempora à jure statuta, etiam post Decreta Concilii Tridentini hac de re edita, sacris Ordinibus initiari posse decernatur; nihilominus, quia à nonnullis etiam Episcopis ejusdem Concilii Romani Decretum hujusmodi in dubium revocari prætenditur, aut prætendi potest, Nos earumdem tenore præsentium Fratres dicti Ordinis Sancti Augustini Concilii Romani Decreto, ac privilegio prædictis liberè & licitè frui, atque potiri posse & debere, dicta Apostolica auctoritate declaramus, ac etiam decernimus; & quatenus opus sit, super quacunque contraria dispositione opportunè dispensamus, ac de novo privilegium hujusmodi eis, juxta declarationem à Pio V. Prædecessore, in ejus Constitutione, *Etsi Mendicantium*, declarata, concedimus. Et quoniam piæ memoriæ Clemens Papa X. Antecessor noster per litteras in forma Brevis, incipientes: *Exponi nuper fecit*, interdicit Vicariis generalibus, tam actuali, quam absolutis, Congregationis Lombardiæ, ne à suis subditis titulum *Reverendissimi* recipiant, ac stemmata sua gentilitia pileo insignire audeant, hoc quoque nos intelligi volumus de Vicariis generalibus actuali & absolutis Congregationis Excalceatorum Sancti Augustini.

XIII. ndulgen- iæ de Al- aribus rivile- giatis, gra- iæ, alia- que indul- a, Augu- tinianis terum concedun- ur.

Demum, prævia approbatione & confirmatione Decreti, de mandato nostro editi super Altaribus privilegiatis, concessis in Ecclesiis Ordinis dictorum Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, & Monialium ejusdem Ordinis à Sacrorum Rituum Congregatione die 23. Septembris 1726. quod incipit: *Sanctissimus Dominus noster*, omnia & singula Privilegia, indulta, gratias, exemtiones, indulgentias, peccatorum remissiones, hactenus concessa, iterum concedimus & confirmamus.

XIV. Hæ litte- æ semper irmæ at- que omni- ò incon- ussæ ha- eantur.

Præsentes autem litteras nostras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu mentis nostræ defectu, etiam ex eo, quòd omnes & singuli ad præmissa omnia & singula rem habentes, seu habere prætendentes, ad eadem præmissa vocati non fuerint, notari, impugnari, invalidari, aut in jus vel controversiam vocari, nullatenus posse, neque debere; minusque sub quibusvis gratiarum quarumcumque revocationibus, suspensionibus, annullationibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis quibuscunque dispositionibus à Sede prædicta, etiam in favorem quorumvis, & ad quorumcumque Regum, Reginarum, Ducum & Rerumpublicarum instantiam, etiam motu proprio, & consistorialiter, quomodolibet, & ex quacumque causa, etiam pia & privilegiata, & bonum publicum respiciente, quomodolibet emanatis, & emanandis, nullatenus comprehendi posse, aut debere; sed easdem præsentes Fratribus præfati Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, semper & inviolabiliter suffragari, & prodesse debere; sicque, & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet pariter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, & quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, attentatumque, irritum & inane decernimus.

XV. Cardinalis Protector Ordinis Sancti Augustini & Cameræ Apostolicæ Auditor generalis has litteras defendant.

Quocirca dilectis etiam Filiis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, nunc, & pro tempore existenti, Protectori, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori generali per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, aut unus eorum per se, vel per alium, sive alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte Prioris vel Procuratoris generalis, ac Fratrum prædicti Ordinis Eremitarum, nunc & pro tempore existentium, aut alicujus eorum, requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio adsistentes, faciant auctoritate nostra Apostolica, firmiter observari, eosque, & quemlibet eorum illis pacificè frui & gaudere; non permittentes, eos, aut eorum quempiam, per quoscunque contra earundem litterarum præsentium tenorem desuper quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XVI. Clausulæ derogatoriæ.

Non obstantibus nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, de gratiis non concedendis ad instar, ac de jure quæsito non tollendo, nec non præfati Bonifacii VIII. Prædecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam civitatem vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis, ultra unam dietam, à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede præfata deputati, contra quoscunque procedere, seu alii vel aliis suas vices committere præsumant; ac in generali Lateranensi edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, & quibusvis universalibus & synodalibus Conciliis, vel aliis Apostolicis specialibus, vel generalibus constitutionibus & ordinationibus; nec non primodicti Eremitarum beati Augustini, aliorumque Ordinum Regularium, Congregationum & Societatum præfatorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & conventionibus, ac etiam immemorabilibus consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apostolicis, quibusvis personis, etiam speciali nota dignis, & locis in genere vel in specie, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam vim & pactum contractus habentibus, nec non irritantibus & aliis Decretis, ac etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet, etiam ad præfatam Imperatoris, Regum, Reginarum, & aliorum quorumcumque Principum, Ducum & Rerumpublicarum instantiam, iteratis vicibus concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales

idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè & plenissimè, ac specialiter & expressè, harum serie, ac vice dumtaxat, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus. Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

XVII. His literis ubique fides habeatur.

Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumtis, manu Prioris, vel Procuratoris Generalium Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, seu Notarii publici subscriptis, & sigillo officii ejusdem Prioris vel Procuratoris Generalium ipsius Ordinis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

XVIII. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, extensionis, innovationis, concessionis, indulti, impositionis, decreti, declarationis, commissionis, mandati,& derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo septimo, Kalendis Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.

P. Cardinalis Prodatarius.

F. Cardinalis Oliverius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.
Lucas Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXV.

Ad Abbatem & Monachos Monasterii Regii Beatæ Virginis Mariæ de Monte Serrato, quâ Privilegia à Prædecessoribus concessa confirmantur, & Nuntio in Regnis Hispaniarum commoranti mandatur, ut præmissa omnia inviolabiliter observentur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ONEROSO Sacri Apostolatus Ministerio, meritis licèt imparibus, & Divina sic disponente Clementia præsidentes, pia & salubria quarumlibet Personarum, præsertim sub suavi
1 Religionis jugo Altissimo famulantium vota, quibus Divini Cultus augmentum, piorumque operum exercitio procuratur, soliciti Patris affectione prosequimur, ac plenis favoribus confovemus, & propterea Gratias, Privilegia, & Indulta aliàs à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris ad hujusmodi effectum concessa Approbationis, & Confirmationis nostræ præsidio consolidamus, firmioremque in statum redigimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti
2 Filii moderni, Abbas, & Monachi Monasterii Regii nuncupati Beatæ Virginis Mariæ de Monte Serrato Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Hispaniarum *Nullius, seù Vicensis Diœcesis*, quod
3 aliàs & postquàm fel. rec. *Clemens III.* ac *Clemens VI.* ac *Bonifacius IX.* nec non *Alexander* etiam *VI.* & *Urbanus* similiter *VI.* & *Nicolaus V.* & *Leo X.* nec non *Gregorius XIII.* ac *Gregorius XV.* nonnullique forsàn alii Romani Pontifices Prædecessores nostri diversis temporibus diversa *Privilegia*, *Immunitates*, *Exemptiones*, *Libertates*, *Jura*, *Prærogativas*, *Concessiones*, *Dona*, *Gratias*, *Indulgentias*, *Peccatorum Remissiones*, ac *Indulta spiritualia*, & *temporalia* præfato Monasterio, illiusque Ecclesiæ Abbati, & Conventui, nec non Confraternitati sub Invocatione ejusdem Beatæ Virginis Mariæ in ejusdem Monasterii Ecclesia hujusmodi Canonicè erectæ, & institutæ, illiusque Confratribus pro tempore existentibus Apostolicâ eorum respectivè auctoritate successivè concesserant, & seu aliqui eorundem Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum jam concessa eadem Apostolica auctoritate approbaverant, & confirmaverant.

Felicis etiam recordationis *Urbano PP. VIII.*
4 similiter Prædecessori Nostro pro parte tunc existentium Abbatis, & Monachorum ejusdem Monasterii, illiusque singularum Personarum, nec non Confratrum Confraternitatis præfatæ hu-
5 militer exposito, quòd in Hospitali ejusdem Monasterii maximus Pauperum, & Peregrinorum illuc devotionis causâ undique confluentium numerus in dies excipiebatur, & insigni Charitatis affectu per triduum continuum tractabatur, In-
6 firmique inibi sedulò curabantur, ac alia diversa Pietatis, Charitatis, & Misericordiæ opera continuò non sine magno Christifidelium devotionis, Reique publicæ Christianæ incremento exercebantur.

Quapropter pro parte eorundem *Abbatis*, &
7 *Monachorum* præfati Monasterii, nec non *Confratrum* dictæ Confraternitatis tunc existentium præfatorum eidem *Urbano VIII.* Prædecessori etiam humiliter supplicato, quatenus *Privilegia*, *Immunitates*, *aliaque præmissa* pro firmiori eorum validitate dicta ejus Apostolica auctoritate similiter approbare, & confirmare, aliàsque eis in eisdem præmissis opportunè providere de Benignitate Apostolica dignaretur.

Idem *Urbanus VIII.* Prædecessor hujusmodi
8 supplicationibus sibi tunc desuper, ut præfertur, humiliter porrectis benignè inclinatus, omnia, & singula *Privilegia*, *Immunitates*, *Exemptiones*, *Libertates*, *Licentias*, *Jura*, *Prærogativas*, *Concessiones*, *Dona*, *Gratias*, *Indulgentias* etiam *plenarias*, *Remissiones Peccatorum*, & *Indulta spiritualia*, & *temporalia* ECCLESIÆ, & MONASTERIO præfatis, nec non HEREMITORIIS, & CAPPELLIS eidem Monasterio annexis, eisdemque *Monasterio*, *Abbati*, & *Conventui*, ac singularibus *Personis* nec non *Confraternitati*, ejusque *Confratribus* tunc, & pro tempore existentibus præfatis per prædictos, ac etiam piæ memoriæ *Adrianum* pariter *VI.* nec non quoscumque alios Romanos Pontifices ejusdem Urbani VIII. tunc, & nunc Prædecessores Nostros, & Sedem Apostolicam sub quacumque verborum forma, & expressione in genere, vel specie, aut aliàs quomodolibet concessa, ac etiam pluries approbata, & confirmata, ac innovata, cum omnibus, & singulis in eis contentis Clausu-
9 lis, Decretis, & Declarationibus, ac singulas omnium, & singulorum Romanorum Pon-
10 tificum Prædecessorum præfatorum respectivè Litteras Apostolicas, tàm sub Plumbo, quam in forma Brevis sub Annulo Piscatoris,

aut

aut aliàs desupèr respectivè confectas, quarum
11 tenòres, ac data idem *Urbanus VIII.* Præde-
cessor in infrascriptis ejus Litteris pro expressis
12 haberi voluit; nec non [illegible] *Jurisdictiones*,
Prædia, Grangias, & alia [illegible], ac *Libertates*,
& *Exemptiones sæcularium* [illegible]*ionum* à Regi-
bus, Principibus, & aliis Christifidelibus *Abba-
ti*, & *Conventui*, ac *Monasterio*, nec non *Con-
fraternitati*, & *Confratribus* pro tempore exi-
13 stentibus præfatis rationabiliter indultas, sicut
tunc illas justè possidebant, dummodo Privile-
14 gia, & Indulta hujusmodi in viridi observantia
existerent, neque Decretis Concilii Tridentini
contraria, nec eatenùs revocata, neque sub ali-
quibus revocationibus comprehensa essent, Apo-
stolica auctoritate præfata perpetuò approbavit,
& confirmavit, illisque perpetuæ, & inviola-
bilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit, omnes-
que, & singulos tàm juris, quàm facti, ac so-
lemnitatum defectus, si qui desupèr quomodo-
libet principaliter, vel accessoriè, aut aliàs in-
tervenissent, in eisdem supplevit, & aliàs proùt
in Litteris Apostolicis dicti *Urbani VIII.* Præ-
decessoris desuper, sub Datum *Romæ* apud San-
ctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Do-
minicæ *millesimo sexcentesimo vigesimo tertio.*
Nono Kalendas Octobris, Pontificatus sui *anno
Primo* expeditis pleniùs continetur.

Et deinde piæ memoriæ *Alexander PP. VII.*
16 similiter Prædecessor noster omnia, & singula
Privilegia, & Gratias Monasterio, & Confra-
ternitati præfatis à diversis Romanis Pontifici-
bus, ut præfertur, concessa, & ab *Urbano VIII.*
Prædecessoribus præfatis, ut præfertur, confir-
mata hujusmodi ad eorum firmiorem subsisten-
tiam, & arctiorem observantiam, dummodò ta-
17 men illa in usu, & licita essent, & honesta, ea-
que revocata non essent, aut sub aliquibus re-
vocationibus minimè comprehenderentur, ac Sa-
18 cris Canonibus, Decretisque præfatis, & Apo-
stolicis Constitutionibus non adversarentur, etiam
per suas Litteras in forma Brevis, sub datum *die
decima quarta* Septembris anni Domini *Mille-
simi sexcentesimi quinquagesimi quinti*, Pontifi-
catus sui *Anno primo*, eadem Apostolica autho-
ritate similiter approbavit, & confirmavit, &
19 aliàs, prout in ejusdem *Alexandri VII.* Præde-
cessoris Litteris præfatis etiam desuper expedi-
tis etiam plenius continetur.

20 Cùm autem, sicut eadem expositio subjunge-
bat, omnia & singula Christianæ pietatis opera
21 hujusmodi, etiam ad præsens in præfato Hospi-
tali ejusdem Monasterii, in quo Pauperum, &
22 Peregrinorum illùc continuò undique confluen-
tium numerus in dies hactenus excipitur, &, ut
præfertur, per triduum continuum charitativè
tractatur, infirmique sedulo charitatis studio cu-
rantur, & licèt omnia, & singula per omnes, &
23 quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores
nostros præfatos, ut præfertur, concessa, & in-
dulta, & per eundem *Urbanum VIII.* Præde-
cessorem, ut præfertur, confirmata, & approba-
ta in eorum sint viridi observantia, illisque omni-
24 bus, & singulis *Abbas*, & *Monachi* moderni præ-
fati, nec non *Confratres* Confraternitatis hujus-
modi pacificè fruantur & gaudeant, ea tamen,
quæ pluries à Sede Apostolica præfata benignè
25 approbantur, & confirmantur, validiorem, ac
firmiorem eorum sortiantur in dies firmitatem, &
stabilitatem; Quarè præfati moderni *Abbas*, &
26 *Monachi* ejusdem Monasterii Nobis humiliter sup-
plicari fecerunt, quatenus eis in præmissis oppor-
tunè providere de benignitate Apost. dignaremur.

27 Nos igitur modernis Abbati, & Monachis præ-
fatis specialem gratiam facere volentes, ac eos-
28 dem, & eorum quemlibet à quibusvis Excommu-
nicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ec-
clesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, si quibus
quomodolibet innodati existunt ad effectum præ-
sentium tantùm consequendum, harum serie ab-
solventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi
supplicationibus inclinati, omnia, & singula *Pri-
29 vilegia, Indulta, Immunitates, Exemptiones, Li-
bertates, Licentias, Jura, Prærogativas, Conces-
siones, Dona, Gratias, Indulgentias, etiam plena-
rias, Remissiones peccatorum, aliaque omnia*, &
singula præmissa per Clementem III. & *Clementem
VI.* ac *Bonifacium IX.* nec non *Alexandrum* etiam
VI. & *Urbanum* similiter *VI.* & *Nicolaum V.* &
Leonem X. nec non *Gregorium XIII.* ac *Grego-
rium XV.* & *Adrianum* paritèr *VI.* aliosque Roma-
nos Pontifices Prædecessores Nostros præfatos,
& Sedem eandem quomodolibet concessa, & po-
stremò per *Urbanum VIII.* & *Alexandrum VII.*
etiam Prædecessores præfatos, ut præfertur, ap-
probata, & confirmata, dictoque MONASTE-
RIO, ac HEREMITORIIS, & CAPPELLIS
hujusmodi eidem Monasterio annexis, illiusque
Abbati, & Conventui, ac singularibus Personis,
nec non eidem Confraternitati, ejusque Confra-
tribus nunc, & pro tempore existentibus præfatis
sub quibuscumque verborum formis, & expres-
30 sionibus respectivè concessa, & innovata, Litteras-
que præfatas desuper quomodolibet, & sub qua-
cumque forma, ut præfertur, respectivè expedi-
31 tas, dummodò tamen Privilegia, & Indulta hu-
jusmodi, aliaque præmissa sint in usu, & non re-
vocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa,
ac Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostoli-
32 cis, & Concilii præfati Decretis non adversentur,
Apostolica auctoritate præfata similiter de novo
earundem tenore præsentium perpetuò approba-
mus, & confirmamus, illisque perpetuæ, & in-
violabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus,
33 omnesque, & singulos tam juris, quàm facti, &
quarumcumque solemnitatum *de jure, usu*, vel
consuetudine, aut aliàs quomodolibet, ac in præ-
missis omissarum, nec non quoscumque alios
quantumvis substantiales defectus, si qui desupèr
quomodolibet intervenerint in eisdem supple-
34 mus; nec non *Monasterium*, ac *Heremitoria*, &
Cappellas hujusmodi ei *annexas*, dictique Mona-
sterii Abbatem, & Monachos, ac singulares Per-
sonas, nec non Confraternitatem, illiusque Con-
fratres nunc, & pro tempore existentes præfatos
omnibus, & singulis *Privilegiis, Indultis, Immu-
nitatibus, Exemptionibus, Libertatibus, Licentiis,
Juribus, Prærogativis, Concessionibus, Donis, Gra-
tiis, Indulgentiis*, etiam *plenariis, Remissionibus
peccatorum*, aliisque omnibus, & singulis præmis-
sis eis, & eorum cuilibet, ut præfertur, quomo-
dolibet concessis, approbatis, & innovatis, dum-
35 modò tamèn illa sint in usu, ut præfertur, nec re-
vocata, ac Sacris Canonibus, & Constitutionibus
Apostolicis, & ejusdem Concilii Decretis præfa-
tis non obstent: semper, & perpetuò pacificè uti,
frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè posse, &
36 debere. Ac easdem præsentes nullo umquam
tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nul-
litatis vitio, seù intentionis nostræ, vel quopiam
alio defectu notari, impugnari, vel invalidari pos-
37 se, sed eas semper & perpetuò validas, & effica-
ces esse, & fore, suosque plenarios, & integros
38 effectus sortiri, & obtinere; sicque ab omnibus
& singulis censeri, & ità per quoscumque Ju-
dices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Cau-
sarum Palatii Apostolici Auditores, nec non
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam
de Latere Legatos, Vice - Legatos, dictæ-
que Sedis Nuntios judicari, & definiri

ANNO 1727.

39 debere, irritum quoque decernimus, & inane; si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocircà dilectis filiis, moderno, pro tempo-
40 re existenti Nostro, & Sedis præfatæ *Nuntio* in Regnis Hispaniarum commoranti, & Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscopi Panormitan. *Vicario* in Spiritualibus Generali, & Episcopi Barchinonen. *Officiali* per Apostolica scripta
41 mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seù alios easdem præsentes, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte modernorum, & pro tempore existentium *Abbatis*, & *Monachorum*, ac *singularum Personarum*, nec non *Confratrum* hujusmodi, aut alicujus eorum fuerint requisiti, solemnitèr publicantes, eisque
42 in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia
43 inviolabiliter observari, non permittentes modernos, & pro tempore existentes *Abbatem*, & *Monachos*, ac *singulas Personas*, nec non *Confratres* hujusmodi desuper quomodolibet inde-
44 bitè molestari; facultatemque habeant citandi, & inhibendi Contradictores quoslibet, & Rebel-
45 les per Sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & Facti remedia, servatâ tamen formâ Concilii præfati, appellatio-
46 ne postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis Processibus Censuras, & pœnas ipsas, etiam sæpiùs, & quoties illis expediens videbitur, aggravando, & reaggravando, invoca-
47 to etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii secularis, non obstantibus felicis etiam Recorda-
48 tionis *Bonifacii PP. VIII.* etiam Prædecessoris nostri, in qua cavetur expressè, ne quis extrà suam Civitatem, vel Diœcesim, nisi in certis tunc expressis Casibus, & in illis ultrà unam Dietam à fine suæ Diœcesis ad Judicium evocare, seu ne Judices à Sede Apostolica deputati extra Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis suas vices committere audeant, vel præsumant, & in Concilio General edita de duabus Dietis, dummodo tamen ultrà tres Dietas aliquis vigore
49 earundem præsentium ad Judicium non trahatur, nec non nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ *de Indulgentiis ad instar non concedendis*, ac quibusvis aliis Apostolicis etiam in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Monasterii, & Ordinis præfatorum ac Confraternitatis præfatæ, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis Superioribus, & Personis in contrarium eorundem præmissorum quomodolibet forsàn concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, ac expressa, & individua, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expressè harum serie derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ *Absolutionis*, *Approbationis*, *Confirmationis*, *Roboris*, *Adjectionis*, *Defectuum supletionis*, *Decreti*, *Derogationis*, & *Voluntatis* infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo, 13. Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri *Anno quarto*.

I. B. Cauccius. A. Pagni Pro Sigill.

Loco ✠ Plumbi.

C. A. Sabbatuccius.

Registrata lib. 6. Divers. fol. 6. usque ad fol. 10.

XXXVI.

Constitutio quâ omnes Litteræ Apostolicæ, Privilegia, Immunitates, & Exemptiones Ordini Fratrum Minorum, nec non B. Claræ, & Tertio de Pœnitentia, à Romanis Pontificibus olim concessa, approbantur, confirmantur, & speciali forma innovantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Proœmium.

SUMME decet, ut quæ Romani Pontifices Antecessores Nostri Ordinibus Regularibus, magna pietatis, & doctrinæ laude in Ecclesia fulgentibus, privilegia concesserunt, ea iterum per Nos confirmentur, qui Regularem professionem emisimus, quique ex injuncto divinitùs Parvitati Nostræ Apostolatus officio tenemur eosdem Ordines Sanctæ Matri Ecclesiæ diu, noctuque famulantes, gratiis, & largitionibus Apostolicis in tam laudabili proposito confovere.

II. Motiva hujus Constitutiones.

Sanè ex parte dilecti Filii Fratris JOSEPHI MARIÆ AB EBORA Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Beati Francisci de Observantia nuncupatorum, Nobis expositum est, hanc Sanctam Sedem Apostolicam eidem Ordini in Religiosa vivendi Regula, & Evangelica Paupertate per vestigia Beati Francisci Auctoris sui fideliter incedenti, plurimis privilegiis se munificam, & liberalem ostendisse. Quidam enim ex Romanis Pontificibus Antecessoribus Nostris Seraphicam eorumdem Fratrum Minorum Regulam sæpenumerò, etiam in secundo generali Concilio Lugdunensi, approbaverunt; Alii verò quamplurimas exemptiones, immunitates, libertates, facultates, favores, Indulgentias, etiam plenarias, atque animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles, peccatorum remissiones, absolutiones, privilegia, prærogativas, atque Indulta spiritualia, & temporalia, aliasque insignes gratias eidem Ordini, & præcipuè Fratribus Minoribus, qui à Regulari Observantia nuncupantur, & Beatæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia appellato Ordinibus concesserunt, atque Apostolica auctoritate impertiti fuerunt: *Alii* demùm ad quascumque contentiones extinguendas, pacem retinendam, unitatem, disciplinamque religiosam servandam, & Prælatorum, Ministrorumque Regularium electionem ritè & pacificè peragendam, ejusdemque Ordinis sanctum, & felix regimen administrandum, præsertim eorumdem Fratrum de Observantia, Beatæ Claræ, & Tertii Ordinum præfatorum multas Sanctiones, Ordinationes, Constitutiones, Declarationes, & Decreta ediderunt, ac promulgarunt, de quibus omnibus existunt Literæ Apostolicæ tenoris sequentis, videlicèt.

1 Honori

III. Litteras Apostolicas Prædecessorum Pontificum, quæ hic specialiter confirmantur, enunciat.

1 Honorii III. incipientes : *Quia populares* : Pontificatus sui anno IX.
2 Aliæ Gregorii IX. incipientes : *Cum illorum*: Pontificatus sui anno III.
3 Aliæ ejusdem Gregorii incipientes : *Devotionis Vestræ* : Pontificatus sui anno VI.
4 Aliæ ejusdem Gregorii incipientes : *Ad Audientiam* : IX. Kalendas Martii Pontificatus sui anno XIV.
5 Aliæ ejusdem Gregorii incipientes : *Quia confusio* : Idibus Decembris, Pontificatus sui anno eodem.
6 Aliæ Alexandri IV. incipientes : *Ut in vestris* : V. Kalendas Julii, Pontificatus sui anno I.
7 Aliæ ejusdem Alexandri incipientes : *Convenit ut Sacer* : XVII. Kalendas Novembris Pontificatus sui anno eodem.
8 Aliæ ejusdem Alexandri incipientes : *Mente sollicita* : VII. Kalendas Augusti Pontificatus sui anno V.
9 Aliæ Martini IV. incipientes : *Exultantes* : IV. Idus Februarii, Pontificatus sui anno II.
10 Aliæ Nicolai IV. incipientes : *Quia nonnulli* : XI. Kalendas Maji, Pontificatus sui anno I.
11 Aliæ Bonifacii VIII. incipientes : *Inter cæteros* : III. Idus Novembris, Pontificatus sui anno I.
12 Aliæ Eugenii IV. incipientes : *Ad Statum singulorum* : IV. Idus Maji Pontificatus sui anno I.
13 Aliæ ejusdeem Eugenii incipientes : *Licèt Romani Pontificis* : Idibus Augusti Pontificatus sui anno IX.
14 Aliæ Nicolai V. incipientes : *Quia nonnulli* : XI. Kalendas Maji Pontificatus sui anno I.
15 Aliæ ejusdem Nicolai incipientes : *Etsi cunctorum* : XVII. Kalendas Februarii Pontificatus sui anno IV.
16 Aliæ Sixti IV. incipientes : *Cum semper* : IV. Maji Pontificatus sui anno I.
17 Aliæ ejusdem Sixti incipientes : *Sacrosancta Romana* : XII. Kalendas Decembris Pontificatus sui anno III.
18 Aliæ ejusdem Sixti incipientes : *Dum singulos Regulares Ordines* : Kalendis Maji Pontificatus sui anno IV.
19 Aliæ ejusdem Sixti incipientes : *Ut vestris in hac parte* : III. Idus Junii Pontificatus sui anno eodem.
20 Aliæ ejusdem Sixti : *Quæ, & Mare magnum nuncupantur* : Pridie Kalendas Septembris Pontificatus sui anno eodem.
21 Aliæ ejusdem Sixti incipientes : *Scripsimus* : XXIV. Octobris Pontificatus sui anno VIII.
22 Aliæ ejusdem Sixti : *Quæ & Bulla aurea nuncupantur* : VII. Kalendas Augusti Pontificatus sui anno eodem.
23 Aliæ Innocentii VIII. incipientes : *Admonet Nos* : XIV. Kalendas Februarii Pontificatus sui anno IV.
24 Aliæ Alexandri VI. incipientes : *Sacræ Religionis*:V. Februarii Pontificatus sui anno VIII.
25 Aliæ Julii II. incipientes : *Hodie à Nobis* : XX. Kalendas Junii Pontificatus sui anno I.
26 Aliæ ejusdem Julii incipientes : *Alias ad supplicationem* : I. Junii Pontificatus sui año VI.
27 Aliæ ejusdem Julii incipientes : *Charissimi in Christo* : I. Julii Pontificatus sui anno VIII.
28 Aliæ Leonis X. incipientes : *Notum fecimus* : VII. Januarii Pontificatus sui anno I.
29 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Religionis* ; III. Februarii Pontificatus sui anno eodem.
30 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Affectu benevolentiæ* : XVI. Februarii Pontificatus sui anno eodem.
31 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Dudum siquidem* : X. Junii Pontificatus sui anno II.
32 Aliæ ejusdem Leonis incipientes: *Cum sicut Nobis*:XXIX. Martii Pontificatus sui anno III.
33 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Superioribus diebus* : XIV. Maji Pontificatus sui anno V.
34 Aliæ ejusdem Leonis : *Quæ Bulla Unionis nuncupantur* : IV. Kalendas Junii Pontificatus sui anno eodem.
35 Aliæ ejusdem Leonis : *Quæ, & Bulla Concordiæ nuncupatur* : Pridie Idus Junii Pontificatus sui anno eodem.
36 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Exponi Nobis* : XXIX. Jul. Pontificatus sui anno eodem.
37 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Licèt aliàs* : VI. Decembris Pontificatus sui anno eodem.
38 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Celebrato nuper* : XI. Aprilis Pontificatus sui anno.
39 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Postquam* VIII. Augusti Pontificatus sui anno eodem.
40 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Dudum per Nos accepto* : X. Decembris Pontificatus sui anno VII.
41 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Affectum benevolentiæ* : XI. Decembris Pontificatus sui anno VIII.
42 Aliæ ejusdem Leonis incipientes : *Etsi pro injunctæ* : X. Januarii Pontificatus sui anno IX.
43 Aliæ Adriani VI. incipientes : *Exponi Nobis* ; XXXI. Julii Pontificatus sui anno I.
44. Aliæ Clementis VII. incipientes : *Dum fructus uberes* : XXX. Maij Pontificatus sui anno II
45 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Dum consideramus* : XVI. Aprilis Pontificatus sui anno III.
46 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Cum sicut Nobis* : XXVIII. Januarii Pontificatus sui anno VII.
47 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Vacantibus sub Religionis* : XIX. Septembris Pontificatus sui anno VII.
48 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Accepimus quod* : XX. Martii Pontificatus sui anno VIII.
49 Aliæ Pauli III. incipientes : *Altitudo divini* : Kalendis Junii Pontificatus sui anno III.
50 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Dudum siquidem* : XIV. Januarii Pontificatus sui anno V.
51 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Dudum felicis*: XVII. Aprilis Pontificatus sui anno VI.
52 Aliæ ejusdem Pauli similiter incipientes : *Dudum felicis* : XXXI. Martii Pontificatus sui anno X.
53 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Solet Romanus Pontifex* : XIX. Augusti Pontificatus sui anno XII.
54 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Cum sicut accepimus* : XVII. Maij Pontificatus sui anno XIII.
55 Aliæ Julii III. incipientes : *Pastoralis Officii* : pridie Nonas Octobris Pontificatus sui anno IV.
56 Aliæ Pauli IV. incipientes : *Ex clementi Sedis* : I Julii Pontificatus sui anno I.
57 Aliæ Pii IV. incipientes similiter : *Ex clementi Sedis* : XXVII. Aprilis Pontificatus su anno II.
58 Aliæ B. Pii V. incipientes : *Dum ad uberes* : XXIX. Julii Pontificatus sui anno I.
59 Aliæ ejusdem B. Pii incipientes : *Etsi Mendicantium* : XVII. Kalendas Julii Pontificatus sui anno II.
60 Aliæ ejusdem B. Pii incipientes : *Ex supernæ* : Kalendas Septembris Pontificatus sui anno eodem.

61 Aliæ ejusdem B. Pii incipientes : *Ea est officii nostri ratio* : V. Nonas Julii Pontificatus sui anno III.
62 Aliæ ejusdem B. Pii incipientes : *Romani Pontificis* : XIX. Julii Pontificatus sui anno VI.
63 Aliæ Gregorii XIII. incipientes : *Consuevit Romanus Pontifex* : VIII. Septembris Pontificatus sui anno III.
64 Aliæ ejusdem Gregorii incipientes : *Quoniam Nostræ* : VIII. Aprilis Pontificatus sui anno III.
65 Aliæ ejusdem Gregorii incipientes : *Pastoralis Officii*:XXII.Martii Pontificatus sui anno IX.
66 Aliæ ejusdem Gregorii incipientes : *Significasti Nobis* : XXXI. Decembris Pontificatus sui anno XIII.
67 Aliæ Sixti V. incipientes : *Etsi Mendicantium*: XXVIII. Januarii Pontificatus sui anno I.
68 Aliæ ejusdem Sixti incipientes : *Romani Pontificis Providentia* : XXIX. Martii Pontificatus sui anno eodem.
69 Aliæ ejusdem Sixti incipientes : *Desolatæ Gregis* : VIII. Novembris Pontificatus sui año II.
70 Aliæ Clementis VIII. incipientes : *Cum sicut* : X. Maji Pontificatus sui anno IX.
71 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Viso Memoriali* : XXV. Januarii Pontificatus sui anno XI.
72 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Licèt Sacro*:XII. Januarii Pontificatus sui año XIII.
73 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Expositum Nobis* : XXVIII. Januarii Pontificatus sui anno eodem.
74 Aliæ ejusdem Clementis incipientes : *Quæcunque à Sede* : VII. Decembris Pontificatus sui anno eodem.
75 Aliæ Pauli V. incipientes : *Expositum Nobis* : XXV. Junii Pontificatus sui anno IV.
76 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Cum inter Fratres* : XX. Novembris Pontificatus sui anno XI.
77 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Pro parte* : III. Junii Pontificatus sui anno XIII.
78 Aliæ ejusdem Pauli incipientes : *Congregatio Sacrorum* : XXIII. Martii Pontificatus sui anno XV.
79 Aliæ Gregorii XV. incipientes : *Cum aliàs* : XVII. Augusti Pontificatus sui anno I.
80 Aliæ Urbani VIII. incipientes : *Romanus Pontifex* : XV. Martii Pontificatus sui anno I.
81 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Aliàs à felicis recordationis* : VII. Februarii Pontificatus sui anno II.
82 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Cum sicut Dilectus* : XXX. Junii Pontificatus sui anno eodem.
83 Aliæ ejusdem Urbani incipientes similiter : *Cum sicut* : eisdem die, & anno.
84 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Exponi Nobis* : VIII. Augusti Pontificatus sui anno III.
85 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Expositum Nobis* : XIX. Februarii Pontificatus sui an-anno V.
86 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Ex incumbentis* : IX. JanuariiPontificatus sui anno VII.
87 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Cum Procurator* : XXII. Martii Pontificatus sui anno IX.
88 Aliæ ejusdem. Urbani incipientes : *Exponi Nobis* : XII. Julii Pontificatus sui anno eodem.
89 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Cum sicut* : II. Martii Pontificatus sui anno XV.
90 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Exponi Nobis* : XXVIII. Julii Pontificatus sui anno eodem.
91 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Aliàs postquam* : IX. Decembris Pontificatus sui anno XVII.
92 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Sacra Congregatio* : XXIX. Januarii Pontificatus sui anno XVIII.
93 Aliæ ejusdem Urbani similiter incipientes : *Sacra Congregatio* : X. Septembris Pontificatus sui anno eodem.
94 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Justis, ac honestis* : III. Maji Pontificatus sui anni XX.
95 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Sacra Congregatio* : Eisdem die, & anno.
96 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Aliàs à Nobis* : X. Junii Pontificatus sui anno eodem.
97 Aliæ ejusdem Urbani incipientes : *Cum sicut* : XVII. Novembris Pontificatus sui anno eodem.
98 Aliæ Innocentii X. incipientes : *Aliàs pro exequutione* : XXVII. Martii Pontificatus sui anno III.
99 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Sacra Congregatio* : XV. Decembris Pontificatus sui anno eodem.
100 Aliæ Alexandri VII. incipientes : *Cùm sicut*: XI. Junii Pontificatus sui anno V.
101 Aliæ ejusdem Alexandri incipientes : *Aliàs pro parte* : XXII. Junii Pontificatus sui anno IX.
102 Aliæ Clementis X. incipientes : *Exponi Nobis* : XXIII. Septembris Pontificatus sui anno VI.
103 Aliæ Innocentii XI. incipientes : *Nuper à Congregatione* : XXVI. Novembris Pontificatus sui anno III.
104 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Exponi Nobis* : XXVII. Novembris Pontificatus sui anno IV.
105 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Aliàs ad supplicationem* : XVI. Septembris Pontificatus sui anno IX.
106 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Aliàs pro parte* : XVI. Junii Pontificatus sui anno X.
107 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Exponi Nobis* : XVI. Octobris Pontificatus sui anno eodem.
108 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes similiter : *Exponi Nobis* : X. Februarii Pontificatus sui anno XII.
109 Aliæ ejusdem Innocentii similiter incipientes: *Exponi Nobis* : X. Aprilis Pontificatus sui anno eodem.
110 Aliæ Innocentii XII. felicis recordationis Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum incipientes : *Christifidelium* : XIV. Kalendas Martii Pontificatus sui anno III.
111 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Nuper pro parte* : VII. Aprilis Pontificatus sui anno eodem.
112 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Debitum* : XIX. Maji Pontificatus sui año eodem.
113 Aliæ ejusdem Innocentii incipientes : *Aliàs à felicis memoriæ* : V. Decembris Pontificatus sui anno VI. respectivè expeditæ.

Cùm autem, sicut eadem petitio continebat iidem Fratres Minores de Observantia Apostolicas largitiones, tàm ante literas fel. mem. Leonis X. Antecessoris nostri incipientes : *Ita & Vos* : Universo Ordini Beati Francisci, quam post Leonem ad hæc usque tempora iisdem Fratribus de Observantia, Beatæ Claræ, & Tertio de Pœnitentia Ordinibus, collata privilegia illæsa, & sarta tecta tueri optent, memoriâ repetentes, per Sedem Apostolicam semel concef-

ſa licèt ſæpe numero approbata, & confirmata, ſi denuò Apoſtolicæ auctoritatis præſidio fulciantur in ſuo robore magis perſiſtere, & maximum pondus apud omnes Chriſtifideles obtinere, propterea iidem Fratres Minores de Obſervantia prædictas literas Apoſtolicas noſtra auctoritate approbari, confirmari, & innovari cupientes, per eundem Joſephum Mariam Nobis ſimiliter ſupplicari fecerunt, ut dicti Ordinis Minorum ſtabilitati, & decori juxta eorum vota conſulere, deque Apoſtolica benignitate providere, ut in aliis jam fecimus, dignaremur.

IV. Apoſtolicas Literas in favorem Ordinis Minorum nuper à ſe expeditas commemorat.

114 Dudum enim per quaſdam literas noſtras IV. Idus Decembris 1725. incipientes: *Sollicitudo Eccleſiæ*: Inter alia ſuperiùs indicatam Conſtitutionem Pii Papæ V. cujus initium: *Dum ad uberes*: Quâ Ordines Regulares Mendicantium utriusque ſexus, resque eorum à quibuscunque exactionibus, & veſtigalibus eximuntur, de verbo ad verbum inſertam confirmavimus, & Ordinem Fratrum Minorum Regularis, & ſtrictioris Obſervantiæ inter quatuor Mendicantium Ordines comprehenſum, ideoque privilegiis in eadem Conſtitutione expreſſis gaudere declarantes, illum ab omnium vectigalium onere, & literarum ſolutione, præſertim in Dominiis S. R. E. perpetuò eximimus, aliisque gratiis Apoſtolicis cumulavimus.

De Exemptione à Gabellis.

115 Per alias etiam literas noſtras Romæ datas apud Sanctum Petrum anno 1725. IV. Idus Decembris Pontificatus noſtri anno II. incipientes: *Paterna Sedis Apoſtolicæ*: Alias literas, & privilegia à Romanis Pontificibus Anteceſſoribus noſtris in Tertiarios quoscunque, eorumque Ordinem quomodolibet collata, ipſosque Tertiarios habitum Pœnitentiæ à Fratribus Minoribus de Obſervantia ſumentes, & ab eis dependentes omnimodæ Juriſdictioni, & regimini Superiorum Generalium denuò ſubjecimus, & commendavimus.

De plena in Tertiarios Juriſdictione.

116 Ad hæc per alias Literas noſtras ſub annulo Piſcatoris Romæ pariter datas apud Sanctum Petrum die XIV. Februarii 1726. Pontificatus noſtri anno II. incipientes: *Paſtoralis Officii*: Statuimus, & ordinavimus, ut Fratres Minores de Obſervantia ubique terrarum tàm in Proceſſionibus quàm in publicis, & privatis actibus, & functionibus ſuper omnes Fratres Reformatos Miniſtro Generali totius Ordinis Minorum ſubjectos præcedentiâ gauderent.

De Præcedentia ſuper Reformatos quoscunque.

117 Mox per alias Romæ datas apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1727. Kalendis Martii Pontificatus noſtri anno III. incipientes: *Ex quo Sedes Apoſtolica*: Conceſſimus, & indulſimus, ut in Eccleſia BEATÆ MARIÆ DE ARA CÆLI de Urbe Conventus eorundem Fratrum Minorum Obſervantium Archiconfraternitas Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ inſtitueretur, cui aliæ quæcunque Confraternitates aggregari poſſent, cum nonnullis Indulgentiis in iisdem literis latiùs adductis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus.

De erectione Archiconfraternitatis Conceptionis Immaculatæ in Eccleſiis Ordinis.

118 Præterea Eccleſiis Miniſtro Generali ejusdem Ordinis Fratrum Minorum ſubjectis Indulgentias Altaris privilegiati ſub nonnullis modis, & formis conceſſimus, ut in Decreto ea de re die XIV. Decembris anni 1725. vulgato pleniùs continetur.

De Altaribus Privilegiatis perpetuis in Ordinis Eccleſiis.

119 Hodie verò per literas incipientes: *Loca Sancta*: Indulgentias, & Privilegia quæcunque ad Loca Sacra Paleſtinæ accedentibus, & Guardiano, & Fratribus Minoribus de Obſervantia ibidem morantibus, & exercitium Viæ Crucis in Eccleſiis eorundem Fratrum peragentibus antea conceſſa, noſtris quoque literis incipientibus: *Inter*
(a) *plurima*: (a) approbavimus, confirmavi-
120 mus, extendimus, & ampliavimus, ut in iisdem noſtris literis hodie confectis latiùs exprimitur.

De Privilegiorum Terræ Sanctæ Confirmatione, & Exercitii Viæ Crucis approbatione.

V. Præmiſſa omnia ampliſſimè confirmat, & approbat.

Quare eidem Joſepho Mariæ ſpecialem gratiam facere volentes, & à quibusvis Excommunicationis, Suſpenſionis & Interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum, ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, approbationes jam dictas, explicationes, declarationes, exemptiones, immunitates, libertates, facultates, favores, indulgentias etiam plenarias, & animabus in Chriſti charitate defunctorum applicabiles, peccatorum remiſſiones, abſolutiones, privilegia, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam quoad ſuſceptionem Sacrorum Ordinum extra tempora à jure ſtatuta, absque exhibitione literarum Apoſtolicarum in forma Brevis, ſed vigore privilegiorum per Apoſtolicam Sedem, vel expreſsè, vel per viam Communicationis Regularibus conceſſorum, ut nuper à Nobis ipſis in Concilio Lateranenſi, & per Congregationem
(b) particularem decretum eſt, (b) aliasque
121 gratias per modum etiam communicationis & extenſionis cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, præſertim S. Benedicti, ac, quem Nos profeſſi ſumus, Ordinis Prædicatorum, nec non Societatis Jeſu; Item Sanctiones, Ordinationes, Decreta, Moderationes, Conſtitutiones, tàm in Univerſi Ordinis Beati Franciſci ſub Fratrum Minorum tantùm, aut ſub alia quacunque denominatione, quæ hìc pro expreſſa habeatur, quàm in eorundem Fratrum Minorum Obſervantium, Beatæ Claræ, & Tertii de Pœnitentia Ordinum, quorum privilegiorum confirmatio per Nos facta, ſalva & illæſa perſiſtat etiam quoad Superiores, Fratres, Moniales, Sorores eorundem trium Ordinum, Perſonasque quascunque, & Procuratores, & Syndicos quorumvis Conventuum, ipſosque Conventus, Monaſteria, Domus Regulares, Eccleſias, & alia Loca, etiam quoad ritum celebrationis Miſſarum, recitationis horarum Canonicarum, & aliarum precum, ac Feſta Sanctorum Ordinis Minorum.

Poſſe extra tempora ordinari declarat.

Communicationem Privilegiorum tum FF. Prædicatoribus antea conceſſum confirmat, & cum Ordine S. Benedicti, & Societate Jeſu expreſsè concedit.

Confirmamus etiam ſuperiùs memoratas Litteras Apoſtolicas, in iis quæ præſentem ſtatum pacificum aliorum Ordinum Beati Franciſci nulla in re perturbant, & præcipuè Litteras Apoſtolicas prædictorum Anteceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & alias quascunque Apoſtolicas litteras quomodocunque editas, atque vulgatas, dummodo earum exiſtentia legitimè, & validè comprobetur, etiamſi eædem Litteræ ſæpiùs conceſſæ fuiſſent, quas omnes, & ſingulas, inque iis contenta quæcunque, atque inde poſtea legitimè deducta, pariter confirmamus, una cum reſcri-

VI. Confirmatio Generalis omnium Privilegiorum Ordinis etiam hic non expreſſorum in iis quæ pacificum ſtatum aliorum Ordinum ſecundæ, & tertiæ Regulæ non perturbant.

ptis

ptis per Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales inde confectis in favorem dictorum Fratrum; Volentes, ut hic pro sufficienter expressis, atque insertis tenores eorundem rescriptorum, & literarum cum omnibus clausulis, decretis, & derogationibus suis habeantur.

VII. Nonnulla Decreta in favorē Syndicorum edita, expressè approbat.

Una cum his præterea confirmamus duo alia Decreta per eosdem Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales Immunitati Ecclesiasticæ tuendæ præpositos, quorum prius
(c) 122 editum est die X. Maji 1669. (c) quo Procuratores, & Syndici Fratrum Minorum de Observantia ex literis Apostolicis fel. mem. Antecessoris nostri Clementis Papæ VII. gaudere declarantur privilegio fori in causis civilibus, criminalibus, & mixtis, nec posse compelli ad exercenda munia publica Communitatis, nec ab ullo molestari, nisi coram legitimo Conservatore: Alterum verò die XIV. Januarii 1698. vulga-
(d) 123 tum (d) quo Agentes Monasteriorum Monialium Ordinis Beatæ Claræ exempti dicuntur à represaliis.

Confirmamus item Declarationem S. R. E. Cardinalium bono Regimini Præpositorum
(e) 124 die XXIV. Januarii 1599. factam, (e) qua singuli Apostolici Syndici pro singulis Conventibus Fratrum Minorum Observantium legitimè deputati à solutione Collectarum in oneribus Communitatum exempti esse statuuntur.

VIII. Quæcunque alia Decreta favore trium Ordinum Beati Francisci emanata, & Literas omnes Prædecessorum, quamvis revocatas, innovat, & denuo concedit, dummodò Concil. Trid. non adversentur.

Demum confirmamus, & perpetuò approbamus quæcunque alia Decreta, Apostolicasque Declarationes per eosdem S. R. E. Cardinales quandocunque, & quomodocunque vulgatas pro Fratribus Minoribus Observantibus, & Beatæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia Ordinibus, dummodò ejusmodi Literæ, & Declarationes Concilii Tridentini Decretis non adversentur: In plenam etiam observantiam, pristinum, & validissimum statum restituimus, revocamus, innovamus omnia, & singula præmissa, & quatenus opus est, ea omnia denuò concedimus, & indulgemus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos juris, aut facti quarumcunque solemnitatum de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarum, ac in præmissis fortasse omissarum, nec non quoscunque alios, quantumvis substantiales defectus, si qui forsan quomodolibet reperirentur, auctoritate nostrâ supplemus.

IX. Clausulæ præservativæ harum Literarum.

Volumus autem, præsentes nostras Literas, & in eis, ut dictum est, contenta quæcunque, semper validas, & efficaces esse, & fore, suosque totos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat, & in futurum spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, neque ullo unquam tempore ex quocunque capite, etiam in Corpore Juris expresso, aut ex aliqua causa, quantumvis pia, legitima, privilegiata, & juridica, ex eo etiam quòd quicunque in præmissis, & circa ea quomodolibet ex qualibet causa, ratione, actione, vel occasione jus, aut interesse habentes, vel se habere prætendentes, illis non consenserint, nec ad id vocati, citati, & auditi fuerint, & causæ, propter quas eædem præsentes Literæ prodierint, adductæ, verificatæ & justificatæ non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, ac specificam, & individuam mentionem requirente defectu, sive etiam ex eo, quòd in præmissis, eorumve aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non forent, aut ex quocunque alio colore, prætextu, ratione, aliave causa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda esset, notari, invalidari, retractari, limitari, infringi, restringi, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci non possint, & nemo contra eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcunque facti, vel gratiæ remedium impetrare, seu quomodolibet, etiam motu proprio concesso uti, vel se juvare in judicio, vel extra illud valeat, nec easdem præsentes sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per Nos etiam, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, etiam die proxima post eorum assumptionem, vel aliàs motu simili, & consistorialiter, etiamsi de his nostris præsentibus specialis mentio fieret, pro tempore factis, & faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse volumus, & quotiescunque illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac denuò etiam sub quacunque posteriori data concessas esse, & fore decernimus.

X. Decretum irritans.

Sicque, & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quàvis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere volumus: Quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignotanter contigerit attentari.

XI. Cardinalis Protector Ordinis, vel etiam Auditor Cameræ eas faciant inviolabiliter observari.

Quocirca dilectis Filiis, nostro dicti Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum Cardinali Protectori, nunc, & pro tempore existenti, seu in illius absentia, vel defectu alteri ex parte S. R. E. Cardinalibus munus Protectoris hujusmodi gerenti, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori per easdem præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum per se, vel alium, vel alios easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, & quoties desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, faciant auctoritate nostra plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere, non permittentes quemquam contra præsentium tenorem super his quomodolibet indebitè molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, contradictores quoslibet, & rebelles per Sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & Facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis.

XII. Clausulæ derogatoriæ.

Non obstantibus nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis de non tollendo jure quæsito, & Constitutione fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. simili-

ter Prædecessoris Nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere audeant, seu præsumant, ac in Concilio generali edita de duabus dietis, aliisque quibusvis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Provincialibus, & Capitularibus dicti Ordinis Fratrum Minorum de Observantia nuncupatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis per Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, & Nos ipsos, & Sedem prædictam cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, revocativis, modificativis, præservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogativis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium eorumdem præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

XIII. Harum exemplis omnimoda fides habeatur.

Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis, manu alicujus ex Secretariis Ministri, vel Commissarii generalis Ordinis eorumdem Fratrum de Observantia, seu Notarii publici subscriptis, & Sigillo Officii ejusdem Ministri, vel Commissarii, aut Procuratoris generalis ipsius Ordinis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

XIV. Nemo hanc Constitutionem infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, novæ concessionis, roboris, adiectionis, defectuum suppletionis, Decreti, Mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo septimo 5. Nonas Aprilis Pontificatus Nostri anno III.

P. Cardinalis Prodatarius.

P. Cardinalis Oliverius.

Visa de Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXVII.

Constitutio, quâ privilegia Ordini Prædicatorum à S. Sede hactenus indulta confirmantur, innovantur, extenduntur, declarantur, ac novis etiam concessionibus ampliantur, cum necessariis, & opportunis derogationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§. 1.

Procemium.

PRETIOSUS in conspectu Domini Fratrum Prædicatorum inclytus Ordo, quem Divinus Sponsus, ad cumulandos dilectæ Sponsæ suæ Sacrosanctæ Ecclesiæ in Terris militanti cælestes Triumphos, excitavit, & quem Nos ab ineunte ætate nostra expressè professi sumus, promeretur, ut ea, quæ ob innumera, & in dies adolescentia erga Sedem Apostolicam merita, de plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, diversis sic meritis & ipsis exigentibus temporibus, gratiâ processerunt, in unum à Nobis redigantur, approbentur, confirmentur, & de novo, novis etiam supervenientis meritis, concedantur, ut ex eis omnibus sic in unum redactis, debita Privilegiorum amplitudo, & ex ea altitudo appareat meritorum, & Ordo ipse in Nobis Filii expertus obedientiam, & reverentiam, paterni nunc quoque, Divina sic disponente bonitate, nostri amoris affectum experiatur, & liberalitatem.

Motiva hujus Constitutionis

Hinc Nos, qui dudum inter alia voluimus, quòd Litteræ super Indulgentiis non expediantur *ad instar*, nisi specificentur, Ordinem Prædicatorum hujusmodi amplioribus gratiis, & favoribus prosequi volentes, ac dilectos Filios Fratrem Thomam Ripoll Magistrum, & Fratrem Angelum Guilielmum Molum Procuratorem Generales Ordinis, omnesque, & singulos illius Superiores, & Fratres, aliasque personas suo loco subjungendas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non omnium, & singulorum infrascriptorum Romanorum Pontificum Prædecessorum & Nostrarum mox referendarum Litterarum, Congregationum Decretorum, inferiùs dicendorum, respectivè tenores præsentibus, perinde ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti forent, pro expressis habentes, Motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, merisque deliberatione, & liberalitate nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, eidem Ordini omnes, & singulas successivè recensendas, ac alias quascumque gratias, exemptiones, Indulgentias, & peccatorum remissiones, nec non concessiones cujuscumque generis, conditionis, & speciei, Fratribus, & Sororibus quibuscumque prædicti Ordinis Prædicatorum, ac etiam Tertii Ordinis de Pœnitentia S. Dominici nuncupatis, de Apostolica largitate concessas tàm generaliter, quam specialiter, & in individuo, confirmamus, innovamus, & quatenus opus sit, de novo concedimus.

ANNO 1727.

I. Indulgentiæ pro Societate Nominis Jesu.

§. 2. Et primo quidem omnes, & singulas Indulgentias, Confraternitati Sanctissimi Nominis JEsu, sive aliàs Nominis Dei, & Juramentorum (quam ab ipso Ordine Prædicatorum originem duxisse, Prædecessor Noster Sanctus Pius V. in Litteris: *Decet Romanum Pontificem*; 21. Junii 1571. animadvertit, ejusque Auctorem antea Fratrem Didacum de Victoria Conventus Sancti Pauli Burgensis prædicti Ordinis, eundemque egregium Verbi Dei Prædicatorem dixerat Pius PP. IV. in Constitutione: *Salvatoris*: Idibus Aprilis 1564.) à prædicto Pio IV. in alia Constitutione incipiente: *Injunctum Nobis*: eisdem die, & anno: Gregorio XIII. in Litteris suis: *Aliàs per fel. rec. Pium PP. IV.* & duobus aliis incipientibus: *Aliàs fel. rec. Pius PP. IV.* 9. Julii, & 5. Septembris 1580, & 22. Septembris 1583. cæterisque aliis Romanis Pontificibus deinde concessas; declarantes, eas omnes Indulgentias accipiendas esse ad normam Litterarum Pauli V. *Quum certas unicuique Confraternitati*: 31. Octobris 1606. *Pias Christifidelium*: 28. Septembris 1612. *Quum sicut nuper accepimus*: 1. Aprilis 1613. atque Venerabilis record. Innocentii XI. *Quum dudum*: 18. Aprilis an. 1678. Declarantes insuper, ac mandantes juxta prælibatas Litteras S. Pii V. Confraternitatem eandem in locis, in quibus Conventus Ordinis præfati existunt, aut quandocumque sunt extituri, in solis ejusdem Ordinis Ecclesiis existere posse, ac in eisdem dumtaxat per Fratres prædictos functiones quaslibet ad d. Confraternitatem spectantes esse peragendas, nisi aliàs speciali Indulto aliud ab Apostolica Sede fortè concessum reperiatur; nec non ad normam prædictarum Pauli V. Litterarum: *Quum certas*: potestatem tales Confraternitates erigendi, & fundandi, ac Indulgentias communicandi, aliàs à S. Pio V. in memoratis Litteris, Provincialibus, ac etiam Conventuum Prioribus permissam, soli Ordinis Generali Magistro, vel Vicario Generali esse privativè adjudicandam.

Ubi reperiuntur Ecclesiæ Ordinis, in ipsis solis hæc Societas esse debet.

Soli Magistro Ordinis, aut Vicario Generali asseritur facultas ejuscemodi Societates fundandi.

II. Indulgentiæ pro Confraternitate Sanctissimi Corporis Christi.

§. 3. Indulgentias quoque, ac gratias omnes Confraternitati Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia domus B. M. V. super Minervam prædicti Ordinis Prædicatorum, ex qua tanquam à prima, & principe innumeræ aliæ in torum, quà latè patet, Christianum Orbem, in perpetuum tanti Sacramenti cultum, prodiere, à Prædecessoribus nostris ab ejusdem origine benignè concessas, nimirum, à Paulo Papa III. in Constitutione: *Dominus noster Jesus Christus transiturus*: pridie Kalend. Decembris 1539. & *Ad providam*: Gregorio XIII. *Pastoris æterni*: octavo Idus Augusti 1573. Paulo V. in Constitutione: *Quum certas*: 3. Novembris 1606.

III. Indulgentiæ pro Societate Sanctissimi Rosarii.

§. 4. Insuper Indulgentias Societati Sanctissimi Rosarii, ab ipso Ordinis Prædicatorum Fundatore P. S. Dominico cum insigni animarum fructu, & B. M. V. honore, instituti, à quocumque, & quomodocumque concessas: nominatim verò à laudato Sancto Pio V. LXXXVI. *Inter desiderabilia*: 28. Junii 1569. & à Sixto V. XXI. *Dum ineffabilia*: 30. Januarii 1586. Urbano IV. Johanne vulgò XXII. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Julio II. ac Leone X. (qui in Constit. XLVI. *Pastoris æterni*: Pridie Nonas Octobr. 1520. concesserat, ut Confratres, & Consorores Rosarii per Confessarium prædicti Ordinis Prædicatorum in certis diebus ab eodem assignatis absolvi possent ab omnibus casibus, & censuris, etiam Apostolicæ Sedi reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, eorumque Juramenta quæcumque, sine præjudicio alicujus, relaxari, & Vota, ultramarinis, Visitationis Liminum BB. Apostolorum Petri & Pauli, nec non Castitatis, & Religionis Votis exceptis, in alia pietatis opera commutari, Ordinarii Loci, vel cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ; quæ quidem, ut supra, pariformiter confirmamus, innovamus, & de novo concedimus, sed intelligenda, & accipienda volumus, & declaramus juxta sancita à Clemente VIII. in Constitutione CXV. *Quæcumque à Sede*: 7. Decembris 1604. §. 9. nimirum, ut Confessarii prædicti ab Ordinario Loci, & à suis Superioribus sint approbati, neque absolvere possint à gravioribus casibus prædictæ Sedi reservatis, & ab ipso Clemente VIII. ibidem expressis, aut reservatis Ordinario Loci, neque ab excommunicatione ab homine lata, neque dispensare valeant cum prædictis super quacumque irregularitate, ex defectu, vel delicto proveniente) Adriano VI. Clemente VII. Paulo III. Julio III. Paulo IV. Pio IV. & prædicto S. Pio V. ac Gregorio XIII. Nec non à nonnullis prædictæ Sedis de latere Legatis, & Nuntiis: ac demùm ab Innocentio XI. *Nuper pro parte*: 31. Julii 1671. simulque Decreta novissima per Congregationem SS. Indulgentiis præpositam edita 13. Apr. & 13. Augusti 1726. & per Nos approbata. Ad consolationem Personarum verè rudiorum, ac Divinis meditandis Mysteriis in præfato S. Rosario comprehensis minùs idonearum; Præterea declarantes easdem devotâ, ac piâ ejusdem Rosarii recitatione prædictas Indulgentias, juxta posterius hoc Decretum, Mysteria illa meditantibus tantummodo concessas, etiam lucrari posse; tametsi planè volumus, ut iisdem Reparationis nostræ Mysteriis Sacratissimis meditandis juxta Rosarii institutum assuefiant.

Super quibus Casibus, & Votis, & quinam Confessarii Ordinis possint cũ Rosarii Confratribus, & Consororibus absolvere, & comutare.

Rudiores sola devota recitatione Rosarii Indulgentias prædictas lucrari possunt.

§. 5. Ut tamen devotio Deo, ac B. M. V. adeò accepta, ac Populis salutaris in dies augeatur, de Apostolica benignitate indulgemus, quatenus in perpetuum visitantes infra Octavam, vel in ipsa Octava Festi Rosarii Capellam, in qua erecta sit Societas ejusdem Rosarii, die per eosdem eligenda, Indulgentiam plenariam consequantur, si confessi, ac Sacrâ Eucharistiâ refecti, pias de more Ecclesiæ ad Deum preces effuderint; Declarantes ad mentem quoque Prædecessorum Nostrorum, hanc & cæteras superiùs confirmatas Indulgentias, visitantibus Capellam Rosarii concessas, eos solummodo lucrari posse, qui Capellam ipsam, sive Altare, non verò quamcumque Sanctissimæ Virginis Rosarii Statuam extra Capellam prædictam constitutam visitaverint.

Indulgentia plenaria visitantibus Capellam Rosarii infra octavam, vel in ipsa octava ejusdem.

Visitanda Capella non Statua.

§. 6. Ne verò eadem devotio in posterum minuatur, Constitutionem CXLIX. Alexandri VII. incipientem: *In supremo*: editam die 28. Maij 1664. respectu Rosarii vulgò *Seraphici*: & aliam Clementis XI. *In supremo*: ad petitionem moderni Ordinis Prædicatorum Procuratoris Generalis 8. Martii 1712. respectu alterius Rosarii in honorem Sanctissimæ Trinitatis nuncupati, à consulta Sacrorum Rituum Congregatione emanatam, confirmamus, & innovamus, ut supra, easque, & in eis contenta quæcumque extendimus, & ampliamus, Motu, scientia, & potestate similibus, ad cætera quæcumque Rosaria de novo inventa, aut invenienda sine opportuna prædictæ Sedis facultate, quibus authenticum Rosarium prædictum, Deo, & B. M V. Sacrum, non sine Fidelium perturbatione antiquaretur.

Nova Rosaria interdicuntur.

§. 7. Confirmamus pari, & expressa Ratione eidem Ordini privativè circa Missam Votivam Privilegiatam prædicti Rosarii incipien. *Salve Radix Sancta*: Constitutionem XXIX. Clementis X. incipien. *Cælestium munerum*: 16. Februarii 1671.

Missa privilegiata Rosarii.

§. 8. Prædecessorum insuper quorumvis Nostrorum Constitutiones, nec non Congregationis Rituum in una *Mediolanen.* Decretum latum die 9. Aprilis 1661. quibus post S. Pium in prædicta Constitutione: *Inter desiderabilia*: asserta est privativa facultas erigendi, ac fundandi Societates Rosarii, eisque prædictas Indulgentias communicandi soli Magistro Ordinis, aut Vicario Generali prædicto; Ita tamen, ut per præsentem Constitutionem nostram

Solius Magistri Ordinis, aut Vicarii Generalis facultas privativa instituendi Societates Rosarii, facta eidem Magistro certa facultate pro Regionibus Occident & Orient. subdelegandi alios in Ordine ad ibid. illas, sicut & alias Soc. instituendas.

Motu,

Anno 1727.

Motu, scientia, & potestate prædictis Indultum illud per Prædecessores Nostros Innocentium XII. & Clementem XI. in Apostolicis Litteris suis similiter incipientes: *Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Antoninus Cloche*: 1. Martii 1692. & 18. Februarii 1713. eidem tunc in humanis existenti Ordinis prædicti Magistro quoad viveret concessum, circa facultatem Provinciales Canariensem, S. Crucis, S. Antonii in Indiis, Mexican. Peruan. Quiten. Chilen. Guaxacan. Chiapen. Angelorum in nova Hispania, Philippinarum, & Congregationis Indiarum Orientalium Portugalliæ, nec non Vicarios Provinciales Missionariorum in Tunkini, & Sinarum Regnis, pro erectione Societatis Rosarii, in illis Regionibus longissimè distantibus, substituendi, & delegandi ea lege, ut iidem alios subdelegare nullatenus possent, & quotannis eundem Antonium de erectis Confraternitatibus certiorem reddere tenerentur, ac salva semper auctoritate Congregationis Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardin. Concilii Tridentini Interpretum, non solùm ad modernum primò dictum, sed etiam ad quemvis pro tempore futurum prædicti Ordinis Magistrum, etiam respectivè ad Provincialem de Buenos Ayres, & ad Vicarios Congregationis Sanctissimi Nominis JEsu, & Sac. Rosarii in America, ac etiam in ordine ad erigendas Societates supradictas ejusdem Nominis JEsu, & infra dicendas Militiæ S. Thomæ in prædictis omnibus Regionibus, extendimus, & ampliamus.

Pro fundandis Societatibus non requiritur distantia aliàs sancita.

§. 9. Ac demum Declarationem prædictæ Congregationis Indulgentiis præpositæ 7. Septembris Anno 1607. de Mandato prælaudati Clementis VIII. nimirum, pro erigendis novis illis, aliisque Societatibus non requiri distantiam illam, quæ per antiquiores Apostolicas Ordinationes sancita fuerat, dummodo cætera serventur requisita.

IV. Indulgentiæ pro Societate Crucesignatorum & Ministris S. Officii.

§. 10. Deinde Indulgentias omnes, ac singulas, & gratias à S. Sede Crucesignatis, ac Ministris S. Officii concessas, neque ab eadem Sede expresse revocatas.

V. Indulgentiæ pro Societate Militiæ Angelicæ Cinguli S. Thomæ.

§. 11. Ulteriùs Indulgentias omnes, & singulas, & gratias Societati *Militiæ Angelicæ*: aut *Cinguli S. Thomæ Aquinatis* pro obtinenda sub protectione ejusdem in arduo tentatæ castitatis certamine victoria, ac respectivè propaganda erga S. Doctorem devotione, fundatæ concessas pro diversis Ecclesiis Conventuum nostri Ordinis prædicti ab Apostolica Sede per Innocentium X. Brevi dato ad Lovanienses 21. Martii 1654. Innocentium XI. pro Ecclesia sub nuncupatione Rosarii Conventus Veneti: & præcipuè per Innocentium XII. pro Ecclesia Conventus Mutinen. sub die 24. Decembris 1695. ac pro Ecclesia Conventus Cæsaraugustani ad Sanctum Idelphonsum in Constitutione incipiente: *Considerantes nostræ mortalitatis*: Idibus Septembris 1693. cui inhærentes præcipuum huius Societatis Festum declaramus diem XXVIII. Januarii, Translationi Corporis S. Doctoris sacrum, eamque Societatem cum prædictis Indulgentiis, & gratiis à Prædecessoribus nostris concessis ad totum prædictum Ordinem Prædicatorum auctoritate, ut supra, extendimus, & ampliamus; eidemque quatenus opus sit unientes, & incorporantes Societatem Academiæ Studentium ejusdem S. Thomæ, fundatam in Ecclesia Barchinonensi Fratrum Prædicatorum ad honorem S. Catharinæ V. & M. erecta, ac cum prædicta fermè convenientem, atque confirmatam, & pluribus Indulgentiis auctam à Sixto V. in Constitutione sua: *Salvator Noster*: Kalend. Junii 1586. Deinde à Paulo V. in Constitutione incipientem: *Pietatis, & Christianæ caritatis*: 4. Septembris 1617. ac demum ab Innocentio XI. *Dudum fel. rec. Paulus PP. V.* 16. Junii 1681. concedimus, & communicamus quaslibet Indulgentias à mox dictis Prædecessoribus nostris huic Societati & Academiæ concessas, ac illi antea ex aliis prædictis Apostolicis Indultis non convenientes, ac expresse, & signanter illam LX. dierum pro iis, qui ex eadem Societate, Conclusionibus, & Disputationibus Theologalibus ejusdem Societatis interfuerint: quo sic Angelico S. Thomæ lacte pasti, ac nutriti Confratres, & Consorores, castitatis donum Deo dante feliciùs tueantur amissum; Eadem Auctoritate Apostolica præfatas Confraternitates erigendi, & instituendi ubique facultatem, & quidem privativam, concedentes Magistro Ordinis, ac Vicario Generali pro tempore.

Festum ejus præcipuum.

Unitur eidem Societas Academiæ Studentium S. Thomæ.

Magistri Ordinis, & Vicarii Generalis facultas privativa eam Societatem ubique fundandi.

VI. Indulgentiæ pro Ecclesiis, Societatibus, & H.b. tu benedicto Ordinis.

§. 12. Demum Indulgentias quarumcumque aliarum Societatum in Ecclesiis quibusvis Ordinis prædicti canonicè erectarum, eisdem à prædicta Sede concessas, sicuti & quaslibet Indulgentias Ordinis Ecclesias visitantibus à quocumque concessas; Iisque addimus Indulgentiam quinque annorum, totidemque quadragenarum singulis devotè deosculantibus Religiosum Habitum Ordinis benedictum.

VII. Regulæ pro Congregationibus Sæcularium spectantium ad Societates erectas in Ecclesiis Ordinis.

Dispositio circa bona earundem Societatum.

§. 13. Quum verò Nobis multiplici constet experimento, Congregationes ab usu, Cappæ, *Cappatas*, & respectivè *non Cappatas*, aut quocumque nomine appellatas uniones Secularium administrantium temporalia bona ad prædictas Nominis JEsu, Rosarii, aliasque Societates Seculares in Ecclesiis præfati Ordinis fundatas spectantia, quæque de directo Dominio præfatorum Fratrum, sive eorum Conventuum, aut Ecclesiarum, in opus pium etiam determinatum convertenda, verè & realiter sunt, & quatenus opus sit, verè & realiter esse, ac fore quandocumque, Motu, scientia, & auctoritate prædictis declaramus, & sancimus: sive ad aliquod pietatis opus, vel devotionem aliquam peragendam, in eisdem Ecclesiis, aut in aliquo Oratorio ad prædictum Ordinem quoque spectante, quomodocumque introductas, contra suam ipsarum Institutionem, in apertam Dei, B. M. V. Sanctorumque, sub quorum Invocatione erectæ fuerant, ac fundatæ, gravemque injuriam, Fidelium scandalum, & prædicti Ordinis Fratrum perturbationem, ac præjudicium, passim contra ipsorum Superiorum ejusdem Ordinis Auctoritatem per despoticam bonorum prædictorum administrationem, per lites acerrimas Fratribus intentatas, ac nonnisi expensis Societatum præfatarum in præposterum usum conversis, introductas, ac terminatas, per apertum contemptum; Immo quandoque, quod longè intolerabilius est, per violentam sui ipsorum introductionem in Sanctuarium, sive in ea, quæ merè spiritualia, aut spiritualibus adnexa sunt, nec non per plures alios diversos modos, utique damnandos, sese erigere, atque intromittere; Hinc ad tantum malum tollendum, per novissimum Capitulum Generale Ordinis Bononiæ habitum 1725. in Commissione II. ad Nos delatum, & ad consulendum Dei, B. M. V. & Sanctorum famulatui, Ecclesiarum decori, ac Fratrum prædictorum quieti, non solùm hactenus aliquas ejuscemodi effrænes Congregationes per Apostolicas Litteras suppressimus, verùm, ut Apostolica providentia nostra ad totum spectatissimum Ordinem in hoc ipso quoque sese extendat, Motu, scientia, & potestate prædictis sub interminatione Divini Judicii, nec non sub Excommunicatione latæ Sententiæ eo ipso, absque aliqua alia declaratione incurrenda, à qua solùm per Magistrum Generalem, vel Generalem Vicarium Ordinis, & non

Motiva ejusdem Ordinationis.

Fratres inposterum nullam ejuscemodi Congregationem introducere audeant.

per alium quemcumque inferiorem, absolvi possint, omnibus, & singulis Fratribus, & Superioribus, etiam Provincialibus prædicti Ordinis, præcipimus, & mandamus, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, ne, ubi hactenus prædictæ, aliæve consimiles quæcumque Congregationes, aut Uniones erectæ, fundatæ, & institutæ non sunt, non solùm actu introducere, sed ut introducantur attentare, vel operari, inconsulto Romano Pontifice pro tempore, audeant, vel præsumant. Ubi verò primùm sub veræ devotionis obtentu, vel Fratrum conniventia, vel alia quacumque via, & causa in Ecclesiis, aut Conventibus, & Oratoriis prædictis, actu erectæ, & institutæ repeFiuntur, districtissimè in virtute Sanctæ Obedientiæ eisdem Congregationibus, aut Unionibus, earumque singulis Membris præcipimus, & mandamus, ut juxta religiosum, ac pium Societatum, quarum sunt Ministri, institutum, omnino intra certos modestiæ terminos ita sese contineant, ac in Dei famulatu exerceant, ut firma penitus, ac illæsa undique sit debita respectivis Superioribus prædicti Ordinis, eorumque delegatis Religiosis, obedientia, & subjectio: in iis omnibus, quæ Societatem, ac etiam Congregationem ipsam, sive spiritualia sint, sive temporalia, & nominatim ac signanter & expressè dispensationem, custodiam, ac usum prædictorum bonorum mobilium, & immobilium quorumvis, quomodocumque spectant, ut uno corde, & ore cum prædictis Fratribus Directoribus, Deo in odorem suavitatis ministrent.

Congregationum debita obedientia erga Fratres in divinis.

§. 14. Si verò, quod absit, Congregatio aliqua prætextu consuetudinis etiam immemorabilis, aut conventionis, vel alterius cujuscumque tituli adhuc obsistere pergat in iis, quæ præsenti hac nostra Constitutione sancita sunt, Motu, scientia, & potestate similibus eam, ejusque omnia, & singula Membra contra prædicta quovis modo refragantia privamus tam in vita, quàm in morte, & post mortem omnibus, & singulis Indulgentiis, & gratiis spiritualibus quibuscumque ad Societatem, ad quam pertinebunt, spectantibus, eamque, vel eas supprimimus, atque dissolvimus, quinimmo privatas, suppressas, & dissolutas declaramus, & decernimus; Mandantes locorum Ordinariis, ut de hoc ipso per prædictos Fratres admoniti, invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, talem dissolutionem, & suppressionem ad exitum perfectum omninò perducant, applicatis bonis mobilibus, & quidem omnibus in universum, & quibuscumque in favorem Ecclesiæ Fratrum: immobilibus verò, duntaxat post deductam in favorem ejusdem Ecclesiæ Fratrum congruam dotem, pro decenti manutentione Capellæ, seu Altaris, nec non pro Missis perpetuò per ipsos celebrandis, Seminario Clericorum, eoque deficiente, alteri operi pio sibi bene viso, quoties tamen bona prædicta tam mobilia, quàm immobilia præfatæ Capellæ, aut Altari Fratrum ex aliqua gravissima causa minimè relinquenda fore visum fuerit. Si verò bona ipsa leviora sint, eadem omninò Capellæ, sive Altari, & Conventui plenaria applicanda sancimus, & applicata declaramus.

Privantur refragantes gratiis spiritualibus Societatis eorum.

Dissolvendæ Congregationes refragantes, & modus dissolutionis peragendæ.

§. 15. Eandem verò subjectionem Prælatis, ac Religiosis Ordinis circa prædicta omnia præstabunt etiam Seculares quicumque, congregati ad administranda bona Societatis Rosarii in iis locis, in quibus auctoritate Apostolica, vel Magistri Ordinis erecta fuerit Societas, postquam in ipsis locis erigi contigerit Conventum dicti Ordinis, cui eo ipso plenariè, ac subjectivè accedit Societas hujusmodi cum omnibus, & singulis Indulgentiis, pertinentiis, ac bonis quibuscumque suis spiritualibus, & temporalibus, non solum ex Litteris Erectionis per Magistrum Ordinis dari solitis, sed etiam ex Apostolica Gregorii XIII. Constitutione: *Dudum siquidem*: 1. Augusti 1575. quam Nos confirmantes, innovantes, aut de novo concedentes (atque etiam per omnia similiter extendentes ad Societatem Sanctissimi Nominis Jesu) nunc pro tunc, talem Societatem cum cujuscumque generis bonis spiritualibus, & temporalibus, mobilibus, & immobilibus, adjudicamus, unimus, & incorporamus, & sic adjudicata, unita, & incorporata declaramus Conventui, sive Ecclesiæ dicti Ordinis; Mandantes quoad Societatem ipsam, & bona quævis spiritualia ita inviolabiliter, indefinitè quidem, & in perpetuum observari: Quoad temporalia verò, quotiescumque justa de causa à Magistro Ordinis pro tempore expendenda, ac de ipsius licentia expressa, non contingat Fratres præfatos in erectionem alicujus novi Conventus consentire cum aliquorum, aut omnium illorum bonorum assignatione, ad quem effectum eidem Magistro necessarias, & opportunas facultates elargimur. Quatenus verò à tali prædicta subjectione iidem congregati recedant, eorum Congregationem pari ratione dissolvendam, immò dissolutam, ex nunc, ut prædictum est, declaramus, volumus, & mandamus.

Regulæ pro Societatibus in locis, in quibus novos Conventus erigi contingat.

§. 16. Quoad Processiones autem confirmamus, innovamus, & de novo concedimus Motu, scientia, & potestate, ut supra, Privilegium indultum Fratribus prædictis à S. Pio V. in Litteris in forma Brevis datis 20. Junii 1570. quòd soli possint peragere Processionem cum Augustissimo Sacramento in Dominica infra Octavam Corporis Christi horâ quâ maluerint, & per vias semel tantummodo per eos eligendas; Quod quidem Indultum non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, & consequenter derogando illi Gregorii XIII. quæ incipit: *Quum interdum*: 11. Martii 1573. non solùm confirmavit Clemens VIII. in Constitutione: *Dudum fel. rec. Pius PP. V.* 8. Martii 1592. verùm etiam illud extendit ad Conventus quoscumque, non modò jam erectos, sed quandocumque erigendos, concessâ Indulgentiâ plenariâ interessentibus eidem Processioni; quæ omnia amplissimè confirmamus, ut prædictum est, quibuscumque, ut infra, plenissimè derogantes: Et mandantes prædictis Fratribus, quatenus omni cunctatione seposita prædictam Processionem solemniter instituant prædicta die, in iis saltem locis, in quibus aliam non elegerint; ac præcipientes Locorum Ordinariis, ut quævis impedimenta, & obstacula efficaciter submoveant: ad hoc, ut quæ à Prædecessoribus Nostris Prædicatorum Ordini, cujus Filius clarissimus Divus Thomas incomparabilibus, ac propemodum divinis præconiis, laudibus, & hymnis per sacrum hujusmodi tempus recinendis, Gloriam Sanctissimi Sacramenti in Catholica Ecclesia auxit, perennavitque, ac propterea de aucta simul, & propagata veneratione Corporis Christi tantopere benemerenti, beneficia jure maximo collata, restituta in Domino gaudentes videamus.

VIII. Processio Corporis Christi Dominica infra Octavam Festi ejusdem.

§. 17. Indultum præterea eidem Ordini per nostras Litteras incipientes, *In supremo*: 10. Aprilis 1725. impartitum, confirmamus, volentes, & mandantes, quòd ejusdem Ordinis Fratres Processionem solemnem Rosarii juxta dictas Litteras nostras in prima Dominica Octobris celebrare debeant, & respectivè possint, absque interventu Parochi, & licentiâ ab Ordinario Loci minimè requisitâ, sive sint in possessione eandem Processionem faciendi, sive non.

Processio Rosarii primâ Dominicâ Octobris.

§. 18. Ex quo verò nonnullis in Locis, sicut percepimus, iidem Fratres legitimè impediti, ex concursu alterius consimilis Processionis aliorum

Eadem Processio in alios dies translata.

Conven-

ANNO 1727.

Conventuum ejusdem Ordinis, vel ex alia causa, talem Processionem ad alium diem differre coguntur, vel etiam juxta consuetudinem ibidem obtinentem uno, aut altero die B. Virgini Mariæ sacro quotannis publicam Processionem ejusdem Rosarii peragunt, motu, scientia, & potestate sæpe dictis tale Indultum quoad omnia, & singula in eo contenta pro eisdem circumstantiis extendimus, & ampliamus.

Processio solemnis Nominis Jesu.

§. 19. Pari ratione concedimus, ac volumus in quolibet primo anni die eosdem Fratres solemnem Sanctissimi Nominis Jesu Processionem liberè, & licitè ubique locorum peragere posse, ac debere.

Processiones Rosarii, & Nominis Jesu, etiam extra Claustra.

§. 20. Similiter confirmamus consuetudinem pluribus in locis, saltem aliquibus ab hinc annis, ut accepimus, obtinentem, eique Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, quòd in Processionibus Nominis Jesu, & Rosarii, quæ singulis mensibus à Fratribus prædictis, juxta supra memoratas Concessiones Apostolicas cum Indulgentia plenaria peraguntur, eædem fiant etiam extra ambitus Conventuum, quo uberiùs populi commoditati, & devotioni, orationum recitationi, & ad convenientiùs lucrandum Indulgentiam, consulatur: Districtè prohibentes, ne super his à quocunque, quavis authoritate pollente, impediri possint, aut molestari; Imò concedimus cæteris Conventibus Ordinis, in quibus nimis compendiosus videri posset intra, & circa claustra circuitus, pro eisdem Processionibus debitè instituendis, convenientem transitum extra Ecclesiam, & Claustra, cum Ordinario Loci tantummodò; & semel dirigendum, illum, nunc pro tunc, Apostolica auctoritate tenore præsentium ratum habentes, & perpetuò retineri mandantes.

Ex prædictis Processionibus nullum consequitur præjudicium Parochorum Jurisdictioni.

§. 21. Et quia prædictas sacras Functiones, Populum à vanis retrahentes, & in Dei servitio diutiùs continentes, inde præcipuè impediri contingit, quia Parochis persuasum est, per easdem suam ipsorum Jurisdictionem deturbari: Quum de reliquo jugi, ac tumultuario Sæcularium per easdem vias, in quibus fierent Processiones, excursu, eidem propriæ Jurisdictioni nullum præjudicium inferri noscant, & sciant, ad hujusmodi controversiarum radicem evellendam, motu, scientia, & potestate, ut supra, sancimus, decernimus, & declaramus, ex Processionibus prædictis, aut aliis quibuscunque, etiam cum Cruce erecta, & Stola, nullum aut de jure, aut de facto generari, & sequi posse præjudicium Parochorum juribus: Nec non Fratres prædictos cum Cruce erecta, ac Stolam gestantes sine licentia Ordinarii, & interventu Parochi easdem Processiones, omnesque alias peragere posse, ac debere.

Processiones, ad quas Fratres accedere tenentur.

§. 22. Quum insuper Nobis compertum sit, quantum detrimenti adferant Studiis, Regulari Observantiæ, ac etiam Ecclesiasticis Functionibus extraordinariæ illæ Processiones, ad quas quandoque Fratres prædictos adigi alicubi contingit, motu, scientia, & auctoritate similibus, volumus, & mandamus, quòd Fratres prædicti non teneantur accedere, nisi ad Processiones sequentes: Ad illam scilicet, quæ fit in die Corporis Christi: Illas, quæ fiunt in Litaniis majoribus, & Rogationibus, & alias, quæ pro bono, causa, aut honore publico, ab Episcopis indicentur, juxta Decretum Generale anni 1682. Circa quas tamen non intendimus aliquid innovare pro illis Conventibus, & Locis, in quibus ex Apostolica dispensatione, Decreto aliquo Congregationum S. R. E. Cardinalium, vel consuetudine, Fratres ad omnes, vel aliquas Processiones accedere antehac non tenebantur, aut non consueverunt: Quos imò in hoc ipso nullatenus posthac turbari volumus: Eaque Indulta, & Consuetudines pro iisdem confirmamus, innovamus, & de novo concedimus, ipsis Apostolicæ firmitatis robur addentes, sublatis quibuscunque Decretis Congregationum, consuetudinibus etiam centenariis, ac immemorabilibus, nec non pactis, & conventionibus, ac cæteris contrariis quibuscunque.

ANNO 1727.

IX. Explicatio Indulti pro Altaribus Privilegiatis.

§. 23. Aliud quoque Indultum ipsi Ordini per Nos concessum in Literis datis 22. Septembr. 1724. & incipientibus: *Exponi Nobis*: circa Altaria Privilegio affecta non solùm, ut supra, confirmamus, & innovamus, & de novo concedimus, verùm prætereà declaramus, accipiendum juxta alias Literas Clementis IX. *Quum fel. rec. Alexander PP. VII.* emanatas sub 23. Septembris 1669. ita, quòd Missæ secundum tenorem Literarum nostrarum prædictarum à Fratribus Prædicatoribus celebratæ intelligantur, & sint eodem Privilegio affectæ, tametsi non sint Defunctorum, sive sint ex obligatione, sive ex devotione, quotiescunque Missa Defunctorum celebrari non possit.

X. Quando transferantur etiam Indulgentiæ.

§. 24. Illud Indultum Ordini Prædicatorum aliàs impartitum à Leone X. in Constit.: *Exposuit Nobis*: 23. *Julii* 1518. quòd scilicet, *quoties Festivitates SS. Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, & Catharinæ Senensis, & Octavarum earundem celebrationes qualibet ex causa, etiam extra tempus Interdicti transferrentur, etiam Indulgentiæ, Ecclesias visitantibus in Festivitatibus hujusmodi, & per earum Octavas pro tempore concessæ, ad tempus celebrationis hujusmodi sint, & censeantur translatæ*, auctoritate Apostolica approbantes, innovantes, & de novo concedentes, ut supra, pari ratione extendimus ad alias Festivitates aliorum ejusdem Ordinis Sanctorum Fastis adscriptorum, vel imposterum adscribendorum, & ad Festum omnium ipsius Ordinis Sanctorum, quod die IX. Novembris celebrari solet, atque ad Octavas, & Indulgentias pro eisdem à Prædecessoribus nostris, vel à Nobis hactenus concessas, ac quandocunque concedendas: Ac etiam ad Festum, & Octavam Sanctissimi Rosarii, quoties ob occurrentes majores Festivitates, vel alias causas transferri contingat.

XI. Facultas Superiorum Ordinis ad absolvendos eorum Subditos.

§. 25. Facultatem quoque datam à sæpedicto Sancto Pio V. in Constitutione CXXXII.: *Romani Pontificis circumspecta benignitas*: 21. Jul. 1571. Prælatis Ordinis, absolvendi sibi subditos Fratres, ac Sorores, & cum eis dispensandi, sicut absolvere, & dispensare possunt Episcopi cum eorum Clericis ex *Decret. Concil. Trident. Sess.* XXIV. *Cap.* VI. Interdicto tamen penitus iisdem Fratribus, & Sororibus usu Cruciatæ, sive alterius cujuscunque Privilegii, ad eligendum sibi Confessarium, & obtinendas ejuscemodi dispensationes, & absolutiones, quem usum etiam providè interdixerunt Clemens VIII. Constitutione LXIV.: *Romani Pontificis*: 23. Novembris 1599. & Urbanus VIII. Const. CV. *In specula*: 19. Junii 1630. iisdem Prælatis confirmamus, ut supra, innovamus, & quatenus opus est, de novo concedimus. Ac insuper attendentes, Julium II. Prædecessorem nostrum in Constitutione: *Exponi Nobis*: Inferiùs referenda, decrevisse, quòd omnes Prælati Ordinis Prædicatorum, quibus antea à Sixto IV. in Constitutione VII. *Regimini*: Kal. Januarii 1474. §. 4. & in alia incipiente: *Quoniam omnes*: 28. Maji 1481. concessa fuerat Potestas absolvendi, & dispensandi suos Subditos in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ, & Gregorium IX. Innocentium IV. Alexandrum IV. Clementem IV. Bonifacium VIII. ac successivè alios Prædecessores nostros, ut Religiosorum excursibus, Ordinis decori, ac Superiorum auctoritati providè occurrerent, amplam iisdem Prælatis Ordinis circa sibi subditos Fratres, & Moniales, facultatem dedisse, ut super casibus, & censuris eidem Sedi aliàs reservatis absolverent, & dispensarent; Confirmamus quoque, innovamus, de novo

novo, ut prædictum est, concedimus, atque decernimus, & declaramus, prædictos Ordinis Prælatos absolvere posse Fratres, & Sorores sibi subjectos, & subjectas ab omnibus, & singulis casibus, & censuris, Sedi Apostolicæ etiam per Bullam Cœnæ reservatis, exceptis dumtaxat illis, quos laudati Sixtus IV. & Julius II. in præmissis eorum Constitutionibus excipiendos fore voluerunt: Eosque dispensare posse super quavis irregularitate, ex homicidio voluntario ortâ dumtaxat exceptâ; Possit tamen solus Minister Ordinis ab irregularitate hujusmodi dispensare cum Fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, & intra Claustra extiterit consummatum.

Regula pro Confessariis Sæcularium.

§. 26. Animo quoque repetentes, à Sede Apostolica fuisse concessa quamplura privilegia circa absolutionem, relaxationem Juramentorum, & Votorum commutationem, pro Confessariis Ordinis prædicti quoad Personas Sæculares, ac præcipuè spectantes ad Societates suprамemoratas, ad tollendas super hoc quascunque dubietates ex diversis prædictæ Sedis, juxta temporum, & circumstantiarum diversitatem providè emanatis dispositionibus, atque ex Auctorum in diversa abeuntium opinionibus subortas, volumus, sancita in prædicta Const. Clementis VIII. incipiente: *Quæcunque à Sede*: ab omnibus, & circa quaslibet Personas inviolabiliter observari.

Facultas Confessariorum Ordinis circa adscriptos, & non adscriptos Societatibus in Ecclesiis Ordinis erectis.

§. 27. Bene verum est, quòd circa Personas prædictis Societatibus adscriptas intelligimus, prout volumus, & de Apostolica benignitate indulgemus, concedimus, & declaramus, ut à Confessariis Ordinis Prædicatorum absolvi, eorumque juramenta relaxari, ac Vota commutari, sicut de Confratribus, & Consororibus Rosarii supra diximus, & concessimus, possint, ac valeant, pro Societate quidem Sanctissimi Nominis Jesu in primo anni, & tribus immediatè præcedentibus diebus, juxta superiùs innovatas Constitutiones Pii VI.: *Injunctum*: Et Gregorii XIII. *Aliàs fel. rec. Pius PP. IV.*: Pro aliis verò Societatibus in Festo præcipuo ipsarum, & tribus diebus tale Festum immediatè antecedentibus. Et circa reliquas Personas Sæculares Societatibus minimè adscriptas, iisdem Confessariis Ordinis concedimus, ut easdem ab aliàs prædictæ Sedi reservatis Casibus, & Censuris absolvere, eorumque Vota commutare, ac juramenta solvere, juxta privilegia, quæ ipsorum, aut alii ex inferiùs recensendis, sive alteri cuicunque Regularium quocunque nomine nuncupatorum Ordini, Congregationi, aut Societati ab Apostolica Sede concessa esse, nec abrogata fuisse constiterit, possint ac valeant.

Confessarii Ordinis semel approbati ab Episcopo examinari iterum non debent, neque omnes à Confessionibus simul arceri possunt.

§. 28. Circa audientiam verò Confessionum Sæcularium Personarum quarumcunque servandus erit tenor Constitutionis CXXXIII. S. Pii V.: *Romani Pontificis providentia*: 8. Id. Augusti 1571. §. 2. quâ nimirum cavetur, semel approbatos prævio examine ab Episcopo, ab eo iterum examinari non debere, nec non Constitutionis VII. Clementis X. incipientis: *Superna*: §. 6. quâ disponitur, cunctis Fratribus unius Conventus simul adimi non posse facultatem Confessiones audiendi, inconsulta Sancta Sede.

XII. Facultas, & Privilegia prædicandi.

§. 29. Memores porrò, quantum ex prædicatione Verbi Dei Catholica Religio incrementum reportaverit, & quantum proinde meritum sibi comparaverint Fratres hujus Ordinis, quos perinde Sedes Apostolica ab incunabilis ejusdem Ordinis præclaro nomine *Prædicatorum* insignivit: Indulta desuper à Prædecessoribus nostris concessa pro insertis habentes, atque Fratribus ipsis quam plenissimè confirmantes, innovantes, ac de novo concedentes, motu, scientia, & potestate prædictis confirmamus, facultatem prædicandi Verbum Dei, ad normam tamen *Concilii Tridentini Sess. XXIV. cap. IV.* & Declarationis S. Pii V. in Constitutione: *Etsi Mendicantium*: Et: *Ad hoc Nos Deus*: §. 8. quam Declarationem intelligendam esse volumus, ubi pro habendis ad Sæculares Concionibus Episcopus non contradicat alicui determinato Fratri propter particularia motiva.

Libera promotio devotionis præcipuè Rosarii in Ecclesiis Ordinis sine Ordinarii licentia.

§. 30. Ad hæc declaramus, mandamus, & decernimus, ut supra, quòd iidem Fratres ex Altari, aut suggestu in Ecclesiis, sive Oratoriis Ordinis devotionem Sacri Rosarii potissimè, tanquam ejusdem Ordinis insigne Patrimonium, ejusque Indulgentias, sicuti & cæterarum Societatum in ipsis Ecclesiis, aut Oratoriis erectarum, aut deinceps erigendarum, nullatenus petitâ ab Ordinario Loci licentiâ, promovere, & prædicare liberè, ac licitè possint, ac valeant.

Privilegia Missionariorum.

§. 31. Privilegia quoque Missionariis Ordinis, etiamnum hodie cum tanto vitæ discrimine, & Animarum fructu inter Barbaras Nationes in Sinis, Tunkino, Armenia, Americanis Insulis, ac alibi Fidem Apostolicam strenuè propagare pergentibus, concessa ante, & post Johannem vulgò XXII in Constitutione: *Quum sit hora*: Id. Novembr. 1321. à Sede prædicta, Indulgentias insuper omnes, ac cæteras quascunque gratias, pro insertis habentes, iisdem in Domino, ut supra, confirmamus, innovamus, ac de novo concedimus, & elargimur.

XIII. Privilegia famulorum, & eorum, qui infirmantur, aut moriuntur in Conventibus Ordinis.

§. 32. Famulis verò commorantibus in obsequiis Ordinis Prædicatorum, ut Fratres ejusdem quævis Sacramenta etiam in Paschate, & in mortis articulo ministrare, eorumque Cadavera, quum obierint, in ipsorum Cœmeteriis sepelire, inconsulto prorsus, ac etiam renuente Parocho, pariformiter concedimus, ac elargimur, juxta Literas Innocentii IV.: *Qui Deum tota mente diligitis*: 3. Non. Febr. 1244. confirmatas ab Alexandro IV. in *Mari magno*: A Gregorio XI. in Bulla similiter incipiente: *Qui Deum &c.*: Et à Nicolao V. in Bulla: *Justis, ac honestis*: Pridiè Kal. Aug. 1448. & Innocentii VIII. in Constitutione incipiente: *Exponi Nobis fecistis*: 23. Octobr. 1487. Et hæc quidem omnia extendi volumus, & mandamus ad eos, quos devotione, vel casu aliquo in Conventibus Ordinis infirmari, sive etiam mori contingat.

XIV. Facultas Prælatorum Ordinis benedicendi vestes Ecclesiasticas, Ecclesias &c.

§. 33. Insuper facultatem indultam Superioribus quibuscunque, etiam Localibus Fratrum Prædicatorum, benedicendi quæcunque Vestimenta, aut Paramenta Ecclesiastica, in quibus non intervenit Unctio, à Bonifacio IX. in Const. *Sacræ Religionis*: 5. Kal. Maji 1402. ab Innocentio VIII. loco statim referendo, & à S. Pio in Brevi incipiente: *Volentes iis*: 25. Junii 1571.: Solemniter, & juxta ritum Ecclesiæ, aquâ prius à Catholico Episcopo benedictâ, reconciliandi pollutas Ecclesias, Cœmeteria, aut Claustra à Clemente V. in Bulla edita 8. Id. Martii 1307. & ab Innocentio VIII. per Bullam: *Benignitas*: 1484. & à S. Pio V. in Brevi edito 16. Junii 1569. eidem Ordini, ejusque Superioribus prædictis, motu, scientia, & auctoritate similibus, confirmamus, & innovamus, & respectivè declaramus, prædictis Superioribus esse præterea permissum, aquâ, ut supra, ab Episcopo benedictâ, novas Ecclesias, nova Cœmeteria, Capitula, Claustra, & Oratoria benedicere, & hæc omnia etiam de novo concedimus, & elargimur; Hoc amplius, quòd ubi Diœcesanus Episcopus renueret aquam à se benedictam concedere, possint, & debeant licitè, & validè iidem Fratres à quocunque Catholico Episcopo aquam in ejus Diœcesi benedictam ad prædicta præstantia accipere, & adsportare.

XV. Fratres Ordinis

§. 34. Quia verò ad aures nostras pervenit, non obstante nostra, ac etiam novissimi *Romani Concilii* per Nos habiti *Tit. V. Cap. XI.* sententia,

quòd

ANNO 1727.

ordinari possunt extra Tempora.

quòd *Regulares vigore suorum Privilegiorum tutò, & absque novo Indulto Apostolico extra tempora sacris initiantur*, etiam post Decreta Concilii Tridentini, à nonnullis etiam Episcopis in dubium revocari, an inter tales Regulares, licèt indefinitè nominatos, recenseri debeant Fratres prædicti Ordinis Prædicatorum, motu, scientia, & authoritate prædictis, declaramus, eosdem Fratres ex nostra, ac etiam dicti Romani Concilii definitione eodem Privilegio frui, ac potiri posse, & debere, & quatenus opus sit, pariformiter dispensantes super quacunque contraria dispositione, de novo illud idem privilegium pro singulari nostra erga prædictum Ordinem, intra cujus dilectissimum sinum adhuc versari gloriamur, dilectione, iisdem Fratribus signanter, specificè, & in individuo concedimus, quatenus à Diœcesano, eoque renuente, aut non valente, à quocunque Catholico Episcopo Ordines extra tempora suscipere, & Episcopi ipsis conferre, liberè, & licitè valeant juxta declarationem S. Pii V. in Bulla: *Etsi mendicantium*: Et Decretum Clementis VIII. & uberiùs explicata in *dicto Concilio Romano nostro Tit. V. Cap. I. & Tit. XXI. Cap. II.*

XVI. Jurisdictio spiritualis Superiorum, & Confessariorum Ordinis pro excipiendis sibi subjectarum Monialium Confessionibus.

§. 35. Recolentes quoque, quantùm Monialium directio, & Clausura debeant præclaro huic Ordini, & in primis quidem celeberrimo ejusdem Patriarchæ S. P. Dominico, utriusque in hac ipsa Alma Urbe nostra Institutori; Ac attendentes, Clementem IV. in Constitutione: *Affectu sincero*: 8. Idus Februarii 1267. Apostolica sollicitudine commendasse Filiis tanti Parentis curam illam Monasteriorum, quam pridem à se abdicaverant, ut uberiùs, & feliciùs insisterent Ministerio Verbi, facta ipsis plenissima potestate, easdem Sanctimoniales visitandi, corrigendi, earumque Confessiones non solùm per Magistrum Ordinis, & Provinciales, sed etiam per alios Fratres idoneos audiendi: Benedictum XI. ejusdem quoque Ordinis in Constitutione: *Sacra vestra Religio*: 3. Kal. Martii 1304. easdem Moniales à Jurisdictione cujuscunque extra prædictum Ordinem existentis exemisse, quod S. Pius in sua Constitutione: *Etsi Mendicantium*: Aliique consequentes Pontifices confirmarunt, ac ipsa *Tridentina Synodus* ratum habuit *Sess. XXV. cap. IX.* omnia hæc supradictis motu, scientia, & potestate confirmantes, innovantes, ac quatenus opus sit de novo concedentes, decernimus, & declaramus, Jurisdictioni Prælatorum Ordinis subesse etiam Puellas educationis causa, aliasque Mulieres ex legitima dispensatione introductas, & degentes in Monasteriis ejusdem Ordinis Monialium exemptis, & respectivè subjectis, ut supra Prælatis d. Ordinis; Et ita pariter mandamus, & declaramus, Fratres Confessarios in Ordine approbatos (circa quam approbationem Nos quoque Prælatorum Ordinis conscientiam summoperè in diem Domini oneramus) & ab Ordine ipso de more ad Monialium sibi subjectarum Confessiones audiendas destinatos, Locorum Ordinariis debitam reverentiam, atque in iis, quæ per Concilium Tridentinum, & Sedem Apostolicam circa Monasteria exemptorum delegata auctoritate ipsis Ordinariis commissa sunt, neque nostræ huic Constitutioni contrariantur, quantum in Domino poterunt, manus adjutrices adhibere, nullatenus verò ab iisdem Ordinariis examinandos esse pro prædictarum Monialium Confessionibus audiendis, quemadmodum nec examinari debent, neque examinantur ab ipsis pro Fratrum Ordinis Confessionibus excipiendis, tametsi quandoque contra eosdem prædicta delegata auctoritate procedere possint, ac valeant; Multò autem minus Superiores, sive Locales, sive Provinciales, sive etiam Magistrum ipsum Ordinis, qui ex prædicta Apostolica commissione Deo plenam reddituri sunt rationem de sibi subjectis Monialium animabus, ut sic illæso, ac custodito veluti primario Potestatis spiritualis charactere, quemadmodum aliàs ligare possunt, ac ligant, ita etiam liberè solvere possint, ac valeant sibi subjectarum animarum Conscientias, si ab ipsis quandoque sese sacramentaliter audiri postulaverint, quod planè aliàs, aut nullo modo, aut ægrè admodum præstare possent: Non obstantibus Constitutionibus Gregorii XV.: *Inscrutabili*: Et Clementis X. *Superna*: Ac Decretis Congreg. Conc. aliisque quibuscunque in contrarium facientibus, quibus plenissimè derogamus.

ANNO 1727.

Facultas prædicandi subjectis sibi Monialibus.

§. 36. Iisdem omnibus, & singulis Superioribus, atque ab ipsis delegatis Fratribus, Prædicationem Verbi Dei pro Monialibus sibi subjectis liberam esse debere, Superioribus quidem prorsus, & omni modo, Delegatis verò Religiosis cum Superiorum eorum missione, & benedictione.

Administratio temporalis.

§. 37. Administrationem temporalem itidem Monialium, non rarò per Sæculares deturbatam cum evidenti Monasteriorum detrimento, volumus pertinere ad Superiores Ordinis, prout uberiùs infra disponetur.

Jurisdictio Superiorum Ordinis circa Clausuram.

§. 38. Circa accessum etiam extraneorum ad Moniales, & Monasteria sibi subjecta, prædictos Superiores posse, ac debere Jurisdictionem suam secundùm Apostolicas Sanctiones tueri; Salva in reliquis Jurisdictione jure delegato Episcopis competente; Quibus tamen auctoritate Apostolica penitus interdicimus, ac prohibemus, ne circa Visitationem Clausuræ ultra facultates à Concilio sibi factas, & concessas, ullatenus sese extendant, neve ejusdem obtentu in iis, quæ Ordinis Superiorum sunt, se intromittant.

Moniales inobedientes liberè dimitti possunt.

§. 39. Si verò Moniales ipsæ servare renuant, quæ pro Observantia Regulari exactè manutenenda à Superioribus Ordinis mandata fuerint, istis plenam inesse facultatem eadem Monasteria liberè dimittendi ex Apostol. Lit. ad Vicarium Generalem Lombardiæ: *Exponi Nobis*: Dat. à Leone X. 6. Nov. an. 1515. quas hic pariformiter confirmamus, innovamus, ac ad totum Ordinem extendimus.

Moniales, & Fratres Novitii possunt in mortis articulo profiteri.

§. 40. Eisdem demum Monialibus, sicuti & Fratribus Novitiis in articulo mortis ante emissam Professionem constitutis, integrum esse frui, & potiri Indulto S. Pii V. in Constitutione CIX.: *Summi Sacerdotii Cura*: 23. Augusti 1570.

XVII. Commendatio Doctrinæ S. Thomæ.

§. 41. Quum autem silere Nos minimè deceat de Doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis, cui ipsemet Ordo salubriter insistit, ignoramus planè, quibus illam laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis extollamus. Satius ergo ad absolutum illius præconium putamus commemorare, ipsam ex Salvatoris Crucifixi ore, sicuti piè testatur historia, fuisse probatam, & constanti Summorum Pontificum testimonio Orthodoxis commendatam Populis. Hoc potissimum suis Constitutionibus, & Literis Apostol. præstitere Johannes vulgò XXII. in Constit. XX. cujus initium: *Redemptionem misit*: 15. Kal. Aug. An. Domini 1323. Clemens VI. Constit. *In Ordine*: VIII. Idus Febr. 1344. Urbanus V. in Diplomatibus: *Copiosus, & laudabilis*: Dat. 10. Kal. Julii, & prid. Kal. Sept. 1368. S. Pius V. XXXVI.: *Mirabilis Deus*: 3. Idus Apr. 1567. Sixtus V. LXXXVI.: *Triumphantis*: prid. Id. Martii 1588. Clemens VIII: *In quo Nos*: Et: *Quantum prodesse*: 22. Nov. 1603.: Et: *Sicut Angeli*: .... Paulus V.: *Splendidissimi*: 17. Dec. 1607. & Alexander VII.: *Literas*: 7. Aug. 1660. Æquum verò erat, ut Angelica Doctrina tanti Doctoris non vulgaribus efferretur encomiis, quæ Solis instar Mundum universum illustrans uberrima Christianæ Ecclesiæ bona peperit, paritque in dies singulos multiplici fructu, Supremo Apostolicæ Sedis Magisterio adversus quoscunque veteres, ac re-

contes

centes errores, quos revincit, fidissimè famulans. Eadem Nos quoque diuturnis, atque assiduis ferè experimentis probè noscentes, per alias peculiares nostras Literas incipientes, *Demissas preces*: dat. 6. Nov. 1724. calumnias, ejusdem Angelici Doctoris, & S. Augustini doctrinæ temerè irrogatas retudimus, & prout rei gravitas exposcebat, auctoritatis nostræ præsidio eliminavimus. Luculentius verò æstimationis argumentum in ipsam S. Thomæ doctrinam nunc edituri, quò magis magisque Prædicatorum Ordo, cæterique Orthodoxi, ac veri ipsius Sectatores ad illius sinceram, & tutam professionem inflammentur, prædictas omnes, & singulas Decessorum nostrorum Constitutiones, Literas, seu, ut vocant, Brevia, nec non omnia, & singula in eis contenta, suprema, qua fungimur, auctoritate, motu, scientiâ, & deliberatione præmissis comprobamus, & rursus quatenus opus fuerit, cum ipsismet editis nuper à Nobis Literis innovamus. Ut autem turbulenti, ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiæ Catholicæ perturbatores desinant Orthodoxam S. Thomæ Doctrinam calumniari, ac ne deinceps præposteris, & à veritate alienis interpretationibus Apostolicas ipsas Literas nostras, non sine aperta, ut accepimus, verbis nostris, ac etiam Decessorum nostrorum irrogata violentia, tam Prædicatorum Ordinem, quam alios veros illius Asseclas, & Sectatores incessere audeant, Constit. XCVIII. quæ incipit: *Pastoralis Officii*: fel. rec. Clem. XI. omnibusque in ea contentis firmiter inhærentes, sub divini interminatione Judicii, iterumque sub Canonicis pœnis omnibus, & singulis Christifidelibus mandamus, ne Doctrinam memorati S. Doctoris, ejusque insignem in Ecclesia Scholam, præsertim ubi in eadem Schola de divina Gratia per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Prædestinatione ad Gloriam sine ulla meritorum prævisione, agitur, ullatenus dicto, vel scripto contumeliosè impetant, ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolica Sede & signanter à Constit. LXIV. d. fel. rec. Clem. XI. incipiente: *Unigenitus*: Jansenii, Quesnelii, & aliorum erroribus, traducant, à quibus S. Thomas, & vera Schola Thomistica quam longissimè abest, & abfuit, universis tam antiquis, quam nunc Christi Ecclesiam vexantibus hæresibus, & perniciosis assertis adversans. Damnamus item Folia, Theses, & Libros antehac Typis impressos, vel etiam, quòd Deus avertat, imprimendos, in quibus ad procreandam, seu fovendam Doctrinæ S. Thomæ, Prædicatorum Ordini, aliisque genuinæ Thomisticæ Doctrinæ Asseclis invidiam, designatæ, atque damnatæ à Nobis calumniæ assertivè renovantur, vel in aliam à germana prædictarum nostrarum Literarum sententia, sive Decessorum nostrorum mente, honorifica, atque faventia Doctrinæ Thomisticæ merita fallacissimè detorquentur. Deum veritatis, & pacis enixè rogantes, ut ad majora Gloriæ suæ incrementa creditus Nobis Populus non minus traditâ à tanto Magistro salutari Doctrinâ, quam ipsis innocentium morum, & illustrium virtutum imitatione proficiat.

Contra ejusdem Calumniatores defensio.

XVIII. In præcipuis totius Ordinis studiis Sæcularibus S. Thomæ discipulis Laurea in Sac. Theologia dari potest.

§. 42. Ne autem Adolescentes Sæculares à prælaudati Divini Doctoris Schola deterreri contingat, ex quo nullum in ea præmium, nulla expedita via pateat ipsis per Theologicas disciplinas ad dignitates illas, quæ solis Lauream, Licentiam, vel Gradum in Theologia consequutis conferri debent, ac possunt, motu, scientia, & potestatis plenitudine, ut supra, ad universa insigniora Studia Generalia, Collegia, Studia quoque, ut dicunt, formalia, & ea, quæ ad minus quatuor constent Actualibus, & ex his duobus, ut minimum in Theologia Lectoribus in quibuscunque Provinciis Ordinis prædicti erecta, vel erigenda extendentes concessionem factam à Greg. XIII. Fratribus ejusdem Ordinis Provinciæ S. Antonini de novo Regno in Civitate S. Fidei, relatam, & confirmatam per Paulum V. in suis Literis incipientibus: *Militantis Ecclesiæ*: Prid. Non. Sept. 1612. & Innoc. X. in ejus Constit.: *In supremo*: 10. Kal. Martii 1644. nec non privilegia omnia, & singula Apostolica in id concessa prædictis Fratribus ad omnia prædicta Studia, Conventus, & Universitates extendimus, & prorogamus, decernentes, ut post emensum certum, nec unquam minus quàm duorum annorum, stadium, ad percipiendam Sac. Theologiæ juxta inconcussa, & tutissima S. Thomæ Dogmata intelligentiam accommodatum, à Studiorum illorum Moderatoribus, sive Lectoribus, numero, & procedendi ratione ipsis per Magistrum Ordinis præscribendis, ac nunc pro tunc à Nobis auctoritate Apostolica, ut prædictum est, confirmatis, post præmissas Scholasticas exercitationes publicas, vel privatas, juxta Regionum approbatas consuetudines, vel methodum ab eodem Magistro præscribendam, ac præmisso diligenti examine, Laurea Doctoralis, sive Magistralis, Præsentatura, ac Licentia, sive Gradus Baccalaureatus, ac alii consueti in S. Theologia (quos quidem pari Apostolica auctoritate, motu, & scientia idem valere, ac acceptari ubique debere, perinde ac si conferrentur in Academia Romanæ Sapientiæ, Salmantina, aut Parisiensi, vel alia quacunque insigniori, declaramus, decernimus, & volumus) liberè, ac licitè conferri possint, ac valeant Scholaribus Sæcularibus, Studentibus in insignibus Civitatibus, aut Locis, in quibus ad eorum Scholam Juvenes Sæculares accedere permittuntur, idque tametsi ibidem aliàs publica pateat Universitas, hoc duntaxat casu præstitis per divites, à tali solutione de cætero non exemptos, consuetis Universitati Juribus; Ubi etenim Juvenes per Examinatores præfatos idoneos repertos Officiales Universitatis ad eosdem Gradus promovere renuerint, poterunt ad Gradus prædictos promovere Lectores, & Magistri præfati nostri Ordinis. Illudque quàm maximè concedimus, volumus, decernimus, & mandamus, pro Locis, in quibus Sæcularibus Studentibus Doctrinæ D. Thomæ, prout in hujus receptissima Schola traditæ, Gradus ultro non pateant.

§. 43. Magistro quoque Ordinis pari ratione confirmamus, & innovamus, ac concedimus facultatem eidem à S. Pio V. in Constit. sua: *Quum Sacer Ordo Prædicatorum*: Nonis Martii 1572, amplissime concessam, ut possit ex sibi subjectis Fratribus quemcunque ad Gradus certa ratione promovere.

XIX. Magistri Ordinis facultas conferendi Gradus suis Fratribus.

§. 44. Eidem similiter, & Provincialibus confirmamus, & concedimus, juxta aliud Indultum S. Pii V. incipiens: *Debitum Pastoralis*: 21. Martii 1571. ut in unaquaque Provincia deputare possit, ac valeant Fratres Ordinis in Notarios pro exequutione mandatorum Apostolicorum.

Ejusdem, & Provincialium potestas creandi certos Notarios.

§. 45. Et generaliter quæcunque, & cujuscunque generis & Gratias, Indulta, Privilegia, præeminentias, facultates, à Sede prædicta Magistro Ordinis attributa, etiam ex Ordinis Constitutionibus, & Ordinationibus Comitiorum Generalium, & nominatim habitorum in Alma Urbe anno 1629. Denunc. III. auctoritate Apostolica, quæ omnia hic similiter pro insertis habentes, confirmamus, innovamus, & ut profertur, concedimus, non obstantibus Brevibus Apostolicis Clementis X.: *Ad Apostolicæ*: 5. Sept. 1675. & Innocentii XI.: *Quum Nos alias*: 6. Octob. 1679. Procuratori etiam Generali, & signanter concessa, & confirmata ab eodem Urbano VIII. in aliis suis Literis: *Exponi*: 3. Dec. 1635. Cum excommunicatione latæ Sententiæ, Magistro Ordinis, aut ejus Vicario Generali reservata, contra Fratres, & absolutione ab Officiis ipso facto incurrenda contra Prælatos ejusdem Ordinis, qui per se, vel per alium, eodem Procuratore Generali inconsulto, in Romana Curia negotium aliquod tractare ausi fuerint: Ac deinde Provincialibus, ac cæteris quibusvis Ordinis prædicti Prælatis, & Superioribus. Indulta quoque, & quomodocunque elargita Provinciis, & signanter spectatissimæ nostræ utriusque Lombardiæ, ac etiam Monialium Monasteriis amplissimè confirmamus, innovamus, ac de novo concedimus.

Ejusdem, aliorumque Superiorum, Provinciarum quoque, & Monasteriorum Indulta confirmantur.

§. 46. Pro Fidelibus utriusque sexus militantibus sub Tertio Ordine *Pœnitentium S. Dominici* nuncupato Greg. IX. in Constit.: *Detestanda*: 3. Kal. Apr. 1228. Honorius IV. in Bul.: *Congruum existimantes*: 5. Kal. Febr. 1286. Johannes vulgo XXII.: *Quum de Mulieribus*: Kal. Junii 1326. Bonifacius IX. in Constit. *Humilibus, & honestis*: 15. Kal. Febr. 1401. Innoc. VII. in Bulla confirmationis Regulæ ejusdem Ordinis incipien.: *Sedis Apostolicæ*: 6. Kal. Jul. 1403. Eugenius IV. in consimili Constit.: *Provisionis nostræ*: Pridie Id. Maji 1439. Sixtus IV. in Constit.: *Sacrosancta*: 3. Non. Oct. 1475. Alexander VI.: *Considerantes*: 30. Sept. 1495. Julius II.: *Considerantes*: 14. Dec. 1509. *Exp. Nobis fecisti*: 17.

XX. Tertii Ordinis S. Dominici Privilegia innovantur.

ANNO 1727.

Febr. 1510. Leo X. - *Dum intra mentis* - 19. Dec. 1516. & - *Nuper* - 1. Mart. 1518. Paulus III. - *Exponi Nobis nuper fecistis* - 26. Jul. 1542. necnon S. Pius, Clemens VIII. Urbanus VIII. aliique Prædecessores nostri per suas litteras mox referendas peculiaribus, indultis & privilegiis dictum ordinem approbarunt, & personas, domos Asceteria, ac bona exemerunt ab Ordinariis locorum. Et nos hujusmodi omnes, & singulas literas, gratias tam spirituales, quàm temporales, concessiones, exemptiones, indulta, ac cætera quæcumque, cujuscumque generis, & nominis, spiritualia, & temporalia Privilegia plenimmè confirmamus, & innovamus, & ubi opus sit de novo concedimus, præcipuè pro Christi fidelibus utriusque sexus, qui collegialiter, aut in claustris vivunt, aut solum votum perpetuæ castitatis emittunt, nec degunt collegialiter, sed in propriis domibus, vel cum affinibus, & consanguineis, dummodo habitum ordinis gestent, & altissimo sub regula, & instituto dicti tertii Ordinis castè, & pie famulatum præstent. Contrariis quibuscumque non obstantibus, & præcipuè Concilio Lateranen. quibus omnibus in hac parte motu, scientia, & potestate similibus amplissimè derogamus.

Verus Ordo declaratur, & ejus Regula confirmatur.

§. 47. Hujusmodi verò institutum tanquam sanctum, meritorium, & Christianæ perfectioni conforme, nec non tamquam verum, & proprium ordinem, præcipuè ex collegialiter, aut cum claustralibus, aut in domibus consanguineorum, sive propriis, sub solo, & simplici voto inviolabilis castitatis, cæterisque modo, forma, habitu, noviciatu, professione, ac regula viventibus compositum, & consequenter ab omnibus confraternitatibus, de quibus agitur in constitutione san. me. Clementis VIII. omnimodè distinctum, sicut sunt cæteri ordines tum regulares, tum militares, & alii hujusmodi, fuisse, & esse decernimus, ac declaramus: motuque simili regulam à prædictis Innocentio VII. & Eugenio IV. confirmatam juxta præmissa, & inferius disponenda, denuo approbantes confirmamus, eique Apostolicæ auctoritatis perpetuum firmitatis robur adjicimus.

Auctoritas Magistri Ordinis super Tertiariis utriusque Sexus.

§. 48. Omnes insuper Apostolicas concessiones, quibus asserta fuit Ordini Prædicatorum, ejusque Generali Magistro, Provincialibus, cæterisque aliis substitutis Superioribus, Præeminentia, Auctoritas, & Superioritas super præfati instituti fratribus & sororibus prædictis quibuscumque, approbamus, confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere volumus, decernimus, atque mandamus, & quatenus opus sit, easdem præeminentiam, auctoritatem & superioritatem de novo concedimus, attendentes præterea per prædecessores nostros Innocentium VII. & Eugenium IV. fuisse approbatam regulam prædictam, ejusque Cap. xx. atque animadvertentes, primos Alumnos præfati ordinis habitum, ac vivendi normam ab ipso B. Dominico suscepisse, ejusque præcepta executioni mandasse, eidem Generali Magistro privative quoad alios quoscumque confirmamus, ac si opus est, de novo concedimus, ut possit per se, vel per sibi subjectos fratres quoscumque facultate opportuna, ac necessaria instructos, personas ad dictum ordinem, juxta ipsius Statuta recipere, habitu donare, atque elapso debito probationis tempore ad professionem recipere, ita ut personæ quæcumque aliter receptæ, nec sint, nec intelligantur ullo modo præfati hujus tertii ordinis, neque ullis ejusdem privilegiis, ac indultis potiantur, nisi pro peculiaribus personis & casibus per Nos, & Successores nostros fuerit expressè desuper dispensatum. Commissarium quoque, aut visitatorem instituere: Magistrum quoque, Directorem, ac confessarium ætate, moribus, pietate, scientia, & prudentia gravem concedere, & deputare, qui ipsis Ecclesiastica Sacramenta ministret, de præceptis Regulæ instruat, congregationes, aut congressus convocet, & in ipsis, sicut in aliis quibuscumque actibus, & functionibus præsideat: Necnon, locorum ordinariis, & aliis quibuscumque cujusvis status, gradus, ac conditionis existant, & quacumque fungantur auctoritate semper exclusis, congregationes illas, ac personas tertii ordinis, sive virorum collegialiter, aut in claustris, sive mulierum cum expresso voto, ut supra, vel cum tribus votis viventium, domos, conservatoria, hospitalia, monasteria, sive collegia quæcumque, ac quocumque nomine appellata, Capellas quoque, Oratoria, & Ecclesias pleno jure visitare, instruere, paternè corrigere, ac reformare, tam in capite, quàm in membris, ad cassationem usque Mantelli, & habitus, atque ad ejectionem è Collegio restituta collata dote, prout de jure, immo etiam ad ipsius Collegii suppressionem, vel saltem ab Ordine abdicationem, pro rerum conditione, & statu procedere: aliaque ad bonum ordinis præfati regimen, juxta ejusdem statuta ordinare, & exequi, quemadmodum sibi in Domino expediens fore videbitur, & quoties sibi libuerit libros, & rationes redituum, ac bonorum, sive congregationum, sive Collegiorum quorumcumque, non secus ac Monasteriorum omnium, ac singulorum, sibi pleno jure subjectorum, atque ab Exactoribus, Agentibus, & Administratoribus quibuscumque rationem redituum per eos administratorum recognoscere examinare, ac exigere possit, & valeat, motu, scientia, & potestate prædictis dantes plenam facultatem superioribus ordinis, prædictos Exactores, Agentes, & quosvis Administratores justa de causa removendi, mutandi, ac etiam eorum loco religiosum quempiam idoneum substituendi.

Temporalium bonorum administratio, etiam pro Monialibus.

§. 49. Ut autem prædicta omnia cum spirituali, ac temporali etiam prædicti ordinis incremento ad normam prædictæ regulæ exactius observentur ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, districtè præcipimus omnibus, & singulis ordinis professoribus per totum orbem existentibus, ac exituris, cujuscumque gradus, ac conditionis existant, & præcipuè quibuscumque, & quocumque nomine nuncupatis, collegialiter, aut in claustris habitantibus, necnon in privatis Domibus, juxta prædicta, cum voto viventibus, ut quemadmodum eorum ordo cum primo ordine fratrum Prædicatorum, & secundo Monialium, eundem habet patrem, & Patriarcham in cælis feliciter regnantem, adeò ut ab Innocentio VII. in Bulla supra dicta omnes appellentur *fratres, & sorores Ordinis Prædicatorum, qui nuncupantur fratres, & sorores de pœnitentia S. Dominici*: ita cum utroque illo ordine unum, eundemque in terris Successorem B. Dominici, ac totius Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, deinde Provinciales, aut alios inferiores, ab eodem Magistro Generali de more delegandos tanquam eorum veros, & legitimos Superiores suscipiant, venerentur, ac agnoscant. Ad eos dubia quæcumque circa Regulam, & Statuta referant, eorumque judicio circa eadem dubia sese conforment; maximè quum Regula ad culpam ex se non obliget, sed tantùm ad pœnam, ejusque rationabilis relaxatio sit in manu discreti superioris constituta: iisdemque privativè quoad alios in omnibus concernentibus eorum ordinem, nec Regulæ instituto, ac præceptis præfatis apertè contrariis, pareant, & obediant; quod si secus fecerint, ab eisdem cassari, habitu spoliari, atque etiam ex Collegiis modo prædicto, donec resipiscant, vel absolutè quoque

Tertiariorum obedientia Magistro Ordinis.

ANNO 1727.

dimitti possint; quemadmodum alias Regula ipsa *cap.* 19. pro quibusdam casibus disponit: Insuper & Collegia ipsa supprimi, ac dissolvi, sin minus dimitti, ac relinqui ab iisdem possint, & valeant, & respectivè nullis Tertiariorum gratiis, & privilegiis gaudere, decernimus, ac jubemus.

Magistri Ordinis cura pro Tertiariis.

§. 50. Ordinis Magistro pro tempore, sicuti & Ordini ipsi in Generalibus Comitiis quandocumque congregando, quemadmodum injungimus, ut circa felicem statum, ac reformationem, ubi opus esse conspexerint, prædicti tertii ordinis, advigilent, ita iisdem relinquimus, confirmamus, & quatenus oporteat, de novo benignè concedimus Jus, & plenam potestatem ad illa circa Regulam prædictam moderanda, reformanda, exponenda, commutanda, ac addenda, quæ pro temporum, locorum, ac personarum opportunitate in Domino judicabunt sic meliùs disponenda (salva tamen ejusdem Regulæ substantia, & intactis sacris Canonibus) nunc pro tunc Apostolica auctoritate ejusmodi moderationes, reformationes, expositiones, ac additiones approbantes, atque confirmantes.

Motiva declarationum.

§. 51. Deinde quum nonnulla sint Capita, super quibus potissimè tertiarias personas, sive in domibus prædictis seorsim, sive etiam in Asceteriis collegialiter Virginalem, aut cœlibem, aut castam viduilem expresso voto, & sub habitu, & regula prædictis vitam traducentes, nec non fratres ordinis Prædicatorum circa ipsas vexari, ad nos delatum est, ideò expresè declaramus, & volumus;

Exemptio à jurisdictione Ordinarii.

§. 52. Quòd tametsi omnes, & singulæ prædictæ personæ summam debeant habere reverentiam locorum ordinariis, cæterisque Prælatis inferioribus, quemadmodum earum quoque Regula præscribit: atque juxta decretum Congregationis Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Episc. & Regul. consultationibus præpositæ editum sub die 20. Decemb. 1616. ut ad habitum, & ordinem recipiantur virgines, aut viduæ in privatis domibus perpetuò mansuræ priùs debeant in curia ordinarii loci probare, eas sibi posse de victu, & vestitu sufficienter providere; illasque fore bonis moribus præditas, atque cum nullis aliis viris, quàm cum consanguineis, aut affinibus in primo tantum gradu, vel illis deficientibus, aut urgente gravi aliqua causa, cum aliis sibi in proximiori gradu conjunctis, aut saltem cum viris perspectæ probitatis, vitam traducturas, eas tamen juxta præmissa tertiarias effectas à cujuscumque alterius inferioris extra ordinem Prædicatorum constituti Prælati, & ipsius Ordinarii loci Jurisdictioni exemptas esse volumus, & fore declaramus, districteque mandamus, eisque de novo talem exemptionem concedimus.

Aetas recipiendarum ad habitum, & Professionem.

§. 53. Quantum ad ætatem mulierum ad ordinem prædictum recipiendarum hac nostra constitutione perpetuò valitura injungimus, & mandamus, quod nisi in particularibus Asceteriis probata consuetudo vigeat in contrarium, mulieres ad profitendum inter collegialiter perpetuò viventes, non admittantur, nisi de tempore Professionis excesserint annum 18. Quo verò ad eas, quæ in domibus, ut supra seorsim, cum certis castitatis perpetuæ voto, habitu & statutis, sint vitam traducturæ; quum secundùm sanctas scripturas bonum sit portanti jugum ab adolescentia sua: & Ordo prædictus ex Regula sua vigilias, jejunia, pluresque abstinentias habeat jugiter perferendas; Virginum quoque sponso placeat sibi cito promissa virginitas: plurimæque insignes virgines prædicti ordinis *de pœnitentia* non solum à teneris annis inviolabili Voto virginitatem eidem cœlesti sponso consecraverint, habitumque induerint, sed florenti adhuc ætate, simulque ante annum quadragesimum virtutibus maturæ in cœlum evolaverint, quarum agmen ducere potest cœlestis virgo S. Catharina Senensis, de Apostolica sede adeò bene merita, motu hinc, scientia, & potestate prædictis indulgemus, & concedimus, ut eædem, quibuscumque non obstantibus in contrarium, post decimum octavum annum, vel etiam in minori ætate juxta consuetudinem locorum liberè, & licitè recipi, evolutoque probationis tempore profiteri possint, ac valeant: Revalidantes quascumque acceptationes & professiones, si quæ forte ex defectu ætatis hactenus factæ dici possent invalidæ.

Habitus earumdem.

§. 54. Habitus uniformitatem, quoad fieri poterit, esse servandam; retineri tamen posse habitus formam, quæ pro regionum diversitate hactenus ab eisdem Tertiariis servata est. Licere quoque mulieribus, quæ emisso voto seorsim, vel collegialiter Deo vivunt, deferre velum supra caput, quod *Suprajectum* vocant, carbasum pectorale, quod nuncupant *Sottogola*, & scapulare, seu *patientiam*.

Collegialiter viventes non tenentur ad clausuram, neque ad tria vota.

§. 55. Tertiariis prædictis emisso solo castitatis voto collegialiter viventibus haud prohibemus, immo exoptamus in Domino suaderi trium votorum etiam solemnium emissionem, ipsamque Clausuram, juxta propositum Constitut. VIII. S. Pii V. incipien. - *Circa Pastoralis* -; inhærentes tamen literis Apostolicis superiùs memoratis Julii II. in quibus Tertiariis S. Dominici collegialiter viventibus permittitur emittere tria vota, declaturque per hæc ipsa - *ad Clausuram minimè teneri, aut Officium Divinum magis, quàm ex regula tertii habitus* - ac aliis Clementis IX. - *Alias præpositis* - 10. Dec. 1667. in quibus Tertiariæ collegialiter viventes, ad clausuram nullatenùs compelluntur; Attendentes insuper per annos, ut accepimus, centum & sexaginta ab edita dicta constitutione S. Pii V. & per seculum, & ultra post Decretum Congreg. Episcoporum, & Regul. emanatum 20. Decembris 1616. ejusmodi Tertiarias collegialiter viventes pluribus in locis, scientibus, ac tacentibus Ordinariis, floruisse, ac etiamnum florere sine clausura, declaramus, volumus, & mandamus, easdem ad neutram absolutè teneri, aut esse compellendas; non obstantibus contrariis ordinationibus, etiam Apostolicis, quibus expressè per præsentes derogamus.

Personæ Tertiariæ Sacramenta suscipere, earumque Cadavera sepeliri per solos fratres Ordinis debent.

§. 56. Licet circa Sacramentorum susceptionem, & sepulturam prædictæ Tertiariæ, certis habitu, regula & statutis, & sub expresso perpetuæ virginalis, aut vidulis castitatis voto sive collegialiter, sive in privatis domibus, viventes, ex recitatis, aliisque Apostolicis constitutionibus earum Ordini per S. Sedem directè concessis, vel communicatis, debeant gaudere privilegiis omnibus Ordinis Prædicatorum, cæterorumque Ordinum, earum sexui non repugnantibus, & pleno jure subesse Fratribus, & in primis Magistro Generali ejusdem Ordinis: hisque liceat *Authoritate Apostolica Tertiariis illis quando petierint, etiam in die Pascha, sive Festi Resurrectionis D. N. J. C. & infra ejus Festi octavam, quàm etiam in aliis diebus, etiam in mortis articulo, Eucharistia, & alia Sacramenta Ecclesiastica quæcumque exhibere, & ministrare* etiam *in domibus propriis*: Nec non *illarum cadavera ad eorundem fratrum Ecclesias tumulanda deferre, etiam Parochialium Ecclesiarum personarum earundem Rectorum licentia desuper minimè requisita, & contradictione qualibet non obstante.* Ne tamen desuper Tertiarias, & respectivè fratres Ordinis Prædicatorum indebitè molestari contingat, expressè declaramus, & volumus Tertiarias prædictas *de pœnitentia S. Dominici* sive

colle-

collegialiter, sive separatim in Domibus, ut prædictum est, viventes cum expresso Voto à solis Fratribus prædicti Ordinis Prædicatorum, contradictione qualibet, & quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium non obstantibus, etiam in die S. Paschæ, & in casu habitualis infirmitatis etiam pro effectu satisfaciendi præcepto de Communione Paschali, & in casu mortalis infirmitatis, sive in mortis articulo, Sacram Eucharistiam, extremam insuper unctionem absolutè recipere posse, & debere; Earundemque post mortem Cadavera (nisi forsan collegialiter viventes habeant, aut sint aliquando legitimè habituræ in earum Ecclesia, Oratorio, aut Collegio sepulcrum proprium, quo casu per solos Fratres Ordinis sint ibidem sepelienda) ad Fratrum Ecclesiam tumulanda deferri posse, ac debere, & quidem absque interventu, licentia, & requisitione Parochi, nullaque eidem soluta quarta; Et sicuti volumus, quod tam Fratres, quàm Tertiarii extra Conventus, & respectivè Collegia, & Domos obeuntes, debeant Sacramentari, & respectivè tumulari per Fratres, & in Ecclesiis illorum, ita disponimus, & mandamus quoad Tertiarias prædictas.

Regula pro Fratribus, & Tertiariis extra Claustra, & Domos decedentibus.

Fratres ad personas Tertiarias etiam Eucharistiam, & earum Cadavera ad Ecclesiam Ordinis deferre liberè debent.

§. 57. Præterea declaramus, & volumus, quòd Fratres ad ministranda Sacramenta dd. Tertiariis utriusque sexus possint, & debeant, ingrediendo limites cujuscumque Parochiæ cum Cruce erecta, & processionaliter condignè afferre Venerabile Eucharistiæ Sacramentum, tam in casu gravis, & mortalis infirmitatis per modum Viatici, quàm in casu talis infirmitatis, quæ impediat accessum ad Ecclesiam dictorum Fratrum, pro satisfactione præcepti Paschalis, ac etiam titulo devotionis circa consuetas majores Ecclesiæ solemnitates, & similiter Defunctorum Cadavera ad propriam Ecclesiam asportare, etiam invito, & reluctante Parocho, cui tantùm licitum sit ministrare Sacramentum in casu repentinæ infirmitatis, quæ spatium non permittat vocandi Fratres prædictos.

XXI. Adversus Fratres recurrentes ad extraneos.

§. 58. Ut porro quantùm in Domino possumus consulamus indemnitati obedientiæ, Superioribus prædictis ab eorum respectivè Religiosis debitæ, & ut simpliciori via nitantur omnes in semel Deo promissam Regularem observantiam, motu, scientia, & potestate sæpe dictis, in primis quoad omnia, & singula in eis contenta confirmamus, & innovamus, constitutiones emanatas adversus Fratres Ordinis recurrentes pro extorquendis favoribus ad personas extraneas, nimirum Gregorii XIII. incipien. - *Quum nihil magis* - 5. Jun. 1580. Clementis VIII. - *Religiosos Viros* - 23. Maii 1592. & Pauli V. - *Admonemur* 7. Januarii 1608.

Solæ Leges Ordinis servandæ in correctionibus.

§. 59. Deindeque pro tuenda Regulari Disciplina confirmamus, & innovamus Constitut. IV. Bonifacii VIII. - *Ad augmentum* - 6. Id. Maii 1269. in corrigendis etenim, & puniendis excessibus Subditorum volumus, peragendum, *postpositis timulis, & apicibus Juris, secundùm consuetudines, & Statuta Ordinis, etiam facienda.*

Appellationes inordinatæ prohibentur.

§. 60. Ad tollendas verò appellationes quascumque indebitas, ac totam fermè œconomiam Regularis observantiæ enervantes, ac evertentes, nisi retineatur, & servetur ordinata Appellatio à Superiori Locali ad Provincialem, ab eoque ad Generalem, exindeque si fieri possit, ad Capitulum Generale, ac denique ad Sedem Apostolicam, juxta Decreta de mandato Sixti V. edita in Congregatione Episcoporum, & Regularium an. 1587. confirmamus, & innovamus similiter quæcumque hactenus circa Appellationes emanarunt ab Apostolica sede, & præcipuè constitutiones, pro eodem Ordine Bonif. VIII. in præcitatis Literis incipien. - *Ad augmentum* - Bonifacii IX. - *Sacra Religionis* - 5. Kal. Maii 1402. Julii II. - *Exposuisti Nobis* - 24. Nov. 1511. ac Leonis X. - *Romani Pontificis* - 29. April. 1518. & quidem quoad omnia, & singula in eis contenta, etiam quoad censuras latæ Sententiæ, & pœnas, etiam contra quoscumque Judices Ecclesiasticos, & Seculares de hujuscemodi appellationibus cognoscere volentes, contra ordinem contentum, & rationem præscriptam in prædictis Literis Apostolicis.

Ministri S. Sedis irregulares ad se recursus, & appellationes FF. rejicere debent.

§. 61. Immo quum etiam Nobis certò constet, Superiorum præfatorum auctoritatem eludi, & contemni, si circa concernentia statum ipsum regularem, quæ totaliter remissa sunt, & esse debent ipsorum religioni, & judicio, cujusmodi sunt Fratrum assignationes, remotiones, dispensationes, lectionum, & aliorum munerum collationes, ac cætera quæcumque per Constitutiones Apostolicas, & dicti Ordinis relicta arbitrio, & prudentiæ eorundem Prælatorum, pateat recursus ad Apostolicos Nuncios nostros, Vicelegatos, ac cæteros Sedis prædictæ, ac nostræ Ministros, istis omnibus, & singulis auctoritate Apostolica mandamus, & præcipimus, ne in iisdem sese ullatenus inposterum intromittant, atque in illis ipsis, quæ per viam appellationis ex Apostolico aliquo speciali Indulto eosdem posse recognoscere aliàs certò constaret, non aliter id facere posse, ac debere declaramus, & volumus, quàm præmissa per Fratres illos graduali appellatione per præsentes has nostras Literas perpetuò constituta; vehementer in Domino hortantes, atque excitantes quascumque venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationes, ut severius desuper animadvertant contra Fratres quoslibet nostri hujusce Ordinis, ad retinendam Regularem observantiam, in hoc ipso deficientes.

XXII. Habitus Ordinis quibus, & quomodò permissus?

§. 62. Attendentes deinde quæ sanxerunt Prædecessores nostri Gregorius IX. & Innocentius IV. in eorum constitutionibus ambabus incipientibus - *Quia confusio habitus* - 8. Kal. Nov. 1239. 8. Kal. Aprilis 1244. & Gregorius XI. - *Virtute conspicuos* - 2. Non. Martii 1374. Clemens VIII. in Constit. CIV. - *Ex injuncto Nobis* - 2. Octobris 1603. ac novissimè Alexander VII. in Constitut. - *Ex injuncto Nobis* - 8. Februarii 1666. illa omnia auctoritate, motu, & scientia prædictis confirmantes, ac innovantes, similiter districtè mandamus Fratribus Trinitariis, & aliis quibuscumque, ne ullus eorum audeat posthac Habitum Fratrum Ordinis Prædicatorum, vel ipsi adeò similem deferre, ut Frater ejusdem Ordinis Prædicatorum credi facile possit, exceptis tamen Eremitanis S. P. Augustini, quibus in certis circumstantiis alias à Sede Apostolica Habitus albus ejusdem Ordinis permissus est; ab his tamen Habitum illum non aliter deferri volumus, decernimus, & mandamus, quàm secundum prædictam Clementis VIII. Constitutionem, hac nostra inviolabili lege, propter motiva jamdudum relata per Alexandrum IV. in ejus Constitutione - *Meminimus Nos* - Idibus Octobr. 1259. districtissimèque ipsis Eremitanis prohibemus, ne extra claustra propria audeant ullatenus cum solo Habitu albo prædicto procedere, amplissimè derogantes cuicumque consuetudini etiam immemorabili in contrarium, & dantes plenam facultatem Locorum Ordinariis, ipsisque injungentes, quatenus auctoritate dictæ Sedis, ad instantiam præcipuè Fratrum Prædicatorum, contra eos, quos defecisse compererint, procedere possint, ac debeant.

Habitus albus permittitur extra Claustra FF. Prædicatoribus juxta eorum Constitutiones.

§. 63. Concedimus tamen Fratribus ipsis Prædicatoribus, ut in itinere, vel divertentes ad mœnia Urbium, ad Campos, & similia loca, ad quæ ex vi antiquarum quoque eorum Constitutionum, secundum quas Nos quoque vivere professi sumus, nullatenus cum Cappa nigra sese conferre teneantur, cum solo Habitu albo, quem nemo ignorat

ANNO 1727.

ignorat esse eorum distinctivum, non obstante quod id præcitata Constitutione Clementis VIII. accedere, ac procedere liberè, & licitè possint, & valeant.

XXIII. Præcedentia immediata post Ordines Monachales.

§. 64. Considerantes quoque antiquitatem non minùs, quàm excelsa merita hujus Ordinis, quibus perspectis Leo X. in Const. - *Accepimus nuper* - 3. Julii 1518. & S. Pius V. in Constit. LXXI. *Divina disponente* - 27. Augusti 1568. & Clemens VIII. in Constitutione XIII. *Inter cætera* - 25. Septembris 1592. Fratribus Ordinis jure merito adjudicarunt Præcedentiam supra cæteros Mendicantium, aliorumque Ordines, ita ut primi, & immediati post antiquos Ordines Monachales locum in omnibus primum, honorabiliorem, & digniorem obtinere debeant, prout pacificè in Conciliis generalibus, ac etiam Lateranensibus inconcussè obtinuere: prædictas Constitutiones omnes motu, scientia, & potestate supra dictis confirmantes, & innovantes, & quatenus opus sit omnia in eis contenta de novo mandantes, & concedentes, declaramus, atque decernimus, earundem Constitutionum tenorem perpetuo ubilibet, & in quacumque Mundi parte omnino servandum esse, eisdem Fratribus Ordinis Prædicatorum à die publicationis præsentium priori, digniori, & honorabiliori loco post Ordines Monachales prædictos in omnibus, & singulis processionibus, actibus, & functionibus, assignato & constituto: plenissimè derogantes quibuscumque conventionibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, Literis, Sententiis, ac Decretis ab Apostolica sede editis, vel specificè etiam confirmatis in contrarium quomodocumque facientibus.

XXIV. Exemptio à quibusvis oneribus, cum assignatione congruæ in impositis pro urgentissima causa.

§. 65. Ut deinceps Fratres hujus Ordinis congruè substentari valeant, nec tractu temporis Conventus propter inopiam necessario Fratrum numero carere cogantur, Exemptiones omnes à quibuscumque Decimis, Datiis, Collectis, Gabellis, impositionibus, vectigalibus, oneribus hospitandi milites, aliisque cunctis quocumque nomine nuncupatis, & ex quacumque gravi & gravissima causa impositis, prædicto Ordini concessas per S. Pium V. in Constitutione - *Dum ad uberes* - 29. Julii 1566. *Etsi mendicantium ordines* - 17. Cal. Julii 1567. - *Ad hoc Nos Deus* - 23. Septembris 1571. - *Romanus Pontifex* - 3. Octob. 1567. & - *Injunctum Nobis* - prid. non. Augusti 1569. Et per Nos etiam in Literis incipien. - *Sollicitudo* - editis 4. Id. Decem. 1725. amplissimè confirmamus, & innovamus; ac præterea volumus, & mandamus, quod tam pro præteritis, quàm pro futuris impositionibus ex urgentissima dumtaxat causa Belli contra Turcas, teneri possint, aut debeant Fratres, Conventus, eorumque bona, facta tamen prius deductione Congruæ pro unquoque Religioso ad rationem scilicet septem ducatorum auri de Camera, & nonnisi de residuo fructuum bonorum, demptis, & exceptis prædictis Congruis, volumus taxari posse in prædicto extremo casu. Non tamen per id intelligimus derogare Indultis nostrorum Prædecessorum pro particularibus Conventibus, si quæ sunt, decernentibus, esse præservandam à qualibet impositione ampliorem, seu pinguiorem Congruam, quinimmo ea confirmamus, ac innovamus.

XXV. Exemptio à Taxa Seminarii.

§. 66. Porro ne ex quo per nostram Constitutionem incipientem - *Credita* - & decreta novissimi Concilii Romani, in quibus cautum legitur à Taxa Seminarii, *exemptos esse debere Regulares pro iis tantum Beneficiis, & fructibus, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes ex causa verè, & propriè onerosa indulsit, ut ab onere Taxæ exempti sint*, ullo unquam tempore in discrimen revocari queat amplissima exemptio ab hujusmodi taxa, quam prædicto Ordini impertitus fuit S. Pius V. in sua Constitutione - *Romanus Pontifex*, - ac in alia - *Etsi Mendicantium* - hanc ipsam exemptionem, easdemque, ac alias quascumque per Prædecessores nostros desuper editas Constitutiones & declarationes expressè confirmamus, & innovamus. Cum enim memoratus Ordo varios Magistros, & Doctores præstet, ac alere, & substentare teneatur, *ex quorum Doctrina Fratres Novitii, eruditi postmodum effecti gregem Dominicum suis consiliis, confessionibus, orationibus, aliisque innumeris pietatis operibus juvent, & pascant*, ejusdemque Ordinis *domus non minùs, immo magis, quàm ea, quæ per Ordinarios erecta sunt, Seminaria vocari possint*, æquissimum videtur. Conventus dicti Ordinis nullo modo præterea taxari posse pro Seminariis ab Ordinariis erectis vel exigendis, prout hac nostra perpetuò valitura Constitutione declaramus, decernimus, & mandamus, etiam Concilii Romani Decretis, & quibuscunque aliis in contrarium quomodolibet facientibus quàm plenissimè derogantes.

XXVI. Declaratio circa Quartam Funeralem pro Italia.

§. 67. Per nostram Constitutionem - *Romanus Pontifex* - ac etiam decreta novissimi Romani Concilii, injunximus, Parochis solvendam esse quartam funeralem, in Italia nimirum, & Insulis adjacentibus ab omnibus, & quibuscumque Regularibus quocumque privilegio suffultis, & Regulares Ordinis S. Dominici utriusque sexus in eisdem Italia, & adjacentibus Insulis reverenter pro consueta ipsorum erga Apostolicam Sedem obedientia Dispositioni nostræ, ut debent, obsequuntur, prout etiam volumus, & mandamus imposterum servari, ita quidem, ut Regulares prædicti ei tantummodo, ad cujus Parochiam spectabit Defunctus, realiter, cum effectu, & sine ulla prorsus controversia tradere teneantur unam ex quatuor partibus (quam proprio nomine *Quartam* appellavimus) *omnium Intorticiorum, & Candelarum, quibus Defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulandum associabitur, nec non omnium Interticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, seu Pheretrum, ac etiam in Altaribus in die funeris accendentur*, retentis tamen sibi Candelis manualiter per viam delatis, una cum omnibus Intorticiis, Candelis, aliisque, de quibus in ea Constitutione mentio expressa facta non fuit; quæ Regularibus prorsus illæsa, & inviolata perpetuò manere volumus, decrevimus, ac mandavimus. Ubi verò adsint Consuetudines legitimè probatæ, Conventiones, Concordiæ, vel Statuta, quæ Parocho portionem quarta prædicta pinguiorem assignent, hanc eandem, prout ante nostram prædictam Constitutionem, ac etiam Concilium Romanum, dare pergant, & teneantur. Quum verò mentis, & intentionis nostræ in ea edenda Constitutione fuerit consulere quidem Parochorum indemnitati, ad hoc nimirum, ut ii, qui nihil, vel quarta minus percipiebant, eamdem quartam consequi possent, & non autem, ut qui majus emolumentum, seu plus quarta prædicta ex consuetudine, Conventione, Concordia, vel Statuto reportabant, aliquid aliud præterea vigore dictæ nostræ Constitutionis, aut etiam Concilii Romani sibi arrogare possent, voluimus propterea, ut iidem Perochi, vel præcisè perciperent statutam à Nobis quartam partem, vel tantummodo starent Consuetudini, Conventioni, Concordiæ, sive Statuto, ut prædictum est: Ne autem super hujusmodi clara cæteroquin intelligentia nostræ Constitutionis, & Concilii Romani, ullo unquam tempore excitari valeat aliqua difficultas, expresse ita declaramus dictam nostram Constitutionem, & de-

creta

ANNO 1727.

creta Concilii Romani, simulque motu, scientia, & potestate prædictis volumus, præcipimus, & mandamus, ut iidem Fratres Parocho relinquant optionem, vel eligendi quartam partem prædictam, vel standi consuetudini, statuto, concordiæ, seu conventioni, eamque pacifice sequantur, ut suæ ipsorum quieti religiosè juxta eandem mentem nostram consulant; Parochi verò semel factam optionem imutare nullatenus possint, aut valeant.

XXVII. ... circa Sepulturam ... eorum.

§. 68. Ea itidem Privilegia Fratribus Ordinis Prædicatorum Indulta per Sacros Canones, & Apostolicas Constitutiones, ut possint Cadavera Laicorum, & extraneorum quorumcumque in suis Ecclesiis libere tumulare, ubertimè confirmamus, & innovamus: utque, quantum in Domino possumus, occurramus continuis molestiis, quas, propter aliquorum sinistras interpretationes, pati coguntur Fratres prædicti cum maximo Christi fidelium scandalo, & pietatis simulque Divini Cultus detrimento, perpetuò volumus, & sancimus, in primis Fratrum prædictorum omnium, eisque inservientium, necnon quarumcumque personarum Tertii Ordinis, etiam extra Claustra, Domos, Hospitia, & Asceteria obeuntium, Laicorum quoque extraneorum per accidens degentium, & decedentium in Conventibus, Hospitiis, Domibus, & Asceteriis prædictis, Cadavera tumulanda esse in dictis Ecclesiis Ordinis, Diœcesani Loci, aut alterius cujuscumque licentia minimè desuper requisita.

Dispositio pro Cadaveribus Fratrum, aliorumque, de quibus seorsim supra.

Libera ex traneis electio Sepulturæ apud Fratres: Et quomodo de ea constet.

§. 69. Liberam prosus præterea fore cuique Fidelium, sive pro seipso, sive pro suis filiis, & filiabus, nepotibus, & neptibus in puerili vel infantili ætate decedentibus electionem Sepulturæ in Ecclesiis, & Cœmeteriis præfati Ordinis. De hac verò electione satis constare ubi in Ecclesia Ordinis gentilitium obeuntis, nulla in contrarium facta dispositione, sepulcrum præexistat; rursus ex Testamento, Codicillis, vel alia morientis simplici etiam scriptura, item ex dicto aut Confessarii, aut duorum testium, etiam extrajudicialiter deponentium de illius voluntate. Quòd si Parochus velit illos judicialiter repetere, suis sumptibus id facere teneatur.

Mandatur, ne Parochi etiam indirectè eam libertatem impediant.

§. 70. Caveantque Parochi, ne quod directè nequeunt, indirectè nitantur huic libertati præjudicium, & noxam inferre, sub prætextu ad ipsos pertinere numerum determinare Fratrum associare debentium, atque illum limitare ad metam Clericorum secularium; aliove deteriori, Parochianos, nimirum, eligentes alibi quàm in Ecclesia Parochiali Sepulturam, teneri ad eleemosynam majorem, gravioraque emolumenta favore Parochi, etiam sub emendicato titulo coarctivæ celebrationis Missarum, & Anniversariorum, vel sub obtentu cadaveris in Cathedrali, vel Parochiali Ecclesiis, priùs exponendi, & respectivè ratione transitus per limites aliarum Parochiarum, persolvenda esse similia emolumenta. Has enim abusivas adinventiones eradicare intendimus, & exterminare, prout abolemus, & improbamus, Statutis, Conventionibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus in contrarium vigentibus minimè attentis, quibus expresè derogamus. Volentes, numerum Fratrum associare debentium fore liberè determinandum per hæredes defuncti nullo habito respectu ad numerum Clericorum secularium.

Soli Parocho præmortui solvenda emolumenta.

§. 71. Per Cathedrales vero Ecclesias, Parochiales, seu per Parochos Defunctorum, aut per quorum Parochias transeunt cadavera, nullatenus cogi posse Fratres Ordinis, seu Defunctorum hæredes ad exponendum Cadavera, vel aliquid aliud solvendum ex causa transitus; ita ut inposterum soli Parochi morientium, iisque emolumentis dumtaxat potiantur, & gaudeant, quibus de jure potiuntur, & gaudent, firma omnimodè manente, ac plenissimè morientibus observata, sibi eligendi sepulturam, libertate.

Parocho intimato, nec accedente, FF. debent Cadaver per viam sibi bene visam recta deferre.

§. 72. Parocho admonito, requisito, & intimato per Fratres, ac demum renuente accedere ad associandum Cadaver in Ecclesiam Fratrum prædictorum, vel eodem ultra statutam pro delatione Cadaveris horam per discretum tempus, quod nunquam unam horam excedere possit, expectato, nec accedente, Fratres prædictos Cadaver illud, invito etiam ipso Parocho, levare, & ad eandem Ecclesiam tumulandum, ne Dei servitium minuatur, & ipsi contemnantur, recto quidem tramite, & via per eos eligenda deferre posse, ac debere volumus, atque sancimus.

Regula pro Crucis erectione, delatione Stolæ, & ingressu in Ecclesias in Processionibus funebribus.

§. 73. Et ad tollendum deinceps, quantum in Domino possumus, Fidelium scandalum, nimis frequentium controversiarum originem, hac perpetuò valitura lege decernimus, licere Cathedralis Parocho Capitulo, Fratribus Ordinis Prædicatorum, ac cæteris etiam Regularium Communitatibus ad Processiones Funebres per quasvis Parochias, singulorum propriis erectis Crucibus, accedere, easque etiam sic peragere, quemadmodum in aliis solemnioribus Processionibus contingit, & ita etiam in Ecclesiam tumulantem ipsorum Fratrum, ordine, quo in via incedebant, ingredi, atque facta adoratione ad Altare, in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum, aut etiam exequiis persolutis recedere: Parocho quoque in eandem Ecclesiam tumulantem cum Stola intrare; ac respectivè Fratribus associare debentibus Defuncti cadaver cum Parocho, ne interim contingat illos in vicis, & plateis supersedere, in Parochialem Ecclesiam etiam cum Cruce erecta ingredi licitum fore, auctoritate Apostolica, Motu, & scientia prædictis, mandamus, & volumus. Non obstantibus, quoad prædicta omnia, & singula consuetudinibus etiam immemorabilibus, cæterisque omnibus, & quibuscumque in contrarium facientibus, quibus omnibus expressè, ac plenissimè derogamus; declarantes, & quatenus opus sit, decernentes, ac matura deliberatione mandantes, Crucis erectiones, Stolæ delationem, & ingressus in Ecclesias in omnibus, & singulis enumeratis, ac cæteris quibuscumque similibus casibus, nullam penitus Jurisdictionem importare, aut minimum in aliquo præjudicium cuicumque irrogare, aut quandocumque, & quomodocumque irrogare, & inferre posse.

Quæ sint prohibita, & quomodo permissa Parocho celebratio Exequiarum in Ecclesiis Ordinis.

§. 74. Postremo prohibemus, posse per Parochos invitis Fratribus in istorum Ecclesiis, aut Cœmeteriis Cadavera sepeliri, & respectivè Missas celebrari, ac Exequias quascumque persolvi. Ubi verò accedit pacifica consuetudo, seu legitima conventio, aut expressa Fratrum voluntas, permittimus, quòd Parochus cum Clericus secularibus in Ecclesiis Ordinis Exequias peragat, absque ullo tamen præjudicio Fratrum, quorum omnimoda de cætero jurisdictio in propriis Ecclesiis salva, & illæsa remaneat, eique nullum imaginabile præjudicium per hujusmodi particulares, & Fratrum voluntarios actus irrogatum ullo tempore censeatur.

XXVIII. Exemptio à Decimis Canonicis.

§. 75. Ulteriùs circa exemptionem à Canonica Portione, sive à Decimis quibuscumque Ecclesiasticis, sive Canonicis, Parochialibus, Episcopalibus, ac etiam Papalibus, tam Personalibus, quàm Realibus, non solum de Novalibus, Hortis, animalium Nutrimentis, Virgultis, Bonisque propria manu excultis, sed etiam quoad omnia omnino bona, quandocumque, & quomodocumque acquirenda, etiam per alienas manus excolenda, immo etiam quoad ipsos Colonos, Arrendatarios, & similes quoscumque, qui Fratrum prædictorum, ac Sororum, indigentiis de

præ-

prædictis eorum bonis hac via subvenire teneantur, expresse, ac specificè confirmamus Privilegia ipsis sive directè cum necessariis, & opportunis derogationibus, & respectivè etiam Conc. Lateran. seu *cap. Nuper de Decim.* ut in Constitutionibus Honorii III. - *Religiosam Vitam* - 11. Kal. Jan. 1216. Innocentii IV. - *Qui Deum tota* - 3. Nonas Febr. 1244. Alexandri IV. - *De pia, & sancta* - 15. Kal. Febr. 1257. Bonifacii VIII. - *Laudabilis* - 15. Kal. Aug. 1297. Benedicti XI. - *Sacra vestra Religio* - 3. Kal. Martii 1304. Gregorii XI. - *Virtute conspicuos* - 2. Non. Martii 1374. Bonifacii IX. - *Etsi pro cunctorum* - 5. Kal. Maii 1401. Martini V. - *Ad Summi* - Kal. Maii 1420. Eugenii IV. - *Ad statum* - 3. Idus Aprilis 1440. Nicolai V. - *Licet ex debito* - Prid. Non. Decembr. 1484. & - *Licet ea* - 8. Idus Aug. 1451. Sixti IV. - *In Mari Magno Prædicatorum* - & S. Pii V. - *Etsi Mendicantium* - & - *Ad hoc Nos Deus* - & - *Injunctum Nobis* - Pauli IV. - *Ex Apostolicæ Sedis* - Clementis VIII. - *Injuncti* - & - *Exposcit* - 25. Martii 1592. & - *Pastoralis officii* - 21. Julii 1595 - , & Urbani itidem VIII. - *In plenitudinem* - Sive indirectè, & virtualiter ipsis desuper concessa, nimirum, per amplissimas communicationes Privilegiorum, & præcipue indultorum Cartusianis, Cisterciensibus, & Societati Jesu, quemadmodum liquet ex præcitatis Constitutionibus. Ne tamen ullo unquam tempore de hujusmodi plenaria exemptione dubitari queat, præterea Motu proprio, & auctoritatis plenitudine, contrariis quibuscumque non obstantibus, Ordini Prædicatorum utriusque sexus, & ab eo dependentibus, eorumque prædictis bonis quibuscumque dictam exemptionem ex integro, & denuo cum expressa, & individuali derogatione dicti *cap. Nuper de Decim.*, amplissimè concedimus, & elargimur.

XXIX. Confirmantur ampliores concessiones S. Pii V. & reducuntur ad terminos Concil. Triden. (juxta illius interpretationem) & hujus Constitutionis.

§. 76. Itidem quoad privilegia Mendicantium Ordini Prædicatorum concessa, prævia derogatione Constitutioni à Gregorio XIII. - *In tanta* - editæ prima Martii 1573., innovamus Constitutiones S. Pii V. - *Et si Mendicantium* - & - *Ad hoc nos Deus* - & quatenus opus sit in his contenta de novo disponimus, & respectivè concedimus, atque perpetuò observanda esse decernimus, & mandamus, dummodo Decretis Concilii Tridentini, & dispositis in hac nostra peculiari Constitutione non sint contraria, ut etiam demandarant Clemens VIII. in Constitutione - *Injuncti* - 5. Octobris 1604., & Urbanus VIII. in Constitutione - *In plenitudinem* - 13. Mai 1625. Declarantes, quòd hæc restrictio contenta etiam in mox dictis Literis Clementis, & Urbani haud tollit decreta Concilii Tridentini juxta interpretationem ipsis attributam in præcitatis Literis S. Pii V.

XXX. Confirmatio generalis aliorum Privilegiorum.

Extensio Privilegiorum intra Ordinem.

Communicatio in Privilegiis cum aliis.

§. 77. Inhærentes præterea vestigiis prædecessorum nostrorum, qui Privilegia, Indulta omnia, & singula, gratias, exemptiones, Immunitates, & Communicationem intraneam, sive ampliationem, aut extensionem intra ipsum Ordinem Prædicatorum adeò, ut concessa, vel concedenda uni Fratri, Sorori, Domui, Conventui, Collegio, Ecclesiæ, Monasterio, & aliis, etiamsi concessa non intelligerentur sub generali communicatione, aliis Fratribus, Sororibus, Domibus, Conventibus, Collegiis, Ecclesiis, Monasteriis, cæterisq; pariformiter comprehensa, & concessa perpetuò sint, & intelligantur, Communicationem quoque infra declarandam uberius cum aliis quibuscumque Ordinibus, Congregationibus, & Confraternitatibus, libertates, prærogativas, Indulgentias, peccatorum remissiones, & similia quæcumque, & quocumque nomine nuncupanda, à Prædecessoribus nostris Ordini prædicto, Domibus, Collegiis, Conventibus, Monasteriis, Provinciis, Fratribus, ac Monialibus, necnon utriusque sexus Tertiariis concessa, amplissimè, & validissimè confirmarunt, innovarunt, de novo concesserunt, eisque perpetuum Apostolicæ firmitatis robur addiderunt, etiam motu proprio, scientia, & potestate prædictis, derogando insuper quibuscumque consuetudinibus, ac Constitutionibus Apostolicis, etiam in universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, & ordinationibus contrariis, ac cum decreto irritante, supplendo quosvis defectus juris, & facti, & solemnitatem forsan omissarum, ut in Apostolicis Constitutionibus, & signanter Alexandri V. Martini etiam V. Eugenii IV. in Bullis incipien. - *Sacra Religionis* - 5. Kal. Aprilis 1439. ubi Privilegium dicto ordini Prædicatorum indultum per plures Prædecessores post Innocentium IV. quòd nullæ Literæ Apostolicæ *sub quibusvis formis, & verborum expressionibus, & cum quibuslibet derogatoriis Privilegiorum, etiam Mendicantium,* quandocumque emanandæ possent eidem Ordini præjudicare, *nisi de Ordine ipso, ac de Magistro Ordinis, & Privilegiis ipsi concessis signanter, & notanter, specialiter, & expresse, necnon de verbo ad verbum mentio facta fuerit,* validissimè confirmatur, quod & alii postmodum Romani Pontifices decrevere; insuper Nicolai V. Sixti IV. - *In Mari magno* - ac in - *Bulla aurea* - Julii II. - *Aliàs ad supplicationem* - 1. Junii 1509. Leonis X. in duabus Literis similiter incipien. - *Quum inter cæteros* - 22. Novemb. 1513. & 21. Junii 1518. & in aliis - *Dudum per Nos accepto* - 10. Dec. 1519. Julii III. - *In Sacra Beati Petri* - 10. Julii 1551. Pauli IV. - *Ex Apostolicæ Sedis* - 9. Martii 1556. ac deinde S. Pii V. Clement. VIII. & Urbani VIII. in prædictis Constitutionibus - *Etsi Mendicantium* - *injuncti* - *in plenitudinem* - easque quidem omnes, & singulas constitutiones, ac supplendo quoscumque defectus Juris, & Facti, & solemnitatum forsan omissarum confirmantes, ac innovantes, & quatenus opus sit omnia, & singula in eisdem, ac cæteris quibuscumque pro Ordine Prædicatorum, ejusque Generali Magistro, Procuratore Generali, Superioribus, Fratribus, Monialibus, Tertii quoque Ordinis Personis quibuscunque per sedem prædictam, ac etiam per S. R. E. Cardinalium Congregationes, Cardinales Legatos, & quosvis Sedis prædictæ Nuntios, & Ministros, & per alios quoscumque, & quacumque potestate pollentes, aut alias quomodolibet, & sub quibuscumque verborum expressionibus, & tenoribus in genere, vel in specie, & particulariter, tam per modum communicationis, & ampliationis, quàm simplicis, & individuæ, particularis, ac specialis concessionis cujuscumque, & quomodocumque etiam motu proprio, aut aliter factæ, emanatis concessionibus contenta, ac etiam consuetudine legitimè præscripta, aut acquisita, largientes, ac concedentes, dummodo tamen prædictis in hac nostra constitutione non sint expresse contraria, motu, scientia, ac potestate similibus confirmamus quoque innovamus, ac si opus sit de novo concedimus Magistro Ordinis, Capitulis Generalibus, Definitoribus eorum, cunctisque fratribus, sive Clericis, sive Laicis, etiam oblatis, monialibus quibuscumque, ac Tertii Ordinis utriusque sexus personis, eorumque Ecclesiis, Conventibus, Monasteriis, ac Domibus, Ministris, famulis, cunctisque tam Conservatoribus, & Officialibus, quàm domesticis, necnon quibusvis aliis personis, ac Christi fidelibus, illorum Ecclesias, seu Cappellas, Oratoria quoque visitantibus, nec non Confratribus, & Consororibus tam supra dictarum, quàm aliarum quarumcumque confraternitatum in Ecclesiis, aut Oratoriis eorundem

Mentio expressa facienda de Ordine.

ANNO 1727.

dem fratrum legitimè erectarum, & institutarum, vel quandocumque erigendarum, ac instituendarum, illasque tunc existentibus, quàm pro tempore extituris; omnibus pariter, & singulis libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, præeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, indulgentiis, aliisque prærogativis, & gratiis universis, & singulis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, singulis domibus, conventibus, collegiis, Monasteriis, & aliis regularibus locis, & personis, tam Canonicorum, quàm Clericorum regularium ubivis existentium institutis, & non solùm ordinibus Monasticis, regularibus aliorum mendicantium, & non mendicantium, tam pro redimendis captivis, quàm aliis quomodolibet, ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, illiusque domibus, conventibus, & fratribus, necnon Ordini, ac etiam congregationi fratrum Discalceatorum ejusdem Ordinis B. M. de Mercede Redemptionis captivorum, ac etiam omnibus, & quibuscumque congregationibus regularium, & præcipuè Clericorum regularium, etiam ministrantium infirmis, Canonicorum congregationis sanctissimi Salvatoris Lateranen. S. Salvatoris de Bononia, ac etiam S. Ruffi Valentiæ, & S. Crucis Colimbriæ, Clericorum Regularium de Somasca, & pauperum Matris Dei, & Scholarum Piarum, ipsisque Monasticis congregationibus etiam Cassinensi, aliisque Monachis, etiam Monasterii S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui B. Mariæ de Guadalupe, necnon Societati Jesu, ipsisque Cartusianorum, Præmonstratensium, & Reformatorum Cistercien. Servitarum, Olivetanorum Ordinibus, aliisque Familiis, & Societatibus regularibus, militiis & hospitalibus quibuscumque, & locis piis regularibus, ac quibuscumque personis nunc, & pro tempore existentibus prædictorum quorumlibet ordinum, societatum, congregationum regularium, ac etiam monialium, & tertii cujuscumque ordinis personarum, ac confraternitatum quarumcumque per Nos, & Sedem prædictam, prædictasque S. R. E. Cardinalium congregationes, Cardinales Legatos, Nuncios, aliosque ejusdem Sedis Ministros, quavis auctoritate, aut ratione, motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam iteratis vicibus concessis hactenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quàm in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum pœnitentiarum relaxationes, aut aliàs quomodolibet de jure, usu, aut privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomolibet in futurum, quamvis illa sint speciali nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, & non obstantibus clausulis annulativis, cassativis, exceptivis, ac etiam communicationis prohibitivis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, non solum per participationem, communicationem, illorum extensionem, & illorum ad instar, sed speciatim, nominatim, pariformiter, & æque principaliter in omnibus, & per omnia, absque ulla prorsus differentia: perinde ac si prædicto ordini Prædicatorum, ejusque Magistro Generali, Generali Procuratori, Capitulis Generalibus, Provincialibus, Definitoribus, aliisque Superioribus, ac fratribus, monialibus quoque, ac etiam tertii ordinis personis specialiter expressè, & nominatim, ac per viam, & modum simplicis, & individuæ, ac particularis, & specialis concessionis, motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis, concessa fuissent, quatenus tamen Concilii

Privilegi. etiam d cilis concessionis alteri cuicumque quomodocumque indulta, pariformiter, & æque principaliter conceduntur.

Tridentini Decretis, & huic nostræ Constitutioni non contrarientur expresse, ut supra, nisi forte in ipsis adhuc, & in præsenti eadem constitutione reperiretur derogatio aliqua, exclusio, limitatio, restrictio, exceptio, aut alia quævis modificatio privilegii in quocumque genere amplioris, alicui de reliquo ex nuperrimè recitatis à Sede prædicta concessi, nec revocati, aut sub aliqua revocatione comprehensi, sive quandocumque per eandem concedendi, quo in casu prò ipso Ordine, & ad eum, ut supra, spectantibus in omnibus, & per omnia quoque subsistere absque ulla prorsus differentia, ut prædictum est, pariformiter declaramus, sancimus, & volumus, uti, frui, potiri, & gaudere liberè & licitè possint, & valeant.

XXXI. Avocantur, & extinguuntur quæcumque desuper lites.

§. 78. Ac demum, ut ordo ipse fratrum Prædicatorum, illiusque Magister Generalis, Provinciales, Priores, aliique Superiores, fratres, famuli, & personæ quæcumque ab ordine ipso, ut præfertur, quomodolibet dependentes, nunc & pro tempore existentes, omnium, & singulorum à nobis, ut præfertur, approbatorum, confirmatorum, extensorum, innovatorum, & de novo etiam concessorum pacifica in possessione, seu quasi à data præsentium constituantur, constitutique sint, & esse censeantur, omnes, & quascumque lites, & causas, si quæ sint, quarum omnium, & singularum respective status, & merita eisdem præsentibus haberi volumus pro expressis super præmissis, seu illorum aliquo inter fratres prædictos ex una, & quoscumque alios ex altera partibus, in quocumque judicio coram quocumque Judice quavis etiam Apostolica sibi delegata auctoritate fungente, & in quacumque instantia quomodolibet nunc pendentes, ad nos avocantes Apostolica auctoritate, motu, ac potestatis plenitudine prædictis penitus extinguimus, & extinctas esse volumus, omnimodumque silentium perpetuò imponimus.

XXXII. Clausulæ præservativæ.

§. 79. Decernentes omnia, & singula præmissa à Nobis, ut præfertur, confirmata, approbata, innovata, extensa, de novo concessa, & indulta, easdemque præsentes semper, & perpetuò, tanquam divini cultus, & bonorum operum augmentum, religionisque propagationem respicientia, valida, & efficacia, ac validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus perpetuò sortiri, & obtinere, & ab omnibus firmiter, atque inviolabiliter observari, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, occasione, vel causa resiliri, aut recedi, neque de nullitatis obreptionis subreptionis vitio, & intentionis nostræ defectu notari, impugnari, vel retractari, nec adversus illas quodcumque juris, vel facti remedium, nec etiam oris aperitionem impetrari unquam posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum, privilegiorum, indultorum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos, & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sedemque prædictam, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac sub quibusvis clausulis, & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis minime confundi, vel comprehendi posse, nisi de toto earumdem præsentium tenore, & data expressa mentio, nihil penitus omisso, habita, & revocatio, derogatio, suspensio, limitatio, restrictio, & alia quæcumque contraria dispositio Magistro, & Procuratore generalibus pro tempore dicti ordinis expressè, distinctim, ac nominatim intimatis, iisque per trinas distinctas literas Apostolicas tribus diversis vicibus cum temporis competentis intervallo ad id specialiter vocatis factæ fuerint, & si aliter derogari, revocari, suspendi, limitari, & restringi contingat, hujusmodi dero-

gationem,

gationem, revocationem, suspensionem, limitationem, & restrictionem, nullius esse roboris, & momenti, & quoties illæ emanabunt toties in eorum pristinum, & validissimum statum sub quacumque etiam posteriori data per Magistrum Generalem, & Fratres pro tempore existentes prædictos eligenda restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, & de novo etiam concessas esse, & fore, ac vim validi, & efficacis contractus, etiam cum juramento inter Nos, & Sedem prædictam, ac Magistrum Generalem, & Fratres prædictos initi habere.

Decretum irritans.

§. 80. Sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac etiam S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate, in quavis causa, vel instantia judicari, sententiari, & definiri debere, nec non quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus.

XXXIII. Executio commissa futuris Ordinis Protectoribus.

§. 81. Quoniam verò quousque divinæ Providentiæ placuerit Nos in humanis tolerare, nolumus plane protectionem Nobis Dilectissimi Ordinis alicui cedere, mandamus subinde futuris pro tempore Protectoribus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, enixeque in Domino hortamur, ut pro plena nostræ hujus constitutionis executione apud Pontifices totis viribus, zelanterque advigilent, atque procurent.

Aliorum Executorum deputatio, & facultas.

§. 82. Executionem verò contentorum in præsentibus nostris literis committimus, & mandamus universis, & singulis Venerabilibus Fratribus Apostolicæ hujus Sedis, Legatis, Nuntiis, & Internuntiis, pro tempore existentibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis causarum curiæ cameræ Apostolicæ Generali Auditori, Abbatibus, Prioribus, & aliis quibuscumque personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem præsentes; & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties super hoc pro parte Magistri Generalis, & fratrum nunc, & pro tempore existentium, aut alicujus eorum requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio adsistentes, faciant auctoritate nostra firmiter observari, eosque, & quemlibet eorum illis pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos, aut eorum quempiam per quoscumque contra earumdem præsentium tenorem desuper quomodolibet indebitè molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

XXXIV. Clausulæ derogatoriæ.

§. 83. Non obstantibus priori voluntate nostra, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis de non tollendo jure quæsito, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. pariter Prædecessoris Nostri, qua cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolica deputati contra quoscumque procedere, seu alii, vel aliis vices suas committere præsumat, ac in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, & quibusvis universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis, vel aliis Apostolicis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon prædicti, aliorumque ordinum Regularium quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & conventionibus, ac etiam immemorabilibus, consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis, quibusvis personis, & locis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis; nec non irritantibus, & aliis decretis, ac etiam consistorialiter, ac aliàs quomodolibet etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, & aliorum quorumcumque Principum instantiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, aliàs de istis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac specialiter, & expressè harum serie hac vice dumtaxat motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, derogamus: Aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

XXXV. Quibus transumptis habenda fides.

§. 84. Volumus autem, quòd ipsarum præsentium transumptis, etiam impressis, alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutæ personæ sigillo, & Notarii manu obsignatis, vel etiam saltem extra Italiam, sigillo, & subscriptione Magistri Ordinis, aut Provincialium pro tempore ejusdem ordinis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis

§. 85. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, extensionis, innovationis, concessionis, extinctionis, impositionis, indulti, decreti, declarationis, commissionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Setiæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo septimo Kal. Junii Pontificatus nostri anno tertio. Kal. Junii 1727.

P. Cardinalis Prodatarius.

X. X. Resid.m Gratis de Mandato Sanctissimi.

I. Petraglia. N. Soderinus.

I. C. Pelucchius. A. Caraffa Cap.uns

I. B. Cauccius.

Phil. Masuccius Cap.nus

F. de Felicibus Cap.nus, & Secretarius.

F. Moral. X. X. dus Resid.m Gratis de Mand. SSmi

G. Ziggius.

Visa F. Sinibaldus.

I. S. Villa.

Loco ✝ Plumbi.

Registrata in Camera Apostolica.

Pro D. Antonio Cajetano Frosio Cam. Apost. Secretario.

Antonius Petruccius Consecretarius.

ANNO 1727.

XXXVIII.

Fratrum Minorum Recollectorum S. Nicolai in Lotharingia Provinciæ erectio & institutio.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Commemorat suam in religiosos arctioris vitæ pastoralem sollicitudinem.

SOllicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divinâ dispositione præsidemus, nos admonet, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ instituto mancipatorum curam gerentes, felici illorum statui, ac progressui, & religionis incremento, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere jugiter studeamus.

Benevolentia Leopoldi I. Lotharingiæ & Barri Ducis.

Maxime erga Recollectos à se & majoribus fundatos & erectos.

Recollectorum Lotharingiæ odor Religiosus.

an. D. 1723.

Deputatio Commissarii Generalis.

Cum itaque, sicut accepimus aliàs, dilectus Filius Nobilis Vir Leopoldus Lotharingiæ, & Barri Dux non minus pro avita sua in Deum pietate, & singulari erga ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci devotione, quàm excitatus suavis odoris fragrantiâ in universum ejus dominium diffusa, vitæ, ac bonæ conversationis exemplo, religiosisque in vinea Domini laboribus Dilectorum filiorum fratrum ejusdem Ordinis de observantiâ Recollectorum nuncupatorum custodiæ Sancti Nicolai in Lotharingia nuncupatæ, quæ infrascriptis septem Conventibus, & hospitio à se, ac Majoribus suis fundatis & erectis constat, nempe Conventibus Longuuicensi, Gondrecuriensi, Damblinensi, Confluentino, Aspermontano, Lifoldiensi, Bulnievillensi, & hospitio Mirecuriensi, ubi noviciatus cum tribus Sacræ Theologiæ tum Scholasticæ, tum moralis, & uno Philosophiæ cursibus institutus reperitur, ac quorum religiosi Catholicæ doctrinæ semen longe lateque spargere non desistunt, & arctiori Regulæ, quam profitentur, observantiæ, & non sine ingenti populorum ædificatione sedulo incumbunt; eandem custodiam, cui, datâ occasione, novos Conventus addere paratus erat, in Provinciam erigi exoptans, litteras ad novissimum Capitulum Generale prædicti ordinis in alma urbe nostra celebratum pro ejusmodi erectione obtinenda dedisset; quibus acceptis, idem Capitulum Generale decrevit numerum, & statum conventuum, & hospitii prædictorum ab uno Commissario Generali dicti ordinis prius examinandos, & illius Ministro Generali significandos fore, quàm ad erectionem prædictam deveniretur; quæ quidem omnia ritè, ac ordine adimpleta fuerunt; Verum quia juxta statuta Generalia auctoritate Apostolicâ confirmata, ac decreta Capitulorum Generalium dicti ordinis enarratus conventuum numerus satis non est, ut in Provinciam erigantur, nisi specialis nostra, & hujus sanctæ sedis in hac parte, ut aliàs sæpius factum fuisse memoratur, accedat dispensatio & facultas. Hinc est, quod nos piis ejusdem Leopoldi Ducis desiderio hac in re, quantùm cum Domino possumus, favorabiliter annuere, simulque firmiori, & solidiori ejusdem Custodiæ statui, prosperoque illius regimini, & progressus providere volentes, ac dilectorum filiorum custodis, & definitorum, aliorumque fratrum custodiæ hujusmodi singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ exurgunt, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certâ scientia, & maturâ deliberatione nostrâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine præfatam custodiam, tametsi non nisi septem Conventibus, ac hospitio de præsenti constantem, sicut præmittitur, in novam Provinciam Fratrum Recollectorum dicti ordinis, quæ Provincia Sancti Nicolai itidem nuncupari debeat, ac Capitula Provincialia pro Ministri Provincialis, custodis & definitorum, aliorumque Officialium ipsius Provinciæ electione, ac congregatione, aliosque congressus ad instar aliarum Provinciarum ordinis hujusmodi celebrare, ac omnibus, & singulis prærogativis, præeminentiis, juribus, honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus aliæ ejusdem ordinis Provinciæ tam de jure, usu, & consuetudine, quàm aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, pariformiter, & absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possit & valeat, tenore præsentium sine cujusquam præjudicio in perpetuum erigimus, & instituimus:

Custodia constans septem conventibus & hospitio uno in provinciam erigitur.

Communicatio Privilegiorum cum cæteris provinciis.

Sequitur confirmatio prolixa & firmissima erectionis.

Decernentes ipsos præsentes litteras, & in eis contenta, etiam ex eo quod quilibet in præmissis Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, etiamsi specificâ, & individuâ mentione & expressione digni, illis non consentiant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ propter quas præsentes emanarint, adductæ, aut verificatæ, & justificatæ fuerint, aut ex quâvis aliâ, etiamsi quantumlibet juridicâ, piâ, & privilegiatâ causa, colore, prætextu, & capite etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiamsi quantumvis formali, & substantiali, individuamque expressionem requirenti defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrare, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentes litteras semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ sedis Nuncios, aliosve quoslibet quâcumque præeminentiâ & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quocumque quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis, illiusque capitulorum Generalium, & custodiæ hujusmodi, aliisque quibusvis in juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, decretis, & consuetu-

ANNO 1727.

consuetudinibus, etiamsi immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam dicto ordini, ejusque superioribus, & quibusve aliis personis, & locis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ex formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, ac insererentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

30. Julii 1727. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXX. Julii MDCCXXVII. Pontificatus nostri anno quarto.

Locus ✠ Sigilli.

Card. Oliverius.

Præsens Copia de verbo ad verbum cum Originali suo concordat: in cujus fidem, Ego infra scriptus me subscribo, Gondrecurii 28. Octobris 1728.

F. *Berardus Henrion* Recollectorum Lotharingiæ Minister Provincialis.

XXXIX. Quâ cujusvis Status, Ordinis, & conditionis personis in Alma Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico prohibetur Ludus, vulgò *Lotto di Genova, di Napoli, e di Milano*, aliove nomine nuncupatus, sub Censuris Ecclesiasticis Sanctitati suæ, & Successoribus suis reservatis; salvis, ac firmis remanentibus, omnibus temporalibus, aliisque pœnis adversùs ejusmodi Ludo ludentes hactenùs indictis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Creditæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut si quos in temporali nostra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditione abusus pullulare, atque invalescere agnoscimus, eos opportunæ sanctionis sarculo recidere, atque è medio tollere studeamus, sicut Reipublicæ expedire in Domino arbitramur. Aliàs siquidem Nos felicis recordationis Innocentii XI. Innocentii XII. ac Clementis etiam XI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, justissimisque, ac gravissimis de causis animum nostrum moventibus adducti, Ludum, qui vulgariter dicitur, *Lotto di Genova, di Napoli, e di Milano*, sive alterius cujusvis civitatis, aut loci, omnibus, & singulis in Alma Urbe nostra, ac reliquo statu Ecclesiastico nobis mediatè, vel immediatè subjecto tunc, & pro tempore existentibus, cujuscunque gradus, & conditionis forent, per Edictum die VII. Sept. MDCCXXV. jussu nostro promulgatum sub variis pœnis temporalibus in eo contentis, & expressis, districtè prohibuimus, ac omnino interdiximus.

Ludus aliàs à SS. Domino nostro prohibitus sub variis pœnis.

Subinde verò Regularibus tam Viris, quàm Mulieribus ejusmodi Ludo quomodolibet ludentibus vocis activæ, & passivæ privationem eo ipso incurrendam adjecimus: ac demum alio posteriori Edicto personis Ecclesiasticis tùm Sæcularibus, cum Regularibus in Sacris ordinibus constitutis, præter, & ultra memoratas pœnas, suspensionem à Divinis, quæ autem in Sacris Ordinibus hujusmodi constitutæ non essent, excommunicationem in subsidium comminari curavimus, nec alia prætermisimus, quibus firmam, constantemque mentem, ac voluntatem nostram eundem Ludum ex universa nostra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditione citrà Montes proscribendi, atque radicitus evellendi, omnibus palam, certamque, & manifestam faceremus.

Privatio vocis activæ, & passivæ quoad Regulares ludentes adjecta.

Suspensio à Divinis pro Personis in Sacris constitutis.

Quoad Ecclesiasticos in Sacris non constitutos Excommunicatio in subsidium.

Cum autem, sicut non sine intimo animi nostri dolore accepimus, multi adhuc reperiantur non minùs ex Laicis, quàm Ecclesiasticis Sæcularibus, & utriusque sexus Regularibus prædictis, qui cæcâ, & vanâ lucri cupiditate ducti, debitæ nobis, mandatisque nostris obedientiæ planè immemores, nec pœnas contra ejusmodi ludentes ab eisdem Prædecessoribus indictas, ac per Nos innovatas, auctas, & extensas reformidantes, enarrato Ludo ludere, nonnullique etiam (quod deterius, & gravius est) Receptorum, & Collectorum, ut vocant, ejusdem ludi officio perfungi cum incredibili ludentium, eorumque familiarum, ac præcipue pauperum detrimento, & jactura damnabili ausu pergunt. Nos pro paterna, quam de nostris, & Apostolicæ Sedis in temporalibus subditis gerimus cura, eorum utilitati, ac indemnitati, quantùm cum Domino possumus, jugi vigilantia intendentes, publicam privatamque perniciem, quæ ex prædicto ludo provenire dignoscitur, ab eis avertere, simulque tam apertam hujusmodi inobedientium temeritatem, contumaciam, ac impudentiam juxta canonicas sanctiones, Apostolici zeli vigore, gravioribus pœnis tandem retundere, ac cohibere decrevimus.

Motiva constitutionis.

Itaque motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Ecclesiasticis in Sacris Ordinibus prædictis constitutis, ac in Urbe, & Ditione præfatis, nunc, & pro tempore existentibus, Sæcularibus, & Regularibus cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis, ac cujusvis Ordinis, Congregationis, Militiæ, & instituti tam mendicantium, quàm non mendicantium, etiam Societatis Jesu, & eorum cuilibet, licet talis esset, de quo specifica, & individua mentio facienda foret, qui imposterum præfato ludo, quem vulgo appellant *Lotto di Genova, di Napoli, e di Milano*, sive alio quovis loco fiat, vel quocumque altero nomine nuncupetur, etiam semel per se immediatè, vel per alios tam in urbe, quàm in reliquo statu nostro Ecclesiastico, sive etiam extra illum consistentes, directè, vel indirectè, tam nomine proprio, quàm alieno, ac tam pro se, quàm per Nuntios, Epistolas, & signa, seu alias quovis modo, & qualitercumque ludere præsumpserint, vel ludum pro se, eorumque nomine ab exteris factum, ratùm habuerint, pœnam suspensionis à Divinis ipso facto incurrendam tenore præsentium indicimus, ac infligimus.

Contra quoscumque Ecclesiasticos in Sacris constitutos præfato ludo ludentes imponitur pœna suspensionis à Divinis ipso facto incurrenda.

Cæteris verò personis Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus hujusmodi in Sacris Ordinibus minimè constitutis, Monialibus quoque, & quibusvis aliis puellis, seu mulieribus in Monasteriis, Conservatoriis, seu aliis locis Piis degentibus, ac tandem quibuscumque Laicis utriusque sexus in urbe, & Ditione præfatis, nunc similiter, & pro tempore degentibus cujuscumque conditionis,

Cæteris quibuscumque similiter ludentibus pœna Excommunicationis statuitur.

tionis, & dignitatis fuerint, nulla excepta, quæ præfato Ludo, ficut præmittitur, feu alias quomodolibet ludere aufæ fuerint excommunicationis pœnam ftatuimus, atque imponimus.

Contra Receptores, & Collectores eifque auxilium præftantes imponitur pœna excommunicationis ipfo facto incurrendæ.

Quia verò Receptores, & Collectores prædicti vulgariter *Prenditori, e Collettori*, eundem Ludum non fine graviffimo fcandalo in fubditorum noftrorum exitium fovere, alere, & quantum in ipfis eft promovere, & augere contra Apoftolica mandata hujufmodi longè magis deteftabili aufu adnituntur; Receptores, & Collectores Ludi hujufmodi, eifve auxilium, & favorem hac in re de cætero præftantes, excommunicationis pœna etiam ipfo facto incurrenda harum ferie innodamus, & percellimus.

Eadem pœna excommunicationis ipfo facto incurrendæ ftatuitur contra Ratiocinatores, Scriptores, Mercatores, aliofque pro ludo operam fuam præftantes.

Declarantes Receptorum, & Collectorum prædictorum nomine venire, ac fub hac pœna comprehendi quoslibet eorum Ratiocinatores, Scriptores, Amanuenfes, Exactores, ac etiam Mercatores, & Numularios fcienter pecunias pro dicto Ludo folventes, vel mittentes, quique Apochas, feu Syngrahas, Italicè *Pagherò*, vel alia quavis appellatione denominatas diftribuerint, feu diftribuere fecerint, prout etiam qui alio, feu aliis Epiftolas ad Ludum fpectantes fcripferint, aut tranfmiferint.

Nec non contra fcribentes, aut imprimentes Schedulas vulgo *Lifte del Gioco*, eafque fibi tranfmitti curantes, aut aliis exhibentes, aut retinentes ad effectum ludendi, cæterofque, qui quocumque modo operam ludo præbuerint.

Eidem quoque excommunicationis latæ Sententiæ pœnæ fubjicimus illos, qui notulas, feu Elenchos nomina, ac numeros extractionis continentes vulgò *Lifte* in Urbe, & Ditione prædictis Typis ediderint, vel manu fcripferint, feu ubilibet impreffas, five manu exaratas retinuerint, fibique mitti curaverint, vel fibi tranfmiffas aliis pro hoc Ludo exercendo quoquo modo exhibuerint, cæterofque omnes, qui quacumque alia ratione, via, & modo operam Ludo hujufmodi præbuerint, vel accommodaverint.

Injungitur Cardinali pro tempore Vicario urbis, Archiepifcopis, Epifcopis, aliifque Ordinariis Status Ecclefiaftici, quod contra delinquentes diligenter inquirant.

Quocirca dilectum filium noftrum in eadem Urbe, ejufque diftrictu Vicarium in Spiritualibus generalem, ac Venerabiles fratres Archiepifcopos, & Epifcopos, nec non dilectos filios locorum Ordinarios univerfi Status Noftri Ecclefiaftici nunc itidem, ac pro tempore exiftentes paternè in Domino requirimus, monemus, & hortamur, illifque, ac eorum fingulis feriò, ac diftrictiùs injungimus, & mandamus, quatenus ipfe Vicarius in Urbe & diftrictu præfatis, alii verò in locis eorum refpectivè jurifdictioni fubjectis omni cura, & ftudio adeò perniciofi, & exitialis Ludi extirpationi advigilent, præmifforumque à Nobis difpofitorum omnimodæ obfervantiæ, & exactæ executioni impenfiùs incumbant, & fi quos, quod abfit, in præmiffis delinquentes deprehenderint, adverfus illos prout de jure procedant ad declarationem fuper eorum incurfu in Cenfuras ipfo facto, ficut præmittitur, inflictas & refpective ad Sententiam excommunicationis comminatæ, cum ejufdem promulgatione, & affixione publicarum Schedularum, quibus excommunicati nominatim ab omnibus vitandi denuncientur.

Et procedant ad fententiam, & refpectivè ad declarationem cenfurarum incurfarum cum affixione cedulorum.

Poteftas abfolvendi fummo Pontifici refervata, fublata etiam facultate Majori Pœnitentiario.

A cenfuris autem, & excommunicatione præfatis nemo prædictorum per alium quàm Nos, & Romanum Pontificem pro tempore exiftentem, (præterquàm in mortis articulo conftitutus) abfolutionis beneficium valeat obtinere, fublata quavis etiam Majori Pœnitentiario noftro; & aliis quibufcumque eos abfolvendi poteftate, nifi fpecialem ad id à nobis, feu Romano Pontifice præfato facultatem obtinuerint.

Infuper innovantur pœnæ alias impofitæ.

Cæterùm transgreffores, & in præmiffis delinquentes nihilominùs omnibus pœnis temporalibus contentis in Edictis, & Ordinationibus de mandato noftro, ac utriufque Innocentii & Clementis Prædecefforum præfatorum, feu alias adverfus eos quandocumque emanatis, necnon dictos Regulares privationi vocis activæ, & paffivæ, ut præfertur, irrogatæ fubjacere volumus, ac decernimus.

Etiam privatio Vocis activæ, & paffivæ contra Regulares.

S.R.E. Cardinalibus Legatis injungitur exequutio pœnarum contra Delinquentes.

Idem præcipitur Gubernatori urbis aliifque Gubernatoribus, & Locatenentibus ftatus Ecclefiaftici, cæterifque, ad quos fpectat.

Mandantes propterea dilectis filiis Provinciarum Legatis, Vicelegatis, Præfidibus, dictæ Urbis Gubernatori, aliarumque Civitatum, & Locorum Ditionis præfatæ Gubernatoribus, & eorum loca tenentibus, aliifque ad quos fpectat, & pro tempore fpectabit, ut contra ejufmodi delinquentes diligenter inquirant, ac in eos omnibus pœnis prædictis animadvertant, & animadverti curent, ut qui nec confcientiæ ftimulis, nec debitâ Apoftolicis mandatis obedientia continentur, hafce pœnas fubeundo, admiffæ culpæ gravitatem agnofcant, cæterofque à fimilibus perpetrandis deterreant.

Decretum fuper obftativis.

Decernentes eafdem præfentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod prædicti, & alii quicumque in præmiffis intereffe habentes, feu habere quomodolibet prætendentes illis non confenferint, nec ad ea vocati, citati, & auditi fuerint, de fubreptionis, & obreptionis, aut nullitatis vitio, feu intentionis noftræ, aut alio quovis, quantumvis fubftantiali defectu, vel ex quacumque alia caufa, occafione colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris claufo notari, impugnari, invalidari, redargui, feu refcindi, aut ad terminos Juris reduci, aut adverfus illa aperitionis oris reftitutionis in integrum, vel aliud quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu proprio conceffo quempiam in Judicio, vel extra illud uti, feu fe juvare nullo unquam tempore poffe.

Decretum irritans cum claufula fublata.

Sicque, & non aliter in præmiffis per quofcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam caufarum Palatii Apoftolici Auditores, ac ejufdem Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, fublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, fi fecus fuper his à quoquam quavis auctoritate, fcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum derogans.

Non obftan. recolendæ memoriæ Bonifacii PP. VIII. Prædecefforis pariter noftri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, ita ut vigore præfentium etiam ultra duas, plurefque dietas quilibet in judicium trahi poffit, ac in univerfalibus, provincialibufque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel fpecialibus conftitutionibus, & ordinationibus, nec non urbis, Provinciarum, civitatum, locorum, ordinum, congregationum, inftitutorum, focietatum etiam Jefu, domorum, Monafteriorum, & Collegiorum quorumcumque, aliifve quibufvis, etiam juramento, confirmatione Apoftolica, vel quavis firmitate alia roboratis ftatutis, & confuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, facultatibus, & literis Apoftolicis quibufvis ordinibus, congregationibus, inftitutis, & focietatibus etiam Jefu, eorumque fuperioribus, & perfonis, & aliis quibufcumque etiam fpeciali nota dignis, & de neceffitate juris, vel facti exprimendis, fub quibufcumque verborum tenoribus, & formis; ac cum quibufvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliifque efficacioribus efficaciffimis, & infolitis claufulis, irritantibufque, & aliis decretis in genere, vel fpecie, etiam motu proprio, ac etiam confiftorialiter, & aliàs in contrarium quomodolibet conceffis, approbatis, & innovatis;

Claufulæ derogatoriæ.

Quibus omnibus, & fingulis, etiamfi pro illorum fufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus fpecialis, fpecifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per claufulas generales idem importantes mentio, feu quævis alia expreffio habenda, aut aliqua alia exquifita

forma ad hoc servanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe, & cenſeri, illaque nemini ſuffragari volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Mandatum pro publica præſentium affixione.

Ut autem eædem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acis Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt affigi & publicari; ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent, utque ipſarum literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quàm extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Et pro fide tranſumptis adhibenda.

12. Auguſti 1727.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Aug. MDCCXXVII. Pontificatus noſtri anno quarto.

F. Card. Oliverius.

Die, menſe, & Anno quibus ſupra ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas curiæ Innocentianæ ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Marchettum Apoſt. Cur. Jacobus Vaſellus Mag. Curſ.

XL.

Motus proprius BENEDICTI XIII. ſuper novis Ordinationibus, & Reformationibus factis per Tribunal Rev. Cameræ Apoſtolicæ.

CUm ſicut accepimus, dilectum noſtrum Cameræ Tribunal, quod, ſive Juriſdictionis authoritate, & antiquitate, ſive rerum gerendarum excellentia, ſive virorum amplitudine, pluribus proinde Privilegiis, & prærogativis, à noſtris Prædeceſſoribus condecoratorum, & inter continuos noſtros veros familiares, in libris Cancellariæ, deſcriptorum, cæteris, in noſtra curia præſtat, litium protelationibus, ac collitigantium incommodis, vitandis, æquè, & celeriter adminiſtrandæ juſtitiæ, ſedulò, ut par eſt, incumbens, animadverterit, quod, non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus, & reformationibus, per noſtros Prædeceſſores, editis, ac ſtatutis ejuſdem Tribunalis, in forma ſpecifica, confirmatis, ſignanter per fel. rec. Innocent. VIII. Eugen. IV. Leonem X. Pium IV. ſtylus, in Ordinatoriis, in eodem Tribunali, ſervandus, licet ſanè, & ſalubriter inſtitutus, malitia hominum, noxius evaſerit, tam in cauſis, quæ, ab uno ex Clericis, quàm in aliis, quæ, ab omnibus, collegialiter, deciduntur: Propereaque dilecti Filii moderni, in eadem Camera, Præſidentes Clerici, juxta illud quod ſcriptum eſt, quod, propter temporum varietates, novas licet condere ſanctiones, maturo, diligentique examine præmiſſo, nonnulla ſtatuta, Capitula, & Ordinationes, condiderit, perpetuò, in Camera, valituras, quibus, pro majori ſubſiſtentia, nobis humiliter ſupplicarunt, ut Apoſtolicæ authoritatis confirmationem adjicere dignaremur.

Nos itaque eorum ſupplicationibus inclinati, & ad ſedulam, pro adminiſtratione juſtitiæ, & Patrimonii Sedis Apoſtolicæ curam, quæ per eos, aſſiduis laboribus impenditur, animum noſtrum libenter intendentes: innovantes propterea, approbantes, & confirmantes omnia quæcumque, & ſingula indulta, Privilegia, Exemptiones, Conceſſiones, & gratias prædicto Tribunali, & Clericis, in ea Præſidentibus, indulta, ſeu indultas, per nos, prædictos, & omnes alios Prædeceſſores noſtros, nec non per fel. rec. Calixtum III. & Xyſtum IV. quarum, & quorum omnium, ac ſingularum, & ſingulorum, tenores, pro hic inſertis, & expreſſis, de verbo ad verbum, habentes, ac ex certa noſtra ſcientia ſic innovatas, & innovata, quatenus opus ſit, omnino ſervari volumus, & mandamus: Statuta, Ordinationes & Capitula præfata, per nos viſa, & diligenter inſpecta, veluti laudabiliter, ad bonum publicum diſpoſita, prout juſtitiæ, ac æquitati conſona, motu proprio, & ex ſimili certa noſtra ſcientia, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio, communimus, atque perpetuæ firmitatis robur adjicimus.

Tenor verò prædictorum Capitulorum, & Ordinationum ſequitur, & eſt talis.

Primo: Ut in cauſis, quarum valor ſummam ſcutorum viginti quinque non excedit, & ſic parvæ ſummæ nuncupatis, fiat, per ſuccumbentem, propoſitio, in prima, omnino, Camera habili, poſt emanatum Judicatum, cum expreſſione ſummæ, & Judicatorum præcedentium, & Dominus Decanus non concedat ſuperſeſſoriam, in dictis cauſis, niſi ad dictam primam Cameram habilem; Clericuſque, juxta ſolitum, deputatus cognoſcat, primo loco, an recurſus ſit admittendus, in ſuſpenſivo, vel in devolutivo, & ſuccumbenti non detur recurſus, niſi ad Dominum Decanum, juxta cujus Decretum, idem Clericus deputatus debeat, ad ulteriora, in Cauſa procedere, nec ab eodem Domino Decano concedatur ulterior ſuperſeſſoria, nec poſſit fieri nova propoſitio in Camera, ac citationes impunè poſſint ſperni, reſervato tantùm Jure proſequendi cauſam, ſuper meritis, coram eodem Clerico.

II. In Cauſis autem infimæ ſummæ, nempe quantitatem ſcutorum quinque non excedentibus, in quibus juxta ſtylum curiæ, non datur recurſus, is non admittatur, niſi in devolutivo.

III. Tempore autem Feriarum generalium, & particularium, ac vacationum, ſuccumbens teneatur inſtare, infra triduum, à die judicati, coram Domino Decano, quatenus, in triduo, non adſit Camera habilis, pro Deputatione Clerici, pro ſuo arbitrio, qui habeatur, ac ſi eſſet, juxta ſolitum, in plena Camera deputatus; Clerici verò deputati, in ipſis cauſis, procedant, in judicando, feriis quibuſcumque non obſtantibus.

IV. In omnibus cauſis, in quibus, adſint conſtitutiones Apoſtolicæ certam procedendi formam præſcribentes, ut procedatur ad formam, & præſcriptum earundem Conſtitutionum, reſcribatur, cum clauſula-*ſervata forma,* prout hactenus practicatum fuit quoad Judicata Theſaurarii, & Annonæ Præfecti.

V. In omnibus verò prædictis cauſis, aliiſque exequutivis, & cæteris, non admittentibus, de jure, appellationem, poſt admiſſum decretum Cameræ, teneatur ſuccumbens, infra triduum, inſtare, coram Domino ponente, pro habenda ſuperſeſſoria ad effectum adeundi Cameram, & illa expirata, procedi poſſit, ad exequutionem.

VI. In iiſdem cauſis quando, prima vice, per interpoſitam appellationem, devolvuntur ad Cameram, occurrendo inutilibus dilationibus, & pro minori partium diſpendio, non ſit opus citare coram Domino Ponente, pro concordatione dubii, ſuper modo inhibendi, illudque tranſmittere Parti, ſed, dato aſſueto dubio per Dominum Ponentem, ſatis ſit, abſque alia tranſmiſſione - *Dignemini* - tranſmittere Parti intimationem, ſuper propoſitione cauſæ, in ea Camera, quæ fuerit per Ponentē, ſeu per Tribunal, prò propoſitione, aſſignata.

VII. Ita pariter ut in hiſce cauſis exequutivis, ne dum inutiles, ſed incongruæ dilationes, remo-

veantur, ne obtinentes judicata, imminentibus Feriis generalibus ſupra dictis, ſeu illis durantibus, diuturnam, & gravem patiantur moram, quoad propoſitionem aſſueti dubii, ſuper modo inhibendi, nimirum uſque ad primam Cameram, poſt Ferias antedictas, quæ, ut experientia compertum eſt, indulget debitoribus, & appellantibus, ſuperſeſſoriam firmam, fere quinque menſium; ſtatutum propterea eſt, ut dictis Feriis durantibus duæ habeantur Cameræ, una, prima die habili proxima, initio menſis Auguſti, altera, prima die habili, poſt medietatem menſis Septembris, in Tabula cæterarum Camerarum ſolita quotannis publicari, deſcriben. in quibus, ultra memorialia proponi ſolita, in Cameris Conſiſtorialibus, juxta ſtylum hactenus ſervatum, & in futurum ſervandum, proponi etiam poſſint dubia prædicta ſuper modo inhibendi, non verò alia, ſuper diſcuſſione negotii principalis.

VIII. In propoſitione autem dicti dubii ſuper modo inhibendi, quatenùs Clerici omnes ſuffragantes unanimiter conveniant, in reſolutione cauſæ, ad removendos inutiles reditus ad Cameram, in reſcripto apponatur clauſula - *& amplius* - reſervata eo tunc facultate concedendi novam audientiam ad effectum redeundi ad plenam Cameram, Domino Decano tantum; Atque id ipſum ſervetur, quando duplex reſolutio emanabit, licèt cum ſuffragiorum ſciſſura, una tamen alterius confirmatoria. Quod ſi in reſcripto non apponatur dicta clauſula - *amplius* - ſit in facultate Domini Ponentis concedendi, per ipſum, novam audientiam, ad effectum redeundi ad plenam Cameram.

IX. Propoſitiones in Camera per ſuccumbentes fiant cum individua expreſſione numeri Judicatorum conformium, ſeu difformium, nec non qualitatis materiarum, ſuper quibus cadunt Judicata, & propoſitiones hujuſmodi tranſmittantur parti, ac proponantur, illâ citatâ, aliàs non afficiant.

X. Pro aptiori cauſarum examine, eo modo, quo communicantur invicem, inter Partes, & Scribentes, primæ Informationes, per diem, ante vocalem Informationem, communicentur etiam invicem Reſponſiones, ſaltem ante meridiem diei antecedentis Cameræ, & hujuſmodi prætermiſſa communicatione, juxta teſtimonium Domini Ponentis non proponatur cauſa, & pars, quæ omiſerit communicationem, teneatur reficere expenſas ab alia parte, pro eadem propoſitione peractas.

XI. Et omnia hactenùs diſpoſita ſerventur tam in cauſis devolutis, quàm devolvendis.

7. Januarii 1728. Datum Romæ apud S. Petrum die 7. Jan. 1728.

Fiat V. M.

XLI. Beatificatio Servi Dei JOANNIS de PRADO Sacerdotis expreſsè Profeſſi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Excalceatorum nuncupatorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

GLorioſos Chriſti Athlethas, qui virtute præcincti ex alto, bonum certamen certarunt, curſum conſummarunt, fidemque ad extremum ſervantes ſtolas ſuas in ſanguine Agni lavare meruerunt, ſicuti immarceſcibili juſtitiæ corona donat in cœlis æternis, ac juſtus Judex, ità devoto cultu in terris honorari, eorumque agones, & triumphos condigna laude, & veneratione celebrari decet; ut de noſtra ſolliciti, qui de ſua ſunt ſaluti ſecuri, pia, potentique apud Patrem miſericordiarum, ac Deum totius conſolationis, cui die, ac nocte ſerviunt in templo ejus, interceſſione, imbecillitati noſtræ inter ſæculi procellas æſtuanti, cœleſtis gratiæ munera impetrent, quibus, & nos rectum vitæ curſum tenere, & propoſitum nobis æternæ Beatitudinis bravium conſequi valeamus. In hanc nos curam ex debito Paſtoralis officii, quod infirmitati noſtræ commiſit divina dignatio, propenſis ſtudiis incumbentes, flagitantia id ipſum Catholicorum Regum, & aliorum Chriſti fidelium libenter exaudimus, ſicùt ad gloriam omnipotentis Dei, & exaltationem fidei Catholicæ, ſpiritualemque fidelium conſolationem, atque ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur. Cum itaque maturè, diligenterque diſcuſſis, & perpenſis per congregationem venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Card. S. Ritibus præpoſitorum proceſſibus, de hujus S. Sedis Apoſtolicæ licentia confectis, ſuper Martyrio, & cauſa Martyrii Dei Servi Jo. de Prado Sacerdotis expreſsè profeſſi, ac primi Miniſtri Provincialis Provinciæ Bæticæ S. Didaci Ordinis fratrum Minorum S. Franciſci de obſervantia Excalceatorum nuncupatorum, qui olim à tunc temporis exiſtentibus ejuſdem S. R. E. Card. negotiis Propagandæ Fidei præpoſitis, ad annunciandum Chriſti Evangelium, & docendas gentes Regnorum Fezzæ, & Marochii miſſus, in odium Catholicæ fidei poſt atrociſſima, & immaniſſima tormenta anno M.DC.XXXI. trucidatus palmam Martyrii accepiſſe aſſerebatur, ac ſuper ſignis, prodigiis, & miraculis, quæ ad manifeſtandam mundo finalem ejus perſeverantiam à Deo edita, & patrata fuiſſe dicebantur; prædicta congregatio Cardin. coram nobis conſtituta, auditis etiam conſultorum ſuffragiis, cenſuerit, poſſe, quandocumque nobis videretur, eumdem Dei Servum, donec ad actum ſolemnis illius Canonizationis deveniatur, publicè Beatum nuncupari cùm ſolitis indultis. Hinc eſt, quod nos piis, atque enixis Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſp. Regis Catholici, aliorumque Principum, nec non quamplurium ex venerabilibus fratribus Archiepiſc. & Epiſcop. ac dilectis filiis Capitulis, & Canonicis Metropol. & Cathedralium Eccleſiarum Regnor. earundem Hiſpan. totiuſque ordinis fratrum minorum ipſius S. Franciſci, atque filii Joh. Diaz à conceptione illius profeſſoris, & fratrum ejuſdem ordinis Excalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum Ultramontanæ familiæ Procuratoris generalis, hujuſque cauſæ poſtulatoris ſupplicationibus nobis, & S. Sedi prædictæ ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratæ congregationis Cardinalium conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus, ut præfatus Dei Servus Johannes de Prado impoſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in proceſſionibus circumferenda) exponantur, imagines quoque radiis, ſeù ſplendoribus exornentur, ac de eo quot annis die felicis ejus tranſitus, ſeù alia die non impedita illam immediatè ſequenti recitetur officium, & miſſa celebretur de communi unius Martyris juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Rom. Porrò recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus dumtaxat in univerſo ordine Minorum S. Franciſci utriuſque ſexus, quem idem Dei Servus ſuo Martyrio illuſtravit, in Oppido Mogrobejo Legionen. Diœceſis in Hiſpania, in quo ortum habuit ac etiam in Regno Marochitano, ubi Martyrium paſſus eſt, ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, & quantùm ad miſſas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus feſtum peragetur, confluentibus. Prætetea primo dumtaxat anno a datis hiſce litteris, & quoad Indias a die quo eædem litteræ illuc pervenerint, inchoando, in Eccleſiis Ordinis, Oppidi, & Regni Marochii præfatorum ſolemnia Beatificationis ejuſdem Servi Dei cum Officio, & Miſſa ſub Ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpectivè conſtituta, poſtquàm tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata fuerint eadem ſolemnia, pro qua re diem XXIV. currentis Menſis Maii, utpote illius obitus, & Martyrii anniverſariam aſſignamus, pariter celebrandi facimus

ANNO 1728.

potestatem. Non obstan. constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transsumptis, seù exemplis, etiam impressis manu Secretarii præfatæ congregationis Cardinalium subscriptis, & Sigillo Præfecti ejusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Maii MDCCXXVIII. Pontif. nostri anno quarto,

14. Maii 1728.

F. Card. Oliverius.

XLII.

Qua beatus Johannes Nepomucenus Presbyter & Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis in Regno Bohemiæ Canonicus, Sanctorum Christi martyrum canoni adscribitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Christus Dominus semper Ecclesiam suam contra hostes defendit.

CHristus Dominus, qui priusquam in cœlum adscenderet, suæ Ecclesiæ, supra firmam petram ædificatæ, spopondit, se usque ad finem sæculi curaturum, ne ullo unquam tempore adversus eam portæ inferi prævalerent sive cruentæ persecutionum procellæ, sive impia dogmata hæreticorum, eam concutere itentidem conarentur; quotidie sub oculis nostris suæ hujus promissionis maxima argumenta ad Christianam fortitudinem in suorum fidelium cordibus augendam, edere non cessat. Quum enim singuli fidei catholicæ articuli, ipsius Redemptoris nostri & Apostolorum ore vulgati, magnos præcones, & sanguine suo coram Tyrannis, aliisque Dei hostibus purpuratos testes habuerint, tandem repertus est etiam qui sacramentum pœnitentiæ, secretamque peccatorum confessionem auricularem, ordinario ejus ministro sacerdoti factam, contra posteriorum ætatum hæreticos in antecessum propugnaturus, martyr invictus oppeteret: quam quidem confessionem una cum lege & obligatione divinitus lata quæ ad illius secretum attinent, religiose celandi antiquissimi Ecclesiæ Patres miro semper unanimique consensu commendaverunt, & tota Ecclesia ab initio observavit, ac modo sanctissime observat.

II. Joh. Nepomucenus pro sigillo sacramentalis confessionis contra hæreticos tuendo, à Deo datus.

Itaque sub finem sæculi à Christo nato XIV. quum in vineam, à Christo Domino plantatam, ejusque pretioso sanguine aspersam ventus urens pravorum dogmatum irruisset, Waldensium & Albigensium infausta sobole (Catharis nimirum, Patarenis & Manichæis) in catholicam veritatem bacchante, quæ præter alia permulta, confessionis & pœnitentiæ sacramentum subvertere conabatur; quumque ex pestilentissimis libris Wicleffi prognata Hussitarum secta florentissimo Regno Bohemiæ immineret, perinsignis Ecclesia Pragensis, præcipua Romanæ filia, ac totius Regni mater, filium suum Johannem Nepomucenum pro sigillo sacramentalis confessionis undequaque servando, adversus novos inferorum conatus murum opposuit; unde factum, ut Johannis constantia glorioso martyrio coronata, compluribus signis in tota Bohemia & Germania à Deo illustrari meruerit: quæ tandem hanc S. Romanam Ecclesiam, cui, auctore Christo Domino, præsidemus, permoverunt, ut virum Deo carum sanctorum Christi martyrum canoni per nos adscribendum sanciret. Priusquam verò anteactam cæremoniam enarrare adgrediamur, maxime decet, ut de beato Martyre aliqua proferamus, ut illius sanctitatis memoria infidelium animos dulcius illabatur.

III. Joh. Nepomuceni ortus, educatio, & munera.

Nepomuci, Bohemiæ oppido, Praga in Bavariam ituris obvio, perque S. Adalbertum Pragensem antistitem & martyrem signis olim nobilitato, Johannem ineunte jam sæculo decimo quarto parentes ejus, pietate magis, quàm avorum titulis clari, precibus & votis ad Dei matrem fusis, impetraverunt. Egregia & vere Christiana pueri indoles probe exculta statim illuxit. Formula enim, presbyteris divinum sacrificium facturis inserviendi percepta, sponte sua ad cœnobium monachorum Cistercienfium, Nepomuco adjacens, primo mane decurrere, singulisque Dei mystis ad aras operaturis ministrare consuevit. Adultior factus, mitioribus literis, ac postea gravioribus disciplinis, quæ Dei obsequiis destinandum juvenem præcipue decerent, sedulo instructus, ecclesiasticæ militiæ nomen dare constituit; præmissoque in tantæ rei cogitatione mense ab omnibus negotiis vacuo, presbyteratum suscepit, eique in æde Pragensi beatæ Virginis, quam *Lætam curiam* appellant, verbi Dei promulgandi onus injunctum est: quod à summis & disertis viris ibidem antea occupatum, tanta ipse prudentia & fervore implevit, ut Evangelii semina audientium cordibus inserens, populi expectationem æquaverit, ac superiorum, qui in eodem officio præiverant, desiderium extinxerit. Hinc universis doctrinam, virtutemque Johannis collaudantibus, inter metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Canonicos, Johanne Archiepiscopo agente, una planè omnium voce cooptatus est, ei statim in eadem Ecclesiæ coram Caroli IV. Imperatoris filio Wenceslao Romanorum & Bohemiæ Rege IV. sacras conciones habendi, nova provincia imposita: qua Johannes pro sua modestia se frustra abdicare tentavit. Compluribus annis pœnitentiam contra scelera, aulæ licentiam, corruptosque mores strenuus ecclesiastes prædicavit, Wenceslao, sana ejus eloquentia victo, necdum in vitiorum sordes lapso, multa viri Dei suasu faciente: qui tanto etiam ejus ordinandi studio incensus est, ut præcipuis Regni dignitatibus, Præpositura scilicet Ecclesiæ Wisserhadensis, post Archiepiscopalem primaria, & sedis Litomislienfis fastigio episcopali, ultro oblatis, Johannem honestare percuperet.

IV. Lucro animarum intentus, honores respuit. Fit confessarius Johannæ Reginæ.

Sed ille opulento lucro animarum unice intentus, hujusmodi se honorum amplitudini generoso consilio subduxit. Ne tamen illorum contemptu in superbiæ notam incurreret, summum tandem eleemosynarii munus à Rege, ejusque optima conjuge Johanna, Alberti Bavariæ Ducis filia collatum, accepit: in quo exercendo præclaris animi dotibus toti aulæ præluxit, & Johanna Regina, Christianis virtutibus instructissima, suæ conscientiæ arbitrum esse voluit: quod exemplum Pragensis arcis sanctimoniales secutæ, ad summum perfectionis apicem, eo duce, convolarunt. Hæc prima in viro Dei sanctitatis præludia absolutam consummationem aliunde acceperunt, ubi pro custodiendo sacramenti pœnitentiæ sigillo, nulla humana vi referando, animam suam ponere non dubitavit. Etenim labente anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo tertio, quum Wenceslaus paternæ virtutis immemor, agente humani generis hoste, in flagitiorum abyssum præceps ruisset, pientissima Regina, viri sceleribus maxime offensa, crudelitatem ejus perhorrescens, uni Deo se totam dicare constituit, ab eo in tanta calamitate subsidium & solatium deprecatura. Sacrum propterea confessarii tribunal adire frequentius, cum lacrymis conscientiam aperire, afflictare se, egenorum curam suscipere, Deum assidue cogitare, & diu noctuque obsecrare, ut meliorem

conjugi

ANNO 1727.

conjugi mentem daret, quem pridem à pessimo vitæ instituto revocare optans, seorsum privatis obsecrationibus sæpe numero adgressa fuerat.

V. Pro sigillo confessionis atrocissima patitur, & mortem subit.

Sed Rex crimina criminibus addens, piis optimæ Reginæ officiis in furorem actus, eo prolapsus est, ut quæ illa in sacramentali confessione eleemosynario atque uni Deo aperiret, ab eo sibi patefieri debere, nefario ausu contenderet: magnisque hoc pollicitationibus à Johanne extorquere semel atque iterum laboravit. Mox novum Regis atrocissimum facinus in coco, verubus transfixo, atque igne assari jusso, aliis præ horrore & stupore tacentibus, à Johanne leniter objurgatum, ejus immanitatem in Dei famulum irritavit. Quare eleemosynarium contumeliis affectum, carceri & vinculis mancipat, inde non educendum minatus, nisi Reginæ confessionem pandat. At ejus constantiam in vinculis postmodum in convivio Venceslaus expugnare frustra molitus, catastæ impositum, tormentis & facibus ad latera admotis, ut secretum proderet, torqueri imperat: quo in agone Christi pugil nihil prorsus, nisi suavissima Jesu & Mariæ nomina ingeminans, vitam & mortem Domino commendavit. Carcere hinc dimissus, curatisque vulneribus, vir Dei secum immaniter acta prudens celavit, resumptoque pristino concionum exercitio in æde principe, quum ad populum verba illa Christi Domini protulisset, *modicum videbitis me; & jam non multa loquar vobiscum*, sibi pro Christi & Ecclesiæ lege occumbendum prænunciavit. Tum uberrimis lacrymis regni infortunia & eventuras brevi calamitates memorans, inque magno luctu omnes relinquens, concionem absolvit. Supremum igitur agonem sibi instare prænoscens, antiquam Deiparæ imaginem veneraturus, Boleslaviam profectus, ejus præsidium vehementissimis precibus flagitavit. Inde Pragam vespere pervigilii Dominicæ Ascensionis reducem e fenestra Rex conspicatus, ad se arcessit, mortem interminatus, nisi arcanas conjugis confessiones statim exponat. Sed fortissimus Dei miles intrepide reluctatus, impium facinus, quod ab se requirebatur, non voce, sed capitis, vultusque gravitate aversatus est. Mox jussu regio à satellitibus comprehensus, alio clam deportatur, noctuque manibus & pedibus vinctus, ad pontem Moldavæ, Pragam præterfluentis, deductus, in subjectum flumen præcipitatur.

VI. Johannis martyrium & sanctitas miraculis patefacta.

Johannis cædem, quam Venceslaus latere volue/at, cœlestia statim miracula prodiderunt. Totus enim Moldavæ fluvius continuo flammis reluxit, & Martyris corpus secundo flumine, quasi facibus undique cinctum, descendens, effusam ad spectaculum civitatem attraxit, Regina ipsa sceleris nescia, conjugi necis auctori prodigium indicante: qui criminis conscientia tertus, humanum consortium triduo ferre non potuit. Postero die repertum martyris corpus, cædisque causa patefacta, ad proximam ædem sanctæ Crucis perlatum est, subinde ad metropolitanam Ecclesiam, ubi ægros quam plurimos sacrarum exuviarum contactu sanatos, vetera monumenta copiose testantur. Signis postea non paucis ac Martyris, qui Dei gloriam eloquio juxta ac silentio amplificare studuerat, loculum sepulcralem patefactis, ejus veneratio & fama sanctitatis in toto Regno Bohemiæ per medias hæresum & bellorum flammas mirifice aucta, Germaniam universam & Septentrionales oras pervagata est. Hisce de rebus uberes commentarii, Johannis martyrium, miracula & cultum immemorabilem, minimeque interruptum recensentes, ab anno millesimo septingentesimo decimo quinto ad annum millesimum septingentesimum vicesimum in sede Archiepiscopali Pragensi publica, solemnique cæremonia confecti sunt: quo tempore invicti Martyris corpusculo juridice recognito, & carne ac membris in cineres pridem conversis, licet tota ossium compago superesset, lingua, sigilli confessionis sacramentalis inexpugnabilis custos, in ore & cranio terra pleno, prorsus incorrupta, flexilis & vivida reperta est. Hæc vero in theca honorifice inclusa, anno millesimo septingentesimo vicesimo primo in solemni supplicatione maximo Christiani populi gaudio circumlata est.

VII. Johannis martyrium à Romana Ecclesia canonice comprobatum, & ejus lingua incorrupta.

His porro commentariis ad piæ recordationis antecessorem nostrum Clementem Papam XI. allatis, perque venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sacrorum rituum Congregationi præpositos, canonico examine comprobatis, officium sacrosanctum missæ sacrificium de eo sub ritu communi unius Martyris in Bohemia, Germania, aliisque regionibus celebrandi, sacrisque corporis ex tumulo seorsum posito, & repagulis ferreis munito, infra mensam altaris transferendi, facultas concessa est: quo translato, novisque commentariis hac de re Apostolica auctoritate conscriptis, die vicesima septima Jan. anno Domini millesimo septingentesimo vicesimo quinto sacræ linguæ prodigiosa incorruptio denuò explorata, omnes quotquot aderant permultos gravissimos viros, reique anatomicæ peritos repentino spectaculo in summam admirationem convertit, ubi in conspectu universorum spatio ferme unius horæ lingua subobscura à radice, quasi rubrum colorem induens & palam intumescens, hujusmodi colorem sensim in purpureum mutavit.

VIII. Johannis miracula à Sede Apostolica recognita, & undequaque Probata.

Itaque per venerabiles fratres sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales viri Dei martyrio & prodigiis coram nobis accurate recognitis atque perpensis, & duobus præsertim ex recentioribus miraculis una cum iis, quæ ad linguam pertinent, voce unanimi comprobatis; uno scilicet Annæ Teresæ Crebsin, à sex mensium paralysi & atrophia in lævo brachio percussæ, quæ sub finem novemdialis jejunii à se instituti in honorem beati Johannis, momento citius convaluit; altero vero in septenni puella Rosalia Hodanckiana, noctu in flumen Wactavam lapsa, quæ ejusdem viri Dei patrocinio à matre implorato, post horæ spacium ex aquis, ubi mersa jacuerat, incolumis educta est; nos Johannem Nepomucenum, ob servatam legem arcani confessionis sacramentalis violenta nece peremtum, consueto Ecclesiæ Romanæ ritu in Sanctorum Christi martyrum canonem referre decrevimus: pro quo referendo carissimus in Christo filius noster Carolus VI. Imperator electus, Hispaniarum Catholicus & Romanorum, Hungariæ ac Bohemiæ Rex illustris, & carissima in Christo filia nostra, Elisabetha Christiana ejusdem Caroli uxor, & Amalia vidua claræ memoriæ Josephi olim Imperatoris electi, itidemque carissimus in Christo filius noster Fridericus Augustus Poloniæ Rex illustris, complurésque S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi & Germaniæ Principes ab initio causæ supplices preces huic Apostolicæ Sedi porrexerant, suasque jam porrigit venerabilis frater Ferdinandus Archiepiscopus, & præ cæteris dilecti filii, capitulum & Canonici metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis, eximia & plane singulari erga collegam suum devotione inflammati.

IX. Sanctorum martyrum canoni adscribitur.

In tribus ergo consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum Romæ præsentium, universis ad beatum Christi martyrem Joh. Nepomucenum

pertinen-

ANNO 1728.

pertinentibus pro more discussis, unanimi sententia, per Apostolicæ Sedis notarios coram nobis excepta, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem in re tanta absolvenda ferventissime imploratam, omnibus, quæ ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplinam agenda erant, summa religione peractis, hac ipsa die in honorem beati Josephi confessoris & Deiparæ sponsi Deo sacra, una cum jam dictis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & maxima utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Lateranensem Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Christi famulo Johanne Nepomuceno Sanctorum martyrum canoni adscribendo per dilectum filium nostrum Michaelem Fridericum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem ab Althan nuncupatum, repetitis precibus exorati, post cantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime invocatam, ad honorem sanctæ & individuæ Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Lateranensis præsentium, consilio & unanimi consensu, beatum Johannem Nepomucenum, Ecclesiæ metropolitanæ Pragensis in Regno Bohemiæ presbyterum & canonicum, de cujus sanctitate, martyrio, causa martyrii & miraculis plene constabat & constat, Sanctorum martyrum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout præsentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, eumdemque per omnes Christi fideles, tanquam vere Sanctum & Christi Martyrem, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, in ejus honorem construi, & quotannis decimo septimo Kalendas Junias solemnia ejus, ut sancti Christi Martyris, celebrari possint.

X. Indulgentiæ visitantibus Johannis exuvias, concessæ.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem festo die in memoriam beati Christi Martyris Johannis Nepomuceni quotannis ad sacras ejus exuvias, quæ Pragæ in æde principe, in honorem beati Viti martyris Deo sacra, adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

XI. Missa in honorem sancti Johannis à Summo Pontifice solemniter celebrata.

Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sancti martyris Johannis Nepomuceni solemni oratione, in ara maxima basilicæ Lateranensis sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem Martyris commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

XII. Deus honorificandus pro sancti Johannis patrocinio nobis cœlitus dato.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio cœlitus nobis concesso omnes benedicamus in trinis personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in secula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui martyris Johannis Nepomuceni à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

XIII. Hæ literæ ubique fidem obtineant.


Sed quia difficile foret, præsentes nostras litteras, ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XIV. Nemo hanc paginam infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, quartodecimo Kalendas Apriles, Pontificatus nostri anno quinto. 14. kal. Aprilis, 1728.

† Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



†
†
†
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.
†
† Ego Joseph Renatus Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Johannes Antonius Tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
† Ego Petrus Marcellinus Tituli S. Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
†
† Ego Curtius Tituli S. Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.

†

ANNO 1728.

✠
✠
✠
✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.

✠
✠
✠ Ego Julius Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Alberonus.

✠
✠
✠ Ego Cornelius Tituli Sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.

✠
✠
✠ Ego Ludovicus Tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.

✠
✠ Ego Michael Fridericus Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis de Althan.

✠
✠ Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.

✠ Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.

✠ Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.

✠ Ego Prosper Tituli Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Marefuscus.

✠ Ego Frater Augustinus Tituli Sanctæ Mariæ super Minervam Presbyter Cardinalis Pipia.

✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctæ Mariæ in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.

✠
✠
✠ Ego Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.

✠
✠
✠
✠ Ego Frater Gregorius Tituli Sancti Augustini Presbyter Cardinalis Selleri.

✠
✠
✠
✠
✠ Ego Frater Vincentius Ludovicus Tituli Sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.

✠ Ego D. Leander Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Porzia Ordinis Sancti Benedicti.

✠ Ego Petrus Aloysius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Carafa.

✠ Ego Joseph Tituli Sanctæ Mariæ de Transpontina Presbyter Cardinalis Accorambonus.

✠
✠ Ego Benedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.

✠ Ego Laurentius Sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.

✠ Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.

✠ Ego Fabius Sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.

✠
✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.

✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

✠ Ego Nicolaus Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

✠ Ego Antonius Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Bancherius.

✠ Ego Carolus Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Collicola.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Francischinus R. C. A. Secretarius.

XLIII.

Constitutio, quæ varia decreta, ordinationes & provisiones pro recta in Curiis Urbis justitiæ administratione complectitur, atque etiam pro publicis tabulis, instrumentis, aliisque scripturis ad rem alienam pertinentibus in codices & protocolla plenè redigendis, inque Archivo Urbano pro eorum perpetua & fideli custodia reponendis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

QUum nostrum inprimis officium sit providere, ne ea, quæ à Romanis Pontificibus Antecessoribus nostris optimâ ratione constituta fuerunt, sensim labefactentur & pereant; ideò Nos, pro communi bono vigilantes, eam pariter curam peculiarem, ac Nobis quasi propriam ultrò suscipimus, ut sedulò caveamus, ne ulli ex litigantibus, præsertim pauperibus, in causis pertractandis exagitentur; sed recta atque intemerata justitiæ administratio in omnibus hujus Almæ Urbis tribunalibus exerceatur, quò ex toto Mundi partibus causæ, sub oculis nostris æqua lance finiendæ, concurrunt.

Hæc non ita dudum memoriâ repetentes, Constitutionem nostram incipientem: *Summi Apostolatus*, promulgavimus Pontificatus nostri anno secundo, quâ decrevimus & stabilivimus, ut quolibet decennio evoluto, deinceps à Nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus hujus S. R. E. Cardinalis eligeretur, cujus præcipuum & speciale munus esset invisere Officia, Archiva, & Curias Urbanas, ac defectus & observantiam recognoscere dispositionum & reformationum, quas iidem Romani Pontifices, boni publici incrementum respicientes, de iisdem Officiis, Archivis & Curiis edi hactenùs curaverunt: ad quem etiam Cardinalem Visitatorem rectæ & celeri causarum expeditioni consulere pertineret, præsertim ubi de pauperibus ageretur, qui nullâ ope suffulti, interdum à potentioribus obruuntur, quique Visitator etiam omnem curam impenderet, ne litigantes indebitè opprimerentur. Quamobrem eidem Cardinali Visitatori in dicta Constitutione nostra complures facultates, huic muneri congruas & necessarias, auctoritate nostrâ concessimus, præcipuè verò condendi Decreta & quascumque ordinationes, quæ in actu Visitationis opportunæ viderentur, volentes tamen, ut post peractam hujusmodi Visitationem ea nobis referret, quæ ipse altiori consilio egere animadverteret. Facultates verò in toto suæ Visitationis cursu vim & robur habere mandavimus; licèt dilecto Filio Vincentio tituli Sancti Honuphrii Presbytero Cardinali, Petra nuncupato, ob doctrinæ præstantiam, egregiamque rerum agendarum peritiam & probitatem, per Nos huic

Anno 1728.

muneri primùm admoto, eoque eximiè perfuncto, hujusmodi facultates, ad alterum annum peculiari Chirographo nostro prorogaverimus die decima Januarii anni elapsi 1726.

Itaque jam dictus Cardinalis Petra, à nobis Visitator electus & deputatus, per se ipsum summâ diligentiâ Curias & Officia Urbana Notariorum supra quinquaginta, totidemque Archiva seu Tabularia visitavit, variasque sanctiones & ordinationes huic negotio perutiles confecit, quæ potissimùm eò reducuntur, ut à compluribus Urbis Notariis in codices & protocolla, inque Archivi Urbani pluteos redigantur tabulæ publicæ atque Instrumenta, quæ hactenus contra munus & obligationem in aliis Constitutionibus & Decretis impositam, neglecta jacuerunt. Quum verò ea, quæ idem Cardinalis Petra in Visitatione sua egit, & manibus suis contrectavit, ad aures nostras pervenerint, nos rei gravitate undequaque perpensa, in hanc deliberationem devenimus, ut præsentem Constitutionem de iis, quæ in omnibus Curiis & Officiis hujus Almæ Urbis observanda essent, statim promulgaremus.

Primò ergò volumus & mandamus, ut quæcunque in fine Concilii Romani, à Nobis vulgati A. D. 1725. in Tribunalibus observanda præcepimus, omninò observentur, pariterque universa quæ pro Curiis & Tribunalibus hujus Almæ Urbis ab Antecessoribus nostris Romanis Pontificibus statuta, edita, vel approbata fuerunt, eaque præsertim, quæ bonæ memoriæ Galeatius S. R. E. Presbyter Cardinalis Mariscottus nuncupatus, olim confecit, quæque à felicis recordationis Decessore nostro Clemente Papa XI. die 13. Martii anno 1704. probari & confirmari meruerunt; in his tamen, quæ præsenti Constitutioni nostræ contraria non sunt.

Secundò volumus & decernimus, ut omnes pœnæ pecuniariæ, in casibus & prohibitionibus hâc nostrâ Constitutione contentis, in transgressores inflictæ, vel per Judices executores ob transgressiones imposterùm eventuras infligendæ, applicentur, quemadmodum nunc pro tunc Nos ipsi eas applicamus, pio loco Archiconfraternitatis S. Hieronymi à Caritate hujus Almæ Urbis, quæ Christianam operam erga carceri mancipatos & pauperes assiduè & sedulò impendit; proptereaque concedimus, immò injungimus eidem Archiconfraternitati ejusque ministris facultatem, ut coram Judicibus harum nostrarum executoribus, per nos deputatis, pro iisdem pœnis in transgressores infligendis, eidemque Archiconfraternitati applicandis, omni studio invigilare meminerint.

Tertiò volumus, ut in casibus, in quibus nulla transgressoribus pœna expressè imposita, aut arbitrio commissa sit, pecuniaria, prudenti arbitrio Judicis executoris imposita intelligatur juxta qualitatem actus & legis non observatæ, omnesque pœnæ pecuniariæ delatori etiam secreto pro rata applicari valeant arbitrio ejusdem Judicis executoris, dummodò rata hujusmodi medietatem quantitatis pœnæ non excedat. In pœnis verò, quæ nostro arbitrio reservantur, nostra & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum de iis voluntas flagitari & audiri debebit.

Quartò, hujus nostræ Constitutionis ad transgressiones recognoscendas, transgressoresque supradictis pœnis puniendos, deputamus proprium Superiorem seu Caput Tribunalis eorum, qui deliquerint, ac cumulativè Congregationem Reformationis; inque causis, in quibus reorum citatione prævenietur, privativus in eadem causa remaneat. Omnibus verò prædictis executoribus summariè, manu regia & sine forma Judicii, procedendi facultatem concedimus cum omnibus privilegiis necessariis & opportunis pro omnimoda executione omnium contentorum in hac nostra Constitutione, quacunque appellatione aut recursu remoto, ita ut nomine supradictæ Archiconfraternitatis Sancti Hieronymi à Caritate & cujuscumque rem habentis, vel recurrentis & denunciantis pro bono publico, etiam per Inquisitionem procedi possit; Statuentes, ut iidem Judices executores in Actis conficiendis pro suo quisque arbitratu ministro idoneo uti possint, non tamen ex Notariis cujuscumque Tribunalis & Curiæ; & sine quoquam emolumento Judicis, ejusdemque ministri, præter mercedem pro scriptura, huic posteriori debitam. Ideò Judices monentur, ut zelo & probitate suâ seriò in id incumbant, quod pro recta Justitiæ administratione disponimus. Pro eadem verò scriptura, proque expensis, denunciationibus, aliisque occurrentibus, memorata Archiconfraternitas necessaria persolvet, ei postea à reis subinde restituenda.

Quintò, præsentium tenore ea confirmamus, quæ in Chirographo nostro, ad Cardinalem Petram Visitatorem directa die prima Septembris anni elapsi, præcipimus & statuimus de Officiis Collegii Auditorum nostri Palatii Apostolici Notariorum, eorumdemque scripturis ex loco, in quo extabant, in aliam domum transferendis, sitam in platea Curiæ Innocentianæ sub dominio & proprietate Hospitii Apostolici Sancti Michaelis; à quo domus ipsa præsentibus & futuris Notariis ejusdem Collegii perpetuò locari debeat, & in quatuor ejus domus cameris seu mansionibus, à Cardinali Visitatore destinandis, scripturæ omnes & codices eorumdem quatuor Officiorum distinctim collocari debeant, cuilibet Notario mansionibus adsignatis juxta sortem, ab Architecto in quatuor partes ejusdem domus pro jam dictis quatuor Notariis faciendam, servatis provisionibus & Statutis, à Cardinale Visitatore exponendis, inque eodem nostro Chirographo expressis, quorum præcipuum est, ut memorata Officia in eadem domo perpetuò remaneant, neque inde per Notarios & eorum Successores ullo pacto amoveri sive aliò transferri possint. Quum autem idem Cardinalis Petra Visitator à supradicto Hospitio ejusdem domus perpetuam locationem Notariis faciendam curaverit sub annua pensione scutorum ducentorum & septuaginta monetæ Romanæ cum pactis in Instrumento perpetuæ locationis expressis die septima Septembris anni præteriti, in Actis Perudini Notarii Auditoris Cameræ, & Laurentini Notarii Curiæ Capitolinæ; hujusmodi translatio Officiorum & scripturarum jam facta est, scripturæque in quatuor mansiones seu cameras & sedes distributæ sunt. Quare nos de his omnibus plenè edocti atque informati, præsentium tenore supradictum nostrum Chirographum, perpetuæque locationis Instrumentum approbamus in omnibus & confirmamus, dictamque translationem & scripturarum dispositionem, & quæcunque Cardinalis Petra in executionem nostri Chirographi fieri curavit, pariter confirmamus, præcipientes, ut Officia & scripturæ omnes in eadem domo remaneant, nec possint inde amoveri vel aliò transferri, nisi quandocunque oportuerit eas in tutiorem locum, nempe in Archivum Collegii Auditorum Palatii nostri Apostolici in Vaticano existens, de more transferri, postquam scilicet eædem mansiones quatuor Officiorum scripturis prorsùs impletæ fuerint, atque, ut novis scripturis recipiendis locus pateat, antiquas scripturas in Vaticanum exportare necesse sit. Ad perpetuam quoque eorundem Officiorum & scripturarum in dicto loco & domo conservationem permisimus, ut Cardinalis Visitator hac de re monumentum lapidi inscriptum in aditu ejusdem Domus erigendum curaret.

Anno 1728.

Strictè

Strictè denique injungimus, ac seriò hortamur omnes præfatos Judices, ac respectivè executores hujus Constitutionis, ut maximâ diligentiâ, & zelo curent, quatenus in ea disposita, & ordinata observentur, in quo eorum conscientiam oneramus, ac sciant se reddituros quoque esse specialem rationem nobis & nostris Successoribus de sua respectivè negligentia & incuria. Ii verò, qui recurrentes ad dictos Judices, & executores contra contumaces in observandis Statutis hujus Constitutionis, ubi eos tepidiores in puniendis reis agnoverint, Nos, nostrosque Successores adire omninò non omittant.

Volumus quoque, ut Codex Visitationis, in quo per dictum Cardinalem Petram Visitatorem fuit descriptus status omnium Officiorum & Archivorum ab eodem exploratorum, omniaque jura, & scripturæ occasione dictæ Visitationis exhibitæ, conserventur in Actis Josephi Perugini Notarii A. C. & Cancellarii Deputati per præfatum Cardinalem Visitatorem: ac semper imposterum conservari debeant per Successores in eodem Officio cum indice dictarum scripturarum & jurium.

Memoratæ verò ordinationes, ad Curias & Officia pertinentes, hæ sunt.

Communia pro omnibus Notariis Tribunalium Urbis.

Reipublicæ plurimùm interest, Notarios, in quorum manibus publica fides reposita est, esse debere viros, nedum probitate morum præditos, verùm etiam legali peritia, quantum attinet ad jura, quæ de contractibus licitè ac validè ineundis, & de ultimis voluntatibus legitimè ordinandis disponunt, optimè instructos, quum experientia docuerit, ex eorum imperitia mundum litibus involvi, & hominum patrimonia disperdi; Hinc vigilantissimi Prædecessores nostri, quibus justitiæ zelus & subditorum utilitas præ oculis semper fuit, non destiterunt opportunè sancire ac decernere, quæ necessaria forent ad præficiendos viros huic publico muneri apprimè idoneos. Verùm quia Nobis perlatum fuit, plures irrepsisse abusus tam circa ipsorum Notariorum creationem, quàm etiam circa exercitium eorum muneris, qui nisi de medio tollerentur, magnum in dies augeretur præjudicium publicæ fidei, ac subditorum nostrorum utilitati. Quamobrem Nos consulere cupientes hujusmodi præjudiciis, ea, quæ hactenus disposita fuere quoad Notarios Urbis, innovare, declarare, ac insuper disponere statuimus, ut infra.

Quòd omnes, habentes privilegia & facultates creandi Notarios, cujuscumque sint status, conditionis & dignitatis, quamvis expressâ & speciali notâ digni, & sive sint personæ singulares, sive Collegia & Universitates, firmis remanentibus eorum privilegiis & facultatibus, eo modo, quo competunt, atque hactenus competere consueverunt, non possint in Urbe & districtu dicta privilegia & facultates exercere, atque Notarios creare, nisi priùs, modo quo infra, legitimè eis constiterit, quòd illi, qui creandi sunt Notarii, legitimis honestisque natalibus orti, bonisque moribus prædìti sint, adeò, ut non sint inquisiti, neque contumaces, ac etiam in ætate saltem annorum viginti quinque constituti reperiantur; nec non, quòd ad minus per sex menses continuos & non interruptos in Urbe apud aliquem ex Notariis publicis Auditoris Cameræ, vel Rotæ, vel Cameræ Apostolicæ, seu Vicarii, aut Capitolii, verè fuerint versati pro addiscenda praxi & peritia conficiendi Instrumenta; dictoque termino sex mensium completo, cùm vero & effectivo rigoroso examine, tenendo coram Decano, vel alio Deputato illius Collegii, à quo Notarius creari debet, cum interventu duorum de Collegio Patronorum Palatii Apostolici, ac duorum publicorum Notariorum Urbis habentium Officium proprium (dummodò non sint illi Notarii, apud quos ipsi examinandi versati sint) approbati fuerint tanquam idonei, etiam prævio actuali experimento extensionis formulæ alicujus Instrumenti in ipso actu examinis, ab eodem examinando ad nutum Examinatorum faciendæ: dictaque approbatio debeat subscribi ab iis, qui, ut supra, interveniunt in examine; aliàs illi, qui Notarios citra istam formam creaverint, pœnæ suspensionis & amissionis privilegii eos creandi subjaceant, arbitrio executorum hujùs nostræ Constitutionis, & Notarii citra dictam formam creati exercentes munus Notariatus subdantur pœnæ suspensionis perpetuæ ab Officio pro quolibet actu contraventionis.

Caveant tamen Notarii, qui de requisitis examinandorum & matriculandorum, prout supra, testari debent, ut in eorum attestationibus omni sinceritate procedant, nec aliquid in eis afferant, quod sibi ipsis plenè non constiterit, quodque à veritate alienum sit, sub pœna suspensionis ab Officio, aliisque arbitrio Superioris proprii Tribunalis.

Notarii quicumque, etiamsi sint Administratores seu Conductores præsentes, & futuri, non audeant imposterùm rogitus excipere, aut stipulari quælibet Instrumenta cujusvis generis contractuum & ultimarum voluntatum, & alias quascumque dispositiones, nisi sint matriculati, vel creati Notarii ab habente legitimam & usu receptam facultatem, ac non revocatam, seu sub aliqua generali revocatione comprehensam, & nisi exhibuerint in Archivo Urbano privilegium seu fidem eorum matriculationis, à Custode ejusdem Archivi in particulari libro matriculatorum gratis describendam seu recensendam, sub pœna viginti quinque scutorum, quatenus matriculam, aut privilegium eorum Notariatus intra terminum unius mensis, à die eorum creationis computandum, in dicto Archivo non exhibuerint.

Ad rogitus autem & stipulationes præfatorum Instrumentorum inposterùm non admittantur Substituti ac Juvenes Officiorum, nisi sint etiam Notarii matriculati, ut supra; proindeque Notarius retinere in officio curet aliquem matriculatum pro deputato ad Instrumenta conficienda, vulgò *Istrumentante*, vel saltem prævio rigoroso & formali examine, ut infra, approbatum à Superiore Tribunalis, & obtenta fide subscripta approbationis, & in casu contraventionis volumus, Notarios principales hoc permittentes, teneri pro prima vice ad pœnam scutorum viginti quinque, nec non ad refectionem omnium damnorum exinde contingentium, & pro secunda vice suspensionis ab officio in perpetuum. Substituti verò, qui, præmissis non servatis, ausi fuerint rogitus Instrumentorum excipere, illaque stipulari, teneantur pro prima vice ad eandem pœnam scutorum viginti quinque, pro secunda vice inhabilitari perpetuò volumus ab exercitio Notariatus in quocumque Officio Urbis & Ditionis temporalis Nobis subjectæ, & pro tertia vice incurrant pœnam Triremium pro tempore arbitrio nostro & nostrorum Successorum; volentes quoque, ut adversus contravenientes procedi possit per inquisitionem, nec non ad querelam etiam secreti delatoris. Excipimus tamen à præsenti dispositione rogitus, & stipulationes illorum Instrumentorum dumtaxat, quæ fieri oporteat in executionem actuum judicialium, & in vim decretorum, seu mandatorum Judicum, quorum respectu nihil immutari aut innovari volumus.

ANNO 1728.

Declarantes insuper, quòd matriculatio, aut approbatio Substitutorum, seu Juvenum excusare non debeat Notarium principalem, quominùs si quid præfatorum culpâ factum, aut minùs rectè gestum fuerit, ipsi Notarii in totum omninò teneantur, prout teneri volumus, ad damna, expensas, & interesse partibus damnum passis.

Forma verò examinis, quam servari volumus quoad Substitutos, vel Juvenes Officiorum, quibus licèt non matriculatis, facultas permittitur ex stylo in Urbe introducto, suscipiendi rogitus Instrumentorum, ipsaque Instrumenta stipulandi pro Notariis, in quorum Officiis eorum operam præstant, hæc esse debeat, ut scilicet sint examinandi coram Superiore Tribunalis per duos Patronos ex Collegio Palatii Apostolici, deputari solitos ad examen Notariorum, ac per duos Notarios ejusdem Tribunalis modo præmisso, & reportare teneantur fidem eorum approbationis, ab eodem Superiore Tribunalis, & Examinatoribus prædictis subscribendam, & gratis omninò etiam quoad scripturam dandam; sine qua à rogitu & stipulatione quorumcunque contractuum, testamentorum, & aliarum dispositionum tam inter vivos, quàm ultimæ voluntatis, penitus alii Juvenes Officiorum arceantur, sub pœnis superiùs expressis. Volumus tamen in istis Substitutis, & Juvenibus approbandis non requiri ætatem viginti quinque annorum, sed satis esse, ut vigesimum annum compleverint; quòdque hujusmodi approbatio eis dumtaxat deserviat pro rogandis & stipulandis Instrumentis conficiendis per Acta ejusdem Officii, & sub nomine Notarii Officii, in quo inserviunt, & in quo ipsi Juvenes & Substituti eorum munus exercent, ac pro tempore dumtaxat, quo permanserint in ipsis Officiis; ita ut non possint per se ipsos, & eorum nomine, ac si Notarii creati essent, usurpare facultatem aliquam circa rogitum & stipulationem Instrumentorum; aliàs uti Falsarii puniantur, cum non habeant privilegium Notariatus, & ipsi rogitus nullius roboris, vel momenti existant, nullamque fidem obtineant in Judicio, nec extra.

Nullus ex Notariis non habens publicum Officium, etiamsi sit matriculatus ab habentibus legitimam facultatem, valeat nomine proprio in Urbe Tabellionatus Officium exercere, ac ad publicorum actuum stipulationem devenire; & quatenus per Urbem in dicto munere versari intendat, teneatur se omninò addicere alicui ex publicis Notariis, ut supra habentibus Officium apertum, & ejus accedente consensu, nec non etiam permissione Superioris Tribunalis dicti Notarii electi, ad utriusque preces præstanda, & sub præfati Notarii assumpti nomine tantùm stipulari; cum declaratione tamen, quòd non valeat sub plurium Notariorum nomine rogare, ac etiam exhibere teneatur in Officio dicti Notarii assumpti, intra terminum viginti dierum à peracta stipulatione, copias Instrumentorum nomine proprio subscriptas, subjungendo: *pro N. N. Notarius rogatus*, sub pœna scutorum decem pro qualibet contraventione pro medietate delatori secreto applicandorum. Qui quidem Notarius principalis, ut supra assumptus, teneatur copias sibi exhibitas, unà cum aliis Instrumentis in suo Officio rogatis, intra terminum pro aliis præscriptum, in Protocollum redigere, & de more copias in Archivo urbano exhibere, nec non in libro Receptorum ejusdem Officii adnotare, sub pœnis contra Notarios contumaces in protocollando & archiviando comminatis, quas etiam ad hunc casum extendimus; & præterea sciant ipsi Notarii principales assumpti aut electi, sese teneri de omnibus defectibus & negligentiis ipsorum Notariorum, quibus permissum sub eorum Officio rogitus excipere aut stipulari.

Insuper volumus atque mandamus, quòd imposterum Notarii destinati pro servitio alicujus loci pii, speciale habentis privilegium retinendi Notarium particularem, quatenus non habeant publicum Officium apertum, dummodo tamen sint matriculati, possint rogare contractus illos solummodo, in quibus sive activè, sivè passivè agitur interesse illius loci pii, pro quo quilibet Notarius destinatus reperitur. Quo verò ad alios contractus nullatenus tangentes interesse illius loci pii, nequeant ullo modo nomine proprio stipulari; & aliter faciendo, contractus, utpote à persona non legitima confecti, sint omnino nulli, & nullam faciant fidem nec in judicio, nec extra; & nihilominus Notarius subjaceat pœnæ scutorum viginti quinque pro qualibet contraventione, aliisque pœnis corporalibus pro arbitrio. Non eximimus tamen istos Notarios ab onere archiviandi ea, quæ archiviari debent, nec non alligandi, ac in Protocollum redigendi eorum Instrumenta, pro dictis locis piis stipulata, sed volumus, & expresè præcipimus, ut etiam isti teneantur, & debeant omnia adimplere infra tempora, & sub eisdem pœnis, ut infra, respectu ad alios Notarios præscribendis & comminandis.

Volumus autem atque declaramus, quòd quatenus aliquis ex Notariis, ut supra, destinatis ad rogandum pro aliquo loco pio, addictus reperiatur servitio ejusdem loci pii ratione alterius muneris, seu exercitii particularis seorsim ab illo Notarii, quòd tali casu, sive sit de illis, qui habeant Officium apertum, sive matriculatus tantùm, in futurum non valeat, neque nomine proprio, neque alterius, etiam publici Notarii, rogare Instrumenta contractuum quomodocumque tangentium interesse dicti loci pii, seu alterius personæ, quibus in dicto diverso munere inservit, sed omninò à talibus rogitibus se abstineat; & Instrumenta contra formam hujus prohibitionis rogata nullatenùs recipiantur, vel in Protocollum redigantur, & nullam fidem faciant, nec in Judicio, nec extra; & contravenientes sciant se incurrisse in pœnas viginti quinque scutorum pro quolibet Instrumento, ultra alias etiam corporales arbitrio nostro. Quam quidem prohibitionem extendimus quoque ad illos Notarios, qui fuerunt particulariter assumpti pro servitio alicujus loci pii, aut personæ cujuscunque qualitatis & dignitatis, ut nequeant pro illis rogitus excipere, si pro alio diverso munere, ut supra, reperiantur addicti servitio antedictæ personæ seu loci pii.

Quòd si loca pia habeant particulare Notariatus Officium, illud exerceri faciant ab aliquo viro probo, Notario tamen matriculato, ab eis stipendiato, & à Superiore sui Tribunalis approbato; qui etiam observationi Taxarum & Reformationi subdatur.

Notarii tàm ipsi, quàm eorum Substituti non possint esse Procuratores in Curia, in quo Notarii sunt, aut Substituti officium exercent; nec non præfati omnes caveant fieri investimenta pecuniarum, in eorum Officiis respective depositata, ad effectum investiendi ad eorum favorem, supposito nomine alterius eam pecuniam recipientis, sub pœna privationis officii & inhabilitatis perpetuæ ad officia hujusmodi quæcumque Urbis, & scutorum decem pro qualibet transgressione & transgressore applicandorum delatori.

Inhærentes aliis provisionibus emanatis, statuimus & ordinamus, quòd Notarii quicumque habentes Officia propria, sive eorundem Officiorum Administratores, aut Conductores, tam in assumptione dictorum Juvenum & Novitiorum, pro Officiorum servitio idoneorum, quàm in eorum dimissione, habere debeant plenum, liberum & absolutum arbitrium, absque eo quòd

ab

ab ullo Judice, seu alio eorum Tribunalis Superiore impediri valeant, nisi ex aliqua justa & legitima causa, & non aliàs. Studeant autem iidem Notarii, quo magis fieri potest, assumere Novitios, Juvenes, seu Substitutos Sedi Apostolicæ subditos, bonis moribus imbutos, idiomate, & orthographiâ Latinâ instructos, & præcipue claro & intelligibili charactere dotatos, nec aliquem ex eis admittant, qui ex honestis parentibus natus non sit.

Quoad Substitutos verò Notariorum ad conficienda Acta judicialia, civilia, & criminalia, adhærentes etiam reformationibus antiquis, non admittantur in Officiis, nisi de consensu seu licentia & approbatione Judicum, quibus inservire debent; & nihilominus sciant se posse quandocumque dimitti, concurrente, ut supra, legitima causa, ab eorum Notariis, etiam ad instantiam Judicum prædictorum, remanentibus tamen iisdem Notariis obligatis pro interesse partium in casu culpæ eorumdem Substitutorum in eorum Officiis respectivè admissorum.

Notarii tamen Substitutos, Juvenes, & Novitios bene tractent, prout debent, tam circa salarium, quàm circa mensam, lectum, mobilia necessaria, habitationem, & similia, super quibus invigilare teneantur Superiores Tribunalium, aliique ad quos spectat; Injungentes ut præfati Superiores ex officio curare debeant, sesque informare etiam secretò de modo, quo Notarii præfati eos tractent, ac omninò opportunas provisiones extrajudicialiter facere, ut hujusmodi nostra dispositio circa prædicta omninò effectum sortiatur.

De Extensione, Archiviatione, & Protocollatione Instrumentorum.

Notarii omnes non audeant rogitus excipere, vel stipulari obligationes aliquas, sive contractus etiam parvi momenti, nisi vel contrahentes ipsos bene noverint, vel ab uno saltem ex testibus cum juramento adhibitis, cognitos esse sciant; & ipsi testes, aut unus eorum, qui contrahentes cognoverint, noti sint iisdem Notariis; & nihilominus in quibuscunque contractibus, ultra nomen & cognomen cujuslibet ex contrahentibus, exprimere quoque debeant patriam, & nomen patris eorum, aut aliam similem demonstrationem in ipso Instrumento, alioquin ultra pœnas arbitrio Superioris Tribunalis infligendas, teneantur etiam partibus ad omnia damna, expensas & interesse. Declarantes tamen, quòd per hanc dispositionem non censeatur derogatum Statutis majorem in hac parte solemnitatem & diligentiam requirentibus.

In Imbreviaturis, seu matricibus Instrumentorum volumus & ordinamus, ut apponantur omnia substantialia contractûs, nec non omnia & singula pacta inter contrahentes conventa, unà cum nominibus Testium, & clausula: *Actum &c.* quòdque insuper tam in eisdem Imbreviaturis seu matricibus, quàm in Instrumentis ad illarum tenorem extendendis, illi, qui dictas Imbreviaturas seu matrices conficiunt, & respective Instrumenta extendunt, subscribere teneantur propriâ manu eorum nomen & cognomen in margine finis cujuslibet matricis seu Instrumenti, sub pœna contravenientibus scutorum decem pro qualibet vice, & in casu trium contraventionum sub pœna inhabilitatis in quocunque Officio Notarii Ditionis Ecclesiasticæ; nec dictas matrices aut imbreviaturas usque ad extensionem Instrumentorum audeant retinere extra dictum Officium, aut in pulpitis, sed statim illas includere & recondere teneantur in particulari capsula, duabus clavibus claudenda, quarum una retineatur à Notario, & altera à Substituto, vulgò *Istrumentante*, usque ad illarum extensionem, sub pœnis prædictis.

Instrumenta itidem mandamus, ad tenorem dictarum matricum omnino intra sex menses à die stipulationis singularum respectivè extendi, archiviari, & in Protocollis redigi, cum suo indice seu rubricella, in qua ultra nomina & cognomina contrahentium designetur, & specificetur quoque titulus contractus; Declaramus tamen, quòd hæc dispositio intelligatur pro Instrumentis stipulatis à die prima Januarii currentis anni, & terminus sex mensium, ut supra assignatus, decurrat respective à die stipulationis secutæ à præfata die prima Januarii, & sic successivè in futurum. Quoad verò stipulationes factas anno præterito, & non extensas, seu non redactas, prævia archiviatione, in Protocollis, volumus id exequi intra quatuor menses decurrendos à publicatione hujus nostræ ordinationis.

Protocollum præfatum mandamus, quòd sit bene cartulatum, ita ut illius paginæ exactè respondeant numeris in rubricella indicatis. Et circa prædicta in *hoc §. & antecedenti*, Notarii quotidie diligenter incumbant, & teneantur etiam ipsi de negligentia Substitutorum, ac puniantur præfati omnes in casu cujusque in prædictis transgressionis in scutis decem pro qualibet transgressione, & incurrant etiam pœnam suspensionis ab Officio, arbitrio nostro, ac Successorum nostrorum. Hoc insuper addentes, ne dicta instrumenta extensa nec per momentum temporis retineantur extra dictum Officium, etiamsi extensores extra illud commorentur, sub gravibus pœnis arbitrio nostro irrogandis.

Si verò contingat, quòd aliqui juvenes seu Substituti discesserint ab Urbe, aut Officio, nondum extensis Instrumentis per eos stipulatis, Notarii statim à die discessus exhibere teneantur notulam Instrumentorum non extensorum Superiori Tribunalis, cum indicatione nominis & cognominis ipsorum Substitutorum, nec non loci eorum præsentis habitationis, sub pœna præfatis Notariis scutorum decem pro qualibet vice, & teneri volumus ad omnia damna, quæ partibus contingere possent, ut sumptibus Notariorum provideri valeat; quod curet Superior Tribunalis statim consulere, ne damnum tam grave partibus obveniat.

In Officiis autem, in quibus pauca singulis annis Instrumenta conficiuntur, & in quibus propterea ob insufficientem numerum Instrumentorum compleri nequit Protocollum intra dictum terminum saltem sex mensium, volumus quòd elapso dicto termino ipsa Instrumenta non retineantur in foliis, aut quinterniis volantibus, sed insimul consuta ad instar libri, ad hoc ut postea completo sufficienti numero, in formale Protocollum cum sua rubricella, ut supra, redigatur, non retardatâ interim archiviatione intra dictum terminum.

Ne autem imposterùm Notarii retrahantur ab archiviatione Instrumentorum, & sic etiam à confectione Protocolli intra terminum, ut supra, assignatum, sub obtentu, quòd plures ex illis inservientes domibus Nobilium, Monasteriis, aliisque locis piis Urbis, sub certo annuo stipendio, nequeant promptè ab illis exigere pecunias necessarias pro solvendis taxis Custodi Archivi debitis, statuimus & ordinamus, ut inposterùm nequeant Notarii prædicti devenire ad stipulationem Instrumentorum sine actuali solutione, à contrahentibus facienda illius summæ, quæ pro taxa Archivi solvi debet, nisi ejus Custos maluerit eisdem contrahentibus vel Notario dilationem concedere ad illam solvendam; qua tamen dilatione non obstante,

ANNO 1728.

teneantur Notarii intra tempus statutum exhibere Instrumenta in Archivo, ipseque Custos ea recipere, & signum archiviationis in eis apponere.

De Testamentis.

QUoad Testamenta clausa & sigillata volumus atque mandamus, ut intra decem dies computandos à die eorum consignationis, teneantur Notarii de eorum consignatione rogati, exhibere illorum fideles notulas in Archivo Urbano, sub pœna scutorum decem pro quolibet Testamento, cujus notulam intra dictum terminum non exhibuerint; & Custos Archivi retinere debeat librum secretum, in quo dictas notulas registrare teneatur, sub eadem pœna; easque notulas, & respectivè librum, Notarius & Archivista sub arcta custodia retineant, & nemini pandant, nisi priùs exhibitâ fide obitus Testatoris. Quando verò Testamenta prædicta fuerint aperta, teneantur Notarii illorum copias tradere Archivistæ intra terminum decem dierum, computandum à die eorum aperitionis, ad formam Bannimentorum, & ab ipsis Notariis archivientur, sub pœna scutorum decem aureorum pro quolibet Testamento, intra dictum terminum non exhibito, nec archiviato.

Quoad verò Testamenta clausa, & sigillata à longissimo tempore, servari volumus decretum ultimæ Visitationis bonæ memoriæ Cardinalis Mariscotti, initæ de anno 1704. §. 10. cujus dispositionem innovantes, decernimus atque mandamus, quòd singulis annis more solito aperiantur Testamenta & dispositiones quæcumque, quæ post lapsum quinquaginta annorum à die eorum consignationis invenientur sigillata; quorum Testamentorum & dispositionum notula ab eisdem Notariis, intra quindecim dies ab actu aperitionis computandos, exhibeatur in Archivo Urbano, & ab illius Archivista quanto citiùs in indicem reducatur absque ulla solutione: hoc addentes, ut de Testamentis & dispositionibus hujusmodi conficiatur, & retineatur à Notariis, qui de illis rogati fuerunt, particularis elenchus seu rubricella, in qua indicentur Protocolla, in quibus ipsa Testamenta, aut aliæ dispositiones insertæ vel colligatæ fuerunt, cum designatione foliorum ipsius Protocolli indicati, ad hoc ut de facili reperiri valeant.

De Custodia Scripturarum, illarumque productionibus.

CUstodiant diligenter Notarii scripturas omnes, processus de partibus, extractus & registra quæcumque: & quatenus contingat illas accommodare, caveant ne accommodatio fiat Principalibus, sed Procuratoribus in Urbe cognitis, prævia descriptione qualitatis & substantiæ cujuslibet scripturæ, non in confuso, sed specificè facienda in libro Accommodatorum ad hunc effectum retinendo, in quo etiam specificare teneantur folia, ex quibus componuntur ipsæ scripturæ, diem, mensem & annum productionis scripturarum, quæ accommodantur, nec illas tradant, nisi cum recepta ipsius Curialis cogniti, facienda in eodem libro in calce partitæ, cum obligatione ipsius recipientis de illas reportando in termino octo dierum, vel longiori, si agatur de Processibus, extractibus aut registris. Et nihilominus ipsi Notarii curent infra annum à die accommodationis illas recuperare, & recuperatas annotare in eodem libro Accommodatorum cum expressione diei illarum reportationis, sub pœna reficiendi de proprio expensas pro iterata dictarum scripturarum extractione, aut transcriptione, quatenus deperditæ fuerint, & ad omnia damna partibus, aliisque arbitrio, reservatâ eisdem Notariis actione pro repetitione dictarum expensarum contra eos, in quorum manibus deperditæ fuerint. Quæ tamen annalis dilatio eis non suffragetur in casu obitus, vel perpetui discessus Procuratorum ab Urbe; Tunc enim sub eisdem pœnis teneantur Notarii solliciti esse de statim recuperando scripturas eis accommodatas sub eisdem pœnis.

Scripturæ insuper, & jura quæcumque producta non retineantur in pulpitis, sed infra biduum à die earum productionis in filciis reponantur, etiam quòd productio fuerit in calce citationis annotata; excepto casu delationis earundem scripturarum ad Judices, quæ ab his recuperentur, ut infra.

Cedulæ Sacri Montis Pietatis & Banci S. Spiritus, & quorumvis Mercatorum in actu productionis registrentur per extensum in Broliardo Actorum, sive intra sequentem diem in alio particulari libro ad hunc effectum specialiter retinendo. Et ipsæ cedulæ originales statim ponantur in filcia peculiari retinenda, quæ sub clavi custodiatur.

At quia persæpe contingit, quòd in Instrumentis præsertim actionum, quæ in dies conficiuntur, inserantur scripturæ originales, aut aliæ in judicio productæ, volumus quòd de hac insertione fieri debeat annotatio in scriptis in margine illarum productionis in Broliardo, ne scripturæ appareant deperditæ; vel relinquatur earum fidelis copia in filciis, ex quibus dictæ scripturæ fuerunt extractæ, cum annotatione apponenda in calce ipsius copiæ, quâ enuncietur insertio originalis in Instrumento, designando illius diem, mensem, & annum, ac nomen Notarii de dicto Instrumento rogati.

Curent etiam Notarii, ut jurium productiones, protestationes & alia acta expeditè fiant in eorum Officiis, pro majori Curialium & litigantium commoditate, quòdque omnes Substituti ac Juvenes ad scribendum requisiti, indistinctè eadem Acta scribant in Broliardis, sive libris Actorum, dummodò non fuerint in aliis negotiis Officii tunc temporis impediti.

Nequeant Notarii eorumque Juvenes & Substituti scribere quemquam Principalem in Actis, uti instantem, producentem aut protestantem, seu quomodolibet comparentem, nisi is tunc præsens fuerit; nec suffragetur mandatum generale Notario datum à quavis persona, ut possit ejus nomen in causis vel actis ponere; minusque sufficiat exprimere nomen Procuratoris in comparitionibus, productionibus, expeditionibus & citationibus, aliisque actibus, nisi talis Procurator sit in Curia notus, ad hoc ut citari possit, vel saltem eligat domicilium, ubi citari velit.

Productiones scripturarum & jurium, nec non protestationes scribantur contextualiter in Broliardo sub eadem die, nec recipiantur in foliis volantibus; & quatenus ob earum prolixitatem recipiantur in hujusmodi foliis, volumus, ut hæc receptio statim annotetur in ipso Broliardo, & deinde in ipsa die, si fieri poterit, vel per totam diem sequentem, & non ultra, registrentur per extensum in eodem Broliardo.

Attergationes autem, quæ de stylo fieri solent in scripturis, quæ producuntur in Actis, nempe *pro N. contra N.* omninò fiant, & scribantur propria manu, & charactere illius Substituti vel Juvenis, qui productiones recipit, illasque in Broliardo scribit; nec recipiantur, si factæ fuerint, aut scriptæ à Curialibus, vel ab aliis, præterquam à dictis Substitutis aut Juvenibus recipientibus productiones, ne unquam dubitari possit de identitate scripturæ productæ, & deinde accommodatæ, sub pœna in casu contraventionis

omni-

omnimodæ privationis & perpetuæ inhabilitationis ipsorum Substitutorum & Juvenum ab exercitio: & nihilominùs ipsæ scripturæ attergatæ alia manu quàm Substituti vel Juvenis recipientis illarum productionem, pro suspectis in judicio reputentur.

Officiorum libri tam judiciales, quam protocolla & cedulæ accommodari nullo modo possint, nec ab Officiis ex quacumque causa extrahi, præterquam si opus fuerit agnosci & explorari à Superiore vel Judice; quo casu iis à Substituto exhibeantur atque tradantur nullo alterius medio; & quatenus Superior vel Judex nequeant statim illos explorare, sciant nostræ voluntatis mandatum esse, eorumque conscientiam oneramus, ut quamprimùm poterunt, ad obviandum deperditioni scripturarum, ut sæpe evenisse liquet, ipsa Protocolla, libros, cedulas recognoscant, & Substitutis restituant, atque ipsi Substituti die immediatè sequenti post consignationem adeant ipsum Superiorem & Judicem pro reportatione præfatorum librorum & scripturarum, & deinde singulis diebus; & quatenus Substituti diligentias hujusmodi pro recuperatione neglexerunt, pœnas etiam inhabilitationis nostro arbitrio incurrant, ultra pœnas incurrendas per Notarios non custodientes scripturas. Quòd si aliquis liber aut Protocollum ab Officio subreptum fuerit, ut nonnunquam gravi partium detrimento contigit, debeat statim Notarius id Superiori Tribunalis deferre, qui diligenter veritatem scrutari curet, librosque subreptos recuperare; ac reos deprehensos rigidis pœnis afficere; ipseque Notarius hujusmodi inquisitioni & recuperationi insistat, cum animadvertere debeat, se utpote ad ad fidelem cautamque custodiam librorum obstrictum, fore obnoxium cuicumque partium detrimento.

De variis provisionibus circa acta judicialia.

EXamina testium & reorum tam in civilibus, quàm in criminalibus ab initio & in ipso actu examinis inserantur in libro benè compacto & compaginato, ac integrè & iisdem verbis, prout ex eorum ore profluunt; sicuti responsiones, interrogatoriis clarè iis proponendis, scribantur fideliter, sine ulla cassatione verborum, etiam in casibus, in quibus testes examinari contingat extra Officia Notariorum, & in domibus particularibus.

In examine testium cum Interrogatoriis tam in civilibus, quàm in criminalibus in quocumque Tribunali & Curia, quælibet sessio durare debet spatio trium horarum verè & effectivè continuando exercitium, nec aliquid amplius ultra Julios quinque pro qualibet sessione accipiatur ab interprete, etiam sub prætextu, quòd examen fiat extra Officium.

Manualia citationum omni diligentiâ conficiantur in ipso Officio, non autem extra illud, saltem infra mensem à die decreti, & distincta sint per Judices; ac in eis registrentur per extensum citationes cum suis decretis; solumque permittimus redigi in summarium citationes ad dicendum contra jura, contra articulos, ad terminos substantiales & ad sententiam; & præfata Manualia non solùm scribantur charactere claro & intelligibili, & in charta non bibula, sed ulteriùs habere debeant opportunos indices seu rubricellas. Caveant autem Notarii, Substituti & ipsi Scriptores Manualium, ne in decretis in singulis citationibus extendendis, seu registrandis, relinquant in albo nomen & cognomen Procuratoris, qui decretum obtinuit, sub pœna unius scuti pro quolibet decreto, in quo in posterum reperiri contingat nomen Procuratoris comparentis in albo relictum; ad quam pœnam teneri volumus etiam ipsos Scriptores seu Registratores Manualium, qui curare tenebuntur, ut Substituti nomen Procuratoris comparentis extendant in decreto, antequam ad illius registrationem in Manuali procedant.

Simili modo Notarii conficiant Manuale citationum criminalium & duplex registrum, in quorum altero registrentur sententiæ criminales, & in altero sententiæ civiles; & hæc registratio fiat intra terminum trium dierum immediatè sequentium ab earum publicatione, unà cum citationibus ad sententiam, cum opportuna rubricella seu indice; nec hujusmodi obligationi censeatur satisfactum, redigendo in librum seu volumen easdem sententias, cùm reformatio felicis recordationis Pauli V. quam servari volumus, utrumque demandet.

In quacunque partita registranda in libris Memorialium apponatur indicatio principii & finis Judicii, & signanter diei productionis jurium, prout à pluribus Notariis servatur; sicut & in libris Receptorum, Expeditionum & Rogituum in singulis partitis, in eis registrandis omninò annotetur dies, quâ registrantur & describuntur, ab eo, qui recipit, rogat & respectivè expedit; & in libris Receptorum habeatur rubricella per alphabetum; decernentes etiam, quòd non dentur expeditiones, nisi priùs fuerint annotatæ in libris Expeditionum, sicut etiam in libris Receptorum statim stipulato Instrumento.

In Manualibus, Broliardis, seu libris Actorum conficiendis, non tamen contradictorum, nec citationum, caveant Notarii, ne dimittant aut relinquant folia ulla, sive in totum, sive in parte alba, sed ubi alba remanserint, ea interlineare de die in diem in clausura nocturna Officii teneantur.

Non audeant Notarii aut Substituti inconsulto Judice facere aut extendere ex se decretum aliquod, nec quidem de mutuo consensu Procuratorum in causam comparentium, nec aliquem terminum, quamvis brevissimum *in forma*, uti ajunt, *servare*, sed semper Judicem adeant, & citationes omnes coram eodem legant, ab eoque decreta sumant, & deinde in Actis apponant.

Decreta extendantur à tergo citationum immediatè post audientiam, & de die in diem, absque aliqua excusatione; sed quoad Notarios A. C. indulgemus, ut tantùm decreta emanata diebus Mercurii & Sabbati, in quibus ob necessitatem incumbendi expeditionibus, nequeunt Substituti habere temporis copiam ad extendenda decreta interposita in audientiis dictarum dierum, quòd illorum extensio fiat, & compleatur per totam diem immediatè sequentem. Citationes in illis causis, in quibus procedi non potest in contumacia, non recipiantur, nisi fuerit à tergo annotatum nomen Procuratoris, vel partis citationem reproducentis.

Mandata de delendo vincula contenta in Locis Montium, nec non super pecuniis depositatis in Bancis publicis non concedantur, neque expediantur in posterum per quoscunque Judices tam Ordinarios, quàm Commissarios, etiam vigore specialium Commissionum & Chirographorum manu nostra, vel Successorum nostrorum pro tempore signatorum, nisi exhibitis in Actis necessariis documentis, ac præviis citationibus personaliter executis contra omnes interesse habentes super dictis Locis Montium, aut pecuniis, & quorum favore vincula reperiuntur apposita, ita ut satis non sit procedere per citationes domi dimissâ copiâ, vel in manibus domesticorum executas, nec etiam contra Procuratorem, etiam personaliter citatum, nisi in Actis Notarii talia man-

ANNO 1728.

data expedientis constiterit de illius legitimo & sufficienti mandato Procuræ ad hunc actum, sub pœna ab ipsis Notariis & Substitutis incurrenda, perpetuæ privationis officii & exercitii, nec non refectionis omnium damnorum partibus læsis reficiendorum; ita ut evinculatio perinde habeatur, ac si facta fuisset sine citatione, salvis etiam juribus parti læsæ competentibus contra quoscunque de jure, & prout de jure; & nihilominùs in concedendis vel expediendis dictis mandatis non possint recipere Notarii, Substituti vel Juvenes, nisi emolumentum mandati, juxta taxam in his præfixam pro singulis Tribunalibus; neque possint etiam à sponte dantibus, aut sub prætextu revisionis scripturarum, aliquid ultrò recipere, sub pœna dupli, inhabilitatis ad officia, & aliis gravioribus, juxta facti circumstantias, arbitrio nostro infligendis; & ipsimet Judices Ordinarii, qui juxta eorum ordinarias facultates procedunt, & absque particulari commissione manu Romani Pontificis signata, non possint titulo propinæ, revisionis scripturarum, vel ex alio titulo aliquid recipere.

In antedictis mandatis, nec non in mandatis de transferendo Loca Montium, quum fieri contingat mentio litterarum patentium ipsorum Locorum Montium, aliorumque documentorum, cum clausula: *Ad quas, seu ad quæ habeatur relatio*; quum in hoc aliquoties pravus irrepserit abusus exigendi indebitam mercedem pro copiis dictarum litterarum patentium licèt non factis, sed simpliciter enunciatis, districtè prohibemus sub pœnis arbitrio infligendis omnibus Notariis quorumcumque Tribunalium, ne prætextu cujusvis consuetudinis audeant in posterum aliquid exigere, pro dictis copiis non insertis, sed contenti sint consuetâ mercede pro ipsis mandatis taxatâ.

In mandatis de consignando pecunias existentes in quocumque Banco Urbis, ac in pluribus cedulis contentas, etsi confectis diversis diebus & annis, teneantur iidem Notarii conficere copiam unam post alteram dictarum cedularum, ac sub eis extendere mandatum; sed si receperint mercedem pro mandato de immittendo ab hærede illius, in cujus hæreditate repertæ fuerint dictæ cedulæ, non valeant recipere mercedem pro mandato de consignando in vim dictarum cedularum, nisi summam debitam loco duplicati pro quolibet Banco.

In rogitibus Instrumentorum consensuum ad expeditionem cujuslibet mandati de delendo, resignando, consignando, & similium præstandorum, si plures sint personæ consentientes unico actu, & pro eodem interesse, pro uno tantùm actu mercedem recipiant in primo capite juxta rei valorem, & dummodò idem consensus non pendeat ab aliquo actu præcedenti, de quo sit idem Notarius rogatus; quo casu non exigant, nisi taxam præscriptam in reformatione sanctæ memoriæ Pauli V. §. *pro Instrumentis quorumcumque consensuum &c.* Si verò plures sint personæ, quæ pro eodem effectu consentiant, sed unaquæque ex eis sive separatim, sive non, consentiant pro suo jure diverso & particulari independenter ab aliquo actu in eisdem Actis rogato, tunc servetur taxa, ut supra, in primo capite pro quolibet consensu.

Nequeant etiam Notarii concedere mandata de transferendo Loca Montium, delendo vincula, & de consignando pecunias in publicis Bancis depositatas, ac hujusmodi, nisi priùs productâ in eorum Actis copiâ publicâ testamentorum, aliorumque jurium, quoties ista mandata non expediantur à Notariis, qui de testamentis prædictis rogati sunt; & caveant, ne dicta mandata concedant per solam indicationem dictorum testamentorum, extra eorum Acta rogatorum, sub pœnis scutorum viginti, & aliis arbitrariis.

Mandata de immittendo vigore testamentorum expediri volumus per Acta illius Notarii, qui de testamento rogatus fuit, quatenus de illo traditum non fuerit à Notario rogato sumptum publicum; quo tantùm casu, præviâ illius productione in Actis alterius Notarii, possint per eadem Acta dicta mandata expediri, sub pœnis, ut supra.

Notarii quorumcunque Tribunalium tradere teneantur petentibus copias simplices Instrumentorum, ab eis aut eorum Antecessoribus rogatorum, receptâ simplici mercede copiæ, exceptis dumtaxat Instrumentis testamentorum, codicillorum & donationum causâ mortis.

Citationes, monitoria, seu quasvis alias provisiones, extra Urbem mittendas, non expediant ad alicujus instantiam, nisi notato in Actis, seu in libro Memorialium, nomine Procuratoris, qui sit in Urbe cognitus, vel Principalis, aut alterius illas obtinentis, qui pariter sit in Urbe cognitus; ut si ad illarum moderationem sit procedendum, possit pars incontinenti scire, quis sit citandus; ejusque citatio sufficiat ad obtinendam moderationem; & quatenus obtinens non sit notus in Curia, annotetur electio domicilii, in quo citari debeat.

In mandatis executivis vigore Instrumentorum sive apocharum relaxatis, tam exequendis in Curia, quàm extra, apponatur dies, mensis & annus Instrumenti sive apochæ, cujus vigore mandatum relaxatum fuit, nec non decretorum relaxationis & expeditionis ejusdem mandati.

Notarii nullam prorsus mercedem aut emolumentum etiam minimum recipiant, quòd priùs in libro receptorum seu expeditionum respectivè fideliter non annotaverint, cum expressione diei, causæ, summæ & personæ solventis, ut ex eodem libro incontinenti recognosci valeat, si quid ultra taxas indebitè receperint.

Conficiant Notarii omnes diligens Inventarium de omnibus Protocollis, Broliardis, cæterisque libris & filciis scripturarum, quæ in eorum Officiis & Archivis asservantur, illudque singulis annis exhibeant & consignent Commissario generali nostræ Cameræ; & in casu negligentiæ puniantur arbitrio executorum hujus nostræ Constitutionis etiam pœnis pecuniariis; omnesque teneantur de libris & scripturis inventariatis rationem reddere toties quoties fuerint requisiti; & de prædicta exhibitione & consignatione unus Notarius alteri fidem faciat in calce copiæ, per ipsum Notarium consignantem retinendæ.

Præterea ab unoquoque ex Notariis omnium Tribunalium retineatur publicè expositum & affixum in loco magis obvio & visibili eorum Officiorum exemplar Taxæ emolumentorum eis debitorum, sub pœna scutorum viginti quinque incurrenda in casu contraventionis etiam pro prima vice.

Nullus insuper Notariorum cujuscumque Curiæ, sive criminalium, sive civilium causarum, audeat quidquam exigere pro eorum emolumentis & expeditionibus, nisi juxta Taxam respectivè præscriptam præsertim in visitatione anni 1704. Cardinalis Mariscotti, sub pœna suspensionis ab officio, aliisque arbitrio executorum hujus Constitutionis.

Sententiarum, decretorum, aut aliarum quarumcumque scripturarum, tam civilium, quàm criminalium copiam unicuique petenti dare teneantur, solutâ competenti mercede; nec audeant differre vel retardare publicationem, ostensionem & lectionem dictarum sententiarum tam civilium, quàm criminalium, sub prætextu non solutæ notæ ipsarum, vel registri, seu alterius cujuscumque mercedis eis debitæ.

Si Notarii eorumque Substituti, Actuarii vel Juvenes quicumque se quoquo modo directè vel

indirectè, sub quovis etiam amicitiæ nomine vel prætextu ingesserint, interposuerint, vel tractaverint, seu mediatores fuerint in aliquo censuum, Societatis officiorum, aut aliorum quorumcumque negotiorum contractu, & signanter in alienatione seu resignatione Locorum Montium vinculatorum cum deletione vinculorum, non possint ullas pecunias, bona, seu res etiam minimæ quantitatis, à quoquam, etiam sponte dante occasione præmissâ recipere, sed sint & esse debeant contenti debitâ eis mercede rogitus Instrumenti, si quod ab eis fuerit rogatum, vel alio emolumento in Taxis comprehenso & permisso, sub pœna dupli ejus, quod ultra Taxam receperint, pro medietate delatori applicanda, & suspensionis ab Officio.

Teneantur itidem Notarii omnes Acta quæcumque apud eos producta, partibus interesse habentibus, ad earum beneplacitum gratis ostendere, ipsisque copiam facere & tradere, solutâ solâ competenti mercede; hoc idem servari volumus quoad copias sententiarum in Curia latarum, & neminem possint astringere ad accipiendum exempla publica sententiarum aliorumque Actorum, nisi ita ipsis contrahentibus, aut aliis interesse habentibus placuerit.

Mandata suspicionis fugæ, quæ sine citatione debitoris olim expediri consueverunt, in posterum non expediantur, neque dentur à Substitutis, nisi facto priùs verbo cum Judice, eoque instructo per dictos Substitutos de qualitate crediti cum exhibitione scripturarum originalium, quibus illud probari prætenditur, tum etiam de conditione debitoris, non obstante, quòd creditor in Actis docuerit de suo credito, & de suspicione fugæ juraverit; quod juramentum per se ipsum, vel per Procuratorem, habentem speciale mandatum, præstari debeat, ita ut non sit in facultate & arbitrio eorumdem Substitutorum, dicta mandata extendere in chartulis, in albo à Judice subscriptis, sed debeant illa Judici deferre ad subscribendum, postquam extensa fuerint, sub pœna contrafacientibus perpetuæ privationis & inhabilitationis ad munus Substituti exercendum, aliisque arbitrio.

Nequeant insuper dare mandata vigore termini, in eorum Officiis suscepti, quando jam mandatum à Judice causæ in alio Tribunali est relaxatum: eo verò nondum relaxato, in arbitrio sit, & potestate creditoris illud utrobi voluerit accipere; cogi tamen ad id non possit.

Atque in præfata termini susceptione non admittant aut scribant aliquam conditionem, reservationem, aut protestationem terminum petentis, sive suscipientis, sed tantùm simplicem debiti confessionem & obligationem de solvendo summam confessatam in fine termini, & non aliter.

Caveant Substituti quorumcunque Notariorum, ne post extensa decreta in citationibus in audientia lectis, audeant illa corrigere, delere in parte, vel in totum, interlineare, aut alio modo vitiare, sub prætextu erroris vel oblivionis, aut malæ eorum intelligentiæ in percipienda mente Judicis, nec quidem ad instantiam, & de consensu partium seu Procuratorum in causa comparentium; sed quoties aliquis error contigerit in extensione decretorum, teneantur ad Judicem redire, & novum decretum sub nova citatione legitimè executa reportare & extendere, sub pœna scutorum decem, à contravenientibus incurrenda pro qualibet vice, & nihilominus ipsa decreta, ut supra, vitiata nullius sint roboris vel momenti, & habeantur ac si interposita non fuissent.

Præterea Substituti omnes nequeant partibus tradere listas seu notulas emolumentorum Officii, nisi priùs fuerint visæ, recognitæ & subscriptæ à Notario principali; & si secus attentaverint, incurrant pœnam scutorum decem pro qualibet vice, aliasque arbitrio.

Notarii omnes tam Civiles, quàm Criminales tradere teneantur pauperibus gratis extractus, registra, Instrumenta etiam publica, copias & alias quascumque expeditiones & scripturas tam civiles, quàm criminales; & ostendere teneantur etiam gratis originalia Advocato & Procuratori dictorum pauperum; de quorum paupertate stetur arbitrio Judicis, & si contingat desuper Testes examinari, hoc examen gratis & summariè fiat, & ad formam decretorum in calce Concilii nostri Romani.

In causis, in quibus comparuerunt Procuratores legitimè constituti, vel in quibus ipsi Principales fecerunt in Actis specialem electionem domicilii, in quo citari velle declaraverint, non recipiantur citationes non executæ contra Procuratores, qui comparuerunt, vel in domicilio electo, quantumvis executæ fuerint contra ipsos Principales, vel in eorum domo aut in manibus domesticorum; volentes citationes hujusmodi & decreta super eis extensa non afficere, & proinde haberi, ac si non emanassent, ita ut possint impunè sperni; & ipsi Substituti notitiam habentes de Procuratore constituto, ac de domicilio electo, quatenus contravenerint, puniri valeant Judicis arbitrio, & omnia damna exindè causata reficere teneantur.

Quum irrepsisset à nonnullis annis intolerabilis abusus, ut Substituti aliique Juvenes Officiorum accedere nolint ad Judices Ordinarios, aut Deputatos, seu Commissarios, aliosque Romanæ Curiæ, & etiam Judices existentes intra Curiam Innocentianam pro legendis horis certis citationibus, aut decretis recipiendis, sive exhibendis scripturis, nisi aliquam summam excipiant pro viatico, idque etiam fieri solet in causis tenuis quantitatis & personarum miserabilium; hinc hujusmodi abusui providè occurrere intendentes, volumus atque mandamus, ne occasione aut prætextu dictorum viaticorum ulla summa prætendi valeat pro accessibus faciendis, ut supra, ad dictos Judices, & præsertim ad Judices & Officiales quoscumque degentes intra dictam Curiam Innocentianam, sub pœnis arbitrio Judicum executorum hujus Constitutionis.

Notarii itidem diligenter invigilent, ut prædicti Substituti & Juvenes promptè accedant toties quoties fuerint requisiti, juxta causarum exigentiam ad Judices & Officiales prædictos, sub præfatis pœnis.

De Extractibus, Registris, Exemplis, seu Copiis.

Quum ad removendos & extirpandos abusus, qui non sine gravi litigantium dispendio, Judicum incommodo, & expeditæ Justitiæ detrimento, irrepserant in confectione Extractuum & Registrorum in causis ordinariis & commissariis, visum fuerit opportunum in Visitatione habita de anno 1704. à præfato Cardinali Mariscotto jussu felicis recordationis Clementis XI. nostri Prædecessoris, abrogare stylum & formam in præteritum servatam in illorum confectione, cum inutilibus superfluitatibus & repetitionibus, eorumque loco subrogare Instrumenta Actorum, prout jacent, exemplandorum absque ulla terminorum extensione, taxatâ competenti mercede tam pro singulis Actis & citationibus, quàm pro registratura & exemplatione Jurium productorum & repetitorum; & nihilominus quum in ultima Visitatione de mandato nostro peracta à præfato Cardinali Petra compertum fuerit, de-

ANNO 1728.

creta antedictæ Visitationis non adhuc fuisse in hac parte exactè observata, quum in pluribus Extractibus & Registris permultæ superfluitates adinventæ fuerint, & plura ex illis reperta non bono ac legibili charactere exarata, ac insuper in registratura scripturarum servatam minimè fuisse legem præscriptam quoad numerum linearum & syllabarum; Hinc Nos providere cupientes cuicumque litigantium præjudicio & expeditiori Justitiæ administrationi, simulque congruum adhibere remedium, ne quicumque Notarii, Extractistæ, & alii, quibus incumbit ordinatio, confectio, seu extensio dictorum Extractuum ac Registrorum, audeant vel in minimo ab observantia præscriptarum ordinationum deflectere, statuimus & ordinamus, ac districtè præcipimus, ut inposterum prædicta Instrumenta Actorum loco Extractuum & Registrorum, fiant modo & formâ statutis & designatis in præfatis decretis Visitationis, habitæ de anno 1704. nempe ut Acta scribantur & exemplentur, prout jacent, absque ulla terminorum extensione, & resecatis omnibus & quibuscumque superfluitatibus, præsertim respicientibus expressionem facultatum Judicum Ordinariorum, quæ notissimæ sunt, deputationes Locumtenentium, repetitionem titulorum & dignitatum eorumdem Judicum, loci eorum Tribunalium, & similia, cæremonialia potius quàm substantialia Judicii.

Insuper declaramus, quòd in Registris & Extractibus causarum, in quibus per duos vel tres annos nihil factum fuit, non ponantur in reassumptione dictarum causarum mutatio anni vel mensis, indictio vacantiarum, creatio Pontificis, & similia ad substantiam causarum non conferentia; quòdque pro illis annis, in quibus intermissa remansit illarum prosecutio, nihil à Notariis exigi possit, sub titulo *Generalium*, seu *pro Generalibus*.

Hoc etiam exactè servari volumus, quòd singula folia in Extractibus aut Registris confectis coram quibuscumque Tribunalibus aut Judicibus contineant in qualibet illorum pagina, seu facie ad minus lineas viginti quatuor, & unaquæque linea ad minus syllabas duodecim; quòdque scribantur literis bonis, claris & intelligibilibus, atramento nigro & in charta bona ac solida, non infecta, aut maculata, nec bibula; alioquin liceat unicuique tam Judicum, quàm partium, vel Procuratorum litigantium folia aliter scripta lacerare; & nihilominùs si lacerati sint, sive non, debeant Notarii eorum sumptibus & expensis illa convenienter rescribi facere, aut si Judici & partibus, seu Procuratoribus magis placuerit, folia sic malè scripta taxentur pro medietate vel alia rata ad Judicis arbitrium.

Processus de partibus, etiam compilati vigore cujuscumque subdelegationis in Urbe factæ, itemque remissoriales, compulsoriæ, & alia, nullâ scripturæ habitâ ratione, sive sit longa, sive brevis, sive excedat, sive non excedat numerum foliorum viginti quatuor, & etiamsi non fuerint colligata in forma processus, per Notarios Rotæ non registrentur, neque in Registris aut Extractibus describantur, sed tantùm rubricentur, si rubricati non fuerint; & hæc rubricatio ab alio non fiat, quàm à Notario causæ; & pro hac rubricatione solvatur merces ipsius processus originalis tantùm, nisi quando scriptura dicti originalis in qualibet facie excederet lineas triginta, continentes in earum qualibet ultra syllabas decem & octo, quo casu excessus reguletur, & solvatur ad rationem linearum & syllabarum, ut supra: nec possint Notarii hanc rubricaturæ mercedem petere aut exigere, nisi processus verè & cum effectu fuerint ab eis benè rubricati. Quoad verò relationes Peritorum super redditione rationis, ac super alio facto à Judicibus deputatis, si in eis fuerint confectæ scripturæ, & jura simul producta & registrata in eadem causa, istæ scripturæ & jura amplius non registrentur, sed dumtaxat annotetur folium, in quo fuerunt aliàs registrata.

ANNO 1728.

Teneantur quoque Notarii gratis accommodare Procuratoribus causarum Extractus & Registra, nec quidquam vel minimum exigere audeant, vel prætextu arrhæ pro futuris Actis, vel styli, usus, consuetudinis, seu contrariæ observantiæ.

Neque exigant Notarii, quicumque illi sint, mercedem Extractus sive Registri, nisi illis completis, & quoad Acta facta usque ad diem petitæ confectionis Extractus seu Registri.

Inhærendo Reformationibus hactenus factis per nostros Prædecessores, & signanter felicis recordationis Clementem XI in decretis de ejus mandato editis die 22. Junii 1715. & ab eo approbatis, in quibus cautum fuit, ut *in causis, in quibus Judices delegati, & Urbis Tribunalia procedunt vigore unius dumtaxat Commissionis, non liceat eis exigere, nisi unicam tantùm propinam, juxta taxam in Reformatione Pauli V. editam, ac in literis Apostolicis Innocentii XI. & Innocentii XII. confirmatam, etiamsi in Commissionibus fuerint expressa & inclusa diversa credita seu bona, diversæ actiones, & diversæ personæ, ac etiam non obstante, quòd ad instantiam collitigantium, vel alterius ipsorum fuerint divisa, & disputata diversa dubia, separatæ prodierint decisiones, lataque separatæ sententiæ*; & quum sub cap. 3. ita fuerit dispositum: *In causis concursus creditorum non percipiatur, nisi unica propina, habito respectu ad totam summam, solvendam tamen proportionabiliter ab omnibus creditoribus per contributum*; volumus proinde atque mandamus, ut etiam in casibus præmissis nequeant Notarii nisi unicum tantùm conficere Registrum, ita ut omnia, ut supra, disposita respectu ad Judices inviolabiliter servari debeant per Notarios, qui unicum tantùm Registrum conficere possint, & pro uno solo Registro mercedem exigere valeant, & non ultra.

Quamvis in Reformatione Pauli V. nostri Prædecessoris edita Kal. Martii 1611. *in tit. de Auditorio Rotæ §. 5. sub num. 11. & 12.* dispositum fuerit, ut Auditor non pronunciet in causa nisi perfecto Registro, & illo ad Rotam delato, quòdque in ultima anni audientia, etiam Registro non perfecto, ex Actis originalibus pronunciare valeat, nihilominus prælaudata dispositio non solùm non fuit servata, quinimo & non sine animi nostri dolore audivimus, in Visitatione nuper peracta per eumdem dilectum nostrum filium Cardinalem Petram recognitum fuisse, innumeras expeditas fuisse causas nullis confectis Registris, etiamsi partes in expeditione earumdem causarum solitam mercedem promptè persolvissent, sub spe, ut ex post Registrum esset conficiendum; quod postmodum fuit neglectum in maximum damnum, & præjudicium litigantium, qui in prosecutione causarum ob Registrorum defectum, & scripturarum ex lapsu temporis deperditionem, ad ulteriora in eorum Jurium experimento procedere impediti remanserunt: Consulendo itaque litigantium, ac etiam Notariorum indemnitati, volumus atque mandamus, ut inposterum, postquam demandata fuerit in Rota expeditio causæ, ne ejus effectiva expeditio retardetur ex causa non confecti Registri, quod sæpe contingere solet, & præsertim in ultima audientia ante ferias generales, ob causaram multiplicitatem, ut procedatur ad expeditionem causarum, etiamsi Registrum non fuerit neque in totum, neque in parte confectum; cum hoc tamen, ut in actu expeditionis, pars illa, quæ ad expeditionem intendit,

loco

loco solvendi pecuniam animo, ut ex post conficiatur Registrum, exhibeat in Actis cedulam Sac. Montis Pietatis, vel Banci S. Spiritus, ad liberam dispositionem Procuratoris, qui expedire debet causam, vel ipsius Principalis, quatenus sit in Urbe, continentem quantitatem verisimiliter proportionatam mercedi Registri, de eaque fiat nota in libro Receptorum, ad hoc ut factâ expeditione Notarius sollicitus esse debeat in conficiendo Registro; quo expleto & prorsus terminato, ac à Procuratore causæ recognito, solvatur debita merces ipsius Registri juxta Taxam, vel in pecunia numerata cum restitutione ipsius cedulæ, vel per liberam ipsiusmet cedulæ giratam faciendam, completo tamen verè Registro; & in casu, quo Procurator giraverit præfatam cedulam Registro non completo, tunc teneatur Procurator propriis expensis ad curandam confectionem dicti Registri, aliàs ad omnia damna; & quatenus merces Registri non ascendat ad quantitatem contentam in cedula, debeat totum id, quod superest, per Notarium restitui; & è converso, si aliquid deficiat, ille, qui causam expedivit, teneatur supplere. Caveant Notarii post expeditam causam, quàm citò conficere Registrum, & saltem intra terminum duorum mensium, & non ultra; quo termino elapso licitum sit ipsos Notarios compellere ad perficiendum dictum Registrum, per recursum ad Executores hujus nostræ Constitutionis; quos monemus & in Domino hortamur, ut omni adhibitâ sollicitudine, eosdem Notarios per gravatorias, aliaque juris remedia cogere non desinant pro adimplemento, salvâ tamen facultate Nobis & Successoribus nostris pro tempore existentibus providendi quoad Registra, quæ ex negligentia Notariorum, tam modò adhuc exercentium, quàm & eorum Prædecessorum, non fuerunt hucusque confecta, prout Juris fuerit & expedire videbitur.

Si causa terminata fuerit per concordiam aut renunciationem legitimè factam, & Notarius fuerit judicialiter interpellatus à partibus, vel ab una ex illis, ne conficiat, vel prosequatur Registrum Actorum, nequeat à die executæ interpellationis hujusmodi (quam fieri posse volumus per Acta cujuscumque Notarii Urbis) Registrum facere aut prosequi, & si fuerit inchoatum, possit tantummodò prætendere mercedem registrationis illorum Actorum, quæ usque ad diem executæ interpellationis constiterit registrata fuisse; pro reliquis autem, si quæ imposterum registrata fuerint, nihil prætendere valeat, etiamsi in principio causæ vel aliàs quandocumque data fuerit arrha pro confectione Registri; declarando ulterius, ut renunciatio litis pendentis possit fieri per Acta cujuslibet Notarii, & coram quocumque Judice, ita tamen, ut pars, quæ renunciaverit, teneatur saltem infra quinque dies à die emissæ renunciationis, publicum documentum per Notarium, coram quo emissa fuerit renunciatio, subscriptum, exhibere in Actis Notarii, coram quo pendet causa, ad hoc, ut semper ex eisdem Actis deprehendatur, causam fuisse per renunciationem terminatam, solutâ Notario præfato pro adnotando in Broliardo antedicto documento, mercede debitâ, juxta quantitatem correspondentem foliis Registri ejusdem scripturæ exhibitæ.

Utque præmissa omnia & singula fideliter & exactè observentur, omnisque prorsus inposterum tollatur occasio Notariis, sese excusandi à mala confectione Extractuum & Registrorum sub prætextu incuriæ Scribarum vel aliorum ab eis præpositorum, volumus atque mandamus, ut completis modo, quò supra, Extractibus, sive Registris, aut Instrumentis Actorum, ipsi Notarii principales teneantur ea subscribere, & in eorum subscriptione testari, illa fuisse fideliter & exactè confecta & exarata juxta formam in hac Constitutione præscriptam, & Notarii tradentes hujusmodi Extractus sine dicta subscriptione & attestatione, amittant jus petendi mercedem eis debitam, & quatenus illam exegerint, restituere teneantur. Quòd si post earum subscriptionem & fidem, ut supra, faciendam, detegantur dd. Extractus seu Instrumenta Actorum confecta, non servatâ formâ superius expressâ, & in Constitutione sanctæ memoriæ Pauli V. ac Reformatione Cardinalis Mariscotti contentâ, Notarii, ultra amissionem mercedis, teneantur de proprio & eorum expensis ad iteratam illorum confectionem.

Licèt in Reformatione edita per Cardinalem Mariscottum provisum fuerit, sub Taxa facta pro Notariis Rotæ, quòd pro citatione ad terminos substantiales in Actis reproducta, percipere possit Notarius pro Registro scutum unum & Bononenos octuaginta; quia tamen excitata fuit prætensio totidem etiam exigendi pro casu, in quo pluries consimiles in eadem causa reproducantur citationes, volumus atque declaramus, quòd exactâ pro prima supradicta mercede, pro aliis quotquot erunt, exigere non valeant, nisi Bononenos sexaginta pro qualibet.

Rursus in eadem Reformatione sub eadem Taxa provisum fuit, ut pro citationibus coram Præfecto Signaturæ Justitiæ sive Gratiæ, & Auditore Papæ, pro tempore existentibus, ad videndum supersederi, & inhiberi, vel prorogari supersessoriam, aut capi quamcumque provisionem, solvantur Bononeni triginta; verùm quia per Notarios contenditur, pro omnibus aliis citationibus coram iisdem factis, præter individualiter expressas, majorem mercedem exigi posse, prout exigitur pro citationibus coram propriis Judicibus factis, pro submovenda hac controversia, etsi sufficienter explicata sub generalitate, sub iis verbis: *pro quacumque provisione*, in dicta Reformatione contentis, mandamus atque expressè declaramus, ut pro omnibus & quibuscumque aliis citationibus, quas coram præfatis Cardinalibus Præfectis & Auditore respectivè fieri contigerit, exigatur eadem quantitas Bononenorum triginta, & non ultra.

Quum ex incuria litigantium abusus irrepserit in causis Rotalibus deveniendi ad concordationem dubiorum coram Ponente, & multoties quoque ad discussionem dubii in plena Rota, non factâ prius transportatione Actorum, Registrorum, vel etiam Processuum de partibus, in illis causis, quæ ad Rotam à Judicibus de partibus devolvuntur, & ex hoc inordinato modo, ut plurimum impediatur expeditio causæ; idcircò ad reparandum hujusmodi abusum præcipimus atque mandamus, ne inposterum deveniri possit ad concordationem & respectivè subscriptionem dubiorum, nisi in citatione, quæ fit coram Ponente ad comparendum & concordandum de dubio, Notarius causæ, per ejus subscriptionem gratis faciendam, testetur fuisse in Actis productum seu repetitum Extractum, Processum, vel Registra, & sine dicta subscriptione Auditor nullatenus procedat ad concordiam dubii in Rota proponendi.

Volumus autem, circa alia in præsenti nostra Constitutione non expressa, exactè servari omnia disposita per felicis recordationis Paulum V. Prædecessorem nostrum super Reformatione Tribunalium §. 20. *tit. de Registris, Extractibus, Copiis, seu Exemplis*, nec non in Reformationibus sanctæ memoriæ Innocentii XI. & XII. atque Clementis XI. ac etiam dicta Reformatione ab eo approbata edita per Cardinalem Mariscottum.

Mandantes omnibus & singulis Judicibus quibuscumque, ac etiam Rotæ Auditoribus prædictis,

ANNO 1728.

fub indignationis noftræ pœna, ut pro præmiſſorum inviolabili obſervatione, in cauſis coram eis ad præſens pendentibus, & quæ inpoſterum pro tempore pendebunt, nulla aliter, quàm, ut præfertur, confecta Regiſtra & Extractus admittant & recipiant; imo illa tamquam in fraudem ac damnum partium litigantium confecta rejiciant, ſuoſque Notarios, ut Extractus & Regiſtra hujuſmodi juxta præmiſſa conficiant, cogant & compellant, atque, ut ita obſervent, diligenter curam adhibeant; nec non ultra obligationem confectionis Regiſtri, modo præſcripto per Notarios faciendi, ulterius inhibemus eis ſub quinquaginta ſcutorum, pro aliqua portione litigantibus arbitrio Executorum hujus noſtræ Conſtitutionis applicandorum, ac privationis & amiſſionis Notariatus per quemcumque contravenientem eo ipſo incurrendis pœnis, ne de cætero in cauſis, in quibus Notarii deputati fuerint, & ſcripſerint Regiſtra & Extractus aliter, quàm ut præfertur, omnibus ſemotis fraudibus conficere, aut ſolutionem pro iis petere vel recipere audeant ſeu præſumant, prout etiam ipſimet Scribæ Extractuum & Regiſtrorum, qui in illis ſcribendis præmiſſa omnia non ſervaverint, poſſint ab eiſdem Executoribus eorum arbitrio pœnis puniri.

Specialia pro Notariis Archivi.

QUum in Viſitatione Officii Archivi compertum fuerit, in maximum damnum & præjudicium litigantium neglectam fuiſſe confectionem Regiſtrorum in quamplurimis cauſis, etiamſi exacta fuerit in actu expeditionis earumdem cauſarum debita merces pro illorum confectione, ad proprium commodum Notariorum applicata; hinc pro reparando hujuſmodi præjudicio, cui fuit jam proviſum quoad omiſſa durante tempore præſentis Notarii, cum confectione Regiſtrorum deficientium, ex vigilantia dicti Cardinalis Viſitatoris, ne in futurum idem contingere occurrat, inhærendo jam diſpoſitis circa Tribunal Rotæ, pariter præcipimus atque mandamus, ut in actu expeditionum cauſarum, quatenus Regiſtrum non ſit undique completum, pars, quæ ad expeditionem devenire intendit, debeat ſimili modo deponere in manibus ejuſdem Notarii cedulam Montis Pietatis vel Banci S. Spiritus liberam & declarantem creditum illius, qui expeditioni incumbit, proportionatè ad quantitatem Regiſtri; & quatenus ex tenuitate ſummæ infra ſcuta decem cedula præfata haberi non poſſit, tunc depoſitum fiat in Banco Depoſitarii noſtræ Cameræ, & cedula ab eo reportata exhibeatur, ut ſupra, & de dicto depoſito fiat nota in libro Receptorum, ad hoc ut completo Regiſtro, illoque recognito, illa pars, quæ reſtituere vel reſpectivè ſupplere debet, ſuppleat vel reſtituat: quæ cedula exhibita ſubſcribi debeat à Procuratore, in cujus faciem eſt facta, recognito Regiſtro terminato & non antea, ſub pœna ſolutionis de proprio mercedis prædictæ pro Regiſtro; quam quidem regiſtrationem omninò perfici ac terminari volumus infra duos menſes à die expeditionis, & in ultima audientia poſt tres menſes; quibus terminis elapſis poſſit Notarius cogi ad adimplendum, prout diſpoſitum fuit circa Notarios Rotæ, eaque diſpoſita in omnibus reſpectivè ſervari hic volumus, reſervata pariter Nobis ac Succeſſoribus noſtris facultate providendi quoad Regiſtra à prædeceſſoribus Notariis non confecta.

Pro faciliori quoque commodo litigantium volumus atque mandamus, ut inpoſterum in libro, in quo regiſtrantur mandata, quæ expediuntur in Curia, fiat ſua diſtincta rubricella, cujus medio poſſit mandatum, quod requiritur, reperiri; & in libro Receptorum, in quo expeditio dicti mandati adnotatur, indicetur folium alterius libri, in quo, ut ſupra, fuit regiſtratum.

Quum ad noſtram notitiam devenerit, quòd dictus Notarius renuat admittere indicationes & repetitiones cum ſimplicibus copiis exhibitis Inſtrumentorum in Urbe rogatorum, nec non etiam & aliorum Jurium coram diverſis Notariis Urbis aliàs productorum in alia diverſa cauſa, & coram diverſo Judice, hinc conſulendo indemnitati litigantium, qui, ut plurimùm ex cauſa expenſarum perterriti, deſiſtunt à proſecutione cauſarum, volumus atque injungimus, ut præcedente ſolitâ citatione contra aliam partem, ad declarandum, an velit ſtare indicationi vel ſimplicibus copiis, iſtâ emiſſâ, non poſſit Notarius impedire, ut procedatur per indicationem ſeu repetitionem cum ſimplicibus copiis, ubi permiſſum fuerit.

Curet ad amuſſim Notarius ſervari taxas in expeditionibus, regiſtris, aliiſque actibus, cùm ad aures noſtras pervenerit, aliquando abuſus aliquos eveniſſe, & in caſu, quo aliquod gravamen inferatur, Curiales & partes omninò reclament ad Cardinalem Præfectum Signaturæ Juſtitiæ, qui cumulativè cum Congregatione Reformationis, ut ſupra, erit executor hujus Conſtitutionis in hoc Officio, imo volumus expreſſè teneri eundem Notarium pro quibuſcumque exceſſibus & culpis ratione emolumentorum indebitè exactorum.

Specialia pro Notariis Auditoribus Cameræ.

IN cauſis, quæ expediuntur per audientiam contradictarum & per edicta, obſervent Notarii & Subſtituti, etiam aliorum Tribunalium, in quibus viget idem ſtylus, ut extenſionem & ſubſcriptionem citationum & edictorum, aliorumque Actorum obtineant antè expeditionem mandati, ſeu prolationem ſententiæ, nec audeant dictam ſubſcriptionem obtinere poſt mandati expeditionem aut prolationem ſententiæ; & ſi ſecus attentaverint, tam Notarius, quàm Subſtitutus mulctentur in ſcutis decem pro qualibet cauſa ſeu judicio.

Citationes originales ſervari volumus in fileiis ſeparatis de menſe in menſen, prout diſtincti ac ſeparati ſunt Judices; & inpoſterum retineatur etiam filcia particularis pro inferendis citationibus originalibus coram Judicibus deputatis, coram Auditore Signaturæ, & coram Auditore noſtro; nec amplius citationes hujuſmodi inferantur, prout hactenus conſuetum fuit, in filcia citationum originalium factarum coram A. C. ipſamet; & hoc pro majori facilitate & comoditate litigantium in reperiendis citationibus.

Et quia compertum eſt, inoleviſſe abuſum concipiendi citationes ad dicendum contra jura, & ad ſententiam, conciſo modo cum clauſula: *In forma,* abſque ſpecificatione terminorum & clauſularum, quæ juxta laudabilem praxim extendi conſueverunt, Nos hujuſmodi pravum abuſum & licentiam tollere & refrænare volentes, ne pereat apud Juvenes Curiales ſcientia & uſus dictorum terminorum, tam laudabiliter à majoribus inductus, ſtatuimus atque ordinamus, ut inpoſterum Subſtituti cauſarum hujuſmodi conciſas citationes, & cum dicta clauſula: *In forma,* non recipiant, nec legant, aut in Actis inferant, ſed quatenus juxta conſuetum antiquum ſtylum & praxim illas extenſas non agnoverint, moneant ipſos reproducentes, ut easdam citationes debito modo extenſas reiterent, ſub pœna ab eiſdem Subſtitutis incurrenda unius ſcuti pro qualibet ex dictis abbreviatis citationibus, ab eis recepta. Non intendimus tamen, quòd in earum exemplatione facienda in manualibus,

ANNO 1728.

omnes dictæ clausulæ registrentur ab illorum amanuensibus, quibus tantùm permissum esse volumus, ut citationes ad dicendum contra jura, contra articulos, ad terminos substantiales, & ad sententiam concisè registrent, cum dicta clausula: *In forma.*

Præterea in lista causarum, quæ à Substitutis singulis diebus non feriatis cujuscumque hebdomadæ confici solet pro informationibus Judicum, servari omninò volumus reformationem Tribunalis A. C. editam per felicis recordationis Paulum V. 15. Kal. Septembris 1611, §. *Dictique Substituti*, in qua præcipuè cavetur, eosdem Substitutos teneri sigillatim describere causas, super quibus Procuratores informare desiderant absque ulla partialitate; quòdque pro hujusmodi descriptione aut admissione ad informandum Judices, sive pro describendis causis in prioribus numeris, aliquid prorsus, etiam à spontè dantibus, non recipiant. Hoc insuper addentes, quòd illæ causæ, super quibus non potuit in ipsa die informationis ob tarditatem horæ Judex informari, reponantur in prioribus numeris subsequentis listæ, nisi aliter aut Judici, aut ipsis partibus visum fuerit, sub pœnis arbitrio nostro.

Absolutiones à censuris à Substitutis non expediantur, nisi priùs facto verbo cum Judice, sub eisdem pœnis, innovantes dispositionem aliàs factam in Concilio nostro Romano nuper publicato; quòd nempe absolutiones committantur Ordinariis excommunicantibus cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos, debeantque commissiones præsentari Cancellario Ordinariorum; quibus diebus à præsentatione elapsis, si Ordinarius requisitus absolvere recusaverit vel neglexerit, absolvantur à Confessario juxta commissionis formam, quæ in præsenti servatur in dictis commissionibus absolutionum, ad formam & tenorem, ut supra, per Nos statutum in dicto Concilio Romano seu in ejus appendice, quod etiam servari volumus in Curia Cardinalis Vicarii Urbis.

Abstineant à monitoriis jactationis, & jactationum, aut aliis quibuscumque, quibus prima instantia à suis Ordinariis auferatur, exceptis casibus privilegiatis. Et in monitoriis specialibus in prima instantia, quoties permissa est illorum expeditio, sicut & in inhibitionibus vigore appellationum, quæ ab Auditore Cameræ conceduntur à sententiis de partibus, apponant clausulam, præter alias opportunas, in dictis monitoriis, nempe: *Dummodo judicium non sit cœptum in partibus*; ita ut si judicium coram aliquo Judice competenti sit cœptum, monitorium non afficiat.

Citationes camerales extra Urbem executas non recipiant, nisi reproductio fiat infra mensem ab illarum executione in partibus facta; & easdem citationes, quas juxta disposita in dicta reformatione post Concilium Romanum afficere non debere demandavimus, declaramus procedere, etiamsi dictæ citationes reproductæ fuissent.

Pro contradictis non recipiant, nisi quod verè solvitur Officio contradictarum.

Relationes Peritorum in eorum Actis exhibitas atque productas gratis accommodare teneantur, vel petentibus copiam tradere, receptâ dumtaxat mercede scripturæ; quæ scriptura non debeat excedere numerum foliorum ipsius peritiæ originalis.

Specialia pro Notariis Vicarii Urbis.

NOtarii Vicarii Urbis in concessionibus monitorialium in forma: *Significavit*, ad effectum habendi revelationes, servent omninò formam à Sacro Concilio Tridentino præscriptam: neque concedantur hujusmodi monitoriales, nisi materia summam ad minus scutorum quinquaginta attingat, & nunquam cum verbis ac in materiis objectivis, famam alicujus lædere valentibus, in quo Judices etiam animadvertant; sub pœna infligenda Notariis scutorum decem, quæ parti, cui inde læsio infertur, applicetur, aliisque pœnis etiam gravibus corporalibus ad arbitrium nostri Vicarii Urbis.

Curent Notarii ad formam quoque aliarum reformationum retinere librum specialem & separatum cum suo indice sive rubricella, in quo referantur revelationes in vim literarum monitorialium; nec non alium librum pro matrimoniis, itemque alium pro quibuscumque Ordinibus collatis, majoribus & minoribus, ac denique alium præcepta criminalia continentem, cum suis indicibus, eosque libros quolibet anno renovare, ac continuò servare in Officio. Et si aliquando opus fuerit illos recognosci à Superiore vel Judice, volumus, ut quæ supra de Notariis in genere præscripta sunt, omninò serventur.

Quoniam valdè expedit ad polygamiam evitandam, omnem adhiberi diligentiam in concedendis licentiis pro matrimoniis contrahendis aut expediendis literis testimonialibus super statu libero, cum aliàs præscriptum sit, sicuti servatur, ut in Officio retineatur liber, in quo describuntur depositiones eorum, qui testes adhibentur super libertate contrahentium; demandamus præfatas testium depositiones fieri juxta instructionem ad hoc emanatam à Tribunali Supremæ Inquisitionis; cujus exemplar in principio cujuscumque libri matrimoniorum, qui quolibet anno conflari debet, alligetur.

Deputetur à Notario Juvenis Substitutus, præ cæteris in praxi peritior, qui præfatas testium depositiones describat, nec alius in eo munere se ingerere audeat sub pœna ad arbitrium dicti Cardinalis Vicarii: ac jam dictus Substitutus hujusmodi testimoniorum descriptioni præfectus, nisi opus peregerit juxta formulam præfatæ instructionis Sancti Officii, subjiciatur pœnæ scutorum decem pro qualibet vice, effectu etiam poligamiæ non secuto: quod si usque ad duas vices transgressor, ut supra, extiterit, puniatur pœnâ expulsionis ab Officio, & inhabilitatis ad munus peragendum in quocumque alio Officio Cardinalis Vicarii & Curiarum Episcopalium; & si dolus intercesserit, remaneat subjectus inhabilitati in quocumque Officio & Curia Status Ecclesiastici, ultra alias pœnas de jure infligendas.

In præfatis depositionibus testium nullum nomen in albo relinquatur, sed omnia fideliter impleantur, extensis lineis in spatiis necessariò relinquendis, ac tam principalium contrahentium, quàm testium integrè de verbo ad verbum, prout ex eorum ore profluunt responsiones, interrogatoriis clarè iis factis, fideliter scribantur, sine ulla cassatione verborum: idque specialiter in his causis observetur diligentissimè, ultra præscripta in §. *De Notariis in genere*, sub pœna, ut supra.

Deputatus, qui subscribit licentias matrimoniorum, recognoscere diligenter teneatur, an examen debitâ formâ descriptum sit, & aliis requisitis præditum: quòd si deficere aliquid deprehenderit, illud laceret, ac aliud à Notario absque ulla solutione conficiendum curet. Si autem contingat, examine incœpto, testem rejici, nempe ob non adductam causam scientiæ, aut aliâ motivâ, in margine adnotetur manu ipsius Substituti, qui scribit, & cum subscriptione Deputati à Clero, examen præfatum effectu caruisse, ne temporis lapsu confusio inseratur, ob adinventum in libro examen imperfectum, vel propter spatia in albo relicta, ut compertum fuit.

Examen prædictum juxta morem coram Camerario Cleri Romani peragatur; qui subscribere

Anno 1728.

debeat sub unoquoque examine: *Interfui &c.* ac animadvertat dum subscribit, an forma superiùs descripta fuerit servata.

Deferant, sicuti servatur, requisita testium, aliorumque, pro dictis matrimoniis, Deputato hujus rei causâ à Cardinali Vicario, qui ea diligenter explorare debeat, an sint legitima & peracta juxta ea, quæ superiùs demandata sunt; & tandem licentias contrahendi, aut expediendi testimoniales super statu libero respectivè subscribat. Sed quia in libro speciali, in quolibet Officio retinendo, consuevit à partibus, quarum interest, ne aliquod matrimonium contrahatur, vel ne testimoniales super statu libero concedantur, apponi impedimentum, quod appellant: *Nihil transeat*; præcipimus Substituto pro dictis matrimoniis & statu libero, ut inprimis antequam aliquem peragat actum, diligenter inquirat, an hujusmodi impedimentum: *Nihil transeat*, appositum reperiatur, nam in hoc casu pars citanda est, priusquam aliqua licentia impartiatur: idemque Substitutus teneatur inter alia requisita exhibenda dicto Deputato, etiam suam attestationem juramento firmatam præbere, se in præfato libro nullum reperisse impedimentum pro matrimonio sive statu libero, de quo agitur, sine ulla impensa partium: ac animadvertat Substitutus, quòd si falsitatem desuper committat, se obnoxium fore pœnis corporalibus & inhabilitati ad arbitrium nostri Urbis Vicarii, & etiam pœnæ falsi. Declaramus autem, quòd dicti Notarii quoad matrimonia & status liberos, ultra prædictas nostras dispositiones, remaneant subjecti aliis dispositionibus factis & faciendis à nostro Vicario Urbis.

Quum licentiæ matrimoniorum contrahendorum partibus tradantur, quæ Parochis tribuuntur, nec earumdem aliquod Registrum retinetur, præcipimus, ut liber specialis cum indice fiat, ubi à Notariis præfatæ licentiæ, antequam tradantur partibus, compendiariè absque ulla solutione referantur, sub pœna scutorum decem pro quolibet Notario in iis deficiente.

In dispensationibus denunciationum & publicationum matrimoniorum servetur dispositio Sacri Concilii Tridentini: eæque ob causas à Cardinali Vicario, sive ejus Vicesgerente in certis casibus summâ maturitate perpendendas, tantùm concedantur.

Quum sæpe per alios Substitutos non extendantur decreta in citationibus in eadem die, quâ ea fiunt, etsi perpauca soleant esse, imò retineantur citationes diu absque extensione & registratione, exindeque gravia præjudicia partibus provenire possent; ideò mandamus, quòd extensio decretorum omninò fiat eadem die, ac sequenti die registratio in manuali citationum, sub pœna Substitutis scutorum quinque pro qualibet contraventione, & post tertiam vicem pœnam inhabilitatis negligentes incurrant in quibuscumque Officiis Notariorum Urbis.

Inter alios libros, qui confici debent in Officiis hujusmodi, ut supra, liber præsertim Præceptorum de non conversando cum indice seu rubricella compilatur & retinetur; in quo libro omnia præcepta super recensita describuntur. Quumque delicta potiùs crescant, & scandalum augeatur, quatenus his præceptis expeditis, vetita conversatio continuetur, idcircò ne ex Fisci vel partium incuriâ præceptorum hujusmodi observantia negligatur, districtè præcipimus, quòd sex saltem in anno deferre debeant prædicti Notarii in Congregatione Criminali nostri Vicarii, in diebus ab isto præfiniendis pro unoquoque Notario, præfatum librum Præceptorum, ut idem noster Vicarius numerum eorum recognoscat, & sui zelo super illorum observantia rationem exigat, secretas informationes inquirendo, vel aliter juxta juris formam providendo.

Anno 1728.

Itidem volumus & mandamus, quòd dicta Præcepta extendi in libro non debeant, nullamque vim obtineant, nisi subscripta sint à Judice, & sub Judicis subscriptione referri debeat executio, unà cum denunciatione ejusdem præcepti personis respectivè injuncti.

Liber verò hujusmodi Præceptorum à Notario principali Officii secretè custodiatur; nec ea, quæ in dictis præceptis continentur, cuipiam manifesta fiant, nisi Parochis respectivè, & partibus, de quarum interesse activè vel passivè agitur; nec unquam exemplentur, aut attestationes eorumdem præceptorum, absque speciali Judicis mandato in scriptis tradantur. Cautè rursus & matura consideratione præcepta hujusmodi de non conversando expediantur à Judicibus, qui præ oculis habeant præjudicia famæ, quæ sequi exinde possunt.

In Congregationibus pariter Criminalibus statutis diebus habendis, Notarii teneantur librum querelarum sive accusationum, in proprio Officio servandum, cum sua rubricella exhibere, ut causa & ratio exploretur à nostro Vicario, cur processus non fuerint facti, vel protrahantur, sive expeditiones inde non manarint, ut valeat injungere Ministris, quid in prædictis opportunum eidem visum fuerit: eaque librorum productio & perscrutatio in eadem Congregatione Criminali quolibet saltem quadrimestri fieri debeat.

Quia verò expedit, ut in hoc Tribunali nostri Vicarii causæ criminales tractentur & celeriter expediantur, ad quod conducere valde potest distinctio Officii criminalis ab Officio civili Notariorum: ad quem effectum bonæ memoriæ Nicolaus Cardinalis Caracciolus, olim Provicarius, præfixit mansionem separatam à dictis Officiis civilibus: quam separationem prætermissam reassumpsit dilectus filius noster Vicarius Cardinalis Marefuscus; nihilominus ut omnimoda fiat separatio hujusmodi criminalis Officii, cum deputatione Notarii criminalis, deputamus S. R. E. Cardinales Corradinum nostrum Prodatarium, Petram jam Curiarum Visitatorem, ac dictum Cardinalem Marefuscum nostrum Vicarium, ut auditis Notariis, methodum præfatæ separationis Nobis exhibeant intra terminum unius anni: interimque servari debeat provisionalis ordinatio facta, retinendi mansionem sejunctam pro rebus criminalibus, observatis iis, quæ dictus noster Vicarius statuerit aut statuet; curando præsertim, ut assistat in dicta mansione ob res criminales pro capite, vel unus ex Notariis ejusdem Curiæ, vel aliqua persona idonea moribus integra, ab ipsis Notariis seligenda, & à præfato nostro Vicario approbanda, ut consulatur, quantum fieri potest dicti Officii gubernio.

Taxa Innocentiana omninò in quolibet Officio & loco, ubi expeditiones fiunt, affixa sit, & religiosè servetur quoad expeditiones.

Specialia pro Secretariis Cameræ.

QUum autem in Visitatione peracta à præfato Cardinali Petra compertum fuerit, bannimenta, edicta, aliaque publica proclamata, quæ sæpissimè de mandato Cardinalis Camerarii, Thesaurarii Generalis, Cameræ Clericorum, intuitu eorum Officiorum, ac aliorum Cameralium publicantur, nullatenus asservari, prout decet, ad hoc ut perpetuò de illis constet, præcipimus propterea atque districtè mandamus, ut originalia ipsorum bannimentorum, edictorum, aliorumque proclamatum, quæ in futurum de mandato nostro, & nostrorum Successorum pro tempore, nec non ab aliis supra nominatis edi, publicari, ac fieri contigerit, subscripta ab eodem, cujus

mandato

mandato publicantur, & à Notario seu Secretario, qui in illis subscribere se debet, cum relatione Cursoris, qui ea publicaverit, conserventur in Officio ejusdem Notarii, ut supra, subscibentis, & in filcia speciali in pluteo seris clauso asserventur.

Prout quoque volumus, atque districtè injungimus, ut per eosdem Secretarios Cameræ retineatur liber particularis Sententiarum, in quo alligari debeant omnes sententiæ originales, à Judicibus Cameralibus quomodolibet proferendæ, & quas in dies proferri contigerit, cum insertione citationis ad sententiam; quique liber benè compactus ac suâ rubricellâ munitus cautè custodiatur.

Specialia pro Notariis Curiæ Capitolinæ.

IN Visitatione peracta in Officiis Curiæ Capitolii per præfatum Cardinalem Petram, quia repertum fuit in libris Testium deficere rubricellas, prout & quoque in alio, in quo registrantur mandata, non fuisse adnotatas dies, sub quibus mandata fuerunt expedita; idcircò injungimus atque mandamus, ut Notarii inposterum teneantur & ligati sint, in libro, in quo describuntur examina testium, benè prius cartulato, rubricellas distinctas conficere, nec non in registrandis mandatis apponere dies, sub quibus illa expediuntur, sub pœnis infligendis in casu contraventionis.

Quia pariter compertum fuit in nonnullis ex dictis Officiis adesse Protocolla, comprehendentia Instrumenta rogata in pluribus & diversis annis, inordinatè ac confusim in dictis Protocollis alligata, & quæ nullatenus unita fuerant ex incuria ac negligentia Notariorum in suis Protocollis, in quibus juxta temporum ordinem erant registranda; idcircò salvâ provisione jam captâ à memorato Cardinale quoad præterita interdicimus, atque expressè prohibemus ipsis Notariis, ne audeant seu præsumant, etiam sub prætextu, quòd à contrahentibus non fuerit soluta merces rogitus, seu emolumenta Archivi, vel quovis alio titulo vel colore, in futurum negligere inserere omnia & quæcumque Instrumenta, in eorum Officiis rogata, in suis Protocollis, suis congruis temporibus alliganda, sub pœnis scutorum decem pro qualibet omissione, & perpetuæ inhabilitationis, aliisque pœnis corporalibus arbitrio Executorum hujus nostræ Constitutionis. Idemque servari mandamus quoad Notarios cucumque Tribunalis, quatenus idem irrepserit abusus. Notarii autem prædicti non se ingerant in munere Procuratorum in audientiis & extra pro aliis, sub pœna scutorum decem pro qualibet contraventione.

Specialia pro Notario Agriculturæ.

MAndamus atque præcipimus, ut vota, quæ per Consultores in dies traduntur pro decisione causarum in Tribunali pendentium, & per Consules expediendarum, omnia originaliter alligentur in libro, pro hujusmodi effectu retinendo, cum decretis seu sententiis juxta antedicta vota proferendis seu prolatis, ac citationibus ad sententiam; ipsique libri benè compacti cum suis rubricellis distinctis asserventur.

Specialia pro Notario Consulatus Florentinorum.

QUum in decreto Congregationis particularis Reformationis edito tempore felicis recordationis Innocentii XII. Prædecessoris nostri, fuerint suppressi Judices peculiares, in Urbe tunc vigentes, inter quos Judices Consulatuum; reservata tamen extitit provisio facienda quoad interesse Notariorum. Sed deinceps nulla hac in re emanavit provisio, & adhuc Notarius Consulatus Florentinorum continuavit, nedum Instrumenta & Testamenta rogare, sed Acta quoque Judicialia conficere coram Judice aliquo Urbis sibi benè viso, per diversa Urbis Tribunalia vagando, prout animadversum extitit per præfatum Cardinalem Petram in Visitatione Officii ejusdem Notarii peracta; Quumque variatio Judicum ad arbitrium Notarii seu partium conveniens minimè sit, putamus omninò opportunum, ut cognosci debeat, an ea facultas conficiendi Acta judicialia remanere debeat, exercenda per Notarium antedictum, & in quibus causis, ac inter quas personas, & quatenus id ei competere justitia exposcat, coram quo peculiari Judice id permitti valeat, & demum quonam modo consuli possit interesse ejusdem Notarii. Quare deputamus nostrum Auditorem, Decanum Rotæ, nostri Urbis Vicarii Vicesgerentem, primum Locumtenentem A. C. in Civilibus, Signaturæ Justitiæ Auditorem, Commissarium Cameræ Apostolicæ, & primum Curiæ Capitolinæ Collateralem, qui in muneribus iisdem præfatam Congregationem ex tunc componebant, ut auditis Notariis Tribunalium Urbis, omnia præfata discutiant ac recognoscant, quidque super prædictis in futurum servandum, Nobis eorum voto exhibeant, ut Nos quid expediens fuerit valeamus decernere; idque intra sex menses à promulgatione præsentis Constitutionis fieri volumus; quo termino elapso idem Notarius abstineat omninò à conficiendis actibus Judicialibus coram quocumque Judice sub pœna scutorum centum & nullitatis eorumdem Actorum.

Specialia pro Notariis Criminalibus.

PRæcipimus atque mandamus omnibus quibusvis Notariis cujuscumque Tribunalis & Curiæ, quoquo modo causas criminales exercentibus, ne sub pœna suspensionis perpetuæ ab officio in quolibet Tribunali Urbis & Status, scutorum quinquaginta pro qualibet transgressione, restitutione dupli partibus, & pœnis corporalibus, arbitrio nostro, audeant, vel præsumant mercedes notulæ sententiæ, vel decreti, aut cassationis processus in relaxatione carceratorum, seu abolitione querelarum non carceratorum, etiam à sponte dantibus, nec ad minimum quidem accipere, nisi quando reus ipse, fabricato processu, & præcedente plena causæ cognitione & discussione, Fisco, & parte si aderit, citatis, in ipsa sententia vel decreto, vim definitivæ habente, fuerit à crimine, pro quo detinebatur vel querelebatur, definitivè, tanquam hactenus non repertus culpabilis, expressè absolutus.

Pro compositionibus verò neutiquam possint easdem notulas decretorum & cassationes accipere, nisi in causis & criminibus gravibus, & gravem pœnam merentibus, & in quibus intervenerit, non solùm causæ cognitio, quæ plena sit, sed etiam discussio & decreta definitiva Judicum subscripta fuerint.

Remissiones tamen gratiosas bannitorum & in contumaciam condemnatorum, nec non exilii & triremium pœnarum, de ordine nostro & pro tempore existentis Romani Pontificis excipimus, in quibus iidem Notarii notulas decretorum & cassationis processuum accipere licitè possint. In aliis autem quibuscumque casibus, in quibus non intererponitur decretum pro remissione pœnæ corporis afflictivæ, contenti esse debeant solâ mercede mandati de relaxando, si rei fuerint carcerati, & si non fuerint carcerati, pariter contenti sint mercede eadem, quæ, si carcerati fuissent, eis

Anno 1728.

deberetur pro dicto mandato de relaxando; reprobato quocumque abusu & contraria consuetudine, sub pœna restitutionis dupli, & aliis arbitrio.

Insuper sub eisdem pœnis arbitrariis gravibus omnibus Notariis prohibemus, ne per se vel alios, reos quoquo modo processatos, ad processus cassationem, aut cujuscumque sententiæ vel decreti absolutorii impetrationem vel postulationem, per citationem ad se repræsentandum, aut ad sententiam, vel aliâ qualibet viâ directè vel indirectè, aut quoquo modo cogere, inducere, aut invitare audeant vel præsumant.

Pro mandatis de excarcerendo, quibus à Judice adjectum est: *Gratis*; nulla merces prorsus à Notariis aut Substitutis recipiatur; & in iis in forma pauperum medietas mercedis solitæ tantùm recipiatur; ideoque nec mercedem percipiant, antequam à Judice fuerit subscriptum mandatum; & fortè receptam omninò restituant.

Nec pro copia judiciorum, quam effectualiter reo non dederint, quidquam percipere (nisi loco arrhæ) debeant; & quando reus ipsam copiam etiam inceptam habere noluerit, licèt arrham dederit, ab ipso non exigant, nisi pro rata copiæ confectæ.

Similiter alimenta carceratorum penes ea depositata, Notarii sine ulla retentione pro deposito vel alia qualibet diminutione carceratis integrè consignent.

Conficiant registrum sententiarum criminalium, & in eo transscribantur etiam citationes ad sententiam; dictumque registrum separatim retineatur à libro sententiarum originalium cum sua rubricella.

Expeditiones insuper, quæ fieri contingunt in causis criminalibus, adnotentur in libro Expeditionum criminalium, particulariter conficiendo & retinendo; neque commisceantur in libro Expeditionum civilium.

Habeant etiam Manuale citationum criminalium, distinctum & separatum à Manuali citationum civilium, cum suo indice seu rubricella.

Et itidem librum Receptorum, in quo indicare teneantur folia libri Expeditionum, & specificare distinctè summas receptas, & nomina, & cognomina solventium.

Pauperibus gratis dentur omnes scripturæ tam publicæ, quàm privatæ, seu illarum copiæ, & ostendantur etiam originalia pauperum Advocato & Procuratori similiter gratis, & absque ulla impensa; & si quando contigerit probandam esse paupertatem, testes similiter gratis, & summatim examinentur; & paupertatis declaratio remittitur arbitrio, & conscientiæ Judicis juxta supra deposita.

De Taxis servandis in Curiis Urbis.

Quum felicis recordationis Paulus V. noster Prædecessor in sua Constitutione, incipiente: *Universi*; edita *Kalendis Martii* 1611. mandaverit servari in Curiis Urbis Taxas ab eodem respectivè præscriptas, tam circa Instrumenta, quàm circa actus Judiciales, ipsasque Taxas affixas in Officiis Notariorum retineri jusserit; attamen in quibusdam Curiis in omnibus non servantur, sed exiguntur emolumenta juxta Taxam consuetudinariam, absque approbatione introductam, imò neque in scriptis redactam; nec non in expeditionibus, de quibus non fit mentio in Taxis Paulinis, exiguntur emolumenta ad beneplacitum taxata; præterea que in aliquibus Officiis retinentur affixæ Taxæ Paulinæ, sed cum aliis Taxis emolumenta exiguntur; idque cùm vergat in publicum præjudicium, & in non debitam executionem Apostolicarum provisionum; Nos extinguere volentes hujusmodi abusus, mandamus, quòd intra sex menses, à die publicationis præsentis Constitutionis, Superiores omnium & quorumcumque Tribunalium recognoscant, quas Taxas respectivè servent Notarii eorum Tribunalium, tam in civilibus, quàm in criminalibus, & in stipulationibus Instrumentorum ob prætensum usum; & si quid contra, vel præter non expressa in Taxis Paulinis exigatur, distinctam deinde nobis relationem faciant, cum exhibitione Taxarum, quæ in eorum respectivè Tribunalibus servantur, ad effectum ut dictas Taxas recognoscamus, & juxta nostri arbitrii modum eas approbationis munimine roboremus; aliàs dicto tempore elapso teneantur servare in eorum Tribunalibus Taxas Pauli V. nec ultra Notarii aliquid exigere pro quacumque expeditione audeant, prætextu cujusvis consuetudinis, sub pœna scutorum decem & aliis arbitrio executorum, etiam suspensionis ab officio pro quacumque transgressione.

De Cursoribus & Mandatariis.

Cursores & Mandatarii quicumque eorum officium fideliter & eâ, quâ decet, integritate, diligentiâ, peritiâ, & discretione exerceant.

Ad dicta officia non admittantur personæ suspectæ de falsitate, & qui nesciunt legere vel scribere Latinè, & non habeant intelligibilem characterem, neque infirmi non valentes ambulare propriis pedibus, vel senes excedentes annum sexagesimum: & si quis ex illis postea fuerit infirmitate detentus, ita ut nequeat per se ipsum munus obire, tunc in ejus locum nequeat alter succedere ad exercendum officium, nisi fuerit approbatus à Superiore Tribunalis.

Cursores solitam & debitam assistentiam irreprehensibiliter observent, Consistoria publica & secreta, nec non alias solemnitates & Divina Officia ac Congregationes intimari solitas, fideliter debito tempore de more intiment Cardinalibus & aliis, quibus tenentur.

Citationes & intimationes personales, vel ad domum, vel in valvis & locis publicis, tam Cursores, quàm Mandatarii pro eorum Officio & Curiis, quibus serviunt, fideliter & maturè exequantur, & executas referant, & contra proprias personas, non suppositas, vel falsas, aut non cognitas per eos, sub pœna amissionis Officii. Et quando personæ citandæ eis notæ non sunt, non assertione partis, sed duorum Testium depositioni de personis citandis veram notitiam habentium, stare debeant, aliàs executionem citationis facere, vel factam referre non debeant; & de personali apprehensione in ipsa relatione mentionem facere teneantur, exprimendo in ea: *Feci personaliter*; sub pœna suspensionis, & aliis corporalibus arbitrio Superioris Tribunalis, nec sub prætextu, quod citationes executi fuerint in manibus Juvenum cujuscumque Procuratoris in causa comparentis, vel in manibus Sollicitatorum, audeant fidem facere de executione peracta personæ Procuratoris, sub pœna falsi, aliisque, ut supra, arbitrio Superioris Tribunalis.

Sub eadem pœna nequeant Cursores vel Mandatarii citationes ab aliis Cursoribus vel Mandatariis executas subscribere, etiam quòd inter se citationes vel Urbis regiones distribuant, sed illemet Cursor vel Mandatarius, qui citationem est executus, in pede ejusdem debeat fidem & relationem facere executionis per eum factæ.

Præ cæteris curent & assiduò invigilent, quòd copiæ citationum exequendarum vel personaliter, vel domi dimissâ copiâ, aut in manibus domesticorum, sint omninò conscriptæ bono, & ab omnibus intelligibili charactere, sub pœna unius Julii pro qualibet copia citationis, malè & non intelligibiliter conscriptæ, judicio illius Judicis, coram quo citatio facta fuerit, & refectionis

damno-

damnorum parti, prout de jure, ac etiam sub pœna privationis exercitii, & inhabilitationis ad præfatas copias citationum exarandas.

Citationes, intimationes, & alia non exequantur prædicti Cursores, & Mandatarii personaliter post horam primam noctis, & quoad alias dimissâ copiâ post quintam noctis: Per Affixionem autem nonnisi de die, & tunc in relationibus exprimant fecisse de die, dimissâ copiâ affixâ in tali loco, & præcipuè caveant, quoad citationes domi dimissâ copiâ executas, earum copias bene inserere, & introducere in buxulis ad januas paratis, ita ut non compareant illarum extremitates extra foramen buxulæ, ne possint ab aliis extrahi, & per hanc rationem caveant etiam illas apponere in foramine clavis, aut seræ, sed in januis, in quibus non adsint buxulæ, teneantur per rimulas ipsius januæ taliter illas introducere, ut à transeuntibus extrahi nequeant, sub pœnis arbitrio Superioris Tribunalis. Si verò contigerit, ut aliquis eorum probetur fuisse in dolo, reponendo citationem in domo modo aliquo ut valeat extrahi è parte exteriori, ne notitia illius perveniat ad citatum, tunc hujusmodi delinquentes graviter puniantur pœnâ falsi, & triremium, ac remaneant inhabiles perpetuò ad hujusmodi munus, ultra pœnam reficiendi omnia damna in omnibus dictis casibus.

Quoad citationes, quæ Cursoribus, & Mandatariis consignantur exequendæ de licentia Judicis, apponentis in calce citationis originalis verba: *Poterit legi*: volentes occurrere malitiis eorum, qui ad expiscandas, & retardandas expeditiones mandatorum, seu decretorum, quandoque ausi fuerunt confingere dicta verba, & falsificare manum Judicis, districtè præcipimus dictis Cursoribus, & Mandatariis, ut omni cura invigilent in recognoscendo, an subscriptio dictarum citationum facta fuerit propria manu Judicis, vel potius falsò imitata.

Volumus insuper, atque mandamus, quòd citationes continentes licentiam Judicis pro illarum executione, cum dicta clausula: *Poterit legi*: Cursores nonnisi semel exequi possint, ita ut reiterare nequeant illarum executionem sub quovis prætextu, vel causa. Et nihilominus postquam semel exe utæ fuerint, non inhibeant, neque afficiant, nisi Judex novam citationem subscripserit cum appositione diei, in qua legi debeat.

Præterea volumus, atque præcipimus, ut in omnibus citationibus apponant à tergo nomen, & cognomen Procuratoris, vel Principalis in Curia cogniti, ad cujus instantiam executio dictarum citationum fieri debet, aliàs nec executio, nec reproductio earumdem citationum ullo modo valeat, & nihilominus ipsi Cursores teneantur gratis, & absque consueto emolumento iterum exequi dictas citationes, cum attergatione nominis.

Subscriptionem Judicis cum clausula: *Poterit legi*: contentam in citationibus exequendis, apponere teneantur Cursores, & Mandatarii etiam in exemplaribus, vulgo: *Copiette*: quæ dimittuntur in manibus, vel ad domos citatorum, sub pœnis arbitrio Superioris Tribunalis.

Pro emolumento autem dictis Cursoribus, & Mandatariis debito ratione eorum Officii, volumus exactè servari taxam statutam in Reformatione fel. rec. Pauli V. *tit. de Cursoribus, & Mandatariis*, quæ retineatur affixa in banco respectivè eorum, ita ut nil ultra exigere valeant, sub pœna suspensionis ab Officio, & restitutionis dupli.

Teneantur insuper Cursores omnes pro debito eorum Officii, singulis diebus juridicis præsentes esse in eorum banco, de mane saltem ad sonitum campanæ Collegii Romani, cum citationibus executis, & Curialibus restituendis, nec possint ab illo discedere, nisi prius facta restitutione omnium citationum dictis Curialibus, & litigantibus. Et similiter de sero teneantur præsentes esse in eodem banco ab hora vigesima secunda cum dimidia, & in eo assistere pro citationibus recipiendis, sub pœna scutorum decem monetæ, irremissibiliter incurrenda pro qualibet vice, in qua transgressores inventi fuerint. Bancus autem teneatur apertus à die 15. mensis Martii ad diem 15. Octobris, usque ad horam unam cum dimidia noctis, & à die 15. Octobris ad diem 15. Martii, usque ad secundam noctis, & non ultrà, ita ut statis horis prædictis illicò debeat claudi, & Cursores immediatè pergere ad citationes exequendas, sub eadem pœna.

In citationibus autem exequendis in diebus festis de licentia Superioris, caveant ne procedant ad illarum executionem, antequam dictam licentiam obtinuerint, & apponatur hora in relatione executionis, sub pœna scutorum decem pro qualibet vice.

Pro Typographia Camerali.

PRæcipimus, ut ea quæ pro diligenti scripturarum impressione, in Typographia Camerali facienda, constituta fuerunt, ad amussim serventur, & methodus temporibus elapsis præfixa, pro mercedis solutione juxta taxam inviolatè custodiatur, neque prætextu favoris impensi ad celeriorem, præ aliis, scripturarum impressionem, major summa exigatur, ne causarum patroni, sive ipsæmet partes majoris solutionis oneri subiiciantur, sed omnes scripturæ tempore opportuno, juxta causarum exigentiam, omnino typis dentur, quòd si tempus impressionis plurium scripturarum urgeat, tunc scripturæ, quæ prius imprimendæ fuerunt delatæ, primùm expediantur.

Quoniam verò ex temporis angustia ad usum revocari minimè potest provisio, ut scripturæ, quæ ad causarum defensionem coram omnibus Tribunalibus, & Judicibus Almæ Urbis, in Typographia Camerali (quæ privativâ gaudet) imprimuntur, ante impressionem à Sacri Palatii Magistro recognoscantur, quandoque evenit, præfatis typis impressas fuisse quasdam doctrinas, ac conclusiones erroneas, declaramus propterea scripturas præfatas in dicta Typographia absque Magistri Sacri Palatii recognitione, & licentia impressas, nullatenus opinionem in Curia Romana probatam facere, neque ex editione in nostra Urbe aliquod ipsis pondus adjungi, salvis exinde pœnis de jure infligendis contra scribentes, & typis mandantes scripturas, doctrinas non probatas continentes, juxta delicti modum, salvis quoque aliis provisionibus, ad præfatarum scripturarum suppressionem, sive proscriptionem opportunis.

Animadvertentes itidem quàm indecorum sit, ut Bullæ, Litteræ Apostolicæ in forma Brevis, Edicta, aliaque hujusmodi, quæ in Typographia Camerali imprimuntur, antequam publicentur, locisque consuetis affigantur, à Typographo, cæterisque Typographiæ ministris venditione, aut aliâ causâ distrahantur, ideò ad hanc temeritatem coercendam præcipimus, ne Impressores, Typographi, aliique mercenarii, & ministri audeant deinceps exemplaria hujusmodi, sive antea, sive post impressionem quomodocumque evulgare, distrahere, vendere, uni vel pluribus communicare, vel copiam describendi facere, sed diligenter, & secretè custodiant, donec juxta morem publicentur, locisque consuetis affigantur, committentes Thesaurario, ut adversus transgressores, etiam per inquisitionem procedat, eosque pœnis arbitrariis puniat, etiam facto cum Nobis verbo, ut in reos juxta transgressionis gravitatem animadvertere possimus.

Præcipimus ulterius, ne in Typographia Camerali scripturæ anonymæ imprimantur, scilicet auctoris subscriptione distitutæ, vel quæ nomen personale ipsius auctoris non habent manu propria expressum; Cum quo nomine auctoris omnes scripturæ omninò typis dentur, proindeqne nullatenus imprimantur scripturæ sub nomine generico, vel collegiali, nisi etiam expressum auctoris proprii nomen habeant; Si quis verò sub nomine alterius scripturas edendas subscripserit, & imprimi curaverit, pœnæ falsi., aliisque subjaceat. Nemo præterea nomen suum in scripturis imprimendum voce alteri accommodet, sed in hujusmodi casu teneatur autographum alterius scripturæ propria manu signare, ut typis mandari possit, quinimo animadvertat qui suum nomen alienis lucubrationibus apponendum permittit, ut eas, & summaria diligenter perpendat, ne ipse pœnis subiiciatur, quibus punienda esset auctoris temeritas, illas falsò, aut non debitè exponentis.

De Archivis.

SOllicitudinem nostram quoque dirigentes ad promovenda, & in melius dirigenda ea quæ tendunt ad extinguendas lites, & controversias, quæ in dies exoriuntur ob non satis exactam diligentiam in conservandis tam publicis, quàm privatis scripturis, ita ut hac de causa inter subditos nostros, aliosque ad Urbis Tribunalia confluentes, non sine animi nostri mœrore frequentes audiantur clamores, & plura damna, & incommoda illis irrogentur, propter illarum omnimodam jacturam, ac deperditionem, vel ob malam earum conservationem; Inhærendo itaque omnibus hucusque à nostris Prædecessoribus injunctis, atque demandatis super erectione Archivorum, ac conservatione scripturarum, omniaque confirmantes, atque approbantes, seriò injungimus, præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Notariis, Archivistis, aliisque etiam speciali nota dignis, quibus vel titulo oneroso, vel ex indulto, ac intuitu Officii injuncta reperitur cura Archivorum, ac scripturarum custodia, ut sedulò invigilent pro conservatione earumdem scripturarum, tam publicarum, quàm privatarum, quæ in ipsis Archivis reperiuntur, utque illæ retineantur in condecentibus mansionibus, humiditati non subjectis, & in quibus aeris ventilatio adsit, & etiam à tineolis immunes serventur, & quia parum prodest scripturas adesse, quoties ob earum confusionem de facili inveniri non possint, volumus pariter, atque mandamus, ut illas collocent sub debita distinctione, vel circa materias, vel tempora, & prout melius expedire videbitur, & cum congruis indicibus, & rubricellis, illas, quæ in indicibus, & rubricellis redigi possunt.

Quum autem inter publica Archiva, quæ in Urbe erecta reperiuntur, adsit Archivum positum in altero ex Palatiis lateralibus Capitolii, quod Archivum Capitolinum nuncupatur, diligentiâ, prudentiâ, ac studio bon. mem. Cardinalis Mariscotti, jam Visitatoris à san. mem. Clem. XI. nostro Prædecessore deputati, redactum in statu, ac forma, sub quibus modò extat, unà cum diligenti inventario omnium, & singulorum protocollorum, cæterarumque scripturarum in illo existentium, & quod reperitur sub custodia Collegii Notariorum Curiæ Capitolinæ, sub certis regulis, ac ordinationibus ab eo præscriptis, & contentis, atque registratis in publico Instrumento die 23. Junii 1705. rogato per acta Oddi ejusdem Curiæ Notarii, tunc Secretarii, volumus idcirco, atque præcipimus, ut idem Collegium, cæterique ad quos spectat observent, atque exequantur, ac respectivè inviolabiliter servari, & exequi mandent omnia injuncta, disposita, atque demandata per dictum Cardinalem Visitatorem, & in memoratis regulis contenta, quæ omnia approbamus, atque confirmamus, salvâ tamen infrascriptâ provisione, quam in futurum servari volumus.

Nam etsi in antecedentibus regulis, signanter in quarta, demandatum fuerit, ut Archivi Custodes mensarii, pro majori commodo Curialium, vel partium, quarum interest perquirere scripturas, teneantur idem Archivum apertum retinere in die Jovis cujuslibet hebdomadæ de mane, toto tempore quo durat Audientia in Aula Capitolii, quia tamen experientia docuit quamplures labi hebdomadas, dictâ destinatâ die occurrente, in quibus non adsunt Audientiæ, & hac de causa Archivum non aperiri, quod in maximum redundat damnum ipsorum interesse habentium, qui coguntur subministrare viatica pro accessu mensarii extra diem præscriptam, volumus proinde, atque in hac parte revocando, seu potius reformando jam ut supra disposita, mandamus, ut dicti Notarii mensarii teneantur quolibet die Jovis de mane, non obstante quòd dies non sit juridica, dummodo tamen non sit festum de præcepto, accedere ad Archivum, & illud apertum retinere ab hora, in qua solet campana Curiæ Capitolii pulsari, usque ad horam ante meridiem, & casu quo dies Jovis esset festivus, ut supra, debeat aperiri vel die præcedenti, vel subsequenti, & adhoc ut innotescat omnibus ad quos spectat, teneantur ipsi mensarii per quinque dies ante exponere publicè in janua ipsius Archivi, tabellam cum descriptione diei, in qua erit aperiendum Archivum, & consimilis notula erit retinenda in Officio eorumdem.

Quo verò ad Archivum Urbanum positum intra septa Palatii nostri Vaticani, quia ab aliquibus annis usus irrepsit, ut requirentes videre scripturas, ac Instrumenta in illo existentia, debeant qualibet vice perquirere Custodem, ut illuc mediante recognitione accedere debeat, consulendo omnium indemnitati, & adhoc ut facilius frequens haberi possit accessus ad dictum Archivum, volumus, atque præcipimus, ut semel in hebdomada, nempe die Sabbati, & si erit dies festivus de præcepto, die Jovis præcedentis de mane ab hora campanæ, quæ pulsari solet in Monte Citorio, usque ad horam ante meridiem, debeat Archivista, per se, vel mediante suo Substituto, pro quo tamen ipse rationem reddere teneatur, apertum retinere Archivum ad publicam commoditatem, exceptis tamen mensibus Julii, Augusti, Septembris, & Octobris, in quibus ob æstivos calores, ac ferias autumnales eos ab hoc onere eximimus.

Volumus tamen, ut post ingressum januæ ipsius Archivi, apponi debeant cancelli, cum quibus impediatur cuilibet ingressus in Archivum, & Archivista teneatur perquirere Instrumenta, seu alias scripturas, specialiter per requirentem individuandas, illaque, seu illas ei exhibere, ut possit legere, atque recognoscere coram ipso Archivista, absque eo quòd valeat extrahere, vel reportare copias, seu particulas, & pro quolibet Instrumento, seu scriptura ut supra exhibita possit Archivista pro sua mercede exigere Julium unum, sicuti practicatur in Archivo Capitolino.

Insuper quoad Instrumenta, quorum inspectio fieri potest in Officio Notarii, qui de Instrumentis perquirendis rogatus fuit, caveat Archivista illa ostendere, vel copias tradere.

Curent Notarii in actu, quo exhibent copias Instrumentorum in Archivo, illas proprio charactere subscribere, nec non & integras copias exhibere cum omnibus insertionibus, quæ in Instrumento originali continentur, nec valeat Archivista dictas copias recipere, nisi dictâ formâ servatâ.

Provi-

Provisiones variæ quoad Judices, & Curiales.

QUamvis Nobis ignota non sit Tribunalium, & respectivè Judicantium integritas, sapientia, & diligentia, quibus nostra Curia ornatur, & longè lateque splendet, nihilominus tamen de eo quod altiùs cordi nostro insidet, ipsos commonere non prætermittimus, nempe ut omni studio, omnique industria Judicantes contendant in expeditam Justitiæ administrationem, neve causæ, & lites præter necessitatem protrahantur cum gravi litigantium dispendio, & præjudicio, adeo ut pauperes, quibus inprimis prospicimus, de parvo censu, vel re litigantes, lugeant expensis absorptam causæ victoriam. Sicut igitur hæc animi nostri pastoralis, & paterna sollicitudo in primis Nos induxit ad destinationem Cardinalis Curiarum Visitatoris quolibet decennio, ut mentionem fecimus in prædicta nostra Constitutione *Summi Apostolatus*, ita quidem præ cæteris ordinationibus, reformationibus, & respectivè provisionibus, in his præsentibus comprehensis, Tribunalibus Collegialibus, singulisque Judicantibus in hac Urbe, qui justitiam contentiosam ministrant, injungimus, enixè ordinamus, & imponimus, ut ipsi toti sint in sollicita causarum expeditione, atque in dilationibus importunis moderandis, & respectivè tollendis, ad quem effectum seriò invigilent, ne litigantes, eorumque Procuratores tempus captantes, functiones, actusque tàm judiciales, quàm extrajudiciales absque necessitate multiplicent, animadvertant in eos, qui studiosè, & fraudulenter citationes, & intimationes faciunt, ac deinde non reproducunt vel reproductas cum debitis instantiis non prosequuntur, quæ studiosa, & malitiosa voluntas protrahendi litem, tempusque captandi, nedum præsumpta, sed probata habeatur, si non semel, sed bis, vel ter eamdem citationem, vel intimationem fecerint, & non reproduxerint, vel reproductam, ut supra, debitis instantiis prosequuti non fuerint, similiter judicantes suspectos hujus fraudulentæ causarum protractionis debitores, eorumque Procuratores, qui per diversa Tribunalia circumiverunt, & creditores huc illucque coram Judicibus distraxerunt, antequam causa alicubi firmari, & contestari posset, ut postquam fuerit Judicis firmata Jurisdictio, ipse incumbat sollicitæ expeditioni litis, & strictiùs procedat in dilationibus.

Ut verò Tribunalia Collegialia, & singuli Judices, qui lites contentiosas contestatas coram ipsis respectivè habent, expedite, & celeriter Justitiam ministrare possint, jam ipsi norunt arctam, quam habent necessitatem assistendi diebus, & horis solitis, & consuetis vel domi, vel in loco solito Informationibus, vel Audientiis, sed quod magis urget, antequam informationes audiant, causas instructas præcognoscere studeant, difficultatis motiva perspiciant, debitoque studio Justitiæ meritum assequantur, ut paucis hujusmodi judicialibus, sive extrajudicialibus actibus lites expediantur, neve super iisdem absque novo facti, vel juris motivo informationes, & instantiæ multiplicentur gravi cum dispendio litigantium, quod omnino vitari volumus. Moneant insuper Procuratores, si qui sint, multiplicantes scripturas, & informationes sive scripto, sive voce absque necessitate, vel extra causæ opportunitatem, sive etiam qui ad causæ expeditionem indebitè properantes, neque tempora opportuna servantes, actuum hujusmodi congeriem faciunt. Pauperibus quoque litigantibus consulentes Judices non sinant, ut Procuratores ad informandum super causa invicem provocantes, deinde absque informatione discedant, contenti communicatione scripturarum; quum jurium mutua communicatio privatim fieri possit, ut solet in Auditorio Rotæ, atque informationes in voce superfluæ sint super causa non instructa.

Ad causarum, & litium finem properantes Judices sedulò advertant, terminum dilatorium in Decretis laudabiliter esse stylo introductum, ut exceptiones quas promptas non habet reus citatus, intra tempus opportunum deducere possit; Propterea terminos hujusmodi dilatorios concedant cum circumspectione tùm ad Judicium intentatum, tùm ad actionem introductam, ac etiam ad creditum actoris, quòd si nulla conjectura sit possibilis exceptionis, moderando dilationes properent ad expeditionem causarum, quum nostræ Curiæ commendabilis stylus jam debitores securos fecerit, ne in reddendo quod debent à creditoribus suffocentur, mediante termino recipiendo unius mensis ad solvendum. Postquam verò debitores terminum hujusmodi ad solvendum, ut solet, susceperint, dilationes deinde nonnisi brevissimas ipsis debitoribus concedant in citationibus ad recipiendum pecuniam debitam, neque permittant, hujusmodi citationes ad recipiendum reiterari.

Super his omnibus, Tribunalium Collegialium, singulorumque Judicum integritatem spectantes, eorum conscientiam oneramus, Deo, & Nobis, nostrisque in Apostolica Sede Successoribus rationem reddituri, quatenus desuper, aliisque in casibus, causarum, & litium expeditioni sedulò non incumbant.

Quoniam verò ipsum caput honoris, decorisque Curiæ nostræ agitur, quum ad Procuratores, & Curiales in ipsa Curia versantes nostræ mentis aciem vertimus, licèt in ordine Curialium, & Procuratorum, sicuti semper effulserunt, adhuc præluceant nostris temporibus viri doctrinâ, atque integritate commendabiles, itaut ab hujusmodi seminario aliquando assumpti fuerint ad supremos Magistratus, atque ad Dignitates amplissimas, nihilominus tamen seriò meditantes in tanta multitudine, præsertim adolescentulorum, qui eidem Curiæ se se addicunt, aliquos malæ Indolis, & ingenii se intrudere posse, alios verò absque sufficienti doctrina, & praxi, qui non solùm sibi ipsis labem, & infamiam, temporis successu inferunt, sed in longinquas regiones alicujus ex ipsis malefactorum fama pervolante, sub nomine Curialium toti ordini quodammodo dedecus infligunt. Quapropter Curiæ nostræ decori consulentes, nihil utilius judicamus, quàm Curialium, & Procuratorum tàm in causis civilibus, quàm criminalibus delectum fieri, antequam in Tribunalibus, & coram singulis Judicibus ipsi admittantur. Innovantes igitur Constitutionem Pauli V. Prædecessoris nostri incipientis. *Universi Agri Dominici, Kalend. Martii Anno* 1611. super reformatione Tribunalium Almæ Urbis, & ejus Officialium, in primis Rotæ Decano sedulò commendamus observantiam, & executionem dispositionis contentæ in §. 18. ejusdem Constitutionis, nempè: *Non omnes passim, sed hi solùm ad procurandum in Rotæ Auditorio admittantur, qui doctrinæ, usus, & morum examen subierint, & per ipsius Rotæ Decanum, vel alium loco Decani arbitrio Rotæ deputandum, adhibitis duobus, vel tribus Procuratoribus ab ipso Collegio deputatis, super his universis approbati fuerint, unde si qui tales in præmissis idonei reperti non erunt, à Procuratoris Officio removeri volumus, ac pro dicto examine aliquid exigi, vel solvi debere expresse prohibemus*: Quæ cum in Rotæ Auditorio servari nostris temporibus prospiciamus, miramur

subsequentem dispositionem circa Procuratorum delectum in aliis Tribunalibus nostræ Urbis, ab usu recessisse. Quum igitur idem Paulus V. Prædecessor noster in Constitutione præfata disposuerit eodem §. 18. *In Tribunalibus Gubernatoris, Auditoris Cameræ, Vicarii, & Senatoris, Procuratores non admittantur, qui non sint prius approbati à Superioribus illius Tribunalis, & in libro particulari descripti*: saluberrimam hujusmodi dispositionem innovantes, atque extendentes etiam ad Tribunalia Signaturæ Justitiæ, nec non Cameræ nostræ Apostolicæ, & alia quæcumque Tribunalia Urbis, in quibus Justitia in causis contentiosis ministratur, cum infrascriptis declarationibus inposterum omninò servari præcipimus, & mandamus: ut nempe Procuratores, qui prævio examine doctrinæ, theoricæ, & practicæ, nec non morum in Rotæ Auditorio juxta dispositionem antedictam Pauli V. fuerint admissi, in cæteris Tribunalibus, absque alia approbatione, causas patrocinari valeant; dummodo tamen ex laudabili stylo, vel privilegio aliqua Tribunalia particulares Procuratores non habeant, vel non admittant nisi cum speciali deputatione; quibus stylo, vel privilegiis per præsentes nullatenus derogare intendimus. Procuratores verò, qui in Rotæ Auditorio non fuerint admissi & approbati, à quibuscumque Urbis Tribunalibus excludantur, & eliminentur, nisi fuerint specialiter approbati, & admissi in eo Tribunali, in quo causas agere, vel defendere volunt, ita ut in uno Tribunali approbati, in altero admissi nullatenus censeantur. Approbatio verò, & admissio hujusmodi in Tribunalibus Cameræ nostræ Apostolicæ, & Signaturæ Justitiæ, à Prælatis Decanis respectivè eorum Tribunalium fiat, in Tribunali Vicarii à Vicesgerente, in Tribunali Auditoris Cameræ ab ipsomet Auditore, in Tribunali Gubernii à Gubernatore Urbis, in Curia Capitolina à Senatore, & in aliis quibuscumque Tribunalibus, in quibus causæ contentiosæ aguntur, à Judicibus respectivè eorumdem Tribunalium. Ita verò approbari, & admitti volumus, & mandamus Procuratores in supradictis Tribunalibus, ut prævia extrajudiciali informatione circa mores, & theoricam legalem, ac praxim illius Tribunalis, in quo admittuntur (approbantium conscientiam strictè onerando) singuli approbati describantur in libro peculiari juxta prædictam dispositionem Pauli V. qui liber Procuratorum illius Tribunalis nuncupatus, publicè retineatur, & custodiatur respectivè in Officio alicujus proprii Tribunalis Notarii, atque ejusdem libri consimile exemplar retineatur apud eum, qui approbationem interposuit, omnia verò gratis fiant, absque eo quòd aliquid exigi à Procuratoribus possit. Districtè igitur injungimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque Tribunalibus, singulisque Judicibus, executionem hujusmodi saluberrimæ provisionis circa Curialium, sive Procuratorum delectum, & pro ejus omnimoda observantia præcipimus, ut in futurum non admittantur Procuratores apud acta, nisi ut supra approbati; approbatio verò, & admissio fiat quotiescumque, & quandocumque de debitis requisitis constiterit. Pro iis verò Procuratoribus, qui jam officium exercent, injungimus, ut intra terminum quindecim dierum à publicatione præsentium, Superiores, ad quos hujusmodi approbatio, & admissio spectat, notificationem publicam faciant, quòd exinde post terminum duorum mensium, in singulis respective Tribunalibus non admittantur Procuratores, qui non fuerint Rotales, vel particulariter approbati, respectivè, ut supra; prout Nos mandamus eos à Procuratoris Officio removeri, & respectivè non admitti, etiam cum consensu partium, qui intra dictum terminum non comparuerint, vel comparentes super præmissis, veluti idonei approbati non fuerint; quam exclusionem, & respectivè non admissionem non solùm exequatur Judex ex Officio, sed etiam ope exceptionis; Quæque deinceps una sit præ cæteris à partibus in Judicio contra Procuratorem allegan-da, & admittenda.

Procuratores verò idonei in Tribunalibus approbati, & admissi, ut in omnibus ad eorum munus spectantibus, Judicibus, vel Tribunalibus, coram quibus causas agunt, vel defendunt, rationem reddant, propria manu, & Charactere subscribant tàm scripturas, quàm summaria, & originalia eorum si typis impressa fuerint, quæ ipsis Judicantibus exhibent; Illi autem qui sine propria subscriptione in scripturis nomen suum apponi permittunt, sciant ab ipsis rationes, & pœnas fore exigendas, si in scripturis fuerit delictum deprehensum.

Tum in dicendo, cùm in scribendo Procuratores summam animi moderationem, & modestiam, ut decet, adhibeant. Si quid jure expostulandum, vel conquerendum adversus alteram ex partibus, ipsis contingat, potius modestè coram Judice conquerantur, quàm injurias, & contumelias reponant, ne speciem vindictæ referre videantur. In iisdem verò causis, personas tàm principales, quàm defensores criminari, eoque magis satyras voce, vel scripto componere, veluti grave delictum condignâ pœnâ, pro modo culpæ, puniatur ab ipsis Judicibus, vel Tribunalibus, coram quibus causæ aguntur.

Stylum respective Curiarum Procuratores sedulò observent, tàm in exhibendis, quàm in producendis, & communicandis juribus, & scripturis. Si qui verò clam, vel ex improviso, vel post tempus determinatum, scripturas Judicibus exhibuerint, ut dolosè partem alteram circumveniant, & veritatem obnubilent, & involvant, sicut etiam qui legalitatem in Officio Procuratoris non servant, sed Justitiam, & veritatem subvertere student, & nituntur, si unquam hujusmodi pestiferi homines in nostra Curia fuerint (quòd non credimus) pro modo culpæ gravibus pœnis omnino puniantur, ultra eas, quæ continentur in Constitutionibus Apostolicis. Quoniam verò expedit, ut qui in Officio delinquunt, ab Officio removeantur, omnibus, & singulis Tribunalibus, & Judicibus, etiam inferioribus, facultatem impartimus suspendendi ad tempus, vel perpetuò removendi ab Officio Procuratoris, & delendi eorum nomen à libro in quo sunt descripti, ex informata eorum conscientia, absque processu, & appellatione, sive recursu remoto, illos qui in eorum munere, dicto vel facto deliquerint; Sine præjudicio procedendi contra dictos culpabiles per Executores hujus nostræ Constitutionis, etiam ex Officio ad pœnas pecuniarias, & corporales, ac suspensionis quoque perpetuæ, non solùm in eo Tribunali, in quo ipsi deliquerint, sed etiam in omnibus, & quibuscumque aliis nostræ Urbis Tribunalibus.

Judices quoque criminales præcipuam diligentiam exhibere debeant in omnibus supra expressis, respectivè eos respicientibus, animadvertentes quàm maximum sit eorum onus adhibendi quascumque diligentias in examinandis, & expediendis causis, quæ pertingunt nedum bona, sed personas ipsas reorum. Curent propterea potissimùm erga pauperes sollicitè justitiam ministrare, ne in carceribus marcescant. Curent pariter ut à subalternis Ministris, & Notariis veritas non obliteretur, aut extorsiones pecuniarum committantur; Prout quoque intra carceres, præviis visitationibus cum omni charitate faciendis, inquisitis, & carceratis omninò consulant.

Cupien-

Cupientes Nos etiam, ut Camera nostra Apostolica, sive rei de criminibus inquisiti, aut Fisco adhærentes plus æquo non graventur in expensis Commissariorum, quos ad diversa loca mitti consuetum est, ad effectum processus de commissis delictis formandi, sequentia providè statuimus, & mandamus.

Ad instantiam querelantis non expediantur Commissarii sumptibus Cameræ Apostolicæ, nisi de illius impotentia summariè Judici constiterit, & tunc in subsidium tantùm, quatenus indicia defuerint, vel constito de indiciis, rei non fuerint solvabiles.

Post Commissariorum regressum promptè Judices inquirant, an congruum, vel superfluum tempus consumpserint in fabricandis processibus, & quatenus dilatè ipsos egisse agnoverint, superfluas resecent dietas, & quidquid pro illis perceptum fuerit, statim curent restitui.

Cum decerni contigerit exacta viatica esse restituenda, tunc Commissarius pro se, Notario, & familia teneatur omnia integrè restituere, experiendo postmodum jura sua contra eundem Notarium, & familiam, ut ratas partes ab eis repetat.

Ad hujusmodi autem effectivam restitutionem viaticorum teneantur Commissarii statim ac fuerint condemnati, omni appellatione, & recursu posthabitis; Et ad id cogantur iisdem modis, & formis, quibus ipsi ad illorum exactionem devenerunt.

Volumus tandem atque mandamus pro omnimoda Observantia hujus nostræ Constitutionis, quòd unusquisque Notarius Tribunalis, & Curiæ cujuscunque Urbis, Notarius Archivi Scriptorum, & Notarius Archivi Urbani retinere debeant perpetuò affixum exemplar hujus nostræ Constitutionis in eorum Officiis respectivè: Nec non affixum retineatur in Archivo Urbano apud Palatium nostrum Vaticanum, & in Archivo Notariorum Curiæ Capitolinæ in ædibus Capitolii existente, sub pœnis scutorum decem.

Decernimus autem, easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari nunquam posse; Sed illas semper perpetuò validas & efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri, atque ita per quoscunque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ Clericos, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, quavis aliter judicandi, vel interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus Apostolicis de non tolendo jure quæsito, & quorumvis Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum Locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, à Nobis, & Prædecessoribus nostris sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessis, ac in futurum concedendis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in suo robore aliàs permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earundem præsentium exemplaribus manu, & sigillo cujusvis publici Notarii, vel alterius Personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ institutionis, voluntatis, mandati, statuti, ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo octavo, 4. Kal. Maji; Pontificatus nostri Anno IV.

P. Card. Prodatarius.

P. Card. Oliverius.

VISA.

De Curia I. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitati Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo vigesimo octavo, Indictione sexta, die verò vigesima octava Mensis Aprilis; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini BENEDICTI *divinâ providentiâ Papæ* XIII. *anno quarto, supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis Locis solitis, & consuetis per me Franciscum Bartolottum SS. D. N. PP. Curs.*

Constitutio, quâ Passaviensis, aliàs Pataviensis, Episcopatus in Vindelicia, ex Archiepiscopatu Laureacensi originem ducens, ab omni jure Metropolitico & Legationis Apostolicæ Archiepiscopatus Salisburgensis eximitur, insignibus Archiepiscopalibus Pallii & Crucis præviæ ferendæ integratur, Sanctæque Sedi Apostolicæ nullo medio subjectus efficitur.

AD HÆC

Pataviensi Episcopo injungitur, ut Salisburgensem Archiepiscopum pro suo Metropolita, quoad Concilia provincialia tantum, sibi eligere debeat.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Summus Pont. fex jurgia & dissidia inter Pastores animarum evellit.

ARCANO divinæ providentiæ Consilio totius Ecclesiæ curæ, nullis meritorum nostrorum suffragiis, præpositi, in id pro nostri Apostolatus munere incumbimus, ut quæcunque litigia & controversias inter Dei ministros, præsertim pontificali dignitate fulgentes, quomodocunque olim exortas, & earum quoque occasiones, abditasque radices omni studio, quantum in Domino possumus, omninò evellamus, ne jurgiis & dissidiis gliscentibus, in sanctæ Ecclesiæ Pastoribus charitas refrigescat, & plebs Christiana, eorum custodiæ divinitus commendata, detrimentum patiatur, ac Dei cultus, quòd absit, imminutus appareat, quem amplificari, ut par est, summoperè optamus, & Ecclesiarum omnium, præcipuè verò insigniorum, majestatem ad Dei Gloriam

riam augeri, debitisque etiam honorificentiæ titulis & gratiis Apostolicis decorari.

II. Laureacensis Ecclesia in Norico ripensi multis privilegiis aucta, & Pataviam in Vindelicia translata.

Hæc sanè in memoriam Nobis reducunt Laureacensis, alias Lauriacensis, Ecclesiæ Metropoliticam Sedem in Norico ripensi à primis Ecclesiæ sæculis exstructam, & tanquam murum pro domo Israel adversus Christiani nominis hostes per sanctissimos Evangelii præcones fundatam, ac Martyrum quoque purpurâ ornatam, quam ex Cathedræ Sirmiensis in Pannonia extinctione haud parum subindè auctam, Antecessores nostri Romani Pontifices, priusquam illustrem civitatem barbari vastassent, & postquam etiam sacerdotale ejus fastigium Pataviam seu Passaviam in Vindelicia, Norico ipsi contermina, translatum, ibi novam Ecclesiam constituit, singularibus privilegiis beati Petri sibi amplius ornandam susceperunt. Etenim Symmachus Papa Theodoro Laureacensi more majorum Pallii Archiepiscopalis usum largitus, Sedem ejus non unius Norici ripensis, sed etiam Pannoniarum Matrem esse voluit: Quod postea in subsequentium Romanorum Pontificum piæ memoriæ Decessorum nostrorum, Eugenii II. Agapeti II. Leonis VII. & Benedicti VII. Apostolicis Literis ad Laureacenses Præsules scriptis memoratum occurrit: Qui quidem Agapetus Legationem suam eidem adjunxit; Benedictus verò inter utramque Ecclesiam, Salisburgensem nimirum & Laureacensem, limites constituit; Quamvis postea Laureacensis Ecclesiæ culmen Pataviæ consistens eò sæpe devenerit, ut varias & complures calamitates ac vices ob magnam quoque Salisburgensium Archiepiscoporum potentiam & auctoritatem, subire compertum fuerit, modo Archiepiscopi, modo etiam Episcopi elogio honestatum, ac veteri jure suo, insignibus, titulisque ac pristinæ Laureacensis Diœcesis amplitudine non parum imminutum.

III. Pataviensis Ecclesia à Salisburgensi Metropoli olim exempta, & Pallio Archiepiscopali decorata.

Non ideo tamen unquam Præsules Ecclesiæ Pataviensis, cui antiquæ Diœcesis Laureacensis maxima pars una cum ipsa civitate Laureaco etiamnum subest, veterem Pallii usum postliminio recuperandi, animum desponderunt. Imo Georgius Pataviensis Episcopus in Concilio Constantiensi à Balthassare Episcopo Cardinali Tusculano, tunc in sua Obedientia Johanne Papa XXIII. pro se suisque in Ecclesia Pataviensi Episcopis Successoribus, à quocunque jure metropolitico & Legationis Apostolicæ Archiepiscopi Salisburgensis omnimodam exemptionem obtinuit una cum usu Pallii. Hoc ex Johannis Literis ea de re conscriptis constat, quas felicis recordationis Decessor noster Martinus Papa V. Florentiæ confirmans, eidem Georgio rursus hujusmodi exemptionem & usum Pallii benignè concessit, ut in ejus Literis tunc promulgatis pleniùs continetur: Quæ postea Literæ ab eodem Martino V. Romæ constituto abrogatæ & revocatæ fuerunt; Ita tamen, ut idem Georgius toto vitæ suæ tempore unà cum sua Ecclesia & Diœcesi impetratis gauderet, nec sub eadem revocatione & Salisburgensis Metropolis subjectione ullo pacto comprehenderetur.

IV. Discordiæ inter Pataviensem Episcopum, & Salisburgensem Metropolitam exortæ.

Quare inter Georgii Episcopi Successores ex una, & Salisburgenses Archiepiscopos ex altera, partibus, nonnullæ discordiæ & controversiæ aliquando exortæ fuerunt, quæ postea in apertam litem inter bonæ memoriæ Johannem Philippum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, à Lamberg nuncupatum, Episcopum Pataviensem ex una, & Salisburgensem Archiepiscopum ex altera, partibus, eruperunt, Hæc porrò lis ad judicium Apostolicæ Sedis perlata, coram judicibus competentibus in nostri Palatii Apostolici causarum Auditorio, sive in particulari hac de re Congregatione per hanc Sedem Apostolicam deputata, vel in Congregatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, aliove Romanæ Ecclesiæ Tribunali, non sine ingenti utriusque partis dispendio acta est super omnimoda exemptione Ecclesiæ Pataviensis, ac super ejusdem restitutione in dignitatem Archiepiscopatus Laureacensis, superque jure metropolitico, quod in Ecclesiam Pataviensem Salisburgensis Archiepiscopus se habere contendebat.

V. Litem inter Pataviensem Episcopum & Salisburgensem Metropolitam, quam Innocentius XII. ulterius procedere vetuit, BENEDICTUS XIII. prorsus extinguit.

Quum verò lis ita, ut diximus, excitata atque introducta, à pluribus annis agitaretur, piæ memoriæ Antecessor noster Innocentius Papa XII. eam ulteriùs procedere vetuit; Unde hujusmodi controversia adhuc reperitur & pendet indecisa; Licèt pro Archiepiscopo Salisburgensi quædam Auditorum Palatii nostri Apostolici decisiones, sive sententiæ cujuspiam tenoris, vel alterius cujuscunque Romanæ Ecclesiæ Tribunalis aut Congregationis deputatæ, olim prodierint, Hinc nos dignam hujusmodi controversiam reputantes, quæ tandem inter animarum Pastores, quos Paulus Apostolus noluit esse litigiosos, perpetuò sopiatur, & Pataviensis Ecclesia ob veterem, celebremque originem suam magni facienda, tranquilla pace donata, in pristinam suam exemptionem, atque insignia restituatur, vel etiam denuò illustrata & postlimio antiquis suis privilegiis munita consurgat, paterno Apostolicæ caritatis instinctu hujusmodi pacem atque unitatem inter primarios illustrium Ecclesiarum Antistites confoveri impoiterum peroptantes, omnia & singula huc usque præmissa, tanquam verè Nobis exposita ac satis probata & ostensa, accipientes, ut carissimi etiam in Christo Filii nostri, Caroli, Hispaniarum Catholici, & Romanorum Regis illustris, atque Imperatoris electi, ferventibus votis obsecundemus, quæ per dilectum Filium nostrum Alvarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbyterum Cardinalem, Cienfuegos nuncupatum, apud Nos Ecclesiarum Germaniæ Comprotectorem, itentidem Nobis exposita innotuerunt, motu proprio, ex certa scientia & deliberata voluntate nostra, deque plenitudine Apostolicæ potestatis omnem hujusmodi litem & causam, à multis annis indecisam adhuc pendentem, & quamcunque aliam controversiam, de præmissis quomodolibet hactenus excitatam, sive excitandam, ad Nos Apostolica auctoritate avocantes, extinguimus & abolemus, atque ad Nos ipsos avocatam, extinctam & abolitam esse volumus & declaramus, ne amplius dicatur: *Unde bella & lites in vobis?* Qua in re Antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum exempla præ oculis habemus, qui diuturnas hujusmodi lites inter insignium Ecclesiarum Antistites olim exortas, & plurium Sæculorum spatio agitatas, sua auctoritate extinxerunt. Ita enim piæ memoriæ Antecessor noster Alexander Papa III. litigia inter Patriarchas Aquilejensem & Gradensem sua auctoritate ad finem perduxit; Ita felicis recordationis Antecessor quoque noster Innocentius Papa III. inter Turonensem Archiepiscopum & Dolensem in Britannia minori Antistitem lites & contentiones diremit. Ita denique similis memoriæ Nicolaus Papa V. jurgiis & quæstionibus inter Gradensem Patriarcham, & Olivolensem seu Castellanum tunc civitatis Venetiarum Episcopum, supremum finem imposuit.

1. Timoth. III. 3.

Jac. 1. 4.

VI. Episcopus Pataviensis à Metropoli & Legatione Salisburgensi eximitur, Pallii & Crucis

Nos igitur præeuntibus his exemplis instructi, ut omnis occasio quorumcunque dissidiorum & contentionum inter Salisburgensem Archiepiscopum & Pataviensem Episcopum, nunc & pro tempore perpetuis futuris temporibus è medio tollatur, interque utriusque Ecclesiæ Capitula & Canonicos, sacrosque Ministros & cæteros quoscunque, etiam speciali mentione dignos, in lite & causa prædictis

ANNO 1728.

præviæ ferendæ privilegio ornatur cum obligatione, Archiepiscopum Salisburgensem quoad Concilia Provincialia tantum, in suum Metropolitam sibi eligendi.

dictis rem habentes, seu quomodocunque se habere contendentes, perpetuum silentium auctoritate Apostolica imponimus, districtè præcipientes, & omninò inhibentes, ne deinceps iidem se invicem, vel quisquam illorum alterutrum vexare, perturbare & molestare audeat sive præsumat sub pœnis nostro & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium arbitrio infligendis; Idque perpetuis futuris temporibus ab utraque parte debere observari volumus & sancimus. Præterea ob eximiam præstantiam, quâ Sedes Episcopalis Pataviensis, aliàs Archiepiscopalis, Laureacensis olim fuit honestata, super his maturâ & seriâ animi nostri cogitatione excitati, ad ejusdem Ecclesiæ honorificentiam & dignitatem Pontificalem magis augendam, atque intuitu meritorum erga Nos & Apostolicam Sedem Venerabilis Fratris nostri Josephi Dominici Pataviensis Episcopi, sanctiori disciplina & domus Dei zelo præcipuè commendandi, eundem Josephum Dominicum, atque ejus legitimos Successores Ecclesiæ Passaviensis Episcopos pro tempore existentes, qui inter Germanici Imperii Principes non infimum locum habent, tenore præsentium in jus Pallii de corpore beati Petri sumendi, statisque diebus & locis adhibendi, & Crucis præviæ ferendæ, quibus olim Archiepiscopi Laureacenses & Patavienses Episcopi potiti fuerunt, in perpetuum Apostolica auctoritate integramus & restituimus, sive Archiepiscopalia insignia, Pallium & Crucem eidem Josepho Dominico Episcopo, ejusque Successoribus denuò in perpetuum concedimus, atque indulgemus, ita ut idem Josephus Dominicus Episcopus & ejus Successores Archiepiscopalium hujusmodi insignium ornatu & plenitudine liberè & licitè uti possint & valeant eo modo, quo Ticinensis & Lucensis Ecclesiarum Antistites uti consueverunt. Ad hæc eundem Josephum Dominicum Episcopum, ejusque Successores & Ecclesiam Pataviensem, Capitulum & Canonicos, totamque ejus Diœcesim, Clerum & Populum & quascunque Prælaturas, Dignitates, Personatus & Officia ac Beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, Sæcularia & Regularia quorumvis Ordinum in Civitate & Diœcesi Pataviensi instituta, vel imposterum canonicè instituenda, quibuscunque nominibus censeantur, unà cum omnibus eorum juribus & pertinentiis, bonisque mobilibus & immobilibus, quæ nunc possident, & deinceps, favente Domino, possidebunt, & acquirere poterunt, ab omni & quacunque subjectione, jurisdictione, superioritate, dominio, potestate & Metropolitico jure Ecclesiæ Salisburgensis, ac illius Archiepiscopi & Successorum quorumcunque, nec non à jure Legationis Apostolicæ in Provincia Salisburgensi tenore præsentium eximimus, subtrahimus & liberamus, perpetuisque futuris temporibus undequaque eximi, subtrahi ac liberari volumus; Eundemque Josephum Dominicum Episcopum, illiusque Ecclesiam Pataviensem, Capitulum & Canonicos, Clerum & Populum, nec non quascunque Personas ac Beneficia prædicta, totamque ejus Diœcesim Pataviensem in jus & proprietatem Sedis Apostolicæ, & sub ejus & nostra speciali & immediata protectione suscipimus, Nobisque & Romanis Pontificibus Successoribus nostris, nullo medio, in perpetuum subesse decernimus atque statuimus. Volumus tamen & expresse præcipimus & mandamus, ut eidem Episcopo Pataviensi onus incumbat eligendi Archiepiscopum Salisburgensem pro suo Metropolitano ad Concilii Tridentini, atque etiam ultimi nostri Romani tenorem, cum obligatione conveniendi ad Concilia Provincialia tantùm, ab eodem Archiepiscopo indicenda, Quæ quidem electio Metropolitani Salisburgensis eundem Pataviensem Episcopum ejusque Successores afficere & obligare omninò intelligatur, ita ut ille vel illi nullum alium, nisi Salisburgensem Archiepiscopum eligere valeant, & ad Concilium Provinciale prædictum accedere omninò teneantur.

VII. Pataviensis Episcopus atque ejus Successores harum Literarum concessione perpetuò fruantur.

His ergo stabilitis atque hac nostra Constitutione firmatis, decernimus, Pataviensem Episcopum, & quoscunque ejus Successores, ad Pataviensis Ecclesiæ Cathedram imposterum provehendos, in his, quæ præsentibus nostris decernuntur, per nullum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, aliasve Personas, quacunque alia auctoritate, dignitate & præeminentia fulgentes, quovis prætextu, colore vel ingenio publicè vel occultè, directè vel indirectè, ullo pacto impediri, turbari, molestari vel inquietari unquam posse aut debere; Præsentesque semper & perpetuò validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere debere; Atque ab omnibus & singulis, ad quos nunc spectat, atque imposterum spectabit, eas firmiter & inviolabiliter observandas esse, & nullo unquam tempore ex quocunque capite, vel causa, quantumvis legitima & juridica, etiam propterea quod Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Salisburgensis, sive alii cujuscunque dignitatis, gradus, conditionis & præeminentiæ habeantur, in præmissis & circa ea, quomodolibet quavis ex causa, ratione, actione vel occasione, jus & rem habentes vel habere se prætendentes, præmissis non consenserint, neque ad ea vocati, citati & auditi fuerint, nec eis consensum ullo modo præstiterint; Imò fortasse illis contradicentibus, causæ, propter quas præsentes prodierunt, adductæ, ostensæ & probatæ non fuerint; De subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis sive invaliditatis, aut intentionis nostræ, vel quolibet alio quantumvis magno & substantiali, excogitato, inexcogitabili, & specificam atque individuam mentionem requirente defectu, sive etiam ex eo, quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates & quævis alia servanda atque adimplenda, servata & adimpleta non essent vel fuerint, aut ex quocunque alio capite, à jure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu quocunque alio colore, prætextu, ratione vel causa, etiam in Corpore Juris expressa, occasione, aliave quacunque causa, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut propterea quòd de voluntate nostra, cæterisque superiùs expressis nullibi appareret, sive aliàs probari non posset, notari, invalidari, retractari, inque jus vel controversiam vocari, sive ad terminos juris reduci, vel contra illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam & terminos juris, aut aliud quodcunque juris, facti, gratiæ vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu pari concesso, aut impetrato vel promulgato, uti, aut se juvare in judicio vel extra posse; Atque ipsas præsentes sub quibuscunque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos ipsos & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, prædictamque Apostolicam Sedem, etiam motu pari & consistorialiter ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum tenoribus & formis, & cum quibuscunque Clausulis & Decretis, etiamsi de eisdem præsentibus, earumque toto tenore & data specialis mentio fieret, pro tempore factis & faciendis, concessis, & concedendis, minimè comprehendi.

VIII. Hæ Literæ in pristino suo robore semper consistant.

Sed eas, tanquam ad majorem divini cultus amplificationem & Ecclesiarum tranquillitatem & pacem à Nobis editas, semper & omninò excipiendas, & quotiescunque emanabunt, toties in pristinum & validissimum, atque eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & ple-

nariè

nariè integratas esse decernimus: Ac denuo, etiam sub quacunque posteriori data à Pataviensi Episcopo nunc, & pro tempore existente, & quandocunque eligendo, concessas esse & fore; Sicque & non aliàs per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, & alios quoscunque, quâvis auctoritate, potestate, prærogativâ & privilegio, honore & præeminentiâ fulgentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate atque auctoritate, in quocunque judicio atque instantia judicari & definiri debere; Et quidquid secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus nostra & Cancellariæ Apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac etiam in universalibus, provincialibus & synodalibus Conciliis, editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non Salisburgensis & Pataviensis Ecclesiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis & Literis Apostolicis eis, & earum cuilibet, nec non illarum, & cuilibet earum Archiepiscopo & Episcopo ac Capitulo & Canonicis, aliisque Superioribus & Personis sub quibuscunque verborum tenoribus & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis atque insolitis clausulis, irritantibusque, atque aliis decretis in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium præmissorum quomodocunque concessis, confirmatis & innovatis.

IX. Derogatio quibuscunque aliis statutis.

Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quælibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; Illorum omnium & singulorum tenores, formas, causas & occasiones, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, insertis, servatis & specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum motu ac potestatis plenitudine prædictis specialiter expresse & plenissimè derogamus, & derogatum esse volumus & mandamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

X. Nemo has Literas infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, absolutionis, litis extinctionis, avocationis, silentii impositionis, restitutionis, integrationis, novæ concessionis, indulti, exemptionis, decreti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXVIII. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno quarto.

P. Cardinals Prodatarius.
F. Cardinalis Oliverius.

V I S A

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.
Lucas Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

XLV. Constitutio, quâ statuitur ac declaratur eis, qui post Vota simplicia, ante tamen solemnem Professionem à Societate JESU ab ejusdem Præposito Generali, juxta facultatem sibi à Sede Apostolica concessam, dimittuntur, nulla ab eadem Societate deberi alimenta, aut congruam substentationem, licèt dum in ea viverent, titulo religiosæ paupertatis, ad sacros etiam Presbyteratûs Ordines promoti fuerint.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INJUNCTI Nobis divinitùs Pastoralis Officii ratio postulat, ut in his Apostolicæ nostræ solicitudinis partes libenter interponamus, per quæ Religiosorum Virorum in Vinea Domini excolenda strenuè laborantium, propriæque, & alienæ animarum saluti jugiter incumbentium quieti, atque tranquillitati opportunè consulitur. Cùm itaque, sicut accepimus, Societatem Jesu multoties antehac molestari, ac in judicium trahi contigerit ab eis, qui post exactum probationis biennnium, ac vota simplicia in eadem Societate emissa, ante tamen solemnem professionem, per illius Præpositum Generalem justis, ac rationalibus de causis juxta facultates sibi à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris attributas ex ipsa Societate dimittebantur, alimenta scilicet, seu congruam substentationem sibi à dicta Societate deberi, & consequi prætendentes, propterea quòd, dum in illa degebant, ad Sacros Ordines absque Beneficio Ecclesiastico, & Patrimonio, sed religiosæ paupertatis titulo promoti fuissent; Licèt autem satis perspectum, exploratumque sit, æqui bonique rationi nusquam consentaneum esse, quòd Societas præfata, quæ in illis amandandis jure suo utitur, alimenta, seu substentationem hujusmodi suppeditandi oneri obnoxia remaneat, minusque, quòd ipsi ex sua culpa, quæ dimissioni causam præbet, utilitatem, & commodum reportent, atque ita pluries à Congregatione pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum re accuratè discussâ decretum, ac resolutum fuerit; Nihilominus facilè evenire possit, similes quæstiones inposterum quoque, non sine prædictæ Societatis perturbatione, ac dispendio moveri, seu instaurari, nisi ejus aditus præcludatur. Hinc est, quod Nos eandem Societatem Jesu, quam ob singularia sua in hanc Sanctam Sedem merita, peculiari Apostolicæ dilectionis prosequimur affectu, à quacunque lite, & molestia, quæ exinde deinceps oriri posset eximere, ac omnem desuper controversiæ occasionem submovere cupientes, ipsamque Societatem specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione statuimus, ac declaramus memoratam Societatem Jesu non teneri, nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruæ substentationis, sive alimentorum, sive alio quocunque titulo, & causa illis faciendam, qui post biennium probationis, & emissionis Votorum simplicium, extra dictam Societatem à suis Superioribus ejiciuntur, tametsi dum in ea permanebant, ad Sacros etiam Præsbyteratus Ordines sine Beneficio Ecclesiastico, ac Patrimonio, & ad titulum religiosæ paupertatis promoti fuerint; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non, quatenùs opus sit, prædictæ Societatis, illiusque

Colle-

Collegiorum & Domorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsensentibus pro plenè & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium Literarum transsumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, seu alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S.Petrum sub Annulo Piscatoris die 14. Junii MDCCXXVIII. Pontificatus nostri Anno quinto.

F. Card. Oliverius.

XLVI. Constitutio de beata Margarita à Cortona in Tuscia, Sorore tertii Ordinis Minorum, Sanctarum mulierum canoni adscripta die 16. Maji A. D. 1728.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Mariæ Magdalenæ pœnitentia summè laudata.

SAnctitate & doctrinâ admirandus & verè magnus Antecessor noster Gregorius, Romanus Pontifex, Mariæ Magdalenæ pœnitentiam recogitans, flendum magis, quàm dicendum existimavit, ratus, hujus peccatricis lacrymas vel saxea pectora ad exemplum pœnitendi emollire posse; quippe quæ consideravit quid fecit, noluitque moderari quid faceret. Super convivantes ultrò ad Jesum accessit, non jussa venit, lacrymasque inter epulas obtulit, ut omnes discerent, quo dolore arderet, quæ flere & inter epulas posset. Marcus Evangelista ex ea septem dæmonia, quibus universa vitia designarentur, ejecta fuisse testatur. Quia vero turpitudinis suæ maculas adspexit, ad fontem misericordiæ lavanda cucurrit, nec convivantes erubuit. Quum enim semetipsam intus graviter erubesceret, nihil quod foris verecundaretur, esse putavit. Gregorius ergo Mariam venientem & Christum Dominum suscipientem miratus est, quod eam per misericordiam ille intus traxisset, qui foris per mansuetudinem suscipere non fuit dedignatus.

II. Sancta Margarita Cortonensis cum Sancta Maria Magdalena collata.

Hæc Nos animo revolventes, beatæ Margaritæ à Cortona, quam modò solemni Ecclesiæ Romanæ cæremoniâ, sanctarum mulierum canoni adscripsimus, æquè ac Evangelicæ illius Magdalenæ vitam, sibi invicem respondere animadvertimus, ut in utraque naturam humanam primi peccati labe corruptam, novisque culpis fœdatam intueamur; in utraque divinæ gratiæ prodigia veneremur, quæ Margaritam æquè ac Magdalenam cum lacrymis ad pedes Redemptoris nostri perduxit: quas quidem lacrymas ille utrique intus infudit, qui utramque foris benignè complexus est. Etenim Margaritam quoque per compunctionis spiritum is dono lacrymarum instruxit, qui eam exterius ad veniam sub venerando tertii Ordinis Minorum instituto postea suscepit. Hæc verò peccatrix, quæ ad Deum confugiens & plorans, nos fideliter exprimit, si, ejus pœnitentiam imitantes, ad Dominum post peccata cum lacrymis redeamus, hoc loco postulat, ut de priori vita, deque posteriori ejus sanctitate ad Christifidelium institutionem & solatium aliqua referamus.

III. Margaritæ ortus, vita peccatrix, conversio & pœnitentia.

Margarita, quæ Cortonensis, à loco dormitionis, vulgò appellatur, Laviani oppidulo Diœcesis Clusinæ in Tuscia ortum habuit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo. Primis adolescentiæ suæ annis mundi voluptatibus capta, in Montis Politiani civitate peccatrix vanam & lubricam vitam duxit, longo perditi juvenis contubernio turpiter usa, filiumque suscepit, qui postea sanctè educatus, Minorum regulæ se addixit æquè ac mater, quæ tandem ex vita malè anteacta intimo animi dolore confixa & pœnitens, ad Dominum conversa est. Quum enim impurum amasium ab hostibus fœdè transfossum, & diu ab se frustra expectatum, indicio canis in fovea sub strue lignorum tumulatum fortuitò reperisset, illicò facta est manus Domini super eam, quæ magno culparum suarum mœrore tacta, exiit foras & flevit amarè. Itaque ad parentes reversa, quos, post carnem suam abiens, jam dudum dereliquerat, ob culpas suas tristis, atque imbre lacrymarum perfusa, iterum excipi flagitavit. Crine detonso, neglectoque capite, quod cultu & pompâ pridem ornare consueverat, pullâque veste contecta, erroribus suis, mundique illecebris supremum funus indixit, secumque animo reputans, quàm graviter Deum læsisset, vehementi ejulatu illius misericordiam assiduè deprecata, inque ædibus Deo sacris fune ad collum alligato humi procumbens, omnes, quos antea moribus suis palam offenderat, veniam exoravit. Deus, ut dè Margaritæ constantia periculum sumeret, novercæ furiis & immanibus contumeliis eam foras trudi permisit; quamobrem humani generis hoste insidias eidem struente, Cortonam profecta est, tertii Ordinis Minorum, ibi sanctitatis laude florentium, instituto, quod pœnitentium appellant, nomen datura. Istic in cinere & cilicio ab se læsam Dei majestatem placare studuit, sordes peccatorum magno luctu, jejuniis & flagris abolere conata, donec post triennale virtutum experimentum, digna tandem habita est, quæ ejusdem tertii Ordinis Minorum cingulum atque indumentum susciperet. Uberes exinde lacrymæ ei familiares fuerunt atque ima suspiria, tantâ animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Lectulum nuda humus, cervical lapis aut lignum porrexit; atque ita noctes insomnes in cœlestium meditatione trahere consuevit, corpus, proditorem suum dicere solita, quod instar jumenti lassitudinem & infirmitatem obtenderet, ne justum onus subiret. Sic permultis vigiliis atque abstinentiis attrita, spiritu potentior evasit, nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

IV. Dæmonis insidias vincit.

Sed spiritus inimicus, ubi tantæ pœnitentiæ in tenella femina rigorem vidit, totus contremuit, utque eam à proposito averteret, verba malitiæ interponens, rursus insidiator accessit, supra cæteros eam agere causatos. Sed mulier fortis, hostem ex verbis detectum, semel atque iterum invicta repulit, dum vanæ etiam gloriæ lenocinium ei subdolus inferre tentavit: quod ipsa perhorrescens, præteritos mores suos per vicos & plateas Cortonensis civitatis altâ voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans, idem præ summo divinæ offensionis

dolore alibi factura, ubi palam peccaverat, quum Montem Politianum petere vellet, nisi eam Confessarius ab itinere provido consilio deterruisset: qui pariter intercessit, ne in speciosam faciem, olim impuri amoris causam, sæviret, ægre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri.

V. Miris gratiis à Deo donata.

His ergo, aliisque magnæ pœnitentiæ argumentis Margarita suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes à mundi illecebris custodiret, oculosque attollere, vultusque hominum præ verecundia conspicere nunquam auderet, digna facta est, quæ sæpe Domini consuetudine frueretur; ipsa tamen eo semper humilior, quo majori eam Christus amore dignabatur. Ejusdem quoque Christi & Virginis matris dolorum, quod ipsa ardenter expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta & verè mortua interdum visa est.

VI. Miracula.

Tanto præterea & tam miro lumine illustrari meruit, ut cordium secreta, quod unius Dei est, rimaretur, & conscientias hominum apertiùs inspiceret; peccata in remotis etiam partibus Deum offendentium cum dolore & lacrymis retegeret, malos à vitiis retrahens, probosque meliores efficiens: quod ingenti caritate inflammata identidem egisse comperta est. Ægris ad se venientibus salutem à Domino impetrabat, atrociter à Dæmone obsessos, fusis ad Deum precibus liberavit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Sub piæ memoriæ Decessore nostro Nicolao Papa IV. imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summæ pietatis operibus vivos & mortuos sibi demeruit. Neque interim, tot sanctis operibus occupata, de rigore, quo assiduè corpus suum exercebat, quidquam remisit, aut à studio cœlestia meditandi se avelli passa est, in utroque vitæ genere planè admiranda, utramque sororem Magdalenam & Martham referens.

VII. Piè obit.

Tandem pro se Dominum orans, ut ex hac valle lacrymarum sursum in cœlestem patriam duci permitteretur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitionis ei patefactis. Tres ergo supra viginti annos Deo fideliter ancillata, meritisque & laboribus plena, ac cœlestibus donis cumulata, cœpit corporis viribus destitui, perque dies decem & septem nullo cibo, sed divinis tantum colloquiis refecta est. Supremi transitus hora adveniente, sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis ritè susceptis, anno ætatis quinquagesimo, vultu hilari atque oculis in cœlum conversis, octavo Kalendas Martias, qui est dies festus Cathedræ Antiochenæ beati Petri Apostoli, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, suæ conversionis vicesimo tertio, felix migravit ad Dominum.

VIII. Corpus incorruptum, & miro odore perfusum. A summis Pontificibus sanctitatis laude ornatur.

Ipsâ horâ, qua nova hæc Magdalena ad superos evolavit, summi Dei gloria atque omnipotentia cœpit in ea manifestari. Tiferni enim ad Tiberim quidam cœlestibus meditationibus raptus, ejus animam aliis permultis ex purgatorio eductis sociatam ingenti lætitia in cœlum efferri conspexit. Corpus miro odore perfusum, copiosâ populorum frequentiâ accurrente, in æde beati Basilii, quæ est Fratrum Minorum, jamque ab eadem Margarita appellatur, depositum est, statimque compluribus miraculis coruscavit, quæ coram gentili nostro Neapoleone Sancti Hadriani Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis in Italia Legato, sub recolendæ memoriæ Decessore nostro Clemente Papa V. scripta & comprobata fuerunt: Quibus denuò rite discussis, ac stupendo illo prodigio, quo Dei famulæ corpus Cortonæ adhuc vegetum, incorruptum, illæsum, suavique odore perfusum ab omnibus colitur, permotus felicis recordationis Antecessor noster Leo Papa X. qui illud venerabundus coram suspexerat, Litteris Apostolicis octavo idus Februarias anni millesimi quingentesimi decimi quinti Florentiæ vulgatis, concessit, ut Margaritæ natalis Cortonæ, inque tota ejus Diœcesi solemni cultu celebraretur, sacræque ejus exuviæ omnium venerationi, ipso, quo decessit die, exponerentur. Mox anno insequenti plenariam peccatorum indulgentiam, sacram ædem, ubi quiescit, visitantibus largitus est. Eam deinde similis memoriæ Decessor noster Urbanus Papa VIII. beatarum mulierum Catalogo adscripsit, quum alii ejus, nostrique Decessores Romani Pontifices Bonifacius IX. & Eugenius IV. jampridem sanctitatis laudem ei tribuissent. Ipse etiam Urbanus Officium in ejus honorem toti ordini Minorum celebrandum concessit, ac tandem alius piæ recordationis Decessor noster Clemens Papa IX. cum Beatæ elogio eandem Martyrologio Romano inseri jussit, adprobante id postmodum similis quoque memoriæ Clemente Papa XI.

IX. Sanctarum canoni adscribitur.

Quum ergo toties discussa & comprobata fuisset Beatæ mulieris sanctitas, nos tandem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ecclesiæ ritibus examinandis præpositorum suffragia de Margarita in sanctarum mulierum canonem referenda, ut tantæ rei gravitas postulabat, distinctim audituri, eos de more coram nobis congregari mandavimus. Hi vero omnes Dei famulam ob Christianarum ejus virtutum excellentiam, & complurium miraculorum, quibus post concessum ab hac Sede Apostolica ei cultum, magnus Dominus potentiam suam per ejus intercessionem manifestare dignatus est, sanctarum mulierum fastis adnumerandam uno ore censuerunt. Quare omnibus veteri Ecclesiæ disciplinæ respondere compertis, inque tribus Consistoriis & plenario conventu eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium, rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis ipsis exceptâ, Regumque ac virorum Principum, & totius Ordinis Minorum enixis precibus pro Margarita in Sanctarum mulierum non Virginum nec Martyrum, Canonem referenda, jamdudum Apostolicæ Sedi porrectis, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem à Nobis indictam, perque Orationes, jejunia & eleemosynas omnipotentis Dei opem pro hac re ferventissimè imploratam, nos demum universis, quæ ex Antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina, peragenda erant, omni religione peractis, hac ipsa die solemni Pentecostes, una cum iisdem Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque Cleri & populi frequentia, in Sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertiò pro Beata Margarita à Cortona tertii Minorum Sorore in Sanctarum mulierum non Virginum nec Martyrum canonem referenda precibus nobis porrectis per dilectum Filium, Fratrem Laurentium S. R. E. Tituli Sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyterum Cardinalem, Cozzam nuncupatum, post decantatas sacras Orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillimè invocatam, ad honorem Sanctæ & individuæ Trini-

tatis,

tatis, fidei Catholicæ exaltationem, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione præhabitâ, & divinâ ope sæpius imploratâ, de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario Conventu Basilicæ Vaticanæ ibidem præsentium, consilio & unanimi consensu, Beatam Margaritam à Cortona tertii Ordinis Minorum Sororem, de cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plenè constabat & constat, Sanctam esse decrevimus & definivimus, Sanctarum mulierum non Virginum nec Martyrum canoni adscripsimus & adscribendam esse decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eamdemque per universos Christifideles, tamquam verè Sanctam, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem ædes sacræ & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari & consecrari, & quotannis octavo Kalendas Martias, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut sanctæ mulieris non Virginis nec Martyris, pia devotione recoli possint.

X. Indulgentiæ visitantibus ejus corpus concessæ.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christifidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui eodem die festo singulis annis sepulcrum, ubi ejus corpus incorruptum atque integrum & suavi odore perfusum adservatur, piè visitaverint, annum & quadragenam, iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

XI. Summus Pontifex Missam celebrat in honorem sanctæ Margaritæ.

Postremò gratiis Deo actis, quòd Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluerit, cantatâ in honorem beatæ Margaritæ à Cortona, solemni oratione, in ara maxima supra confessionem beati Petri Principis Apostolorum Sacrosanctum Missæ sacrificium celebravimus, omnibusque Christifidelibus ibidem præsentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

XII. Gratiæ Deo actæ ob eam Sanctarum numero adscriptâ.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, insignique beneficio, cœlitus nobis concesso, benedicamus & glorificemus omnium bonorum auctorem, in trinis personis unum Deum, cui est honor & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electæ suæ Margaritæ, à peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

XIII. Hæ literæ ubique fidem obtineant.


Ceterum quia difficile foret, præsentes nostras litteras ad singula loca, ad quæ opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

XIV. Nemo hanc paginam infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, 16. Kalendas Junias, Pontificatus nostri anno quinto.

✠ Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.



✠

✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.

✠

✠ Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Ottobonus S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corsinus.

✠

✠ Ego Joseph Renatus Tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.

✠

✠

✠ Ego Ludovicus Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.

✠ Ego Johannes Antonius Tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.

✠

✠ Ego Antonius Felix Tituli Sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.

✠ Ego Petrus Marcellinus Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.

✠

✠

✠

✠ Ego Curtius Tituli Sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.

✠ Ego Melchior Tituli Sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.

✠

✠

✠ Ego Julius Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis Alberonus.

✠

✠

✠ Ego Cornelius Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.

✠

✠

✠ Ego Ludovicus Tituli Sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.

✠
✠
✠ Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Salernus.
✠
✠ Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
✠ Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Pœnitentiarius.
✠ Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Matthæi in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
✠ Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
✠ Ego Prosper Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis Marifuscus.
✠ Ego Frater Augustinus Tituli Sancti Xysti Presbyter Cardinalis Pipia Ordinis Prædicatorum.
✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctæ Mariæ in Dominica Presbyter Cardinalis Coscia.
✠
✠
✠ Ego Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
✠
✠
✠ Ego Franciscus Antonius Tituli Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Fini.
✠ Ego Frater Gregorius Tituli Sancti Augustini Presbyter Cardinalis Selleri.
✠ Ego Frater Laurentius Tituli Sanctæ Mariæ de Aracœli Presbyter Cardinalis Cozza.
✠
✠
✠
✠
✠ Ego Frater Vincentius Ludovicus Tituli Sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Gotti Ordinis Prædicatorum.
✠ Ego D. Leander Tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Porzia Ordinis Divi Benedicti.
✠ Ego Petrus Aloysius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Caraffa.
✠ Ego Joseph Tituli Sanctæ Mariæ de Transpontina Presbyter Cardinalis Accorambonus.
✠
✠ Ego Laurentius Sanctæ Agathæ ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
✠ Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
✠
✠
✠ Ego Alexander Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
✠
✠ Ego Nicolaus Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.
✠ Ego Antonius Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Banchierius.
✠

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Francischinus R. C. A. Secretarius.

Constitutio pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci.

Controversiæ, & lites de Primatu, & Anterioritate, perpetuo silentio imposito, extinguuntur: Quæ pro Universis Tertiariis in propriis domibus viventibus in Constitutione *Paterna Sedis* sancita sunt, denuò confirmantur, & Basilicæ S. Mariæ de Portiuncula, & S. Francisci Civitatis Assisiensis sub diversis rationibus Ordinis Matrices decernuntur. XLVII.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilectis Filiis Ministro Generali totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, nec non Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis.

Dilecti Filii salutem &c. Qui pacem loquitur in plebem suam, & super Sanctos suos, certam illam avertendæ contentionis viam, rationemque discipulis designavit, monitis, exemplisque suis eosdem adhortatus, ut qui major esset inter ipsos, fieret sicut minor, ac proinde esse contenderent, non præeminentiâ, & primatu, sed ministrandi, ac subjacendi humilitate præcessores. Hæc autem documenta B. Franciscus Seraphici vestri Ordinis Conditor, & ipse mirabiliter arripuit, & expressit, & custodiendæ pacis firmamentum esse voluit alumnis suis, qui modestâ ipsâ Fratrum Minorum appellatione Evangelicam illam cælestis Magistri normam præ se ferentes, sinceræ caritatis veræque Fraternitatis disciplinam, & cultum per totam Christi Ecclesiam latissimè propagarunt. Nos igitur, quemadmodum uberes ex religiosissima institutione Dominici agri proventus largitori Deo reique Catholicæ gratulamur; ita omnem dare operam debemus, ne dissidia, & lites de loco, & dignitate bonam frugem suffocare possint, fraternamque concordiam discindere, aut perturbare. Porrò cum tres Constitutiones ediderimus pro institutione, ac regimine Tertiariorum ejusdem Seraphici Ordinis in propriis Domibus viventium, primam die 10. Decembris 1725. pro Fratribus Minoribus Regularis Observantiæ, quæ incipit: *Paterna Sedis Apostolicæ providentia.* alteram die 24. Maij 1726. pro Fratribus Minoribus, qui Cappuccini appellantur, quæ incipit: *Ratio Apostolici ministerii*; tertiam denique die 5. Julii ejusdem anni pro Fratribus Minoribus Conventualibus, quæ incipit: *Singularis devotio*: non sine ingenti animi molestia rescivimus, controversias inter antedictas laudati Ordinis familias invaluisse de primatu, & antiquitate alterius præ altera, de multiplici erectione Congregationum Tertii Ordinis, deque transitu Tertiariorum unius Congregationis ad aliam, quæ cum religiosæ disciplinæ detrimento, scandala etiam in populis ferere possint, & B. Patris Francisci spiritum in discipulis ejus extinguere. Dissensionibus igitur, ac jurgiis aditum obstruere, & necessariam regulari disciplinæ pacem, & tranquillitatem fovere, aut restituere cupientes; Motu proprio, ex certa scientia, non ad oblatæ cujusquam petitionis instantiam, inprimis omnes, & singulas de memoratis causis lites, & controversias, utcunque, & in quacunque instantia super his ortas, agitatas, & actu pendentes, coram quibuscunque Judicibus, ac Tribunalibus, etiam speciali mentione dignis, quorum nomina pro expressis haberi volumus, ad Nos avocantes, perpetuo silentio imposito extinguimus, & abolemus. Prætereà

ANNO 1728.

quascunque Indulgentias, Indulta, Privilegia, Prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones, & concessiones tàm in genere, quàm in specie in memorata Constitutione, quæ incipit: *Paterna*, Tertiariis Fratrum Minorum de Observantia tributas, & per alias superiùs indicatas ad Tertiarios Fratrum Minorum Conventualium, & Cappucinorum, eorumque Superiores extensas, & ampliatas, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, & quatenus opus sit, ipsis Fratribus Conventualibus, & Cappucinis, eorumque Tertiariis, in iis tamen, quæ præfatæ nostræ Constitutioni pro Observantium Tertiariis editæ non adversantur, & non aliàs, de novo concedimus; Mandantes potissimùm, ut quæ in ipsa circa erectionem unius duntaxat Congregationis Tertiariorum pro unaquaque Civitate, aut Loco, deque eorum transitu præscripta, & sancita sunt, aliis posterioribus nostris non obstantibus, inviolabiliter observentur. Quoniam autem à mente nostra, & à proposito memoratæ Constitutionis, quæ incipit: *Singularis devotio*, prorsus alienum erat, ut Fratribus Minoribus Regularis Observantiæ quidquam sui juris, aut possessionis erga Conventuales detraheremus, aut ipsis Fratribus Conventualibus majorem antiquitatem, aut aliam quamcunque prærogativam præ Observantibus concederemus, motu pari & scientia similibus decernimus & declaramus, verba & enunciationes, quæ antiquitatem & prærogativas ejusmodi respiciunt, nullius roboris, atque eo prorsus modo, ac si apposita non essent, de cætero habenda fore & esse; Imò pro totius præfati Ordinis tranquillitate & pace perpetuum silentium super hujusmodi controversia imponimus, & pro imposito haberi volumus, & mandamus. Ne quis denique Basilicam Beati Francisci Civitatis Assisiensis, ubi Sacrum ejus Corpus requiescit, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris variis Privilegiis auctam, ita supra cæteras ejusdem Ordinis Ecclesias verbis aut scriptis extollat & efferat, ut debitus honor ac reverentia denegetur Basilicæ Beatæ Mariæ de Portiuncula extra muros ejusdem Urbis, in qua constat Seraphicum Patrem institutum suum inchoasse, præcipimus & mandamus, ut ambæ Basilicæ, diversis licèt rationibus, Beatæ Mariæ quidem propter Ordinis primordia, Assisiensis verò propter sacrum Corpus sanctissimi Institutoris, tanquam Ordinis Matrices ab omnibus Fratribus Minoribus agnoscantur, & observentur, prout Romani Pontifices Prædecessores nostri asseruerunt, & concesserunt. Quascunque autem juris, verborumque solennitates nostrâ auctoritate supplentes, & quibusvis in contrarium facientibus amplissimè derogantes; Quæ verò exprimenda essent pro expressis habentes, fore confidimus, ut familiis vestris per hoc providentiæ nostræ judicium pristinam, vestroque nomine dignam concordiam partam esse gaudeamus. Vestrum autem erit, ut pari vigilantia, studioque curis nostris obsequentes, indecoram importunamque altercationum, libellorumque licentiam, in eorum auctores districtè animadvertentes, sedulò inhibeatis. Ac Vobis, Dilecti Filii, paternæ voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 21. Julii 1728. Pontificatus nostri Anno quinto.

Carolus Archiep. Emissenus.

Loco ✠ Sigilli.

ANNO 1728.

XLVIII.

Constitutio pro Fratribus Ordinis Prædicatorum, Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus in Ecclesia Parochiali beatæ Mariæ & Sanctorum XII. Apostolorum Terræ Balneariæ Provinciæ Rheginæ in Brutiis, vulgo in Calabria ulteriori.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei; ad perpetuam rei memoriam.

I. Summus Pontifex lites inter Ecclesiasticas Personas extinguit.

Contentiones & lites inter quascunque religiosas Familias, præsertim verò inter nostri Ordinis Fratrum Prædicatorum, aliasque Ecclesiasticas Personas, quæ quidem lites sine gravissimis incommodis & impensis, atque divini cultus, animarumque Salutis detrimento fieri nequaquam possunt, ad Nos pertinet extinguere, & prorsus eliminare, quemadmodum Pontificii muneris nostri ratio suadet, ut jus suum, supremâ, quam in terris obtinemus, auctoritate, unicuique tribuamus, insuper & alia libenti animo peragentes, quæ salubriter expedire animadvertimus.

II. Parochialis Ecclesia Balneariæ, Rheginensis Provinciæ, à Cœlestino III. Apostolicæ Sedi subjecta, postmodum transit in Jus Canonicorum Basilicæ Patriarchalis Lateranensis, qui eam vendunt Jacobo Rufo, loci Domino.

Cùm itaque, sicut accepimus, aliàs & postquam Parochialis Ecclesia beatæ Mariæ & Sanctorum XII. Apostolorum Terræ Balneariæ, nullius Diœcesis, Provinciæ Rheginensis, quam olim felicis recordationis Cœlestinus Papa III. Prædecessor noster soli Romanæ Ecclesiæ subjacere decreverat, & sub beatorum Petri & Pauli Apostolorum, Sedisque Apostolicæ protectione susceperat, eamque & illius bona, pertinentias, dependentias, ac annexa quæcunque, dictamque Terram una cum ei subjectis locis ab omni jugo, potestate, injuria, & molestia quorumcunque hominum liberam omninò esse voluerat atque statuerat, pariterque decreverat; Postremò una cum universis ejusdem Parochialis Ecclesiæ bonis, grangiis, membris, annexis, juribus, actionibus & pertinentiis quibuscunque Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, nuncupatæ de Urbe, concessa, sive illorum Mensæ Capitulari canonicè unita, annexa & incorporata extitisset, ipsique Capitulum & Canonici postmodum intendentes suam & dictæ Mensæ Capitularis conditionem efficere meliorem, omnia & quæcunque bona prædicta ad dictam Parochialem spectantia & pertinentia quondam tunc in humanis agenti Jacobo Rúfo dictæ Terræ, dum viveret, Domino in temporalibus pro eo, ejusque Successoribus, causamque ab eo habentibus, cum hoc, ut dictus Jacobus, ejusque Successores, causamque ab eo habentes præfati, centum viginti novem ducatos monetæ Neapolitanæ, ac nonaginta sex cumulos frumenti singulis annis, necnon tertiam partem bonorum recuperandorum, ad eandem Parochialem Ecclesiam etiam spectantium & pertinentium, pro dictæ Parochialis Ecclesiæ, illiusque fabricæ & sacristiæ, nec non ejusdem Parochialis Ecclesiæ Rectoris pro tempore existentis manutentione, respectivè, & congrua sustentatione persolvere & tradere deberent, ac forsan sub aliis pactis & conditionibus, tunc expressis, pro pretio viginti duorum millium scutorum monetæ Romanæ, ad effectum pretium hujusmodi in tot bonis stabilibus in territorio Urbis existentibus, reinvestiendi.

III. Gregorius XIII. eandem Ecclesiam Parochialem assignat Ordini Fratrum Prædicatorum.

Ac aliàs sub certis modo & forma, tunc expressis, sub Sedis Apostolicæ beneplacito vendidissent, recolendæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam Prædecessor noster, qui venditionem hujusmodi Apostolica auctoritate confirmaverat seu confirmari mandaverat, Ordinem Fratrum Prædicatorum propagare, divinique cultus in ipsa Parochiali Ecclesia incremento consulere volens, dictam Paro-

ANNO 1728.

chialem Ecclesiam, prævia unionis de illa, dictæ Mensæ capitulari, aliàs, ut præfertur, factæ, dissolutione, & pro eo, quòd tunc assereretur seu prætenderetur, quòd dicta Parochialis Ecclesia olim fuisset Monasterium Monachorum Cisterciensis Ordinis, seu quòd apud illam Monachi dicti Ordinis Cisterciensis olim habitassent, etiam prævia dicti Ordinis Cisterciensis, omnisque illius dependentiæ, ac status & essentiæ Regularium, ac nominis, denominationis, qualitatis & formæ Monasterii dicti Ordinis Cisterciensis in dicta parochiali Ecclesia, illiusque situ, solo, ambitu, domibus, hortis, membris, annexis, connexis, juribus & pertinentiis suis, suppressione & extinctione, Ordini Fratrum Prædicatorum Apostolicâ auctoritate concesserit & assignaverit, seu univerit & incorporaverit, & in ejusdem Parochialis Ecclesiæ Domo seu domibus, hortis, membris, juribus & pertinentiis hujusmodi, eidem Parochiali Ecclesiæ contiguis vel adjacentibus, & circumstantibus, unam Domum dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum sub dicta invocatione, titulo & denominatione beatæ Mariæ & Sanctorum XII. Apostolorum pro perpetuis usu & habitatione unius Prioris, & saltem aliorum quindecim Fratrum ejusdem Ordinis Fratrum Prædicatorum sub certis modo & forma tunc expressis erexerit & instituerit, illique sic erectæ & institutæ pro ejus Ecclesia dictam Parochialem Ecclesiam cum illius domibus, membris, hortis, juribus & pertinentiis, eidem Parochiali Ecclesiæ contiguis, vel adjacentibus & circumstantibus præfatis, demptis tamen omnibus illis bonis, præfato Jacobo, ut præfertur, venditis, similiter perpetuò concesserit & assignaverit, ac eidem Domui Fratrum Prædicatorum sic erectæ & institutæ, nec non dictæ Parochiali Ecclesiæ, vel illius sacristiæ aut fabricæ pro ejus dote & manutentione, ac Prioris & Fratrum præfatorum subventione dictos centum viginti novem ducatos monetæ Neapolitanæ, ac nonaginta sex tumulos grani seu frumenti, nec non tertiam partem bonorum recuperandorum hujusmodi, & alia bona mobilia & immobilia ipsi Domui Fratrum Prædicatorum, ut præfertur, erectæ & institutæ per quoscunque pro tempore quomodolibet danda seu relinquenda, cum hoc, ut dicti Prior & Fratres in ipsa Domo pro tempore degentes dictæ Parochiali Ecclesiæ in divinis & aliàs deservire, dictamque illius animarum curam exercere, ac jura, oblationes, eleemosynas, & alia emolumenta Parochialia, & ex servitio & curæ animarum exercitio hujusmodi provenientia, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, percipere & habere deberent & valerent; ipsique Prior & Fratres hujusmodi Magistro Generali vel Procuratori Generali ejusdem Ordinis Fratrum Prædicatorum duntaxat, non autem Provinciali seu Provincialibus, Prioribus, vel aliis Ministris seu Officialibus, nisi ab ipso Magistro Generali, pro tempore deputatis visitatoribus, subessent, etiam perpetuò applicaverit & appropriaverit.

IV. Fratres Prædicatores dictæ Ecclesiæ Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, quæ à Summo Pontifice confirmatur.

Cùm verò Prior & Fratres dictæ Domus, ut præfertur, erectæ & institutæ, tunc & pro tempore existentes, jurisdictionem quasi Episcopalem in dicta Terra, eique subjectis Locis, quemadmodum Capitulum & Canonici prædicti illam exercuerant, etiam exercere continuarent, seu continuare vellent, Clerus dictæ terræ Priori dictæ domus, ut præfertur, erectæ & institutæ, se non esse subjectum prætendens, ac illi obedientiam & reverentiam debitas & devotas exhibere recusans, ad Sedem Apostolicam recursum habuisset, causâque hujusmodi per felicis etiam recordationis Xystum Papam V. etiam Prædecessorem nostrum Congregationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum examinanda, & fine debito terminanda commissa extitisset, ac iterum proposita ratione Capituli & Canonicorum præfatorum, qui post emanatam ab eadem Congregatione ad favorem eorundem Prioris & Fratrum contra Clerum præfatum resolutionem ad causam hujusmodi, ex causis tunc expressis ad se pertinere, ipsosque Priorem & Fratres, ut Mendicantes, harum rerum incapaces existere prætendebant, ab eadem Congregatione idem, quod prius ad favorem Prioris & Fratrum Prædicatorum præfatorum ac contra Capitulum & Canonicos præfatos, quod ipsi Priori & Fratribus liceret hujusmodi jurisdictionem exercere, bonaque possidere, & alia his similia habere, uti ex eorum privilegiis plenè constiterat, determinatum fuerit; Capitulo verò, & Canonicis prædictis nedum acquiescentibus, cum idem Xystus Prædecessor universam rem ad instantiam Capituli & Canonicorum præfatorum bonæ memoriæ Antonio sanctorum Johannis & Pauli Carafæ, & Scipioni sancti Salvatoris in Lauro nuncupatis, respectivè Titulorum Præsbyteris, dum viverent, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Lancellotto, respectivè nuncupatis, tunc in humanis agentibus, reassumendam & cognoscendam commisisset, ipsique Antonius & Scipio Cardinales Priorem & Fratres præfatos super præmissis indebitè & injustè molestatos fuisse retulissent, idem Xystus Prædecessor universam causam hujusmodi ad se avocaverit, litemque hujusmodi penitùs & omninò extinxerit, nec non Capitulo & Canonicis præfatis ac aliis quibuscunque Personis perpetuum silentium desuper imposuerit, ita ut Capitulum & Canonici præfati nullam prorsus jurisdictionem, nullamque auctoritatem & potestatem sive præeminentiam in Ecclesiam & Clerum dictæ Terræ, & quibusvis aliis Personis quâcunque auctoritate, dignitate & Officio fungentibus, in virtutæ sanctæ obedientiæ & sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ per contrafacientes eo ipso incurrendâ præceperit, quatenus omni & quocunque prætextu remoto Priori dictæ domus pro tempore existenti in spiritualibus obedientiam & reverentiam debitas & devotas exhiberent, & exhibere procurarent, sicut antea factum fuerat; Nec non omnia & singula privilegia, gratias, immunitates, favores, exemptiones, libertates, jurisdictiones & præeminentias cum suis grangiis annexis, eatenus per Romanos Pontifices Prædecessores suos concessa seu approbata & innovata approbaverit & confirmaverit, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjecerit; Nec non ipsi Priori & Fratribus prædictis, ut illis omnibus & singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, jurisdictionibus & præeminentiis, quibus antea Canonici Regulares Ordinis sancti Augustini Congregationis Lateranensis, quibus ipsa Parochialis Ecclesia primitùs concessa fuerat, nec non deinde Monachi dicti Ordinis Cisterciensis, & postea Capitulum & Canonici prædicti in eadem Parochiali Ecclesia, ac suis annexis & connexis, usi & potiti fuerant, æquè principaliter & pariformiter, ac sine ulla prorsus differentia in omnibus & per omnia uti, frui, potiri & gaudere valerent, nec essent adstricti in dicta Domo plures esse, quam duodecim propter dictæ Domus tenuitatem & insufficientiam, nec ad id à quoquam cogi deberent, Apostolica auctoritate, motu proprio &c. indulserit, ac aliàs, prout in singulis Cœlestini ac Gregorii & Xysti Prædecessorum hujusmodi desuper confectis Literis pleniùs continetur. Cùm autem, sicut etiam accepimus, licèt Prior pro tempore existens dictæ Domus ab emanatis præfati Xysti Prædecessoris Literis præfatis jurisdictionem quasi Episcopalem in prædicta Terra ad hæc usque tempora pacificè, nemine contradicente, exercere continuaverit; nuperrimè tamen Clerus dictæ Terræ denuò ad Sedem

dem Apostolicam variis contra modernos Priorem & Fratres dictæ Domus, tàm circa competentiam jurisdictionis hujusmodi, modumque illam exercendi, ac subsistentiam nonnullarum ordinationum, à pro tempore existentibus Prioribus dictæ Domus factarum, ac præeminentias ac emolumentorum Parochialium participationem, & piorum Montium administrationem, dictæque Parochialis Ecclesiæ servitium ac incessum sub Cruce eorundem Fratrum, & sepulturam Clericorum, nec non consuetum Præsbyterorum Sæcularium spolium, quàm circa consuetudinem exigendi quandam portionem piscium, aliorumque comestibilium, in diebus festivis piscatorum, & respectivè venditorum, excitatis prætensionibus, recursum habuerit; Causa verò hujusmodi interim ad eandem Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum delata, eaque ab eadem Congregatione, audito priùs Venerabili Fratre Episcopo Miletensi, intra cujus Diœcesis fines dicta terra cum suo territorio existere prætendebatur, dilecto Filio nostro Nicolao S. R. E. Cardinali, Spinula nuncupato, videnda & referenda commissa exstiterit, concordatisque coram eo viginti sex circa præmissa dubiis, & signanter, primò videlicet, an constet de territorio separato, ita ut Clerus & Populus Balneariæ sit subjectus Priori pro tempore beati Dominici dictæ terræ, eoque una cum aliis octo ex prædictis viginti sex dubiis proposito sub die vicesima secunda Mensis Augusti anni proximè præteriti prodierit, responsum. *Dilata & coadjuventur probationes, citatis Episcopis vicinioribus, & interim Prior concedat cum facultatibus sacræ Congregationis licentiam concionandi, & audiendi confessiones; Sed se abstineat à concedendis dimissoriis, & ad mentem, ac ad sequentia dubia, Dilata*: Cumque, sicut pariter accepimus, Prior & Fratres prædicti, licèt pro tuenda plusquam centenaria possessione exercitii jurisdictionis hujusmodi tum antiquis, tum modernis validissimis documentis muniti sint, nihilominus hujusmodi probationum coadjuvatio, litisque prosequutio, citatis Episcopis vicinioribus, gravissimum illis afferret incommodum atque dispendium; Nos igitur cùm paternæ sollicitudinis studio excitati, Prioris & Fratrum prædictorum ulteriora incommoda & dispendia prohibere cupiamus, litesque hujusmodi omninò submoveri, ac prorsus evelli, illasque futuris temporibus nunquam amplius suscitari, Magistrum Generalem Ordinis Fratrum Prædicatorum hujusmodi, & nunc & pro tempore existentes Priorem & Fratres dictæ Domus specialicus favoribus ac gratiis prosequi volentes, eosque & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes, ac Cœlestini, Gregorii & Xysti Prædecessorum præfatorum literarum præfatarum tenores etiam veriores, ac datas, præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine universam causam hujusmodi in prædicta Congregatione, ut præfertur, introductam, & adhuc pendentem indecisam, ad nos avocamus, litemque hujusmodi penitùs & omninò extinguimus, ac Clero præfato, nec non Populo dictæ Terræ, aliisque quibuscumque personis perpetuum silentium desuper imponimus; Nec non omnia & singula privilegia, gratias, immunitates, favores, exemptiones, libertates, jurisdictiones & præeminentias eidem Parochiali Ecclesiæ, ejusque grangiis annexas, tàm in Insula Siciliæ, quàm in Provincia Calabriæ, per Cœlestinum ac Gregorium & Xystum præfatos, aliosque Romanos Pontifices Prædecessores nostros hactenus concessa & approbata, ac confirmata, ac etiam innovata, Apostolica auctoritate earundem tenore præsentium perpetuò approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robus adjicimus; Nec non ut Prior, aliusve Superior, nec non Fratres Domus præfatæ, nunc & pro tempore existentes, illis omnibus & singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus ac jurisdictionibus, & quoad Priorem, aliumve Superiorem præfatum dictæ Domus, etiam quasi Episcopali, & præeminentiis, quibus antea Canonici Regulares, ac deinde Monachi, & postea Capitulum & Canonici præfati ante factam dictæ Parochialis Ecclesiæ Ordini Fratrum Prædicatorum hujusmodi unionem præfatam, & postremo Prior dictæ Domus pro tempore existens præfatus ante præfatas lites motas eatenus usi, potiti, & gavisi fuerunt, in posterum pariformiter & æquè principaliter, ac sine ulla prorsus differentia in omnibus & per omnia, etiam quoad exercitium jurisdictionis ordinariæ & quasi Episcopalis, uti, frui, potiri, & gaudere possint & valeant, ac etiam debeant, Apostolica auctoritate prædicta etiam perpetuò decernimus, & declaramus, atque indulgemus.

VI. Balnearia cum toto agro, suis limitibus terminato, eidem Ecclesiæ rursus subjicitur.

Et insuper, quatenus opus sit, & ut novis litibus atque discordiis, quæ in posterum satore zizaniorum, pacisque inimico procurante, suscitari valerent, via penitùs & omninò præcludatur, dictam Terram Balneariæ, universumque illius territorium, quod, ut asseritur, à Diœcesi Miletensi Orientem versus in montibus via publica, ac Septentrionem versus in confinibus oppidorum, seu Castrorum Palmarum & Seminariæ, alveo fluminis, Grimoldi nuncupati, à dicta via publica ad mare decurrente, à Diœcesi verò Rheginensi Meridiem versus altero fluvio rustico, sive torrente, aut rivo, à præfata via publica montium etiam ad mare defluente, & Occidentem versus, mari, respectivè, dividitur & terminatur, ac loca & villas, si quæ sint in dicto Territorio, & intra dicta confinia existentia, & ab eis dependentia, à præfatis, Miletensi, cujus potius, quam alius cujuscunque, si Terra, illiusque territorium hujusmodi, ad aliquam Diœcesim pertinerent, existerent, ut pariter asseritur, & à Rheginensi aliisque quibuscunque Diœcesibus, nullo Episcopi Miletensis & Archiepiscopi Rheginensis, aliorumque quorumcunque Episcoporum aut Archiepiscoporum ad hoc requisito consensu, dicta auctoritate similiter perpetuò separamus & dismembramus, ac terram illiusque territorium hujusmodi sic separata & dismembrata, nec non prædictam Parochialem Ecclesiam, aliasque Ecclesias & Cappellas, si quæ in terra, illiusque territorio hujusmodi nunc extant & in posterum extiterint, illarumque Rectores, & in eis Beneficiatos, aliasque Personas inibi Beneficia Ecclesiastica obtinentes, Oratoria, Hospitalia, aliaque Loca pia quæcunque, universumque Clerum & Populum terræ, illiusque territorii hujusmodi per præsentes, ut præfertur, separatorum & dismembratorum, ab omni & quacunque jurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, regimine & administratione, tàm in spiritualibus, quàm temporalibus prædictorum Miletensis & Rheginensis & aliorum quorumcunque Episcoporum & Archiepiscoporum viciniorum, ac ab exhibitione reverentiæ & obedientiæ, nec

non

non solutione quorumcumque jurium eis exhibendorum, eadem Apostolicâ auctoritate etiam perpetuò eximimus & liberamus, ac Nobis & dictæ Sedi immediatè pariter perpetuò subjicimus, ac sub nostra ac Romani Pontificis pro tempore existentis, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum protectione suscipimus, ac in posterum Terram præfatam, illiusque territorium, ut præfertur, separatum & dismembratum, ac separatam & dismembratam hujusmodi nullius Diœcesis provinciæ Rheginensis existere, ac dici & censeri debere, eadem Apostolicâ auctoritate decernimus & declaramus, ac Terram præfatam, illiusque territorium, ut præfertur, separatum & dismembratum, ac separatam & dismembratam, dictamque Parochialem, aliasque quascumque Ecclesias, Cappellas, Oratoria, Hospitalia, aliaque loca præfata in Terra, illiusque territorio per præsentes, ut præfertur, de novo separatis & dismembratis præfatis, nunc canonicè erecta & in posterum etiam canonicè erigenda, illarumque Rectores & singulos in eis respectivè, Beneficiatos nunc existentes & pro tempore exstituros, ac universum Clerum & populum præfatos, illorumque res & bona quæcumque omnimodæ jurisdictioni, superioritati, correctioni, visitationi, curæ, regimini & administrationi moderni & pro tempore existentis Prioris dictæ Domus, qui ad formam constitutionum Ordinis Fratrum Prædicatorum hujusmodi per dictæ Domus Fratres pro tempore existentes canonicè eligi & præfici, nec non ætate maturus, ac moribus spectabilis, prudentiâ quoque præditus, & in sacris canonibus, quantum fieri potest, versatus, atque in regendo saltem aliquo suæ Provinciæ insigni Conventu infracti animi, solertiæ, dexteritatis, ac prudentiæ specimen dederit, ac intra Ordinem graduatus, vel ad minus ad gradus suscipiendos approbatus, atque Magistro Generali, vel Procuratori Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum hujusmodi, dumtaxat subjectus esse, nec non à Magistro vel Procuratore Generalibus præfato, tam postquam pro prima vice canonicè per Fratres præfatos electus fuerit, quàm postquam sui Prioratus biennium effluxerit, quoties hujusmodi Prioratus prorogationem concedendam esse expediens visum fuerit etiam, dumtaxat confirmari debeat. Priore verò hujusmodi deficiente, vel eo amoto, Subprioris vel Præsidentis, aut Vicarii dictæ Domus in spiritualibus & temporalibus pleno jure ordinario, ita ut eorum quilibet in præmissis casibus Prior, pro tempore existens præfatus, utpote territorium particulare, & per præsentes, ut præfertur, de novo separatum & dismembratum hujusmodi, verè habens in dicta Terra, aliisque sibi subjectis locis, jurisdictionem quasi Episcopalem exercere, ac Synodum convocare, & in ea Examinatores, servatâ tamen Concilii Tridentini decretorum formâ, deputare, atque concursus pro Parochialibus Ecclesiis in præfata Terra, aliisque sibi, ut præfertur, subjectis locis præfatis existentibus conferendis indicere, ac beneficia quæcumque Ecclesiastica in Ecclesiis dictæ Terræ, illiusque territorii per præsentes, ut præfertur, separatorum & dismembratorum hujusmodi erigere & instituere, illaque ac etiam nunc existentia, & quæ in posterum quandocumque extiterint, juxta facultatem Archiepiscopis, Episcopis & aliis Ordinariis Collatoribus de jure, usu vel consuetudine competentem, salvis tamen & illæsis semper remanentibus omnibus & quibuscumque reservationibus & affectionibus Apostolicis, etiam conferre & in eis instituere, ac literas dimissoriales suis subditis ab aliquo Catholico Antistite, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, clericali charactere insigniri, & ad omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines ritè se promoveri facere cupientibus concedere, ac Sacramentum Confirmationis à vicinioribus Archiepiscopis vel Episcopis sibi magis benevisis suis subditis administrare facere, sacraque olea ab eo, quem maluerit ex dictis Archiepiscopis vel Episcopis recipere, nec non primodictæ Parochialis Ecclesiæ illique inservientium, ac aliarum Ecclesiarum, Cappellarum, Oratoriorum, Hospitalium, aliorumque piorum locorum, & respectivè in eis Beneficia obtinentium, ac aliorum subditorum præfatorum ubicumque existentium causas beneficiales, matrimoniales, ac civiles & criminales, vel mixtas, ad forum Ecclesiasticum spectantes, quotiescunque & ubicumque casus evenerit, quia locorum Ordinarii ullam in subditos, aliosque prædictos, eorumque respectivè bona, redditus & proventus, jurisdictionem, superioritatem, dominium vel potestatem, etiam ratione cujuscumque contractus, nec non cujusvis generis delicti, etiam turbatæ jurisdictionis, vel alterius etiam gravioris speciei, & specialem mentionem requirentis, vel alterius rei, ubicumque locorum contractus initus, & delictum commissum fuerit, & res ipsa consistat, exercere valeant, non obstantibus omnibus & quibuscumque Processibus contra illos, vel illorum aliquem per quoscumque locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios in spiritualibus Generales, vel quosvis alios, ad id ab eisdem locorum Ordinariis deputandos, etiam in casu negligentiæ moderni & pro tempore existentis Prioris præfati, pro tempore factis; nec non quibuslibet, etiam excommunicationis, vel suspensionis & aliis quibuscumque sententiis promulgatis, quas nullas & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore volumus; nec non quomodolibet ad præmissa omnia præfata, etiam in alterius, quàm dicti Prioris pro tempore existentis jurisdictionem quomodolibet per subditos, aliasque personas hujusmodi præstito, seu etiam præstando consensu, quem non valere decernimus & declaramus, cognoscere, decidere & terminare, absque voto & consilio Assessoris, quatenus Prior pro tempore existens præfatus in jure Canonico versatus existat; sin minus cum consilio & voto, prout de jure, Assessoris in aliqua approbata Universitate studii generalis doctorali laurea insigniti, vel saltem in jure Canonico Licentiati; in iis tamen causis, in quibus de Fisci vel partium interesse agitur, liberè & licitè possit & valeat, eadem Apostolicâ auctoritate etiam perpetuò subjicimus & supponimus. Et insuper Priori pro tempore existenti præfato, ut quæcumque literæ Apostolicæ, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm justitiam concernentes, & præsertim super dispensationibus matrimonialibus, & in forma *significavit*, quæ à Nobis ac Apostolica Sede pro personis ejusdem Prioris pro tempore existentis, jurisdictioni subjectis, post hac concedentur, & ad partes transmittentur, eidem moderno pro tempore existenti Priori, tamquam loci Ordinario, non autem Archiepiscopis vel Episcopis vicinioribus dirigantur & committantur; dictusque Prior pro tempore existens literas præfatas aperire & exequi, nec non in causis & negociis, quæ hujusmodi literæ concernent procedere, eidemque Priori pro tempore existenti pro illarum exequutione directas, & ad supplicationem personarum Prioris pro tempore existentis præfati jurisdictioni subjectarum expeditas, etiam aperire, illasque etiam exequi in omnibus & per omnia liberè & licitè valeat ac debeat, ut alii quicumque locorum Ordinarii in suis Civitatibus & Diœcesibus procedere possunt & debent, perpetuò pariter concedimus & indulgemus.

Et ut

VI. Clerus Sæcularis eidem Ecclesiæ subjectus.

Et ut Divinus Cultus in dicta Parochiali Ecclesia decentiùs, honorificentiusque procedat, Priori pro tempore existenti præfato, ut Presbyteros & Clericos Sæculares sibi ratione jurisdictionis præfatæ subditos, ad ea personalia Servitia, quæ cum veste talari & Superpelliceo dictæ Ecclesiæ, tanquam Parochiali, & quasi Cathedrali hactenus præstare consueverunt, & quæ de jure præstare tenentur, pariformiter imposterum præstanda cogere, & pro celebratione Missarum solemnium sive cantandarum in Festivitatibus, Diaconum & Subdiaconum ex eodem Clero assumere, nec non Diaconos & Subdiaconos, aliosque Clericos ad suos respectivè Ordines in dicta Parochiali Ecclesia exercendos, injunctaque eis de jure munera adimplenda, etiam cogere & compellere; Presbyteris verò & Clericis præfatis, ut in Choro dictæ Parochialis Ecclesiæ iisdem modo & forma, quæ hactenus observata fuerunt, sedere, ac in Processionibus sub una, eademque Cruce cum Fratribus præfatis incedere, iisdemque Prioribus & Clericis, qui in Vesperis Festivitatum Vesperas, & in majori hebdomada divina Officia, Horasque Canonicas una cum Fratribus præfatis, juxta eorumdem Fratrum ritum in dicta Parochiali Ecclesia, illiusque Choro psallentes recitaverint, ut pro illis horis, quas, ut præfertur, recitaverint, non obstante ritus hujusmodi diversitate, proprio oneri absque nova divini Officii juxta proprium ritum recitatione, satisfacere; nec non Priori pro tempore existenti præfato, ut defunctorum Clericorum spolium super Cotta, Breviario & Birreto consistens, juxta consuetudinem in pluribus Diœcesibus illarum partium vigentem exigere. Et attento, quòd, ut similiter accepimus, Prior & Fratres pro tempore existentes præfati in possessione seu quasi, quandam portionem seu decimas piscium, qui à quibuscumque personis in maritima dictæ Terræ Balneariæ piscantur, necnon fructuum, & aliarum rerum comestibilium, quæ in dicta Terra, etiam in diebus festivis venduntur, exigendi & percipiendi reperiuntur, Priori & Fratribus pro tempore existentibus præfatis, ut eandem portionem seu Decimas piscium piscatorum, & rerum vendendarum hujusmodi imposterum etiam exigere & percipere, ac piscantes & vendentes hujusmodi portionem seu decimas hujusmodi Priori & Fratribus pro tempore existentibus præfatis dumtaxat, & non alii vel aliis tradere, & omninò respondere. Contradictores verò, & inobedientes aut rebelles corrigere, mulctare, & etiam sub Ecclesiasticis sententiis, censuris, aliisque condignis pœnis compescere liberè & licitè, respectivè, possint & valeant, ac etiam respectivè debeant, & teneantur, ac obligati existant, auctoritate prædicta, etiam perpetuò, respectivè concedimus & indulgemus.

VII. Hæc constitutio perpetuum robur obtineat.

Præsentes quoque ac omnia & singula præmissa ullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo, quòd causæ, propter quas eadem præmissa facta fuerint, coram Locorum Ordinariis, etiam tanquam Sedis præfatæ delegatis examinatæ, verificatæ, & ab eis approbatæ, ac interesse forsan habentes ad id vocati, citati & auditi non fuerint, nec desuper suum consensum præstiterint, seu ex quavis alia causa, vel quocunque prætextu, quæsito colore, vel ingenio notari, impugnari, invalidari, retractari, ad viam & terminos juris reduci, seu in jus, vel controversiam vocari, aut adversus illos & illas quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari minimè posse; nec sub ullis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi; sed semper ab illis excipi. Et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita, & plenariè reintegrata, ac de novo etiam sub quacunque posteriori data per Magistrum seu Procuratorem generales, aut pro tempore existentem Priorem præfatos, quandocunque eligendo concessas, ac semper perpetuò validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, eisdem Magistro ac Procuratori generalibus, necnon Priori nunc & pro tempore existenti suffragari debere, nec eos desuper à quoquam quavis auctoritate fungente, vel dignitate fulgente, etiam sub quovis prætextu, quæsito colore vel ingenio, causaque & occasione, inquietari, molestari, perturbari aut impediri, ullatenus unquam posse. Sicque & non aliàs per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, & causarum Palatii Apostolici Auditores, nec non ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri & interpretari debere: & quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

VIII. Hujus constitutionis defensores, à Summo Pontifice deputati.

Quocirca pro tempore existenti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Protectori, ac dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac nostro & Sedis Apostolicæ Nuntio in Regno Neapolitano commoranti, nunc & pro tempore existentibus, motu simili per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Magistri seu Procuratoris Generalium, aut pro tempore existentis Prioris præfatorum, aut alicujus eorum, requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus inviolabiliter observari, eosque & eorum quemlibet illis pacificè frui & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, servatâque formâ Concilii Tridentini, sententias, censuras & pœnas hujusmodi incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio, non obstantibus nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ regulâ, de jure quæsito non tollendo, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. similiter Prædecessoris nostri, quâ cavetur, ne quis extra suam civitatem vel Diœcesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur; seu ne Judices à Sede præfata deputati contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere præsumant, ac in generali Lateranensi Concilio edita de duabus dictis; dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur; & quibusvis aliis Apostolicis Constitutionibus & Ordinationibus, necnon Ordinis Fratrum Prædicatorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, ac quibusvis Privilegiis & Indultis ac Litteris Apostolicis eidem Ordini, ac Ordinariis locorum, & quibusvis Ecclesiasticis & locis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam consistorialiter, & motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, ac aliàs quomodolibet, etiam per nos pluries concessis, approbatis & innovatis: quibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis,

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissimè & plenissimè, ac specialiter & expresse hac vice dumtaxat, motu, scientia & potestatis plenitudine paribus derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut ipsarum præsentium exemplaribus etiam impressis, alicujus in Dignitate Ecclesiastica constitutæ personæ sigillo, & Notarii manu obsignatis, eadem prorsus fides in judicio & extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur præsentibus, si forent originaliter exhibitæ vel ostensæ.

IX. Nemo has litteras infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, avocationis, extinctionis, silentii impositionis, approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, separationis, dismembrationis, exemptionis, liberationis, subjectionis, suppositionis, concessionis, indulti, decreti & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, Idibus Septembris, anno quinto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

Visa

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Antonius Cajetanus Frosius R. C. A. Secretarius.

XLIX. De ratione pertractandi & definiendi Causas Ecclesiasticas in Regno Siciliæ ultra Pharum.

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Fideli ac prudenti Dispensatori, quem in supremo Apostolatus apice constituit Dominus super familiam suam, maximè convenit, tradita sibi cœlitus uti potestate, ut, si quæ sint inter Pontificalem auctoritatem & Regiam Potestatem contentiones, quantum fieri potest, amoveantur, utque nedum fidelium populorum pericula arceantur, sed etiam incommoda leniantur, prout locorum & temporum ratione habita, magis in Domino videbitur expedire.

Causæ hujus Constitutionis promulgandæ.

Cum itaque felicis recordationis Clemens Papa XI. Prædecessor noster Apostolicam Regni Siciliæ ultra Pharum Legationem ac Monarchiam nuncupatam, ejusque Tribunal extinxerit ac suppresserit, & aboleverit, sique essent privilegia, & indulta à quibuscunque Romanis Pontificibus Prædecessoribus quomodolibet concessa revocaverit, & abrogaverit, & certum interim modum præscripserit, quo causæ, ad Forum Ecclesiasticum pertinentes, cognosci, & in eodem Regno fine debito terminari possent, quemadmodum in ejus Apostolicis Litteris, expeditis anno millesimo septingentesimo decimo quarto, & millesimo septingentesimo decimo quinto, pleniùs continetur. Cumque charissimus in Christo Filius noster Carolus VI, in Romanorum Imperatorem electus, Siciliæ ultra Pharum Rex, exponi nobis nuper fecerit, jura Apostolicæ Legationis in eodem Regno, sibi, ejusdem hæredi legitimo & possessori, ex privilegio signanter Urbani Papæ II. Prædecessoris nostri, competere: quæ quidem jura jam olim Rogerio Comiti è Normanorum gente, ejusque Successoribus, ob eliminatam Saracenorum Tyrannidem, Catholicam Fidem restitutam, Ecclesiasque, Patriarchatui Constantinopolitano tunc temporis adhærentes, Romanæ Sedi iterum subjectas, concessa, anteactorum sex sæculorum decursu, usque ad Caroli II. obitum, in suo robore atque usu permanserint; Hinc Nos, etsi compertum habeamus, hujusmodi rationibus eundem Prædecessorem nostrum, præsertim propter abusus, quos irrepsisse constabat, minimè acquievisse; Nosque ipsi, dum Cardinalatus honore fungebamur, eidem Constitutioni reverenter subscripserimus, omniumque circumstantiarum opportunè reminiscamur; attamen cùm graves inde exortæ fuerint contentiones atque mala non sine animarum pernicie, publicæque tranquillitatis detrimento, seriò propterea considerantes, quantum pastoralis sollicitudinis intersit, causas etiam talium contentionum avertere ac prorsus eliminare, ita ut, abusibus è medio sublatis, jus ex æquo universis reddatur, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, pro hujus negocii examine specialiter deputatæ, ac etiam motu proprio & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, finem huic operoso gravissimoque negocio imponentes, nostra hac perpetuò valitura constitutione, vim & effectum concordiæ habente, hæc, quæ sequuntur, decernimus & sancimus, ac inviolabiliter ab his, ad quos spectat, & in futurum spectabit, observari mandamus.

I. Ordo cognoscendi Causas Ecclesiasticas in Sicilia, post Majores, quæ apud unam Apostolicam Sedem cognosci debent.

Causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, iis exceptis, quæ verè Majores sunt, quæque juxta Canonicas Sanctiones apud Apostolicam Sedem tractari, & à Romano Pontifice, vel à Judicibus, quos ipse specialiter deputaverit, cognosci debent, non alibi, quàm in ipso Siciliæ ultra Pharum Regno cognoscantur, & fine debito, quem justitia postulaverit, terminentur, ita videlicet, ut non exemptorum causæ in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum Curiis avocentur, nisi per viam legitimæ appellationis à sententia definitiva, aut ab interlocutoria, vim definitivæ habente, vel ab actu, cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat, vel præjudiciale sit invertendo justum juris & judiciorum ordinem, aut nisi integro biennio, à die motæ litis computando, coram ipsis Ordinariis remanserint indecisæ, quemadmodum in Concilio Tridentino in Cap. XX. *Causæ omnes*, Sessione XXIV. *De Reformatione*,

tione, decretum est. Sique secus fiat, quæcumque appellatio, inhibitio, aut sententia, eo ipso nulla & irrita sit, juxta ejusdem Concilii præscriptum. Respectu verò exemptorum ab Ordinariis, Judex Ecclesiasticus, à Rege illius Regni, ut infrà dicendum, nominatus & delegatus, & pro tempore, ejus arbitrio nominandus & delegandus, tanquam Ordinarius, de causis civilibus & criminalibus illorum, ut postea dicetur, cognoscat, ne aliter hujusmodi personæ & jura sine providentia remaneant. A sententia Ordinarii ad Metropolitanum appelletur, servatâ itidem in omnibus formâ, in antedicti Concilii decretis constitutâ.

II. Judex, qui causas appellationum à sententiis Metropolitani cognoscere debet.

Postquam verò Metropolitanus in causa pronunciaverit, vel in secunda instantia, quoad sententias suorum Suffraganeorum, vel in prima, quoad causas propriæ Diœcesis, possint partes, vel earum altera, provocare ad eum virum, in Jure Canonico Doctorem seu Licentiatum, nobilium Universitatum more, diligenti examine præcedente promotum, & in Ecclesiastica Dignitate constitutum, à charissimo Filio nostro Carolo VI. in Romanorum Imperatorem electo, & Siciliæ Rege, ejusque in Regno Siciliæ ultra Pharum Successoribus, aut de eorumdem mandato, ex Concessione Sedis Apostolicæ deputatum & delegatum, & in posterum ab ipso, ejusque in eodem Regno Successoribus, aut de eorundem mandato deputandum & delegandum: quem eo ipso Delegatum Auctoritate Sedis Apostolicæ constitutum, & pro tempore constituendum, recognoscimus & firmamus, ut Causas Ecclesiasticas antedictarum appellationum in prædicto Regno Siciliæ ultra Pharum cognoscere, aliaque inferiùs exprimenda peragere possit, servatis tamen præmissis, aliisque, inferiùs explicandis, itaut quidquid aliter sive scienter sive ignoranter fieri contigerit, ipso jure nullum irritumque sit.

III. Remedia pro iis, qui se à sententia ejusdem primi Judicis appellationum gravati sentiunt.

Si vero antedictus Judex gravamen inferat, vel quomodocumque partes, sive earum altera, gravatas ab ejusdem sententia seu decreto sese senserint, tunc, ut appellationis atque extremæ provocationis remedio, omnibusque legum, atque canonicarum sanctionum auxiliis Christifideles prædicti Siciliæ Regni uti & frui possint, eademque remedia, juris ordine servato, sicut oportet, experiri, idem charissimus in Christo Filius Siciliæ Rex, ejusque Successores in perpetuum, vel alter de ejusdem, aut de ipsius Successorum mandato, sedulò providebunt, ut apertum, atque patens sit omni tempore Tribunal, seu Curia: in qua tamen vir, etiam in Dignitate Ecclesiastica constitutus, atque, ut supra, in utroque Jure Licentiatus seu Doctor, deputatus & delegatus, cum tribus aliis Assessoribus, in utroque Jure versatis, eodem pariter modo, uti supra, deputandis & nominandis, jus reddat, atque primùm diligenter expendat, an appellatio rejici vel admitti debeat, & quibus clausulis causa committenda sit. Quoties verò causa fuerit visa digna ulteriori cognitione, eam primò cognoscat & judicet idem modo dictus Judex, à quo ulteriori cognitione digna decreta est, adhibito eorumdem Assessorum consilio. Quod si post hæc res adhuc ulteriori discussione opus habeat, nec lis finita sit, eadem coram altero idoneo Ecclesiastico Judice, ut supra, cum Assessoribus vel Consiliariis nominando, discutiatur, & ita deinceps, ita tamen, ut causa in quacumque instantia coram Judice Ecclesiastico semper pertractetur, & in omnibus, juris ordine servato, terminetur.

IV. Appellantes in una tantum causa,

Appellantes in una causa, omninò subjecti remaneant, quoad alias causas, jurisdictioni suorum Ordinariorum, à qua eximi nec à Metropolitano, nec à Delegato possint, nisi in casibus, à Jure Canonico præscriptis.

in reliquis appellare non censeantur.

V. De causis Regularium.

In causis, in quibus Conservatores Regularium decretum vel sententiam tulerint, qui se ab illis gravatum existimaverit, recursum similiter habere poterit ad antedictum Delegatum: qui quidem, si, inspectis utriusque partis juribus, appellationem duxerit admittendam, ipse in talis causæ cognitione, prout juris fuerit, procedet: sique partes, vel earum altera, de gravamine ab ejus judicato, sibi illato, conquereretur, id servetur, quod supra de appellationibus à decreto vel sententia Judicis delegati, statutum est. Cæterum prædicti Conservatores inviolatè servare debeant præscripta in Constitutionibus felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Alexandri IV. Bonifacii VIII. Gregorii XV. aliorumque nostrorum Prædecessorum, necnon in Concilii Tridentini decretis, sub pœnis ibidem contentis.

VI. Appellationes quomodo recipiendæ.

Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, realiter exhibenda, priùs constiterit, appellationem à sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, vel quod præjudiciale sit in casibus, à jure non prohibitis, per legitimam personam, & intra statuta tempora, fuisse interpositam aut prosecutam: nec præterquam in casibus, à jure permissis, dum causa coram inferioribus Judicibus pendet, ante definitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, de gravamine, quod asseratur illatum, Superiores cognoscere possint, licèt citra præjudicium ordinarii cursus causæ, sese id facere declarent. Nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut etiam simpliciter mandare, ut ipsis copia processus mittatur, etiam expensis appellantis vel recurrentis, nisi in casibus à jure permissis.

VII. Inhibitiones post appellationes admissas, quomodo concedendæ.

Inhibitiones, post appellationes, sicut præmittitur, admissas, non concedantur, nisi cum insertione tenoris sententiæ aut decreti, à qua, vel à quo provocatum fuerit; aliàs inhibitiones & processus, & inde secuta quæcunque sint ipso jure nulla, eisque impunè liceat non parere. Sed si appellans asserat, sententiæ vel decreti, sive appellationis interpositæ, exemplum authenticum habere se non posse culpâ Judicis, à quo, vel Actuarii, tunc sive Metropolitanus, sive præfatus Judex Ecclesiasticus delegatus, respectivè, injungat iis, ad quos pertinet, ut soluta actorum mercede, exemplum in forma probante tradatur appellanti, intra brevem terminum: & interim nihil novi coram Judice, à quo, contra appellantem attentetur.

VIII. De appellatione à decretis Ordinariorum, in visitatione editis.

A Decretis Ordinariorum, in visitatione, vel pro correctione morum editis, nullus sit appellationi locus, quoad effectum suspensivum, nisi cum Visitator, citata parte, & adhibita causæ cognitione, judicialiter processerit, & in aliis casibus à jure permissis.

IX. De appellatione à gravamine, per definitivam sententiam non reparando.

Cùm à gravamine, quod per definitivam reparari nequeat, vel quod præjudiciale sit, appellatur, nonnisi visis actis, ex quibus apparet de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel provisio ulla concedatur.

X. De inhibitionibus expediendis

In causa indebitæ carcerationis, quatenus sit secuta cum mandato Judicis verbali, possit Judex appellationis expedire inhibitiones, vigore appellationis constito, sive per depositionem duorum testium de mandato, sive per documentum Notarii, vel custodis carcerum, de carceratione. In causis verò comminatæ injustæ carcerationis, vel torturæ, vel excommunicationis, non expediantur inhibitiones generales & indefinitæ, sed tantum compul-

compulsoriales pro transmissione copiæ actorum, ad effectum cognoscendi, an sit deferendum, nec ne, appellationi, adjuncta in dictis litteris compulsorialibus inhibitione, ut interim Judex, à quo, ad ulteriora non procedat: & quatenus visis actis resultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, & causa cognoscatur coram Judice, ad quem. Si verò de hujusmodi gravamine non constet, remittatur causa ad Judicem, à quo, cognoscenda in prima instantia.

XI. De actis originalibus primæ instantiæ, à Notario mittendis.

Actu originalia primæ instantiæ Notarius sive Actuarius mittere ad Judicem appellationis minimè cogatur, nisi natura ipsa causæ id flagitet, aut probabilis aliqua falsitatis suspicio incidat, quæ judicialiter apposita ab interesse habentibus fuerit: & tunc post terminationem causæ statim remittantur ad Ordinarium, & in ejus curiæ tabulario asserventur.

XII. De carcerato appellante.

Causâ appellationis pendente, appellans in eodem, ubi reperitur carcere, permaneat, quoad Judex, ad quem causæ cognitio devolvenda est, visis actis, causâque cognitâ, aliter decreverit: & tunc quidem si à decreto secundi judicis, vim definitivæ habente, appellatum fuit, nihil ipse interim mandare, aut pro decreti sui executione attentare poterit, donec per Judicem superiorem aliter fuerit ordinatum; exceptis tamen casibus, in quibus aliter à jure statutum sit, & in quibus appellatio contra decretum excarcerationis effectum tantum devolutivum, favore libertatis, producit.

XIII. De Censura Ecclesiastica, in appellantem prolata.

Censura Ecclesiastica, in appellantem prolata, revocari aut nulla declarari per Judicem appellationis, etsi is sit delegatus, non possit, nisi priùs auditis partibus, & causâ cognitâ: & tunc, si eam esse justam constiterit, ad Judicem, qui excommunicationem protulit, remittatur appellans, & ab ipso juxta sacros Canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem præstiterit, obtineat. Si verò injustam esse appareat, Judex appellationis absolutionem concedat. Et si dubitetur, an justa fuerit, vel injusta, quamvis honestius sit, ut ad excommunicationem intra brevem aliquem competentem terminum, eidem præfigendum, absolvendus remittatur, Judex nihilominùs appellationis, hoc casu, per se poterit eum absolvere.

XIV. De absolutione ad cautelam.

Absolutio ad cautelam, nonnisi servatis de jure servandis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis, vel ab homine prolatæ, vel à jure inflictæ, si dubium facti, vel probabile dubium juris occurrat, concedenda erit, tanquam ad breve tempus, cum reincidentia, necnon præstita per excommunicatum cautione de stando juri, & parendis Mandatis Ecclesiæ. Quod si, juxta formam à jure præscriptam, apparebit, aliquem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare, necnon ob contumaciam manifestam, expensis quoque satisfacere, & cavere de judicio sisti coram excommunicatore, tenebitur, priusquam antedictam absolutionem obtineat. Præterea hujusmodi absolutiones cum reincidentia, à Judice appellationis, etiamsi sit antedictus judex, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus, cum clausula, ut *intra tres dies* absolvant, censuratos; dummodo tamen excommunicati in eodem loco sint, ubi degunt Ordinarii. Quòd si in eodem loco non sint, vel si Ordinarii præsentes, & requisiti, absolvere recusaverint, vel neglexerint, absolvantur à Confessario juxta formam ejusdem commissionis, à Judice appellationis, ut præfertur, expediendæ. Cæterum commissiones prædictæ de absolvendo, non ipsis Ordinariis immediatè & personaliter, sed eorundem Cancellariis præsentari debent, ut reverentia, Episcopis debita, sarta tecta servetur, & à præsentatione, Cancellario facta, prædicti *tres dies* numerari debeant. Cedulones autem, in casu absolutionis, obtinendæ ad certum tempus cum reincidentia, quatenus affixi fuerint, non amoveantur; sed dumtaxat tegantur, tectique remaneant durante termino in absolutione præfixo; salvâ tamen praxi ibidem servatâ de eorundem in nonnullis casibus amotione.

XV. De appellatione a sententia definitiva, in verum contumacem prolata.

A sententia definitiva, contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quævis provisio, durante contumacia, concedatur.

XVI. De appellatione in causis criminalibus à sententiis Ordinariorum.

Ubi in causis criminalibus Ordinarii locorum processerint ex officio, si ab eorundem sententiis appellatio vel ad Metropolitanum, vel ad prædictum Judicem interposita fuerit, tunc Procuratores fiscales Curiæ Metropolitanæ, vel Tribunalis præfati, Delegati, actoris vices gerant, & instantias, aliosque actus desuper necessarios peragant & prosequantur, ut prædictorum Ordinariorum sententiæ confirmationem & executionem, si ita fuerit justitiæ consonum, obtineant. Quod, si, dictis Procuratoribus fiscalibus non citatis vel auditis, contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istæ prorsus nullæ sint, ac irritæ cum omnibus actis gestis; quinimmo præcedentes Ordinariorum sententiæ executioni mandentur, perinde ac si appellatio ab ipsis interposita nullatenus fuisset.

XVII. De pauperibus litigantibus.

Pauperibus litigantibus condonentur sportulæ & emolumenta quæcumque, etiam Cancellario alioquin debita. Aliæ itidem quæcumque expeditiones gratis dentur, ac etiam copiæ publicorum instrumentorum sive testamentorum, nec non regesta & copiæ actorum, tansmittendorum ad Judicem appellationis: & hæc in causis tam civilibus, quam criminalibus. Quo verò ad probationem paupertatis, ea summariè fiat per testes, gratis similiter examinandos: & quoad ipsam paupertatem, stetur arbitrio Judicis.

XVIII. De causis criminalibus Regularium.

In criminalibus causis Regularium, quando deliquerint intra Claustra, Tridentini Concilii, & peculiarium illius Ordinis, quem quisque delinquens professus fuerit, constitutionum dispositio exactè servetur. Quod si delinquant extra Claustra, vel extra Monasterium degant, ab Episcopis, juxta ejusdem Concilii Tridentini & Apostolicarum Constitutionum præscriptum, judicentur & puniantur. Qui verò ab Episcopi judicio gravamen sibi illatum putaverint, recursum habere poterunt ad antedictum Judicem, qui, ubi appellatio admittenda de jure fuerit, causæ revisionem assumet. Quod si quis ab hujus etiam Judicis sententia vel decreto se gravatum existimaverit, ea serventur, quæ pro appellantibus à decreto Judicis delegati, supra exposita sunt. Si verò Prælati exempti, alios Superiores in Regno Siciliæ ultra Pharum non habentes, deliquerint, antedictus Judex Ecclesiasticus, tanquam Ordinarius, respectu exemptorum, contra eos, ut juris fuerit, procedat, servatâ semper regulâ circa modum præscriptâ.

XIX. De Judicis Ecclesiastici facultatibus.

Ne autem de facultatibus antedicti Judicis Ecclesiastici disputatio unquam oriri queat, constanter declaramus, quod ille, uti supra, à Rege Siciliæ ultra Pharum auctoritate Sedis Apostolicæ nominatus & delegatus, quascumque personas adversus sententias, res judicatas, ac contractus quoscumque, prout juris fuerit, in inte-

grum

integrum, restituendi plenam & liberam licentiam & potestatem exercere possit & debeat.

XX. De juramentis.

Juramenta quæcumque ad effectum agendi dumtaxat ex causa, quibuscumque relaxandi.

XXI. De absolutione à censuris.

Quoscumque à quibusvis censuris & pœnis Ecclesiasticis, simpliciter vel ad cautelam, si, & postquam congruè, prout debuerint, tam partibus, quàm Judicibus, satisfecerint; firmis tamen manentibus, servatisque, respectivè, iis, quæ circa modum & ordinem impertiendæ absolutionis superiùs præscripta sunt, absolvendi.

XXII. De absolutione ab excommunicationibus, ob varia crimina illatis.

Quoscumque itidem, qui homicidium, nec non perjurii reatum quomodocumque commiserint, quique bellis interfuerint, & qui adulterium, incestum, fornicationem, & aliud quodcumque flagitium carnis perpetraverint; necnon usurarios, facta tamen usurarum restitutione, ab excommunicationibus, aliisque sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis & temporalibus, quas quomodolibet incurrerint, injunctâ cuique pro modo culpæ, pœnâ salutari, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, etiam in utroque foro absolvendi.

XXIII. De censuris, per Apostolicas constitutiones inflictis.

Declaramus tamen, nec prædictum Judicem Ecclesiasticum, nec quamcumque aliam Ecclesiasticam personam cujuscumque gradus, dignitatis & præeminentiæ sit, & quamvis de latere Legatus existat, potuisse aut posse aliquem absolvere à censuris Ecclesiasticis, per Apostolicas Constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Et licèt hoc ipsum procedat etiam quoad illud genus absolutionis, quòd cum reincidentia, & ad effectum agendi tantùm, aut ad cautelam, dicitur, & quoad cognitionem, an declaratoria censurarum prædictarum valida fuerit, aut nulla, justa vel injusta, cùm hæc quoque omnia Romano Pontifici pro tempore existenti, & Congregationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Immunitatis Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præpositæ, ad id à Sede Apostolica specialiter deputatæ, privativè quoad omnes alios, etiam de Latere Legatos competat; Attentis nihilominùs specialibus circumstantiis, animum nostrum moventibus, declaramus, quòd præfatus Judex Ecclesiasticus, tanquam à carissimo in Christo Filio nostro Carolo VI. Siciliæ ultra Pharum Rege, ejusque in posterum Successoribus, ut supra, deputatus & delegatus, servatis de jure servandis & citra quemcumque abusum, concedere possit recurrentibus à gravamine, quod in declaratoria censurarum, Sedi Apostolicæ reservatarum sibi illatum esse demonstraverint, absolutiones cum reincidentia, ad effectum agendi tantùm, & etiam ad cautelam; necnon cognitionem assumere, an prædictæ declaratoriæ censurarum, Sedi Apostolicæ reservatarum, promulgatæ ab Episcopis aut Archiepiscopis Regni Siciliæ ultra Pharum, fuerint validæ, aut nullæ, justæ vel injustæ; ita tamen, ut, si solius nullitatis vitio laborare cognoverit, Episcopo vel Archiepiscopo, qui ad earum declarationem, respectivè, processerint, mandet, ut ex integro procedant, reservatâ, post novam declaratoriam, absolutione plenaria Sedi Apostolicæ. Et quatenùs nullitatis & injustitiæ, vel solius injustitiæ vitio laborare cognoverit, declaret, recurrentes non incurrisse: & si declaratoriam justam esse deprehenderit, recurrentes pro absolutione ad eandem Sedem Apostolicam remittat. Quòd si præfatus Judex delegatus ipse fuerit, qui ad declaratorias processerit, & censuratus se gravatum fuisse prætenderit, aut ex capite nullitatis, aut nullitatis & injustitiæ, aut solius tantùm injustitiæ; tunc ea observentur, quæ suprà statuta fuerunt in casu, quo quis à sententia, aut ab alio quocumque decreto ejusdem Judicis se gravatum senserit: novusque Judex Ecclesiasticus ea omnia servare teneatur, quæ Judex ipse delegatus juxta ea, quæ modò dicta sunt, servare tenetur in casu recursus, ad ipsum facti, à nulla, vel injusta declaratoria censurarum, Sedi Apostolicæ reservatarum, quæ ab Episcopis vel Archiepiscopis, respectivè, fuerint promulgatæ.

XXIV. De literis monitorialibus.

Prætereà quascumque monitoriales, pœnalesque litteras in forma *significavit*, consueta, contra occultos & ignotos malefactores, satisfacere: conscios verò revelare differentes, servatâ tamen formâ Concilii Tridentini, necnon Constitutionis Pii Papæ V. Prædecessoris nostri, super hæc editæ, concedendi.

XXV. De commutatione votorum, deque matrimonialibus dispensationibus, in tertio & quarto gradu pro pauperibus tantum, & gratis, ex speciali facultate concedendis.

Nec non vota quæcumque; ultramarino tamen, visitationis liminum beatorum Petri & Pauli Apostolorum de Urbe, & sancti Jacobi in Compostella, & castitatis ac religionis votis, exceptis, in alia pietatis opera commutandi. Tum etiam nationis Siculæ commoditati & utilitati prospicere volentes, eidem Judici, uti suprà, nominato & delegato à Siciliæ Rege ultrà Pharum, facultatem specialem elargimur matrimoniales dispensationes concedendi in tertio & quarto gradu; gratis tamen, nulloque recepto, vel minimo emolumento; & favore eorum tantùm, qui verè pauperes sunt, & miserabiles, & labore manuum suarum vivunt.

XXVI. De absolutione à censuris, ad effectum præmissorum consequendum.

Et ut concessiones, gratiæ & literæ per antedictum Judicem, sic, ut suprà, concedendæ, sublatis obstaculis, suum sortiantur effectum, quascunque personas, ad effectum dumtaxat omnium, & singulorum præmissorum consequendum, ab omnibus & quibuscumque excommunicationibus, suspensionibus & interdictis, aliisque Ecclesiasticis censuris, quibus innodati fuerint, absolvendi, & absolutas pronunciandi.

XXVII. De causis, in quibus agitur de executione literarum Apostolicarum.

Pro majori tamen cautela, ea, quæ infra sequuntur, declaramus & decernimus; videlicet, non posse, nec debere prædictum Judicem sese ingerere in causis, in quibus agitur de executione literarum Apostolicarum, etiam super collatione quorumcunque Beneficiorum Sæcularium vel Regularium, pro quarum executione certi sunt dati executores, quorum à decreto, seu data executione, si fuerit quoquomodo reclamatum, & de illato gravamine, vel excessu dictum; tunc idem Judex in hisce causis in omnibus, & per omnia, ut suprà de aliis dictum & declaratum est, procedat.

XXVIII. De Subdelegatis, à Judice Ecclesiastico deputandis.

Deputare etiam non poterit Subdelegatos, in Diœcesibus prædicti Regni commorantes, multoque minùs eis concedere exemptionem à jurisdictione suorum Ordinariorum, præterquam unum; qui tamen Ecclesiasticus sit, in quacumque Episcoporum residentia, & in præcipuis aliis Regni civitatibus, ut sunt Drepanum, Therme, Mile, & Mazara, seu Augusta; vulgò *Trapani*, *Termini*, *Melazzo & Augusta*, nuncupatis.

XXIX. De literis patentibus exemtionis.

Prætereà nemini concedi poterunt litteræ patentes exemptionis à jurisdictione sui Ordinarii ex titulo inserviendi Curiæ vel Tribunali ipsius Judicis delegati; exceptis tantum ministris & Officialibus necessariis: qui tamen in toto Regno non sint ultra quinquaginta, præter eos, qui præcipuis primæ, secundæ & tertiæ instantiæ Ecclesiasticis Curiis Panormi inserviunt.

XXX. De disciplina & observantia Regularium.

Nullatenus quoque idem Judex Ecclesiasticus nec in prima instantia, nec in gradu appellationis aut recursus, aut per modum provisionis, sese ingerat in quomodolibet concernentibus disciplinam, & observantiam regularem personarum utriusque sexus; distributionem officiorum; collocationem Regularium in uno aut altero Monasterio aut Con-

ventu; ordinationes circa chorum & allocutorium Monialium, earumque Clausuram; designationes cellarum, aliaque similia; sed in his omnibus procedatur ab iis, ad quos pertinet, juxta sacros canones, statuta singulorum Ordinum, & Apostolicas constitutiones.

XXXI. De Præsidibus Capitulorum, & superioribus atque officialibus in monasteriis.

Caveat similiter, ne deputet Præsides Capitulorum, Superiores vel Abbatissas, Vicarios vel Vicarias, vel qualescumque Officiales in Monasteriis vel domibus regularibus utriusque sexus ex quocumque titulo vel colore, sive inconvenientium, sive diffidiorum, sive discrepantiæ suffragiorum, etiam per viam actuum provisionalium; sed omninò liberæ remaneant, juxta sacrorum canonum præscriptum, & ipsorum Ordinum regularium statuta electiones & deputationes omnium Prælatorum & Officiorum.

XXXII. De Magistris, Prælectoribus, & Rectoribus Studiorum.

Itidem nequeat, etiam per modum provisionis, deputare Magistros, Lectores, Rectores Studiorum, neque in possessione munerum, vel officiorum confirmare eos, qui, finito tempore, à constitutionibus suorum Ordinum præscripto, debent illa dimittere, vel qui remoti à legitimis Superioribus fuerint. In causis autem inter Regulares, verè contentiosis, & in quibus esse potest de jure locus appellationi, expleto cursu judicii in unoquoque Ordine Regulari, à suis constitutionibus præfinito, si succumbentes prosequi intendant; tunc causæ ad prædictum Judicem Ecclesiasticum devolvantur, qui procedere teneatur, servatis in omnibus & per omnia iis, quæ supra, quoad aliàs causas statuta sunt; ita tamen, ut in causis nullitatis professionis tam ante, quàm post lapsum quinquennii, nullo modo se interponat; sed illæ ad normam omninò sacrorum canonum & sacri Concilii Tridentini Sessione XXV. *de Regularibus* Cap. XXIX. cognoscantur & terminentur.

XXXIII. De usu jurisdictionis, Episcopis à Concilio Tridentino concessæ.

Ad hæc Delegatus non impediat usum jurisdictionis, à Sacro Concilio Tridentino Episcopis, uti Sedis Apostolicæ Delegatis, in exemptos sæculares Clericos attributæ; facultatem tamen habet idem Judex Ecclesiasticus procedendi etiam in prima instantia in eorumdem Clericorum sæcularium exemptorum causis, tam civilibus, quàm criminalibus, easdemque, juris ordine servato, cognoscendi ac judicandi; Et in casu appellationis à decretis vel sententiis ejusdem Judicis delegati, in manibus ea serventur, quæ suprà hac de re statuta sunt.

XXXIV. De gravioribus Episcoporum causis.

Quoad graviores Episcoporum & Archiepiscoporum causas, servetur omninò dispositio sacrarum Constitutionum, & Sacri Concilii Tridentini Sessione XXIV. Cap. V. *de Reformatione*. In aliis verò minoribus & civilibus causis, in quibus Episcopi aut Archiepiscopi Regni Siciliæ ultrà Pharum, non actores, sed rei sunt, Delegatus jus habet judicandi etiam in prima instantia, si causa sit Archiepiscopi vel Episcopi, exempti à jurisdictione Metropolitica (& signanter quoad omnes in causis solutionis pensionum:) & in secunda tantùm instantia, si causa sit Episcopi, juri Metropolitico subjecti. Tunc enim in prima instantia causa ab Archiepiscopo erit judicanda. In casu autem appellationis à judicio Delegati, serventur omnia in superioribus disposita.

XXXV. De officio judicis Ecclesiastici erga mandata Apostolica.

Denique, ut Nos, nostrique Successores Romani Pontifices, diligenter curabimus, ut suprà disposita ac statuta ad amussim serventur, quæ vim, & effectum habere Concordiæ statuimus & decernimus: nec quidquam à nostris Ministris sub quovis prætextu vel colore peragatur, quod eorumdem observantiam & executionem retardare vel impedire possit; ita dictus Judex Ecclesiasticus nullas sibi sumat partes, etiam per modum provisionis, vel sub alio quovis prætextu, contra ordinationes & mandata, quæ vel nostra, vel nostrorum pro tempore Successorum propria manu per speciale rescriptum signata & subscripta erunt: nec eorum executionem, quantùm in ipsomet sit, audeat impedire vel retardare; sed eisdem debita reverentia, observantia & executio omninò præstetur.

Decernentes, omnia & singula, in superioribus expressa per nullum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, aliasque personas, quacunque alia auctoritate, dignitate, & præeminentia fulgentes, impugnari unquam posse, aut debere, præsentesque semper & perpetuò validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere debere, atque ab omnibus & singulis, ad quos spectat, sive spectabit, firmiter & inviolabiliter observandas esse, nulloque unquam tempore notari, retractari, invalidari, inque jus, vel controversiam vocari posse; ipsasque præsentes sub quibuscumque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos ipsos & Successores nostros Romanos Pontifices factis & faciendis, concessis & concedendis, minimè comprehendi; sed statuimus, easdem has litteras, tanquam ad Ecclesiarum Siciliæ tranquillitatem & pacem à nobis editas, semper omninò excipiendas: & quidquid secùs super his, ut præfertur, per nos approbatis, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus consuetudinibus, privilegiis & indultis, quomodocumque in contrarium præmissorum aliàs concessis. Clausulæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, concordiæ & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Nemo has litteras infringere audeat.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo septingentesimo vicesimo octavo, tertio Kalendas Septembris, Pontificatus nostri, anno quinto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

Visa

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Francischinus R. C. A. Secretarius.

Literæ in Forma Brevis, quibus R. P. D. Camillo Cybo Patriarchæ Constantinopolitano, Sac. Palatii Apostolici Præfecto, ejusque Successoribus Jurisdictio Civilis, Criminalis, & mixta conceditur cùm diversis facultatibus. L.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Constitutio Innoc. XII. quæ incipit: *Romanus Pontifex* XV. Kal. Octob. suppressit Tribunalia particularia ex Privile-

CUm occasione Constitutionis fel. rec. Innocentii PP. XII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Romanus Pontifex* XV. Kalendas Octobris MDCXCII. editæ, per quàm idem Innocentius Prædecessor particularia Tribunalia, & speciales Judices vigore privilegiorum à Romanis Pontificibus

Præde-

giis Romanorum Pontificum Constituta, eaque ad jus commune reduxit.
Inde obortæ controversiæ de Jurisdictione Sac. Palat. Apost. Præfecti, non obstantibus Canonum, legumque dispositione, Gentium moribus, & longæva ipsis Romanis Pontificibus annuentibus Consuetudine.
Crebræ de hoc querimoniæ ad SS. Dominum delatæ, indeque incommoda, & damna frequentia.
Ad ea, aliaque tollenda per has litteras in forma Brevis sequentes conceduntur facultates Præfecto Sac. Palat. Apost.

Prædecessoribus suis diversis temporibus concessorum in Curia Romana eatenus constituta, & constitutos suppressit, abolevit, & abrogavit, privilegiaque ejusmodi ad viam, & terminos juris reduxit; Variæ identidem obortæ sint lites, & controversiæ super jurisdictione Præfecti Palatii Apostolici, quæ per eamdem Constitutionem, non secus ac aliorum particularium Judicum ex privilegio, ita sublata fuisse contendebatur, ut nec quævis Sacrorum Canonum, Legumque Civilium dispositio, nec omnium ferè gentium mores, & consensus, neque quantumvis longæva, ac scientibus, & prudentibus Prædecessoribus prædictis anteà servata consuetudo, ac ejusdem jurisdictionis exercitium ipsi Præfecto Palatii Apostolici quicquam de cætero adversùs memoratam Constitutionem suffragari possent: Contra verò crebræ ad Nos querimoniæ delatæ fuissent, à recto ordine, & ratione planè alienum esse, causas interesse ejusdem Palatii concernentes alibi, quàm coram ipsius Palatii Præfecto agitari, Familiaresque nostros ad quælibet Almæ Urbis Tribunalia non sine obsequii, quòd Nobis, & Palatio prædicto impendunt, detrimento distrahi. Hinc est, quòd Nos ejusmodi lites, & controversias, quæ promptam justitiæ administrationem impediunt, aliaque multiplicia incommoda, ac turbas adferunt, dirimere, simulque omnem de cætero dubitandi in præmissis occasionem penitùs tollere cupientes; atque non minùs ad Romani Pontificis pro tempore existentis decus, & dignitatem, quàm ad ipsius Palatii Apostolici providum regimen, & utilitatem, ac dictorum Familiarium commoditatem, nostræ dirigentes considerationis intuitum, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad id à Nobis specialiter deputatorum, qui rem ipsam maturè, ac diù discusserunt, consilio, Venerabili Fratri Camillo Patriarchæ Constantinopolitano moderno, ac pro tempore existenti ejusdem Palatii Apostolici Præfecto (firmâ in reliquis remanente enarratâ Innocentii Prædecessoris Constitutione) in quibusvis Causis interesse ipsius Palatii Apostolici quomodolibet concernentibus civilibus, criminalibus, & mixtis, omnimodam, & privativam; ac quoad delinquentes in Palatio Apostolico, ubi Romani Pontifices pro tempore resident, seu eorum residentiæ deputato, vel deputando, & delicta inibi perpetrata, prout quoque quoad delicta etiam extra Palatium hujusmodi, ubicumque inter nostros, & ejusdem Pontificis Familiares commissa, plenariam, & privativam itidem; in delictis autem, quæ extra dictùm Palatium inter Familiarem, & non Familiarem admissa fuerint, si Reus fuerit Familiaris, similiter privativam, sin minùs, cumulativam cùm aliis Judicibus cæteroquin competentibus; quòd verò ad Causas Civiles attinet, ubi dumtaxat Familiaris sit reus, & executivè tantùm procedatur, privativam quoque Jurisdictionem cùm omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Et si agatur actione reali adversùs Familiarem ejusmodi, tunc eidem Præfecto Palatii sola competat facultas concedendi licentiam exequendi sententias, mandata, vel decreta, vulgò *Exequatur*, quæ absque reassumptione cognitionis meritorum Causæ præstetur, quòd & cùm Artificibus, aliisque Patentibus ejusdem Palatii Apostolici munitis ex veteri more, & æqua honestate servatur. Declarantes, quòd nomine Familiarium non veniant nisi in Albo, seu Tabella dicti Palatii, & ut vulgò dicitur *Rollo* descripti, quodque memorata Jurisdictio in omnibus casibus præmissis concessa sit, & esse, ac competere intelligatur, sive Delinquentes, & Familiares, aut aliæ personæ hujusmodi Ecclesiasticæ, ac etiam in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, sive Sæculares fuerint. Porrò eidem Camillo Patriarchæ, ac pro tempore existenti Palatii Apostolici Præfecto, ut

Privativè Civiliter, & Criminaliter procedendi in Causis interesse ejusdem Palatii tangentibus.
Privativè quoad Delinquentes in eodem Palatio.
Privativè in delictis extra idem Palatium commissis inter Familiares.
Item privativè in delictis inter Familiarem, & non Familiarem, si Familiaris Reus sit, aliàs cumulativè.
Privativè procedendi in Casibus Civilis Familiarium, ubi executivè agatur.
In Actionibus verò realibus contra Familiares ad executionem non procedatur, nisi de licentia ejusdem Præfecti, prout, & quoad Artifices, & Patentatos observatur.
Qui ad effectum præsentium, pro Familiaribus habendi sint.
Præservetur Præfectus Sacri Palatii Apostolici ab Irregularitate.

muneris hujusmodi, ac præmissorum ratione, & occasione, in negociis, & Causis criminalibus quibuscumque, quoties opus fuerit, se immiscere, & in eis consilium, mandata, & jussiones tam verbo, quàm in scriptis dare, ac debitæ executioni demandare, seu demandari facere, etiamsi sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, seu etiam mors inde sequatur, liberè, & licitè, ac absque alicujus pœnæ, vel Censuræ Ecclesiasticæ incursu possit, & valeat, dummodò tamen à sententia in Causa sanguinis per seipsum ferenda omninò abstineat, Auctoritate, & tenore præfatis facultatem concedimus, & impertimur. Decernentes ipsas præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, nec causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu adversùs illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Adimitur facultas has Literas quomodolibet impugnandi.

Item Facultas aliter judicandi.

Clausulæ derogatoriæ.

Non obstantibus, quatenùs opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, & quoad ea, quæ præsentibus adversantur, præfata Innocentii Prædecessoris, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & insererentur, præsentibus

pro

pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXIV. Septembris M DCC XXVIII. Pontificatus nostri, anno V.

F. Cardinalis Oliverius.

LI. Sanctissimi D. N. D. BENEDICTI PAPÆ XIII. Declarationes super quibusdam Dubiis, circa intelligentiam contentorum in Constitutione Pretiosus excitatis, emanatæ. Foris. Sanctissimo D. N. D. BENEDICTO PAPÆ XIII. pro Magistro, ac Procuratore Generalibus Ordinis Prædicatorum. Intus verò, Beatissimè Pater.

Beatissime Pater.

MAgister, ac Procurator Generales Ordinis Prædicatornm, provoluti pedibus S. V. humillimè eidem exponunt, exorta hactenus fuisse plura Dubia circa intelligentiam Constitutionis - - *Pretiosus* - - super quibus maximè Ordo ipse vexatur. Quoniam verò Divinæ placet Providentiæ, ad Ecclesiæ, ejusdemque Ordinis firmamentum, Beatitudinem Vestram in vivis, juxta fervida Oratorum, ac Ordinis vota, conservare, eapropter supplices exorant; quatenùs dignetur Sanctitas Vestra ore proprio Apostolicam circa eadem Dubia mentem aperire. Dubia verò selectiora, ac graviora hæc sunt.

Primò. An stantibus omnimoda subjectione, ac dependentia à Superioribus, aut Delegatis Ordinis, præscriptâ à S. Vestra Confratribus, aut Congregatis quarumcumque Societatum, pro tempore in Ecclesiis, Oratoriis, aut Claustris Ordinis prædicti, erectarum, vel etiam convenientium pro opere pio, aut devotione aliqua exercenda: necnon omnimoda pertinentia ad Ecclesias, & Conventus Ordinis ipsius, bonorum quorumcumque prædictarum Societatum; harum Confratres, sive Congregati, etiam illi, qui aliàs peculiare Oratorium, ac Societatem aliam ab Ordine independentes habeant, in eligendis, removendis, mutandis Officialibus, in Processionibus, custodia, usu, administratione quarumlibet rerum, atque in omnibus, & singulis aliis, quæ quomodocumque pertineant ad Societates ipsas, fundatas, vel quatenùs convenientes, ut suprà, ad Ecclesias, Oratoria, aut Claustra, prædictam subjectionem, & dependentiam, sub pœnis in Constitutione taxatis, habere - - Mobilia verò, & signanter Sacræ Imagines, & supellectilia, eorumque, sicut & cujuslibet Altaris, Oratorii, Sacrarii, ac Ecclesiæ, claves, penes Fratres residere: hisque Confratres, & Congregati prædicti, tamquam veri, & simplices bonorum Ordinis Ministri, & Administratores, in majus Dei servitium à Fratribus ipsis assumpti, &, data saltem occasione, amovibiles, *privativè* quoad Ordinarios quoscumque locorum, rationem administrationis cujuscumque generis bonorum, toties quoties requisiti fuerint, reddere: necnon *privativè* quoque quoad Ordinarios prædictos, Superiores tamquam verè propria, ac pleno jure, non ad Confraternitates quasvis Laicorum, sed ad Ordinem pertinentia, non solùm Oratoria, aut Ecclesias, quæ ante Ordinis ingressum ad Societates illas spectabant, ac Ordini postmodum per unionem perpetuò accesserunt, sed etiam Oratoria, Capellas, Altaria Societatum quarumvis, in Ecclesia Parochiali Ordini perpetuò unita, vel unienda, erectarum, necnon Societatum Sanctissimi Nominis Jesu, Rosarii, aliarumque ad Ordinem spectantium, usibus quandocumque extra Ecclesias, aut Claustra Ordinis destinata, vel destinanda, quamvis ipsarum Societatum, aut Confratrum expensis fabricata, vel fabricanda: eorumque supellectilia, & ornamenta quæcumque, in omnibus, & per omnia ad instar bonorum, supellectilium, ac ornamentorum Societatum per solos Fratres ipsos dumtaxat in omnibus, & per omnia, administratarum, sive aliàs pleno jure, & dominio ad Ordinem ipsum pertinentium, visitare, tanquam verè dispositioni Concilii Tridentini *Sess. XXII. Cap. VIII. & IX.* pluribusque Congregationum Episc. & Regul. ac Concilii, Decretis, non subjecta, debeant, ac teneantur?

II. An spectatâ immediatâ soli Summo Pontifici, ac Romanæ Ecclesiæ, Ordinis, ac omnium, & singulorum ad ipsum spectantium, Subjectione, cum amplissima exemptione prædictorum omnium à jurisdictione cujuscumque alterius, à Sanctitate Vestra in confirmatione, ac innovatione Constitutionum Prædecessorum suorum validissimè firmata, & si opus sit, restituta, Ordinarii quicumque locorum, Capellas, Oratoria, aut Altaria quæcumque, etiam in Grangiis Ordinis erecta, aut in Ecclesiis Parochialibus Ordini perpetuò unitis, vel uniendis, saltem cùm clausula - - *Salvis Juribus Episcopalibus* - - præter Altare Parochiæ, ac cætera, animarum curam, & administrationem Sacramentorum, ad tramites Concilii Tridentini *Sess. XXV. Cap. XI.* spectantia, alia Altaria, aut Ecclesias ipsas: aut ornamenta, supellectilia, & mobilia Altaris, cui sit adnexum Beneficium aliquòd Sæculare, à Fratribus prædictis posita, posita verò à Beneficiato, non assistente Superiore locali Ordinis, visitare - - Prælati verò inferiores, Parochi, Capitula, aliive Clerici Sæculares in Ecclesiis, Oratoriis, Claustris, Capellis quibuscumque Ordinis, hucusque dictis, Officium Parochiale exercere: conciones, aut sermones habere: Sacramenta administrare, vel infirmis ministrandâ accipere; Cadavera sepelire, vel, non determinata cùm Fratribus congruâ delationis horâ, portare: Missas cantare, vel, liberè, non annuentibus Fratribus ipsis, celebrare: Exequias quaslibet, exclusis Fratribus, vel, iisdem admissis, solemnes cùm thurificatione, aut aspersione aquæ benedictæ, aut aliter, quàm à Sanctitate Vestra permissum est in sæpedicta Constitutione - - §. 74. sivè non liberè, ultrà unum dumtaxat Parochum, à Defuncto ante mortem, vel post mortem ab hæredibus, electi, aut vocati; ac aliam quamcumque functionem peragere possint, & valeant?

III. An circa approbationem Fratrum, prævio examine, ad Confessiones Sæcularium audiendas Episcopi teneantur juxta sancita à sa. me. Clemente X. in Bulla - - *Superna* - - Fratres *generaliter repertos idoneos generaliter quoque, & sine limitatione temporum, locorum, aut personarum* approbare: ac saltem Fratres graduatos, sive ætate maturos in primo examine simpliciter, ac generaliter eodem modo approbare, vel reprobare, quòd aliàs à Congregatione Concilii decretum universaliter refertur; Subindeque non obstante aliàs consuetâ in Patentibus Litteris, ad eas pro arbitrio Episcoporum renovandas, temporis præfixione, semel sic approbatos, nisi gravis superveniat causa, confessiones ipsas spectans, à Confessionibus suscipiendis arceri, aut suspendi non possint?

IV. An, ut firma, & illibata permaneant quæ post Triden. *Sess. V. Cap. II.* S. Pium V. & Clementem X. Prædicatoribus Ordinis Sanctitas Vestra concessa voluit, Fratres pro habendis Concionibus Quadragesimalibus, aut Annualibus, in Ecclesiis, aut Oratoriis ejusdem ipsorum Ordinis, solummodò, & quidem ad terminos Constitutionis prædictæ laudati Clementis X. Benedictionem ab Episcopo petere, Licentiam verò, ac Litteras Patentes, nec non pro singularibus concionibus morali-

bus,

bus, sive panegyricis, atque pro promovendis Societatibus supradictis, Benedictionem à solo eorum Superiore dumtaxat petere, & obtinere teneantur; Hæcque etiam locum habere debeant ex Bulla - - *Pretiosus* - - ubi iidem Fratres in Ecclesiis, aut Oratoriis prædictis soli in Quadragesima, vel per annum Conciones habere solent, ac consueverunt, ac etiamsi electionem, nominationem, aut etiam eleemosynam à Communitate quacumque extranea, atque insuper intra prædicta tempora Conciones, aut Sermones singulares in Ecclesiis, quæ non sunt ipsius Ordinis, ex devotione Cleri, vel Populi, consuetudine, aut etiam conventione aliqua, sint habituri? Quum obstet Decretum Congregationis Concilii in una *Theanen.* post emanatam Constitutionem ipsam - - *Pretiosus* - - latum 19. *Junii* 1728.

V. Circa Ordinariam Jurisdictionem in Moniales sibi subjectas, quàm restitutam voluit S. V. Ordini suo ad terminos Trident. & Constitutionem S. Pii, An ad Episcopum pertineat, ultrà explorationem volu atis puellæ juxta idem Concilium *Sess. XXV. Cap. XVII.* dare facultatem ad congregandum Capitulum pro vestitione, aut professione, sive ad dandum habitum, aut emittendam professionem: aut exigere attestationem de peractis exercitiis spiritualibus: disponere etiam *privativè* quoad Superiores Ordinis de dote ipsius post emissam professionem; *privativè* quoque, aut *cumulativè* cùm ipsis, dare licentiam pro extraneorum accessu ad colloquendum Monialibus, aut subscribere licentias pro ingressu Monasteriorum in casibus necessitatis, non obstante contraria ejusdem Trident. dispositione juxta declarationem S. Pii V. in Constitutione - - *Etsi Mendicantium* - - à Sanctitate Vestra confirmatam: In Visitatione quoque, ac ingressu Clausuræ, Episcopo toties quoties opus erit, facultate ab ipso Tridentino, ac S. Sede delegata, competentibus, aliud quodcumque præter Clausuram ipsam materialem, aut non associante Superiore, visitare, ac etiam ingrediendo cùm Pluviali, & Stola contra Decretum Congregationis Concilii in una *Florentina* 29. *Julii* 1684. aut cùm præparatione, non Strati, sed Sedis cùm Baldachino in alterutra, aut in utraque Ecclesia, aut receptus à Monialibus processionaliter, sive cum Cruce erecta, aut cum Cantico *Benedictus*, aut ab ipsis accipiendo Crucem deosculandam, contra Decreta prædictæ Congregationis - - *ad Dubia Visitationis Clausuræ* 19. *Januarii* 1686.?

VI. Quantùm ad personas utriusque sexus Tertii Ordinis Sancti Dominici, an spectatis omnibus, quæ Sanctitas Vestra mandare dignata est, illæ, quæ non habent requisita omnia in Constitutione - - *Pretiosus* - - præscripta, sed absque Voto in domibus propriis degunt, nec habitum Ordinis patenter, sed vel absconditum, vel in signo, aut parte aliqua ejusdem, deferunt, solis tantummodo Indulgentiis, & gratiis spiritualibus, Tertio Ordini ibidem concessis, &, si sint Clerici in Sacris Ordinibus constituti, etiam facultate recitandi Officium, ac respectivè celebrandi Missam, sub ritu tamen Romano, de SS. ac BB. Ordinis Prædicatorum, juxta Indulta huic Ordini à S. Sede facta, vel facienda, dummodò tamen in iis, quæ proprium Institutum spectant, Magistro Ordinis in eadem Constitutione præscriptam obedientiam, ac reverentiam servent: Personæ verò seorsim in domibus privatis cùm voto, habitu, & Regula ejusdem Tertii Ordinis viventes, etiam pro anno Probationis, non minùs, ac quæ collegialiter vivunt, omnibus, & singulis in prædicta Constitutione, & signanter circa Sacramentorum receptionem, & earum Cadaverum post mortem Sepulturam, necnon plenissimam exemptionem à Jurisdictione cujuscumque Ordinarii, concessis, frui, gaudere, & potiri possint, & debeant? Possint nihilominùs Superiores Ordinis, ad tollendas innumeras lites, absque ullo præjudicio propriæ Jurisdictionis processu cujuscumque longissimi, etiam centum, & biscentum annorum, temporis, ubi non adsit legitima consuetudo in contrarium, ante, vel post editam Constitutionem ipsam - - *Pretiosus* - - introducta, ac ubi Parochus citra omnem controversiam, & difficultatem acquiescat, & non aliter, permittere, quatenùs Parochus ipse hisce prædictis Tertiariis mortaliter, aut habitualiter infirmis, Sacram Eucharistiam in mortis articulo, Paschate, & in aliis anni solemnitatibus, ac etiam, urgente peculiari aliquo rationabili motivo, Extremam Unctionem, ministrare, earumque Cadavera, cum obierint, usque ad fores Ecclesiarum Ordinis exclusivè associare, tumque titulo congruæ Eleemosynæ, non verò cujuscumque Parochialis Quartæ, aut cujuscumque alterius Canonicæ portionis sibi debitæ, juxta Taxam inter Ordinarium, & Superiorem Loci, per modum regulæ perpetuò retinendæ, firmandam, illud, quòd ab iisdem conveniens judicatum fuerit, recipere liberè, ac licitè possit, ac valeat?

VII. An Declarationes, quas vivæ vocis Oraculo super iis dubiis edere dignabitur S. V., censeri debeant, tanquam literaliter scriptæ, insertæ, & expressæ in prædicta Constitutione - - *Pretiosus* - - etiam cùm avocatione, & extinctione litium desuper pendentium; facultate sublata cuicumque Tribunali, etiam S. R. E. Cardinalibus, aliter judicandi, declarandi, & definiendi: Decreto irritante: commissione executionis: mandato de habenda Fide exemplaribus etiam impressis: cum aliis omnibus in eadem Constitutione contentis: & signanter cum clausulis præservativis, ac derogativis quibuscumque obstantibus, itaut non solùm ibidem recensitis, sed etiam censeri debeat, ac sit, derogatum, omnibus, & singulis individuis etiam conventionibus, etiam in limine fundationis, etiam cum juramento factis, Provincialibus quoque, & Synodalibus Decretis, Tribunalium quorumcumque sententiis, ac Congregationis S. R. E. Cardinalium Responsionibus, Decisionibus, Decretis, Rescriptis, Resolutionibus, & prædictis quidem, etiamsi semel, vel pluries, etiam in forma specifica, & specialiter à S. Sede approbatis, vel confirmatis, sive etiam clausulis, & formulis undequaque extraordinariis conceptis, approbatis, vel confirmatis, ac etiam quavis specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, mentione dignis, itaut eodem pacto pro insertis haberi debeant?

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Die 28. Septembris 1728.

Facta per me relatione Sanctitas Sua, benignè declarando dubia, ut in adjunctis precibus excitata, *ad Primum: Tertium: Quartum: Sextum: & Septimum*, respondit *in omnibus Affirmativè.*

Ad Secundum, verò, *& Quintum, Negativè in omnibus.* Per id tamen Sanctitas Sua Episcopis, qui *privativè*, vel *cumulativè* Licentias pro accessu, vel ingressu in Monasteria subjecta Ordini, dare, vel subscribere aliàs consueverunt, non intelligit prohibere, quin possint etiam in postremum easdem dare, vel subscribere, *cumulativè* tamen semper cum Ordinis Superioribus, & non aliàs. Ubi autem iidem Episcopi renuant, sufficiat Licentia, sive subscriptio Ordinis Superiorum ad utrumque effectum. Decretis Congregationum, Constitutionibus Apostolicis, Consuetudinibus, & aliis quibuscumque, quomodolibet in contrarium facientibus, quoad omnia superiùs declarata, minimè refragantibus.

L. † S. I. Card. Accorambonus Pro-Auditor.

LII.

Pragmatica juxta Literas S. C. C. Majeſtatis pro obſervantia Bullarum Apoſtolicarum in vim Concordiæ, circa uſum Jurisdictionis Eccleſiaſticæ Tribunalis Apoſtolicæ Legatiæ, nuncupatæ Regiæ Monarchiæ hujus Siciliæ Regni.

CAROLUS Divina Favente Clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hiſpaniarum, & Siciliæ Rex, &c.

VIce-Rex, & Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno Illuſtribus, Spectabilibus, Magnificis, & Nobilibus Regni ejusdem, Magiſtro Juſtitiario, Præſidibus Regiorum Tribunalium, Judicibus M. R. C. Magiſtris Rationalibus, Theſaurario, & Conſervatori Regii Patrimonii, Judicibus Conſiſt. S. R C. Advocatis quoque, & Procuratoribus Fiſcalibus, cæterisque demùm dicti Regni Officialibus majoribus, & minoribus, præſentibus, & futuris, cui, vel quibus ipſorum præſentes, præſentatæ fuerint, aut quomodolibet pervenerint Conſ. Reg. & fid. dil. Salutem. Per via di noſtra Real Segretaria è ſtato rimeſſo un Biglietto del tenor, che ſiegue: Eſtando ya convenida, y ajuſtada entre el Emperador, y Rey nueſtro Sennor (Dios le guarde) y nueſtro Santiſſimo Padre Benedicto decimo terçio la Bulla de concordia ſobre el uſo, y exerçiçio del Tribunal de la Monarquia deſte Reyno, ſegun ſe obſerva en la adjunta executoria de un Real Deſpacho ſu fecha de 10. de Noviembre p. p. que comprehende la miſma Bulla con la extenſion de treinta y cinco Capitulos; Me manda S. E. remitirla à V. S. paraque en la conformidad que S. M. lo ordena ſe extienda, y publique por eſſe Sacro Conſejo una Pragmatica, inſiriendo en ella el Real Deſpacho, que la preſcrive, con las ſolemnidades, y requiſitos correſpondientes à la exacta, religioſa, e inviolable obſervançia de los mençionados Capitulos, y Reglas concordadas; ſugetando à los Transgreſſores à la pena de la Real Indignaçion de S. M. y à las, que ſin violençia pareçieren arbitrables para el ſoſtenimiento de dicha concordia, y ſu indiſpenſable perpetuidad, deviendo dar buen cuenta à S. B. de averla executado en eſta conformidad. Dios guarde à V. S. muchos annos. Palermo 1. de Febrero 1729. El Conde de Quiros: Al Sacro Conſejo. Ed accluſa con il ſudetto preinſerto Biglietto l'eſecutoria di Ceſareo Real Diſpaccio del tenor ſeguente: Carolus Divina favente Clementia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hiſpaniarum & Siciliæ Rex, &c. Vice-Rex, & Generalis Capitaneus in hoc Siciliæ Regno Illuſtribus, Spectabilibus, Magnificis, & Nobilibus Regni ejusdem, Magiſtro Juſtitiario, Præſidibus Regiorum Tribunalium, Judicibus M. R. C. Magiſtris Rationalibus, Theſaurario, & Conſervatori Regii Patrimonii, Judicibus Conſiſt. S. R. C. Advocatis quoque, & Procuratoribus Fiſcalibus, cæterisque demùm dicti Regni Officialibus majoribus, & minoribus, præſentibus, & futuris, cui, vel quibus ipſorum præſentes præſentatæ fuerint, aut quomodolibet pervenerint. Conſ. Reg. & fid. dil. Salutem. La Sua Maeſtà Ceſarea, e Cattolica del Noſtro Auguſtiſſimo Padronò (Dio guardi) con ſuo Ceſareo Real Diſpaccio ordina lo che ſiegue.

Diploma S. C. C. M.

EL REY. Ill. Conde de Saſtago Primo Gentilhombre de mi Camara, mi Virrey, Lugarteniente, y Capitan General del Reyno de Sicilia. Bien Notorias ſon las confuſiones, que causò la muerte del Sennor Rey Don Carlos Segundo mi Tio de feliz memoria deſde el principio de eſte Siglo por el titulo, y objecto de la ſucceſſion en los Reynos, que componian la Monarquiá de Eſpanna; y que la guerra encendida en totas partes las hyzo mayores por el arbitrio, que accompanna al humano poder, quando la Divina Providençia por ſus ineſcrutables juizios no le liga al uſo puro de la equidad, y de la Juſtiçia: Fatalidad, que cayo mas viſiblemente ſobre mi Reyno de Sicilia, que en pocos annos provò la dominaçion de diferentes Principes: y aumentandoſe por eſtas mutaçiones el deſorden, y la confuſion, ſe ſiguieron conſequençias doloroſas; entre las quales ſe hizo mas ſenſible la controverſia excitada entre la Corte de Roma, y el Sereniſſimo Duque de Savoya (hoy Rey de Sardenna) y entonces Detentor del Reyno de Sicilia, ſobre el curſo de la Legacia Apoſtolica, que deſde el Conde Rogerio Normando havia ſido exercitada de los Sennores Reyes de Sicilia, y de Eſpanna mis glorioſos Predeceſſores por el curſo de mas de ſeys Siglos de Suceſſor en Suceſſor en virtud de la Bula de Urbano Segundo haſta que en los annos de 1714. y 1715. deteſtando eſſe Reyno un Principe, en quien no ſe purificava el titulo de Suceſſor legitimo, e immediato del Conde Rogerio, y del Sennor Rey D. Carlos Segundo mi Tio, y a quien el Papa Clemente Undecimo nò reconocia por Rey de Sicilia, procedio à abolir el Tribunal de la Legaçia llamado vulgarmente el de la Monarquia de aquel Reyno: y creciendo el deſorden, y la inquietud entre el Sacerdoçio, y el Imperio, pudieron ſe calmar las violençias luego, que la Superior Mano del Altisſimo, por la qual reynan los Reyes, me acordò la reintegraçion en eſſe de Sicilia como Suceſſor legitimo, e immediato del enunciado Sennor Rey D. Carlos Segundo mi Tio. Y expueſtas por mis Miniſtros al Vicario de Chriſto las razones, que havian inalterable la platica, y el uſo de la Legacia en mi Real Perſona, como immediato legitimo Suceſſor indiſputable del Conde Rogerio; y que en nada podia perjudicarme qualquiera aboliçion, ò hecho ſucedido en tiempo, que la fuerza de las armas impedia mi dominaçion en eſſe Reyno; tuvo à bien el actual Papa Benedicto Decimoterçio con paternal afecto excitarme por medio de un Breve Apoſtolico en dada de primero de Marzo de mil ſetecientos, y ventiſiete à exponer los medios mas proprios à la conciliaçion, y concordia por el exerçiçio de la Jurisdiçion Eccleſiaſtica en eſſe Reyno, conforme lo reconoçereys del tenor del miſmo Breve, que es como ſe ſigue.

Epiſtola S. Pontificis ad S. C. C. M.

Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Carolo Hiſpaniarum Catholico, necnon Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri in Romanorum Imperatorem Electo. Benedictus PP. XIII. Chariſſime in Chriſto Fili noſter Salutem. Quotidianis propè Officiis Nos Miniſtri tui poſcunt, & urgent, ut de rebus ab hac Sancta Sede conſtitutis pro Eccleſiaſtica Jurisdictione in Regno Siciliæ exercenda, nullam animo tuo moleſtiæ, vel offenſionis nebulam hærere patiamur: id verò quàm ſtudioſè flagranterque cupiamus, & illis ſæpiſſimè teſtati ſumus, & Majeſtati tuæ ſatis exploratum eſſe non dubitamus. Hujuſce autem Paternæ charitatis ut luculentiùs tibi teſtimonium afferamus, Majeſtatem tuam vehementer petimus, & rogamus, ut pro tua ſingulari ſapientia, & pietate idoneam aliquam rationem ſuggeras, quâ votis tuis obſecundare Nobis liceat, & Apoſtolatus ſimul noſtri graviſſimo officio non deeſſe; Quemadmodum enim de zelo Majeſtatis tuæ pro Dei honore, & Canonicæ Diſciplinæ cultu nullus eſſe nobis poteſt ambigendi locus, ita perſuaſum tibi eſſe decet tam de animo noſtro ad tuendam juſtitiam intento, quàm de ſtudioſiſſima erga te voluntate; Dum autem dignas tuo ſapientiſſimo judicio, ac religione ſignificationes expectamus, Majeſtati tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ, die prima Martii 1727.

Y acep-

Continuatio Diplom. Regii.

Y aceptando con filial respecto una excitaçion tan propria de un Padre comun, ofrecì mi obsequiosa aplicaçion, y desvelo por el modo de acomodar las diferencias excitadas, y prometi acreditar en la misma obligaçion mia de sostener las supremas preeminençias, y derechos, mi Zelo por la buena, y perpetua armonia entre el Sacerdoçio, y el Imperio, escriviendo, y dirigiendo à Su Beatitud mi carta de 22. de Marzo de 1727. que fue del tenor siguiente.

Responsio S. C. C. M. ad S. P.

MUY SANTO PADRE. Bien ostenta Vuestra Sanctidad su paternal amor en las clausulas de su Apostolico Breve de primero de Marzo corriente, demonstrando aquel cuydado de su piadoso animo en no lastimar aquien como reverente Hijo solicita la satisfaction de V. Beatitud, y pues la caridad, que inflama su Espiritu en el desseo de encontrar fundado expediente, que establezca el mejor uso de Justicia por el exerçiçio de la Jurisdiçion Ecclesiastica en mi Reyno de Sicilia, ha persuadido à V. Sanctidad la demonstraçion de su confiança en mi filial respecto, y en aquel fixo proposito, que hize preciso en mi corazon por el Serviçio de Dios, bien de la Santa Sede, y segura observançia de la Ecclesiastica disciplina; devo desde ahora render incessantes graçias à V. Beatitud por el concepto; que manifiesta de mi firmeza en sostener estas partes integrales de quien como yo se confiessa verdadero Hijo, y Abogado de la Yglesia; Y acceptando reverentemente la Paternal insinuation de V. Sanctidad en sugerir el medio mas proprio de dexar cumplida la obligaçion del Superior Apostolico cargo, que la alta Providençia impuso à V. Beatitud, y al mismo tiempo satisfacer à las razones, y derechos mios en el uso de la Jurisdiçion Ecclesiastica por la Legaçia en el mençionado Reyno de Sicilia, espero manifestar à V. Sanctidad el zeloso cuydado mio exponiendo fundamentalmente el modo de acomodar las diferençias excitadas contra el Tribunal de la Monarquia, y ratificar en la misma obligaçion de sostener, y conservar las supremas preeminençias, y derechos, mi zelo, y applicaçion por la buena, y perpetua armonia entre el Sacerdozio, y el Imperio. Nuestro Sennor guarde à V. Beatitud al prospero, y feliz regimen de su universal Yglesia. Dada en Vienna à 22. de Março de Mil Setecientos y veinte y siete.

Continuatio Diplom. Regii.

Y como ulteriormente se empezò à tractar de esta materia por medio de los Ministros reciprocos, assistiendo de mi parte el Cardenal Cienfuegos, de mi Consejo de Estado, mi Ministro, y Plenipotençiario en aquella Corte; y por la de Su Sanctitad el Cardenal Lambertini, à que siguio tambien una Congregaçion de cinco calificados Cardenales, à saber, del Cardenal Origo Presidente de la Sacra Congregaçion del Concilio, del Cardenal Davia Prefecto del Judice, y Pro-prefecto de la Immunidad; y del Cardenal Coscia Legado de Avinnon, y Secretario de Memoriales, del Cardenal Lercari Secretario de Estado, y del Cardenal Lambertini Obispo de Ancona, despues de varias contestaçiones, y de un prolixo maduro examen pudieron con la Divina assistençia hallarse, y establecerse los puntos de reciproca concordia, y por ellos consolidarse, y conservarse la pax, y la tranquillidad entre el Sacerdozio, y el Imperio por el curso, y exerçiçio de la Jurisdiçion Ecclesiastica en Sicilia, quitando los obstaculos, que en este tiempo dieron causa à la misma controversia, y se convino reciprocamente en los Articulos, Ordinaçiones, y Reglas, que deben servir perpetua, y irrevocablemente à la observançia, y exerçiçio de la dicha Jurisdiçion: Y despues de haver sido concluydos, aceptados, y aprobados de unas, y otras partes, quiso Nuestro Muy Sancto Padre, reduzirlos, y compilarlos por constituçion perpetua, y irrevocable con fuerza, y effecto de concordia expidiendo Bula formal en los tres de las Kalendas de Septiembre de este anno, que para mayor claridad, firmeza, y por acto de aceptacion de la dicha concordia, y ratificaçion de lo capitulado mando inserir aqui *de verbo ad verbum*, y es del tenor siguiente:

BENEDICTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

Fideli, ac prudenti Dispensatori, quem in supremo Apostolatûs apice constituit Dominus super familiam suam, maximè convenit, traditâ sibi cœlitus uti potestate, ut, si quæ sint inter Pontificalem auctoritatem, & Regiam potestatem contentiones, quantùm fieri potest, amoveantur, utque nedum fidelium populorum pericula arceantur, sed etiam incommoda leniantur, prout, locorum, & temporum, ratione habita, magis in Domino videbitur expedire.

Causæ hujus Constitutionis promulgandæ.

Cùm itaque felicis recordationis Clemens Papa XI. Prædecessor noster Apostolicam Regni Siciliæ ultra Pharum Legationem, ac Monarchiam nuncupatam, ejusque Tribunal extinxerit, ac suppresserit, & aboleverit, si quæ essent privilegia, & indulta à quibuscumque Romanis Pontificibus Prædecessoribus quomodolibet concessa revocaverit, & abrogaverit, & certum interim modum præscripserit, quo causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes cognosci, & in eodem Regno sine debito terminari possent, quemadmodum in ejus Apostolicis litteris, expeditis anno millesimo septingentesimo decimo quarto, & millesimo septingentesimo decimo quinto, pleniùs continetur. Cumque charissimus in Christo Filius noster Carolus VI. in Romanorum Imperatorem electus, Siciliæ ultrà Pharum Rex, exponi nobis nuper fecerit, jura Apostolicæ Legationis in eodem Regno, sibi, ejusque hæredi legitimo, & possessori, ex privilegio signanter Urbani Papæ II. Prædecessoris nostri, competere: quæ quidem jura jam olim Rogerio Comiti, ex Normannorum gente, ejusque Successoribus ob eliminatam Saracenorum tyrannidem, Catholicam fidem restitutam, Ecclesiasque, Patriarchatui Constantinopolitano tunc temporis adhærentes, Romanæ Sedi iterum subjectas, concessa, anteactorum sex sæculorum decursu usque ad Caroli II. obitum, in suo robore, atque usu permanserint; Hinc nos, etsi compertum habeamus, hujusmodi rationibus eundem Prædecessorem nostrum, præsertim propter abusus, quos irrepsisse constabat, minimè acquievisse; Nosque ipsi, dum Cardinalatus honore fungebamur, eidem Constitutioni reverenter subscripserimus, omniumque circumstantiarum opportunè reminiscamur; attamen cùm graves inde exortæ fuerint contentiones, atque mala non sine animarum pernicie, publicæque tranquillitatis detrimento, seriò propterea considerantes, quantùm pastoralis sollicitudinis intersit, causas etiam talium contentionum avertere, ac prorsùs eliminare, ita ut, abusibus è medio sublatis, jus ex æquo universis reddatur, ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, pro hujus negocii examine specialiter deputatæ, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione, nostris, deque

Apostolicæ potestatis plenitudine, finem huic operoso, gravissimoque negotio imponentes, nostra hac perpetuò valitura constitutione, vim, & effectum concordiæ habente, hæc, quæ sequuntur, decernimus, & sancimus, ac inviolabiliter ab his, ad quos spectat, & in futurum spectabit, observari mandamus.

I. Ordo cognoscendi causas Ecclesiasticas in Sicilia, post Majores, quæ apud unam Apostolicam Sedem cognosci debent.

I. Causæ omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, iis exceptis, quæ verè Majores sunt, quæque juxta canonicas sanctiones apud Apostolicam Sedem tractari, & à Romano Pontifice, vel à Judicibus, quos ipse specialiter deputaverit, cognosci debent, non alibi, quàm in ipso Siciliæ ultrà Pharum Regno cognoscantur, & fine debito, quem justitia postulaverit, terminentur, ita videlicet, ut non exemptorum causæ in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat, cognoscantur, nec ab eorum Curiis avocentur, nisi per viam legitimæ appellationis à sententia definitiva, aut ab interlocutoria, vim definitivæ habente, vel ab actu, cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat, vel præjudiciale sit invertendo justum juris, & judiciorum ordinem, aut nisi integro biennio, à die motæ litis computando, coram ipsis Ordinariis remanserint indecisæ, quemadmodum à Concilio Tridentino in Cap. XX. *Causæ omnes*, Sess. XXIV. *de Reformatione*, decretum est. Sique secus fiat, quæcumque appellatio, inhibitio, aut sententia, eo ipso nulla, & irrita sit, juxta ejusdem Concilii præscriptum. Respectu verò exemptorum ab Ordinariis, Judex Ecclesiasticus, à Rege illius Regni, ut infrà dicendum, nominatus, & delegatus, & pro tempore, ejus arbitrio nominandus, & delegandus, tanquam Ordinarius, de causis civilibus, & criminalibus illorum, ut posteà dicetur, cognoscat, ne aliter hujusmodi personæ, & jura sine providentia remaneant. A sententia Ordinarii ad Metropolitanum appelletur, servatâ itidem in omnibus formâ, in antedicti Concilii decretis constitutâ.

II. Judex qui causas appellationum à sententiis Metropolitani cognoscere debet.

II. Postquam verò Metropolitanus in causa pronunciaverit, vel in secunda instantia, quoad sententias suorum Suffraganeorum, vel in prima, quoad causas propriæ Diœcesis, possint partes, vel earum altera, provocare ad eum virum, in jure Canonico Doctorem, seu Licentiatum, nobilium Universitatum more, diligenti examine præcedente promotum, & in Ecclesiastica dignitate constitutum, à carissimo Filio nostro Carolo VI. in Romanorum Imperatorem electo, & Siciliæ Rege, ejusque in Regno Siciliæ ultrà Pharum Successoribus, aut de eorumdem mandato, ex concessione Sedis Apostolicæ deputatum, & delegatum, & in posterum ab ipso, ejusque in eodem Regno Successoribus, aut de eorumdem mandato deputandum, & delegandum: quem eò ipso delegatum auctoritate Sedis Apostolicæ constitutum, & pro tempore constituendum, recognoscimus, & firmamus, ut causas Ecclesiasticas antedictarum appellationum in prædicto Regno Siciliæ ultra Pharum cognoscere, aliaque inferiùs exprimenda peragere possit, servatis tamen præmissis, aliisque, inferiùs explicandis, ita ut quidquid aliter sive scienter, sive ignoranter fieri contigerit, ipso jure nullum irritumque sit.

III. Remedia pro iis qui se à sententia ejusdem primi judicis appellationum gravari sentiunt.

III. Si verò antedictus Judex gravamen inferat, vel quomodocumque partes, sive earum altera, gravatas ab ejusdem sententia, seu decreto sese senserint, tunc, ut appellationis, atque extremæ provocationis remedio, omnibusque legum, atque canonicarum sanctionum auxiliis Christifideles prædicti Siciliæ Regni uti, & frui possint, eademque remedia, juris ordine servato, sicut oportet, experiri, idem carissimus in Christo Filius Siciliæ Rex, ejusque Successores in perpetuum, vel alter de ejusdem, aut de ipsius Successorum mandato, sedulò providebunt, ut apertum, atque patens sit omni tempore Tribunal, seu Curia: in qua tamen vir, etiam in dignitate Ecclesiastica constitutus, atque, ut supra, in utroque jure Licentiatus seu Doctor deputatus & delegatus, cum tribus aliis Assessoribus in utroque jure versatis, eodem pariter modo, uti suprà, deputandis, & nominandis, jus reddat, atque primùm diligenter expendat, an appellatio rejici, vel admitti debeat, & quibus clausulis causa committenda sit. Quoties verò causa fuerit visa digna ulteriori cognitione, eam primò cognoscat, & judicet idem modò dictus Judex, à quo ulteriori cognitione digna decreta est, adhibito eorumdem Assessorum consilio. Quòd si post hæc res adhuc ulteriori discussione opus habeat, nec lis finita sit, eadem coram altero idoneo Ecclesiastico Judice, ut suprà, cùm Assessoribus, vel Consiliariis nominando, discutiatur, & ita deinceps, ita tamen, ut causa in quacumque instantia coram Judice Ecclesiastico semper pertractetur, & in omnibus, juris ordine servato, terminetur.

IV. Appellantes in una tantùm causa, in reliquis appellare non censentur.

IV. Appellantes in una causa, omninò subjecti remaneant quod alias causas, jurisdictioni suorum Ordinariorum, à qua eximi nec à Metropolitano, nec à delegato possint, nisi in casibus à jure Canonico præscriptis.

V. De causis Regularium.

V. In causis, in quibus Conservatores Regularium decretum, vel sententiam tulerint; qui se ab illis gravatum existimaverit, recursum similiter habere poterit ad antedictum Delegatum: qui quidem, si inspectis utriusque partis juribus, appellationem duxerit admittendam, ipse in talis causæ cognitione, prout juris fuerit, procedet: si quæ partes, vel earum altera, de gravamine ab ejus judicato, sibi illato, conquereretur, id servetur, quòd suprà de appellationibus à decreto, vel sententia Judicis delegati statutum est. Cæterùm prædicti Conservatores inviolatè servare debeant præscripta in Constitutionibus felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Alexandri IV. Bonifacii VIII. Gregorii XV. aliorumque nostrorum Prædecessorum, necnon in Concilii Tridentini decretis sub pœnis ibidem contentis.

VI. Appellationes quomodo recipiendæ.

VI. Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, realiter exhibenda, priùs constiterit, appellationem à sententia definitiva, vel habente vim definitivæ, aut à gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit, vel quod præjudiciale sit in casibus, à jure non prohibitis, per legitimam personam, & intra statuta tempora, fuisse interpositam, aut prosecutam: nec præterquam in casibus à jure permissis, dum causa coram inferioribus judicibus pendet, antè definitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, de gravamine, quòd asseratur illatum, Superiores cognoscere possint, licèt citra præjudicium ordinarii cursus causæ, sese id facere declarent. Nec ad hunc effectum liceat ei inhibere, aut etiam simpliciter mandare, ut ipsi copia processus mittatur, etiam expensis appellantis, vel recurrentis, nisi in casibus à jure permissis.

VII. Inhibitiones post appellationes admissas, quomodo concedendæ.

VII. Inhibitiones, post appellationes, sicut præmittitur, admissas, non concedantur, nisi cùm insertione tenoris sententiæ, aut decreti, à qua, vel à quo provocatum fuerit; aliàs inhibitiones, & processus, & inde secuta quæcumque, sint ipso jure nulla, eisque impunè liceat non parere. Sed si appellans asserat, sententiæ, vel

decreti,

decreti, five appellationis interpofitæ, exemplum authenticum habere fe non poffe culpâ Judicis, à quo, vel Actuarii, tunc five Metropolitanus, five præfatus Judex Ecclefiafticus delegatus, refpectivè, injungat iis, ad quos pertinet, ut, foluta actorum mercede, exemplum in forma probante tradatur appellanti, intra brevem terminum: & interim nihil novi coram judice, à quo, contra appellantem attentetur.

VIII. De appellatione à decretis Ordinariorum in vifitatione editis.

VIII. A Decretis Ordinariorum, in vifitatione, vel pro correctione morum editis, nullus fit appellationi locus, quoad effectum fufpenfivum, nifi cum Vifitator, citata parte, & adhibita caufæ cognitione, judicialiter procefferit, & in aliis cafibus à jure permiffis.

IX. De appellatione à gravamine, per definitivam fententiam non reparando.

IX. Cum à gravamine, quod per definitivam reparari nequeat, vel quod præjudiciale fit, appellatur, nonnifi vifis actis, ex quibus apparet de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provifio ulla concedatur.

X. De inhibitionibus expediendis.

X. In caufa indebitæ carcerationis, quatenus fit fecuta cum mandato judicis verbali, poffit Judex appellationis expedire inhibitiones, vigore appellationis conftito, five per depofitionem duorum teftium de mandato, five per documentum Notarii, vel cuftodis carcerum, de carceratione. In caufis verò comminatæ injuftæ carcerationis, vel torturæ, vel excommunicationis, non expediantur inhibitiones generales, & indefinitæ, fed tantum compulforiales pro tranfmiffione copiæ actorum, ad effectum cognofcendi, an fit deferendum, nec ne, appellationi, adjuncta in dictis litteris compulforialibus inhibitione, ut interim judex, à quo, ad ulteriora non procedat: & quatenus vifis actis refultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, & caufa cognofcatur coram judice, ad quem. Si verò de hujufmodi gravamine non conftet, remittatur caufa ad judicem, à quo, cognofcenda in prima inftantia.

XI. De actis originalibus primæ inftantiæ, à Notario mittendis.

XI. Acta originalia primæ inftantiæ Notarius, five Actuarius mittere ad Judicem appellationis minimè cogatur, nifi natura ipfa caufæ id flagitet, aut probabilis aliqua falfitatis fufpicio incidat, quæ judicialiter appofita ab intereffe habentibus fuerit: & tunc poft terminationem caufæ ftatim remittantur ad Ordinarium, & in ejus curiæ tabulario afferventur.

XII. De carcerato appellante.

XII. Causâ appellationis pendente, appellans, in eodem, ubi reperitur carcere, permaneat, quoad Judex, ad quem caufæ cognitio devolvenda eft, vifis actis, caufâque cognitâ, aliter decreverit: & tunc quidem fi à decreto fecundi Judicis, vim definitivæ habente, appellatum fuerit, nihil ipfe interim mandare, aut pro decreti fui executione attentare poterit, donec per Judicem fuperiorem aliter fuerit ordinatum; exceptis tamen cafibus, in quibus aliter à jure ftatutum fit, & in quibus appellatio contra decretum excarcerationis, effectum tantum devolutivum, favore libertatis, producit.

XIII. De Cenfura Ecclefiaftica, in appellantem prolata.

XIII. Cenfura Ecclefiaftica, in appellantem prolata, revocari, aut nulla declarari per Judicem appellationis, etfi is fit delegatus, non poffit, nifi prius auditis partibus, & causâ cognitâ; & tunc, fi eam effe juftam conftiterit, ad Judicem, qui excommunicationem protulit, remittatur appellans, & ab ipfo juxta facros Canones beneficium abfolutionis, fi humiliter petierit, debitamque emendationem præftiterit, obtineat. Si verò injuftam effe appareat, Judex appellationis abfolutionem concedat. Et fi dubitetur, an jufta fuerit, vel injufta, quamvis honeftius fit, ut ad excommunicatorem intra brevem aliquem competentem terminum, eidem præfigendum, abfolvendus remittatur, Judex nihilominùs appellationis, hoc cafu, per fe poterit eum abfolvere.

XIV. De abfolutione ad cautelam.

XIV. Abfolutio ad cautelam, nonnifi fervatis de jure fervandis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis vel ab homine prolatæ, vel à jure inflictæ, fi dubium facti, vel probabile dubium juris occurrat, concedenda erit, tanquam ad breve tempus, cum reincidentia, necnon præftita per excommunicatum cautione de ftando juri, & parendo Mandatis Ecclefiæ. Quod fi, juxta formam à jure præfcriptam, apparebit, aliquem ob manifeftam offenfam excommunicatum fuiffe, debitam etiam fatisfactionem præftare, necnon ob contumaciam manifeftam expenfis quoque fatisfacere, & cavere de judicio fifti coram excommunicatore, tenebitur, priufquam antedictam abfolutionem obtineat. Præterea hujufmodi abfolutiones cum reincidentia, à Judice appellationis, etiamfi fit antedictus judex, committantur ipfis Ordinariis excommunicantibus, cum claufula, ut *intra tres dies* abfolvant, cenfuratos; dummodo tamen excommunicati in eodem loco fint, ubi degunt Ordinarii. Quod fi in eodem loco non fint, vel fi Ordinarii præfentes, & requifiti, abfolvere recufaverint, vel neglexerint, abfolvantur à Confeffario juxta formam ejufdem commiffionis, à Judice appellationis, ut præfertur, expediendæ. Cæterùm commiffiones prædictæ de abfolvendo, non ipfis Ordinariis immediatè, & perfonaliter, fed eorundem Cancellariis præfentari debent, ut reverentia, Epifcopis debita, farta tecta fervetur; & à præfentatione, Cancellario facta, prædicti *tres dies* numerari debeant. Cedulones autem in caufa abfolutionis obtinendæ ad certum tempus cum reincidentia, quatenus affixi fuerint, non amoveantur; fed dumtaxat tegantur, tectique remaneant durante termino, in abfolutione præfixo; falva tamen praxi ibidem fervata de eorumdem in nonnullis cafibus amotione.

XV. De appellatione a fententia definitiva, in verum contumacem prolata.

XV. A fententia definitiva, contra verum contumacem prolata, appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quævis provifio, durante contumacia, concedatur.

XVI. De appellatione in caufis criminalibus à fententiis Ordinariorum.

XVI. Ubi in caufis criminalibus Ordinarii locorum procefferint ex officio, fi ab eorundem fententiis appellatio, vel ad Metropolitanum, vel ad prædictum Judicem interpofita fuerit, tunc Procuratores fifcales Curiæ Metropolitanæ, vel Tribunalis præfati Delegati, actoris vices gerant, & inftantias, aliofque actus defuper neceffarios peragant, & profequantur, ut prædictorum Ordinariorum fententiæ confirmationem, & executionem, fi ita fuerit juftitiæ confonum, obtineant. Quod, fi dictis Procuratoribus fifcalibus non citatis, vel auditis, contrarias fententias in gradu appellationis proferri contigerit, iftæ prorfus nullæ fint, ac irritæ cum omnibus actis geftis, quinimò præcedentes Ordinariorum fententiæ executioni mandentur, perinde ac fi appellatio ab ipfis interpofita nullatenus fuiffet.

XVII. De pauperibus litigantibus.

XVII. Pauperibus litigantibus condonentur fportulæ, & emolumenta quæcumque, etiam Cancellario alioquin debita. Aliæ itidem quæcumque expeditiones gratis dentur; ac etiam copiæ publicorum inftrumentorum, five teftamentorum, nec non regefta, & copiæ actorum tranfmittendorum ad Judicem appellationis: & hæc in caufis tam civilibus, quam criminalibus. Quo verò ad probationem paupertatis, ea fummariè fiat per teftes, gratis fimiliter examinandos: & quoad ipfam paupertatem, ftetur arbitrio judicis.

XVIII. De caufis criminalibus Regularium.

XVIII. In criminalibus caufis Regularium, quando deliquerit inter Clauftra, Tridentini Concilii, & peculiarium illius Ordinis, quem quifque delinquens profeffus fuerit, conftitutionum difpofitio exactè fervetur. Quod fi delinquant extra Clauftra, vel extra Monafterium degant, ab Epi-

ſcopis, juxta ejuſdem Concilii Tridentini, & Apoſtolicarum Conſtitutionum præſcriptum, judicentur, & puniantur. Qui verò ab Epiſcopi judicio gravamen ſibi illatum putaverint, recurſum habere poterunt ad antedictum Judicem, qui, ubi appellatio admittenda de jure fuerit, cauſæ reviſionem aſſumet. Quod ſi quis ab hujus etiam judicis ſententia, vel decreto ſe gravatum exiſtimaverit, ea ſerventur, quæ pro appellantibus à decreto Judicis delegati, ſupra expoſita ſunt. Si verò Prælati exempti, alios Superiores in Regno Siciliæ ultra Pharum non habentes, deliquerint, antedictus Judex Eccleſiaſticus, tanquam Ordinarius, reſpectu exemptorum, contra eos, ut juris fuerit, procedat, ſervatâ ſemper regulâ circa modum præſcriptâ.

XIX. De Judicis Eccleſiaſtici facultatibus.

XIX. Ne autem de facultatibus antedicti Judicis Eccleſiaſtici diſputatio unquam oriri queat, conſtanter declaramus, quòd ille, ut ſupra à Rege Siciliæ ultra Pharum Auctoritate Sedis Apoſtolicæ nominatus, & delegatus, quaſcumque perſonas adverſus ſententias, res judicatas, ac contractus quoſcumque, prout juris fuerit, in integrum reſtituendi plenam, & liberam licentiam, & poteſtatem exercere poſſit, & debeat.

XX. De juramentis.

XX. Juramenta quæcumque ad effectum agendi dumtaxat ex cauſa, quibuſcumque relaxandi.

XXI. De abſolutione à cenſuris.

XXI. Quoſcumque à quibusvis Cenſuris, & Pœnis Eccleſiaſticis, ſimpliciter vel ad cautelam, ſi, & poſtquam congruè, prout debuerint, tam partibus, quàm judicibus, ſatisfecerint; firmis tamen manentibus, ſervatiſque, reſpectivè, iis, quæ circa modum, & ordinem impertiendæ abſolutionis ſuperiùs præſcripta ſunt, abſolvendi.

XXII. De abſolutione ab excommunicationibus ob varia crimina illatis.

XXII. Quoſcumque itidem, qui homicidium, necnon perjurii reatum quomodocumque commiſerint, quique bellis interfuerint, & qui adulterium, inceſtum, fornicationem, & aliud quodcumque flagitium carnis perpetraverint: necnon uſurarios, facta tamen uſurarum reſtitutione, ab excommunicationibus, aliiſque ſententiis, Cenſuris & Pœnis Eccleſiaſticis, & temporalibus, quas quomodolibet incurrerint, injunctâ cuique, pro modo culpæ, pœnâ ſalutari: & aliis, quæ de jure fuerint injungenda, etiam in utroque foro abſolvendi.

XXIII. De cenſuris per Apoſtolicas Conſtitutiones inflictis.

XXIII. Declaramus tamen, nec prædictum Judicem Eccleſiaſticum, nec quamcumque aliam Eccleſiaſticam Perſonam, cujuſcumque gradus, dignitatis, & præeminentiæ ſit; & quamvis de Latere Legatus exiſtat, potuiſſe, aut poſſe aliquem abſolvere à Cenſuris Eccleſiaſticis, per Apoſtolicas Conſtitutiones inflictis, quarum abſolutio ſoli Romano Pontifici reſervatur. Et licèt hoc ipſum procedat etiam quoad illud genus abſolutionis, quod cum reincidentia, & ad effectum agendi tantum, aut ad cautelam, dicitur, & quoad cognitionem, an declaratoria cenſurarum prædictarum valida fuerit, aut nulla, juſta, vel injuſta, cum hæc quoque omnia Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, & Congregationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Immunitati Eccleſiaſticæ, & Controverſiis juriſdictionalibus præpoſitæ, ad id à Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatæ, privativè quoad omnes alios, etiam de Latere Legatos competat; attentis nihilominùs ſpecialibus circumſtantiis, animum noſtrum moventibus, declaramus, quoad præfatus Judex Eccleſiaſticus, tanquam à chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Carolo VI. Siciliæ ultra Pharum Rege, ejuſque in poſterum Succeſſoribus, ut ſupra, deputatus, & delegatus, ſervatis de jure ſervandis, & citra quemcumque abuſum, concedere poſſit recurrentibus à gravamine, quod in declaratoria cenſurarum, Sedi Apoſtolicæ reſervatarum ſibi illatum eſſe demonſtraverint, abſolutiones cum reincidentia, ad effectum agendi tantum, & etiam ad cautelam; necnon cognitionem aſſumere, an prædictæ declaratoriæ cenſurarum, Sedi Apoſtolicæ reſervatarum, promulgatæ ab Epiſcopis aut Archiepiſcopis Regni Siciliæ ultra Pharum, fuerint validæ, aut nullæ, juſtæ vel injuſtæ; ita tamen, ut, ſi ſolius nullitatis vitio laborare cognoverit, Epiſcopo vel Archiepiſcopo, qui ad earum declarationem, reſpectivè, proceſſerint, mandet, ut ex integro procedant, reſervatâ poſt novam declaratoriam, abſolutione plenariâ Sedi Apoſtolicæ. Et quatenus nullitatis & injuſtitiæ, vel ſolius injuſtitiæ vitio laborare cognoverit, declaret, recurrentes non incurriſſe: & ſi declaratoriam juſtam eſſe deprehenderit, recurrentes pro abſolutione ad eandem Sedem Apoſtolicam remittat. Quod ſi præfatus Judex delegatus ipſe fuerit, qui ad declaratorias proceſſerit, & cenſuratus ſe gravatum fuiſſe prætenderit, aut ex capite nullitatis, aut nullitatis & injuſtitiæ, aut ſolius tantum injuſtitiæ; tunc ea obſerventur, quæ ſupra ſtatuta fuerunt in caſu, quo quis à ſententia, aut ab alio quocumque decreto ejuſdem Judicis ſe gravatum ſenſerit; novuſque Judex Eccleſiaſticus ea omnia ſervare teneatur, quæ Judex ipſe delegatus juxta ea, quæ modo dicta ſunt, ſervare tenetur in caſu recurſus ad ipſum facti à nulla, vel injuſta declaratoria cenſurarum Sedi Apoſtolicæ reſervatarum, quæ ab Epiſcopis vel Archiepiſcopis, reſpectivè fuerint promulgatæ.

XXIV. De litteris monitorialibus.

XXIV. Præterea quaſcumque monitoriales, pœnaleſque litteras in forma, *ſignificavit*, conſueta, contra occultos & ignotos malefactores, ſatisfacere; conſcios verò revelare differentes, ſervatâ tamen formâ Concilii Tridentini, necnon Conſtitutionis Pii Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, ſuper hæc editæ, concedendi.

XXV. De commutatione votorum, deque matrimonialibus diſpenſationibus, in tertio & quarto gradu pro pauperibus tantum, & gratis, ex ſpeciali facultate concedendis.

XXV. Necnon vota quæcumque; ultramarino tamen, viſitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum de Urbe, & Sancti Jacobi in Compoſtella, caſtitatis ac religionis votis, exceptis, in alia pietatis opera commutandi; Tum etiam Nationis Siculæ commoditati & utilitati proſpicere volentes, eidem Judici, uti ſupra, nominato & delegato à Siciliæ Rege ultra Pharum, facultatem ſpecialem elargimur matrimoniales diſpenſationes concedendi in tertio & quarto gradu; gratis tamen, nulloque recepto, vel minimo emolumento; & favore eorum tantum, qui verè pauperes ſunt, & miſerabiles, & labore manuum ſuarum vivunt.

XXVI. De abſolutione à cenſuris, ad effectum præmiſſorum conſequendum.

XXVI. Et ut conceſſiones, gratiæ & litteræ per antedictum Judicem, ſic, ut ſupra, concedendæ, ſublatis obſtaculis, ſuum ſortiantur effectum, quaſcunque perſonas, ad effectum dumtaxat omnium & ſingulorum præmiſſorum conſequendum, ab omnibus & quibuſcumque excommunicationibus, ſuſpenſionibus & interdictis, aliiſque Eccleſiaſticis Cenſuris, quibus innodati fuerint, abſolvendi, & abſolutas pronunciandi.

XXVII. De cauſis, in quibus agitur de executione Litterarum Apoſtolicarum.

XXVII. Pro majori tamen cautela, ea, quæ infra ſequuntur, declaramus & decernimus; videlicet, non poſſe, nec prædictum Judicem ſeſe ingerere in cauſis, in quibus agitur de executione Litterarum Apoſtolicarum, etiam ſuper collatione quorumcumque Beneficiorum ſæcularium vel regularium, pro quarum executione certi ſunt dati executores, quorum à decreto, ſeu data executione, ſi fuerit quoquomodo reclamatum, & de illato gravamine, vel exceſſu dictum; tunc idem Judex in hiſce cauſis in omnibus & per omnia, ut ſupra de aliis dictum & declaratum eſt, procedat.

XXVIII.

XXVIII. De Subdelegatis, a Judice Ecclesiastico deputandis.

XXVIII. Deputare etiam non poterit Subdelegatos, in Diœcesibus prædicti Regni commorantes, multoque minùs eis concedere exemptionem à Jurisdictione suorum Ordinariorum, præterquam unum, qui tamen Ecclesiasticus sit, in quacumque Episcoporum residentia, & præcipuis aliis Regni Civitatibus, ut sunt Drepanum, Thermæ, Milæ, & Mazara, seu Augusta; vulgò *Trapani*, *Termini*, *Melazzo*, *ed Augusta*, nuncupatis.

XXIX. De litteris patentibus exemptionis.

XXIX. Præterea nemini concedi poterunt litteræ patentes exemptionis à jurisdictione sui Ordinarii ex titulo inserviendi Curiæ vel tribunali ipsius Judicis delegati; exceptis tantum Ministris & Officialibus necessariis: qui tamen in toto Regno non sint ultra quinquaginta, præter eos, qui præcipuis primæ, secundæ & tertiæ instantiæ Ecclesiasticis Curiæ Panormi inserviunt.

XXX. De disciplina & observantia Regularium.

XXX. Nullatenus quoque idem Judex Ecclesiasticus nec in prima instantia, nec in gradu appellationis, ut recursus, aut per modum provisionis, sese ingerat in quomodolibet concernentibus disciplinam & observantiam regularem personarum utriusque sexus; distributionem officiorum; collocationem Regularium in uno, aut altero Monasterio, aut Conventu; ordinationes circa chorum & allocutorium Monialium, earumque Clausuram; designationes cellarum, aliaque similia; sed in his omnibus procedatur ab iis, ad quos pertinet, juxta Sacros Canones, Statuta singulorum Ordinum, & Apostolicas Constitutiones.

XXXI. De Præsidibus Capitulorum, & Superioribus atque Officialibus in Monasteriis.

XXXI. Caveat similiter, ne deputet Præsides Capitulorum; Superiores vel Abbatissas, Vicarios vel Vicarias, vel qualescumque Officiales in Monasteriis, vel Domibus Regularibus utriusque sexus, ex quocumque titulo vel colore sive inconvenientium, sive diffidiorum, sive discrepantiæ suffragiorum, etiam per viam actuum provisionalium; sed omninò liberæ remaneant, juxta sacrorum Canonum præscriptum, & ipsorum Ordinum Regularium statuta, electiones & deputationes omnium Prælatorum & Officiorum.

XXXII. De Magistris, Prælectoribus, & Rectoribus Studiorum.

XXXII. Itidem nequeat, etiam per modum provisionis, deputare Magistros, Lectores, Rectores Studiorum, neque in possessione munerum, vel officiorum confirmare eos, qui, finito tempore, à constitutionibus suorum Ordinum præscripto, debent illa dimittere, vel qui remoti à legitimis Superioribus fuerint. In causis autem inter Regulares, verè contentiosis, & in quibus esse potest de jure locus appellationi, expleto cursu judicii in unoquoque ordine regulari, à suis constitutionibus præfinito, si succumbentes prosequi intendant; tunc causæ ad prædictum Judicem Ecclesiasticum devolvantur, qui procedere teneatur, servatis in omnibus & per omnia iis, quæ supra, quoad alias causas statuta sunt; ita tamen, ut in causis nullitatis professionis tam ante, quam post elapsum quinquennii, nullo modo se interponat; sed illæ ad normam omninò sacrorum Canonum & sacri Concilii Tridentini Sessione XXV. *de Regularibus*, Cap. XXIX. cognoscantur & terminentur.

XXXIII. De usu Jurisdictionis, Episcopis à Concilio Tridentino concessæ.

XXXIII. Ad hæc Delegatus non impediat usum jurisdictionis, à Sacro Concilio Tridentino Episcopis, uti Sedis Apostolicæ Delegatis, in exemptos Sæculares Clericos attributæ; facultatem tamen habeat idem Judex Ecclesiasticus procedendi etiam in prima instantia in eorumdem Clericorum Sæcularium exemptorum causis, tam civilibus, quam criminalibus, easdemque, juris ordine servato, cognoscendi, ac judicandi. Et in casu appellationis à decretis vel sententiis ejusdem Judicis delegati, in manibus ea serventur, quæ supra hac de re statuta sunt.

XXXIV. De gravioribus Episcoporum causis.

XXXIV. Quoad graviores Episcoporum & Archiepiscoporum causas, servetur omninò dispositio Sacrarum Constitutionum, & Sacri Concilii Tridentini Sessione XXIV. Cap. V, *de Reformatione.* In aliis verò minoribus & civilibus causis, in quibus Episcopi aut Archiepiscopi Regni Siciliæ ultra Pharum, non actores, sed rei sunt, Delegatus jus habet judicandi etiam in prima instantia, si causa sit Archiepiscopi vel Episcopi, exempti à jurisdictione Metropolitica (& signanter quoad omnes in causis solutionis pensionum) & in secunda tantum instantia, si causa sit Episcopi, jure Metropolitico subjecti. Tunc enim in prima instantia causa ab Archiepiscopo erit judicanda. In casu autem appellationis à judicio Delegati, serventur omnia in superioribus disposita.

XXXV. De Officio Judicis Ecclesiastici erga Mandata Apostolica.

XXXV. Denique, ut Nos, nostrique Successores Romani Pontifices, diligenter curabimus, ut supra disposita ac statuta ad amussim serventur, quæ vim & effectum habere Concordiæ statuimus & decernimus: nec quicquam à nostris Ministris sub quovis prætextu, vel colore peragatur, quod eorumdem observantiam & executionem retardare vel impedire possit; Ita dictus Judex Ecclesiasticus nullas sibi sumat partes, etiam per modum provisionis, vel sub alio quovis prætextu, contra ordinationes & mandata, quæ vel nostrâ, vel nostrorum pro tempore Successorum propria manu per speciale rescriptum signata & subscripta erunt: nec eorum executionem, quantum in ipsomet sit, audeat impedire, vel retardare; sed eisdem debita reverentia, observantia & executio omninò præstetur.

Clausulæ.

Decernentes omnia & singula, in superioribus expressa per nullum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, aliasque personas, quacunque alia auctoritate, dignitate, & præeminentia fulgentes, impugnari unquam posse, aut debere, præsentesque semper & perpetuò validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere debere, atque ab omnibus & singulis, ad quos spectat, sive spectabit, eas firmiter & inviolabiliter observandas esse, nulloque unquam tempore notari, retractari, invalidari, inque jus, vel controversiam vocari posse; ipsasque præsentes sub quibuscunque gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos ipsos & Successores nostros Romanos Pontifices factis, & faciendis, concessis & concedendis, minimè comprehendi; sed statuimus, easdem has litteras, tanquam ad Ecclesiarum Siciliæ tranquillitatem & pacem à nobis editas, semper omninò excipiendas: & quidquid secus super his, ut præfertur, per Nos approbatis, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus consuetudinibus, privilegiis & indultis, quomodocumque in contrarium præmissorum aliàs concessis.

Nemo has litteras infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, concordiæ & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo octavo, tertio Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno quinto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus, Subdatarius Visa de Curia.
J. Archiepiscopus Ancyranus.
Lucas Martinettus.
Registrata in Camera Apostolica.
Felix Franciscbinus R. C. A. Secretarius.

Continuatio Diplom. Regii.

Y porque los Estatutos, articulos, ordinaciones, y reglas contenidas en la antecedente inserta Bula de Concordia, despues de una prolixa discussion han sido aprobados, y aceptados de mi justi-

fication

fication con el proposito firme de estirpar en los antiguos possibles abusos la raiz de semejantes controversias, y son los mismos, que literalmente se hallan especificados en dicha Bula de Concordia, vengo con la presente de propria sciencia, y con el uso de mi Regia suprema auctoridad, en aprobarlos, ratificarlos, aceptarlos, y en consequençia de todo mandaros, que arreglado el Regio exequatur à la enunciada Bula de Concordia, con la clausula *Juribus Fisci semper salvis*, exciteis, y os dediqueis sinceramente al cumplimiento, y observançia de las dichas reglas en el orden de conocer las causas Ecclesiasticas en Sicilia por la primera, segunda, y tercera instancia al tenor de los articulos primero, segundo, y tercero de la Concordia; y por el modo de seguirlas, segun se explica en el quarto, y quinto successivos de la dicha Bula; observando el metodo de las inhibiciones, apelaciones en visita, y en los gravamenes, conforme explican los articulos sexto, septimo, octavo, nono, y decimo de la dicha Concordia, como tambien las reglas del uso de los processos originales, apelacion de los Carcerados, y de censuras dadas, absolucion ad cautelam; apelacion del verdadero contumaz; y en causas criminales assi de los Regulares, como de los Ecclesiasticos Seculares, y pobres litigantes, segun se expecifican en los articulos undecimo, duodecimo, y successivamente hasta el decimo octavo de la dicha Bula de Concordia; y porque durante la controversia, se excitaron dudas por el uso de las facultades, que el Juez de la Monarquia como Viceregente de los Reyes de Sicilia pro tempore exercitava, y se alegaron abusos que hazian mayor la disputa, se convino en que quedassen explicadas las facultades correspondientes al Juez Ecclesiastico, que en virtud de mi Delegacion, nomination, y substitucion, o por orden vuestro en el uso de vuestra representacion deberan exercitar: las quales se expecifican en los articulos successivos desde el decimo nono hasta el vigesimo sexto de la dicha Concordia. Y para esquivar en lo successivo los inconvenientes, que durante el examen de los abusos alegados se hizieron mas reparables, se declararon algunas limitaciones en el modo de proceder por las causas sobre execution de las letras Apostolicas en materias beneficiables, en el numero de los Subdelegados, en las patentes de exencion, en la observancia, y disciplina de los Regulares, en el destino de Presidentes, o Superiores de Monasterios, en la eleccion de Maestros, Lectores, y Rectores de Estudios, en el uso de la jurisdicion concedida a los Obispos por el Concilio de Trento, en las causas mas graves de los mismos Obispos del Reyno, y en la atenta consideracion del Juez de la Monarquia à los rescriptos hechos, y firmados de propria mano de los Papas, que como Delegado mio, y de los Reyes mis Successores debera, en quanto dependa del mismo, y procediendo con las essenciales solitas formalidades, hazer venerar, y observar, conforme se explica desde el articulo vigesimo septimo hasta el trigesimo quinto de la Concordia. Y quiero que assi se cumpla, y execute el todo, al tenor de ella, y de las dichas disposiciones, y reglas: para cuya mas segura observancia he venido en ordenaros, y mandaros con la presente, que por la via de esse mi Sacro Consejo hagais estender, y publicar (despues de aver dado el exequar à la Bula de la Concordia, como arriba se prescribe) una Pragmatica con insercion de este mi Real despacho, y con las solemnidades, y requisidos correspondientes, ordenando con ella, y por ella la exacta, religiosa, e inviolabile observancia de los mencionados articulos, y reglas concordadas, baxo la comminacion à los transgressores de la pena de mi Cesarea Real indignacion, y las demas que sin violencia parezcan arbitrables por el sostenimiento de la dicha Concordia, y por su indispensable perpetuidad: de todo lo que hareis tomar la razon, y que se registre este despacho en las partes donde tocare, y convenga; pues ansi procede de mi Cesarea Real voluntad, y deliberacion. De Viena à diez de Novembre, de mil seteciento, y veynte y ocho: YO EL REY; Molina & Zalduendo Secretarius. Vid. Marchio de Villasor Preses; Vid. Positanus Regens; Vid. Pertusatus Regens; Vid. Comes de Cervellon Consiliarius; Vid. Almarza Regens; Vid. Perlongo Regens; Vid. Solanes Regens. In Divers. tertio fol. XXXXIII. Nil ut Curia: Hacunna Official Major: Al Virrey de Sicilia: Paraque por aquel Sacro Consejo, y con las demas solemnidades correspondientes haga publicar una Pragmatica con insercion de este Despacho, mandando la observancia de la Bula de Concordia, despues de haverle dado el exequatur. V. Magestad lo mandò. Præsentatum Panormi die 4. Januarii 1729. & S. E. mandat quod Ill. Regius Consiliarius Conservator Regii Patrimonii recognoscat, & referat Don Antoninus Cuffari Pro-Secretarius Magister Notarius. Eodem factis recognitione, & relatione prædictis; S. E. mandat, quòd fiant exequutoriæ, Juribus Fisci semper salvis, quoad constitutionem insertam in præsenti Cæsareo diplomate. El de Hoz Conservator; Perciò in esecuzione di quando la prefata Maestà Sua C. C. ordina, che in osservazione della nostra preinserta provista vi diciamo, ed ordiniamo, ed a chi spetta incarichiamo, che vogliate, debbiate, e per cui si deve facciate eseguire il preinserto Cesareo Dispaccio di parola, e dalla prima linea fino all' ultima, secondo la sua serie, continenza, e tenore, pro ut jaçet, guardandovi di fare il contrario, per quanto la grazia di Sua Maestà C. C. tenete cara, e non altrimente. Datum Panormi die quinto Januarii 1729. El Conde de Sastago: Vid. Marchio de Hoz Conservator; Don Antoninus Cuffari Pro-Secretarius Mag. Not. Esecutoria di Cesareo Real Dispaccio, per il quale Sua Maestà C. C. (Dio guardi) ordina che per questo Sacro Conseglio, e coll'altre solennità corrispondenti facci Vostra Eccellenza publicare una Prammatica coll' insertione di questo Dispaccio, commandando l'osservanza della Bolla di Concordia dopo d'averle dato l'Exequatur come sopra.

Perciò in esecuzione di quanto la Cesarea Cattolica Real Maestà ordina, e comanda, ed in esecuzione del nostro preinserto Biglietto per la presente Prammatica, e Legge perpetuo valitura vi diciamo, ed ordiniamo, che vogliate, e debbiate inviolabilmente eseguire, ed osservare à tenore delle preinserte Regie Lettere li menzionati Articoli, e regole concordate; de verbo ad verbum, & à prima linea usque ad ultimam pro ut jacent juxta sui seriem, continentiam & tenorem pleniorem, cauti à contrario, pro quanto gratia Regia vobis cara est; e sotto la pena a' transgressori della Cesarea, e Reale Indignazione. Dat. Panormi die decimo quinto Februarii 1729.

EL CONDE DE SASTAGO.

D. Casimiro Drago Pres. del Trib. della R. G. C.
D. Giacomo Longo Pres. del Tr. del Conc. della S. R. C.
Domenico Landolina Giudice della R. G. C. Criminale.
Giuseppe Asmundo Paterno Giudice della R. G. C. Cr.
D. Francesco Castelli Giudice della R. G. C. Crimin.
C. Francisco Maria Longo Guid. della R. G. C. Civile.
D. Michele Perremuto Giud. della R. G. C. Civile.

D. Fran-

D. Francesco Cumbo Giudice della R. G. C. Civile.
D. Francesco Gastone Avvocato Fiscale della R. G. C.
D. Giuseppe Papè Protonot.
D. Antonino Crimibella Giudice del Concistoro.
D. Placido Loredano Giudice del Concistoro.
D. Giuseppe Catena Giudice del Concistoro.
Gio. Tomaso Loredano Pref. del. Trib. R. P.
D. Joseph Risos Consultore.
D. Calogero Gabriele Colonna M. R.
D. Blasio de Spuches M. R.
Pietro Filingeri M. R.
D. Antonio Marchese M. R.
D. Rosario Frangipane M. R.
D. Antonio Sandoval M. R.
D. Joseph Domingo de Hoz Conservatore.
D. Girolamo Arena Avvocato Fiscale.
D. Giuseppe Abadal Mastro Secreto.
D. Francisco alias Auditore generale.
D. Francesco Agraz Tessoriero generale.
D. Antonino Luchese Mastro Portolans.

Dominus Vicerex & generalis Capitaneus mandavit mihi D. Joseph Papè prothonotario, & vidimus omnes de sacro Regis Consilio præsentes in Curia.

LIII.

Qua Judicium Episcopale Ticini habitum de Corpore sancti Augustini Hipponensis Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, ibidem servato in Confessione ædis sancti Petri in Cœlo aureo, adprobatur & confirmatur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

I. Dei gloria in Sanctis ejus amplificata.

AD summi Dei gloriam in sanctis ejus amplificandam mirabile nuper factum est in oculis nostris, dum exuviæ sancti Augustini Hipponensis Episcopi & præstantissimi Ecclesiæ Doctoris, quarum venerationem antiquus Dei & sanctorum hostis aliquandiu perturbare tentaverat, tandem omnium Christi fidelium cultui, pristinæque honorificentiæ, universa Ecclesia plaudente, restitutæ fuerunt.

II. Corpus sancti Augustini Hippone in Sardiniam, atque hinc Ticinū translatum, ubi pridem repertum est.

Probatissimis literarum monumentis constat, Vandalorum persecutione in Africanam Ecclesiam excitata, sanctissimos illarum partium Episcopos, & fidei catholicæ confessores, in Sardiniam exsilio damnatos, Corpus eximii Doctoris sub finem sæculi V. secum in eandem insulam transtulisse, ibique usque ad initium sæculi VIII. Christiana, id est maxima, religione custoditum. Tunc enim Saracenis, qui in Sardiniam irruerant, loca sacra impie fœdantibus, Luitprandus Longobardorum Rex sanctarum Augustini Reliquiarum pietate motus, per Legatos ab se illuc transmissos, magno eas pretio redimendas, & Ticinum, quæ alias Papia dicitur, sacra pompa transferendas curavit, ubi in Confessione ædis sancti Petri in Cœlo aureo, tunc primum ad hoc unum jussu Regis exstructa, Augustiniani Corporis thesaurus debito tanto Patri honore depositus fuit, populisque devotionis causa usque ad nostram ætatem illuc undique confluentibus, in ejusdem Confessionis crypta inter puteum, aqua salutari manantem, & altare inferius piissimo studio servatus est. Tandem verò die 1. Octobris anni Dominici MDCXCV. albus marmoreus sarcophagus sub mausoleo lateritio ibidem loci detectus, inque eo sacratissimæ Augustini exuviæ, in arca argentea clausæ, repertæ fuerunt: quæ omnia coram plurimis testibus canonice comprobata, per curiæ episcopalis ministros & actuarios, in processus & commentarios, publica auctoritate munitos & summa fide conscriptos, tunc digesta, perque totum quinquennium adversus quorundam dubitationes non segniter agentibus Fratribus Eremitis ordinis sancti Augustini, qui in eadem sancti Petri Basilica æque ac Canonici regulares Congregationis Lateranensis, alternis mensibus divina officia persolvunt, disceptata fuerunt, donec unus & triginta sacræ paginæ, & decretorum Doctores pro iisdem Augustini Reliquiis sententiam suam, mira consensione firmatam, scripto ediderunt.

III. Summus Pontifex judicium episcopale de eodem Corpore peragi jubet.

Quum verò ad audientiam nostram pervenisset, ob non extinctas & abolitas judicio episcopali Ticinensium Præsulum ejusmodi dubitationes, venerandos tanti Doctoris cineres, quasi incertos, sine debito honore habitos, nos rei gravitate perculsi, literas nostras sub annulo piscatoris die XXIII. Januarii hujusce anni ad venerabilem fratrem Episcopum Ticinensem dedimus, ei serià injungentes, ut judicium de invento illic sancti Augustini Corpore, ulteriori dilatione sublata, secundum Deum & veritatem, ceteris quæstionibus de alio corpore inveniendo remotis, ad finem perduceret: illi prætera mandantes, ut cavillationibus eorum, qui decisionem ac definitionem hujusce causæ impedire tentassent, etiam per ecclesiasticas censuras occurrere deberet, utque illis, à quibus causa cognoscenda esset, iisdem adhibitis, si opus esset, remediis, ediceret, ne ullis officiis, commendationibus, aut partium studiis obsequerentur; sed solum Deum veritatis præ oculis haberent. Et ne in re tanta definienda novis procrastinationibus locus esse posset, bimestre tempus huic judicio conficiendo præfiximus. Has verò literas dilectus filius Fulgentius Bellellus Prior generalis Fratrum Eremitarum totius ordinis sancti Augustini, in cœnobio juxta prædictam ædem sancti Doctoris, aliàs sancti Petri in Cœlo aureo, Ticini constitutus, ipsi Episcopo per dilectos filios Josephum de Gregoriis à sancto Elpidio & Aloysium de Bellagente Ticinensem, Fratres Eremitas ejusdem ordinis, tanquam speciales procuratores in hac causa à se deputatos, præsentari curavit.

IV. Ad canonicas Ecclesiæ regulas idem judiciū episcopale peragitur.

Episcopus Ticinensis acceptis literis nostris, & juridice vocatis vocandis, qui olim pro identitate sacri Corporis declaranda, nomine eorumdem Fratrum Eremitarum, in memorato cœnobio degentium, vocati fuerant, inspectisque actis, in eadem causa à mense Octobris anni MDCXCV. usque ad mensem Martium anni MDCXCIX. confectis, una cum visitationibus & recognitionibus ipsius Corporis sancti Augustini, annis MDCXCV. MDCXCVI. & MDCXCVIII. pariter factis, nec non juribus, documentis, testium depositionibus, aliisque monumentis & scripturis, tunc & subsequentibus annis publica auctoritate exaratis; compluries etiam Theologis, sacrorumque canonum interpretibus coram se congregatis, quos ex piis doctisque viris ad præscripta sacrosancti Concilii Tridentini, in consilium sibi adhibendos, delegerat, quibus pœnas, in iisdem litteris nostris expressas, indixit, singula causæ momenta attente discussa & mature considerata fuerunt. Tandem vero idem Episcopus die XXV. Junii una cum iisdem suis hac in causa consiliariis, ab se se delectis, coram Fratribus Eremitis Augustinianis, & Canonicis regularibus Lateranensibus sacrum Corpus in Confessione repertum anno 1695. post recitatum ad aram maximam hymnum, *Veni creator Spiritus*, ex Confessione in capsa clausum ad eandem aram per sex presbyteros inter accensa funalia reverenter perlatum exacte & sedulo visitavit diebus XXV. & XXVI.

Sessione XXV. ante cap. I.

Junii adhibitis experitioribus civitatis Anatomes professoribus, jurejurando de veritate dicenda obstrictis, qui singulas sacri Corporis Partes studiose recognoscentes, *os brachii sinistri* ab humere ad cubitum, atque aliud, quod *atlas* vocatur, deesse animadverterunt: quorum primum Ticini à felicis memoriæ decessore nostro Benedicto Papa VIII. beato Egelnotho Primati Cantuariensi dono traditum fuerat; alterum vero in Dalmatia servatur in thesauro sacrarum Reliquiarum metropolitanæ Ecclesiæ Ragusinæ. His peractis, sacroque deposito in pristinum Confessionis locum eadem cæremonia restituto, idem Episcopus Ticinensis solemnes supplicationes, aliasque publicas & assiduas preces, ad divinam opem, pro recto judicio secundum Deum & veritatem ferendo, impetrandam, indixit, quibus devote cum utroque clero & populo civitatis interfuit; visisque tandem omnibus videndis, & consideratis considerandis, congregatisque iterum coram se sacræ Theologiæ magistris, & canonum professoribus, quos, uti jam diximus, ad sanctiones Concilii Tridentini antea in consilium vocaverat, quique decem & septem numero pro veritate atque identitate Reliquiarum sancti Augustini unanimem sententiam tulisse memorantur, ipse coram dilectis filiis Priore generali totius ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini & & Præposito Canonicorum regularium Congregationis Lateranensis, atque aliorum complurium, qui illuc, supremum hac de re episcopale judicium audituri, convenerant, post missæ sacrificium de Spiritu sancto celebratum, solum Deum veritatis præ oculis habens, hoc eodem anno 1728. Indictione VI. Feria VI. die XVI. mensis Julii hora tertiarum in episcopio pro tribunali sedens, hoc decretum cum plena causæ cognitione pronunciavit.

V. Decretum Episcopi Ticinensis de Corpore sancti Augustini.

Christi nomine repetito, per hanc nostram definitivam sententiam dicimus, pronunciamus & declaramus, satis constare, Corpus inventum in confessione templi sancti Petri in Cœlo aureo hujus civitatis die prima Octobris anni MDCXCV. *& nuper per nos recognitum, ac sigillo nostro munitum, esse Corpus sancti Augustini Ecclesiæ Doctoris, ideoque pro tali esse colendum, & publicæ fideli um venerationi exponendum.*

D. Franciscus Episcopus Papiensis.

VI. Summi Pontificis & Ecclesiæ gaudium ob vindicatas Augustini Reliquias.

Nuncio tam sancti, tam gravis & maturi judicii episcopalis ad nos perlato, præ gaudio exsiliit cor nostrum, summaque lætitia perfusi gratias Deo egimus, quod suam gloriam in sancti Augustini exuviis canonice vindicatis augere voluerit, quem ob sanctimoniam, atque intemeratam doctrinæ exellentiam, ut fulgentissimum Ecclesiæ lumen, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cœlestinus, Gelasius, Hormisdas, aliique decessores nostri Romani Pontifices magno semper in honore habuerunt, nosque ipsi, ut parentem æque ac magistrum veneramur, utpote cujus regulam & doctrinam in nostro Prædicatorum ordine à primis adolescentiæ annis professi sumus, & favente Deo profitemur. Ut autem nostrum juxta ac totius Ecclesiæ gaudium ubique diffunderetur, per literas nostras universis Christi fidelibus inscriptas die IV. Augusti, omnibus & singulis utriusque sexus, vere pœnitentibus & confessis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum, quàm sororum ordinis Eremitarum sancti Augustini, ubicumque existentem, die, per Ordinarios locorum designando, visitassent, atque ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remissionem concessimus; dieque subsequenti alias literas dedimus ad Episcopum Ticinensem, ipsius pietatem & fidem laudantes, quod omnem dubitationis nebulam de veritate Corporis sancti Augustini tam accurato examine dissipare studuisset; districte interdicentes sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis auferre, asportare aut distrahere quamlibet sacratissimi ejus depositi particulam auderet. Subinde in die festo ejusdem Ecclesiæ Doctoris XXVIII. Augusti ad ejusdem Titulum & cœnobium Fratrum Eremitarum nos ipsi accedentes, in illius honorem sacrosanctum missæ sacrificium ritu pontificali celebravimus, adsistentibus nobis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis; & post peracta divina mysteria, in gratiarum actionem pro sancto ejus Corpore luculente & canonice comprobato, hymnum, *Te Deum*, Christianæ lætitiæ prænuncium solemni cæremonia præcinentes, in trinis personis unum Deum collaudavimus.

VII. Judicium episcopale de Corpore sancti Augustini à summo Pontifice confirmatur.

Ne verò ex pastoralis officii debito erga sanctarum Augustini Reliquiarum conservationem & venerationem à nobis quidquam prætermittatur, quascumque dubitationes, controversias, causas & lites de Corpore sancti Augustini quomodolibet exortas sive introductas, illarumque jura, scripturas & titulos omnes præsentibus pro plene expressis habentes, & quatenus opus sit, ad nos avocantes, prorsus extinguimus & abolemus, & perpetuum silentium super illis imponimus. Et ne unquam futuris temporibus de prædicto episcopali judicio, ad sanctiores Ecclesiæ regulas absoluto, possit quomodolibet hæsitari, ad submissas preces dilecti filii Felicis Leoni, totius ordinis eorumdem Fratrum Eremitarum Procuratoris generalis, ejus libello supplici nobis porrectas, piæ recordationis antecessoris nostri Martini Papæ V. vestigiis inhærentes, qui translationem Corporis beatæ Monicæ, venerabilis Augustini matris, ex civitate nostra Ostiensi ad hanc eandem Ecclesiam domus Fratrum dicti ordinis Eremitarum sancti Augustini factam, suis Apostolicis literis, incipientibus, *Pia caritas*, adprobavit; nos quoque judicium Episcopi Ticinensis de veritate Corporis sancti Doctoris, ut apud Christi fideles notius & manifestius evadat, ac devotio erga Augustinum magis inflammetur, tenore præsentium ratum & gratum habentes, ex certa scientia, atque etiam motu proprio, Apostolica auctoritate undequaque adprobamus & confirmamus, & perpetuis futuris temporibus firmum semper & validum esse & fore decernimus, non obstantibus quibuscumque.

VIII. Nemo eas infringere audeat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, avocationis, extinctionis, abolitionis, silentii impositionis, decreti, adprobationis, confirmationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

10. Kal. Octobr. 1728.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, decimo Kalendas Octobres, Pontificatus nostri Anno quinto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Antonius Cajetanus Frosius R. C. A. Secretarius.

Super

LIV.

Super annexione Officii Auditoratus Generalis Causarum Confidentialium Officio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditoratus Generalis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex de Supremo Apostolicæ Sedis Solio dispositione incommutabili, Divinaque Providentia constitutus, ut noxia evellat, & destruat, ac evulsa, & destructa in utiliorem providæ directionis erigat dignitatem, interdum quæ rationabilibus ex causis à Sede Apostolica disposita sunt, subinde rerum experientia suadente, majoribus ex causis alterat, & immutat, ac his Pastoralis Officii sui partes sollicitè, & prudenter interponit, prout rerum, temporumque qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire. Aliàs siquidem, & postquam felicis recordationis Pius Papa V. Prædecessor noster, & tunc suus omnium Causarum Confidentialium pro tempore movendarum cognitionem, & decisionem, ac Literarum Apostolicarum à piæ memoriæ Pio PP. IV. etiam Prædecessore nostro tunc suo super hujusmodi Confidentiis emanatarum executionem sibi, & Successoribus suis reservaverat, & postmodùm ob varias, & continuas pro tempore existentis Romani Pontificis in gravissimis, & arduissimis totius Reipublicæ Christianæ negociis occupationes, Causæ ipsæ in Romana Curia pro tempore motæ, & introductæ per particularem Judicem ex delegatione Apostolica audiri, decidi, & cognosci consueverant, ipse verò Judex nedùm solo Romani Pontificis nutu amovibilis, sed etiam sibi contrà ordinarios Collatores Episcopos, & alios superiores Prælatos hac confidentiali labe prædicta infectos procedendi facultas præclusa existeret, cui etiam in hujusmodi causarum prosecutione ut plurimùm delegabantur diversæ simoniacæ pravitates, & aliæ illicitæ pactiones, quæ licèt ex ipsis confidentiis resultarent, seù illis mixtæ, & conjunctæ forent, tamen à nonnullis prætendebatur, eas sub facultatibus Judici prædicto concessis minimè comprehendi, nec in illis ab ipso finè speciali Sedis Apostolicæ rescripto posse procedi, undè eveniebat, ut modò ipsius Judicis mutatione, quæ interdùm contingebat, facultatum suarum angustiis, ac etiam delinquentium cavillationibus, & subterfugiis, ejusdem Judicis auctoritas sæpiùs eluderetur, ac ea, quæ ad purgandam hac contagione Dei Ecclesiam à dictis Prædecessoribus sapientissimè sancita fuerant, ut plurimùm debito effectu carebant in animarum perniciem, & scandalum plurimorum, ejusdem recordationis Sixtus PP. V. similiter Prædecessor noster incommodis prædictis obviare cupiens, operæ pretium duxit, prædicti Judicis Personam speciali titulo, & denominatione decorare, illiusque Jurisdictionem ampliare, ut in Tribunali suo tùm Judicia, tùm cætera ad id munus pertinentia perpetuò stabilirentur, ac ad certum, debitumque finem ordinarentur, Motu ejus proprio, meraque deliberatione, & ejus certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine unum Officium Auditoratus Generalis quarumcumque Confidentialium, etiam Simoniacam pravitatem, & quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium, seù connexitatem aliquam cum Confidentia habentium, Causarum, rerumque omnium indè resultantium, prò uno Generali illarum Auditore, qui omnium, & singularum Causarum hujusmodi Ordinarius Judex exerceret, & Officium ipsum ad ejus vitam obtineret, illudque in ejusdem Sixti Prædecessoris hujusmodi, & pro tempore existentis Romani Pontificis manibus quandocumque resignare licitè posset ad instar aliorum Romanæ Curiæ Officiorum vacabilium, & resignabilium, Apostolica auctoritate perpetuò erexit, & instituit, illique sic erecto, & instituto pro illius Dote decimam partem omnium, & singulorum fructuum, redditruum, proventuum, Jurium, obventionum, ac etiam distributionum quotidianarum, etiam solis præsentibus, & Divinis Officiis interessentibus dari, & per eos percipi solitarum, & aliorum quorumcumque emolumentorum, ac etiam pensionum annuarum cum interventu Confidentiæ, vel aliàs simoniaca, aut alia illicita pactione interveniente, seù cum his Confidentiis aliquam dependentiam, vel connexitatem habente, indebitè perceptorum, ad quorum restitutionem quoscumque per ipsius Auditoris Sententiam condemnari, etiamsi postmodùm per alios Judices Causam fortassè revideri, & dictam Sententiam confirmari, seù reformari, ac etiam super quibus post Litem desuper in Officio hujusmodi intentatam quomodolibet componi, vel aliàs concordari contigisset, nec non omnia, & singula alia Jura, salaria, regalia, & emolumenta quæcumque ordinaria, & extraordinaria unde cumque, & quomodocumque provenientia, etiam sportulas, vel alio quocumque nomine nuncupata, quæ Judices Causarum Confidentialium hujusmodi in dicta Curia pro tempore deputati quomodolibet, & quocumque titulo, vel causa habere, consequi, lucrari, & percipere consueverant, seù etiam potuissent, ac debuissent, cujuscumque qualitatis, quantitatis, & valoris fuissent, Apostolica auctoritate prædicta, etiam perpetuò applicavit, & appropriavit, ipseque Auditor pro tempore existens omnibus, & singulis privilegiis, quibus veri Familiares tunc sui, & Romani Pontificis pro tempore existentis, continuique Commensales, Prælati Domestici, Sedisque prædictæ Notarii quomodolibet fruuntur, potiuntur, & gaudent, sibi similiter perpetuò concessis, & indultis, omnes, & singulas dictarum Confidentiarum, & Simoniacam pravitatem, vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, seù aliquam dependentiam, vel connexitatem habentium, rerumque omnium indè resultantium, Causas hujusmodi in eadem Curia quomodocumque, & qualitercumque, ac alias quascumque Personas, etiam Cardinalatus honore, ac Patriarchali, Archiepiscopali, & Episcopali Dignitatibus fungentes, etiam per viam Inquisitionis, aut ex officio, aut Apostolica delegatione, vel aliàs quomodolibet motas, & movendas, ac etiam quæ per viam appellationis à Sententiis definitivis, vel interlocutoriis, vim definitivæ habentibus, per quoscumque Judices ordinarios, vel Delegatos, ac etiam dictæ Sedis Legatos, vel Nuncios pro tempore latis, & promulgatis ad Sedem prædictam pro tempore interpositæ, seù reclamationis Judicialis, aut nullitatis ad Sedem eandem eatenùs devolutæ erant, vel in posterùm devolverentur; ità ut Causæ appellationum hujusmodi per eum solum cognosci, nec alteri nisi per Commissionem in Signatura Gratiæ, vocato ipso Auditore, propositam, & manu ejusdem Sixti Prædecessoris signatam committi possent, summariè, simpliciter, & de plano finè strepitu, & figura Judicii, sola veritate inspecta, & manu regia, ac terminis substantialibus, qui de stylo, seù ordinatione Palatii Apostolici observari con-

consueverant, pænitùs omissis, ac etiam quibusvis appellationibus, nullitatibus, & aliis diffugiis prorsùs semotis, procedendo unà cum omnibus, & singulis earum incidentiis, dependentiis, emergentiis, annexis, & connexis, ac etiam toto negocio principali audiendi, cognoscendi, decidendi, fineque debito terminandi, etiàm singulis diebus, & horis feriatis, & non feriatis, præterquàm in honorem Dei feriatis, nec non super omnibus, & singulis Confidentiis etiam aliquam dependentiam, vel connexitatem cum simoniaca, vel alia illicitâ pactione habentibus, seù mixtis hujusmodi, rebusque omnibus indè resultantibus, tàm ad Procuratoris Fiscalis denunciationem, & promotionem, quàm etiam Partium accusationem, seù ex mero Officio inquirendi omnes, & singulas hujusmodi confidentialem, & simoniacam pravitatem, vel quamvis aliam illicitam pactionem inducentium, seù aliquam dependentiam, vel connexitatem habentium, rerumque omnium indè resultantium, Causas coram quibusvis Judicibus, etiam Palatii Apostolici Causarum Auditoribus, inter quascumque Personas motas, & movendas, ad se, & suum Tribunal avocandi, ac omnes, & singulos dictarum Confidentiarum, & Simoniarum Auctores, Machinatores, Conscios, Complices, & alios, quos opus esset, ac suâ quomodolibet interesse putantes etiam per Edictum publicum, si ad eos tutus non pateret accessus, citandi, & constito sibi, quantùm sufficere videretur de Indiciis, ad personaliter, vel aliàs legitimè comparendum sub Excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis, ac privationis omnium, & singulorum Beneficiorum, & Officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque impostetùm obtinenda, nec non pecuniariis, aliisque ejus arbitrio, etiam juxtà demeritorum exigentiam corporis afflictivis pœnis, monendi, eisque, ac quibusvis Judicibus tàm Ordinariis, quàm Commissariis, etiam quacumque auctoritate fungentibus, & functuris, sub similibus Sententiis, Censuris, & pœnis tàm in dicta Curia, quàm extrà eam ubilibet inhibendi, detinentes quoscumque Libros, Scripturas, Computa, Instrumenta, & alia Documenta publica, & privata, dictarum Confidentiarum Causas, etiam ut præferebatur, mixtas quomodolibet concernentia, ad illa exhibenda, nec non quoslibet Testes ad se examini subjiciendum, ac veritatis Testimonium perhibendum, etiam ex Officio, vel aliàs, prout sibi visum foret, per similes Censuras, & pœnas cogendi, compellendi, eosque, nec non Contradictores quoslibet, & Rebelles per Sententias, Censuras, & pœnas etiam privationis hujusmodi incidisse, servata forma Concilii Tridentini, declarandi, auxiliumque Brachii Secularis invocandi, nec non unum Locumtenentem in hujusmodi Causis cum simili, vel limitata potestate, quotiès visum foret, constituendi, & deputandi, eumque revocandi, ac alium ejus loco subrogandi, nec non Literas, Constitutiones Pii IV. & Pii V. Prædecessorum hujusmodi super dictis Confidentiis editas, ac omnes, & singulas Sententias in dictis Causis Confidentiarum, tàm eatenùs per earum Judices, qui pro tempore fuissent, latas, quàm in posterum per tunc futurum Auditorem hujusmodi, ejusque Successores, ac Locum tenentes ferendas, via executiva, nullà tela judiciaria servata, ac quàcumque appellatione remota, ac aliàs juxtà Literarum, seù Constitutionum prædictarum, ac etiam facultatum dictis Judicibus per eum, & Prædecessores suos quomodolibet concessarum formam, continentiam, & tenorem plenariè, & totaliter exequendi, & executioni demandandi, mandataque executiva, & alia quomodolibet necessaria, & opportuna decernendi, & relaxandi, & generaliter omnia, & singula alia, quæ in præmissis omnibus, & singulis quomodolibet necessaria, & opportuna fuissent, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, mandandi, decernendi, statuendi, ordinandi, & exequendi, plenam, & liberam, & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem haberet, & habere deberet; Quodque Officium Notariatus earundem Causarum, de cætero perpetuis futuris temporibus ad meram, & liberam pro tempore existentis Auditoris prædicti dispositionem spectaret, & pertineret, ipseque pro tempore existens Auditor Officium Notariatus hujusmodi quibusvis Personis, de quibus sibi visum foret, per suas patentes Literas, Sigillo Officii sui Auditoratus munitas, gratis, vel pro pretio reperibili concedere, & assignare, ac soluta sibi solita compositione resignationis de dicto Officio Notariatus pro tempore faciendæ, nec non Personam, cui Officium ipsum Notariatus pro tempore concessisset, & assignavisset, ad illud, illiusque liberum exercitium absque alia dicti Sixti Prædecessoris, & pro tempore existentis Romani Pontificis concessione, & assignatione recipere, & admittere, ac per eos, ad quos spectabat, & pro tempore spectasset, recipi, & admitti, ac illis de solitis, & consuetis Juribus, & emolumentis responderi facere liberè, & licitè valeret, eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuò statuit, & ordinavit, ac aliàs, prout in Literis Apostolicis ejusdem Sixti Prædecessoris desuper sub Datum tertio Kalendas Novembris Pontificatus sui anno secundo pleniùs continetur. Cum itaque postmodùm Officium Auditoratus Generalis Causarum Confidentialium, vel aliàs, ut præfertur, mixtarum hujusmodi per liberam dimissionem Venerabilis Fratris Nostri Francisci Friderici de Jordanis moderni Archiepiscopi Meliteneh. nuper dictarum Causarum Confidentialium Auditoris, de dicto Auditoratu, quem tunc obtinebat, prævia tamen restitutione pretii ejusdem Officii cum Dataria nostra concordati, in manibus nostris factam, & per Nos admissam, vacaverit, & vacet ad præsens, Nos incommodis prædictis, ac cavillosis Judicii competentis allegationibus consultiùs obviare, ac promptiorem adversùs tàm perniciosam in exitium animarum labem providè Justitiæ manum excitare cupientes, nec non Pii IV. Pii V. ac Sixti Prædecessorum hujusmodi respectivè Literarum, & Constitutionum prædictarum, nec non prædictorum Privilegiorum, Indultorum, gratiarum, & facultatum pro tempore existenti Causarum Confidentialium hujusmodi Auditori quomodolibet concessorum, ac Sententiarum desuper forsan latarum, & indè secutarum quarumcumque tenores, nec non Litium, & Causarum super Confidentiis hujusmodi, aut aliàs, ut præfertur, contrà quoscumque coram eodem Auditore nunc quomodolibet introductarum, & adhuc indecisarum pendentium, status, & merita, nominaque, & cognomina Litigantium præsentibus pro expressis habentes, Motu propriò, & ex certa scientiâ, meràque deliberatione nostris, & de Apostolicæ potestatis plenitudine similibus ab Officio Auditoratus Generalis quarumcumque Causarum Confidentialium præfatarum per dictum Sixtum Prædecessorem, ut præfertur, erecto, & instituto, & ad præsens per dicti Francisci Friderici Archiepiscopi dimissionem præfatam vacante, hujusmodi omnimodam prædicti Officii Auditoratus Generalis quarumcumque Causarum Con-

fiden-

fidentialium venalitatem, ac omnimodam illius resignabilitatem ei, illudque pro tempore obtinenti in illius erectione, & institutione ab eodem Sixto Prædecessore, ut præfertur, factis, Apostolica auctoritate quomodolibet concessas, tributas, & indultas, & usque nunc ad instar aliorum Officiorum vacabilium, & resignabilium exercitas, perindè ac si venalitas, & resignabilitas hujusmodi tunc minimè concessæ, tributæ, & indultæ, ac numquam exercitæ fuissent, Apostolica auctoritate perpetuò abdicamus, abstrahimus, penitusque supprimimus, extinguimus, & abolemus, illisque sic abdicatis, abstractis, suppressis, extinctis, & abolitis, Officium Auditoratus Generalis quarumcumque Causarum Confidentialium, & Simoniacam pravitatem, & quamcumque aliam illicitam pactionem inducentium, seu aliquam connexitatem cum Simoniæ labe habentium, prædictum, & ad præsens, ut præfertur, vacans cum reliquis omnibus, & singulis privilegiis, Indultis, gratiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, omnimodaque in præmissis Jurisdictione, necnon omnibus, & singulis Juribus, salariis & emolumentis quibuscumque ordinariis, & extraordinariis, undecumque, & quomodocumque provenientibus, etiam sportulis, vel alio quocumque nomine nuncupatis, Judicibus Causarum Confidentialium prædictarum in dicta Curia aliàs pro tempore deputatis quomodolibet, quocumque titulo, vel causa haberi, consequi, lucrari, & percipi solitis, & consuetis, quæve Judices prædicti antè Erectionem Officii Auditoratus Causarum Confidentialium hujusmodi à prædicto Sixto Prædecessore, ut præfertur, factam habere, consequi, lucrari, & percipere consueverant, potuerant, & debuerant, & in illius erectione hujusmodi ab eodem Sixto Prædecessore in ejusdem Officii Auditoratus Generalis Causarum Confidentialium hujusmodi tunc, ut præfertur, facta, Officio hujusmodi, illiusque Auditori Generali pro tempore existenti perpetuò applicata, & appropriata fuerant, Apostolica Auctoritate prædicta de novo perpetuò erigimus, & instituimus, illudque sic de novo erectum, & institutum Officio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditoratus Generalis, ita quod liceat Causarum Curiæ Cameræ nostræ hujusmodi Generali Auditori, illiusque Locum tenentibus nunc, & pro tempore existentibus, omnibus, & singulis beneficiis, indultis, gratiis, facultatibus, immunitatibus, libertatibus, ac quacumque privativa quoad omnes alios quoscumque Judices in Causis Confidentialibus, aut aliàs, ut præfertur, mixtis, aut quamcumque cum eis connexitatem quomodolibet habentibus, prout Causarum Confidentialium hujusmodi tunc pro tempore existens Auditor uti, frui, potiri, & gaudere consuevit, ac si Officii Causarum Confidentalium hujusmodi venalitas, illiusque resignabilitas à Nobis, ut præfertur, abdicatæ non fuissent, uti, frui, potiri, & gaudere, necnon omnia, & singula Jura, obventiones, salaria, regalia, & emolumenta quæcumque ordinaria, & extraordinaria undecumque, & quomodocumque provenientia, ac etiam sportulas, aliaque quocumque nomine nuncupata, & à pro tempore existente Causarum Confidentialium hujusmodi Auditore Generali ratione Causarum Confidentialium hujusmodi Auditoratus Generalis percipi, & exigi solita, percipere, & exigere possint; & valeant; Sublata tamen facultate Auditori Generali Causarum Confidentialium hujusmodi per ejusdem Sixti Prædecessoris Literas prædictas concessa disponendi de Officio Notariatus earumdem Causarum. Quarum Acta, & consuetæ Expeditiones, cum primum per cessum, vel decessum, aut privationem, seu amotionem dilecti Filii Joannis Baptistæ Constantini, qui dictum Notariatus Officium ad præsens possidet, & exercet, vel cujusvis alterius, qui illud pro tempore quomodolibet obtinebit, aut aliàs quovis modo vacare contigerit, servata in reliquis quoad dictum Notariatus Officium forma, & dispositione Literarum prædicti Sixti Prædecessoris, tunc per Causarum Curiæ Cameræ nostræ Apostolicæ Notarios confici, & respectivè subscribi omninò debeant, dicta Apostolica auctoritate æquè principaliter, non autem subjectivè, & extinctivè eadem Apostolica auctoritate perpetuò applicamus, & appropriamus; Et ut omnis per applicationem, & appropriationem à Nobis per præsentes, ut præfertur, factas confusio tollatur Jurisdictionis, & ut universis, & singulis constet, liquidòque appareat, qua facultate, quave Jurisdictione Causarum Curiæ Cameræ nostræ prædictæ Auditor Generalis nunc, & pro tempore existens hujusmodi in judicandis, terminandisque Confidentialibus Causis utatur, eidem Auditori Causarum Curiæ Prædictæ Generali nunc, & pro tempore existenti, ut ipse in posterum, ac perpetuis futuris temporibus in singulis suis mandatis desuper quoad Causas Confidentiales hujusmodi expediendis, ejus solitis, & consuetis inscriptionibus, & titulis aliam inscriptionem, aliumque titulum, nempè Auditoratus Generalis Causarum Confidentialium hujusmodi adjungat, nec non omnes, & qui in exercitio Auditoratus Causarum Confidentialium hujusmodi quoad numerum Literarum Patentium pro Officialibus, & Ministris per Civitates, & Diœceses à tunc pro tempore existentibus Causarum Confidentialium hujusmodi Auditoribus prædictis expediri solitarum irrepserunt abusus, penitùs amovere cupientes, Auditori Causarum Curiæ Cameræ nostræ prædictæ Generali nunc, & pro tempore existenti, ut Ipse unum dumtaxat Commissarium sibi pro qualibet Diœcesi Ordinariorum Jurisdictione ad assumendas informationes, Processusque construendos, aliaque circà causas, & materias in eorundem Pii IV. & Sixti Prædecessorum respectivè Literis prædictis expressas, & contentas sibi benevisa facienda, & gerenda, per suas patentes Literas gratis, & absque ulla solutione eligere, & constituere; eidemque Commissario sic ab eo, ut perfertur, electo, & constituto, facultatem Notarium sibi benevisum assumendi, & Procuratorem Fiscalem, etiamsi de aliena Diœcesi extiterint, constituendi, in Causis tamen particularibus contingentibus, facultatem concedere posse, Apostolica auctoritate prædicta perpetuò earumdem præsentium Edicto præcipimus, & mandamus; Ut autem Commissarii, aliique Ministri, & Officiales à Causarum Curiæ Cameræ nostræ hujusmodi Auditore Generali nunc, & pro tempore existente prædicto ad Causas Confidentiales hujusmodi conficiendas, aliaque præmissa exequenda, ut præfertur, eligendi, & constituendi, tutò, ac liberè eorum respectivè ministeriis, eis, & eorum cuilibet demandandis incumbere possint, & valeant, Commissarios videlicèt prædictos à quorumcumque Ordinariorum, & Judicum plenariè, & perpetuò, quo verò ad Notarios, & Procuratores Fiscales à Commissariis ipsis in singulis Causis particularibus, ut præfertur, deputandos, eisdem tantùm Causis durantibus, quatenùs contrà Ordinarios ipsos inquiri, & procedi contigerit, & non alias, ab eorun-

ANNO 1728.

dem Ordinariorum Jurisdictione respectivè eximimus, eosque Causarum Curiæ Cameræ nostræ prædictæ Auditoris Generalis nunc, & pro tempore existentis Jurisdictioni subjicimus, & supponimus. Volumus autem, quod Commissarii pro tempore, ut præfertur, eligendi, & constituendi, hujusmodi Ecclesiasticæ Personæ vitæ, morum honestate, prudentia, rerum experientia, aliaque omni debita ad eorum ministeria exequenda idoneitate prædití existant, & quoad eos omnia, & singula serventur, quæ in Concilio Romano *Tit. 9. cap. 3. in verbo Subcollectores* servari debere Concilium ipsum demandat. Præsentes quoque validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis observari debere, neque sub quibuscumque similium, vel dissimilium Gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis, ac quibusvis clausulis, & decretis pro tempore factis comprehendi, vel confundi, sed semper, & perpetuò ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, totiès in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo concessas esse, & fore, sicque, & non aliàs per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque, & inane decernimus, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstante Causarum Confidentialium prædictarum Auditoratus Generalis aliàs à Pio IV. & Sixto V. Prædecessoribus prædictis, ut præfertur, respectivè facta, & quatenùs opus sit, de Jure quæsito non tollendo, aliisque nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, nec non Pii IV. & Pii V. ac Sixti Prædecessorum præfatorum, ac aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ, & Cameræ prædictæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, illisque non obligandis, ac ejusdem Pii IV. Prædecessoris præfati de gratiis ejusdem Cameræ interesse quomodolibet concernen. in dicta Camera intrà certum tempus præsentandis, ac registrandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Privilegiis quoquè, Indultis, & Literis Apostolicis Causarum Confidentialium Auditoratus à Nobis per præsentes, ut præfertur, abdicati, ac de novo erecti, & applicati Auditori pro tempore existenti sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis clausulis, ac etiam irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, ac mera deliberatione prædictis, ac aliàs in contrarium præmissorum omnium, & singulorum prædictorum quomodolibet pluries concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque singulis, & totis tenoribus habenda sit mentio specialis, perindè ac si in eisdem præsentibus eorum tenores, & de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, inserti forent, pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè, & plenissimè, ac expressè ad validissimum præmissorum omnium, & singulorum prædictorum effectum, etiam specialiter, & expressè motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc Paginam nostræ abdicationis, abstractionis, suppressionis, extinctionis, abolitionis, novæ erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, præcepti, mandati, Exemptionis, subjectionis, suppositionis, Decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo octavo nonis Novembris, Pontificatus nostri Anno quinto. 9. Novemb. 1728.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Franciſchinus R. C. A. Secretarius Mensarius.

Erectio Insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. Venantii in Cathedralem, & respectivè Terræ Fabriani in Civitatem. LV.

Decreta per Sanctissimum Dominum Nostrum

BENEDICTUM XIII.

PONT. MAX.

In Consistorio secreto habito Feria 2. die 15. Novembris 1728.

Notoriæ sunt & Fraternitatibus Vestris sanè compertæ qualitates & prærogativæ, quibus Terra Fabriani in Piceno sita, præfulgeat; Hinc Nos enixis, & iteratis dilectorum filiorum illius Communitatis, & Populi de hac Sanctâ Sede non semel benemeriti supplicationibus indulgere cupientes, insignem Collegiatam Ecclesiam Sancti Venantii in dicta Terrâ existentem, in Cathedralem, ac Terram ipsam in Civitatem erigere intendimus.

Fabrianum Piceni Oppidum, Terrâ nuncupatum, situm est in Diœcesi Camerinensi, & septem mille circiter Christi fideles complectitur sub Dominio hujus Sanctæ Sedis.

Extat in illo Insignis Collegiata Ecclesia in honorem Sancti Venantii Martyris, magnificè, & eleganter extructa, à Priore unicâ Dignitate, & undecim Canonicis, cum octo Cappellanis, aliisque pluribus Presbyteris, & Clericis, ministrata; ubi exercetur cura animarum, & Sacrarium reperitur Sacrâ Supellectili ad Divina peragenda Suffultum, ac pluribus Sanctorum Reliquiis decoratum.

Adsunt in dictâ Terrâ aliæ tres Parochiales, inter quas, altera Collegiata, Ecclesiæ, duodecim Virorum, & novem Monialium Cœnobia, quindecim Confraternitates, quinque Hospitalia, & Mons Pietatis.

Territorium ad quinquaginta circiter millia-

ria in circuitu extenditur, ac quindecim Oppida complectitur, & plures Pagos.

Cæterùm Ecclesiæ dictæ Terræ, eximiis, iisque pluribus Beatorum exuviis, ditantur, signanter Sanctorum Romualdi, ac Sylvestri Abbatum, debitâ veneratione, & condigno decore custoditis.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis DEI, Sanctorumque Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostrâ, declaramus memoratam Ecclesiam in Cathedralem, dictamque Terram Fabriani in Civitatem erigimus, & instituimus, ac Ecclesiam ipsam Ecclesiæ Cathedrali Camerinensi æquè, & principaliter perpetuò canonicè unimus annectimus, & incorporamus, sub immediatâ ut priùs huic Sanctæ Sedi subjectione, cum insigniis prærogativis exemptionibus, & privilegiis, quibus dicta Ecclesia Camerinensis, & aliæ Cathedrales gaudere solent, nec non assignatione præfati ejus Territorii pro illius Diœcesi, & cum derogationibus, Indultis, concessionibus, & clausulis necessariis, & opportunis in Decreto, & Schedula Consistorialibus latiùs & uberiùs extendendis; cum Decreto, quòd memorati Communitas, & Populus teneantur de proprio Domum Episcopalem assignare, ac insuper Congruam pro Vicario generali ibidem moraturo, juxta oblationem ab ipsis factam, nec non Sacrarium sufficienter instruere de Supellectilibus Sacris ad Pontificalia exercenda, & necessarios sumptus impendere pro Erectione Seminarii; Volumus autem, & Apostolicâ Auctoritate decernimus, quòd, nisi adimpleto in omnibus per dictos Communitatem, & Populum, Decreto assignationum, & Sacrarii instructionis præfatarum, effectu gratiæ Erectionis, & unionis hujusmodi per Nos factarum minimè gaudeant, ita ut nec dicta Ecclesia nomen Cathedralis assumere, nec Terra præfata, Civitas denominari possit, donec, & quousque præfata omnia adimpleantur.

In Nomine PATRIS †, & FILII †, & SPIRITUS SANCTI †, Amen.

LVI. Bulla qua Collegium triginta Notariorum Curiæ Capitolinæ absque præjudicio Tribunalis Laici potest judicare de Legatis Piis, de Bonis Fisco additis & qua revocatur Major pars Constitutionis quæ incipit his verbis *motu proprio.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Motu proprio &c. Doppo esser stata impressa, e publicata in questa nostra Città di Roma la Cedola di Nostro Moto proprio, che nel di 23. Ottobre prossimo passato segnammo à suppliche, ed in favore del Collegio delli trenta Notari della Curia Capitolina, essendo peruenute à nostra notizia le doglianze degl'alteri Tribunali di Roma per esser state in quella espresse, e concedute alla detta Curia, benche à Noi, nè in voce, netampoco nel breve Sommario riferite molte cose pregiudiziali à detti Tribunali, ed esorbitanti, e contrarie tanto a'li Sagri Canoni, quant'alla consuetudine di Roma, e specialmente trà l'altre, che la detta Curia, ed i suoi Giudici Laici possano lecitamente, e legittimamente procedere nelle subaste, deliberazioni, cessioni, e vendite de' Beni, ed effetti emfiteutici de' Luoghi Pii, ed Ecclesiastici posseduti nell' utile Dominio da i Laici fin alla totale terminazione, e consummazione senz'alcuna licenza, mà col mero exequatur del Giudice Ecclesiastico nel Mandato de deliberando solamente, con quella ragione erroneamente dedotta, che tali atti, e gl'altri ulteriori fin alla consumazione inclusiva, risguardino solamente l'utile dominio de' Beni posseduti da Laici, e non si vulneri, nè tocchi niente, anzi si riserui il diretto dominio, e la proprietà à favore de' Luoghi Pii, ed Ecclesiastici, e che la detta Curia Capitolina goda la Giurisdizione privativa in tutte, e singole Liti, e Cause frà Cittadini, ed Incoli di Roma, anche in vigore di diverse Bolle de' Pontefici nostri Predecessori, e dell'istesso Statuto, à tenore specialmente del *Cap. 41. del lib. primo*, Onde Noi, che abbiamo sempre hauuta, ed abbiamo ferma intenzione di prouvedere all'indennità d'ogn'uno secondo il dritto della Giustizia, doppo aver riconosciuto, ed esaminato il tenore del detto nostro Moto proprio, e fatto seria, e matura riflessione alle cose in quello contenute, ben auveduti d'esserci state quelle nella maggiore, e più rilevante parte occultate, e come sopra non espresse nè in voce, ne tampoco (come è solito pratticarsi) nel breve Sommario del medesimo Moto proprio, che suole contenere in compendio la sostanza di tutta la Grazia in esso contenuta, che se ci fossero state espresse, ò in voce, ò nel detto Sommario, haveressimo avuto giusto motivo di non soscriuerlo, e di rigettarne nella maggior parte l'istanza; quantunque fossimo venuti in sentimento di ritirare à Noi il detto nostro Moto proprio, e pienamente rivocare tutte le cose in quello contenute, ci piacque nondimeno per procedere più cautamente di sentirne il parere d'una particolar Congregazione composta d'alcuni nostri Ministri Legali, che à bocca deputammo per essaminare la sossistenza delle cose in quello contenute, la quale essendosi uniformata al nostro sentimento, ci siamo però determinati di moderare, e nella maggior parte affatto rivocare la predetta nostra Cedola di Moto proprio, com'appresso. Pertanto avendo in questa per espresso, e di parola in parola inserto l'intiero tenore dell'altra, come sopra da Noi segnata, e qualunque altra cosa quantosivoglia necessaria d'esprimersi, di nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Suprema Potestà Apostolica dichiariamo, e decretiamo, che il Giudice Laico non abbia, nè debba avere veruna Giurisdizione sopra i beni emfiteutici delle Chiese, ed Ecclesiastici, benche il detto Giudice proceda contro il dominio utile posseduto da Laici, riprovando, e condannando Noi la proposizione espressa nell'antidetta nosta Cedola di Moto proprio, che la Curia Capitolina, ò Giudice Laico possa procedere lecitamente, e legittimamente nelle subaste, deliberazioni, cessioni, e vendite de' beni, ed effetti emfiteutici de' Luoghi Pii, ed Ecclesiastici posseduti nell' utile Dominio da i Laici, ed insieme la ragione erroneamente ivi dedotta, che tali atti, e gl'altri ulteriori da farsi risguardino solamente l'utile dominio de' Beni posseduti da Laici, e non si vulneri, ne tocchi in niente, anzi, che si riserui il diretto dominio, e proprietà à favore de' Luoghi Pii, ed Ecclesiastici, essendo tal proposizione contraria alli Sagri Canoni, specialmente *nel Cap. Quæ in Ecclesiar. de Constitut.* ed all'opinione commune de' Canonisti, e de' Tribunali della Curia Romana, e della Congregazione dell' Immunità, mentre il dominio diretto è annesso, e connesso, e complicato coll' utile, come accessorio, e subordinato al diretto dell' Enfiteusi Ecclesiastiche, e per conseguenza da quello inseparabile, talmente che il Giudice Laico resta totalmente privato della Giu-

ris-

risdizione sopra detto dominio utile, e tal' opinione de' Sagri Canoni, e Canonisti come sopra, abbiamo Noi fortemente sostenuta nella Congregazione dell'Immunità, mentre eravamo in qualità di Cardinale, & Arcivescovo di Benevento. Dichiariamo in oltre, che la detta Curia Capitolina non abbia, nè debba godere la Giurisdizione privativa in tutte, e singole Liti, e Cause tra Cittadini, ed Incoli di Roma, essendo ciò contro l'inveterata consuetudine, ed in pregiudizio, e spoglio di tutti gl'altri nostri Tribunali, a' quali in vigore di tante Bolle de' Sommi Pontefici nostri Predecessori compete simil Giurisdizione, e specialmente al Tribunale del Reverendissimo Cardinal Vicario à tenore del nostro Moto proprio spedito del mese di Settembre del 1724. e perciò ordiniamo, e vogliamo, che s'osservi la sudetta consuetudine, e prattica nello stesso modo, e forma, che si è fin'ora osservata nella Curia Romana, senz'innovazione alcuna, massime, che ne anche lo *Statuto di Roma lib. 1. cap. 41. de For. comp.* allegato nel primo detto nostro Moto proprio, concede tal sorte di privativa assoluta; dichiarando, e decretando Noi, che per Cittadini, ed Incoli di Roma s'intendano quelli, che tali sono secondo la disposizione del *Jus commune*, e del medesimo Statuto. E benche chiunque per sorrezione, ed orrezzione procura d'ottenere, ed ottiene le Grazie Pontificie, debba restar privo in tutto, e per tutto di quanto hà in tal forma ottenuto; nientedimeno volendo Noi pratticare col detto Collegio delli trenta Notari di Campidoglio gl'atti della nostra paterna beneficenza, ci contentiamo, ed ordiniamo, e vogliamo, che resti ferma al detto Collegio dei trenta Notari la Grazia da Noi fattagli della restituzione, ed incorporazione dell'Uffizio de' Mastri Giustizieri allo stesso Collegio col suo libero esercizio, e percezzione di tutti li suoi frutti, ed emolumenti nel modo, e forma, che abbiamo disposto nell'antidetta nostra Cedola di Moto proprio, quale, e tutte l'altre cose in essa contenute nelle rimanenti sue parti, di nostro simil Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra assoluta Potestà rivochiamo, cassiamo, ed annulliamo, vogliamo, che s'abbia, e debba aversi per cassata, annullata, e rivocata, e di niuna forza, e valore, appunto come se non fosse mai emanata, proibendo espressamente ad ogn'uno, à quali spetti, che à riserva della detta restituzione, ed incorporazione del detto Uffizio de' Mastri Giustizieri, esercizio di esso, e libera percezzione de suoi frutti non abbia, nè debba la detta nostra Cedola di Moto proprio come sopra segnata in favore dello stesso Collegio esser ammessa, nè attendersi mai in tempo alcuno, come da Noi rivocata, e pienamente annullata nelle rimanenti sue parti, e molto più proibiamo allo stesso Collegio, ed alli trenta Notari, che lo compongono ora, e pro tempore esistenti, che non ardischino (salva solamente l'incorporazione del detto Ufizio de' Mastri Giustizieri) farne uso alcuno, nè in qualunque tempo, ed occasione allegarla, nè in giudizio, nè fuori di esso, e tanto ne' Tribunali della nostra Città di Roma, quanto in tutti gl'altri Tribunali del Distretto di essa, e del nostro Stato, e respettivamente l'istesso prohibiamo à qualsivoglia altre Persone anco fuori del nostro Stato Ecclesiastico circa la proposizione come sopra contraria à i Sagri Canoni, opinione commune de' Canonisti, de' Tribunali della Curia Romana, e della Congregazione dell' Immunità, essendo tale la mente, e volontà nostra precisa. Volendo, e decretando, che alla presente nostra Cedola di Moto proprio, benche non s'ammetta, nè registri in Camera e ne i suoi libri secondo la disposizione dell Bolla di Pio IV. nostro Predecessore *de Regi[s]trandis*, non possa in alcun tempo mai opporsi di surrezzione, orrezzione, nè d'alcun altro vizio, ò difetto della nostra volontà, ed intenzione, mà che vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, effecuzione, e vigore col la nostra semplice sottoscrizzione, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, diffinirsi, ed interpretarsi da i Tribunali della nostra Camera, e Rota, da i Giudici di detta Curia Capitolina, e da qualunque altro Tribunale, e Giudice Secolare, ed Ecclesiastico, e da qualsisia Congregazione, benche composta de Reverendissimi Cardinali, togliendo loro, ed à ciascuno di essi ogni facoltà, ed autorità di giudicare, diffinire, ed interpretare diversamente, dichiarando Noi d'adesso preventivamente nullo, ed invalido tutto ciò, che scientemente, ò ignorantemente si facesse, ò si tentasse di fare in contrario, ancorche non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti il detto Collegio, ed i suoi Notari, e qualsisiano altre Persone, che v'avessero, ò pretendessero d'avervi interesse, non ostanti la soprariferita nostra Cedola di Moto proprio, e le cose in essa contenute, le ragioni, e motivi allegati; Decreti, e clausule nella medesima apposte, la regola della nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, la Bolla del detto Pio IV. *de Registrandis*, e qualsisiano altre Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche nostre, e de' nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, usi, stili consuetudini, ed ogn'altra cosa, che facesse, ò potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore quì per espresso, ed inserto di parola in parola, e sopplendo Noi colla pienezza della nostra Suprema Potestà à qualunque vizio, e difetto sì sostanziale, che formale, che potesse intervenirui, questa volta sola, per l'effetto predetto pienamente, ed ampiamente deroghiamo. Dato dal nostro Palazzo Apostolico Vaticano questo dì 29. Novembre 1728. 29. Nov. 1728.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Avendo la Santità Vostra, doppo sentite le doglianze de i Tribunali di Roma, essaminato con matura riflessione le Grazie ultimamente concedute con sua Cedola di Moto proprio del dì 23. Ottobre promisso passato al Collegio de i trenta Notari della Curia di Campidoglio, specialmente in quello riguarda la facoltà ulla detta Curia, e suoi Giudici Laici di procedere lecitamente, e legittimamente nelle subaste, deliberazioni, cessioni, e vendite de' beni emfiteutici de' Luoghi Pii, ed Ecclesiastici posseduti nell'utile dominio da i Laici sin'alla totale terminazione, senz'alcuna, mà col mero exequatur del Giudice Ecclesiastico nel mandato de deliberando solamente, e la privativa in tutte le Cause trà Cittadini, ed Incoli di Roma, e col parere d'una Congregazione particolare d'alcuni suoi Ministri Legali riconosciuteli pregiudiziali agl'altri Tribunali di Roma, esorbitanti, e contrarie, quant'alla prima alli Sagri Canoni, ed all'opinione commune de' Canonisti, e Curia Romana, e della Congregazione dell'Immunità, essendo il dominio diretto annesso, e complicato coll'utile, come accessorio, e subordinato al diretto dell'emfiteusi Ecclesiastiche, e quant'alla seconda all'inveterata consuetudine, e pratica della Curia Romana osservata fin'ora,

ANNO 1728.

ANNO 1729.

si degna però di dichiarare, che il Giudice Laico non abbia veruna Giurisdizione sopra li Beni emfiteotici delle Chiese, ed Ecclesiastici, benche il Giudice proceda contro il dominio utile posseduto da' Laici, e che la detta Curia non debba godere la Giurisdizione privativa nelle Cause tra' Cittadini, ed Incoli di Roma, con ordinare che s'osservi la consuetudine, e prattica osservata sin'ora, e che per Cittadini, ed Incoli di Roma s'intendano quelli, che tali sono secondo la disposizione dell Jus comune, e dello Statuto di Roma, e contentandosi, che resti ferma al detto Collegio la grazia fattagli della restituzione, ed incorporazione dell'Ufizio de' Mastri Giustizieri, suo esercizio, e percezzione de' frutti nella forma disposta nella detta sua Cedola di Moto proprio, nel rimanente revoca, ed annulla il medesimo Moto proprio con tutte, e singole altre cose in esso contenute, proibendone l'uso sì in giudizio, che fuori di esso, come più diffusamente s'esprime nella presente altra Cedola di suo Moto proprio.

LVII. Beatificatio Servi Dei Fidelis à Sigmaringa Sacerdotis expressè Professi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Beatorum Martyrum, quos nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius à Charitate Christi separare potuerunt, sed loricâ Fidei indutos, ac mucrone spiritus (quod est Verbum Dei) accinctos bono certamine peracto, cursuque feliciter consummato, victores post agonem coronâ justitiæ donavit in Cœlis justus Judex, gloriosos triumphos, ac trophæa in terris celebrari, devotaque fidelium veneratione honorari decet; ut qui Sanguinis sui pretio immortalitatem emerunt, illustriaque invictæ constantiæ, fortitudinis, ac virtutis suæ exempla reliquerunt, infirmitatem nostram inter Sæculi tentationes laborantem assidua sua apud Deum, cui in Stolis candidis die, ac nocte serviunt in templo ejus, intercessione juvare, ac roborare dignentur. Quam rem pro pastorali nostro munere, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina Dispositione præsidemus, propensis Studiis incumbentes, flagitantia id ipsum Orthodoxorum Regum, & aliorum Christi fidelium vota libenter exaudimus; prout ad gloriam Omnipotentis Dei, ad Christianæ Religionis decus, Fideique Catholicæ incrementum, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltationem cognoscimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque maturè, diligenterque discussis, & perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum processibus de hujus S. Sedis Apostolicæ licentia confectis super Martyrio, & causa Martyrii Dei Servi FIDELIS A SIGMARINGA Presbyteri expressè professi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum nuncupatorum, qui olim à suis Superioribus Regularibus in Præfectum Sacrarum Missionum, quæ in partibus Rhætorum auctoritate eo tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei Præpositorum tunc primùm institutæ fuerant, destinatus, cùm in hoc munere Hæreticorum conversioni eximiam, indefessamque operam navaret, ab iis vario telorum genere in odium ipsius Fidei Catholicæ anno MDCXXII. crudeliter trucidatus palmam Martyrii accepisse asserebatur, ac super signis, prodigiis, & miraculis, quæ ad manifestandum mundo finalem illius perseverantiam à Deo edita, & patrata fuisse dicebantur; prædicta Congregatio Cardinalium coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum Suffragiis, censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, eundem Dei Servum publicè Beatum nuncupari cum solitis indultis. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis Charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici, & Romanorum Regis in Imperatorem electi, & Charissimæ in Christo filiæ nostræ Elisabethæ Christinæ earumdem Hispaniarum Catholicæ, ac Romanorum Reginæ ejus Conjugis, necnon Venerabilium itidem Fratrum nostrorum negotiis Propagandæ Fidei hujusmodi Præpositorum, aliorumque dictæ S. R. E. Cardinalium, ac quamplurium Germaniæ Antistitum, & Procerum, totiusque præfati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, & nominatim Maximiliani à Wanghena ejusdem Ordinis Professoris, hujusque Causæ Postulatoris supplicationibus Nobis, & huic Sanctæ Sedi super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de supra dictæ Congregationis Cardinalium consilio, & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut præfatus Servus Dei FIDELIS A SIGMARINGA inposterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponatur, Imagines quoque radiis, seù splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die felicis ejus transitus, seù alia die non impedita illam immediatè sequenti, recitetur Officium, & Missa celebretur de Communi unius Martyris juxtà Rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porrò recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in Universo Ordine Minorum Sancti Francisci Capuccinorum utriusque Sexus, quem idem Dei Servus Martyrio illustravit, in loco de Sigmaringa Diœcesis Constantien. Provinciæ Moguntin. in quo natus est, in Oppido Civitate nuncupato Friburgi dictæ Diœcesis, ubi Regularem Professionem emisit, diuque versatus fuit, in Civitate Curien. ubi ipsius Corpus, ac Pago Veldekirchii Curien. Diœcesis, ubi ejus Cranium respectivè asservantur, ab omnibus utriusque Sexus Christi fidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Prætereà primo dumtaxat anno à datis hisce litteris, & quoad Indias à die, quo eædem litteræ illuc pervenerint, inchoando in Ecclesiis Ordinis, Loci, Oppidi, Civitatis, & Pagi præfatorum Solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die ab Ordinariis respectivè constituta, postquàm tamen in Ecclesia Lateranen. de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia, pro qua re diem XXIV. currentis mensis Martii, assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis, seù exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & Sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsùs fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII.

Martii MDCCXXIX. Pontificatus nostri Anno Quinto.

12. Martii 1729.

F. Card. Oliverius.

LVIII.

Franciscus Maria Pitonius Episcopus Himerien. Prælatus Domesticus, sanctissimi Domini nostri

BENEDICTI PAPÆ XIII.

Auditor, & Judex Commissarius specialitèr electus, & deputatus.

CUM SSmus Dominus noster Benedictus, Divinâ providentiâ, Papa XIII. supplicationibus Reverendissimi P. Magistri Petri Mariæ de Pieris Generalis Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, ac Admodum RR. Josephi Mariæ Curti Procuratoris Generalis, Prioris, & Patrum ejusdem Ordinis Ven. Conventus S. Marcelli de Urbe benignè inclinatus Chirographum manu Sanctitatis suæ die 9. currentis mensis subsignatum, nobis pro exequutione in eo contentorum direxerit, tenoris sequentis, videlicet MONSIGNOR FRANCESCO MARIA PITONI Vescovo d'Imeria nostro Uditore. Ci hà rappresentato il Maestro Fra Pier Maria Pieri Generale del l'Ordine de'Servi de ella Santissima Vergine, anche per parte di Fra Giuseppe Maria Curti Procurator Generale, e del Priore, e Religiosi di detto Ordine del Convento di S. Marcello di questa nostra Città, che possedendo detta loro Religione da tempo antico la Chiesa Parocchiale di S. Nicola in Arcione, fù questa con tutti i suoi Beni, e Rendite dalla fel. mem. di S. sto IV. nostro Predecessore con suo Breve, che incomincia - *Sollicitudo Pastoralis Officii* - spedito l'anno 1478. unita, & incorporata à detto loro Convento di S. Marcello, con facoltà di poter'i Religiosi di detto Convento esercitare, ò far' ivi esercitare la Cura dell' Anime annessa à detta Chiesa; ma che doppo esser stata questa da essi esercita a fino all' anno 1641. per colpa di quei Religiosi, che risiedevano in detta Chiesa, e Casa Parochiale, ne furono essi rimossi dalla Congregazione della Visita Apostolica per ordine della fel. mem. d'Urbano VIII. nostro Predecessore, con Decreto emanato li 23. Febraro 1641. e successivamente dalla fel. mem. d'Innocenzo X. parimente nostro Predecessore, privata anche la detta loro Religione della facoltà di nominare il Paroco, & eretta in detta Chiesa una Vicaria perpetua da conferirsi ad un Sacerdote Secolare per libero Concorso da farsi, precedente il dovuto Esame, & approvazione del nostro Reverendissimo Cardinal Vicario pro tempore, coll'assegnamento della Congrua in annui scudi 60. da conseguirsi sopra i Canoni perpetui delle Case, & altre Rendite di detta Chiesa, e coll'abitazione nella Casa Parocchiale con suo Orto, oltre gl'altri emolumenti ordinari, & estraordinari, che provengono per ragione dell'esercizio della Cura dell'Anime, col peso però di dover celebrare à proprie spese, tanto la Festa della Purificatione della Santissima Vergine, & in essa dispensar le Candele, quanto l'altra di S. Nicola, e di dover in oltre tener provvista la Chiesa, e Sagrestia di Cera, Oglio, Utensili, Paramenti, & altre cose necessarie per la celebrazione delle Messe, & altri Divini Uffizi, e di restaurar l'istessa Chiesa, Altari, Sagrestia, Casa Parocchiale, e strade adjacenti, con aver riservato à detto loro Convento di S. Marcello la Proprietà, e Cura abituale di detta Chiesa, con tutti li Capitali, e Rendite di essa, e le devoluzioni delle Case à quella spettanti, detratta la sudetta Congrua assegnata, col peso però di pagare i Quindenni, ed altri Pesi Camerali, di adempire in detta Chiesa di S. Marcello tutti gl'Anniversarj lasciati, ed ordinati in detta Chiesa di S. Nicola in Arcione, non compresi però li Legati, e Donazioni, con pesi di Messe, ò altre Opere pie già lasciate, ò che potessero lasciarsi in avvenire alla stessa Chiesa, e suoi Altari, quali ordinò, che dovessero restar' à commodo, e peso di detto Vicario Curato, conforme fù in primo luogo eletto il fù Sacerdote Domenico Cerroni, come dal Breve di detto Pontefice spedito li 20. Marzo 1648. Avendo perciò essi sofferta tal privazione lo spazio d'ottanta, e più anni, bramando veder un giorno riposto detto loro Convento nell'antica prerogativa, e liberato insieme dalla gravezza dell'annua somministrazione di detta Congrua, avendo perciò implorato la nostra Clemenza, supplicandoci, che continuando verso di loro le nostre paterne beneficenze compartite fin'ora in tante guise à detta loro Religione, volessimo reintegrar detto Convento di S. Marcello nel pristino possesso della Cura attuale di detta Chiesa di S. Nicola in Arcione col ridurla nuovamente allo Stato di Paroco Regolare, e benignamente permettergli, che quella possa di nuovo liberamente amministrarsi dalli Religiosi di detto Convento di S. Marcello, da eleggersi da esso Generale dell'Ordine, con rimuovere à tal' effetto il Sacerdote Girolamo Amato Calbini moderno Vicario Curato di detta Chiesa, al quale si offerireno essi pronti di somministrare per fino, che viverà, quella decente Congrua, che da Noi fosse stata stabilita. E noi riguardando non solo l'antico possesso dell'esercizio di detta Cura goduto sì lungo tempo dalli Religiosi di detto Convento di S. Marcello, ma riflettendo altresì alla maggior gloria di Dio, & al profitto della salute delle Anime, di quella Parocchia, poiche li Regolari per la loro moltiplicità, possono con maggior facilità, e decoro supplire alle veci del Paroco nell'amministrazione de Sagramenti, specialmente à gl'Infermi, e nella celebrazione delle Feste, & altre Funzioni Ecclesiastiche, e con la loro Predicazione, & esercizio di altre opere divote, e pie, alle quali sogliono attendere, secondo l'obbligo del loro Istituto, promuovere sempre più anche la divozione verso la Santissima Vergine, atteso il Consenso dato à noi stessa dal detto moderno Vicario Curato, ordinassimo la reintegrazione di detti Religiosi alla Cura attuale di detta Chiesa Parocchiale di S. Nicola in Arcione, con riservare à detto moderno Vicario Calbini, che lodevolmente hà esercitata la Cura, durante la sua Vita naturale, tutti gl'Emolumenti certi, & incerti, che sogliono ritraersi dall'esercizio di detta Cura, come se attualmente Egli lo proseguisse unitamente coll'abitazione nella Casa Parocchiale anessa a detta Chiesa, ò in luogo di essa, la somministrazione d'annui scudi 40. per la pigione d'altra Casa da condursi altroue da detto Vicario, con riservargli in oltre il Ius della Sepoltura nella stessa Chiesa Parochiale, come se avesse continuato l'esercizio della Cura fino alla di lui morte, & unitamente la facoltà di poter in essa udire le Confessioni de Fedeli, sopra di che ne fù da Voi d'ordine nostro, sottoscritto, e spedito Decreto li 22. Decembre 1728. e che in appresso essendosi trà essi Religiosi, e detto Vicario Calbini fatto amichevolmente qualche trattato sopra la liquidazione di detti Emolumenti certi, ed incerti, come sopra riservati, doppo varie dubietà, finalmente colla vostra mediazione, e col co mun consenso

d'ambe le Parti siasi stabilito, e concordato in vostra presenza, che per l'intiero valore di tutti, e singoli Emolumenti certi, & incerti, come sopra riseruati, unitamente con la pigione della Casa Parocchiale debba detto Vicario Calbini, durante la sua vita, ricevere l'annua somma di scudi trecento quaranta in tanti frutti di Luoghi di Monti, che douranno attergarsi à suo favore da detti Padri di S. Marcello, e che con quest' assegnamento debba egli restar contento, e sodisfatto per tutto quello, che potesse pretendere per causa di detti Emolumenti certi, & incerti, & abitazione riservata, con patto anche giurato, che non possa domandar di vantaggio per causa di detti Emolumenti, e per qualunque altra possibil pretensione pensata, e non pensata, tanto de præterito, quanto de futuro, in modo, che durante la sua vita, non possa, nè debba in verun modo contravenire à detto stabilimento, e che sopra di esso ne sia stato fatto da voi nuovo Decreto lì 10. del passato mese, accettato, approvato, e sottoscritto anche sì dal detto Maestro Generale de Servi, che dal medemo Vicario Calbini sotto li 16. dello stesso mese; Per il che, ci hanno di nuovo supplicato, che per compimento delle nostre Grazie vogliomo benignamente permettergli, che possano liberamente assumere l'esercizio della Cura attuale di detta Chiesa Parochiale; & ordinare la di loro formale reintegrazione al possesso della medesima; con derogare per tal'effetto à gl' accennati Decreto della Congregazione della Visita, e Breve d'Innocenzo X. e dargli insieme facolta di poter'in appresso eriggere in detta Chiesa, e Casa un Convento formale, con rimuover tutti gl'ostacoli delle Constituzioni Apostoliche, e Decreti della nostra Congregazione de Vescovi, e Regolari, e della Disciplina. E noi, affinche gl'Ordini da noi, come sopra dati, abbino la dovuta, e pronta esecuzione; attese si le ragioni, e motivi sopra espressi, che lo stabilimento della Congrua per detto Vicario Calbini concordara, & accettata nel modo sudetto, siamo volentieri condescesi à consolarli, come in appresso. Avendo per tanto nel presente nostro Chirografo per inserto, e di parola in parola registrato l'intiero tenore del suddetto Breue di Sisto IV. nostro Predecessore, come sopra spedito, in cui detta Chiesa Parochiale di S. Nicola in Arcione fù unita, & incorporata à detto Convento di S. Marcello, di tutte le facoltà, e perogative in esso concesse à detti Religiosi, del suddetto Decreto della Congregazione della Visita Apostolica, dell' altro sopra enunciato Breve d'Innocenzo X. parimente nostro Predecessore, in cui doppo la remozione di detti Padri da detta Chiesa Parochiale; fù istituita una Vicaria perpetua per un Sacerdote secolare, delli motivi, riserve, assegnamenti, obbl ghi, condigioni, pesi, & altro in essi respettivamente prescritto, de' Dereti da Voi d'ordine nostro, come sopra publicati, e speicalmente dello stabilimento della Congrua per detto Vicario Calbini nell'annua somma di scudi 340. nella forma sopra espressa, e dalle Parti accettato, delle Costituzioni Apostoliche, e Decreti di detta nostra Congregazione de'Vescovi, e Regolari, e della Disciplina, e di qualunque altra Congregazione; proibente la fondazione de' nuovi Conventi, de requisiti, che si ricercano per tal fondazione, & ogn'altra cosa quanto si voglia necessaria d'esprimersi, confermando, ed approvando Noi l'unione, e concessione fatta dal suddetto Sisto IV. à favore di detto Convento di S. Marcello, con tutte le facolta, prerogative, onori, e pesi, & in tutto, e per tutto nella forma espessa nel sopra riferito suo Breve, ed insieme rivocando ed annullando in tutto, e per tutto con la pienezza della Nostra suprema Autorità, il sopra riferito Decreto della Congregazione della Visita Apostolica, ed il susequente Breve d'Innocenzo X. come se questi non fossero mal emanati, e respettivamente spediti, di nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra Suprema Potestà vi ordiniamo, che in nome nostro reintegriate, siccome Noi reintegriamo il detto Convento, e Padri di S. Marcello dell'Ordine de'Servi della Santissima Vergine nel pristino, ed antico possesso della Cura attuale di detta Chiesa Parochiale di S. Nicola in Arcione, inducendola nuovamente allo stato di Paroco Regolare di detto Ordine, e nuovamente diate, e concediate, siccome Noi diamo, e concediamo alli Religiosi di detto Convento ampla, ed assoluta facoltà di poter liberamente, non ostante la disposizione del suddetto Decreto della Congregazione della Visita Apostolica, e del Breve d'Innocenzo X. amministrare, ed esercitare in perpetuo la Cura dell' Anime di detta Chiesa Parochiale, e di godere, possedere, e respettivamente convertire in uso, e mantenimento proprio, e di detta Chiesa tanto detta Casa Parochiale, quanto tutti li Canoni, frutti, & rendite Ecclesiastiche, profane, e di quasisia altra qualità, e specie, in qualunque modo spettanti à detta Chiesa tanto per titoli antichi, ed in tempo, che detta Cura si esercitava da essi Religiosi, quanto in appresso pervenutigli per qualunque Disposizione, Legato, Titolo, ò Lascita susseguita in tempo, ch'è stata esercitata da detti Vicarj Curati, col l'obbligo però di dover'adempire tutti Pesi sì perpetui, che temporanei, antichi, e moderni, ed insieme tutti gl'altri Utili, ed Emolumenti certi, ed incerti, ordinarj, ed estraordinarj, che sogliono provenire dall' Esercizio della Cura dell'Anime anticamente percetti, e goduti da detto Convento di S. Marcello, e respettivamente da detto Vicario Curato Calbini, quale à tal fine dal giorno dell'esecuzione del presente nostro Chirografo Noi rimoviamo da detta Vicaria, e dall'Esercizio di detta Cura d'Anime, e dal giorno della dimissione, e respettivamente della reintegrazione di detti Religiosi gli riserviamo, ed assegniamo, durante la sua vita, per sua intiera Congrua, computati tanto gl'annui scudi 60. somministratigli fin'ora da detto Convento di S. Marcello, quanto ogn'altra Rendita, Utile, ed Emolumento certo, ed incerto, ordinario, ed estraordinario, che potesse provenire, e ritraersi dall'esercizio di detta Cura d'Anime, e compresa anche la pigione della Casa in luogo dell'abitazione della Casa Parochiale, in tutto e per tutto annui scudi trecento quaranta moneta liberi, ed esenti da qualunque obligo, e peso in tanti frutti di Luoghi di Monti, che dovranno attergarsi da detti Religiosi di S. Marcello à favore di esso Vicario Calbini, prima d'entrare in possesso dell'esercizio di detta Cura, così da Voi tassati, e stabilitì col consenso d'ambe le Parti nel sopra riferito vostro Decreto, come sopra accettato, approvato, e sottoscritto, in modo che detto Calbini, attesa qu'est assegnazione, non possa, nè debba pretendere, durante la sua vita, verun'altra cosa per causa di detti Emolumenti, e per qualunque altra possibil ragione, causa, e titolo pensato, e non pensato tanto de prætetito, quanto de futuro, in conformitè di detto Decreto.

Vogliamo però, e decretiamo, che tanto il Paroco, quanto il Priore, Vicario, ò Rettore, Confessori, ed altri Religiosi sì Sacerdoti, che Laici, che dovranno risiedere in detta Chiesa di S. Nicola in Arcione, e sua Casa Parochiale; debbano nominarsi, eleggersi, e deputarsi liberamente, e privativamente dal predetto Maestro Pieri Generale di detto Ordine, e dagl'altri Generali successori pro tempore in perpetuo, coll'approvazione però rispetto al Paroco, e Confessori del nostro Reverendissimo Cardinal Vicario, riservando in tutto il rimanente, la Giurisdizione alli Provinciali pro tempore della Provincia Romana, secondo la disposizione delle Leggi, Constituzioni, e Decreti dell'Ordine; Concedendo in oltre Noi al detto Maestro Generale, ed altri successori suddetti ampla, ed assoluta facoltà di poter in detta Chiesa, e Casa Parochiale ad ogni loro arbitrio, senz'altro Beneplacito, Indulto, ò Licenza di questa Santa Sede, e di detta Congregazione de' Vescovi, e Regolari, e Disciplina, erigere, e fondare un Convento formale con la destinazione del numero de' Religiosi, secondo la capacità dell'abitazione, e con altre formalità prescritte dalle Costituzioni Apostoliche, e Decreti di detta Congregazione de Vescovi, e Regolari, e dell'altra della Disciplina, e di stabilir in esso le necessarie Regole, secondo le Costitutioni dell'Ordine suddetto, per il buon governo, e retta amministrazione di detta Chiesa, e nuovo Convento; ed in questa forma in esecuzione del presente nostro Chirografo ne pronunciarete Decreti, concederete l'opportune facoltà, ed in caso di bisogno, rilassarete, e farete spedire i necessarj Mandati, e farete tutt'altro, che per il totale l'adempimento, e perpetua sossistenza di questa nostra Grazia stimarete in qualunque modo esser necessario, per esser così mente, e volontà nostra espressa. Volendo, e decretando, che al presente Nostro Chirografo, benche non ammesso, nè registrato in Camera, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezzione, orezzione, nè d'alcun altro vizio, ò difetto della nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, ò altri qualunque pretesti, ragioni, ed eccezioni, benche giuridiche, anco di Jus quesito al Terzo possa esser impugnato, moderato, rivocato, ò ridotto ad viam Juris, nè concedersi contro di esso qualunque aperizione oris, e che così, e non altrimente, debba sempre, ed in ogni futuro giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualunque GiudiceOrdinario, Commissario, ò Delegato, e da qualsisia Tribunale, benche Collegiale, Congregazioni, anche de' Reverendissimi Cardinali, Legati à Latere, Camerlengo di Santa Chiesa, Tesoriere, Presidenti, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare diversamente, e dichiarando noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, & invalido tutto ciò, che da ciascuno d'essi con qualsivoglia autorità, scientemente, ò ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato contro la forma, e disposizione del presente nostro Chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debbà aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice nostra sottoscrizione, benché non vi siano stati chiamati, sentiti, nè citati il predetto Girolamo Amato Calbini moderno Vicario Curato di detta Chiesa di S. Nicola in Arcione, gl'altri Regolari di questa nostra Città, il defetto del Consenso de medesimi, e di qualunque altra Persona, che necessariamente si ricercasse, ed altre qualisisiano Persone, ancorche privilegiate, e privilegiatissime, che ricercassero special, ed individua menzione, quali in qualunque tempo vi avessero, ò pretendessero avervi qualsisia Interesse, non obstanti tutte, & singole cose premesse, e specialmente li soprariferiti Decreto della Congregazione della Visita Apostolica, e Breve d'Innocenzo X. l'erezione di detta Chiesa di S. Nicola in Arcione in Vicaria perpetua per un Sacerdote Secolare stabilita da detto Pontefice in detto Breve, dichiarazioni, condizioni, applicazioni, ed altre Clausole quantunque efficaci, ed effrenate in esso espresse, le Bolle di Collazione di detta Chiesa Parochiale spedite à favore del predetto Sacerdote Calbini, le Costituzioni, e Decreti di dette Congregazione de Vescovi, e Regolari, e della Disciplina proibenti specialmente l'Erezione, e fondazione di nuovi Conventi, la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore de registrandis, la Regola della nostra Cancellaria de jure quæsito non tollendo, e quali si siano altre Costituzione, ed Ordinazioni Apostoliche, nostre, e de nostri Predecessori concernenti specialmente l'esercizio della Cura dell'anime, e la Concessione di esse alii Regolari, la disposizione del Concilio Tridentino, ed altri Concili Generali, e Provinciali, Leggi Civili, e Canoniche, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, ò potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra Potestà Apostolica ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanciale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e total' esecuzione, ad effetto di quanto s'esprime nel presente nostro Chirografo, ampiamente, ed espressamente deroghiamo, anche con specialissima derogatoria delle derogatorie più insolite, effic ci, ed effrenate. Dato dal nostro Palazzo Apostolico Vaticano questo dì 9. Marzo 1729. BENEDICTUS PAPA XIII. Volentes itaque injuncta nobis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro Papa debitæ exequutioni demandare, utendo facultatibus nobis in eodem Chirographo tributis, attenta assignatione annuorum scutorum tercentum quadraginta prò congrua, ut infrà reservata favore admodum R. D. Hieronymi Amati Calbini moderni Vicarii Curati Ven. Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai in Arcione, ejus vita naturali durante, per dd. Ven. Conventum, & PP. S. Marcelli Ordinis Servorum in exequutionem ejusdem Chirographi expleta, mediante attergatione tot Locorum Montium, proùt ex fide D. Superintendentis generalis Secretariarum Locorum Montium nobis exhibita, tenoris, proùt in ea, prædictos Ven. Conventum, & RR. Patres S. Marcelli Urbis Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis ad pristinam, & antiquam possessionem curæ actualis prædictæ Ecclesiæ Parochialis S. Nicolai in Arcione, ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ nomine reintegramus, & reintegrari mandamus, eandemque Ecclesiam Parochialem ad Statum Parochi Regularis ejusdem Ordinis iterum reducimus, eisdemque RR. PP. Conventus S. Marcelli amplam, & absolutam facultatem libere, & non obstantibus Dispositione Decreti editi per Sacram Congregationem Visitationis Apostolicæ die 23. Februrii 1641. & Brevis respectivè san. mem. Innocentii X. expediti die 20. Martii 1648. in perpetuum administrandi, & exercendi curam animarum ejusdem Ecclesiæ Parochialis, ac fruendi, gaudendi, & in proprios usus, ac in manutentionem ejusdem Ecclesiæ conver-

tendi

tendi tàm Domum Parochialem, quàm omnes, & singulos Canones, aliosque fructus, redditus, & proventus cujusvis generis, & speciei ad Ecclesiam prædictam quavis de causa, jure, ac titulo quomodolibet spectan. & pertinen. & alios quoscumque redditus, utilia, & emolumenta certa, & incerta, ordinaria, & extraordinaria, ex hujusmodi curæ Animarum exercitio quomodolibet provenien. cum onere tamen adimplendi omnia onera cujusvis generis ejusdem Ecclesiæ, prævia remotione prædicti Admodum R. D. Hieronymi Amati Calbini, ac firma illius favore remanente assignatione annuorum scut. 340. liberorum, & exemptorum à quacumque obligatione, & onere in tot fructibus Locorum Montium à die Possessionis specialiter, ut supra attergat, pro integra congrua ipsi reservat. comprehensa pensione Domus in locum habitationis Parochialis, ac prò omni, & toto eo, quod ipse quovis prætextu, & causa prætendere quomodolibet posset, & cum confirmationibus, revocationibus, reservationibus, & aliis in eodem Chirographo expressis, eidemque Reverendissimo P. Magistro Generali, ejusque respectivè successoribus facultatem, & auctoritatem privativè quoad omnes alios eligendi, & nominandi RR. Parochum, Priorem, Vicarium, seù Rectorem, Confessarios, aliosque Religiosos tàm Sacerdotes, quàm Laicos de Familia collocandos in eadem Ecclesia S. Nicolai, ejusque Domo Parochiali, prævia tamen approbatione quoad Parochos, & Confessarios Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Vicarii, ac sinè præjudicio quoad reliqua jurisdictionis Admodum RR. PP. Provincialium pro tempore Provinciæ Romanæ, juxtà dispositionem Constitutionum, Legum, & Decretorum ejusdem Ordinis, nec non in eadem Ecclesia, & Domo Parochiali eorum arbitrio, & absque alio Beneplacito Apostolico, Indulto, seù licentia S. Congregationis Episcoporum, & Regularium, ac Disciplinæ, erigendi, & fundandi formalem Conventum ejusdem Ordinis modis, & formis in eodem Chirographo expressis simili Auctoritate concedimus, & impartimur, & prò præmissorum omnium effectu, & exequutione quæcumque mandata de reintegrando, immittendo, manutenendo, expellendo, & alia desuper necessaria decernimus, & relaxamus, juxtà in omnibus, & per omnia formam, seriem, ac tenorem memorati Chirographi, non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, supra relatis Decreto Sac. Congregationis Visitationis Apostolicæ, ac Brevi fa: me: Innocentii X. Decretis, & resolutionibus Sac. Congregationum Episcoporum, & Regularium, ac Disciplinæ, Conciliis, Legibus, Statutis, cœterisque aliis, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Papa in præinserto Chirographo derogavit. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Palatio Apostolico Vaticano, & ex Ædibus nostris hac die 12. Martii 1729. 12. Martii 1729.

F. M. Episc. Imerien. Auditor, & Judex Commissarius.

Loco † Sigilli.

Salvator Paparotius Caus. Curiæ Cameræ Apost. ac Illustrissimi, & Rmi D. Auditoris SS. D. N. Papæ Notarius.

LIX.

Concessio Indulgentiæ Plenariæ perpetuæ Monialibus Velum Sacrum, Benedictionem, & Consecrationem recipientibus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN supremo Apostolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, inscrutabili Dei providentiæ arcano constituti, Cœlestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ credidit Altissimus, libenter erogamus, cum id ad augendam Sacrarum Virginum, quæ oblitæ populum suum, & domum Patris sui, divinis obsequiis sese sub suavi Religionis jugo manciparunt, Religionem, fovendamque illarum pietatem arbitramur in Domino profuturum. Cum itaque Nos antiquissimam Catholicæ Ecclesiæ ad nostra usque tempora transmissam consuetudinem, priscumque Sanctorum Patrum morem secuti, nonnullis dilectis in Christo filiabus Monialibus Monasterii S. Ambrosii de Urbe Ordinis S. Benedicti, Sacrum hodie velamen, ac benedictionem, & consecrationem impartiti fuerimus (memores B. Marcellinam ejusdem Sancti Ambrosii Sororem, ut ipse in suis libris de Virginibus testatur, à S. Liberio Romano Pontifice prædecessore nostro, Sacrum itidem velum solemni ritu accepisse) dictisque Monialibus plenariam peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem concesserimus; Cæteras quoque Moniales, quæ deinceps Velamen, benedictionem, & consecrationem ejusmodi recipient, eodem Spirituali munere donare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Monialibus expressè professis quorumvis Monasteriorum in qualibet Mundi parte existentium tam hactenùs erectorum, quàm in posterum erigendorum cujuscumque Ordinis à S. Sede Apostolica approbati, quas de cætero juxta Sacrorum Canonum dispositionem, ac formam in Pontificali Romano præscriptam, à proprio Episcopo, seù Antistite velum sacrum suscipere, ac benedici, & consecrari contigerit, de earum velationis, benedictionis, & consecrationis præfatarum, si verè pœnitentes, & confessæ Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum Transumptis, seù Exemplis etiàm impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VI. Aprilis MDCCXXVIII. Pontificatus nostri Anno quarto. 6. April. 1728.

F. Card. Oliverius.

Bulla BENEDICTI XIII. ad Consorores Conservatorii Domus Charitatis quâ LX.

ſtatuta Summo Pontifici præſentata approbantur & Conſorores à Juriſdictione & autoritate Parochialium eximuntur illisque datur Capellanus qui functiones Parochiales exercere debet.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto Nobis cœlitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere, illis, quæ pro felici locorum Piorum devoti fœminei ſexus, ad exercenda Chriſtianæ pietatis, & charitatis opera Inſtitutorum gubernio, ac directione providè, prudenterque conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis, cum id à Nobis petitur, libenter adjungimus firmitatem. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ modernæ Superioriſſa, & Conſorores Conſervatorii Domus Charitatis nuncupatæ loci de Cormons Aquileien. Diœceſis à parte Imperii, dudum auctoritate Ordinaria, ut aſſeritur, erecti, quòd ipſæ, quæ vitam communem exactè ſervant, variiſque pietatis operibus, præſertim puellas, aliàſque Mulieres Doctrinam Chriſtianam, Fideive Catholicæ rudimenta, juxtà earum peculiare Inſtitutum, edocendo aſſiduè incumbunt, pro ſalubri earum regimine, & progreſſu quædam particularia habent Statuta, ſeù Conſtitutiones, quibus qualitates, & numerus Conſororum, inibi pro tempore recipiendarum, modus vivendi, & alia ad ejuſdem Inſtituti conſervationem ſpectantia præſcribuntur, aliàs condita, & per Ordinarium loci approbata, tenoris qui ſequitur, videlicèt.

Coſtituzioni delle Sorelle Maeſtre della Dottrina Criſtiana &c.

PROEMIO.

Da quel Dottore, che dimandò, coſa doveſſe fare per poſſedere la Vita eterna, volle il Benedetto Gesù udire, qual foſſe il più gran precetto della legge: e riſpondendo il Dottore, che il principale Comandamento conſiſte nell' Amar Iddio con tutto il cuore, con tutta l' anima, con tutta la mente, con tutte le forze, e nell' amar il Proſſimo come ſe ſteſſo: che in una parola vuol dire l'Amor di Dio, e l' amor del Proſſimo: Soggiunſe Gesù, che appunto faceſſe ciò, che in queſto modo acquiſterebbe la Vita eterna; cioè il Paradiſo: *Hoc fac, & vives.* Altrettanto dice Dio alle Sorelle, le quali ſono congregate in queſta Caſa di Carità, deſtinate dalla Inſpirazione Divina ad inſegnar la Dottrina Chriſtiana, ed à viver inſieme. Devono uſare tutte le diligenze di perfezionarſi nella Santa Carità, cio è nell' Amor di Dio, e nell' Amor del Proſſimo, ſecondo il loro Inſtituto intrapreſo d'inſtruirlo. In queſta maniera acquiſteranno la Vita eterna: *Hoc facite, & vivetis.* Perche però le Sorelle della Carità vivono inſieme, è il dovere, che ſappiano la maniera per ben eſſeguire il loro dovere, e conſeguire il loro fine. Per tanto queſte ſono le Coſtituzioni ricavate da buoni lumi di gravi Dottori, ſecondo la norma di Santa Madre Chieſa Cattolica Romana, ed applicate al loro biſogno: le quali Coſtituzioni, per maggior facilità, ſi dividono in quattro ſorti - In Regole - In Ordinazioni - In Auviſi - In Determinazioni - le quali coſe tutte ſono ottime Coſtituzioni da oſſervarſi con tutta eſattezza, e pontualità.

DELLE REGOLE.

Le Regole ſono nove.

1. Communità. 2. Uniformità. 3. Spropriazione. 4. Ubbidienza. 5. Voto di Caſtità. 6. Inſegnar la Dottrina Criſtiana. 7. Silenzio. 8. Digiuno 9. Converſazione. 1. Communità. In queſta Caſa, vi deve eſſere, e vi ſia per prima Regola una perfetta Communità. Perciò queſta Communità trà le Sorelle deve eſſere, e nello Spirituale, e nello Temporale. Nello Spirituale; doveranno la mattina per tempo, tutte inſieme fare mezz' ora di Orazione mentale: Recitare le ore dell' Uffizio della Beata Vergine: Fare mezz' ora di lezione Spirituale, ed aſcoltare la Santa Meſſa. La ſera avanti cena reciteranno il Veſpro, Compieta, Matutino, e le Laudi del detto Uffizio: faranno altra mezz'ora di Orazione mentale, e mezz'ora di lezzione Spirituale: e finita la lezione, faranno una picco la conferenza Spirituale ſopra ciò, che hanno letto, e meditato frà il giorno. Prima di andare al ripoſo, faranno un breve eſame di conſcienza: diranno intelligibilmente l' atto di Contrizione, e la Coronzina del Nome di Maria: e finalmente leggeranno il Punto della Meditazione da farſi la mattina ſuſſeguente: E tutti gl' altri Eſercizi Spirituali, che occorrono, ſieno diſtribuiti dalla Superiora: e per quanto è poſſibile, ſi facciano in commune, così di luogo, come di tempo, Ogni otto giorni ſi accoſteranno al Sacramento della Penitenza, e ſi communicaranno tutte le Feſte di Precetto dell' Anno, ogni qual volta non ſembri alla Superiora doverſi fare altrimenti da qualcheduna, per difetto particolare commeſſo nella Communità. La Communità ſia anche perfetta nel Temporale, vivendo provedute dal luogo, mangiando in commun Refettorio, così in commune nel veſtire, ed in tutto il biſognevole. 2. L'Uniformità, che ſiegue alla Communità, parimente deve eſſere, e nello Spirituale, e nel Temporale. Nello Spirituale, non dovendo mai alcuna Sorella mutare l' ordinario modo degli Eſſercizii Spirituali communi ſopraccennati ſotto preteſto di particolar divozione; ma inviolabilmente continuare li medeſimi Eſſercizi ſempre in commune, bensì con nuovo ſpirito, e fervore; non conſiſtendo la rarità degli Eſſercizi Spirituali in mutarli, ma nello sfuggire, e fugare la neglizenza, e languidezza, veſtendoſi ſempre di nuovo fervore. Si eccettua qualche grande accidente, ò impedimento, ma poi ſi ritorni ſubito ad uniformarſi al commune. Saranno anche uniformi nel fare una volta all' anno gli Eſſercizi Spirituali almeno per otto giorni continui, per acquiſtare nuovo ſpirito, e nuovo fervore ne gli Atti di Virtù. L'Uniformità nel Temporale ſarà primieramente nel cibo, contentandoſi d'uno ſteſſo cibo, ſe il cibo à qualche Sorella non foſſe molto nocivo: Secondariamente nel veſtire, veſtendo tutte ad un modo, ſenza veruna differenza, coll' Abito bianco, vera Inſegna della Dottrina Criſtiana. Sono eccettuate le Novizie, che nel tempo del Noviziato veſtiranno oneſtamente, non però coll' Abito bianco delle Sorelle: E parimente l'Uniformità deve eſſere in tutto il reſto. 3. La Spropriazione, ſiegue alla Uniformità:

e questa pure deve essere, e nello Spirituale, e nel Temporale. Nello Spirituale, essendo proibito, in virtù di questa Regola, ad ogni Sorella assolutamente di fare Penitenze, ò Essercizi particolari, anche in Cella, senza saputa della Superiora, acciò non vi sia alcun pericolo d'Inganno, e ciò si pratichi con ogni pontualità, essendo cosa premurosissima. La Superiora poi con le Sorelle farà ciò, che giudicherà espediente, secondo le Regole della buona Prudenza, & il bisogno di ciascheduna, assegnando nella Cella essercizi particolari con discrezione. La Spropriazione nel Temporale s'intende, che niuna delle Sorelle possa disporre mai di proprio capo in veruna cosa per piccola, che sia, senza saputa della Superiora; nè deve alcuna Sorella provedersi fuori della Casa, ma contentarsi in tutto, e per tutto di ciò, che dà la Casa di Carità: ed essendo data qualche cosa, si consegnarà alla Superiora, la quale farà quello, che giudicherà in Domino, senza pregiudizio della Communità, ed Uniformità; nè si possa domandare cosa alcuna, senza saputa della Superiora. 4. Ubbidienza. La Casa di Carità, e tutte le Sorelle devono essere sempre soggette alla giurisdizione, e autorità dell' Ordinario: onde al medesimo devono professare una esattissima ubbidienza, e dipendenza. Perciò saranno obligate manifestargli il loro modo di vivere, le osservanze della Casa di Carità, e tutto ciò, di cui volesse essere informato. L'Ubbidienza delle Sorelle sia anche perfetta verso la Superiora, la quale deve stimarsi come loro Madre, e Maestra. 5. Voto di Castità. Essendo le Sorelle destinate ad essere Spose di Giesù Cristo, devono consacrargli la loro Purità; Ma perche sono Secolari, e non Professe, non è bene, che facciano Voto perpetuo di Castità. Faranno dunque solo di anno in anno il Voto di Castità in mano della Superiora nel giorno di S. Catterina da Siena, dicendo, dopo riceuuti li Santissimi Sacramenti, e terminata la S. Messa, ad una ad una inginocchiata: Jo N. N. mi offerisco, e consacro all' Onnipotente Iddio, alla Beata Vergine Maria, alla Santa Maestra Catterina, e fino à questo giorno dell' anno venturo; faccio Voto alla presenza di tutto il Paradiso, e prometto à Dio Onnipotente di osservare Castità per tutto quest' anno intiero. Se però la Sorella fosse di anni quaranta, e che almeno dodici anni fosse dimorata nella Casa di Carità, potrebbe, con licenza del Confessore, e della Superiora, fare Voto di Castità perpetuo: Ma con gran rigore del Confessore nell'esaminare diligentemente tutte le circostanze. Niuna sia Superiora, che non abbia questo Voto di Castità perpetuo: Ed occorrendo di far nuova Superiora qualche Sorella, che ancora non avesse compiti anni quaranta, sia bene considerato tutto lo stato della Sorella, tutti li pericoli, e circostanze; ed approvando la maggior parte delle Sorelle, con l'esatto esame del Confessore, che tal Sorella, possa far questo Voto senza alcun pericolo, per questo solo caso, d'esser eletta per Superiora. Quelle Sorelle dunque, che averanno Voto di Castità perpetuo; ogn'anno rinoveranno il Voto con le altre Sorelle nello stesso modo, solo dicendo: Jo N. N. rinuovo il mio Voto fatto di perpetua Castità, sino alla morte, in presenza &c. come sopra. Per mantenere illibata questa virtù, le Sorelle non dormino mai senza la veste interiore di tela, e sempre cinte col cingolo della Castità di S. Tomaso d'Acquino. Debbano dormire sopra la paglia, eccettuato il tempo di qualche loro debolezza, ò Infermità. Non dormano mai accompagnate, ma una sola; e se fosse possibile, nè meno facciano più letti in una Camera: E l'Educande siano separate dalle Sorelle; ma però assiste sempre il giorno, e la notte dalle Maestre assegnate dalla Superiora. 6. Dottrina Cristiana. Essendosi le Sorelle radunate in questa Casa di Carità, non solamente per amare, e servire Dio con purità di cuore; ma anche per cooperare alla salute delle Persone del loro sesso, tanto fanciulle, quanto adulte, con insegnare la Dottrina Cristiana, il Santo Timor di Dio, e la strada del Paradiso, dourà ogn'una delle Sorelle essercitare questo santo ministero colla maggior diligenza, e attenzione possibile à maggior Gloria di Dio, per motivo semplice di Carità, senz'alcun fine mondano; e per maggiormente ancora giovare al Prossimo, potranno insegnare à leggere, scrivere, e lavorare secondo la qualità delle persone: nè à loro si proibisce di ricevere in casa le figlivole giorno, e notte, secondo il commodo, che averanno, con titolo di Educande, come si dirà di sotto. E perche la Dottrina Cristiana è il principal Instituto della Casa di Carità, acciò si adempisca con esattezza, si prescrivono le seguenti Regole. Circa il tempo, dourà incominciarsi ad insegnare la Dottrina Cristiana nella prima Domenica di Novembre, e continuarsi ogni giorno, senz'alcuna vacanza, fino alla festa di S. Matteo nel mese di Settembre. L'ora della Dottrina nelle Feste sarà dopo mezzogiorno, quando si darà il segno della Campana; ne i giorni feriali, tutte le ore saranno impiegate per questo santo essercizio, nelle quali sarà commodo alle fanciulle di venire alla Casa di Carità per imparare la Dottrina Cristiana. Circa il luogo della Dottrina Cristiana, in tutte le Feste di Precetto, dourà insegnarsi publicamente in Chiesa, acciò li Parrochi possano intervenirui à loro arbitrio, & informarsi del profitto, che faranno le loro Parrochiane. Ne giorni feriati la Dottrina Cristiana s'insegnerà nelle Scuole private della Casa di Carità, secondo la determinazione della Superiora. Circa il modo: la Superiora dourà destinare le Sorelle Maestre, con prescriver loro le parti della Dottrina Cristiana, che dovranno respettivamente insegnare: Così ad ogni Maestra assegnarà le scuolare secondo la loro capacità: E quando coll' attestazione della Maestra le medesime Scuolare abbiano fatto profitto in una Scuola, dalla Superiora si faranno passare sotto l'altra Maestra, finche, colla grazia di Dio, abbiano ben appresa tutta la Dottrina Cristiana. E perche la sperienza insegna, che le fanciulle imparano la Dottrina Cristiana più facilmente coll' allettamento di qualche premio; per tanto, nelle quattro ultime Feste avanti le vacanze di Ottobre, dourà farsi la disputa di tutta la Dottrina Cristiana publicamente in Chiesa, una parte per ciascuna festa; e nell' ultima festa, cioè nel giorno di S. Matteo, dalla Superiora si distribuiranno li Premii, ad arbitrio della medesima, à quelle scuolare, che averanno fatto maggior profitto. Per queste Dispute la Superiora s'informerà dalle Maestre circa le loro Scuolare più capaci, acciò ne possa fare la scielta, non dovendo le Scuolare entrar nella disputa senza il consenso della Superiora. Circa il metodo d'insegnare la Dottrina Cristiana, le Sorelle, sotto precetto di Regola, douranno valersi della Dottrina del Ven. Servo di Dio Cardinale Bellarmino approvata dalla san. mem. di Clemente VIII. nè altra Dottrina di qualsivoglia sorte, e di qualsivoglia Autore insegnaranno, che la sopra detta del Card. Bellarmino, tanto alle fanciulle, quanto alle Donne. E questa Regola si osservi inviolabil-

mente

Anno 1728.

mente con grande esattezza, di modo che, dalla Superiora non possi essere dispensata. Acciò poi le Sorelle possino essercitare questo santo ministero coll' autorità, ed approvazione dell' Ordinario, prima di essere confermate nella Casa di Carità, doveranno essere essaminate, ed approvate dal detto Ordinario, ò da altra Persona Ecclesiastica dal medesimo delegata, come si dirà di sotto, circa il modo di ricevere alla conferma le Sorelle. 7. Silenzio, Essendo la Carità il perfetto Amor di Dio, ricerca gran custodia della lingua, e di andar caute nel parlare fuori del necessario. Terranno dunque le Sorelle sempre silenzio nel Refettorio, stando attente alla lezione della Tavola. Nella Cucina non si parli, se non delle cose necessarie. Osservaranno silenzio rigorosissimo la sera dopo le Orazioni, e la Coronzina, e sino alla mattina susseguente dopo fatte le Orazioni, nel qual tempo chiederanno licenza alla Superiora di parlare, ponendosi un deto alla bocca, e chinando il capo: ma si auverta, che tal licenza s'intende di cose lecite, oneste, e necessarie, perche delle parole non necessarie, ed oziose, niuno può dar licenza, essendo contro il Vangelo, dovendone rendere conto avanti il Tribunale di Giesù Christo. Silenzio rigorosissimo nelle Celle, ò Dormitorio. Si eccettua la Cella della Superiora, acciò abbiano libertà le Sorelle di andar à piedi della medesima ad esporgli il loro bisogno. 8. Digiuni. Oltre quelli di Santa Chiesa, le Sorelle digiuneranno li nove ultimi giorni dell' Auvento, tutti li Venerdi dell' anno, le Vigilie delle sollennità della Beata Vergine, di S. Catterina da Siena, del glorioso Patriarca S. Domenico, ed' altri giorni ad arbitrio della Superiora, ma con discrezione. 9. Converſazioni, ò siano Ricreazioni. Averanno le Sorelle un certo tempo di ricreazione dopo pranzo, e la sera, ed anche qualche giorno intero, non per dissipare lo spirito, mà per poter fare poi con più coraggio il loro debito: anzi che in quel tempo della Ricreazione, impareranno à compatirsi l'una l'altra, e la Superiora sia zelantissima, che tutte, non legitimamente impedite, intervengano al pari dell' altre alle funzioni; perche il Demonio suo le in quel tempo metterle in capo voglia di devozione, e diventando poi tali Sorelle dure di giudicio, disturbano molto. In verum modo non permetta mai la Superiora, che le Sorelle della Casa di Carità vadano per titolo di Ricreazione in Case de' Secolari, nè meno de' proprii Parenti tanto nel luogo, come fuori del luogo; E se occorresse qualche volta, per qualche gravissimo accidente, che alcuna Sorella dovesse far qualche viaggio fuori del luogo, le sia assegnata una Compagna delle più prudenti: ed in questo caso vestiranno di Nero, per non dare ammirazione. Non potranno però trattenersi nè meno un ora di più fuori del puro necessario, ma ritorneranno colla maggior celerità possibile alla ubbidienza della Superiora. Queste Regole devono osservare tutte le Sorelle di questa Casa di Carità, niuna eccettuata, se non fosse qualche legitimo impedimento, conosciuto dalla Superiora.

Seguono le Ordinazioni. Le Ordinazioni sono le seguenti.

1. Sia nella Casa una Superiora, una Vice Superiora, una Maestra di Novizie, ed una Maestra di Cucina. 2. Vi sia una Scrivana, che con diligenza noti in libri distinti, l'Introito, e l'Esito della Casa, l'ingresso delle Novizie, e la loro Dote. Vi sia pure un libro per notare le infermità lunghe delle Sorelle, acciochè, se dopo volessero tornarsene via, se hanno fatta gran spesa di Medecine, con gran danno della Casa di Carità, gli sia scemata la Dote, che volessero portar via, se l'averanno portata in Casa, perche non è dovere fare gran danno al luogo Pio. 3. Che le Sorelle si dichino più antiche, non secondo l'età della nascita, ma secondo il maggior tempo, che sono nella Casa di Carità con l'Abito bianco. 4. Che quelle, che vogliono farsi Novizie abbiano almeno l'età d'anni quindici, overo non passino gli anni trenta: perche troppo fanciulle possono facilmente pentirsi, e troppo avanzate di età sogliono essere difficili ad essere regolate. 5. Nella Casa di Carità, sempre, & in perpetuo devono essere di numero ordinario tredici Sorelle, cioè la Superiora con dodici Sorelle. Non si proibisce però alla Superiora, per grazia speciale, col consenso delle sei Consigliere, proporre nel Capitolo qualche Giovane di rare qualità, e di bontà di vita, quale potrà essere accettata sopra numero di tredici, colla maggior parte de Voti. 6. Le Doti delle Sorelle saranno di mille ducati, qual somma rende ducati sessanta all' anno, à raggione di livello sufficiente per il loro mantenimento, secondo l'uso del Paese; Così che ciascuna Sorella abbia per suo mantenimento la detta somma di ducati sessanta annui: Oltre poi la detta Dote doveranno portare li mobili necessarii per loro uso secondo la nota, che si darà dalla Superiora. 7. Quando poi sia stabilita, e ben fondata la Casa di Carità colle rendite necessarie; non solamente, come s'è detto, alla ragione di ducati sessanta l'anno per ciascuna Sorella, ma anco per le spese tanto ordinarie, quanto straordinarie, che possono occorrere per la medesima, in questo caso, vacando qualche luogo del detto numero ordinario di tredici, col consenso della maggior parte delle Sorelle, potrà accettarsi altra Sorella colla diminuzione della Dote à loro arbitrio, purche faccia lo sborso di ducati due cento per le spese necessarie, quali non si potranno rimettere, per non far pregiudicio alla Casa di Carità. E questa Sorella doverà essere persona ben nata, e sproveduta di beni di fortuna. Le Sopranumerarie però douranno sempre sborsare la Dote di mille ducati oltre li mobili necessarii; nè la Communità potrà avere l' arbitrio per la diminuzione. 8. Che le Sorelle, che vorranno abbandonare tal modo di vivere, col ritornare alle lor Case, siano spogliate dell' Abito bianco, nè mai più sieno accettate irremissibilmente. 9. Che le Sorelle, che tornano alle loro Case, possano portar via la loro Dote, pagate però le spese straordinarie, che avessero fatte. Non potranno però portar via nè letto, ne biancheria, ne altri donativi fatti alla Casa di Carità, ma con una semplice Veste ritorneranno alla Casa de suoi Parenti. 10. Che quelle Sorelle, che partiranno dalla Casa di Carità prima di terminare il Noviziato, possino portar via, oltre la Dote, anche il letto, e suppellettili portate per loro uso. 11. Prima di ricevere al Noviziato alcuna Giovane, ed anco prima di ammetterla all' Abito bianco, si deve con bel modo auvisare li Parenti della figlivola, che sebbene dopo vestita dell' Abito bianco, che si chiama il tempo della Conferma, non sarà mai mandata via per infermità, può però sempre essere mandata via, occorrendo, per mali costumi. 12. Che le Novizie paghino le spese del Noviziato, e potendo, si portino letto, e biancheria. 13. Che stando le Sorelle dopo il primo anno, ò più di Noviziato fino alla morte in questa Casa di Carità, s'intende la detta Casa di Carità crede della Dote, ed i tutto cio che hà portato. 14. che le Novize, norendo prima della conferma,

cio è

ANNO 1729.

Parenti, fuorche le spese. 15. Che non si mandi via dopo il Noviziato, e vestita dell'Abito bianco alcuna Sorella, se non per incorrigibilità, e per cattivo odore contro l'onestà, anche per sole parole; e ciò irremissibilmente, perche altrimente si appesterebbe in breve il Pio luogo. Si trovi pero maniera dalla Superiora di ridurre i difetti fatti contro l'onestà all'incorrigibilità, e con titolo solo d'incorrigibile siano licenzate tutte le delinquenti, per saluargli l'onore: ma se il difetto fosse noto anche à gli Esteri, si mandino via liberamente senz'altro riguardo; Come poi debba intenderſi l'incorrigibilità, ſi dirà nelle determinazioni al num. 2. 16. Che nel tempo del Noviziato ſi poſſino, e debbano mandar via le Novizie per infirmità lunghe, per cattini naturali, e per incapacità di far ciò, che la Caſa di Carità ingionge. 17. Che l'anno del Noviziato, per giuſti motivi, ſi poſſa prolongare ſino à due anni, e non più, pagandoſi ſempre le ſpeſe: dopo, aſſolutamente, ò ſi ammettino alla conferma, ò ſi mandino via. 18. Che venendo le Giovani avanti quindici anni, ſiano trattate come Educande ſino à tal età. 19. L'Educande ſi poſſono tenere ſino all'età dianni 18. e non più, per tutti li motivi prudenziali: ed eſſendo di maggior età, ſia fatto un rigoroſiſſimo ſcandaglio ſopra gli andamenti di tali Educande auvanzate, e ſempre ſtare con gl'occhi ſopra di eſſe, e far un Conſiglio delle Sorelle, ſe ſi debbano accettare, e di rado coſí auvanzate. 20. Che ritrovandoſi in queſta Caſa di Carità qualche Giovane Educanda più auvanzata in età di qualche Sorella, ſia proibito rigoroſamente à tali Sorelle più Giovani; di parlare con l'Educande ſotto pene rigoroſe, anche di pane, ed acqua, e dimandino licenza ogni volta, che vogliono parlare à tali Educande più antiche di età, è la Superiora veda, come ſi può fidare in dar tal licenza. 21. L'Educande douranno ſomminiſtrare alla Caſa di Carità il loro mantenimento ogni ſei meſi anticipatamente, alla ragione di ducati cinquanta l'anno, e douranno ancora nell'ingreſſo portare li mobili neceſſarii ſecondo la nota, che gli ſarà data dalla Superiora. 22. Che la Superiora abbia ſei Conſigliere delle più antiche della Caſa, ſe ſono capaci, overo ſiano elette da eſſa delle più capaci, colle quali ſempre ſi conſegli delle coſe importanti; e durino le Conſigliere, quanto dura la Superiora, quali però potranno eſſer disfatte per difetti grandi. 23. Nell'accettar le Novizie, non ſolo le Conſigliere, ma tutte le Sorelle devono dire il loro ſentimento; come ſi dirà di ſotto circa il modo di accettare le Novizie. 24. La prima Superiora non ſarà obligata à conſigliarſi, ſe non con ſuoi Direttori, ò Confeſſori, ò con chi giudichera bene, cioè con Perſone coſpicue in Dottrina, & prudenti, perch' eſſa maneggia il tutto: onde non deve aver legate le mani: ſarà però bene, che con tutto ciò, molte coſe le faccia con conſeglio delle Sorelle per dar buon'eſempio. 25. Le Superiore in auvenire ſi facciano in queſta maniera. Terminata la Carica di Superiora, che dourà durare ſei anni, la Vice-Superiora nel publico Refettorio auviſi le Sorelle, e le preghi raccomandarſi al Signore per una buona Succeſſora. Poi il giorno dietro ſi faccia celebrare, potendo, la Meſſa dello Spirito Santo, ò l'Orazione nella Meſſa. Terminata la quale, e licenziato il Sacerdote, overo alla ſua preſenza, ſe, ſi giudica bene, vadino tutte le Sorelle in un luogo deſtinato, ed inginocchiate dichino il *Veni Sancte Spiritus &c.* doppo la Superiora deve dimmettere l'Uffizio, e portarſi al ſuo luogo, conforme ſi pratica. Poi ogn'una delle Sorelle ſcriva in una carta in cedola il nome della Sorella, che vuole per Superiora, e pieghi ogn'una la ſua carta, & ad una ad una vadino à portar publicamente la carta piegata entro un vaſetto, e poi vadano trè Sorelle delle più antiche della Caſa, e vedendo tutte trè, una di eſſe, cioè la Vice-Superiora apra li bollettini, e ſcriva tutti li nomi in una carta, e quella, che averà la maggior parte de bollettini, reſpettivamente à tutto il numero delle Vocali, ſia la Superiora: la quale ſubito eletta, è confermata, ſia publicata, & ſubito ſia riconoſciuta per tale; ed allora ceſſano tutte le Cariche. La Superiora poi nuova diſpenſi le cariche, cioe faccia le Conſigliere, la Vice-Superiora, la Maeſtra delle Novizie, &c. 26. La Vice-Superiora averà l'incombenza di aſſiſtere nel dire l'Uffizio della B. Vergine, nell'Orazione mentale, nell'aſcoltare la S. Meſſa nella Dottrina Criſtiana, &c. ed eſſendo impedita, ſuppliſca la Maeſtra delle Novizie, qual durerà trè anni, e potrà eſſere confermata altri trè, ò mutata, ſiccome anche la Superiora dopo li ſei anni potrà di nuovo eſſere elatta, ſe coſí piacerà alle Sorelle. 27. Il Confeſſore tanto ordinario, quanto ſtraordinario della Caſa di Carità dourà eleggerſi dalla Superiora, e Sorelle Vocali, colla maggior parte de Voti ſegreti, per trè anni; l'Elezione però dourà neceſſariamente cadere in un Sacerdote Secolare, il quale dourà preſentarſi all'Ordinario per l'approvazione, acciò poſſa eſſercitare il ſuo Uffizio: E quando non reſtaſſe approvato, dourà procederſi ad altra elezione. In caſo poi, che per mancanza di Sacerdoti Secolari idonei, foſſe neceſſario di eleggere un Sacerdote Regolare di qualſivoglia Religione, il quale per il ſuo miniſtero doveſſe abitare fuori de ſuoi Clauſtri, ſe ne richieda la facoltà della Santa Sede. Sarà però ſempre in arbitrio dell'Ordinario di rimovere il Confeſſore anco durante il tempo del triennio, quando coſí ſtimerà per bene ſpirituale dell'Anime, ò pure di nuovamente confermarlo per altro tempo in mancanza di Sogetti abili per tal miniſtero.

ANNO 1729.

Ordinazioni particolari per la Superiora della Caſa di Carità.

1. L'Ufficio proprio della Superiora ſarà invigilare ſopra l'oſſervanza delle Coſtituzioni, auviſando, e correggendo i difetti con carità, moſtrando zelo nel veder languire il fervore nella Caſa; provedendo à i biſogni di tutte le Sorelle ſenza parzialità dovendo eſſer la prima nel buon eſempio, nè diſpenſerà ſenza neceſſità. 2. La Superiora potrà, oltre al Confeſſore ordinario, eleggerſi una Perſona Eccleſiaſtica pia, e dotta e virtuoſa, per poterſi confingliare nelle occorrenze tanto particolari proprie, quanto communi della Caſa di Carità. 3. Averà caro d'eſſere indrizzata, non fidandoſi mai di ſe ſteſſa: non difenderà gli errori: terrà ſempre ſcoperto il cuore al ſuo Direttore, ò Padre ſpirituale; molte coſe farà da ſe ſteſſa, che potrebbe comandar ad altri. 4. Sarà anche ſollecita la medema Superiora di provedere, ſecondo la poſſibilità della Caſa, delli premii da diſpenſarſi nelle diſpute generali, che ſi faranno ogn'anno prima delle vacanze, à tutte quelle, che averanno profittato nell'imparare la Dottrina Criſtiana.

Seguono gli Auviſi.

Gli Auviſi, che ora ſi danno, ſono Coſtituzioni, ma ſi chiamano Auviſi, perche ſervono d'aiuto alle Regole, ed alle Ordinazioni, e ſono li ſeguenti. 1. Deve la Sorella fuggire la ſingola-

Anno 1729.

ſingolarità, e contentarſi d'eſſer trattata come le altre Sorelle. 2. Eſſer ſenza riſpetti umani per adempire gli oblighi. 3. Fuggire ogni ſtretta pratica di qualſivoglia Creatura. 4. Rompere la propria volontà, ed anco il proprio giudicio, credendo, e cedendo all'altre Sorelle, e nelle coſe dubioſe ricorrere alla Superiora, ò al Confeſſore, ed acquietarſi. 5. Verſo Dio, far continue offerte di ſe ſteſſa più volte il giorno, ed eſſercitarſi nella continua preſenza di Dio, quanto è poſſibile, con orazioni interne iaculatorie. 6. Verſo li Parenti, amarli ordinatamente ſenza paſſione, non preggiarſi della loro fortuna, nè vergognarſi della povertà, e non s'intromettere ne i loro intereſſi. 7. Verſo li Superiori, onorarli, amarli, ubbidirli, come Dio, non giudicandoli temerariamente, non mormorando, ma pregando per eſſi. 8. Verſo le Sorelle, amarle ugualmente ſenza eccezzione, ſervirle con carità, conforme l'ubbidienza, ſopportar i difetti, e riſpettarſi tutte. 9. Nelle Orazioni, andarvi ſpeditamente al ſegno, laſciando ogn'altra coſa. 10. Alla Predica, aſcoltarla con ſimplicità, e divozione, con umiltà, e retta intenzione, ripeterla con le Sorelle in Caſa, e far frutto per l'Anima propria. 11. Nel Parlatorio non andarvi ſenza neceſſità, non cercare le curioſità del Mondo, ſpedirſi preſto dalle viſite, ſpecialmente ſe non ſono di grand'eficazione, e da tutti quanto prima ſi può. 12. Modeſtia grande degl'occhi, maſſime in publico, e negl' Ufficii d'inſegnare: ed in ciò la Superiora dia delle buone penitenze. 13. Nelle Ricreazioni parimente non ſcioglierſi in ridere ſconciatamente, ma ſtare colla preſenza Divina, e col rifleſſo di non fare ſe non azioni con giudicio, e virtù. 14. Per mantenerſi in pace ſi fuggino le conteſe; non ſi riportino, parole fuorche gli auviſi, che ſi devono fare con carità, de i difetti à chi s'aſpetta il rimediarvi. 15. Per aſſicurarſi la ſalute ſi mantenga una coſcienza illibata, ma non ſcrupoloſa.

Seguono le Determinazioni.

Le Determinazioni ſono certe leggi contro i difetti, per conſervare il bene di queſta Caſa di Carità, e ſono le ſeguenti. 1. Che ogni otto giorni la Superiora ſeda in mezzo d'una ſtanza divota, dica quattro parole fervoroſe ſopra l'oſſervanza di queſte Coſtituzioni, e poi chiami per nome ad una, ad una tutte le Sorelle, e quella chiamata s'inginocchi in terra, bacciandola con umiltà: Poi ſtando così inginocchiata colle mani incrocciate al petto dica le ſue colpe: v. g. Io mi accuſo di tutti li difetti comeſſi contra le noſtre Coſtituzioni: di aver rotto il ſilenzio, di non eſſer ſtata modeſta, &c. Di queſti, e di tutti gl'altri, miei difetti dico mia colpa, e dimando la penitenza. La Superiora gli dia la penitenza ſecondo la qualità dei difetti, dicendo: direte un Deprofundis, cinque Salve, le Litanie, farete cinque croci con la lingua per terra &c. E levata la Sorella, dopo aver bacciata la terra, vada al ſuo luogo, e così facciano le altre. Terminati tutte: dica la Superiora: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini*, e tutte riſpondano: *Qui fecit Cœlum, & Terram.* E così è finito. Sia auvertita la Superiora, che quando qualche Sorella non ſi accuſa dei difetti noti, di ſuergognarla ella ſteſſa, dandole maggior penitenza. Auvertano le Sorelle, quando dicono le colpe, di non dire li peccati interni, overo occulti, perche i peccati ſi dicono al Confeſſore. 2. L'Incorrigibilità è, quando qualche Sorella vuol fare à ſuo modo, ed auviſata almeno cinque volte, ò al più ſei, con oſtinata malizia, non vuol ſoggettarſi: ſi conſigli il caſo colle più mature, e col Padre Spirituale, e s'è giudicata incorrigibile, dopo ſei volte d'amonizione, ſia ſcacciata ſenza alcuna remiſſione dalla Caſa di Carità, con quelle regole, che ſi è detto nelle Ordinazioni. 3. Le mormoratrici ſi caſtighino con farle ſtare in pane, ed'acqua, mangiando in terra nel tempo del Refettorio: con tal penitenza ſi caſtigheranno pure quelle, che gravemente romperanno la Carità con le Sorelle, ò veramente perderanno il riſpetto alla Superiora, ò con fatti, ò con parole: gli altri difetti più, ò meno gravi ſia in arbitrio della Superiora, ſecundo la coſcienza, di punirli. 4. Per ouviare ogni diſordine, le Sorelle non mandino mai, nè ricevino lettere ſenza prima moſtrarle alla Superiora, e facendo al contrarió ſi caſtighino con rigoroſe penitenze. 5. Con perſone tanto Secolari, quanto Religioſe non parleranno mai le Sorelle ſenza eſpreſſa licenza della Superiora, nè s'introduranno nella Caſa di carità, prima d'eſſer auviſata la Superiora, quale ſenza neceſſità preciſa, non dourà permettere l'ingreſſo, maſſime ſe le perſone ſaranno di ſeſſo differente, benche Religioſe. Le Sorelle non douranno mai parlare à perſone, anche del loro ſeſſo, che ſiano fuori di Caſa, ſenza una compagna da deſtinarſi dalla Superiora, e mai à porte ſerrate; La Superiora potrà parlare ſenza l'aſſiſtenza della Compagna, mà nè pur eſſa à porte ſerrate. 6. Che una Sorella non poſſa entrare nella Camera dell'altra, ſe non in caſo di neceſſità. Tutte queſte Coſtituzioni ſi leggeranno in Refettorio una volta la ſettimana al tempo del pranzo, ò in altro tempo, ſecondo parerà alla Superiora. Circa l'Inferme non vi ſia preſcritta alcuna Coſtituzione; mà eſſendo le Sorelle in Caſa di Carità, ſi rimette alla Carità della Superiora il diſpenſare circa il biſogno dell'infermità, occorrendo, anche tutte le Coſtituzioni, ed il ſoccorere, quanto può la Caſa, alle indiſpoſte. Se però la Superiora mancaſſe, le ſei Conſigliere proveggano al diſordine. Con le moribonde vi ſia vilanza per farle ricevere li Santiſſimi Sacramenti à tempo proprio, nè mai laſciarle ſole, ſempre fino all'ultimo aſſiſtendole con dolcezza, e Carità. Per ogni Sorella defonta la Caſa farà dire Meſſe num. 25., ed'ogni Sorellà dirà ſei Roſarii intieri à poco poco con divozione. Quattro volte l'anno ſi faranno celebrare trè Meſſe, nelle quattro tempora, in tutto dodici Meſſe, per le Sorelle defonte, e per i Benefattori, Protettori, Parenti, e Confeſſori. Una volta la ſettimana tutte inſieme le Sorelle reciteranno l'Ufficio de Morti per i Defonti ſopradetti. A quelle, che moriſſero in Noviziato, prima di eſſer confermate nella Caſa coll' Abito bianco, ſe le faranno i Suffragii à ſpeſe de loro Parenti.

Modo di accettare le Novizie nella Caſa di Carità.

Richieſta la Superiora da qualche Giovane, deſſere ammeſſa per Sorella nella Caſa di Carità, ſi faccia pregare più volte, gli moſtri l'obbligo grande, e trovandola capace, la potrà ricevere per trè meſi nella Caſa, nelli quali ſi a diligentemente oſſervata dalle Sorelle. Dopo li trè meſi, ſi faccia un totale conſiglio, e ſe la maggior parte acconſente co'Voti ſegreti, ſi aſſegni il giorno di riceverlà per Novizia. Venuto il giorno: la Superiora ſi ponga à ſedere in mezzo alle Sorelle nella ſtanza preparata, e la Giovane s'inginocchi avanti la Superiora. La quale gli dimandi: che volete? Riſponda; la miſericordia di Dio, e di queſta Caſa di Carità. Dopo la Superiora gli legga, ò faccia leggere adaggio il Prœmio, & le nove Regole: e ſogiunga in generale: Siete pronta ad oſſervar queſte, e tutto il reſto, per adempire l'obbligo delle Sorelle

Anno 1729.

di

ANNO 1729.

di questa Casa di Carità? E se risponde la Giovane: Volentieri mi soggetto à tutto per amor di Dio, e per salvar l'Anima mia. Tutte le Sorelle s'inginocchino colla Superiora: E questa ben adaggio dica con le Sorelle: *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum &c. Vers. Emitte spiritum tuum, & creabuntur.* ℟. *Et renovabis faciem terræ.* Oremus. *Deus, qui corda fidelium &c.* Rispondino: *Amen.* Poi si mettano le Sorelle con la Superiora di nuovo à sedere, stando la Giovane inginocchiata. La Superiora la faccia un'altra volta la dimanda, che la hà fatta: e se la figliola risponde lo stesso, all'ora la Superiora chiami la Maestra, la quale si alzi in piedi, e la Superiora le dica; Ecco ò Sorella, vi consegno questa figlivola: sarà vostra cura l'instruirla: Non dovete tradire nè la Casa di Carità, nè la figlivola: à suo tempo dalle vostre informazioni si regolaremo noi tutte per far giustizia alla verità. Da questo punto principia il tempo del Noviziato. Si scriva nel libro il giorno, l'ora, che è stata accettata. Dica poi la Superiora: *Adjutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit Cœlum, & terram.*

Modo di ricevere alla Conferma le Sorelle della Casa di Carità.

Due mesi avanti, che termini il detto Noviziato, la Giovine dee esser condota dalla Maestra avanti la Superiora, e per un'ora, ò più esaminata delle Costituzioni. La Superiora in tanto faccia auvisato l'Ordinario, acciò si compiaccia di venire, ò mandare una Persona Ecclesiastica ad effetto di essaminare la Novizia, acciò possa esser dichiarata Maestra colla sua Autorità, e quando sia ritrovata idonea, si preghi dalla Superiora à stendere in carta l'approvazione da consegnarsi in sue mani: Essendo la Novizia approvata Maestra in tal forma, la detta Superiora, congregate assieme le Sorelle, proponga à tutte quella Sorella, ò Figlivola, e secondo le relazioni della Maestra, e di quello che averanno osservato le Sorelle co' proprii occhi, si metta la Figlivola alla ballottazione di tutte le Sorelle. E se hà più della metà de Voti segreti, sia accettata, ed à suo tempo se le farà fare la comparsa, per essere confermata nella Casa: altrimenti se la Giovane non passa, cioè non è accettata in questi di dell'esame, ò le sia prolongato il Noviziato, ò sia esclusa: nè si passi il secondo anno del Noviziato, e sempre sia esaminata due mesi prima, per potersi auvisare li Parenti à tempo, per aver la Dote, se non si fosse di già ricevuta, non ammettendo mai la Figlivola alla conferma, se prima non è investito il denaro sufficiente per la Dote di mille ducati. Passato il tempo del Noviziato d'un'anno almeno, ò di due al più, e trovata sufficiente la Giovine, con tutti li suoi requisiti, e specialmente, che abbia data la Dote avanti di terminare il Noviziato per ouviare gli inconvenienti, la Superiora si metta à sedere conforme al solito nel mezzo delle Sorelle nella stanza preparata, e la Maestra conduca la Giovine, facendola inginocchiare avanti la Superiora: Gli dimandi la Superiora, che volete? La Novizia risponda: Io dimando la Misericordia di Dio, e di essere confermata nella Casa di Carità. All'ora la Superiora gli legga, ò faccia leggere le Costituzioni più importanti nella forma, che si leggono in Refettorio, lasciando fuori quelle Costituzioni, che appartengono alla Superiora, ò agli Ufficii &c. Poi la Superiora sogiunga: e bene volete perseverare con tanti oblighi? Se risponde: Io questo desidero, ed humilmente imploro. All'ora tutte le Sorelle s'inginocchino, e la Superiora coll'altre dica, come avanti, *il Veni Sancte Spiritus &c.* Dopo ritornate à sedere le Sorelle, la Superiora di nuovo gli domandi, se è risoluta à voler star in quella Casa sino alla morte: e rispondendo di sì, all'ora la Superiora gli dia una Cedola di carta con tali parole; e la Giovane stando inginocchioni, con voce alta legga, cioè. Io N. N. adì.. del mese... d'All'Anno.... in Cormons, propongo fermamente de vivere, e morire in questa Casa di Carità, con l'assistenza di Dio, e di osservare tutto quanto si osserva in questa Casa: ed in questo ponto, faccio Voto di Castità fino al giorno di S. Catterina da Siena li 30. Aprile, proponendo di rinovare in tal giorno il mio Voto, per salvare in questo modo l'Anima mia. Tutte le Sorelle rispondino: Amen. Poi la Superiora dica: Siate benedetta ò Sorella; Iddio perfezioni le vostre brame, e vi dia la santa perseveranza: Noi d'accordo vi accettiamo per nostra Sorella. Poi fatta portare una Veste bianca, faccia accostare la Giovane, e stando inginocchiata, tenendo la Veste in atto di vestirla: dica: giacchè di anno in anno proponete in questa Casa consacrare la vostra Purità, dovete anco prendere questa candida Veste, che vi sarà continuo stimolo di osservare i vostri propositi, e di conservare la santa Purità, ora à Giesù Christo consecrata. Amen. Detto ciò, coll'agiuto della Maestra, sia vestita la Giovane. Dopo vestita si dica à due Cori *il Te Deum laudamus &c.* ò vero si canti, ed in questo mentre, sia condotta la Giovane così vestita dalla Maestra à ricever l'abbraccio, prima dalla Superiora, che riverentemente le porrà le mani sopra le spalle, e così tutte le altre Sorelle faranno lo stesso. Poi finito *il Te Deum*, inginocchiate tutte, la Superiora dica: *Agimus tibi gratias &c.* La Superiora farà auvisato l'Ordinario, acciò venga à cantare la Messa, nella quale communicarà la Giovane vestita dell'Abito bianco delle Sorelle; e poi terminata la Messa la chiamerà all'Altare, ove dopo una picciola esortazione, dal medemo sarà dichiarata in publico Maestra della Dottrina Cristiana, consegnandole nelle mani la Dottrina Bellarmina, che hà da insegnare; e di nuovo canteranno *il Te Deum* in Coro, e in tal guisa sarà la funzione finita. Si auverta, che questa funzione non si chiama Professione, non essendo Religione, mà un stabile, e risoluto proponimento, ed un ricevere la conferma dalle Sorelle nella Casa di Carità, fino alla morte. Per conchiudere, animandosi tutte alla santa perseveranza, e per imparare il modo di stare in questa Casa di Carità con frutto grande dell'Anime, debbono attendere le Sorelle al documento di S. Paolo Apostolo, che scrivendo ali Corinthii, dice così. *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* 1. Chor. cap. 13.

Cioè à dire.

Charitas patiens est: La Carità è paziente. Le Sorelle, che sono in Casa di Carità, devono avere una gran pazienza in tutte le fatiche, che occorrono. *Charitas Benigna est*: La Carità è benigna; cioè devono insegnar con buon modo, piacevole, benche con serietà, la Dottrina Cristiana, e nella Scuola, acciò le figlivole venghino volontieri. *Charitas non æmulatur*: La Carità non hà emulationi, nè invidia: vuol dire,

ANNO 1729.

che una Sorella non suppedita l'altra nel voler comparire; mà con santa indifferenza la sciarsi regolare dalla Superiora in tutto, e per tutto, nella Casa secondo le ubbidienze; e nella Scuola, e Dottrina, ora una Sorella sia applicata ad insegnar la Croce, ò l'Orazioni, ora l'altra: E la Superiora muti spesso le ubbidienze in queste minuccie: e tal volta la stessa Superiora faccia le cose più inferiori per esempio dell'altre Sorelle: così non vi saranno emulazioni, nè invidie. *Charitas non agit perperàm*: La Carità non fà cose perverse. Devono fare spesso Proposìti gagliardi di più tosto morir mille volte, che offender Dio, che peccare maliziosamente. *Charitas non inflatur*; La Carità non si gonfia: sia ò Superiora, ò Vice-Superiora, ò Maestra, ò si facciano bene li ufficii, sempre devono star umili, nè gonfiarsi, per non perdere il merito. *Charitas non est ambitiosa*: La Carità non è ambiziosa: Non devono le Sorelle ambire alcun'ufficio, ò stima, ma stare nella Casa di Carità indifferenti à tutto, e pronte à lasciar ogni cosa ad un minimo cenno della Superiora, e più tosto ambire le cose inferiori. *Charitas non quærit, quæ sua sunt*: La Carità non cerca i proprii vantaggi: s'intende delli vantaggi del Mondo, cioè che non devono le Sorelle mai cercare di far conoscere i loro talenti, nè cercare d'auvanzarsi nella stima delle Creature, mà operar per Iddio, e più tosto aver una Santa gara di far spiccare la stima delle Sorelle, e giovar ad esse, che mai cercare questi vantaggi proprij, ò di onore, ò di utile privato, impiegandosi volontieri per il vantaggio dell'altre Sorelle, e cercar solo Giesù Cristo. *Charitas non irritatur*: La Carità non và in collera. Dio guardi esser nella Casa di Carità, che vuol dire Casa di Santo Amore, e poi nutrire odij, e rancori. *Charitas non cogitat malum*: La Carità non pensa male. Dio guardi di far mai giudicii temerarii; mà devono le Sorelle far buoni giudicij d'ogn'uno, nè intricar la loro mente nei fatti altrui, credendo tutti migliori, e scusando i diffetti del Prossimo. *Charitas non gaudet super iniquitate*: La Carità non gode, nè si rallegra dell'iniquità. Dio guardi di applaudire, ò ridere sopra li peccati, ò mal fare. Devono le Sorelle piangere sopra i loro peccati, ed aver sempre in dispiacere, che Dio sia offeso da qualsivoglia creatura, compatendo però le debolezze del Prossimo. *Charitas congaudet veritati*: La Carità si rallegra della verità. Nell'udir Prediche, Lezioni spirituali, amonizioni, e glorificazioni di Giesù Cristo, nè mai dire alcuna buggia, mà sempre la verità, fuggire gli inganni, le doppiezze, aver una prudente simplicità, e schietezza. *Charitas omnia suffert*: La Carita sopporta tutte le cose. Tutte cioè l'increanze delle Creature rozze, e le ingratitudini à beneficii fatti, ed i patimenti contra Giustizia, e l'ingiurie, ed affronti, e l'infirmità, e le persecuzioni, &c. La Carità supporta ogni auversità. *Charitas omnia credit*: La Carità crede tutte le cose; cioè non contrasta mai; ma lascia le cose nel suo luogo senza contendere, e senza disgustare alcuno. *Charitas omnia sperat*: La Carità spera ogni cosa. Spera di vincere le passioni; spera d'acquistar le virtù, spera di superar le dificoltà, che s'incontrano nel ben operare, spera di migliorare nella perfezione, spera gli aiuti Divini, secondo le varie occorenze, spera il Paradiso. *Charitas omnia sustinet*: La Carità sostiene tutte le cose. Sostiene la causa Divina, la Gloria di Giesù Cristo; sostiene i deboli, animandoli, alla Virtù, e Santità; Sostiene i pusillanimi, incorraggendoli con dolcezza, e generosità; Sostiene l'osservanza delle Costituzioni, e di tutti gli obblighi; Sostiene con proprietà il decoro della Casa, in somma *omnia sustinet*. Questi sono gl'insegnamenti, che fà S. Paolo à proposito della Casa di Carità. Le Sorelle dunque, che sperano di vivere, e morire nella Santa Carità, con questi insegnamenti del S. Apostolo, si perfezioneranno appunto nella Carità di Dio, e saranno degne di essercitar poi la Santa Carità con sommo godimento eternamente in Cielo.

Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictæ Exponentes, Statuta, seù Constitutiones hujusmodi, quò firmius subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, necnon, quò sub proprii confessarii directione tranquillè vivere valeant, à quibuscumque Juribus Parochialibus, quoad administrationem Sacramentorum, funera, & alias functiones Parochiales, eximi summoperè desiderent. Nos ipsarum Exponentium Votis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & earum singulares personas à quibusvis Excommunicationis, & suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantùm consequendum, harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine, Nobis, super hoc, humiliter porrectis, inclinati, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, qui jussu nostro negotium hujusmodi examinarunt, ac relationem supradicti Ordinarij sibi desuper transmissam audiverunt, consilio, omnia, & singula præinserta Statuta, seù Constitutiones (citra tamen approbationem dicti Conservatorii) auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris & facti defectus, si qui in præmissis quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea Conservatorium prædictum, illiusque Consorores, seù Convictrices pro tempore existentes à quibusvis Juribus Parochialibus, Auctoritate, & tenore præsentium eximimus, ac exemptum, & exemptas declaramus, ad formam literarum in simili forma Brevis fel. record. Alexandri PP. VII. Prædecessoris Nostri; die XVI. Junii MDCLXIII. super simili exemptione concessa Conservatorio Septem Dolorum nuncupato de Urbe expeditarum: itaùt Capellanus ab eodem Ordinario deputandus, & approbandus Sacramenta hujusmodi Consororibus administrare, & functiones Parochiales exercere debeat, & possit, tam in dicto Conservatorio, quàm ipsius Ecclesia, in qua etiam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum retineri valeat; cum hoc tamen, quòd Parochus itidem pro tempore, pro ejus arbitrio, possit intervenire in Ecclesia dicti Conservatorij, quando Consorores prædictæ, juxta earum Institutum, Doctrinam Christianam edocent, ad effectum recognoscendi methodum edocendi ac Doctrinam, necnon profectum Puellarum, & Mulierum, imò hac de re sollicitus esse debeat, cui ipse quoque Ordinarius præcisè incumbere, & invigilare teneatur. Decernentes easdem præsentes literas, ac præinserta Statuta, seù Constitutiones semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectivè inviolabilitèr observari; sicque in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & delega-

tos;

ANNO 1729.

tos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus, super his, à quoquam, quamvis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, dicti Conservatorii, aliisve quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibèt concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seù exemplis etiam impressis, manu alicujus Notatij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Beneventi sub Annulo Piscatoris die VII. Maii MDCCXXIX. Pontificatibus Nostri Anno Quinto.

F. Card. Oliverius.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

Concordat cum suo Originali, per Nos infrascriptos, ad verbum collato. In quorum fidem &c. Romæ hac die 24. mensis Maij anno 1729.

Marcus Antonius Buthdethus Prothonotarius Apostolicus Sacrosanctæ Basilicæ S. Mariæ Transtyberim Canonicus Sac. Congregationis Indulgentiis, & Reliquiis præpositæ Consultor ad extrahenda è Cœmeteriis SS. Martyrum Corpora specialiter Deputatus, ac Sacrarum Reliquiarum Custos &c.

Joannes Marangoni Prothonotarius Apostolicus, & Cathedralis Anagniæ jam Canonicus &c.

Fabbius de Masottis Prothonotarius Apostolicus, Comes Palatinus, Philosophiæ, ac Juris utriusque Doctor, Canonicus Creten. & Scholasticus Insignis Collegiatæ Sanctæ Mariæ Majoris Utinen. Aquileien. Diœc. Deputatus, ac Visitator Ven. Archi-confraternitatis Doctrinæ Christianæ Almæ Urbis &c.

LXI. Beatificatio servi Dei Vincentii à Paulo Congregationis Missionis, & Puellarum Charitatis Fundatoris.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

JUstus, ac misericors Dominus peculiarium quorumdam Servorum, atque Electorum suorum, quos à constitutione Mundi in opus suum prædestinatos multiformis gratiæ suæ charismatibus instruxit, Sanctitatem interdum signis, atque portentis testatam facit in terris, ut illis, quos perennis gloriæ coronâ donat in Cœlis, debitæ quoque venerationis cultus à Fidelibus impendatur. Inter quos, cum longè, latèque refulserit Servus Dei *Vincentius à Paulo* Sacerdos Gallus, Congregationis Presbyterorum Sæcularium Missionis, & Societatis Puellarum Charitatis nuncupatarum Fundator, qui mirabili in Deum, ac Proximum charitate (dilatante cor ejus Spiritu Sancto) succensus, veræque pietatis operibus, & præsertim Animarum lucro jugiter intentus, pauperes Ruricolas, quos ut plurimùm in ignorantiæ tenebris miserè jacere dolebat, erudiendi, Fideique Catholicæ mysteria, & præcepta, ac viam salutis edocendi voto se, & Presbyteros dictæ Congregationis obstrinxit, necnon Clero ritè instituendo in primis addixit, aliarumque omnium virtutum præsidio, & robore accinctus ex alto, toto peregrinationis, ac conversationis suæ tempore fidelem se Ministrum, strenuumque, ac indefessum vineæ Domini Cultorem, & Operarium exhibuit, atque Ecclesiam universam nedum suavissimo spiritualium aromatum odore implevit, sed etiam uberrimorum fructuum fæcunditate locupletavit, plenusque dierum, ac meritorum dilectus Deo, & hominibus, mortalis hujus vitæ cursum feliciter consummavit; Apostolici muneris, quod nos gerere voluit Altissimus, ratio exigit, ut tam splendidam lucernam diutiùs sub modio latere non sinamus, sed super candelabrum ministerio nostro collocetur, ut luceat omnibus qui in domo sunt, ad Omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, Christianique populi consolationem, ac Spiritualem ædificationem. Cum itaque maturè, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ Sanctitate, & Virtutibus heroicis, quibus idem Servus Dei *Vincentius à Paulo* multipliciter claruisse, necnon miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus illius Sanctitatem à Deo patrata fuisse asserebantur; Ipsa Congregatio Cardinalium coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari cum solitis Indultis. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis Charissimi in Christo filij nostri Ludovici Francorum Regis Christianissimi, ac Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ eorumdem Francorum Reginæ Christianissimæ ejus Conjugis, pluriumque aliorum sublimium Catholicorum Principum, necnon Venerabilium Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, ac Dilectorum Filiorum Cleri Regni Galliarum, totiusque insuper dictæ Congregationis Presbyterorum Sæcularium Missionis supplicationibus Nobis, & huic Sanctæ Sedi super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei *Vincentius à Paulo* in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferenda) exponantur; Imagines quoque radiis, seù splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die Anniversaria felicis ejus obitus recitetur Officium, & Missa celebretur de Confessore non Pontifice juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porrò recitationem Officij, ac Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus in locis dumtaxat infrascriptis, videlicet: in Pago de Podio, vulgò Poy, Aquen. Provinciæ Auxitan. ubi dictus Dei Servus natus est, in Castro de Clichi Parisien. & in Oppido de Chatillon juxta Principatum Dombarum Lugdunen. respectivè Diœcesum, in quibus curam Animarum obivit, ac in Civitate Parisien. unde ad Cœlos evolavit, & ubi Venerabile ejus Corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ac in universa Congregatione Missionis præfata, tam quoad Clericos, & Presbyteros ejusdem Congregationis, quàm quoad

ANNO 1729.

ANNO 1729.

Convictores, & alumnos, qui in illius Domibus commorantur; demùm in singulis Ecclesiis, sive Cappellis, vel Oratoriis prædictæ Societatis Puellarum, quam ipse Servus Dei sub nomine Charitatis instituit, pro Sacerdotibus Ecclesiarum, sivè Cappellarum, vel Oratoriorum istiusmodi servitio addictis; Et quantùm ad Missas attinet, etiam ab omnibus Presbyteris ad Ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno à datis hisce literis, & quoad Indias à die, quo eædem literæ illuc pervenerint inchoando, in Ecclesiis Pagi, Castri, Oppidi, Civitatis, Congregationis, ac Societatis hujusmodi solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respectivè constituta, postquàm tamen in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebrata fuerint eadem Solemnia (pro qua re diem XXI. currentis mensis Augusti assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non Cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii supradictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & Sigillo Præfecti, seù Propræfecti, ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCCXXIX. Pontificatus nostri anno sexto.

F. Card. Oliverius.

LXII. Chirographum sanctissimi D. N. Papæ Benedicti. XIII. super Consignatione Archivii, & Scripturarum Domus Ursinæ favore D. Ducis Gravinæ.

Monsignor NICOLO' NEGRONI *Arcivescovo di Sebaste Nostro Tesoriere Generale, e Prefetto della Congregazione de Baroni.*

Ci hà fatto rappresentare Don Filippo Bernoaldo Orsini Duca di Gravina Nostro Nipote, che essendo egli, come unico Capo dell'antica sua Famiglia Orsina successo in ambedue i Patrimonii di Bracciano, e di Gravina in virtù di più fidecommissi ordinati dalli Antenati dell'uno, e l'altro Ramo, riconosciuti, e canonizati tanto dal Rmo Cardinal Banchieri allora Prelato, e Giudice deputato, quanto dal Tribunale della Nostra Rota con più decisioni, dove tuttavia pende la Causa, e trovandosi nelli detti Patrimonii frà l'altre cose dritti e jussi, l'Archivio domestico di detta Famiglia Orsina ritenuto da Duchi di Bracciano con somma gelosia nella Fortezza di Bracciano, e doppo la vendita di quel Feudo, trasportato in Roma nel Palazzo Gentilizio della Piazza di Pasquino, dove doppo la morte del Duca Flavio Orsini ultimo Superstite di quel Ramo, restò in potere della Duchessa Madama Marianna Tremoille già Moglie del medesimo, e doppo la morte di questa passò nella Casa del Duca Lanti Erede Testamentario di detta Madama della Tremoille, conforme anche presentemente vi si trova, confuse però le Scritture dell'Archivio secreto, e domestico, con quelle della Computistaria esposte alla publica commodità, poiche l'anno 1723. per ordine vostro, e della Congregazione de Baroni, fù cominciata la descrizione di dette Scritture coll'assistenza d'un Curiale deputato per l'interesse de Creditori, e considератosi nel progresso di detta descrizione, che il maggior interesse sopra detto Archivio era quello d'esso Duca di Gravina, al quale doveva detto Archivio Orsino dirsi appartenente, come successore fidei commissario nel Patrimonio, Dritti, e Prerogative de Duchi di Bracciano, e de Duchi di San Gemini dello stesso Colonello, e Ramo de Duchi di Gravina, fù providamente deputato l'Abbate Don Nicola Marini, acciò per l'interesse di essa Casa Orsina assistesse unitamente à detta descrizione, e che dovesse insieme ritenere una chiave di detto Archivio, con ritenersene un'altra dal Perugini Notaro della stessa Congregazione de Baroni, e che terminata detta descrizione l'anno 1726. con un voluminoso Protocollo di mille, e più fogli, che si conserva in detti atti del Perugini, benche da Noi l'anno 1728. à suppliche di detto Duca di Gravina vi fosse ordinato, che si consegnassero ad esso Duca tutte le Scritture esistenti in detto Archivio, & attinenti all'onorifico della fameglia, conforme in essecuzione di ciò ne fù cominciata la segregazione, anche coll'assistenza dell'Abbate Pietro Ubaldo Dionigi Agente di Detto Duca, con tutto ciò non si è potuto effettuare la consegna da Noi ordinata, atteso che col rincontro di detta descrizione, e colla ricognizione delle Scritture medesime, si è veduto, che oltre quelle concernenti l'onorifico, esistono in detto Archivio Scritture di sommo rilievo, che riguardano precisamente l'interesse della Casa di Gravina, poiche, col passaggio del Patrimonio godduto da quella Casa nel nostro Stato Ecclesiastico alla Casa di Bracciano, mediante il Matrimonio di Giustiniana unica figlia dell'ultimo Duca Giovan' Antonio di San Gemini, morto senza prole Maschile, unitamente col Patrimonio di questo passarono anche tutte le Scritture attinenti à detta Casa di Gravina, oltre una gran quantità di Positioni, estratti, e Processi di liti agitate anticamente sopra l'interessi di detta Casa, ed essersi di più riconosciuto, che oltre all'espilazioni di detto Archivio fatte prima della descrittione, si trovano anche mancanti molte Scritture originali di somma importanza, che apparìscono descritte, dal che temendo egli, che tali Scritture possino in avenire maggiormente disperdersi, ò almeno confondersi, e bramando all'incontro servirsi di molte di esse nel proseguimento delle Cause pendenti in detta Rota, ed in altri casi, ne quali deve egli esperimentar le sue ragioni in beneficio della sua Casa Orsina, parendogli molto incongruo, che l'Archivio sudetto ad esso Duca per gl'accennati titoli appartenente, e le scritture di tanta consequenza per l'onorifico, dritti, Prerogative, & interesse primarii della sua Casa debbano stare in mani altrui, & esposte à publica commodità; Ci hà supplicato à voler colla nostra suprema autorità ordinare, che d. Archivio, e tutte le scritture in esso esistenti, siano intieramente consegnate ad esso Duca, à cui spettano, esibendosi egli pronto di segregare le scritture, e libri attinenti alla Computistaria *de Duchi di Bracciano, e ritenerle in questa nostra Città, e di dare il Commodo* à qualunque Creditore del Patrimonio di Bracciano di vedere, ò riconoscere le dette scritture della Computistaria, dove si restringe l'interesse de medemi, ponendoci in consideratione, che un'Archivio di tanta rilevanza, e concernente gl'interessi, e prerogative della fameglia Orsina, conservate per il passato da Duchi di Bracciano allora Capi di detta fameglia con tanta diligenza, debba presentemente tenersi ulterior mente esposto all'eventualità degl'accidenti, quando da esso Duca, che per le ragioni addotte, e per esser egli ora Capo di d. fameglia Orsina, e successore dichiarato de Duchi di Bracciano, e de Duchi di S. Gemini, non solo vi

ANNO 1729.

hà

ANNO 1729.

hà il maggior interesse, mà anche ne deve essere in Possessore, & Dispositore, e dei cui può conservarsi con molto maggiore attenzione, senza l'ulteriore pericolo di sottrazione, in beneficio, sì della famiglia Orsina, che de sudetti Creditori; E Noi riguardando esso Duca, come unico Capo, e successore sudetto, & il mantenimento delle Prerogative, e dritti delle Case cospicue, specialmente della nostra Casa Orsini, e che il di loro sostegno dipende principalmente dalla conservazione delle scritture antiche, e che queste con molto maggior gelosia si conservano da chi n'è il Padrone, e vi ha l'interesse primario di quello, che sia di chi vi hà l'interesse di semplice Credito per lo più dubbio, ed incerto, e che colla segregazione di dd. Scritture della Computistaria, & loro conservazione in Roma, anche à commodo de Creditori, vien sufficientemente provisto anche all'interesse di qualunque Creditore, atteso l'Inventario fatto di dd. Scritture, che resta publicamente negl'atti di detta Congregazione à commodo di dd. Creditori à quali si riserva la facoltà di poterle sempre rincontrare, e riconoscere anche in potere di esso Duca di Gravina, siamo *volontieri condescesi à consolarlo nella sua richiesta; come in appresso.* Avendo per tanto nel presente nostro Chirografo per espresso, e di parola in parola registrato l'intiero tenore di tutte le Scritture, Istrumenti, libri Diplomi, Bolle, ed altri qualunque fogli sì publici, che privati, esistenti in d. Archivio già riconosciute, e come sopra descritte per dd. atti del Perugini Notaro di d. Congregazione, d'ell'interesse, che sopra di esse vi hà tanto d. Duca di Gravina, quanto qualunque Creditore del Patrimonio de Duchi di Bracciano per quello concerne le scritture della Computistaria; Ed avendo anco per espresso lo stato della Causa, ò Cause pendenti nel sudetto nostro Tribunale della Rota trà d. Duca di Gravina, e Creditori sudetti, e d. Duca Lanti, e qualsivoglia altra persona, ed ogn'altra cosa quanto si voglia necessaria esprimersi, Di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della nostra suprema potestà, vi ordiniamo, che in nome nostro, senza far precedere veruna citazione, interpellazione, ò altro atto giudiziale, e senza attendere veruna protesta, opposizione, ò contradizione quanto sivoglia valida, rilevante, e giuridica, che potesse in qualunque modo farsi, ò allegarsi da detto Duca Lanti Erede di detta Madama della Tremoille, ò da qualsivoglia Creditore di detto Patrimonio della Casa Orsini di Bracciano, obligandosi d. Duca di Gravina, e d. suo Agente colla promessa de rato di dover far segregare le Scritture attinenti alla Computistaria di detti Duchi di Bracciano, dal resto, e Scritture d'All'Archivio domestico Orsini, e di quelle ritenere in questa nostra Città di Roma, e conservarle, e prestare il commodo, e pazienza à qualunque di detti Creditori, per vedere, e riconoscere le Scritture inventariate, concernenti però il loro Interesse ad'ogni loro richiesta, e tante volte, quante le ne verrà il bisogno, e che il Ministro di detto Duca ne sia ricercato, facciate prontamente, e senza alcun ritardo consegnare ad'esso Duca, ò suo Agente sudetto intieramente il detto Archivio, e tutte le Scritture di qualsisivoglia sorte in esso esistenti, e come sopra descritte, con farle rimuovere da detta Casa Lanti, e permettere, che siano liberamente trasportate nel luogo, che in nome di detto Ducca si destinarà dal predetto suo Agente, e per tale effetto in mancanza di chi ne ritienne le chiavi, farete di propria autorità assoluta, e di nostro ordine aprir le stanze, dove si conservano tali Scritture, con far seguire nell'atto della consegna, ò in altro tempo, che si concordarà più commodo, la quietanza di esse da farsi da esso Agente à nome di detto Duca, senza pregiudicio di poter agire anco criminalmente contro l'espilatori, occupatori, e detentori delle Scritture di detto Archivio, & in questa forma, *seguito che sarà detto obligo*, farete prontamente eseguire quanto vi abbiamo ordinato, & in caso di bisogno rilasciarete, e farete spedire qualunque mandato, procedendo anche alle Censure Ecclesiastiche contro chiunque pretendesse impedire tal consegna, e farete tutto quello, che per il totale adempimento di questa notra Grazia stimarete in qualunque modo esser necessario, per esser così mente, e volontà nostra precisa, & espressa, e nello stesso modo, e con la stessa autorità, & espedienti ordinarete al detto Perugini Notaro della detta Congregazione de'Baroni, che per l'effetto dell'intiera consegna, e conservazione di detto Archivio Orsino appresso detto Duca di Gravina, consegni al medemo, ò suo Agente anco tutte le Scritture, che si conservano apresso il medemo Notaro, e ne' suoi atti, in una, ò più Casse sigillate, e che altre volte furono segregate, e levate dal sudetto Archivio Orsino con decreto di detta Congregazione, e previa la loro descrizione esistente pure in detti atti ad'istanza del Marchese Domenico, & altri Orsini, a' quali però intendiamo, che restino preservate le ragioni tali quali possono competerli, e non altrimente sopra dette Scritture come sopra separate, e segregate volendo, e decretando, che al presente nostro Chirografo, benche non ummesso ne registrato in Camera, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè di alcun'altro vizio, ò difetto della nostra volontà, & intenzione, ne che mai sotto tali, ò altri pretesti, ragioni, & eccezzioni, quantunque valide, legitime, e giuridiche, anche di Jus quesito al Terzo, o pregiudizio di esso, possa essere impugnato, moderato, ò rivocato, ridotto ad viam Juris, ò concedersi contro di esso alcun rimedio di ragione, ò di fatto, sì di Grazia, che di Giustizia, e che così, e non altrimente debba sempre giudicarsi, definirsi & interpretarsi da Voi, e da detta Congregazione de' Baroni, & da qualunque altro Giudice, e Tribunale, benchè Collegiale, Congregazioni, anche de' Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di Santa Chiesa, Uditori di Rota, Chierici di Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare diversamente, dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, & invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, ò ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato contro la forma, e disposizione del presente nostro Chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore, colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano stati chiamati, sentiti, ne citati il d. Duca Lanti Erede di d. Madama della Tremoille, il sudetto Marchese Domenico, & altri Orsini, li Creditori di detto Patrimonio de'Duchi di Bracciano, e loro difensori, l'Economo deputato in d. Patrimonio, li Custodi Deputati à detto Archivio, ed altre qualsisiano persone quanto si voglia privilegiate, e privilegiatissime, Ecclesiastiche, e Luoghi Pii, che vi avessero, o pretendessero avervi qualunque interesse, non ostanti le liti pendenti trà detto Erede, e dd. Creditori, le risoluzioni, e provisioni prese, ed ordinate da detta Congregazione de Baroni, e Decreti sopra ciò fatti da voi, e da qualunque altro Giudice e Tribunale, anche da detta Rota, proteste, dichiarazioni, ed opposizioni fatte, edate da dd. Creditori,

ANNO 1729.

Anno 1729.

tori, la Bolla di Pio IV. nostro Predecessore *de registrandis*, la Regola della nostra Cancellaria *de Jure quæsito non tollendo*, e qualsisiano altre Costituzioni, & Ordinazioni Apostoliche nostre e de nostri Predecessori, benchè munite di Clausole anche derogatorie delle derogatorie, & altre più effrenate, insolitate, & irritanti, delle quali se ne ricercasse speciale individuazione, quali vogliamo, che si abbino qui registrate di parola in parola, Leggi Civili, Canoniche, Statuti, Riforme, Stili, Usi, Consuetudini, qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte, e singole avendone il loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra Potestà Apostolica ad ogni visio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena, e totale essecuzione, ed effetto di quanto si esprime nel presente nostro Chirografo, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. *Dato dal nostro Palazzo Apostolico Vaticano questo dì 5. Settembre 1729.*

BENEDICTUS PP. XIII.

SOMMARIO.

Vostra Santità si degna ordinare à Monsig. Negroni Tesoriere Generale, e Prefetto della Congregazione de Baroni, che senza far precedere veruna citazione, o altro atto giudiziale, faccia prontamente consegnare alli Ministri del Duca di Gravina unico capo dell'antica Fameglia Orsini tutte le Scritture spettanti à detta Fameglia già descritte per ordine, di detta Congregazione de Baroni, esistenti tanto nel Palazzo del Duca Lanti Erede della fù Duchessa di Tremoille, sotto la custodia di due chiavi, quanto negl'Atti di essa Congregazione, con che detto Duca di Gravina, mediante il suo Agente, debba obligarsi di retinere in Roma le Scritture attinenti alla Computistaria de' Duchi di Bracciano, e dare il commodo à qualunque Creditore, & interessato di poterle vedere, e riconoscere ad ogni loro arbitrio, con le riserve, deroghe, & altro, che più diffusamente si esprime nel presente Chirografo.

SS. D. N. D. BENEDICTI

Divina Providentia Papæ XIII.

LXIII. Revocatio, & annullatio ordinationum contentarum in quibusdam foliis Gallico idiomate impressis sub titulo: *Mandement de Monseigneur l'Evêque d'*AUXERRE, *qui défend de reciter l'Office imprimé sur une feüille volante, qui commence par ces mots*: DIE XXV. Maij in Festo S. GREGORII VII. Papæ, & Confessoris. *Donné à Regennes ce vingt-quatre Juillet Mil sept cens vingt-neuf*: cum prohibitione eorumdem Foliorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum ad Apostolatus nostri notitiam pervenisset in vulgus circumferri quædam folia Gallico idiomate typis impressa sub titulo: *Mandement de Monseigneur l'Evesque d'Auxerre, qui defend de reciter l'Office imprimé sur une feüille volante, qui commence par ces mots*: Die xxv. Maii in Festo S. Gregorii VII. Papæ, & Confessoris. *Donné à Regennes ce vingt-quatre Juillet Mil Sept cens vingt-neuf*: Nos quam plures ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliosque in Sacra Theologia Magistros ad illorum examen delegimus, qui post maturam eorumdem foliorum discussionem, quid sibi ea super re videretur, Nobis retulerunt. Auditis itaque memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum Sententiis, de Apostolicæ potestatis plenitudine, Ordinationes in præfatis foliis contentas, nullas, inanes, invalidas, irritas, attentatas, nulliusque omnino roboris, & momenti esse, & perpetuò fore tenore præsentium declaramus, & nihilominùs ad majorem cautelam, & quatenus opus sit harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuamus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omninò vacuis semper haberi volumus & mandamus; folia verò prædicta tam impressa, quàm etiam manu scripta legi, seu retineri tenore pariter præsentium prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus etiam specificâ & individuâ mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, à qua nemo à quoquam, præterquàm à Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omninò quoque interdicimus. Volentes, & auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque folia hujusmodi penes se habuerint, illa statim, atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare teneantur; hi verò ea sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eædem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus etiam, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, & sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Utque ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio, quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII. Septembris MDCCXXIX, Pontificatus nostri Anno sexto.

F. Card. OLIVERIUS.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo septingentesimo vigesimo nono die 17. *Septembris, Indictione septima, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIII. Anno sexto supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Hieronymum Erbam Apost. Cur.* Antonius Pelliccia Mag. Curs.

LXIV.

Qua depositarii, arcarii, custodes, subcustodes, exactores, rationarii, computorum scriptores, aliique officiales & ministri æris publici & particularis, rem & pecuniam alienam, sibi creditam & depositam, usurpantes, ac damno publico & privato fraudantes, vel usurpari & fraudari scientes, tanquam infames, ac veri fures & latrones, debitis pœnis ultimi supplicii tam in Urbe, quam in toto statu ecclesiastico, lege lata subjiciuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

I. Alieni æris & pignorum depositarii & ministri in privatum publicum & damnum fide sibi data abutentes;

JAmdudum non sine ingenti dolore aures nostras perturbat frequens rumor de nonnullis in hac alma Urbe nostra alieni æris & pignorum depositariis, arcariis, custodibus, subcustodibus, exactoribus, rationariis & computorum scriptoribus, aliisque hujus generis officialibus & ministris, qui fide sibi data, suique muneris commodo nefarie abutentes, ut voluptatibus, aliisque execrandis male agendi occasionibus, causisque, improbe obtemperarent, vitiisque alacrius & liberius indulgerent; rem ac pecuniam sibi credi tam & depositam, inque arca servatam, pro arbitrio usurpantes, pignora apud se custodita iterum oppigneraverint: quod non solum in Cameræ nostræ Apostolicæ, sed in Montis Pietatis, & publicarum ad nummularios pertinentium mensarum, ceterorumque locorum, & piorum operum damnum longe gravissimum redundavit, propterea quod infames & fraudulenti hujusmodi officiales, qui rem suam decoxerant, omnino impares essent integrandis & restituendis pecuniis, quas ipsi, proprio vel alieno commodo inservientes, antea pessumdedissent, scientibus, & de compacto cum iis participantibus, doloque operam suam conferentibus rationariis, computorum scriptoribus, subscriptoribus aliisve earumdem mensarum, & locorum piorum ministris & officialibus.

II. Ut actionem criminalem declinent, falsos prætextus obtrudunt.

Nobis etiam innotuit, jamdictos officiales, maximæ suæ temeritati confisos, ut actionem criminalem vaferrime declinarent, vel saltem sua crimina callide palliarent seque justis pœnis, in quas incurrissent, prava arte subducerent, permultos speciosos, & omnino falsos prætextus excogitasse, quibus judicium impedirent, pœnasque effugerent, quas ob suas culpas se mereri, optime ipsi agnoscebant.

III. Justum in eos judicium promulgatur.

Nos propterea, quibus ex pastorali officio, humilitati nostræ divinitus injuncto, maxime incumbit invigilare & sollicite providere, ne hujusmodi crimina impune committantur; opportunum & necessarium duximus his de rebus sententiam exquirere a nobis speciatim indictæ particularis Congregationis nonnullorum hujus nostræ Curiæ Romanæ præsulum, multa rerum cognitione, integritate & doctrina præstantium, quorum, sæpenumero coram dilecto filio nostro Hannibale Tituli sancti Clementis Presbytero Cardinali, & S. R. E. Camerario congregatorum, suffragiis ad nos accurate perlatis, undequaque inhærentes, in ejusmodi fraudulentos ministros acriter insurgendo, ipsumque juris rigorem etiam acriorem efficiendo, justum in eos judicium promulgare decrevimus.

IV. Juxta Constitutionem sancti Pii V. tanquam fures & latrones, ultimo supplicio puniantur.

Nos ergo vestigiis decessoris nostri Pii Papæ V. insistentes, qui præ ceteris in sua Constitutione incipiente: *Postquam*, Kalendis Novembribus anni millesimi quingentesimi septuagesimi in lucem edita, decoctores, luxuriose viventes, propriisque absumtis substantiis; aliena appetentes, qui variis coloribus grande æs alienum, spe restitutionis faciendæ extorquentes, proximo suo illudunt, ceu veros fures & latrones, ultimo supplicio puniendos mandavit, hac nostra perpetuo observanda Constitutione in quoscum que hujus generis delinquentes paribus quoque pœnis, tamquam in veros fures & latrones, animadvertendum esse decernimus; idque effectu ipso omnino fieri volumus & mandamus.

V. Depositarii vel arcarii æris publici rem sibi creditam quomodocumque fraudantes; inque proprium vel alienum usum vertentes, ut fures & latrones puniantur.

Itaque statuimus & jubemus, ne ullus ex depositariis, vel arcariis æris publici Cameræ nostræ Apostolicæ, & præsertim depositariæ generalis, vectigalium generalium & particularium; utriusque Annonæ, frumentariæ nimirum & Grasciæ vulgo dictæ, depositariæ Urbanæ; Montisque Pietatis, ac mensæ sancti Spiritus; & Datariæ Apostolicæ, summam quantulamcumque e jusmodi æris & pecuniarum in suum; vel alienum commodum quovis modo convertere unquam possit, inque usum ab eo diversum transferre, ad quem generatim in iisdem locis, tamquam sub tuta & fideli custodia, servantur; itaut si aliquis ex jamdictis depositariis & arcariis hanc legem nostram quomodocumque prævaricatus, eamdem pecuniam in usum & commodum proprium vel alienum convertere ausus fuerit, tamquam reprobus, & infidelis minister, interque infames, & rei publicæ proditores connumerandus, damnari & puniri possit ac debeat, ut gravissimi furti & latrocinii reus, secundum leges communes, & Romanæ Urbis; statusque ecclesiastici edicta, contra latrones jam promulgata, ratione habita pecuniarum, quas in suum vel alienum usum & commodum clam & furtive converterit: idque ad easdem regulas in iisdem edictis etiam in furto magno præscriptas fieri debeat; quotiescumque tamen Camera nostra Apostolica, vel quispiam ex locis piis, ac mensis supradictis, & quilibet Dominus, ac creditor pecuniæ vel rei depositæ, damnum subiisse compertus fuerit. Ubi vero nullum damnum illatum inde fuerit; nihilominus jamdicti depositarii & arcarii, inter infames habendi, ob culpam infidelitatis duplicata pœna pecuniaria summæ, quam in suum vel alienum commodum converterint, puniri debeant. Sed præterea pœnis etiam corporalibus, gravibus & gravissimis, arbitrio judicum cumulate plectantur, ratione habita qualitatis & circumstantiarum singulorum casuum & factorum, quas deprehendi contigerit.

VI. Computorum & rationum Montis Pietatis & mensæ sancti Spiritus quomodo se gerere debeant in mandatis recipiendis: & contrafacientes qua pœna puniendi.

Similiter volumus, decernimus & jubemus, ne computorum & rationum scriptores Montis Pietatis, & mensæ sancti Spiritus recipere, aut recipiendum, & solvendum curare, vel facere possint quodcumque mandatum vel scriptum illorum, qui nullas pecunias re ipsa ibidem depositas, vel servatas habuerint. Si autem habuerint, eadem mandata & scripta recipi, & solvi possint pro ea tantum summa, quæ deposita ibidem extiterit. Quod si jamdicti computorum scriptores, & rationarij contrafecerint, tunc in eos procedi possit & debeat pœnis a nobis in arcarios & depositarios statutis.

VII. Pœna in auxiliatores, cooperatores, conscios & participes infidelitatis depositariorum.

Præterea sancimus & declaramus, hæc, quæ a nobis lata lege disponuntur, in eos pariter locum habere, qui auxiliatores, cooperatores, & quocumque alio modo conscii, complices ac participes infidelitatis eorumdem arcariorum & depositariorum extiterint: qui quidem conscii & complices ac participes, secundum suam complicitatem & participationem in singulis factis & casibus, iisdem pœnis omnino puniri debeant quibus puniendi essent, vel punirentur præcipui & principales rei eadem forma, quæ statuta reperitur in publicis edictis superius memoratis contra reos cooperatores, auxiliatores, complices & participes olim vulgatis.

ANNO 1729.

VIII. Pœna in computorum ſcriptores & rationarios, in libris ſuis non deſcribenter nomina depoſitorum.

Quia vero graviſſimum eſſet crimen infidelitatis, ab iis computorum ſcriptoribus & rationariis commiſſæ, qui, ut facilius pecuniam, ſub bona & publica fide ſibi creditam & depoſitam, in proprios, vel alienos uſus converterent, vel curarent, ut ab aliis converti poſſet, ſive alia quacunque de cauſa, in conſuetis codicibus & libris, ut ſcripturarum regula ab ipſis pro illorum officio bene exercendo poſtulat, nomen vel nomina depoſitorum nequaquam deſcriberent; hac noſtra pagina, perpetuum robur habitura, declaramus, decernimus & ſtatuimus, ſingulos & quoſcunque rationarios & computorum ſcriptores; qui hoc modo in ſuo officio exercendo peccaſſe, vel factum ſimile fraudis & infidelitatis commiſiſſe vel committendum curaſſe comperti fuerint vel qui cujuſpiam nominis veritatem deſcribendo, ſeu minorem ſummam ea, quæ verè depoſita eſſet, tam noſtræ Cameræ Apoſtolicæ, quam ulterius cujuſcunque domini & creditoris pecuniæ depoſitæ, in codicibus, & libris deſcripſiſſent, damno, inde ſequuto, vel non ſequuto, judicari, & re ipſa puniri debeant ad regulam & gradum pœnæ pecuniariæ & corporalis, ſuperius impoſitæ in factis & caſibus contra depoſitarios & arcarios, ſecundum qualitatem & circumſtantias eorum inflictis. Ad hæc ſancimus & ſtatuendo declaramus, factum commiſſionis vel omiſſionis, tanquam doloſum & fraudulentum, ſemper habendum, maloque animo & fine cogitatum, quotieſcunque culpæ obnoxius contrarium non probaverit, & conſtare curaverit.

IX. Pœna in exactores camerales infideles Montis Pietatis & ſancti Spiritus.

Ne autem exactores camerales, ii præcipue, qui in vectigalibus generalibus & particularibus utriuſque annonæ, frumentariæ & graſciæ, inque Monte Pietatis & menſa ſancti Spiritus pecunias a debitoribus exigere, exactaſque principalium dominorum arbitrio ſervandas, deponere debent, fide ſibi data, ſuique officii commodo abuti, ſive æs & pecunias exactas, perque eos non depoſitas, in ſuum vel alienum commodum convertere unquam poſſint, præſentium tenore diſtricte mandamus, ut totas integre & prompte, quemadmodum ex officio tenentur, ſtatim ac per illos exactæ fuerint, deponere debeant, decernentes, ut qui eas non depoſuerint, vel in alienos uſus pro arbitrio converterint, ſecuto inde, vel non ſecuto damno Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, vectigalium utriuſque annonæ, frumentariæ, nimirum & graſciæ, Montis pietatis & menſæ ſancti Spiritus, in ſingulis caſibus ſevero judicio judicentur & puniantur ad legem & normam a nobis decretam & ſtabilitam contra depoſitarios, arcarios, rationarios & computorum ſcriptores, ut ſupra.

X. Fraudes in cuſtodia pignorum factæ quomodo puniendæ.

Volentes etiam pro noſtris viribus impedire, ne fraudes, quæ compluries factæ fuerunt in cuſtodia pignorum Montis Pietatis, rurſus impoſterum fiant & committantur, præſentium tenore jubemus, cuſtodes & ſubcuſtodes pignorum ejuſdem Montis, æque ac judicialium depoſitariæ Urbanæ, æſtimatorum, ſubæſtimatorum, aliorumve miniſtrorum, ad ſervitium pii operis Montis Pietatis in memorato officio depoſitariæ Urbanæ electorum, qui fide ſibi data, commodoque, quod eis proprium munus ſubminiſtrat, inique abutentes, clam & doloſe pignus aliquod, etiam parvi pretii, ſubtraxerint, vel ex una cuſtodia in aliam transtulerint priuſquam vel poſtquam oppigneratum fuerit, illudque ſibi uſurpaverint, vel aliis tradiderint, inque alia cuſtodia oppigneraverint, vel ejus ſpeciem & qualitatem immutaverint, remve oppigneratam confinxerint, ſive unam pro alia deſcribentes, dolum & fucum fecerint, fraudemve quamcumque, falſitatem, aliamve ſimilem actionem circa dicta pignora commiſerint, ipſo facto pœnam ultimi ſupplicii incurrere debeant, nulla eis excuſatione ſuffragante, etiam parvi pretii & valoris rei, in qua delictum commiſerint. Judices vero in pœna ferenda qualitatem & circumſtantiam facti reſpicient.

XI. Pœna in fraudulentos depoſitarios, ſyndicos, rationarios & exactores eccleſiarum.

Decet quammaxime, ut præ oculis noſtris ſimiliter debitum ſollicitudinis habeamus, quod nobis, ut in ceteris, imcumbit erga opera & loca pia, quorum nobis, ut patri & tutori, cuſtodia commiſſa eſt. Quare præſentibus noſtris volumus & ordinamus, ut omnes depoſitarii, ſyndici, rationarii & exactores eccleſiarum, capitulorum, collegiorum, domuum, conventuum, monaſteriorum regularium utriuſque ſexus, & cujuſcumque loci & operis pii, vel congregationis, aut capituli, qui in proprio officio & miniſterio exercendo, aliquam ex prædictis actionibus & fraudibus committentes, quæ damnantur & puniuntur in depoſitariis, arcariis, rationariis & exactoribus Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, in vectigalibus generalibus & particularibus, utriuſque Annonæ, frumentariæ & graſciæ, ac Montis Pietatis, menſa ſancti Spiritus & depoſitaria Urbana inſervientibus, aliiſve officialibus ſupra commemoratis, quovis modo deliquerint, omnes & ſinguli iiſdem pœnis cum ſuis complicibus omnino ſubjaceant, quæ in eoſdem depoſitarios, arcarios, exactores camerales, alioſque ſuperius nominatos inflictæ fuerunt, ita ut de utriuſque par judicium feratur, iiſdem modis & formis, quæ ſuperius præſcriptæ fuerunt.

XII. Reis ſubterfugia eripiuntur.

Quia vero zelus juſtitiæ, quo intus incendimur, nos monet, ut has proviſiones noſtras pleniſſimo effectui mandandas quamprimum curemus, nos ſupradictis reis omnia ſubterfugia & prætextus eripere decrevimus, quos ſæpenumero judicium criminale ſagaciter declinaturi, vel rigorem pœnarum vitaturi, ſtudioſe conquirunt, mala & falſa quarumdam regularum legalium interpretatione freti, quas ſuis factis peſſimè aptant; propterea decernimus & ordinamus, ne ullus ex jamdictis depoſitariis, arcariis, exactoribus, rationariis, ſyndicis & cuſtodibus, aliive ex nominatis officialibus & miniſtris, qui quocumque modo contrafecerit, & quamcumque ex memoratis, expreſſe illicitis, vetitis ac criminoſis actionibus commiſerit, unquam poſſit eſſe vel haberi immunis, & liber ab actione criminali, & eo minus excuſari in aliqua parte delicti, neque abſolvi aut liberari a quacumque pœna ſub prætextu cujuſvis ſecuritatis ab eo datæ pro indemnitate Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, Montis Pietatis, menſæ ſancti Spiritus, vel alterius loci, piique operis prædictorum. Nullo pacto etiam ei poſſit aut debeat ſuffragari ſpecioſum velamen adminiſtrationis, calculorum faciendorum, rationum non redditarum, ſimileſque emendicatæ exceptiones, & prætextus: quæ omnia frivola, levia, leviſſima, & nullius vis & momenti eſſe declaramus, tanquam dolo malo delinquentium ſuggeſta & excogitata. Quotieſcumque ergo aliquis alienam ejuſmodi pecuniam in proprium vel alienum uſum & commodum convertere auſus fuerit, vel ei ſolvendam curaverit, qui in Monte Pietatis, vel in menſa ſancti ſpiritus nullam antea pecuniam vere depoſuerit; quive rei & pecuniæ depoſitæ & exactæ eſſe debitor deprehenſus fuerit, atque impos compertus rei ablatæ ſtatim & ſine ulla mora reſtituendæ, de eo, tanquam de homine infami ac vero latrone, judicabitur, & omnino ad diſpoſitiones edictorum punietur, ut dictum eſt ſupra, nulla ei prædictarum, & ſimilium diſpoſitionum ullo pacto ſuffragante.

Si

ANNO 1729.

XIII. Pœnæ in ministros, pecunia exacta usos, ac rationarios & computorum scriptores id scientes, nec patefacientes.

Si aliquis ex supradictis ministris, officialibus, depositariis, arcariis, exactoribus, syndicis, aliisve superius nominatis debitor extiterit, inque aliquod ex delictis jam expressis inciderit, aliena pecunia deposita, exacta, vel in arca servata pro arbitrio suo usus, rationario & computorum scriptore id sciente, nec præsidi, & superiori patefaciente, cui ea omnia patefieri volumus; tunc rationarius, etiamsi facti conscius non fuerit, pœnis etiam corporalibus, & gravissimis, ad qualitatem & circumstantiam facti puniatur nisi clare, & evidenter ostenderit, se rem eidem præsidi, & superiori antea patefecisse.

XIV. Hæc Constitutio ad totum statum S.R.E. extendatur.

Quia nostra intentio fuit, & est, præsenti Constitutione providendi Cameræ nostræ Apostolicæ atque hominum sanctæ Romanæ Ecclesiæ imperio subditorum indemnitati, non tam pro factis in hac nostra alma Urbe imposterum fortasse eventuris, quam pro quibuscumque aliis, quæ in toto Statu Ecclesiastico, tam mediate, quam immediate nobis & huic sanctæ Sedi Apostolicæ subjecto, comprehensis etiam quatuor S.R.E. Legationibus, Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ & Urbini, evenire possint; ideo volumus & decernimus, ut hæc eadem Constitutio nostra in omnibus & singulis suis partibus & dispositionibus, inque omnibus & singulis casibus & factis, in ea comprehensis & expressis, locum, robur, vim, & vigorem habere, & plenæ executioni mandari debeat, etiam extra hanc almam Urbem nostram, in omnibus Civitatibus, & locis Status Ecclesiastici, ita ut delinquentes in iisdem quatuor Legationibus severo judicio judicentur secundum leges & Edicta, quibus in iisdem legibus judicantur & puniuntur latrones, & ad normam & tenorem præsentis nostræ Constitutionis, ut decrevimus & ordinavimus supra.

XV. Hæ dispositiones locum habeant contra officiales Communitatum.

Quandoquidem pariter nostra intentio omnino est, ut provisiones hucusque memoratæ, inque hac alma Urbe nostra, totoque Statu Ecclesiastico vim habituræ, pro nostra Camera Apostolica, Monte Pietatis, mensis publicis, locis & operibus piis unam eamdemque vim & robur semper obtineant, culpasque, fraudes & damna impedire debeant, quæ in præjudicium Communitatum totius Status Ecclesiastici committi possunt; hinc nos in casibus & factis congruis mandamus & ordinamus, ut omnes & singulæ dispositiones, superius expressæ, locum habeant contra exactores, camerarios, depositarios, aliosque ministros & officiales cujuslibet Communitatis nostri Status Ecclesiastici, aliquam ex prædictis actionibus & delictis committentes, contra quos propterea judicari, & procedi debeat, non auditis, neque attentis frivolis exceptionibus & prætextibus superius enumeratis; scilicet ea forma & modo, quæ contra officiales, & ministros Camerales, aliosque superius nominatos præscribuntur.

XVI. Pœnis iisdem subjiciuntur qui fraudes olim commiserint.

Quamvis ordinamenta & sanctiones præsentibus literis nostris hactenus recensitas, contra delinquentes in casibus imposterum eventuris promulgaverimus; non ideo tamen intendimus a debitis pœnis, justisque animadversionibus eximere eos rationarios, computorum scriptores, arcarios, exactores, custodes, depositarios, syndicos, camerarios, aliosque officiales & ministros jam enunciatos Cameræ nostræ Apostolicæ, vectigalium generalium & particularium utriusquæ Annonæ, frumentariæ nimirum & Grasciæ Montis Pietatis, mensarum publicarum, Datariæ Apostolicæ, Depositariæ Urbanæ, & Communitatum Status nostri Ecclesiastici qui olim quomodocumque aliquam ex supradictis actionibus & fraudibus commisissent, de quibus facta est mentio in omnibus & singulis casibus expressis. Volumus enim, ut iidem ob delicta olim commissa iisdem pœnis omnino puniantur, quæ secundum leges communes vel municipales, & edicta locorum & provinciarum contra tales fraudatores & delinquentes inflictæ essent.

ANNO 1729.

XVII. Harum executio injungitur S. R. E. Cardinali Camerario, & Thesaurario.

Itaque pro omnium & singulorum præmissorum celeri & omnimoda executione mandamus dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali Camerario, necnon Thesaurario generali Cameræ nostræ Apostolicæ, nunc & pro tempore existentibus, ut contra omnes & singulos prædictos ministros & officiales, qui aliquod ex memoratis delictis in damnum & præjudicium ejusdem Cameræ nostræ Apostolicæ directe vel indirecte redundans, illorumque officia respiciens, quoquo modo, ut dictum est supra, commiserint, aut committi & perpetrari curaverint, vel in illorum perpetratione rem & complicitatem aliquam habuerint, cujuscumque conditionis & qualitatis extiterint, videlicet tam sæculares, quam ecclesiasticos, & quomodolibet privilegiatos & exemptos, ad debitas in eos pœnas, tam per se, quam per suos Locatenentes, Judices, atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos & subdelegandos, procedant, procedique mandent, & juxta præsentem nostram Constitutionem, justitia mediante, deveniant, & deveniri faciant.

XVIII. Hæc constitutio inviolabiliter observetur in Urbe & in toto statu S. R. E.

Injungimus itidem pro ulteriori præmissorum implemento, tam hujus almæ Urbis nostræ Gubernatori, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ceterisque Urbis Judicibus, ad quos de jure spectat; quam omnibus etiam & singulis nostris, & Sedis Apostolicæ in quibuscumque provinciis, legatis, & vicelegatis, necnon quarumcumque civitatum, terrarum, oppidorum & locorum, nobis & eidem Sedi, tam mediate, quam immediate subjectorum, gubernatoribus, prætoribus, capitaneis, commissariis & aliis quibuscumque judicibus, quavis etiam subdelegata potestate fungentibus, ut præsentes nostras inviolabiliter in suis judiciis observent, necnon contra delinquentes prædictos, suæ jurisdictioni subjectos ad formam earumdem præsentium omnino procedant, omniaque in eisdem literis contenta plenariæ executioni demandent.

XIX. Præsentes ab omnibus perpetuo observandæ, non obstantibus quibuscumque.

Postremo decernimus, has literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, vel illis derogari ullo modo tacite, vel expresse unquam posse, nisi de illis, earumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio & expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris, & momenti fore, & tanquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse: atque ita per quoscumque judices tam ordinarios, quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & de latere legatos, judicari & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate; decernentes irritum & inane quidquid secus in præmissis, & quolibet præmissorum atque hac nostra Constitutione contentorum & statutorum, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Urbis, & Romanæ curiæ tribunalium, aliarumque curiarum nostri ecclesiastici status, ac legationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis & consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præ-

sentes improbamus, nullasque & invalidas esse declaramus; privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialibus, specifica, expressa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita, observata inserti forent, eisdem præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

XX. Hæ literæ quando obligare incipiant.

Volumus autem, ut elapsis tribus respectu dictæ nostræ Urbis, & quindecim diebus respectu totius prædicti nostri status ecclesiastici, postquam præsentes valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, & in Acie campi Floræ per aliquem ex nostris Cursoribus affixæ & publicatæ fuerint, omnes & singulos, tam in Urbe, quam in toto statu ecclesiastico & legationibus existentes, perinde obligent & arctent, ac si unicuique eorum personaliter & nominatim intimatæ fuissent, utque earum transumtis, etiam impressis manu notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdemmet præsentibus si exhibitæ vel ostensæ essent, adhiberetur.

XXI. Nemo hanc paginam infringere audeat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, sanctionis, legis, statuti, decreti, declarationis, dispositionis & jussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingesimo vicesimo nono, VI. Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in in Camera Apostolica.

Antonius Cajetanus Frosius R. C. A. Secretarius.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingesimo vicesimo nono Indictione septima, die vero tertia Octobris; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri BENEDICTI divina providentia Papæ XIII anno sexto, supradictæ litera Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & sanctæ Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie campi Floræ, ac aliis locis solitis & consuetis per me Antonium Placentinum SS. D.N. Papæ Curs.

Antonius Pelliccia Mag. Curs.

FINIS.

Rerum, & Materiarum INDICEM huicce Tomo perinde ac præcedentibus, apponere præ temporis angustiâ non licuit, nec suo tamen lector jure defraudabitur; illum enim Indicem additurus nos spondemus ad calcem Tomi XI. cujus editioni navamus Operam, dum omissas Bullas undique colligimus.

